Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
22 — L
30

Digitized by Google

SPECULUM
PAROCHORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

INSTITUTIO
PAROCHI,
SEU
SPECULUM PAROCHORUM,
IN QUO TUM PAROCHI, TUM OMNES Animarum curam gerentes, muneris sui obligationes, ac methodum ad eas ritè adimplendas, facilè intueri possunt.

AUTHORE R. P.
SEBASTIANO D' ABREU'
Lusitano Cratensi, è Societate Jesu, Sacræ Theologiæ in celebri Eborensi Academia Primario olim Professore, & Cancellario.

OPUS NON TANTUM CURATIS, VERUM ETIAM Prælatis, Confessariis, Concionatoribus, omnibusque proximorum salutem promovere studentibus, valdè utile, ac necessarium.

CUM TRIPLICI INDICE, PRIMO LIBRORUM, ET CAPITUM; Secundo ad Conciones; Tertio Rerum moralium, & notabilium.

Domus Prob. Romanæ Scholar Piarum

VENETIIS, M.DC.XCIX.
Apud Paulum Balleonium.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

RATIO OPERIS
Ad Parochos, aliosque pios Lectores.

Experientia edoctus, in variis temporum circumstantiis expertus sum non paucos assumi ad animarum curam ignaros prorsus ministerii, in quo ponuntur, & doctrinæ ad illud perficiendum necessariæ, quod esse non potest sine magno periculo Prælatorum, qui gregibus sibi à Christo commissis haud idoneos Pastores substituunt: non sine damnatione eorum, qui impares eliguntur ad officium arduum, periculis ac difficultatibus plenum: non sine notabili dispendio animarum, quarum salus committitur Sacerdotibus imperitis, & sæpè non benè moratis, qui magis inficere, quàm curare valent. Post hanc diuturnam experientiam cogitavi me obsequium præstiturum tam Prælatis, quàm Parochis, quàm etiam animabus ipsis, si pro mea tenuitate librum moderatum scriberem, in quo Parochus benè institueretur, omnesque animarum Curatores tamquam in speculo intuerentur omnes officii sui obligationes, & normam eis satisfaciendi; nam primum optandum est iis, qui ministerium aliquod suscipiunt, ut quæ suæ sint partes agnoscant, & modum illas implendi non ignorent.

Variis tamen Academiæ occupationibus distentus animum applicare non potui huic meæ cogitationi, quæ indies me urgebat suadebatque, si animarum Rectores in uno libro haberent quidquid sibi opus esset, ad animas sibi commissas benè instituendas, & dirigendas, fore, ut faciliùs, & suaviùs munus suum tam necessarium utiliter ac laudabiliter exercerent. Donec Romæ, ubi me invenio non ita occupationibus implicatum, ut non possim aliquas horas suffurari muneri meo, decrevi perficere, quod in Lusitania cogitaveram, ad idque evolvi in copiosa Bibliotheca Collegii Romani varios libros de hoc argumento, in quibus putavi inventurum me amplam materiam ad id, quod intendebam; nam inveni hos titulos variis libris præfixos. Curator animarum. Methodus curationis animarum. Speculum Curatorum. Lucerna Parochorum. Hortus Pastorum. Institutio Sacerdotum, qui sub Episcopis animarum curam gerunt. De officio Curati. De officio Parochi. Sic enim Authores varii inscribunt libros suos. Re tamen ipsa nullum inveni, qui materiam tractaret, juxta ideam à me conceptam, quæ mihi repræsentabat librum, extra quem Parochus nihil posset desiderare ad suum munus rectè obeundum. Nam aliis sub illis titulis tractant materias morales casuum conscientiæ per modum summæ, qui potiùs habere poterant titulum, quem præfixit Cardinalis Toletus suæ Summæ, nempe Institutio Sacerdotum, vel Philiarchus, de officio Sacerdotum. Alii sub illis titulis tractant de Sacramentis, alii de sola Pœnitentia. Alii de solis censuris, alii verò commendant officium Curati.

ti.

ti. *Solus Possevinus fecit libellum parvum quindecim capitibus constantem de officio Curati; qui ad rem meam magis accedit, licèt valde diminutè, ut legenti constabit, & satis innuit titulus:* De officio Curati ad praxim præcipuè circa repentina, & generalia. *Augustinus Barbosa fecit etiam librum justæ magnitudinis de officio Parochi, qui etiam accedit ad meum intentum, redundat tamen in multis, quæ pertinent ad provisionem, concursum, præsentationem, & electionem Parochi, à quibus ego abstinendum judicavi, quia solus est animus instituere Parochum jam positum in suo officio Parochiali ad actiones suas ritè obeundas; & deficit in illis, quæ ad forum conscientiæ pertinent, in quibus Parochus instituì debet, tamquam in re sui fori, & muneris; est enim Pastor pro foro interno. Pater etiam Emmanuel Cordeiro duos tomos promittens primum edidit in duas partes divisum; cui titulum præfixit:* Perfectus Parochus. *Cùm tamen in prima parte nihil omnino de Parocho agat, sed solùm in secunda, ubi præcipuè agit de Sacramentis à Parocho ministrandis.*

Ego igitur, præcisis iis, in quibus alii redundant, & suppletis illis, in quibus alii deficiunt, Parochum constitutum jam in sua Ecclesia instituo, juxta decretum Concilii Trident. Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini Prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munera Pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt &c. *Quibus verbis Concilium claudit omnes Parochialis officii obligationes, quæ proinde erunt materia hujus operis, quod in tredecim libros divido, in quorum primo ago de fine officii Parochialis, de ejus dignitate, ac præstantia, de qualitatibus illius, qui eo fungi debet, ne se in illo perdat, & oves Christi, quas in æternam salutem dirigendas suscipit, in interitum deducat. In secundo ex prædicto loco Tridentini eruo obligationes hujus muneris, illasque statuo, & declaro, aliquaque assigno media generalia, ut debitè, & cum fructu impleantur. In tertio dico de Residentia Parochi in sua parœcia, & declaro difficultates omnes, quæ circa hanc Residentiam occurrere possunt. In quarto tracto de Sacrificio Missæ, quo Parochus tenetur pascere populum suum, ubi dico, quidquid ad Sacrificium, & Missam pertinet. In quinto dico de Prædicatione Parochi, ubi demonstro teneri pascere plebem suam verbo Prædicationis, ostendoque qualis debeat esse ista Prædicatio, & suggero materiam ordinariam, qua uti debeat in tam necessario ministerio, ut sine difficultate huic muneri valeat satisfacere. In sexto ago de exemplo vitæ necessario in quolibet animarum Curatore, quo prælucere debet, ut pascat oves sibi commissas, quod exemplum est magna pars Prædicationis; quare de illo statim ago post munus prædicandi. In septimo tracto de Doctrina fidei, quam dicimus Christianam, quam Parochus docere tenetur, ubi explico Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Mysteria Rosarii, & Coronæ Virginis Sanctissimæ, in quibus conti-*

Sess. 23. c. 1. de reform.

tine-

Digitized by Google

tinetur præcipua materia Christianæ Doctrinæ, ad cujus complementum reliqua sumenda sunt ex libro sequenti. In octavo declaro decem Præcepta Decalogi, quibus præmitto Fidei, Spei, & Charitatis explicationem, quia præcepta istarum virtutum sunt quasi præambula, & fundamenta Præceptorum Decalogi; deinde declaro quinque Præcepta Ecclesiæ, & septem Vitia Capitalia, in quibus continetur magna pars Doctrinæ Fidei, & Parochus simul instruitur in ordine ad sacras Confessiones audiendas. In nono tracto de administratione Sacramentorum, in qua sita est præcipua functio Parochi, qui est ordinarius minister Sacramentorum, unde ago de Sacramentis in genere, & de quolibet in specie; non solùm tradendo illorum doctrinam, sed etiam instruendo Parochum, quomodo ea administrare possit, ac debeat, ne errare contingat in materia tam sancta, tam necessaria, ac continua. Quia verò administratio Pœnitentiæ est magis ordinaria Parochi occupatio, & majoribus difficultatibus implicata, in decimo postquam aliqua dico, ut hoc Sacramentum ritè, ac fructuosè administretur, Parochum instruo de aliquibus materiis ad illud necessariis, quæ in superioribus commodè tractari non potuerunt, v.c. de Virtute Justitiæ, de Contractibus, de Restitutione tam in genere, quàm in specie, de Peccato omissionis, & commissionis, de Diversitate specifica, & numerica peccatorum, illorumque circumstantiis, de Conscientia recta, erronea, probabili, dubia, & scrupulosa; de Censuris, nempe de excommunicatione, suspensione, interdicto, ac irregularitate; de Excommunicationibus Bullæ Cœnæ, & aliis Papæ reservatis; de Casibus reservatis Episcopis de jure communi, & in hoc Regno; de Indulgentiis, de Jubilæo, de Bulla Cruciata, in quibus suppositis iis, quæ dicta sunt lib. 8. & 9. habet Parochus, quidquid sibi necessarium est ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè, ac doctè ministrandum. In undecimo ago de moribundis, quos Parochus adjuvare debet, ut vitam benè claudant, tum per Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, tum per monita salutaria, ne in ultimo agone inimici tentationibus succumbant. In duodecimo ago de mortuis, instruendo Parochum, quomodo se gerere debeat in sepeliendis mortuis suis, illisque commendandis, ac suffragiis pro illis faciendis. In decimotertio, & ultimo ago de aliis obligationibus Parochi minutioribus, ne quid sit ad hoc sanctum ministerium pertinens, de quo Parochus in hoc opere non instruatur sufficienter.

Unde mihi persuadeo in hoc volumine habere animarum Curatorem, quidquid sibi necessarium est ad munus suum laudabiliter exercendum, ita ut nullo alio indigeat libro. Ne autem volumen nimium cresceret abstinui à citationibus Authorum, quibus plerique paginas implent; & trado solidiorem doctrinam Doctorum melioris notæ, abstinendo regulariter ab opinionibus recensendis, & refutandis; quamvis, quando id opus est, id etiam præstem: licèt autem sequar sententias communiores, & probabiliores, si opposita sunt probabiles, & tutò practicari possunt, id etiam adverto. Quamvis autem dicere possum, quod P. Emmanuel de Saa in prœmio suorum Aphorismorum, quòd docti scient me veriorem doctrinam inculcare, indoctos verò id credere debere. Nihilominus, saltem quando res est controversa, cito ad marginem duos, vel tres Doctores ex gravioribus, quorum doctrina habet majorem plausum in scholis, ut indocti videant me bonos sequi patronos, &

docti,

Digitized by Google

docti, si voluerint ea puncta latiori stylo, & uberiori tractatione discussa, sciant loca, in quibus à suis Doctoribus tractantur; quo putavi me doctis, ac indoctis pariter satisfecisse. Doctores verò, quos regulariter sequor, sunt D. Thom. P. Soar. Vasq. Sanch. Less. Azor. Aegid. Tolet. Navar. Sayr. Filliuc. Bonac. & alii hujus notæ; aliquando cito Dianam, ut apud ipsum videantur plures, quos allegare solet. Quia verò scio plures esse Parochos doctissimos, & magnos Theologos, non parco speculationi, quando puncta, quæ tanguntur, eam postulant. Decreveram indicem rerum non facere, quia cùm omnes materiæ morales tangantur, & tradantur infinitæ propemodum resolutiones, opus videbatur index tam copiosus, ut volumen plus justo excresceret, quod aliqui hoc tempore præstant facientes indices æquè ferè copiosos ac ipsa volumina, & alioqui, cùm materiæ, quas tracto, suis locis benè disponantur, putabam, quòd per indicem librorum, capitum, sectionum, & §§. quos aliquando, claritatis gratia, adjungo, res facilè inveniri possent: ab hac tamen opinione me deterruerunt viri docti, quibus obediendo ad finem pono indicem duplicem, alterum rerum concionabilium, moralium alterum. Quantum verò laboris sit in hoc genere scribendi presso, vide apud Navar. in proœmio sui Manualis, ubi id benè probat, cum quo fidenter dico facilius, & fortè gloriosius fuisse ex materiis, quæ in hoc volumine laconicè tractantur, fusè disputatis plurimos tomos edere, quàm illas in hoc unico opusculo comprehendere; sed mihi sit pro gloria utilitas, quam spero. Faxit Deus, quòd animarum Rectores, pro quibus principaliter laboravi, hoc volumen frequenter versent, memoria teneant, & juxta illud operentur; facilè enim inde sperari poterit reformandas Parochias, Parochos ipsos, & Diœceses, populosque bene instituendos, ac dirigendos in viam salutis. Habetis igitur Reverendi animarum Rectores, benevolique Lectores, rationem mei instituti in hoc opere conficiendo, cujus materiam, ejusque dispositionem ex indice mox subjiciendo deprehendere poteritis. Si autem judicaveritis laborem utiliter impensum, date gloriam Deo, meque illi commendate; sin minùs, boni consulite, & valete.

Digitized by Google

INDEX LIBRORUM,

Capitulorum, & Titulorum, qui sub unoquoque continentur.

LIBER I.

De fine, & qualitatibus Parochi.

CAp. 1. Quòd Parochus, Parochia, & Parochialis Ecclesia? pag. 1.
Cap. 2. De fine Parochi. 3.
Cap. 3. de excellentia muneris Parochialis. 4.
Cap. 4. De difficultate muneris Parochialis. 6.
Cap. 5. De periculo muneris Parochialis. 7.
Cap. 6. De temeritate eorum, qui impares veniunt ad curam animarum. 9.
Cap. 7. Laudabile officium Parochiale à digno acceptum, & dignè administratum. 11.
Cap. 8. Parochus suæ primùm saluti incumbat. 13.
Cap. 9. Parochus à suo fine ne deflectat. 15.
Cap. 10. Parochus nuptialem gratiæ vestem non deponat. 17.
Cap. 11. Parochus habeat amorem Dei. 18.
Cap. 12. Parochus caveat peccata maximè mortalia. 20.
Cap. 13. Parochus cavere etiam debet peccata venialia. 21.
Cap. 14. Parochus Orationi vacare debet. 22.
Cap. 15. Frequens, ac fructuosa Missæ celebratio Parocho necessaria. 24.
Cap. 16. Corporis castigatio Parocho necessaria. 27.
Cap. 17. Parochus otium fugiat. 29.
Cap. 18. Quid faciendum Parocho, cùm desunt negotia muneris sui? 30.
Cap. 19. Quomodo Parocho cum laicis conversandum. 32.
Cap. 20. Inutilis mulierum consuetudo Parocho vitanda. 34.

LIBER II.

De muneribus Parochialibus.

Cap. 1. Quas actiones comprehendat munus Parochiale. pag. 38.
Cap. 2. Parochus gregi suo invigilare debet, & residere apud illum. 41.
Cap. 3. Parochus pascere debet sacrosancto Missæ sacrificio. 43.
Cap. 4. Parochus tenetur pascere oves suas verbo prædicationis. 44.
Cap. 5. Parochus tenetur pascere oves suas doctrina fidei. 46.
Cap. 6. Parochus tenetur pascere oves suas Orationis subsidio. 48.
Cap. 7. Parochus tenetur pascere oves suas Sacramentorum pabulo. 51.
Cap. 8. Parochus tenetur pascere oves suas bono conversationis exemplo. 53.
Cap. 9. Habeat Parochus amorem erga gregem suum. 54.
Cap. 10. Parochus zelum habeat de salute ovium suarum. 56.
Cap. 11. Parocho prudentia maximè necessaria. 57.
Cap. 12. Parochus & sibi diffidat, & fiduciam in Deum habeat. 58.
Cap. 13. Audiat Parochus Episcopum suum. 60.

LIBER III.

De Residentia Parochi.

Cap. 1. Parochus tenetur ad residentiam ex præcepto Divino. pag. 63.
Cap. 2. Residentia Parochi debet esse personalis. 64.
Cap. 3. Residentia Parochi debet esse in propria parœcia. 65.
Cap. 4. Explicantur aliqua dubia circa prædictam residentiam. 66.
Cap. 5. Residentia Parochi debet esse continua. 67.

Cap. 6. De ordinaria absentia Parochi 68.
Cap. 7. De extraordinaria absentia Parochi. 69.
Cap. 8. In absentia Parochi relinquendus, qui ejus vices suppleat. 72.
Cap. 9. De his, qui possunt concedere, ut Parochus absit à Parochia. 73.
Cap. 10. De pœna ordinaria Parochi non residentis. 74.
Cap. 11. De pœnis extraordinariis Parochi non residentis. 75.
Cap. 12. De Parocho, ratione infirmitatis, solùm corporaliter residente. 76.

LIBER IV.

De Sacrificio à Parocho offerendo.

Cap. 1. In Ecclesia est proprium sacrificium. pag. 80.
Cap. 2. De essentia sacrificii Missæ. 82.
Cap. 3. De cæremoniis, & ritibus accidentalibus sacrificii Missæ. 83.
Cap. 4. De offerrente sacrificium Missæ. 84.
Cap. 5. Pro quibus sacrificium Missæ offerri possit? 86.
Cap. 6. De effectibus sacrificii Missæ. 87.
Cap. 7. In quo offerente habeat sacrificium Missæ effectum ex opere operato? 90.
Cap. 8. Quando Parochus teneatur sacrificium Missæ Deo offerre; seu Missam celebrare? 92.
Cap. 9. An, & quando Parochus teneatur sacrificium Missæ offerre pro suis ovibus? 93.
Cap. 10. De dispositione Parochi ad celebrandum. 96.
Cap. 11. De loco, in quo, Parochus celebrare debeat. 98.
Cap. 12. De altari, vasis, & vestibus requisitis ad celebrandum. 99.
Cap. 13. De ministro, qui celebranti ministrare debet. 100.
Cap. 14. De tempore, quo est celebrandum. 101.
Cap. 15. Utrùm Parochus possit eodem die plures Missas celebrare? 102.
Cap. 16. An Missa possit aliquando à Parocho interrumpi? 103.
Cap. 17. De supplendis defectibus in Missa occurrentibus. 104.
Cap. 18. De ritu, & cæremoniis Missæ. 105.
Cap. 19. De justo stipendio Missæ. 107.

LIBER V.

De Prædicatione Parochi.

Cap. 1. Parochus tenetur prædicare in sua parœcia Dominicis, & festis. pag. 111.
Cap. 2. An Parochus teneatur per se ipsum prædicare? 112.
Cap. 3. Confutantur frivolæ aliquæ Parochorum excusationes circa munus prędicandi. 114.
Cap. 4. Confutantur aliæ excusationes magis frivolę. 116.
Cap. 5. Quos Parochus admittere possit ad prędicandum in sua Parochia? 117.
Cap. 6. Quando Parochus prædicare debeat, quomodo, & quas pœnas incurrat non prædicando. 118.
Cap. 7. Qualis debeat esse prædicatio Parochi? 119.
Cap. 8. Parochus animarum salutem impedientes coarguat, & publicis resistat peccatis. 120.
Cap. 9. Parochus peccati gravitatem sæpè in sua prædicatione inculcet. 122.
Cap. 10. Eamdem peccati gravitatem inculcabit ab exemplis. 124.
Cap. 11. Parochus utatur frequenter memoria mortis, ut populum suum à peccando contineat. 126.
Cap. 12. De particulari judicio statim in puncto mortis à Parocho intimando. 127.
Cap. 13. De judicio universali à Parocho prædicando. 128.
Cap. 14. De inferno, & pœnis ejus à Parocho sæpius exponendis. 131.
Cap. 15. De paradiso, & gloria cœlesti à Parocho inculcanda. 132.
Cap. 16. De malo luxuriæ, & bono castitatis à Parocho proponendis. 134.
Cap. 17. De spiritu odii, vindictæ, contra quam Parochus prædicare debet. 136.
Cap. 18. Quàm Deo sit grata offensarum remissio Parocho prædicandum. 139.
Cap. 19. De vita scandalosa peccatis immersa Parocho prædicandum. 141.
Cap. 20. De illis, qui sine scandalo in peccato diu perseverant, Parocho prædicandum. 144.
Cap. 21. Exhortatio ad bona opera, & pœnitentiam non differendam à Parocho facienda. 148.
Cap. 22. Exhortatio ad servanda Dei præcepta à Parocho facienda. 149.
Cap. 23. Exhortatio ad solas virtutes procurandas à Parocho facienda. 151.
Cap. 24. Contra eos, qui caduca mundi bo-

Digitized by Google

na, & gaudia saluti æternæ anteponunt, Parocho prædicandum. 154.
Cap. 25. Exhortatio ad Sacramenta frequentanda à Parocho facienda. 156.
Cap. 26. Exhortatio ad sacram Eucharistiam à Parocho sæpè facienda. 158.
§. 1. Christus in Eucharistia alimentum, & sustentatio animarum fidelium. 159.
§. 2. Mirabiles effectus hujus cœlestis alimenti. 161.
§. 3. De mensa, quam nobis dæmones proponunt. 163.
§. 4. De mensa, quam suis proponit Christus in sacramento Corporis, & Sanguinis sui. 167.
§. 5. Exinanivit se Dei Filius in mensa Eucharistiæ, ut servos eveheret ad vitam quamdam divinam Christi vitæ simillimam. 171.
Cap. 27. Devotio B. Virginis à Parocho frequenter inculcanda. 177.
§. 1. Devotio B. Virginis prædestinationis, ac salutis æternæ singulare argumentum. 178.
§. 2. Devoti B. Virginis non damnantur. 181.
§. 3. Devotio B. Virginis remedium efficax contra dæmonum insultus. 184.
§. 4. Devotio B. Virginis optimum ad bonam mortem remedium. 186.
§. 5. Peccatoribus B. Virginis devotio maximè necessaria, & salutaris. 189.

LIBER VI.

De exemplo Parochi, & cura pauperum, & miserabilium personarum.

Cap. 1. Parochus pascat oves suas bono conversationis exemplo. pag. 194.
Cap. 2. Parochus bonæ vitæ exemplo facilè viam salutis ovibus suis persuadebit. 196.
Cap. 3. Parochus vitæ exemplo destitutus parum, vel nihil boni operabitur in sua plebe. 198.
Cap. 4. Parochus vitæ exemplo destitutus oves suas ad interitum deducit. 200.
Cap. 5. Parochus universali virtutum exemplo populo suo prælucere debet. 203.
Cap. 6. Parochus præluceat castitatis exemplo. 204.
Cap. 7. castitatis exemplum in Parocho, ratione officii, specialiter necessarium. 206.
Cap. 8. Caveat Parochus avaritiæ labem. 208.
Cap. 9. Caveat Parochus turpe lucrum. 210.
Cap. 10. Caveat Parochus omnia illa, quæ in jure Canonico Clericis prohibentur. 211.
Cap. 11. Præluceat Parochus exemplo eorum, quæ commendat Apostolus iis, qui pastorale officium exercent. 213.
Cap. 12. Parochus det exemplum in doctrina. 216.
Cap. 13. Parochus pauperum, & miserabilium personarum curam paternam gerat. 220.

LIBER VII.

De Doctrina Christiana à Parocho tradenda, & explicanda.

Cap. 1. Omnes fideles tenentur scire doctrinam Christianam. pag. 225.
Cap. 2. Quomodo Parochus docere debeat doctrinam Christianam. 226.
Cap. 3. Exponitur Symbolum Apostolorum, ut Parochus ejus mysteria declarare possit. 228.
Sect. 1. Quid sit Symbolum, quæ ejus partes, & utilitas? ibidem.
Sect. 2. Explicatio primi artic. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ. 229.
Sect. 3. Explicatio secundi art. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum. 234.
Sect. 4. Explicatio tertii artic. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine. 236.
Sect. 4. Explicatio quarti artic. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. 239.
Sect. 6. Explicatio quinti art. Descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis. 241.
Sect. 7. Explicatio sexti art. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis. 243.
Sect. 8. Explicatio septimi art. Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. 245.
Sect. 9. Explicatio octavi artic. Credo in Spiritum sanctum. 247.
Sect. 10. Explicatio noni art. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. 249.
Sect. 11. Explicatio decimi art. Remissionem peccatorum. 251.
Sect. 12. Explicatio undecimi art. Carnis resurrectionem. 252.

Digitized by Google

Sect. 13. Explicatio duodecimi art. Et vitam æternam. 254.
Cap. 4. Exponitur Oratio Dominica, ut Parochus eam, congruè explicare valeat. 256.
Sect. 1. Expositio verborum; Pater noster, qui es in cœlis. 257.
Sect. 2. Expositio primæ petitionis: Sanctificetur nomen tuum. 258.
Sect. 3. Expositio secundæ petitionis: Adveniat regnum tuum. 259.
Sect. 4. Expositio tertiæ petitionis: Fiat voluntas tua sicut in cœlo, & in terra. 260.
Sect. 5. Expositio quartæ petitionis: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 262.
Sect. 6. Expositio quintæ petitionis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. 263.
Sect. 7. Expositio sextæ petitionis: Et ne nos inducas in tentationem. 265.
Sect. 8. Expositio septimæ petitionis: Sed libera nos à malo. Amen. 266.
Cap. 5. Exponitur salutatio Angelica. 267.
Sect. 1. Exponitur quoad verba Angeli. ibidem.
Sect. 2. Exponitur quoad alia verba. 269.
Sect. 3. De Rosario B. Virginis. 270.
Sect. 4. De Corona B. Virginis. 273.
Cap. 6. Proponuntur exempla, quibus Parochus uti possit in doctrina fidei, seu Christiana inculcanda. 274.
Sect. 1. Exempla circa mysteria Symboli. 275.
§. 1. Exempla circa fidem. ibid.
§. 2. Exempla circa 1. art. Symboli. 276.
§. 3. Exempla circa 2. art. ibid.
§. 4. Exempla circa 3. art. ibid.
§. 5. Exempla circa 4. art. 277.
§. 6. Exempla circa 5. art. ibid.
§. 7. Exempla circa 6. art. 278.
§. 8. Exempla circa 7. art. ibidem.
§. 9. Exempla circa 8. art. 279.
§. 10. Exempla circa 9. art. 280.
§. 11. Exempla circa 10. art. ibid.
§. 12. Exempla circa 11. art. ibid.
§. 13. Exempla circa 12. art. 281.
Sect. 2. Exempla circa Orationem Dominicam. 282.
§. 1. Exempla circa illa verba: *Pater noster, qui es in cœlis*. ibid.
§. 2. Exempla circa 1. petitionem. ibid.
§. 3. Exempla circa 2. petitionem. 283.
§. 4. Exempla circa 3. petitionem. ibid.
§. 5. Exempla circa 4. petitionem. ibidem.
§. 6. Exempla circa 5. petitionem. 284.
§. 7. Exempla circa 6. petitionem. 285.
§. 8. Exempla circa 7. petitionem. ibid.
Sect. 3. Exempla circa salutationem Angelicam, Rosarium B. Virginis, & Coronam. 286.
§. 1. Exempla circa salutationem Angelicam. ibid.
§. 2. Exempla circa Rosarium Virginis. 288.
§. 3. Exempla circa Coronam Virginis. 290.
Sect. 4. Exempla circa præcepta Decalogi. 292.
§. 1. Exempla circa 1. præceptum. 293.
§. 2. Exempla circa 2. præceptum. ibid.
§. 3. Exempla circa 3. præceptum. 294.
§. 4. Exempla circa 4. præceptum. ibid.
§. 5. Exempla circa 5. præceptum. 295.
§. 6. Exempla circa 6. præceptum. ibid.
§. 7. Exempla circa 7. præceptum. 296.
§. 8. Exempla circa 8. præceptum. 297.
§. 9. Exempla circa 9. præceptum. ibid.
§. 10. Exempla circa 10. præceptum. 298.
Sect. 5. Exempla circa quinque præcepta Ecclesiæ. ibid.
§. 1. Exempla circa 1. præceptum. ibid.
§. 2. Exempla circa 2. præceptum. 299.
§. 3. Exempla circa 3. præceptum. ibid.
§. 4. Exempla circa 4. præceptum. 300.
§. 5. Exempla circa 5. præceptum. 301.
Sect. 6. Exempla circa vitia capitalia. ibid.
§. 1. Exempla circa superbiam. ibid.
§. 2. Exempla circa avaritiam. ibid.
§. 3. Exempla circa luxuriam. 302.
§. 4. Exempla circa iram. ibid.
§. 5. Exempla circa gulam. 303.
§. 6. Exempla circa invidiam. ibid.
§. 7. Exempla circa acediam. 304.
Sect. 7. Exempla misericordiæ erga pauperes. ibid.
§. 1. Christus è regno suo excludit eos, qui misericordiam erga pauperes non exercent. ibid.
§. 2. Non deficit panis, nec pecunia expendentibus bona sua cum pauperibus. 305.
§. 3. Misericordia data multiplicat, & viam ad cœlum parat. ibid.
§. 4. Misericordia contritionem, & salutem mirabiliter operatur. 306.
Sect. 8. Exempla misericordiæ erga animas Purgatorii. 307.
§. 1. Quantum prosint animabus Defunctorum suffragia vivorum? ibidem.
§. 2. Quanti intersit viventium juvare fidelium animas? 308.
§. 3. Quantum noceat vivis oblivio animarum Purgatorii? 309.

§. 4.

§.4. Quantæ sit efficaciæ Missæ sacrificium pro animabus Purgatorii ? 310.

LIBER VIII.

Explicat Decalogum, quinqualogum, & vitia capitalia, ut Parochus dirigatur in Doctrina fidei declaranda, & sacris confessionibus audiendis.

Cap. 1. de fide, ejusque præcepto. pag. 313.
Sect. 1. de fide, ejusque necessitate. ibid.
Sect. 2. de præcepto fidei. 314.
Sect. 3. de infidelitate, & peccatis contra fidem. 316.
Cap. 2. de spe theologica. 318.
Sect. 1. de spe, ejusque præcepto. ibid.
Sect. 2. de peccatis contra spem. 319.
Cap. 3. de charitate theologica, ejusque effectibus. 320.
Sect. 1. de natura charitatis theologicæ. ib.
Sect. 2. de præcepto charitatis. 322.
Sect. 3. de effectibus charitatis, maximè de eleemosyna. 323.
Sect. 4. de eleemosyna spirituali, maximè de correctione fraterna. 326.
Sect. 5. de peccatis contra charitatem. 328.
Sect. 6. de bello paci, & charitati opposito. 330.
Sect. 7. de rixa, duello, & seditione paci, ac charitati oppositis. 331.
Sect. 8. de scandalo charitati opposito. 333.
Cap. 4. Expositio primi præcepti Decalogi. 335.
Sect. 1. de virtute Religionis, qua Deum colimus. ibid.
Sect. 2. de actibus internis Religionis. 336.
Sect. 3. de horis Canonicis. 338.
Sect. 4. de adoratione, sacrificio, & oblationibus. 341.
Sect. 5. de voto, quo Deo aliquid promittimus. 344.
§. 1. de materia voti. 345.
§. 2. de obligatione voti, ejusque divisione. 346.
§. 3. de voti relaxatione. 347.
Sect. 6. de peccatis Religioni oppositis pertinentibus ad superstitionem. 350.
§. 1. de superstitione illegitimi cultus. ib.
§. 2. de superstitione Idolatriæ. ibid.
§. 3. de superstitione divinationis. 351.
§. 4. de superstitione vanæ observantiæ. 352.
§. 5. de superstitione magiæ. 353.
§. 6. de superstitione maleficii. ibid.
§. 7. An liceat rogare maleficum, ut maleficium solvat. 354.
Sect. 7. de vitiis Religioni oppositis ad irreligiositatem spectantibus. 356.
§. 1. de blasphemia. ibid.
§. 2. de tentatione Dei. 357.
§. 3. de perjurio. 359.
§. 4. de sacrilegio. ibid.
§. 5. de simonia. 360.
Cap. 5. Expositio secundi præcepti Decalogi. 366.
Sect. 1. Quid sit juramentum ? ibid.
Sect. 2. Quotuplex sit juramentum, & an liceat ? 369.
Sect. 3. de juramento assertorio. ibid.
Sect. 4. de juramento promissorio. 371.
Sect. 5. de juramento comminatorio, & execratorio. 373.
Sect. 6. Notantur aliqua circa juramentum, in ordine ad confessionem. 375.
Sect. 7. de juramenti relaxatione. 377.
Sect. 8. de adjuratione. 378.
Cap. 6. Expositio tertii præcepti Decalogi. 379.
Sect. 1. Quæ dies sint observandæ ex vi hujus præcepti ? 380.
Sect. 2. Quid in diebus festis præcipiatur, & prohibeatur ? 382.
Sect. 3. quando peccetur circa hoc præceptum ? 385.
Cap. 7. Expositio quarti præcepti Decalogi. 387.
Sect. 1. Quid filii debeant parentibus ex vi hujus præcepti ? ibid.
Sect. 2. Quid parentes debeant filiis, uxor viro, vir uxori, & frater fratri ex vi hujus præcepti ? 389.
Sect. 3. Quid debeant subditi superioribus spiritualibus ex vi hujus præcepti ? 390.
Sect. 4. Quid prælati debeant subditis ex vi hujus præcepti ? 393.
Sect. 5. Quid debeamus his, qui civiliter, & politicè gubernant, & quid nobis ipsi debeant, ex vi hujus præcepti ? 395.
Cap. 8. Expositio quinti præcepti Decalogi. 396.
Sect. 1. de homicidio voluntario. 397.
Sect. 2. de homicidio sine intentione, seu casuali. 399.
Sect. 3. de homicidio sui ipsius. 401.
Sect. 4. de circumstantiis homicidii in ordine ad confessionem. 403.
Cap. 9. Expositio sexti præcepti Decalogi. 404.
Sect. 1. de simplici fornicatione, & adulterio. ibid.
Sect. 2. de incestu, & sacrilegio. 406.
Sect. 3. de stupro, & raptu. 408.
Sect. 4. de peccato contra naturam. 409.

Sect.5. de aliis, quæ in hoc præcepto simul prohibentur. 411.
Cap.10. Expositio septimi præcepti Decalogi. 412.
Sect.1. Quid sit furtum prohibitum in hoc præcepto? 413.
Sect.2. Quale peccatum sit furtum? 415.
Cap.11. Expositio octavi præcepti Decalogi. 416.
Sect.1. de peccato detractionis. 417.
Sect.2. Expediuntur aliqua dubia circa detractionem. 418.
Sect.3. An sit detractio mortalis infamare se ipsum? 421.
Sect.4. de contumelia, susurratione, & irrisione. 422.
Sect.5. de mendacio, judicio temerario, & suspicione. 423.
Sect.6. de peccatis contra hoc præceptum in judicio. 424.
§.1. de peccatis judicis. ibid.
§.2. de peccatis Accusatoris, & Denuntiatoris. 426.
§.3. de peccatis Rei. 427.
§.4. de peccatis Testium. 428.
§.5. de peccatis Advocati. 429.
§.6. de peccatis Procuratoris. 430.
§.7. de peccatis Notarii, & Tabellionis. ibid.
Cap.12. Expositio noni præcepti Decalogi. 431.
Sect.1. de desiderio uxoris alienæ. ibid.
Sect.2. de delectatione morosa contra hoc præceptum. 433.
Sect.3. de concupiscentia, & motibus sensualitatis. 435.
Cap.13. Expositio decimi præcepti Decalogi. 438.
Cap.14. Expositio quinque præceptorum Ecclesiæ. 440.
Sect.1. de lege maximè humana. 441.
Sect.2. de primo præcepto audiendi Missam. 443.
Sect.3. de secundo præcepto jejunandi. 446.
Sect.4. de tertio præcepto annuæ confessionis. 448.
Sect.5. de quarto præcepto communionis Paschalis. 449.
Sect.6. de quinto præcepto solvendi decimas. 450.
Cap.15. Expositio septem vitiorum capitalium. 451.
Sect.1. Quid sit peccatum, quid mortale, & veniale? ibid.
Sect.2. de superbia, ejusque filiabus. 452.
Sect.3. de avaritia, ejusque filiabus. 455.
Sect.4. de luxuria, ejusque filiabus. 457.
Sect.5. de ira, ejusque filiabus. ibid.
Sect.6. de gula, ejusque filiabus. 458.
Sect.7. de invidia, ejusque filiabus. 459.
Sect.8. de acedia, ejusque filiabus. 460.
Sect.9. de virtutibus vitiis capitalibus oppositis. 461.

LIBER IX.

De Sacramentis à Parocho administrandis.

Cap.1. De Sacramentis in genere. pag. 464.
Sect.1. de natura, & essentia Sacramenti, ejusque Authore. 465.
Sect.2. de numero Sacramentorum. 467.
Sect.3. de ministro Sacramentorum. 468.
Sect.4. de suscipiente Sacramenta. 470.
Sect.5. de effectibus Sacramentorum. 471.
Sect.6. de Sacramentalibus. 472.
Sect.7. Monetur Parochus circa administrationem Sacramentorum. 473.
Cap.2. de Baptismo. 475.
Sect.1. de natura, & essentia Baptismi. 476.
Sect.2. de necessitate Baptismi. 477.
Sect.3. de ministro Baptismi. 478.
Sect.4. de subjecto Baptismi, seu de suscipiente Baptismum. 480.
Sect.5. de effectibus Baptismi. 481.
Sect.6. de cæremoniis Baptismi. 482.
Sect.7. Admonetur Parochus circa Baptismum. 483.
Cap.3. de Confirmatione. 488.
Sect.1. de natura, & effectibus confirmationis. ibid.
Sect.2. de ministro, suscipiente, & cæremoniis confirmationis. 489.
Cap.4. de Eucharistia, seu Communione. 490.
Sect.1. de materia, forma, & ministro Eucharistiæ. 491.
Sect.2. de Sacramento Eucharistiæ in facto esse. 493.
Sect.3. de reali præsentia Christi in Eucharistia. 494.
Sect.4. de communione, dispositione ad illam, & ministro. 496.
Sect.5. de suscipiente Eucharistiam. 498.
§.1. de communione sanorum. ibid.
§.2. de communione infirmorum per modum viatici. 500.
Sect.6. de effectibus Eucharistiæ. 503.
Sect.7. Admonitio ad Parochum circa communionem. 504.
Cap.5. de Sacramento pœnitentiæ. 506.
Sect.1. Pœnitentia est Sacramentum constans sua materia, & forma. ibid.
Sect.2. de prima parte Pœnitentiæ, quæ est contritio. 508.

§.1. de

§.1. de contritione perfecta, quæ absolutè dicitur contritio. ibid.
§.2. de contritione imperfecta, quæ dicitur attritio. 510.
Sect.3. de secunda parte Pœnitentiæ, quæ est confessio. 513.
§.1. de necessitate, & qualitate confessionis. ibid.
§.2. de quantitate confessionis, seu de illis, quæ in ea aperienda sunt. 515.
Sect.4. de tertia parte Pœnitentiæ, quæ est satisfactio. 518.
Sect.5. de ministro Pœnitentiæ. 520.
§.1. de conditionibus ministri Pœnitentiæ. ibid.
§.2. de obligationibus ministri Pœnitentiæ. 523.
Sect.6. de effectibus Sacramenti Pœnitentiæ. 524.
Sect.7. Advertentiæ ad Parochum circa administrationem Pœnitentiæ. 526.
Cap.6. De Sacramento Extremæ Unctionis. 530.
Sect.1. de natura, & essentia Extremæ Unctionis. ibid.
Sect.2. de effectibus Extremæ Unctionis. 531.
Sect.3. de ministro Extremæ Unctionis. 532.
Sect.4. de subjecto capace Extremæ Unctionis. 533.
Sect.5. Admonitio ad Parochum circa Sacramentum Extremæ Unctionis. 535.
Cap.7. De Sacramento ordinis. 536.
Sect.1. de essentia ordinis. ibid.
Sect.2. de ministro ordinis. 537.
Sect.3. de subjecto suscipiente ordines. 539.
Cap.8. De Sacramento matrimonii. 540.
Sect.1. de sponsalibus. 541.
Sect.2. de impedimentis impedientibus matrimonium. 544.
Sect.3. de impedimentis dirimentibus matrimonium. 545.
Sect.4. de dispensatione in impedimentis matrimonii. 549.
Sect.5. de denuntiationibus præmittendis ante matrimonium. 550.
Sect.6. de natura, & essentia matrimonii. 553.
Sect.7. de revalidatione matrimonii. 555.
Sect.8. de obligationibus matrimonii, ejusque usu. 557.
Sect.9. de divortio. 560.
Sect.10. Admonetur Parochus circa celebrationem matrimonii. 567.

LIBER X.

Instruit Parochum de propriis materiis ad Sacramentum Pœnitentiæ rectè ministrandum.

Cap.1. Qua ratione Parochus ritè, ac fructuosè Sacramentum pœnitentiæ administrare possit? pag.572.
Sect.1. Advertentiæ Parochi ante confessionem à se audiendam. ibid.
Sect.2. Interrogationes faciendæ à Parocho ante auditam pœnitentis confessionem. 575.
Sect.3. Examen ante confessionem præmittendum, & quid in eo Parochus supplere possit? 576.
Sect.4. Examen generale, quo pœnitentes juvari possunt ad bonas confessiones faciendas. 578.
§.1. Examen circa fidem, spem, & charitatem. 579.
§.2. Examen circa primum præceptum Decalogi. 580.
§.3. Examen circa secundum præceptum Decalogi. 582.
§.4. Examen circa tertium præceptum Decalogi. 583.
§.5. Examen circa quartum præceptum Decalogi. 584.
§.6. Examen circa quintum præceptum Decalogi. 587.
§.7. Examen circa sextum præceptum Decalogi. 588.
§.8. Examen circa septimum præceptum Decalogi. 591.
§.9. Examen circa octavum præceptum Decalogi. 592.
§.10. Examen circa nonum præceptum Decalogi. 595.
§.11. Examen circa decimum præceptum Decalogi. 596.
§.12. Examen speciale circa Ecclesiasticos. ibid.
Sect.5. Quid faciendum Parocho tamquam judici, post examinatum, & auditum pœnitentem? 597.
Sect.6. Quid faciendum Parocho tamquam medico, post auditam pœnitentis confessionem? 599.
Cap.2. De virtute justitiæ. 603.
Sect.1. De jure, quod est objectum justitiæ. ibid.
Sect.2. De modo acquirendi dominium. 606.
Sect.3. Declaratur quid sit justitia, & quotuplex ejus species? 608.
Cap.3. De contractibus. 609.

Sect.1.

Sect.1. De contractu in communi. ibid.
Sect.2. De promissione, & donatione. 611.
Sect.3. De mutuo, & usura. 613.
Sect.4. De contractu cambii. 615.
Sect.5. De venditione, & emptione. 616.
Sect.6. De censibus. 619.
Sect.7. De emphyteusi, & feudo. 621.
Sect.8. De locatione, & conductione. 622.
Sect.9. De societate, assecuratione, fideijussione, pignore, & hypotheca. 623.
Sect.10. De commodato, precario, deposito, sponsione, & ludo. 625.
Sect.11. De testamentis, & ultimis voluntatibus. 627.
Cap.4. De restitutione. 631.
Sect.1. De restitutione ratione rei acceptæ. ibid.
Sect.2. De restitutione ratione injustæ acceptionis. 634.
Sect.3. De restitutione ex injusta actione, & damno per illam illato. 636.
Sect.4. De circumstantiis restitutionis. 638.
Sect.5. Quando liceat restitutionem differre, aut omittere. 640.
Sect.6. De restitutione bonorum particularium. 641.
Cap.5. De peccatis. 645.
Sect.1. De peccato omissionis, & commissionis. ibid.
Sect.2. De diversitate specifica, & essentiali peccatorum. 646.
Sect.3. De diversitate numerica peccatorum. 648.
Sect.4. De circumstantiis peccatorum. 651.
§.1. De circumstantia *Quis*. ibid.
§.2. De circumstantia *Quid*. 652.
§.3. De circumstantia *Ubi*, seu loci. 655.
§.4. De circumstantia *Quibus auxiliis*. ibid.
§.5. De circumstantia *Cur*, seu fine extrinseco. 656.
§.6. De circumstantia *Quomodo*. ibid.
§.7. De circumstantia *Quando*. ibid.
Cap.6. De conscientia. 657.
Sect.1. De conscientia recta. ibid.
Sect.2. De conscientia erronea. ibid.
Sect.3. De conscientia probabili. 659.
Sect.4. De conscientia dubia. 662.
Sect.5. De conscientia scrupulosa. 664.
Cap.7. De censuris. 665.
Sect.1. De excommunicatione. ibid.
Sect.2. De suspensione. 668.
Sect.3. De interdicto. 669.
Sect.4. De irregularitate. 671.
Cap.8. De excommunicationibus Bullæ Cœnæ. 673.
Sect.1. Proponitur textus Bullæ Cœnæ. ibid.
Sect.2. Explicatur 1. clausula Bullæ Cœnæ. 679.
Sect.3. Explicatur 2. clausula Bullæ Cœnæ. 685.
Sect.4. Explicatur 3. clausula Bullæ Cœnæ. 687.
Sect.5. Explicatur 4. clausula Bullæ Cœnæ. 689.
Sect.6. Explicatur 5. clausula Bullæ Cœnæ. 691.
Sect.7. Explicatur 6. clausula Bullæ Cœnæ. 693.
Sect.8. Explicatur 7. clausula Bullæ Cœnæ. 695.
Sect.9. Explicatur 8. clausula Bullæ Cœnæ. 698.
Sect.10. Explicatur 9. clausula Bullæ Cœnæ. 699.
Sect.11. Explicatur 10. clausula Bullæ Cœnæ. 701.
Sect.12. Explicatur 11. clausula Bullæ Cœnæ. ibid.
Sect.13. Explicatur 12. clausula Bullæ Cœnæ. 703.
Sect.14. Explicatur 13. clausula Bullæ Cœnæ. 705.
Sect.15. Explicatur 14. clausula Bullæ Cœnæ. 709.
Sect.16. Explicatur 15. clausula Bullæ Cœnæ. 712.
Sect.17. Explicatur 16. clausula Bullæ Cœnæ. 713.
Sect.18. Explicatur 17. clausula Bullæ Cœnæ. 715.
Sect.19. Explicatur 18. clausula Bullæ Cœnæ. 717.
Sect.20. Explicatur 19. clausula Bullæ Cœnæ. 718.
Sect.21. Explicatur 20. clausula Bullæ Cœnæ. 720.
Sect.22. Explicantur quatuor sequentes clausulæ appositæ ad finem Bullæ Cœnæ. 721.
Sect.23. Explicantur ultimæ quatuor clausulæ additæ Bullæ Cœnæ. 726.
Cap.9. De censuris Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ. 730.
Sect.1. De censuris Papæ reservatis in Decreto. ibid.
Sect.2. De censuris Papæ reservatis in Decretalibus, Sexto, & Clementinis. 733.
Sect.3. De censuris Papæ reservatis in Extra-

travagantibus, in Tridentino, & extra corpus juris. 735.
Cap. 10. De casibus reservatis Episcopis. 737.
Sect. 1. De casibus reservatis Episcopis de jure communi. ibid.
Sect. 2. Explicantur omnes casus, qui reservantur Episcopis in hoc regno Portugalliæ. 738.
§. 1. Hæresis. ibid.
§. 2. Blasphemia publica. 739.
§. 3. Veneficia. ibid.
§. 4. Sacrilegium. ibid.
§. 5. Injectio manus violentæ in Clericum. 741.
§. 6. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. 742.
§. 7. Commutatio votorum. ibid.
§. 8. Homicidium voluntarium. ibid.
§. 9. Voluntaria membri mutilatio. 743.
§. 10. Procuratio abortus. 744.
§. 11. Oppressio prolis. ibid.
§. 12. Incendium ex intentione nocendi. ibid.
§. 13. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur. 745.
§. 14. Decimæ non solutæ Ecclesiis. 747.
§. 15. Juramentum falsum in judicio. 748.
§. 16. Facere scripturam falsam, falsificare factam, & uti illa. ibid.
§. 17. Matrimonia clandestina. 749.
§. 18. Copula inter sponsos, vel conjunges ante benedictiones. ibid.
§. 19. Promoveri ad sacros Ordines ante legitimam ætatem. 750.
§. 20. Ordinari sine patrimonio, pensione, vel beneficio. ibid.
§. 21. Ordinari per saltum, aut cum licentia falsa, vel furtivè. ibid.
§. 22. Violatio sigilli sacramentalis. ibid.
§. 23. Solicitatio in confessione. 751.
§. 24. Simonia. ibidem.
§. 25. Sepelire excommunicatum in loco sacro. ibid.
§. 26. Non fuisse confessum annis præteritis. 752.
§. 27. Concubinatus hominis uxorati. ibi.
§. 28. Habere bona aliena subnegata. ibid.
§. 29. Dare, vel recipere pretium pro confessione sacramentali. 753.
§. 30. Celebratio Missæ illius, qui ordinatus fuit cum dimissoriis falsis. ibid.
§. 31. Peccatum sacerdotis habens annexam irregularitatem. ibid.
§. 32. Dispensatio in votis, aut juramentis absque potestate. 754.
§. 33. Extrahere è loco sacro illum, qui ejus gaudet immunitate. 755.
§. 34. Cohabitatio ante denuntiationes. ibid.
§. 35. Invasio Indorum. ibid.
§. 36. Cognitio carnalis mulieris paganæ, vel hominis similiter pagani. ibid.
§. 37. Venditio, vel emptio Indorum liberorum. ibid.
§. 38. Idololatria, & quilibet ritus gentilicus. 756.
§. 39. Venditio servorum, qui sunt muti, aut surdi, vel alia occulta infirmitati laborant, quam tacent, & celant. ibid.
§. 40. Retinere apud se servos fugitivos, aut illos furari, vel aberrantes retinere. ibid.
§. 41. Invadere iterfacientes in viis publicis. ibid.
§. 42. Concubinatus durans per tres annos, aut ultra. 757.
§. 43. Illa, quæ prohibita sunt Parochis sub gravi censura. ibid.
Sect. 3. De casibus reservatis Episcopis in singulis diœcesibus Portugalliæ. ibid.
§. 1. De casibus reservatis in diœcesi Bracharensi. ibid.
§. 2. De casibus reservatis in diœcesi Ulyssiponensi. 758.
§. 3. De casibus reservatis in diœcesi Eborensi. 759.
§. 4. De casibus reservatis in diœcesi Conimbricensi. 760.
§. 5. De casibus reservatis in diœcesi Egitanensi. ibid.
§. 6. De casibus reservatis in diœcesi Lamecensi. 761.
§. 7. De casibus reservatis in diœcesi Visensi. ibid.
§. 8. De casibus reservatis in diœcesi Algarabiensi. 762.
§. 9. De casibus reservatis in diœcesi Portuensi. ibid.
§. 10. De casibus reservatis in diœcesi Mirandensi. ibid.
§. 11. De casibus reservatis in diœcesi Portalegrensi. 763.
§. 12. De casibus reservatis in diœcesi Elvensi. ibid.
§. 13. De casibus reservatis in diœcesi Leiriensi. 764.
§. 14. De casibus reservatis in diœcesi Funchalensi Insulæ Materiæ. 765.
§. 15. De casibus reservatis in diœcesi Angrensi Insularum Tertiarum. ibid.
§. 16. De casibus reservatis in Prioratu Crattensi nullius diœcesis. ibid.
§. 17. De casibus reservatis in Ecclesiæ Tho-

Digitiz

Thomarensi nullius diœcesis. ibid.
§. 18. De casibus reservatis in diœcesi Brasiliensi. 766.
§. 19. De casibus reservatis in diœcesi Angolana. ibid.
Cap. 11. De indulgentiis. 767.
Sect. 1. Præmittuntur aliqua circa cognitionem indulgentiæ. ibid.
Sect. 2. Explicatur quid sit indulgentia. 768.
Sect. 3. De causa finali, & efficiente indulgentiæ. 769.
Sect. 4. De variis modis concedendi indulgentias. 771.
Sect. 5. Quibus indulgentia prodesse queat? 772.
Cap. 12. De Jubilæo. 774.
Sect. 1. Ponitur tenor Jubilæi. ibid.
Sect. 2. De privilegiis in Jubilæo concedi solitis. 776.
Sect. 3. De operibus ad lucrandum Jubilæum. 778.
Sect. 4. Quo tempore facienda sint opera ad consequendum Jubilæum? 780.
Sect. 5. De potestate confessoris electi in Jubilæo. 782.
Sect. 6. Exponuntur aliqua dubia circa Jubilæum. 784.
Cap. 13. De Bulla Cruciata. 785.
Sect. 1. Ponitur textus Bullæ Cruciatæ plumbeæ. ibid.
Sect. 2. Proponuntur privilegia Bullæ Cruciatæ. 790.
Sect. 3. De indulgentiis Bullæ Cruciatæ. 792.
Sect. 4. De confessore eligendo per Bullam, & de potestate ejus in censuras, & casus reservatos. 794.
Sect. 5. De potestate ejusdem confessoris ad commutanda vota. 797.
Sect. 6. De compositione facienda per Bullam. 799.
Sect. 7. De Bulla Defunctorum. 801.
Sect. 8. De aliis privilegiis Bullæ. 806.
Sect. 9. Quæ indulgentiæ, & facultates suspendantur per Bullam Cruciatam. 808.

LIBER XI.

De Cura à Parocho habenda erga Moribundos.

Cap. 1. Quid Ecclesia commendet Parocho circa moribundos? 811.
Cap. 2. Sit Parochus diligens in administrandis Sacramentis moribundis. 813.
Cap. 3. Quomodo Parochus se gerere debeat cum peccatoribus publicis moribundis? 815.
Cap. 4. Quomodo Parochus se gerere debeat cum moribundis habentibus casus, & censuras reservatas? 818.
Cap. 5. Quomodo Parochus se gerere debeat cum moribundis, qui vix loqui possunt? 821.
Cap. 6. Quomodo se gerere debeat Parochus cum moribundis sensibus destitutis? 824.
Cap. 7. Quomodo se gerere debeat Parochus cum moribundis ordinariis? 826.
Cap. 8. Quid Parochus facere debeat post confessionem moribundi ordinarii. 829.
Cap. 9. De aliis præstandis à Parocho circa moribundum ordinarium, post ejus confessionem. 831.
Cap. 10. Parochus moribundos ne deserat, sed frequenter invisat. 833.
Cap. 11. Parochus disponat moribundum, ut mortem voluntariè, & libenter acceptet. 835.
Cap. 12. Quomodo Parochus confortare possit suos moribundos variis conditionibus affectos? 837.
Cap. 13. Quomodo Parochus adjuvare debeat moribundum in tentationibus eo tempore occurrentibus? 839.
Cap. 14. Quibus præcipuè actibus Parochus moribundos in suo agone adjuvare debeat? 842.
Cap. 15. Exhortationes variæ moribundo à Parocho cum devotione faciendæ. 844.
Cap. 16. Protestationes à moribundo faciendæ, Parocho dirigente, & præeunte. 846.
Cap. 17. Quomodo commendanda sit à Parocho anima moribundi? 847.

LIBER XII.

De Cura à Parocho habenda erga suos Mortuos.

Cap. 1. Quàm nobis utile sit pium exercitium sepeliendi corpora Defunctorum. 850.
Cap. 2. Quibus danda sit ecclesiastica sepultura, & quo tempore? 853.
Cap. 3. Quibus Parochus negare debeat ecclesiasticam sepulturam? 854.
Cap. 4. Quanam sepultura unusquisque fidelium sepeliri debeat? 857.
Cap. 5. Utrùm Parochus pro sepultura, & funere possit stipendium accipere. 858.
Cap. 6. Quid Parochus præstare debeat in funere suorum Parochianorum? 861.
Cap. 7. De emolumento Parochi ex funere suorum Parochianorum. 863.

Cap.

Digitized by Google

Cap. 8. De cura Parochi erga animas suorum Defunctorum. 865.

Cap. 9. De cura Parochi circa animas pauperum, qui obeunt in sua Parochia. 868.

Cap. 10. De cura Parochi circa executionem piarum voluntatum suorum Defunctorum. 870.

LIBER XIII.

De variis functionibus, ac ministeriis officii Parochialis.

Cap. 1. De functionibus Parochialibus. 873.

Cap. 2. De denuntiationibus à Parocho faciendis. 874.

Cap. 3. De matriculis, seu libris à Parocho faciendis, & retinendis. 876.

Cap. 4. De revelationibus, & restitutionibus per Parochum faciendis. 878.

Cap. 5. De exorcismis faciendis per Parochum. 879.

Cap. 6. De licentiis dandis, seu dispensationibus à Parocho concedendis suis Parochianis. 880.

Cap. 7. Parochus arguat impedientes salutem animarum, & publicis peccatis resistat. 882.

Cap. 8. Parochus pravas consuetudines extirpet, bonas autem retineat, & promoveat. 886.

Cap. 9. Parochus curet discordes in pacem, & christianam amicitiam reducere. 888.

Cap. 10. Parochus inquirat de peccatoribus publicis Parochiæ. 891.

Cap. 11. Sit Parochus solicitus circa ornatum suæ Ecclesiæ, sacram supellectilem, ac honorem. 892.

Cap. 12. De cura Parochi intuendis juribus, & bonis suæ Ecclesiæ. 894.

Cap. 13. De cura Parochi circa reparationem suæ Ecclesiæ. 897.

Cap. 14. Studium moralis theologiæ à Parocho non deserendum, nec intermittendum. 898.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approvatione del P. Fr. Antonio Leoni Inquisitore nel Libro intitolato: *Institutio Parochi, seu Speculum Parochorum, Authore Sebastiano d' Abreù*, non vi esser cos' alcuna contro la santa Fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di stampe, e presentando le solite copie alle Publiche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 17. Maggio 1697.

{ Ascanio Giustinian 2. Cav. Rifor.

{ Sebastiano Foscarini Cav. Proc. Rifor.

{

Agostino Gadaldini Segr.

LIBER

Digitized by Google

LIBER PRIMUS.

DE FINE ET QUALITATIBUS PAROCHI.

SI Curatores animarum, qui Parochi dicuntur, considerarent dignitatem muneris, vel illud non inquirerent cum tanto studio, vel certè eam vitæ rationem instituerent, quæ tam sanctum officium decet. Cùm omnia mala, quæ in regimine animarum occurrunt, inde maximè effluant; quia Parochi quæ, & quanta sit officii dignitas, & onus non perpendunt. Ideò in hoc primo lib. finem, & excellentiam muneris parochialis exponam, ut inde constet qualis debeat esse persona huic muneri deputata, quamque rationem vitæ inire debeat, ut suo officio cum dignitate, ac sine dispendio propriæ salutis, ac cum ædificatione, & utilitate Proximorum satisfacere possit.

CAPUT PRIMUM.

Quid Parochus, Parochia, & Parochialis Ecclesia?

1 PArochi apud Latinos dicebantur illi, qui omnium rerum copiam legatis hospitio receptis suppeditabant. Unde [a] aliqui existimant ad istorum similitudinem extensum fuisse in Ecclesia nomen Parochi ad significandos sacerdotes illos, qui authoritate Episcoporum Ecclesiis præficiuntur, ut populis sacrum verbi, & sacramentorum pabulum subministrent. Alii putant Parochum dictum esse quasi Parœcum à parœcia, quod nomen græcè significat accolarum conventum, & Parœcus incolam in loco; indeque sacerdotem, qui præfectus est incolis loci determinati, Parœcum, & Parochum dici, & incolas Parœcianos, seu Parochianos. Eo autem nomine usos fuisse antiquos Christianos sumitur ex D. Aug. dicente: [b] *Fuit presbyter nomine Rusticus in Parœcia Calamensis Ecclesia.*

a Azor. 2. p. lib. 3. Cap. 12. q. 1.

b lib. 14. de civit.

2 Porrò Parochi aliquando dicuntur [c] Plebani, quando animarum curam exercent in Plebania habente sub se plures ecclesias; & dicuntur à plebe, quæ ab ipsis regitur. Habet autem se Plebanus ad cæteros Parochos unius plebis, quasi Archiepiscopus ad suffraganeos suæ Provinciæ; Ecclesia verò Plebani

c Cap. scriptum de Elect.

Digitized by Google

appellatur matrix, quasi mater ecclesiarum, quas sub se continet. Ipse autem Plebanus non habet aliam jurisdictionem, quàm fori pœnitentialis, sicut reliqui Parochi, à quibus non distinguitur, nisi fortè in latiori jurisdictione.

3 Aliquàndo dicuntur [d] Rectores, quia plebem regunt in cura animarum, eorumque beneficium dicitur Rectoria. Quamvis sub Rectoris nomine etiam comprehendantur [e] Parochi habentes dignitatem, Personatum, Prioratum, aut Abbatiam.

d Cap. ult. de præbendis.

e Acunha da cap. sūt namque dist. 45.

4 Alii dicuntur curati à cura, quam de curando populo susceperunt, hoc est, à cura animarum, quæ datur ex natura officii, cum quo accipitur non solùm licentia ad curandum, sed onus, & debitum curandi ex lege justitiæ. Dicitur etiam [f] Parochus proprius sacerdos, aut etiam capellanus, ille videlicet, qui in Ecclesia Monachorum curam exercet animarum. Alii dicuntur [g] Vicarii, non quia pro alio curam exerceant; hi enim Parochi non sunt, sed coadjutores, sed quia titulus Beneficii Parochialis extinctus est per aliquam unionem. Unde qui præficitur animarum curę, Vicarius dicitur, estque verè Parochus, si proprio nomine curat.

f C. omnis utriusque sexus de p. & remis.

g Cap. 1. de capel. Monach.

5 Parochiæ olim distinctæ non erant, sed Episcopi dicebantur totius diœcesis curam habere, omnesque illius decimas percipiebant, & inter se, ac alios clericos curam exercentes dispensabant. Posteà aucto jam populo Christiano [h] Dion. Papa vigesimusquartus post Petrum, singulas Ecclesias singulis sacerdotibus assignavit, ut quilibet proprium haberet territorium, licèt aliqui credant [i] ab ipsismet Apostolis factam fuisse divisionem Parochiarum.

h Cap. 1. 16. q. 7.

i Baron. ad ann. 355. to. 3.

6 Parochia igitur dicitur locus, in quo degit populus alicui Ecclesiæ deputatus, certis finibus circumscriptus, ad quam constituendam requiruntur saltem [l] decem domus, seu familiæ distinctæ, quę municipia nominantur. A Parochia verò, & Parocho dicitur Ecclesia Parochialis, ad quam constituendam requiritur [m] authoritas Episcopi, qui eam parochialem constituat, fines designet, & plebem deputet.

l Cap. Unio 10. q. 3.

m C. Nullus omnino. 16. q. 7.

7 Constituta autem Parochia, & erecta in ea parochiali Ecclesia, tota cura uni tantùm sacerdoti committitur, qui vocatur Parochus, Plebanus, Rector, seu Curatus, (hæc enim nomina tamquam synonyma variantur, ita ut unum ponatur pro alio) [n] ut in ea baptismum, & reliqua sacramenta ministret. Nam sicut idem corpus non potest habere duo capita sine monstruositate, sic nec eadem Ecclesia duos, vel plures parochos. Unde in una Ecclesia unus est sacerdos, qui curam habet, & suo nomine, & non simul cum aliis præficitur. Quare si plures præficiantur, qui munia ad curam spectantia exerceant, non dicuntur propriè Parochi, sed Parochi adjutores. Et ideo [o] Rota duo considerat, ut quis dicatur Parochus. Alterum, ut sacerdos curam exerceat nomine proprio: alterum, ut suo nomine singulariter, & non cum aliis ad regimen Parochialis assumatur Ecclesiæ.

n Cap. cur non ignores de præb.

o Apud Farina. dec. 2, 8.

8 Quare quando aliqui canonici, vel beneficiati per hebdomadas curam exercent; talis cura non remanet penes ipsos, vel singulos, sed aut penes collegium, aut penes illum, cujus reliqui sunt adjutores juxta diversam institutionem. In illa verò diœcesi, vel quasi diœcesi, in qua nullus adest Rector in qualibet Parochiali; & Episcopus, vel quasi Episcopus cuilibet ex illis singulis solet per hebdomadas committere exercitium curæ; non ex hoc dicitur beneficium illorum curatum, [p] sed solus Episcopus, aut quasi Episcopus est Rector omnium Parochialium, & apud eumdem manet cura animarum, alii sunt adjutores.

p Grat. p. 9. n. 176. Barb. cap. 1. n. 44.

9 In Parochialibus alicui dignitati, aut beneficio unitis videri potest cura principalis esse penes dignitatem, aut beneficiatum; exercitium verò curæ penes vicarium deputatum in tali Parochiali. [q] Hoc tamen debet intelligi, vel de vicario amovibili, vel de cura sola habituali; nam Rota tenuit penes vicarium perpetuum esse omnimodam curam actualem. Et in hoc sensu dicitur potius Vicarius perpetuus habere curam animarum, non autem dignitas, vel beneficiarius, cui Parochialis est unita. Quod adeo verum est, ut si spreto Vicario velint se ingerere in curam, nullo modo possint.

q Barb. à n. 83.

10 Quamvis autem Rota, & doctores loquantur de Vicariis perpetuis, in quibus ex perpetuitate resultat non levis præsumptio translationis actualis, non inde colligitur in Vicariis amovibilibus Parochialium unitarum oppositum fore dicendum, nisi ubi in erectione

ne

Digitized by Google

ne Vicarię circa curam nihil dictum fuerit, vel ex materia subjecta particularis resolutio sumi non possit. Nam quoad erectionem constat posse in ea totam curam transferri in Vicarium movibilem. Quo casu non amplius curat Rota, an Vicarius sit perpetuus, vel amovibilis. Hæc prosequi nostri instituti non est.

11 Illud notandum, eam dici curam, quam quis actualiter, idest, actu per se gerere tenetur in populum ex necessitate officii ratione Parochialis, in qua est canonicè institutus. Habitualem verò ab actuali distinctam dici illam, quæ est penes aliquem in fieri ratione alicujus beneficii, sed non in facto esse; quia executionem potestatis non habet, vel defectum tituli spiritualis per unionem accessoriè factam extincti, quia Parochiani recesserunt ex causis relatis ab Azor. [z] Vel etiam quia ex privilegio, aut consuetudine levatus fuit onere curandi actu.

z 2. p. lib. 3. cap. 12. q. 6.

CAPUT SECUNDUM.

De fine Parochi.

12 Finis ultimus officii Parochialis debet esse Dei gloria. Nam si hæc præfigenda est tamquam scopus omnibus nostris actionibus ad imitationem Dei, qui se ipsum intendit in omnibus operibus suis. [a] *Omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus.* Hoc est, propter gloriam suam. Docens nos tunc sanctè operari, cùm eamdem gloriam intendimus: quantò magis in cura animarum, quæ Dei negotium est ad ejus gloriam maximè ordinatum, laborandum est Parocho, cui hæc cura ex proprio officio commissa fuit?

a Prov. 16. 4.

13 Finis verò proximus esse debet salus animarum suæ curæ commissarum, ad hanc tota Parochi vita, & solicitudo dirigenda est. Licèt enim salutis animarum solus actor sit Deus; necessaria tamen est Pastoris opera tamquam instrumenti ad hoc specialiter ab ipso deputati: sibi namque dictum est illud: [b] *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Id est, sicut ego à Patre missus sum, ut peccatores salvos facerem, & quererem, quod perierat; hoc idem & tu prestare debes secundùm propriam spheram: hec eadem salus tibi proposita est ut finis muneris tui: hæc tibi commissa est, ut in ea procuranda pro viribus desudes.

b Joan. 20. 21.

14 Est autem finis hic adeo sublimis, ut propter illum Dei filius carnem assumpserit. [c] *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & homo factus est.* Recolat igitur frequenter Parochus quanti Deus animas fecerit: cùm enim millia millium Angelorum haberet, qui fidele semper ei obsequium præstiterunt, nihilominus filium suum unigenitum ad hoc opus mittere dignatus est, qui nostra carne indutus vitam, & sanguinem pro animarum salute offerret. Ex quo satis patet sublimitas hujus finis, quam sancti Patres mirificè commendant.

c Symb. Nyss.

15 D. Dionys. [d] *Omnium divinorum divinissimum est Deo cooperari in salutem animarum.* D. Chrysost. [e] *Nihil ita gratum Deo, & ita curæ, ut animarum salus.* Et alibi: [f] *Et si immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam.* S. Greg. [g] *Majus miraculum prædicationis verbo, atque orationis solatio peccatorem convertere, quàm carne mortuum suscitare.* Addo pluris æstimari à Deo, quam creasse cœlum, & terram. Nam creatio uno verbo peracta fuit. [h] *Ipse dixit, & facta sunt.* Ad animas verò convertendas, & salvandas sanguinem dedit, & vitam. [i] *Propterea à me diligit Pater, quia ego pono animam meam.* Non dicit Dominus, Propterea me diligit, quia in principio omnia per me creavit: sed quia animam pono pro ovibus meis; ut nobis innueret non esse opus magis gratum Deo, quàm quod impenditur pro salute animarum.

d De cœlesti Hier. c. 3.
e Hom. 3. in Gen.
f Hom. 3. in 1. Cor.
g 3. Dial. cap. 17.
h Ps. 32. 9.
i Joa. 10. 15

16 Huc etiam tendunt verba illa Christi: [k] *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ovibus meis.* Quorum sensus est desumendus ex eo, quod contingit filio nobili, & ingenuo, à quo si queratur, cur hoc, aut illud faciat? Respondet. *Ego agnosco patrem meum*; ac si dicat: Ego scio quid placeat patri meo. Ita Christus, cùm præmisisset se vitam pro ovibus positurum; tamquam si ab eo quæsitum fuisset; cur vitam tam pretiosam pro hominibus esset oblaturus? Respondet: *Ego agnosco Patrem.* Ac si diceret: Ego scio quæ sit voluntas Patris mei, quid ipsi magis placeat, quanti faciat salutem animarum, & ideo vitam pro illis offeram libentissimè, quia novi hanc esse ejus voluntatem, in hoc maximè relucere ipsius gloriam.

k Jo. 10. 17

d by Google

17 Chrysost. expendens locum illum: [l] *Simon Ioannis diligis me?* ubi Dominus cùm ter Petrum de eodem rogaret, ipse verò ter respondisset: *Domine tu scis, quia amo te*. Ad singulam responsionem Dominus reddit: *Pasce oves meas.* Ac si diceret: [m] Si me amas, opere comproba hunc amorem in eo, quòd me adjuves in ministerio salvandi animas, in hoc ostendens amorem tuum erga me, si pro earum salute laboraveris exercendo officium boni pastoris, in quo te constituo loco mei. Hoc signum erit amoris tui erga me, si in procuranda salute ovium mearum pro viribus me ipsum imitatus fueris. Excellens finis officii pastoralis Deo inservire in re illi tam gratiosa, Christi adjutorem fieri, & cooperatorem in animabus salvandis, & ad æterna cœli pascua deducendis. Felices labores ad tam gloriosum finem impensi.

l Ioan, 21. 15.

m Serm de Philip. B.

18 Excellentiam hujus finis agnoscebat Paulus vigilantissimus animarum curator [n] dicens: *Non quæro quæ vestra sunt, sed vos*. Id est, Nihil præter animarum vestrarum salutem concupisco: hic finis meorum laborum; hæc mea lucra, & divitiæ, propter quas, quidquid in mundo est, despicio. Et alibi: [o] *Gaudium meum, & corona mea vos estis*. Ac si diceret: Nihil aliud intendo, quàm salutem vestram; hæc mea voluptas, ac lætitia; hæc mea gloria, hoc præmium laborum meorum.

n 2. Cor. 12. 14.

o Philip. 41.

19 Hic finis Parochi, hæc negotiatio, & lucra animarum salus; ita ut dicere possit: [p] *Da mihi animas, cæteram tolle tibi*. Quia tamen nimis arduum esset pertingere ad perfectionem Pauli, qui nec alimenta ad vitam à fidelibus accipiebat potens, sicut alii, qui altari deserviunt, de altari vivere: vivat Parochus ex altari, suos habeat redditus, & temporalia emolumenta, sed observet monitum D. Greg. ad quemdam animarum Præfectum: [q] *Instanter te admoneo, ut quod sit rectum benè consideres, ut non plus pecuniæ, quàm animabus studeas: illud à latere respiciendum est; ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, ac vehementius innitendum; huic rei operam, & solicitudinem impende; quia Redemptor noster à sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas*. Quasi diceret: Habeat Parochus bona, quibus sustentetur, habeat sua lucra temporalia, hæc tamen non sint ejus præcipuæ curę, non finis officii sui, sed potius media ad finem. Respiciat quidem bona temporalia: sed secundariò, & à latere, non verò illa ante oculos habeat; quod enim ante oculos habendum est, quò cura, intentio, & solicitudo tendere debet, tamquam in præfixum finem, sit salus, & bonum animarum, quas Deus tuæ commisit curæ.

p Gen. 14. 21.

q 5. Registris Ep. 1. 18.

CAPUT TERTIUM.

De excellentia muneris Parochialis.

HAEc excellentia sumitur primò ex nobilitate finis, de quo cap. 2. 20
Quæ enim major dignitas, quàm inservire Dei gloriæ in procuranda salute animarum, dicatum esse earum commodis spiritualibus, quibus Filius Dei vitam, operas, & labores dicavit, pro quibus sanguinem fudit, & cruci affixus est? Quæ major excellentia, quàm esse coadjutorem Redemptoris in salute animarum? ut loquitur [a] D. Basil. Certè nihil ad gloriam illustrius, nihil ad meritum utilius, quàm animarum curam dignè exercere.

a Serm. 41.

21 Secundò. Sumitur ab excellentia principii. Neque enim cura pastoralis ab homine fluxit, sed à Dei Filio, qui eam instituit, & exercuit, verique Pastoris exemplar extitit. [b] *Ego sum Pastor bonus*. Ubi notandum; cùm multa sibi nomina tribuerit, numquam se bonum dixit, nisi quando se pastorem nominavit, ut doceret quales animarum pastores esse deberent. Non sufficit mediocritas, sed bonitas integra necessaria est ad explendum munus, quod vice Dei geritur, dicente Apostolo: [c] *Pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos*. Et confirmante Christo: [d] *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*. Quę verba non de solis Apostolis accipienda sunt, sed de omnibus Rectoribus animarum, in quibus est Christi potestas ad instruendas, & regendas animas cum potestate ligandi, & solvendi, ut [e] docuit Basil.

b Ioa. 10, 14

c 2. Cor. 5. 10.

d Luc. 10. 16.

e Cap. 23. Const. monach.

22 Tertiò. Ex pręeminentia ducis. Sicut enim dux pręeminet in exercitu, ita pastor in populo. Quoniam cùm militia sit vita hominis super terram, ut est [f] apud Job, regnumque cœlorum vi expugnari debeat, & per violentiam comparari, ut [g] Christus monuit. Et iter virtutis, per quod homines dirigi debent, ferocientium incursione hostium, quales

f Iob 7. 1.

g Matt. 11 12.

de

Digitized by Google

h Eph. 6. 12. describit Apostolus [h] infestum: indigent quidem duce, qui rectam viam premonstret, qui fraudes inimicorum detegat, & propulsare doceat, qui se socium committens instar Angeli, qui præcedebat Hebræos, quasi manu ducat in portum salutis. Isti sunt Rectores animarum, qui quasi lumina tenebras ignorantiæ depellunt, & tamquam Pastores oves Christi à lupis infernalibus defendunt, à quibus semper impetuntur.

23 Horum caput, & Princeps est Pontifex Romanus Christi Vicarius, cui prima omnium cura commissa est, qui tamquam Dux generalis omni Christi exercitui præest. Episcopi sunt legionum Duces; reliqui minores Ecclesiarum Rectores sunt Adjutores Episcoporum, & quasi Duces cohortium, qui sub vexillo suorum Episcoporum decertantes commissas sibi animas à dæmonum impetu tutantur, populos suos erudiunt, & tamquam matres filiorum curæ, & spirituali educationi propiùs assistunt, & tamquam Patres provident. [i] *Illi enim*, in-
i lib. 3. de sacerd. quit Chrysost. *sunt, qui spirituali nos amore parturiunt, & generatione baptismatis patris munus exequuntur, per ipsos Christum induimus, per ipsos conjungimur Dei Filio, per ipsos membra beati illius capitis efficimur.*

24 Quartò, ex similitudine cum Christo. Sunt enim animarum Rectores electi, ut vices Christi agant, & personam repræsentent in terris, per specialem consecrationis characterem eos sibi assimilavit, æterni sui sacerdotii consortes effecit; & ut perfectius eos sibi assimilaret, quidquid muneris à Patre accepit, quidquid potestatis, & honoris, illis suo modo commune esse voluit. Nam ipse est sponsus ecclesiæ, quam acquisivit sanguine suo. Vos quoque Parochi sponsi estis, vel certè amici sponsi, sacrique ejus fœderis, ac connubii Paranymphi, & sponsæ custodes, etenim sponsam suam vobis tradidit ad custodiam. Ipse est mediator Dei, & hominum. [l] *Pacificans per*
l Colloss. 1. 20. *sanguinem suum sive quæ in cœlis, sive quæ in terris.* Vos quoque ipse constituit tamquam medios inter Deum, & populum vestrum, ita ut dicere possitis cum Moyse: [m] *Ego sequester, & medius fui inter Do-*
m Deut. 5. 5. *minum, & vos.* Ipse Judex à Patre constitutus: vos quoque judices constituit, ut ratum fit in cœlo, quod vestro decretum fuerit arbitrio. Ipse habet claves vitæ & mortis. Easdem vobis communicavit, quibus cœlum aperitis, infernum clauditis, & animas à faucibus diaboli erutas cœlo inseritis. Ipse secundùm naturam humanam Christus est, hoc est, à Patre specialiter unctus; secundùm divinam Filius Dei, & Deus est. Vos autem olei sui consortes fecit; unde de vobis dicit: [n] *Nolite tangere Christos meos*; imò: n Ps. 104. 15.
[o] *Ego dixi Dii estis.* Quid ergo sibi reserva- o Ps. 81. 6.
vit? Fecit enim vos divini sui operis cooperatores, quod divinorum omnium divinissimum est, teste Dionysio cap. præcedente relato. Et quidem potestatem super corpus Christi verum, & mysticum stupet cœlum, mirantur Angeli, horrent dæmones. Hæc vestra similitudo cum Christo excellentiam muneris vestri satis commendat.

25 Quintò, ex duplici similitudine, qua utuntur sancti Patres. Prima est corporis, & spiritus: sicut enim homo constat corpore, & spiritu, ita Deus sapientissimè duplicem potestatem instituit; alteram temporalem, quæ hominem dirigeret in finem vitæ præsentis; alteram spiritualem, quæ ad futuram, cœlestemque patriam perduceret. Unde quò spiritus corpore præstantior est, ita sublimior est dignitas eorum, qui ad regimen animarum assumuntur, omni seculari, & politica potestate, regali etiam, & imperiali. Audite Naz. seculares Principes alloquentem: [p] *Lex Christi sacerdotali nos subjecit* p Orat. ad cives.
potestati, dedit principatum multò perfectiorem vestris: an verò justum videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis cœlestia superentur, si divinis humana præferantur? Audite Chrysost. [q] *Regi corpora commis-* q Hom. 4. in Isai.
sa sunt; Sacerdoti animæ: Rex maculas corporis remittit; sacerdos peccatorum: Ille habet arma sensibilia; hic spiritualia: Ille gerit bellum cum barbaris; hic cum dæmonibus. Major hic principatus; propterea Rex caput submittit manui sacerdotis.

26 Secunda, est solis, & lunæ, ut benè Hugo Victorinus, Elredus, & alii exponentes verba illa: [r] *Fecit Deus duo lu-* r Gen. 1. 16.
minaria magna; luminare majus, ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti. Sunt, inquiunt, *in Ecclesia sancta firmamento à Domino creata duo magna luminaria, sacerdotium scilicet, & regnum; Dux, & Episcopus; Princeps, & Clericus; dies spiritualia, secularia nox præfigurat. Ita luminare majus, scilicet sacerdotium, factum est, ut præsit diei, idest, spiritualibus: luminare minus, regnum, ut præsit nocti, idest, secularibus.* Plura alia in hanc

Digitized by Google

rem Patres, & sacri canones. Hęc tamen satis pro loco.

27 Quæ dicta sunt, ut Parochus agnoscens statum suum, congruenter ad illum vitam instituat, respondeatque vocationi, & officio, satisfaciendo obligationibus illius, quę plures, & gravissimę sunt, ex quibus specialiter judicandus est in divino tribunali. [r] *Cùm enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.* Dixit Greg. Attendat igitur, & perpendat, ut oportet, quale suscepit munus. Nam sicut magna est ejus celsitudo; ita major debet esse sollicitudo: sicut similis est Christo in potestate, ita similis sit in morum probitate: & sicut ejus personam gerit, ita & vitam exprimat, ita ut possit dicere cum Paulo ad animarum curam assumpto: [f] *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus.*

r Hom. 9. in Evang.

f Galat. 2. 20.

CAPUT QUARTUM.

De difficultate muneris Parochialis.

28 Quo prestantior est animarum præfectura, eò est laboriosior, ac majoribus difficultatibus obnoxia, adeò ut Chrysost. eas expendens concludat: [a] *Non temerè dico, sed ut affectus sum, ac sentio, non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed plures, qui pereant: in causa est, quoniam res excelsum requirit animum.* Et Aug. [b] *Nihil difficilius, laboriosius, ac periculosius Episcopi, aut Presbyteri officio, nihil apud Deum miserius, tristius, & damnabilius.* Plura omitto in hanc rem sanctorum testimonia, quæ satis ostendunt muneris difficultatem.

a Hom. 13. in Act.

b Epist. 148.

29 Hæc autem difficultas oritur primò ex ingenita Parochi infirmitate, qui non est Angelus, sed homo multis repletus miseriis, multis vitiis obnoxius, multis passionibus, & inutilibus desideriis exagitatus; à quibus vix sanus emergit, qui sibi perpetuam pugnam indicit; qui continuam vitæ asperitatem, abnegationem, & assiduum orandi studium profitetur. Accedit hostium numerus, & sævitia; variæ nocendi artes, variæ occasiones, à quibus homo labilis difficillimè liberatur. Unde Bern. [c] *Si ego latens in caverna, & quasi sub modio non lucens, sed fumigans, ventorum tamen impetus nec sic declinare sufficio, sed continuis tentationum, variisque fatigatus impulsibus instar vento agitata arundinis huc, illuc circumferor. Quid positus supra montem, positus super candelabrum? solus mihi servandus, solus tamen ipsi mihi sum scandalo, solus tædio, solus oneri, atque periculo. Quibus ergo molestiis angitur, quibus lacessitur in curis, cui etiam si propria cessent, nunquam tamen de alienis desunt foris pugnæ, intus timores?* His Bern. satis insinuat pastoralis officii difficultates, quæ si sunt in propria, quot erunt in multorum salute procuranda?

c Epist. 42.

30 Declarat difficultatem officium medici spiritualis proprium Parochi erga multos graviter ægrotantes, quorum ita diversi, difficiles, ac periculosi sunt morbi, ut multi ex illis intereant, & adhuc viventes perpetuò moriantur. Quid enim aliud sunt peccata, quàm animi languores, & ægritudines mortales? Ideò David se hujusmodi ægrotantem agnoscens, sanitatemque anhelans Deum precabatur: [d] *Sana animam meam Domine, quia peccavi tibi*: & alibi: [e] *Sana me Domine, quoniam infirmus sum.* Hæ autem infirmitates difficillimè sanantur dicente eodem: [f] *Longè à peccatoribus salus.* Quare eò majoribus difficultatibus implicatur Parochus, quò plures sunt infirmi, & periculosiores ægritudines, ad quas sanandas multum sanctitatis, doctrinæ, & prudentiæ necessarium est.

d Ps. 40. 5.

e Ps. 6. 3.

f Ps. 118. 155.

31 Eandem declarat officium Ducis: ducit enim Parochus populum suum ad cœlestem patriam per viam arduam, angustam, perplexam, & periculosam, [g] *quia arcta, & angusta via est, quæ ducit ad vitam.* Et minus hoc videretur, si foret stabilis, & immota; cùm autem fiat per mare hujus sęculi inquietum, & continuis procellis, ac tempestatibus exagitatum, scopulis undique obsitum, ad quos sæpissimè collisæ naves miserrimè naufragantur: non potest non innumeris difficultatibus implicari, qui tot naves ad unicum salutis portum dirigendi curam suscepit. Aug. [h] *Infelices heu nos, & miseri, qui per hujus magni maris fluctus, procellosasque voragines navem trahimus ignorantes, an ad portum salutis pervenire valeamus. Guberna Domine navem nostram tua dextera, clave crucis tuæ, ne pereamus in fluctibus, ne nos demergat tempestas aquæ, ne absorbeat nos profundum.*

g Math. 7. 14.

h Cap. 35. solil.

32 Addo tantam esse hominis infirmitatem, ut quamvis privatam vitam agens laudabiliter vixerit, pravas animæ suæ affectiones moderando, victoriamque de vitiis propriis reportando; non statim

Digitized by Google

tim aptus ſit ad curam animarum; quia alios regere ars difficillima eſt, ad quam ſola probitas non ſufficit. Chryſoſt. [i] *Multos ipſe novi, qui ſe perpetuo continentia cohibuiſſent, ac quorum corpora jejuniis multis exhauſta, donec ſolitariam vitam, ac ſuas duntaxat res curare licebat, Deo maximè acceptos fuiſſe; qui poſteaquam in lucem venerunt, vulgi inſcitiam emendare coacti, alii prorſus muneri illi adminiſtrando impares fuerunt; alii, dum in ipſo munere perſeverare cogerentur, priſtina vitæ cura, & auſteritate procul excuſſa, tum ſibi impedimento maximo, tum aliis nulli uſui fuere.* Si hoc autem probis contingit, quid de improbis credendum?

i Lib. 3. de ſacerd.

33 Secundò oritur difficultas ex natura ovium curandarum, quæ cùm ſint rationales, & liberæ, nulla verborum efficacia, nulla vigilantia, imò nec miraculis Paſtoris, ad bonum compelli poſſunt, nec ad perſeverantiam in bono. Unde ſequitur primò, quòd ob hanc inconſtantiam multi Paſtoris labores, & pii conatus caſſi, & irriti reddantur, multa ſeminet, & pauca colligat. Secundò. Nunquam ſecurum eſſe poſſe Paſtorem de fructu aliquando habito, an debeat perdurare. Unde continuò labor repetendus eſt, ſemperque vigilandum ſuper inconſtantem gregem.

34 Jam verò quanta ſit difficultas erga illos, qui ob diuturnam peccandi conſuetudinem, ita vitiis obduruerunt, ut omnem ſalutarem curationem reſpuant? Hi tales aliquando ſunt, ut non ſemel in Paſtorem ſuæ ſalutis cupidum inſurgant, tamquam phrænetici in medicum inſanientes, ita ut aliquando Paſtoris fama, vita, imò & ſalus in diſcrimen vocetur, de quorum tamen ſalute ſolicitus eſſe debet Paſtor. Quæ poteſt eſſe conſolatio hujus Paſtoris? certè D. Bern. nullam capiebat, ut patet ex his verbis: [l] *Diſcedant à me, qui me conſolantur, & dicunt, quia oratio mea in ſinum meum revertetur, dum is pro quo immiſſa eſt, nondum convertitur; neque audio illos, qui mihi blandientes aſſerunt, juſtitia juſti ſuper eum erit, dum impius in ſua impietate remoratur; non enim recipio conſolationem, quandiu fratris video deſolationem.*

l. Bern. ſerm. 42. in Cant.

35 Sed quæ difficultas in curando ſexu infirmiori; ubi major inconſtantia, & mutabilitas apparet? cui tamen Parochus debitor eſt. [m] *Neque poteſt*, ait Chryſoſt. *qui gregis univerſi curam ſuſcepit, viris tantùm curandis operam dare, mulierum autem curam negligere; qua in parte magna profectò opus eſt prudentia, quòd facilè ad peccandum quiſque proclivis ſit, ſed illud oportet pro illarum ſalute curam, ſtudiumque impendere; nam & eas inviſere ægrotantes, & ſolari lugentes, & adjuvare afflictas oportet. Quæ omnia dum ſiunt, plures irrumpendi aditus dæmon invenire ſolet, niſi exactiſſima quis, & minutiſſima cuſtodia ſeſe vallaverit, quippe animum ſuum ferit, & commovet non impudica tantùm, ſed & pudica mulieris oculus.*

m Lib. 6. de ſacerd.

36 Quæ quàm ſint vera, comprobat D. Hieron. exemplar pœnitentiæ, qui de ipſo ſcribens ait: [n] *Sedebam ſolus, horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſignum æthiopiæ carnis obduxerat, nuda humo vix oſſa cohærentia collidebam. Ille igitur ego ſcorpionum tantùm ſocius, & ferarum ſæpè mente choreis puellarum intereram; pallebant ora jejuniis, & mens deſideriis æſtuabat; in frigido corpore etiam carne permortua ſola libidinum incendia bulliebant.* Quibus difficultatibus non implicatur Parochus poſitus in tot occaſionibus propriæ ruinæ, cùm non ita ſit jejuniis, & pœnitentia attritus, non ita Deo vacans, & orationi inſiſtens, ut Hieronymus? videat ergo difficultates, ut illas cautus effugiat, ne dum aliorum ſaluti totus incumbit, ſuam propriam in diſcrimen adducat.

n Epiſt. ad Euſtoch.

CAPUT QUINTUM.

De periculo muneris Parochialis.

HOc periculum quamvis ſatis conſtet ex dictis, plura ſunt alia, quę illud oſtendunt. In primis propria animarum excellentia, quæ tanta eſt non ſolùm ex propria natura, ſed maximè ex Chriſti ſanguine, ut omne pretium excedat, & valorem; ita ut atteſtante Chriſto, [a] nullam homo pro ea commutationem dare poſſit. Hanc igitur pretioſam animam Parochus inſtruendam, docendam, regendam, curandam, cuſtodiendam, defendendam, & paſcendam ſalutis paſcuis ſuſcepit, & non unam, ſed multas. Magna igitur diligentia in rei tam pretioſæ cuſtodia à Deo exigitur, magnumque ſupplicium imminet Paſtoris capiti, ſi dormiat, & opus tam præclarum, atque divinum negligenter, & perfunctoriè exequatur. Grandis timor Parocho ſub cura ſua habenti Chriſti oves, pro quibus ſapientiſſimus ille mercator vitam cum toto ſanguine libentiſ- 37

a Marc. 8. 16. 26.

simè profudit. Unde dixit optimè S. Vincentius Ferrer. [b] *Nunquam animarum curatores cum gaudio viverent, si tantùm onus, quod supra se portant, verè cogitarent.*

b Serm. 5. in Evang. Pastoris.

38 Atque hinc oritur causa timoris, quia oves commissæ Parocho sunt oves Christi, ejus emptæ sanguine: [c] *Non estis vestri, quia empti estis pretio magno.* Sunt animæ propriæ Christi non solùm titulo creationis, sed peculiari titulo emptionis, & redemptionis, quo verum dominium comparatur. Unde Aug. ad illa verba: [d] *Simon Ioannis diligis me? pasce oves meas.* Sic ait: [e] *Ac si dixisset, si me diligis, non te, vel tuos pascere cogita, sed oves meas, & sicut meas, non sicut tuas.* Pascit igitur Parochus oves Christi, quas ipse tanti fecit, ut pro eis sanguinem obtulerit, qui proindè tamquam pro re, quæ sibi maximo in pretio est, omnem curam, & diligentiam postulat. Pascit oves Christi, quem latere non potest minima Pastoris negligentia in earum cura.

c 1. Cor. 6. 20.

d Ioan. 21. 15.

e tract. 10. in Io:

39 Hunc timorem declarat Chrysost. exemplo Pastoris alienas oves custodientis: [f] *Qui si hujusmodi oves perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua, aut alio casu sæviente; fortasse veniam aliquam à domino gregis impetrabit; sin & pœnas ille exiget, damnum non nisi pecunia constat: at verò cui homines, rationalis Christi grex, concrediti sunt, hunc primò ovibus deperditis, non pecuniarum, sed animæ propriæ jacturam facere oportet.* Quid igitur non periculi, ac timoris, ubi pro una ove incuria Pastoris deperdita anima ipsa Pastoris perditur in gehennam? Sibi igitur dictum credat illud: [g] *Custodi virum istum, quòd si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Ut sibi dictum credebat Bern. dicens: [h] *Quid ergo infelix, quò me vertam? si tantum thesaurum, si pretiosum depositum istud, quod sibi Christus sanguine proprio pretiosius judicavit, contigerit negligenter custodiri. Si stillantem in cruce Christi sanguinem collegissem, essetque positus apud me in vase vitreo, quod & portare sæpius oporteret, quid animi habiturus essem discrimine in tanto? Et certè id servandum accepi, pro quo mercator non insipiens, ipsa utique sapientia sanguinem illum dedit: sed & habeo thesaurum istum in vasis fictilibus, & quibus multò plura, quàm vitreis imminere pericula videantur.*

f 1. lib. 2. de sacerd.

g 3. Reg. 19. 39.

h Serm. 3. de Adven.

40 Consideret animarum Pastor verba relata Bern. & videbit quantum sibi timendum in munere suo; attendat quàm Deo gratæ sint animæ dicente Scriptura: [i] *Parcis omnibus, quoniam tuæ sunt Domine, qui amas animas.* Et alibi: [l] *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat.* Unde Chrys. [m] *Nihil ita est gratum Deo, & ita curæ, ut animarum salus.* Consideret quid postulet officium exemplo fidelis Pastoris Pauli, qui agnoscens hunc Dei amorem erga animas, charitatis flamma erga illas exardebat: [n] *Optabat anathema esse à Christo pro fratribus suis.* & alibi: [o] *Cùm liber essem, omnium me servum feci, ut plures lucri facerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.* Et rursus: *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*

i Sap. 11. 27.

l Luc. 15. 6.

m Hom. 3. in Gen.

n Rom. 9. 3.

o 1. Cor. 9. 19. & 22.

41 Augeat timorem memoria rationis expetendæ à supremo Judice de grege sibi commisso. Cùm sibi dicendum erit: [p] *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices in die, quando visitaberis? nonne dolores quasi parturientis apprehendent te?* Qualis erit tribulatio, qualis angustia illius Parochi, qui sine consideratione ad solum panem attendens munus adeò periculosum suscipit? Quando ab illo exactissimè inquiritur, quomodo in ovile intraverit, quo fine, quibus mediis; quam vitam duxerit, lupi ne, an Pastoris; quomodo rexerit, quomodo vigilaverit, quomodo fuerit solicitus de pascuis ovium, ac de remediis applicandis earum infirmitatibus? Tunc dicetur Parocho: [q] *Ubi est frater tuus?* & ille non poterit respondere cum Caino: *Numquid custos fratris mei sum ego?* Nam cura tui, illiusque tibi commissa est. Bern. [r] *Utriusque à te exigitur custodia: & in hoc pondus timoris, quòd neutra satis nota, utraque obscura, utraque inscrutabilis.*

p Ier. 13. 20.

q Gen. 4. 9.

r Serm. 3. de adv.

42 Non erit igitur excusandus. Quia & ait Apostolus de animarum Rectoribus: [s] *Ipsi pervigilant, quasi pro animabus vestris rationem reddituri.* Ubi Chrysost. [t] *Audiant Principes, & qui reguntur à Principibus; quia sicut obedientes esse oportet, qui reguntur, sic etiam Rectores, & Principes vigilantes esse licet, sobrios, & solicitos, periculum enim stat super illorum caput; subjecti enim sunt ultionibus peccatorum suorum, & alienorum.* Et alibi: *Cuncta timeat is, cui non solùm de erroribus propriis necesse est rationem reddere, sed etiam pro alienis ad ultimum discrimen adduci; nam si quidem de propriis vitiis tantùm causas reddituri timemus, quid putamus illi faciendum, qui rationem reddet de tot animabus?* Certè res est periculi, ac timoris plena.

s Heb. 13. 17.

t Lib. 6. de sacerd.

43 Fru-

Digitized by Google

43 Frustrà igitur jactabit Parochus propriam castitatem, pietatem, & vitæ integritatem quasi personalem, si id ei unum desit salutem aliorum, correptionem, & profectum procurare, vel in eo negligens fuerit. [u] S. Prosper, *Ille, cui hujusmodi dispensatio commissa est, etiam si castè vivat, si tamen perditè viventes arguere aut erubescit, aut metuit, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit.* Et sanctus Greg. [x] *Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus. Et si homicida non habet vitam aeternam in se manentem, quæ supplicia in animarum interfectores expendentur?*

u Cap. 20 de vita cõtempl.

x Homil. 11. in Ezechielem.

44 Si sacerdotes perpenderent gravissimas Pastoralis muneris obligationes, & quàm exactè de illis judicandi sint; nullus se offerret, nullus cum tanta anxietate anhelaret ad onus insuportabile, nullus oblatum non recusaret, ut benè Orig. [z] *Omnis adeundi honoris ecclesiastici abscinderetur ambitio, si se judicandos potius, quàm judicaturos hi, qui præesse populis volunt, cogitarent.* Si recogitarent illud Dei per Ezec. [a] *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum.* Et similia, quæ in scriptura habentur de exactissima ratione à Pastoribus exigenda, potius eligerent in paupertate vivere, quàm se tot periculis exponere. Quia, ut benè Aug. [b] *Si pro se, fratres charissimi, unusquisque vix possit rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ exquirendæ?*

z Orig.

a 34. 10.

b Lib. 56. Homiliar. homil. 7.

45 Claudo hoc caput exemplo in rem præsentem accommodato. [c] Fuit sacerdos per multos annos negligenter regens populum sibi commissum. Tandem morbo correpto apparet S. Petrus severo, ac minanti vultu exhibens libellum, ad quem legendum, urgebat. Scriptura autem legenda deprompta ex Ezech. hæc erat: [d] *Mortificas animas, quæ non moriuntur, & vivificas, quæ non vivunt.* Hæret sacerdos, & horret, aversaturque ulterius legere, sed urgetur ab Apostolo severius instante, ut glossam legat, quæ talis erat. *Quando reduces de inferno animas, quas tuo destitutas exemplo æterno supplicio demersisti?* Cùm autem ille pre horrore, & confusione respondere non posset, disparet visio, & ad se rediens anxium se, & nimio sudore perfusum reperit. Nec mora consilio sancti viri ecclesiam, & omnia sua dimittit, & factus religiosus sancti Bernardi post multam pœnitentiam in pace quievit. Periculosum igitur negotium Parochus agit.

c Cãtiprat. Lib. cap. apum. 2.

d Cap. 13. 19.

CAPUT SEXTUM.

De temeritate eorum, qui impares veniunt ad curam animarum.

Temeritatis nimiæ, & audaciæ est impar humeris onus suscipere, maximè cùm tot difficultatibus, & periculis plenum sit, ut hactenus dictum est. [a] *Non enim res hæc*, ait Chrysost. *est de frumento hordeove dispensando, de bobus ovibusve pascendis, aut aliis hujusmodi rebus distrahendis, sed de ipsomet corpore IESV curando; Christi enim Ecclesia, ex B. Pauli verbis, corpus ipsius Christi est.* Nihilominus teste Bern. [b] *Curritur hodie ad ecclesiarum curas, tamquam si sine curis quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit; & qui has curas nondum experti sunt, videntes alios, qui jam huic sarcinæ humeros submiserunt; non solùm non gemere, sed insuper plus appetere onerari, non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcati non vident.* Itaque inconsideratio periculorum, cupiditas rerum temporalium, exempla aliorum miseros decipiunt, ut etiam impares oneri ad illud currant cum manifesto dispendio salutis propriæ, & alienæ.

a Lib. 4. de Sacerd.

b Ser. 33. in Cant.

47 Hæc autem temeritas primò maxima est, cùm quis perditæ conscientiæ reus vitiis, pravisque moribus scatens audet aliorum curam suscipere. Quæ enim major temeritas, quàm, qui sui curam habere nescit, alios curare velle? quomodo medebitur ovibus Christi, qui tamquam lupus vivit? quomodo passionibus cæcus viam salutis aliis demonstrabit? [c] *Nonne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadent?* Ruinam igitur propriam, & aliorum meditatur, qui suæ flagitiosæ vitæ conscius animarum curam intendit, procurat, aut suscipit. Audi Chrys. [d] *Qui sibi alicujus culpæ conscius est, male certè facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit; non enim decet hujusmodi regere, sed regi potius: eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta debet virtutis gloria excellere, ut instar solis cæteros velut stellarum igniculos in suo fulgore obscuret: debet hujusmodi vitam habere immaculatam, ut omnes in illum, & in ejus vitam velut in exemplar aliquod excellens intueantur.*

c Matth. 15. 14.

d Homil. 10 in 1. ad Timoth.

48 De-

Digitized by Google

e 1Reg. 9. 1.

48 Debet animarum curator, sicut [e] Saul, quem Deus in populi sui Rectorem elegit, ab humeris sursum super omnem populum eminere. Quod latè expendens S. Greg. ita concludit: [f] *Tantum igitur debet actionem populi actio transcendere Præsulis, quantum distare debet à grege vita Pastoris: oportet enim, ut metiri sese solicitè studeat, quanta tuendæ rectitudinis necessitate constringatur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur.* Quomodo ergo homo vitæ pecuinæ audet adspirare ad munus pastorale? qua ratione titio fumigans, & exhalans fœtida scandalorum exempla audet super candelabrum reponi? nonne temeritas, & summa audacia?

f 1. p. post. c. 25.

49 Nec aliquis dicat hæc intelligenda esse de Episcopo, non autem de Parocho; quia Apostolus, quando dixit munus Pastorale esse arduum, ac periculis expositum, de episcopatu loquitur; unde intulit: [g] *Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Nam sicut cuilibet curatori animarum communis est cum Episcopo animarum rectio; ita communes sunt difficultates, & onera. Non enim aliam ob causam obnoxius est periculis episcopatus, nisi quia circa regendas animas occupatur: utrique ergo communia sunt, servata proportione, quæ dicta sunt, æqualis temeritas in Episcopo & Parocho, si impares affectent, aut suscipiant episcopale, & parochiale officium, & ideò D. Greg. sine restrictione loquitur: [h] *Penset, quid ad satisfaciendum districto judici de sua tantummodo anima vix sufficit, quia quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet.*

g 1. Tim. 3. 1.

h 24 mor. c. ult.

50 Audi Chrysost. [i] *Sicut de templo omne bonum egreditur, sic de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus, quando primùm ingreditur ad infirmum, statim de stomacho ejus interrogat, & eum componere primùm festinat; quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est: si autem dissipatus fuerit; totum corpus infirmum est: ita si sacerdotium integrum fuerit; tota ecclesia floret: si autem corruptum fuerit; omnium fides marcida est. Cor autem, & stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur: & sicut cor sapientiæ locus est; ita sacerdotes sunt receptacula sapientiæ spiritualis. sicut ergo stomachus accipiens cibum, coquit eum in se ipso, & per totum corpus dispergit; sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo, & excoquentes eam in se, id est, tractantes, & meditantes apud se universo populo subministrant: & sicut stomacho subministrante unumquodque membrum suscipit nutrimentum, & convertit ipsum in se secundùm suam naturam:* & posteà: *videte ergo sacerdotes quomodo vos componatis in verbo, & opere; quoniam sicut in corpore, si aliquod infirmum fuerit membrum, non omninò languet & stomachus; si autem stomachus languerit, omnia membra inveniuntur infirma: sic si aliquis christianorum peccaverit, non omninò peccant & sacerdotes: si autem & sacerdotes fuerint in peccatis; totus populus convertitur ad peccandum. Ideò unusquisque christianorum pro suo peccato reddet rationem; sacerdotes autem non solùm pro suis, sed & pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. Vidit arborem pallentibus foliis marcidam, & intellexit studiosus agricola, quia læsuram in radicibus haberet; ita cùm videris populum indisciplinatum, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotium ejus non est sanum.*

i Hom 38. in imperfect. in Matth.

51 Expallescant ad hanc verissimam doctrinam omnes sive majores, sive minores gregis Christi Rectores, seque agnoscant in statu discriminis collocatos, quandoquidem reddituri sunt rationem non pro ipsis tantùm, sed etiam pro omnibus animabus suæ curę commissis: nec putent hoc pertinere ad solos Episcopos, quia Episcopi rationem principaliter reddent de provisione Parochorum, & de vigilantia circa ipsos; Parochi autem de animabus suæ curæ proximè traditis, seque agnoscant, ac temeritatem suam, si malis moribus, ac vitiis depravati curam animarum suscipiant, in quo ad ruinam populi, propriamque damnationem operantur.

52 Secundò. Est hæc temeritas in illis, qui imperiti veniunt ad curam animarum: D. Greg. [l] *Ab imperitis Pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars artium est regimen animarum, & tamen sæpè, qui nequaquam spiritualia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt.* Deus bone! quàm multos videmus omni scientię necessarię munimine destitutos; quot videmus docere, quod non didicerunt? Quomodo docebunt, quod nesciunt? dicent fortè. Studebimus, & discemus: Audiant Raban. [m] *Turpissimum est tunc discere, & studere velle, cùm jam necesse est docere; periculosum est magisterii pondus eum subire, qui non scientiæ præsidio fultus potens*

l 1. P. Past. cap. 1.

m de Cleric. inst.

tens

Digitized by Google

tens sit illud sufferre. Certè nullam artem audet quis profiteri, quam prius non comparavit: solam difficillimam artem hanc omni præsidio doctrinæ destituti homines temerarii exercere audent.

53 Horum temeritatem convincunt omnes Doctores docentes teneri quemlibet ea scire, quæ ad suum statum, & officium pertinent, ita ut si quispiam hujus scientię expers sit, teneatur eo se munere abdicare. Cùm ergo sacerdos imperitus sit, non potest consequi finem artis pastoralis, qui est curare, & mederi animabus, illas instruere docendo necessaria ad salutem, ad quod scientia rerum divinarum, & moralium necessaria est. Unde sequitur alium sibi finem præfigere sacerdotem imperitum, qui Ecclesiam Parochialem procurat, & occupat, nempè temporale lucrum: hoc autem fine præposito, nihil Ecclesiæ dignum, nihil animabus utile expectari potest, sed sola gregis perditio, & Pastoris indubitata damnatio.

n 1. Tim. 5. 22. 54 Propterea [n] Paulus Timotheum Episcopum admonet, ut citò nemini manus imponat. *Quæ tunc citò imponuntur*, ait S. Leo. [o] *Cùm non solùm ante ætatis maturitatem, & ante temporis examen, sed etiam ante meritum laboris, ante experientiam disciplinæ sacerdotalem dignitatem confers non probatis*. Unde C. Trid. [p] *Optandum est, ut ii, qui episcopale ministerium suscipiunt, quæ sua sint partes agnoscant, atque in hoc præsertim, in admittendis, scilicet, ad sacros ordines, & curam animarum iis tantùm, de quorum integritate, & doctrina periculum jam factum fuerit; ex hac enim diligenti inquisitione pendet magna ex parte populorum salus*. Quod si Episcopi observassent, muneri suo non defuissent.

o Leo Papa epist. 87. cap. 1.

p Sess. 25 c. 1. de Reform.

55 Nemò audet se medicum profiteri non comparata prius arte medicandi; erubescit quis artem pingendi ostentare, nisi prius sub magisterio boni pictoris normas pingendi addiscat. Audet autem sacerdos imperitus, qui scholas non frequentavit, vel solùm perfunctoriè, artem difficillimam, ac periculo difficultatibusque plenam omni scientię, & virtutis prćsidio destitutus exercere, quod jam deplorabat Naz. dicens: [q] *Cùm neque medici, neque Pictoris nomen quisquam obtineat, nisi prius morborum naturas expenderit, aut multos colores miscuerit, variasque formas penicillo expresserit: antistes contrà facilè invenitur non elaboratus, sed recens quantùm ad dignitatem simul satus, & provectus, quemadmodum gigantes Poetæ finxerunt; uno die sanctos fingimus, eosque, & sapientes, & eruditos esse jubemus; qui tamen nihil didicerunt, & ad sacerdotium nihil contulerunt, præterquam velle*. Magna temeritas Episcoporum, qui tales animabus preficiunt: equalis audacia illorum, qui se indoctos offerunt, & acceptant animarum præfecturam.

q de laud. Basil.

CAPUT SEPTIMUM.

Laudabile officium Parochiale à digno acceptum, & dignè administratum.

Non intendimus per hactenus dicta à præclaro munere pastorali quosque deterrere, cùm nullum in terris sit præstantius, nullum æquè necessarium, aut Deo gratius, si fideliter, & dignè administretur. De eo namque dixit Aug. [a] *Nihil apud Deum beatius, si eo modo administretur, quo noster Imperator jubet*. Ut autem administretur secundùm voluntatem Domini gregis, & Imperatoris Christi, non desunt prćsidia, quibus bonus Parochus munitus omnes difficultates superare possit, pericula evitare. 56

a Epist. 148.

57 Habeat igitur ante oculus officii sui finem, de quo cap. 2. hoc est, Dei gloriam, quam in omnibus actionibus muneris sui intendat, & animarum sibi commissarum salutem, utilitatem, & spiritualem profectum. Hac sancta intentione prævia nulla erit difficultas, quæ, mediante divina gratia, non vincatur; nullum periculum, quod non evitetur. Certus enim esse debet, qui hanc habet intentionem, Deum sibi prćstò affuturum. Primò, quia agit negotium ipsius Dei; cura namque animarum ad ipsius gloriam maximè spectat; unde Deus Parochum protegendo, & juvando suam ipsius causam agit, suasque tuetur partes, cùm ad herum pertineat non solùm jussa dare, sed debitis officiis servi operam juvare, ac tueri; præcipuè quando ex servi industria tota utilitas in herum redundat. Quò enim Parochus majoribus prćsidiis à Deo munitur, plures animas ipsi lucratur, & uberiores fructus ad augendam Deo gloriam, Ecclesiæ affert. Cur ergo Dei misericordia, quę animarum salutem lucrum suum reputat, liberalis non erit in eum, qui propter ipsum Deum se cum Apostolo omnium servum fecit,

Digitized by Google

fecit, ut omnes lucrifaceret? Nam ut
b Hom. 8. in Euang. benè Greg. [b] *Quid est, quòd vigilantibus Pastoribus Angelus apparet, eosque Dei claritas circumfulget, nisi quòd præ cæteris videre sublimia merentur, qui fidelibus gregibus præesse solicitè sciunt, dumque ipsi piè super gregem vigilant, Divina super eos gratia coruscat.*

c Eph. 4. 11. 58 Secundò. Quia officium pastorale fuit à Christo institutum. [c] *Ipse enim dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Non solùm autem instituit, sed ipse constitutus est à Patre supremus animarum Pastor juxta
d 34. 23. prophetiam Ezech. [d] *Suscitabo super eos Pastorem unum, qui pascat eos.* Unde ipse
e Ioan. 10. 14. se Pastorem professus est. [e] *Ego sum Pastor bonus*: ut ceteri animarum Pastores haberent, quem in suo munere imitarentur. A natura autem insitum est, ut artifex opus suum unicè diligat, & tuea-
f Zach. 2. 8. tur. Unde per Zach. [f] *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quo significata est singularis Dei cura erga animarum Pastores tamquam in rem specialiter
g Chrysost. Homil. 69 in Math. suam. Meritò Chrysost. [g] *Si quis sua despicit, & nostrorum curam assumit, quieti illius solemus providere, quantò magis Deus?* Cùm ergo Parochus curam animarum, quæ Dei sunt, susceperit, Deique, & Christi Filii ejus negotium gerat, cur misericordia ipsius non erit erga ipsum copiosa, si ex vero zelo in Dei gloriam, & animarum utilitatem munus exequatur?

59 Tertiò. Quia Parochus à Deo electus est sub specialissima tutela Dei. Cùm Deus Moysen elegisset ad liberandos Israelitas de AEgypto, ipseque recusaret, suam agnoscens insufficientiam ad
h Exod. 33. 12. id muneris: [h] *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de AEgypto?* Deus ad eum: *Ego ero tecum.* Chry-
i Hom. in G... sost. [i] *Ac si diceret, non te deseram; hoc tibi sufficiat, quid amplius desideras? Ego, qui te ad hoc munus elegi, tibi etiam necessaria subministrabo. Ego ero tecum, ne sis anxius, neque solicitus, cùm suppeditantem bonorum omnium habeas: ego enim omnium Dominus ero tecum: quid hoc justo beatius, qui talem promissionem à Deo accepit, quia ero tecum? hoc te declarabit omnibus feliciorem; hoc te affluentem omnibus rebus faciet; hæc summa gloria, hæc est vera securitas, hæc est summa & caput bonorum, quia ego tecum sum.* Christus etiam suis Pastoribus specialem suæ
l Math. 28. 20. protectionis assistentiam promisit: [l] *Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Neque enim hæc promissio solis Apostolis facta est, ut sancti Patres testantur, sed omnibus, quos ipse in eorumdem locum successivè suffecturus erat: nam Apostoli victuri non erant usque ad mundi finem; quare illos comprehendit, qui eis in cura animarum successuri erant; quo nihil ad consolationem suavius, nihil efficacius ad depellendum mœrorem, tędium, ac labores tam sancti ministerii.

60 Sic ergo Parochus à Deo positus, non se ingerat malis artibus, sed meritis virtutis, & doctrinæ. Et si ita fuerit, à Deo se electum credat, operetur-que ut sic electus in Dei gloriam, & animarum salutem, & non timeat difficultates, & pericula, quia habet Deum sibi propitium, & fidelem adjutorem. Relinquat alias curas, invigilet suo muneri, utatur talento accepto in negotio animarum considerans quòd recessurus Dominus, & talentis distributis dixerit: [m] *Negotiamini, dum venio.* Greg. [n] *Quod profectò negotium tunc verè nos agimus, si benè vivendo & loquendo animas lucramur, si infirmos quosque cœlestis regni gaudia prædicando in cœlesti amore roboramus; si protervos, ac tumidos gehennæ supplicium terribiliter insonando flectimus; si nulli contra veritatem parcimus; si supernis amicitiis dediti humanas amicitias non timemus.* m in Luc. 19. 13. n Lib. 2. re. gist. c. 37.

61 Si ita fideliter se gerat, ut cùm venerit Dominus rationem cum servis suis positurus, dicere possit: [o] *Domine quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum: vel, duo talenta tradidisti mihi; ecce alia duo lucratus sum.* Audiet: *Euge serve bone, & fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* De lucro enim animarum D. Greg. parabolam intelligit. [p] *Ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco, & quòd accepto regno Paterfamilias redeat, rationem nobiscum positurus aspicio; sed qua mente sustineo, cui de suscepto negotio animarum lucrum aut nullum, aut penè nullum reporto.* o Math. 25. 22. p Vbi proxime.

62 Timebat sibi sanctus Pontifex ovium Christi egregius Pastor: quid non timebit alius non ita vigilans? verùm si cum isto sancto timore, ac tremore salutem propriam, ac suorum Parochus noster operetur; sperare potest de divina bonitate, quòd dives cœlum ingrediatur circumdatus prole multa genita Christo laboribus suis, conserva-

ta,

Digitized by Google

ta, ac eruta à faucibus dæmonum, cum qua accipiet præmium debitum suę fideli curæ, quod erit magnum juxta illud: q *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum.* r *Qui ad salutem erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Ut autem bonus Parochus speciale Dei auxilium promereatur ad munus suum fideliter exercendum cum utilitate eorum, quibus præest, debet primùm esse benè dispositus in se ipso. Quæ autem sit hæc bona dispositio, in sequentibus dicendum erit.

q Matth. 5. 19.
r Dan. 12. 3.

CAPUT OCTAVUM.

Parochus sua primùm saluti incumbat.

63 PAulus optimus animarum curator dixit: a *Qui domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit?* Ac si diceret: Qui propriæ saluti non attendit; quomodo saluti proximorum vigilabit? Qui non ambulat per viam salutis, quomodo eam aliis demonstrabit? Qui non didicit sibi præcepta vitæ, quomodo illa alios edocebit? Qui non lucet, quomodo illuminabit? Qui cæcus est, quomodo alios ducere potest, ne in foveam cadant?

a 1 Timot. 3. 5.

64 Statuendum igitur est tamquam omninò certum, opus esse Parocho, qui aliis invigilare debet, sibi primò invigilare; qui ad alios instruendos, & juvandos preficitur, se primùm instruere, & juvare. Hinc Apostolus instituens Timotheum coadjutorem suum in cura animarum: b *Attende*, inquit, *tibi & doctrinæ*. Primò vult, ut incumbat propriæ vitæ benè instituendę, & posteà doctrinæ populi, quasi hoc secundum sine primo præstari non possit. Additque: *Hoc enim faciens, & te salvum facias, & eos, qui te audiunt.* Quasi diceret, si tuam salutem despexeris, aliis parùm proderis. Cura ergo primùm de te, & posteà de aliis, si illis prodesse cupis. Hoc idem commendat idem omnibus Pastoribus. c *Attendite vobis, & universo gregi.* Quia doctrina hæc non Timotheo soli, sed cunctis animarum curatoribus necessaria erat.

b 1 Timot. 4. 16.
c Act. 20. 28.

65 Nam in operibus gratiæ ordo naturæ non deest, in qua ut simile generet sibi simile, ultra causas universales requiritur aliqua immediata ejusdem speciei, quæ contineat formam communicandam; eodem igitur modo in rebus spiritualibus, & moralibus ad communicandam formam alicujus virtutis, vult Deus, quòd causa immediata, qua ipse utitur ut instrumento, regulariter habeat eamdem virtutem, aliàs nihil efficiet. Ulterius sicut in naturalibus neque animal, neque planta producunt ex se virtutem ad generandum sibi simile, dum non pertingunt ad suam perfectionem; ita in spiritualibus Doctor, & Pater debet esse in spiritu, & virtute benè constitutus, ut spirituales filios Deo generare valeat: & ideò Paulus adeò instabat, ut Patres, & Pastores animarum suo spiritui, ac perfectioni primùm attenderent, quia aliter prodesse populis minimè poterant.

66 D. Greg. d *Admonendi sunt illi, ut considerent, quòd pulli avium, si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde ire in altum cupiunt, inde in ima merguntur. Admonendi sunt, ut considerent, quòd structuris recentibus, necdum solidatis, si lignorum pondus superimponatur; non habitaculum, sed ruina fabricatur. Admonendi sunt etiam, ut considerent, quòd conceptas soboles fœminæ, si priùs, quàm plenè formentur, proferant, nequaquam domos, sed tumulos replent.* Ex quibus patet priùs Pastori proprio profectui insistendum, ne cùm alios vult perficere, se ipsum destruat. Unde notavit idem Gregorius Christum Dominum, quamvis habuerit in principio eamdem perfectionem, quam in fine, distulisse prædicationem ad ætatem majorem, & antequam eam inciperet, se recepisse in desertum, ut exemplo suo doceret priùs nobis ipsis attendendum, quàm aliis. Et quamvis in ætate duodecim annorum inventus fuerit inter doctores, non fuisse docendo, sed audiendo, & interrogando, ut insinuaret illos, qui in virtute sunt pusilli, & tenelli, non esse aptos ad alios instruendos, ac docendos.

d 3. p. P. ft. 26.

67 Notat etiam, quamvis mandasset Apostolis, ut prędicarent in mundo universo, potuissetque subitò eisdem communicare virtutem, & perfectionem ad id muneris convenientem, non tamen eam statim communicasse, nec voluisse, ut ita debiles, & imperfecti prædicarent, sed, jussit, e ut sederent in civitate, quoadusque induerentur virtute ex alto; ut nos doceret priùs nostræ saluti, & profectui fore incumbendum, quàm de salute aliorum tractaremus. Ad quod Bern. adducit illud: f *Soror nostra parvula est, & ubera non habet.* Ac si diceret, non habet lac ad filios nutriendos. Quę verba

e Luc. 24. 49.
f Cant. 8. 8.

Digitized by Google

ba applicat Ecclesiæ ante Spiritus sancti adventum, aitque usque ad illud tempus fuisse parvulam sine uberibus, & lacte ad spirituales filios sustentandos, usque ad adventum Spiritus sancti, qui Apostolos implevit lacte copioso, & sic repleti mirabiliter prædicarunt, & populos traxerunt ad Christum. Si igitur Parochus vult Christo fructificare in sua Parœcia, nutrireque filios Christo genitos, opus est, ut priùs repleatur spiritu, habeatque duo ubera satis plena, alterum quidem virtute, alterum scientia, & doctrina.

68 Nam, ut observat D. Hieronymus in illud: g *Si repleta fuerint nubes, imbrem super terram effundent.* Ait prædicatores, & pastores esse nubes, quia sicut nubes continent in se aquam, qua terram irrigant; ita illi habent in se aquam doctrinæ, qua humectant sicca hominum corda. Et hoc esse supplicium, quod Deus minabatur vineæ suæ negandos nempe prędicatores aptos doctrina, ac virtute claros, qui possent eam congruis fluentis irrigare. h *Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Quando ergo nubes istæ sunt satis plenę hac cœlesti aqua, poterunt pluere, & spargere aquam super terram, ait Hieronymus, dicereque: i *Audiat terra verba oris mei, concrescat ut pluvia doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum quasi imber super terram, & quasi stilla super gramina.* Tunc poterunt terram fertilem reddere, corda hominum emollire, ac disponere in fructum copiosum. At si nubes aquam non contineant, dicetur quod Judas Apostolus: l *Hi sunt nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur.* Sicut enim nubes sine aqua levissimæ sunt, & facilè feruntur huc, & illuc; ita Pastor spiritu, & virtute vacuus à suis passionibus fertur in omnes partes.

g Eccl. 11. 3.
h Isai. 5. 6.
i Deut. 32. 2.
l Judas. n. 12.

69 Quapropter sapienter D. Bern. ad illa verba: m *Oleum effusum nomen tuum*: Meminit duorum, quę Spiritus sanctus operatur; alterum, quo quis fundatur in spiritu in proprium profectum, & dicitur infusio: alterum, quo communicantur dona in utilitatem aliorum, & dicitur effusio; aitque infusionem debere præcedere, sequi verò effusionem; quia primò replendus est virtute, qui eam aliis communicare debet. Unde addit: n *Si sapis, concham te exhibebis, & non canalem; hi siquidem simul recipiunt, & infundunt; illa verò, donec impleantur, expectant, & sic quod superabundat sine suo damno communicant.* Sic igitur bonus Parochus non est canalis, sed concha: priùs studet proprio profectui; posteà attendit aliis, illosque curat perficere, ne habeatur stultus. o *Totum spiritum suum profert stultus; sapiens differt, & reservat in posterum.*

m Cant. 1. 3.
n Serm. 18. in Cant.
o Prov. 29. 11.

70 Plorat deinde Bern. Pastores sui temporis: *Canales hodie multos habemus, conchas verò perpaucas.* Ac si dicat: Sunt multi, per quos transit aqua doctrinę ad irrigandos alios; ipsi autem remanent aridi. Habent tantam charitatem, ut spargant, quod non collegerunt; dent, quod non habent; doceant, quod non didicerunt; regant, cùm se ipsos regere nesciant. Hoc autem charitas non est; quia hæc in rebus salutis incipit à se ipsa. Audi Eccles. p *Recupera proximum secundùm tuam virtutem, & attende tibi, ne incidas.* Id est, priùs cura de spiritu tuo, & si illum habes, proximis communicare satage. D. Greg. q *Electi, & boni Pastores sic lucra aliorum expetunt, ut sui nulla damna patiantur; pleni quippe in se ipsis sunt affluentes aliis; Et de abundantia sui sic aliis tribuunt, ut sua plenitudinis aliquid non amittant: sic aliis præbere oleum nituntur, ut à se fomenta luminis non tollantur, ut dum alios illuminant, se non extinguant.*

p Eccl. 29. 17.
q in Cap. 8. 1. Reg.

71 Bernardus quasi alludens ad hanc Greg. sententiam. r *Si non habeo nisi parum olei, quo ungar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? servo illud mihi omninò, nisi ad jussionem Prophetæ non profero. Si institerint alii ex his, qui fortè existimant de me supra id, quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me. Respondebitur eis, ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emitte vobis.* Innuit quidem Bern. consultius non acceptare officium pastoris, vel acceptatum dimittere illis, qui in se experiuntur paupertatem olei spiritualis, & virtutis. Quid enim pręstat aliis fontem indicasse, si tu præ siti moriaris? Quid prodest, si alios doceas, si tu non addiscis? Similis eris extructoribus arcæ Noe, qui arcam, in qua alii salvarentur, fabricantes aquis diluvii perierunt. Quid tibi proderit, si universum mundum lucreris, anima autem tua detrimentum patiatur? Attendat igitur Parochus primùm sibi, curet primùm de sua salute, & de vita sua instituenda juxta Dei legem, ne postea dicat: s *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* Quid enim proderit vineas aliorum custodisse; propriam

r Serm. 18. in Cant.
s Cant. 1. 6.

Digitized by Google

priam verò latronibus deprædandam, & bestiis conculcandam reliquisse? [z] *Tunc autem vineam nostram non custodimus; quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium nostræ salutis negligimus:* ait D. Greg.

z Hom. 17. in Euang.

CAPUT NONUM.

Parochus à suo fine non deflectat.

72 A Nobilissimo Parochi fine, de quo cap. 2. deflectunt illi, qui ad curam animarum veniunt, non ut animas Christo, sed sibi lucra temporalia exquirant, quique non zelo animarum, sed divitiarum libidine trahuntur, quorum certa damnatio est, teste Bernardo. [a] Nam munus pastorale à Christo fuit institutum, non utilitatis, & commodi temporalis gratia, sed ob salutem animarum, ita ut sanguis etiam ipse pro illa tuenda, vel reparanda effundi debeat à Pastore, juxta illud: [b] *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

a In illud Ecce nos.

b Ioan. 10. 11.

73 Quomodo ergo finem suum respicit, qui parochialem ecclesiam quærit, ut avaritiæ studeat, & bona temporalia sectetur? cùm certum sit Ecclesiasticos redditus Pastoribus fuisse assignatos, non ut ditentur, sed ut decenter vivant, & sine distractione ad temporalia in salute animarum procuranda perseverent. Propterea dictum est Petro, & in ipso aliis Pastoribus, quorum caput instituebatur, [c] *Pasce oves meas.* [d] *Non dictum est,* ait Bernardus, *mulge, seu tonde: quia non sunt pascendæ oves ut vel tondeantur, vel mulgeantur; sed tondendæ, vel mulgendæ, ut pascantur: non pascunt boni Pastores, ut comedant; sed comedunt, ut pascant.* Additque. *Conceditur, ut si altari deservis, de altari vivas; non autem ut de altari luxurieris, & de altari superbias; & quidquid præter necessarium victum, & vestitum, de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.* Perpendant Parochi verba ista, sciantque doctrinam istam sancti Bernardi communem esse aliorum sanctorum Patrum, & sacrorum canonum, ac tamdem in Concilio Trid. traditam verbis posteà referendis. Unde constat quàm verè dixerit Bern. de curatoribus, qui ad curam animarum veniunt, ut inde temporaliter ditentur, damnationem esse certam.

c Io. 21. 17.
d Bern. supra.

74 Unde etiam sequitur talem Parochum non Pastorem esse, cujus est oves pascere, sed mercenarium, imò & furem, qui rapit, & retinet bona pauperum. Cui acquirendi cupiditati accedit stupor quidam mentis, & summa in munere pastorali negligentia, rerum temporalium studio animum in diversas partes trahente, ex qua distractione subrepit paulatim Dei oblivio, indeque nascitur cæcitas, & contemptus. [e] *Nemo enim potest duobus dominis servire,* nemo duos fines adeò dissidentes intendere, quales sunt gloria Dei in salute animarum, ac divitiarum conquisitio. Nec potest talis Parochus lupos à grege suo arcere; dicente de eo Bernardo: [f] *Væ si veneris lupus, quia non erit qui provideat, qui occurrat, qui eripiat.*

e Math. 6. 24.

f Epist 42.

75 Hec autem habendi cupiditas non tantùm habet locum in divite Parocho, sed etiam in paupere, & rurali. [g] *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem,* dicebat Apostolus. Quæ damna, si in quovis homine ploranda sunt, magis in sacerdote, quem à debito fine muneris sui alienant. Patet autem ea omnia non opum abundantię, sed inordinato acquirendi affectui convenire, qui non solùm in magnis, sed etiam in parvis facilè alitur. Ut enim observavit Petrus Damian. [h] *Iudam non multum auri pondus, sed pauci nummi cum magna cupiditate habendi in Salvatoris proditionem præcipitavit.*

g 1. Tim. 6. 9.

h Apolog. c. 7.

76 Satis ergo apparet quàm execrabilis sit avaritię pestis in Rectore animarum, quod inde confirmabis. Quamdiu Moyses [i] Virgam sibi traditam in manibus habebat, mira operabatur, quibus Dei populum tuebatur; cùm verò eam in terram projiciebat, vertebatur in colubrum. Ita si Parochus authoritatis virgam è terra elevatam teneat, Dei gloriam, & salutem animarum intendens, animas sibi commissas ab AEgyptiaca servitute facilè liberabit; si autem virgam in terram declinet, terrena lucra ante oculos habens, convertetur virga in serpentem, in propriam ruinam, & scandalum populi. Sciat prætereà inter planetas solam lunam eclipsim, & deliquium pati, eò quòd terræ proximior est: sed sacerdotes maximè Parochi sunt astra, quorum officium est alios illuminare; ergo si nimis accedant ad terram rebus, & lucris terrenis inhærendo, splendorem perdent cum propria ignominia, ac dedecore.

i Exod. 4.

77 Se-

Digitized by Google

77 Secundò. Deflectit à suo fine Parochus, qui totus est in ditandis propinquis, quasi ad hoc vocatus fuerit ad officium parochiale. Est autem hoc malum adeò generale, ut pauci se in hoc errare intelligant propter insitam propensionem ad suos, qui putant se ad id jus habere, non considerantes sacerdotem curam animarum suscipientem, sacrum quoddam connubium contraxisse con sua ecclesia, propter quam relinquendi sunt parentes, & consanguinei, & adhærendum sponsæ, ejusque saluti, ac honori insistendum. Itaque nullum hostem sibi magis infestum habet sacerdos, quàm propinquos, quibus convenit illud Christi: [l] *Inimici hominis domestici ejus.* Amb. [m] *Putant enim se parum poscere, pretium tuum quærunt, fructum vitæ tuæ adimere contendunt, & accusant, quòd eos divites non feceris, cùm te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede.*

[l] Matt. 10. 36.
[m] 1. offic. cap. 30.

78 De his consanguineis Bern. [n] *O durum patrem, ò sævam matrem, ò parentes sævos & impios, qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine illis.* Ratio autem est, quia Ecclesiastici redditibus suę ecclesiæ ad libitum abuti non possunt, sed tenentur insumere ad eum finem, ad quem instituti sunt. Sunt autem instituti, ut quę vitę, ac statui congruo, & decenti superflua sint, in pios pauperum, & Ecclesię usus erogare teneantur, in quem finem Christi patrimonium ordinatum est, non ad consanguineos locupletandos, ut sacri Canones, sancti Patres, & omnes Doctores proclamant; unde non dubium multos Ecclesiasticos ex hoc capite damnandos. Audiant Bern. [o] *Timeant clerici, timeant ministri Ecclesiæ, qui in terris sanctorum, quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis, quæ sufficere debeant, minimè contenti sint, superflua quibus egeni sustentandi forent, impiè sacrilegèque sibi retineant, atque in usus sua superbiæ victum pauperum consumere non vereantur: duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus abutuntur.*

[n] Epist. 111.
[o] Serm. 23. in Cant.

79 Debentur pauperibus redditus sui beneficii sibi superflui, non consanguineis: quare illos erogare consanguineis non indigentibus, furtum est. Audi D. Hieron. [p] *Si amico quidquam rapere furtum est, Ecclesiam defraudare sacrilegium est.* Non intendimus propinquos à parocho omninò deserendos, sed dicimus non in hunc finem animarum curam suscipiendam, ut ipsi augeantur. Si pauperes sint, possunt & debent accipere tamquam pauperes, non autem ut ditentur. Amb. [q] *Est etiam illa probanda liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas; melius enim est, ut ipse subvenias tuis, non tamen ut ipsi ditiores fieri velint; neque enim propterea te Deo dedicasti, ut tuos divites facias.* Audi Concil. Trident. [r] *Omninò eis interdicit, ne ex redditibus ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cùm & Apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imò quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in ecclesia seminarium extat, penitus deponant.* Potest ergo Parochus suos ditare ex illis bonis, quæ non ex ecclesia, sed ex patrimonio, aut ex hæreditate; vel ex propria industria proveniunt, non autem ex redditibus beneficii, qui pauperum sunt post congruam sustentationem.

[p] Epist. ad Nepot.
[q] 1. Offic. cap. 30.
[r] Sess. 25. cap. 1. de reform.

80 Tertiò. Deflectit à fine suo Parochus, qui magis honorem quærit, & præeminentiam, quàm salutem, & lucrum animarum: Non est munus Pastoris munus honoris, & dominii, sed ministerii, & servitii dicente Apostolo: [s] *Cùm liber essem, omnium me servum feci, ut omnes lucrifacerem.* Parochus est minister, & servus conductus ad pascendas oves Christi, cujus exemplo non debet ministrari, sed ministrare. Qui dominari affectat, oves non custodit, sed disperdit, dicente Deo per Ezech. [t] *Vos autem imperabatis eis, & cum potentia; & dispersæ sunt oves meæ, dicit Dominus.* Unde benè Greg. *Qui intrant in sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectantes honoris, videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt; ii tantò magis susceptæ curæ pastoralis officium nequeunt adimplere, quantò ad hujus humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt.*

[s] 1. Cor. 9. 19.
[t] Cap. 34. 4

81 Oleum, & operam perdet Parochus elatus, & superbus, qui gregi dominari affectat. Unde Ecclesiasticus: [u] *Rectorem te posuerunt? noli ergo extolli: esto in illis quasi unus ex ipsis.* Si extollaris, nihil efficies: si mansuetudinem Christi profitearis, multos lucraberis. Hæc est enim naturalis inclinatio, ut

[u] Eccl. 32.

arro-

arrogantes, & tumidos fugiamus; humilibus, modestis, ac mitibus adhereamus. Bernardus: [x] *Discite subditorum matres vos esse, non Domini; studete magis amari, quàm metui; suspendite verbera, producite ubera. Cur morsus à serpente parvulus fugit conscientiam Sacerdotis, ad quem magis oportuerat tamquam ad sinum recurrere matris?* Arrogantia igitur, & superbia Pastoris ovem à se alienat, scabiem occultari facit, unde curari non possit. Fugiat ergo Parochus arrogantiam, & omnem dominii speciem, ut oves vocem ejus audiant, accedant, curentur, & foveantur.

x Ser. 33. in Cant.

CAPUT DECIMUM.

Parochus nuptialem gratiæ vestem non deponat.

82 HAEc sit prima cura boni Parochi nuptialem gratiæ vestem nunquam exuere, ne sibi contingat audire iratum Regem, in cujus domo vivit, & cujus sacrosanctæ mensæ accumbit: [a] *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* Quæ justissima interrogatio obmutescere faciet Parochum audacem, & temerarium, ita ut nec respondere, nec conqueri possit, quando audiet: [b] *Ligatis manibus, & pedibus ejus mitte eum in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Hæc enim erit certissima pœna tantæ temeritatis.

a Matth. 22. 12.

b Ubi proximè.

83 Hæc est vestis omnium, qui salvandi sunt, sine qua nemo intrabit ad sacras nuptias Agni immaculati in cœlesti patria celebrandas. Hæc debet esse vestis sacerdotalis, quam bonus Parochus nunquam exuere debet, ut Deo placeat, & ovibus suis amabilis sit. Si enim Pastores vestes sibi consuunt ex pellibus ovium, ne ipsis dyscoli, ac extranei appareant, sed tamquam eodem induti vellere admittantur: quomodo animarum Pastores ipsarum communi veste exuti possunt diligi, & quæri cum fiducia? Est enim gratia vestis animarum justarum, quas Parochus habet in sua Parœcia. Quid ergo magis absurdum, quàm animas pretioso Christi vellere, seu gratia indui; Parochum verò illa exutum incedere, & loco illius pelle lupina, seu diaboli paludamento vestiri?

84 Neque dicat hanc gratiæ vestem non videri, ac proinde ovibus non futurum odibilem, si ea exui contingat. Respondeo satis esse quòd videatur à Deo, cui sic exutus odibilis efficitur. Addo, licèt in se ab ovibus non videatur, videri tamen in suis effectibus. Certum enim est Parochum illa indutum vitam suam ita instituere in orationis frequentia, in cibi ac potus temperantia, in corporis castitate, locutionis modestia, ac totius corporis compositione, in misericordia erga pauperes, charitate, & humanitate erga omnes, ut quod populum in ecclesia docet verbis, ipse opere confirmet, ac veluti in speculo ostendat, & quod aliis tamquam ad salutem necessarium, aut utile suadet, ipse exequatur.

85 Si autem hanc vestem deposuit, quod non fit, nisi per peccatum mortale; subitò apparet non hortari subditos ex animo ad charitatem Dei, ad continentiam, & temperantiam, aliasque virtutes: statim enim verba languent, nec habent efficaciam ad movendum, quia procedunt ex corde frigido, & impuro. Nam qui sibi malus est, quomodo aliis bonus erit, cùm proximus sibi quisquis sit? Si igitur Parochus propriam animam sibi conjunctissimam non curat, quomodo curam aliarum habebit ex animo? aut quomodo cum fructu alios excitabit ad gratiam conservandam, si ipse eam sibi nec conservat, nec procurat? quomodo inflammabit ad charitatem Dei, & rerum cœlestium desiderium, si ipse cœlesti igne privatus est? Quomodo exhortabitur ad virtutes, quas ipse nec habet, nec amat? Quomodo deterrebit à peccato, quod ipse non horret?

86 Quamvis igitur hac pretiosa veste omnes Christiani indui debeant, illa tamen specialiter congruit sacerdotibus, maximè autem Prelatis, & Parochis ratione officii. In cujus rei signum vidit Joan. [c] *Similem filio hominis vestitum podere.* Hoc est, vidit Angelum repræsentantem Christum tamquam sacerdotem, ut ibi [d] exponunt Interpretes, vestitum podere, quæ erat vestis sacerdotalis inde dicta, quod ad pedes pertingeret, ut significaret sacerdotem hac veste semper indutum iri, significabat autem hæc vestis *Poderis* justitiam, & sanctitatem, quæ Christi indumentum fuit, juxta illud: [e] *Indumento justitiæ circumdedit me.* Et justitiam, qua verus animarum Pastor ornatus esse debet, juxta illud: [f] *Si sequaris justitiam, apprehendes poderem honoris.* Hoc est, vestem sacerdotalem justitię, in qua con-

c Apoc. 1. 13.

d Vieg. Con. 4. sect. 1.

e I. 61. 10.

f Eccli. 27. 9.

Digitized by Google

consistit honor, & gloria sacerdotis.

87 Porrò justitia in Scripturis duo significat. Primò, peculiarem illam justitiam, quæ reddit unicuique jus suum. Hac vestietur Parochus, si Deo exhibeat debitum cultum, & pietatem; Prælato obedientiam; inferioribus curam, ac solicitudinem; si infirmis exhibeat consolationem; afflictis compassionem; egentibus misericordiam; si piis præstet auxilium; peccantibus correctionem; obstinatis severitatem; omnibus charitatem. Hac veste carent illi, qui, despecto justo paupere, injustos divites honorant, hunc alloquio vix dignantur; qui in infirmitate non visitant eos, à quibus nihil expectant; qui non considerant omnes animas esse æquales apud Deum, æquali pretio à Christo emptas, æqualiter ad æternam hæreditatem ordinatas.

88 Secundò, significat justitia interiorem gratiam, qua justificamur, ac sanctificamur, de qua in præsenti sermo est. Hac sit vestitus Parochus, qui in medio septem candelabrorum aureorum agit, sicut ille similis filio hominis, quem Joannes vidit vestitum podere, hoc est, in medio septem sacramentorum Ecclesiæ, quorum ministerium obire debet. Hac veste maximè eget, cùm ad altare accedit. g *Quis enim habitabit in tabernaculo Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus?* nisi qui operatur justitiam, qui est innocens manibus, & mundo corde. In cujus rei typum erat in templo Salomonis h vas æneum, quod mare dicebatur, in quo se abluebant sacerdotes; erant & specula, in quibus faciem inspiciebant, ne qua foret macula. Quisquis ergo cum peccati mortalis macula ad altare accedit, novo se crimine inficit, novo se sacrilegii scelere obstringit, quia quantùm est in se sancta contaminat, & polluit sacramenta.

g Ps. 14. 1.

h 2. Paral. 4.

89 Idcircò clamat Propheta: i *Ad vos ò sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dicitis, in quo despicimus nomen tuum? offertis super altare meum panem pollutum.* Ad vos ò Parochi ministri novi testamenti vox illa dirigitur; quia licèt panem pollutum offerre non possitis, quia nulla offerentis malitia vivificus Christi panis contaminatur, tamen quantùm in vobis est, illum polluitis manibus vestris immundis, hoc est, operibus sordidis, & corde immundo ad sacrum Christi altare accedentes: considerate, quæso, quàm purum debeat esse cor, ad quod toties ingreditur Author puritatis; quàm mundæ manus, quæ Christi corpus tractant; quàm in nocuum os, quod Dominum majestatis consecrat, & è cœlo trahit; quàm immaculata lingua, quæ tremendo rubescit sanguine. Quoties ergo acceditis, videte, an vestiti sitis podere sanctitatis, & gratiæ.

i Malac. 1. 6.

90 Væ miseris illis, qui ministerium adeò sacrosanctum sortiti sunt, si vera justitia non fulgeant, si justitiæ eorum fuerint velut pannus menstruatæ sordibus infectæ, quod contingit dum conscientiæ sunt variis peccatis fœdatæ. Timeant illud Prophetæ: l *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* Vestis ergo boni Parochi sit sine macula, sit talaris instar poderis, sit usque ad pedes extensa, hoc est, usque ad finem vitæ perseverans, m *ut serviat coram ipso in sanctitate, & justitia omnibus diebus vitæ suæ.* Et erit tamquam vestis Jacob, n ex qua odor, & fragantia procedebat, propter quam à Patre æternam benedictionem mereatur.

l Isai 9. 5.

m Luc. 1. 75.

n Gen. 27. 27.

CAPUT UNDECIMUM.

Parochus habeat amorem Dei.

EX quatuor præsertim titulis totum amorem Deo debet Parochus. Primus est, quia à Deo creatus ad ejus imaginem, & similitudinem, ad finem supernaturalem elevatus, ab ipsoque proprio sanguine redemptus. Qui tituli satis ostendunt totum se hominem Deo deberi. Unde meritò Bern. a *Totum, quod es, illi debes, à quo totum habes, illi præcipuè Domino, qui & te fecit, & benè fecit tibi.* 91

a De quatuor debitis.

92 Secundus, quia est Christianus. Cùm enim sacro fonte baptismatis in Christo renati sumus, abrenuntiavimus diabolo, mundo, & pompis ejus, & totos nos Deo & Christo, cujus ibi sanguine abluti sumus, consecravimus; ita ut ratione Christianæ professionis, quam fecimus, cùm primum fructum redemptionis participavimus; tota vita nostra, omnesque ejus actiones Deo consecratæ sint, atque debitæ.

93 Tertius, est sacerdotii à Christo instituti, ut homo modo peculiari Deo esset consecratus, & sacer. Præcepit Deus olim Moysi, ut statueret levitas in conspectu Aaron, & filiorum ejus. b *Et consecrabis oblatos Domino, & separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei.* Volebat

b Num. 8. 13.

Digitized by Google

bat Dominus, ut homines ejus servitio, & ministerio addicti toti essent ejusdem Dei, & ut tales à reliqua turba sejungerentur. Quod à fortiori vult de sacerdotibus legis Euangelicæ, qui ad divinum ministerium consecrantur, ut tractent corpus Christi verum. Cur ergo non se totum debet Christo ille, cui se totum Christus tradit consecrandum, manducandum, ac distribuendum fidelibus? Certè si vera est illa regula juris: [c] *Semel Deo dicatum, non est ad usus humanos ulterius transferendum.* Nihil debet esse in sacerdote Deo tam solemniter consecrato, quod Dei non sit, quod in ejus gloriam non redundet. Quidquid cogitat, quidquid loquitur, quidquid operatur, divinum esse debet, ut satisfaciat obligationi suæ consecrationis, per quam Deo traditus, sui jam juris non est, ut benè Chrysost. [d] *Nihil in te penitus tui juris est, qui tanto imperatori militare cœpisti.*

c Reg. 51 de reg. juris in 6.

d Epist. ad Theo.

94 Quartus, provenit ex cura animarum, quam Parochus suscepit, Christoque qui est Parens fidelium, conjungitur tamquam spiritualis mater ad spiritualem sobolem concipiendam, parturiendam, fovendam, lactandam, & educandam. Matrem enim se dicebat Apostolus: [e] *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Hieron. [f] *Felix sanè partus, in quo peperimus non carnis liberos, sed spiritus, ut ab Isaia dictum est. A facie tua Domine concepimus, & quasi parturivimus spiritum.* Tunc concipit Parochus ex Deo, & filios procreat, cùm ex morte peccati edit in lucem gratię, & ad regenerationem cooperatur.

e Gal. 4. 19.

f Isai. 26. 18.

95 Quare sicut in vulgaribus conjugiis mulier nō habet potestatem sui corporis, sed vir ejus; ita animarum Rector totam corporis sui, & animæ potestatem transfert in Christum, cui conjungitur ad spiritualem sobolem procreandam. Chrys. [g] *Si mulier corporis proprii potestatem non habet, sed vir; multò magis ii, qui Christo potiùs, quàm sibi vivunt, conditionem sui corporis habere non possunt.* Igitur sicut quidquid est in matre, pro viri sui voluntate in filiorum commodum totum impendendum est; ita quidquid est Parocho pro Christi voluntate in animarum utilitatem exhibendum est. Multò enim magis, quàm mulier viro, Parochus corpus, animam, vitam, operas, studia, vigilias, & labores Christo, cujus patrimonio sustentatur, tradidit. Nihil ergo est in eo, quod non sit Deo dicatum, & multis titulis debitum, qui omnes provocant ad Dei, & Christi amorem, sine quo curam suam, ut par est, exercere non poterit.

g ubi supra.

96 Certè Christus Dominus, antequam Petrum suarum ovium Pastorem instituueret, examinavit de amore: [h] *Simon Ioannis diligis me plus his?* Ubi duo notanda sunt. Primum non illum examinasse de amore erga oves: non enim dixit: Diligis oves meas? cùm tamen hoc potiùs examen videretur præmittendum; ut quas diligeret, amore educaret, illisque obsequio, & officio præstò esset. Sed dixit: *Diligis me plus his?* ut significaret non posse rectè præfici curæ animarum, qui Deum, & Christum non diligeret; non posse animabus debita cum cura invigilare, qui Dominum gregis non amaret. Quasi omnis diligentia, & solicitudo Pastoris erga oves ex amore erga Dominum ipsarum provenire deberet, & ita sanè est. Cùm enim salus ovium in Dei gloriam redundet; quomodo curabit de salute ovium, qui Dominum, ejusque gloriam non amat? Cùm amor ovium sit amor proximi, qui nascitur ex amore Dei, propter quem proximus amari debet. De amore ergo Dei debuit Pastor examinari, non de amore ovium: quia si Pastor Dominum amaret, non poterat non amare ejus oves: si autem oves amaret, non amando earum Dominum; non esset amor Pastoris, sed mercenarii, qui propriam utilitatem in ovibus amaret, non autem bonum ipsarum, quod tunc amatur, quando ipsæ propter Deum diliguntur, earumque salus in Dei gloriam intenditur, & procuratur.

h Io. 21.

97 Secundum. Notandum est Petrum non fuisse simpliciter examinatum de amore, sed de excessu amoris præ aliis: *Diligis me plus his?* Ut ostenderetur Pastorem debere in amore Dei excellere, ac reliquos superare. Unde Bern. curæ animarum illum credit indignum, qui in cella vinaria charitatis non æstuat vino dilectionis, quique priùs non discit amare, quàm pascere. Hæc sunt ejus verba: [i] *Vinariam cellam non aliam sanè sui nominis arbitror ferre rationem, nisi quòd in ea vinum zeli in charitate ferventis reconditur. Nec debet omninò præesse aliis, qui in eam nec dum meruit introduci. Oportet prorsus hoc vino æstuet, qui aliis præsidet, quemadmo-*

i Serm. 23. in Cant.

oogle

dum Doctor gentium æstuabat. Neque enim quis alios in Dei amore accendere potest, qui in tali amore succensus non sit. Cùm autem officium Pastoris sit docere populum Dei amorem, illoque informare; non poterit docere quod nescit, aut communicare quod non habet. Cùm ergo magister debeat excedere in scientia discipulos suos; necessariò debet Pastor excedere in amore Dei illos, quos in eodem instituere debet. Et ideò dixit Christus: *Simon Ioannis diligis me plus his?*

98 Hinc manifestum fit animarum Pastorem sine Dei charitate non solùm indignum esse muneris pastoralis, sed etiam nullam aliam virtutem sibi magis esse necessariam, sine qua omnis ejus labor, & industria inanis erit dicente Apostolo: [l] *Si charitatem non habuero, nihil sum, nihil mihi prodest.* Non solùm ad propriam salutem, sed neque ad alienam procurandam. Quia nemo potest efficaciter incitare ad id, quod nec amat, nec efficaciter vult. Hæc charitas perficit non solùm voluntatem Pastoris, sed suo etiam modo intellectum; quia quò magis quis per amorem ad Deum accedit, eò magis ejus mēs illuminatur. Constat enim sanctos viros Deum diligendo, plusquam legendo, & studendo didicisse. Et experimento compertum est ecclesiæ magis profuisse minus doctam aliquorum sacerdotum charitatem, quàm eminentem sine charitate scientiam.

l 1. Cor. 13. 2.

99 Hoc ergo amore succensus Parochus officium suum rectè administrabit. Nam hic amor ad perferendos labores pro Dei obsequio vires præbet, difficultates superat, dulces reddit molestias, tribulationes pro Dei gloria jucundas facit, & suave quidquid amarum occurrit in salute animarum procuranda. Habeat igitur semper in fronte mentis suæ auream illam laminam, quam portabat antiquus [n] sacerdos, in qua erat insculptum sanctissimum Dei nomen, laminam, inquam, divini honoris, hoc est, Dei honorem, & gloriam solùm habeat ante oculos, in illamque se totum, & totam curam suam, & actiones dirigat, ac Deo solùm placere studeat. Ita enim erit: [o] *Fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suā.* Quia ut benè dixit D. Thom. [p] *Infideles dispensatores sunt, qui in dispensandis divinis mysteriis non intendunt utilitatem populi, & honorem Christi; fideles autem, qui in omnibus intendunt honorem Dei, & utilitatem membrorum ejus.*

n Exod. 28. 36.
o Matth. 24. 45.
p in cap. 4. 1. ad Tim.

CAPUT XII.

Parochus caveat peccata, maximè mortalia.

Non potest Parochus debita cum diligentia invigilare in cavendis 100
peccatis populi sui, si diligentissimus non sit in propriis fugiendis. Qua fronte enim emendabit in aliis, quod in se ipso non emendat? quomodo reprehendet in suis, quod in se fovet? unde optimè Naz. [a] *Officium sacerdotis circa hunc duplicem cardinem versatur. Primò in anima sua purgari debet, deinde purgare alios; sibi sapere, & alios sapientiores efficere; lumen esse & cæteros illustrare; ad Deum accedere, & alios eodem invitare; denique sanctus esse sibi, & alios ad veram sanctitatem pertrahere.* Implicat enim, vel saltem est moraliter impossibile, ut qui in sordibus est per peccata, alios à peccatorum sordibus purget; alios sapientes efficiat, qui sibi ignorans, & nescius est; alios illuminet in via Dei, qui est in peccatorum tenebris obnubilatus; alios ad Dei consortium, & amicitiam efficaciter invitet, qui à Deo per peccata recedit; ad veram sanctitatem alios pertrahat, qui sanctitatem per peccata perdit, & parvi ducit.

a in Apologet.

101 Estque hîc ordo charitatis, de qua cap. præced. quia charitas ordinata esse debet, dicente Sponsa: [b] *Ordinavit in me charitatem.* Quę si ordinata non sit, charitas non erit: ordo autem illius est, ut Deum priùs diligamus; deinde sanctè diligamus nos ipsos ea dilectione, qua bona spiritualia ad salutem conducentia procuramus, inter quæ est peccatorum fuga. Eamdem tandem charitatem proximis impendamus. D. [c] Antoninus: *Dum præcipit Deus, ut diligamus proximum nostrum, sicut nos ipsos; priùs salutem nostram, quàm aliorum procurandam esse hoc ipso indicat, quia dilectionem hominis ad se ipsum proponit tamquam exemplar dilectionis ad alterum; priùs autem est exemplar exemplato, & magis qui ex charitate debet se ipsum diligere secundùm animam, quàm proximum, quia charitas fundatur præcipuè in participatione bonorum spiritualium.* Quod magis fit manifestum, quia nemo pro salute proximi tenetur, aut potest aliquod peccatum facere, quod propriæ saluti contrarietur. Unde Aug. [d] *Faciat homo quidquid potest etiam pro temporali salute hominum, licitè tamen: cùm autem ad hoc venerit, ut saluti aliorum, nisi peccando consule-*

b Cant. 2. 4.
c 4. p. tit. 11. cap. 3.
d Aug. contra mendac. 17.

Digitized by Google

re potest, jam tunc existimet non esse legem charitatis, quia nemo est germanior sibi, quàm ipsemet.

102 Debet igitur Parochus diligentissimè cavere omnem culpam saltem mortalem. Quę obligatio, licèt sit communis omni Christiano; in Parocho strictior est; tum quia hoc ipsum vendicat amor, qui in illo esse debet erga Dominum suum, ut dictum est cap. præced. quia peccatum mortale destructivum est charitatis, & amoris. Nam [e] *qui diligit me, sermones meos servabit*. Qui verò sermones, sive mandata Dei saltem gravia non observat, [f] *non diligit opere, & veritate*, ut Joan. docet Deum esse diligendum. Tum quia sacra mysteria, in qua Parochus continuò occupatur, munditiem à peccato mortali saltem postulat. Cùm enim frequenter offerat sacrosanctum Missæ sacrificium, administret baptismum, pœnitentiam, Eucharistiam, extremam unctionem, quorum est ordinarius minister, si in peccato ministret, multorum quotidie sacrilegiorum reus erit, & unde debuerat mereri augmentum vitæ, damnationem comparabit non qualemcumque, sed maximam, propter continuam peccatorum concatenationem, quibus se innodari liberè sinit ex sacramentorum administratione in statu peccati. Quotiescumque enim aliquod sacramentum administrat in peccato, novum peccatum committit.

e Ioan. 14. 23.

f 1. Ioa. 3. 18.

103 Caveat igitur, si suę salutis non est omninò immemor, ne aliquando cum conscientia peccati vel Missam celebret, vel sacramentum aliquod ministret, sed curet animam suam à peccato mortali liberam habere, & pulcherrimam gratiæ vestem, de qua cap. 10. immaculatam perpetuò conservare. Et si aliquando ex humana fragilitate labi contingat, recurrat statim ad lamenta pœnitentiæ, lavetque se Christi sanguine in sacramento confessionis, & ne sinat se in sorde peccati permanere, propter certam novarum sordium ingluviem, quibus est expositus ratione officii, si in peccato permaneat.

104 Faxit Deus quòd non solùm Parochi, sed quilibet aliisacerdotes seriò attendant ad hanc status sui obligationem, ne miserabiliter pereant, ubi in æternam vitam proficere debuissent. Quod respiciens Chrys. dixit, quod ex ipso retulimus cap. 4. [g] *Non temerè dico, sed ut affectus sum, ac sentio, non arbitror inter sacerdotes multos esse, qui salvi fiant, sed plures, qui pereant*. Quia nimirum sanctitatem statui suo debitam non curant, unde in nova pręcipitia quotidie labuntur, quæ ad perditionem impellunt.

g Hom. 13. in Act.

CAPUT XIII.

Parochus cavere etiam debet peccata venialia.

Debet bonus Parochus diligenter, quantum humana fragilitas patitur, culpas etiam veniales, ac leves fugere. Nam sicut corporis pulchritudo nævo aliquo infecta, perfecta non judicatur, nec oculos ad se trahit, ita spiritualis pulchritudo sacerdotis beneficos Dei oculos non ita rapit, nisi, quantum per divinam gratiam potest, à minoribus etiam culpis se custodiat. Hoc sibi vendicat amoris perfectio, cui Parochus studere debet, ut perfectus sit in munere suo. Est enim Dei amor lux quædam purissima, quæ peccatorum etiam levium umbras refugit. Nam qui perfectè diligit, nec in minimis offendit eum, quem super omnia perfectissimo modo amat. 105

106 Quamvis autem sine speciali privilegio nemo in hac vita omnia venialia fugiat, curandum tamen ne eorum multitudine, ac duratione Parochus gravetur. Primò, quia licèt Dei amicitiam, & charitatem non solvant, & serenitatem mentis conturbant. Unde dixit Amb. [a] *Neque peccata contemnenda sunt, quia parva, quia si Deum spectemus, nulla offensa, quæ in Deum committitur, levis reputari debet*. Et hinc est, quòd Dei amici gravibus, & diuturnis pœnis minimos quosque defectus in se ipsis castigent. Quò enim quis magis ad Deum accedit, magis perhorrescit ea, quæ animam perturbare possunt, & divinam suavitatem minuere, quam sanè minuunt peccata venialia, dicente Aug. [b] *venialibus à peccatis licèt occidi animam non credamus, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentia deformem faciunt, ut eam ad complexus illius sponsi cœlestis aut vix, aut cum grandi confusione accedere permittant*. Et quamvis animam lethali vulnere non afficiant, efficiunt tamen maculosam & veluti scabie quadam infectam, unde est quòd multi sint in oratione frigidi, in Missa celebranda, & in aliis Sacramentis tractandis nulla irrorentur interna dul-

a Epist. 25.

b Aug. ser. 4. de funeis.

Digitized by Google

cedine, quia negligunt culpas veniales, quę tamquam cinis vivis prunis aspersus splendorem, & ardorem charitatis impediunt. In quo sensu loquitur Aug. non autem de totali separatione, quæ sola fit per peccatum mortale.

c Eccl. 19. 1.
d Luc. 16. 10.

107 Secundò, quia, ut ait Eccles. [c] *Qui modica spernit, paulatim decidet.* Et Christus Dominus: [d] *Qui in modico iniquus est, in majori iniquus est*. Et sensus est: Qui peccata levia spernit, non curando ea cavere, paulatim frigescit in charitate, ita ut facilè in mortalia dilabatur. Nam qui Deum leviter offendere non dubitat, justamDei indignationem excitat: ut illum in peccata gravia ruere permittat, unde est communis sententia Theologorum cum D. Thom. [e] peccata venialia disponere ad mortalia, quam doctrinā ut certissimam passim inculcant sancti Patres.

e 1.2.q.88. a. 3.
f Hom. 81. in Matth.
g in Ps. 108.
h Ad Celant.

108 Chrys. docet [f] neminem derepentè ad summam improbitatem insilire, sed ex parvis magna fieri ex nostra negligentia, & ex tentantis calliditate, & astutia, quia ex talibus rebus modum adinvenit nostri interitus, & exitii. Aug. [g] *Quid interest ad naufragium utrùm gravi fluctu navis operiatur, an paulatim subrepens aqua per inscitiam, & negligentiam derelicta, atque contempta impleat navim, atque submergat?* Hieron. [h] *Nos & si inter peccata multùm distare credimus, tamen satis ad cautionem prodesse dicimus etiam minima pro maximis cavere. Tantò enim faciliùs abstinemus à quocumque delicto, quantò magis illud metuimus: nec citò ad majora progreditur, qui etiam parva formidat.* Unde Chrysost. [i] *Audeo dicere non tanto studio majora, gravioraque peccata, quàm parva esse vitanda: majora enim ut aversemur, ipsa per se sufficiunt; minora verò, dum contemnuntur, obruunt nos*. Qui igitur peccata mortalia, ut par est, fugere cupit, de venialibus fugiendis sit solicitus.

i Hom. 12. ad Rom.
l orat. 31.
m lib. 21. de sum. bono. c. 11.
n lib. 10. Epist. 81.

109 Tertiò; quia dignitas Pastoris postulat à levibus culpis abhorrere. Nam, ut optimè Naz. [l] *Quò splendidior est vestis, eò manifestiores in ea sordes apparent.* D. Isid. [m] *Peccata, quæ incipientibus levia sunt, perfectis viris gravia reputantur. Et tantò majus cognoscitur esse peccatum, quantò major, qui peccat, habetur*. Unde benè Amb. [n] *Non mediocris virtus sacerdotalis est, cui cavendum non solùm, ut gravibus vitiis sit affinis, sed ne minimis quidem*. Cùm enim sacerdos, maximè Parochus sit speculum, ad cujus intuitum populus mores suos componere debeat, debet esse speculum sine macula, & sine pulvere venialium, ut exemplo suo doceat similes defectus cavere.

110 Ut autem conscientiæ suæ puritatem, & animæ nitorem bonus animarum Pastor conservet, ac tueatur, præter alia remedia, de q ibus posteà, hoc unum prę sentissimum est, accurata nempè circumspectio super cogitationes, & actiones suas, quia cùm causa venialium sit humana infirmitas, imbecillitas mentis, & indefessum dæmonis studium tentantis, posita hac circumspectione, mediante Dei gratia, & supposita intentione placendi Deo in omnibus, carnis infirmitas roborabitur, mens ad resistendum excitabitur, & tentantis ars subtiliter illudetur.

111 Curet prętereà, antequam ad lectum eat, conscientiam suam examinare de actionibus, verbis, & cogitationibus illius diei, ut solent facere viri pii, & timorati, etiam sæculares, doleatque de iis, in quibus cognovit offendisse, & proponat in sequentibus à similibus abstinere; quia quamvis ea levia fuerint, sunt tamen Dei offensæ, quæ ei displicent; & ab ipso prohibentur, quod satis est ut pœnitentia, & lacrymis abstergat. Nam, ut dixit Hieron. [o] *Prudentissimus est, qui non tam considerat quid ipsum sit, quàm illum, qui jusserit, nec gravitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem*.

o Epist. ad Celant.

CAPUT XIV.

Parochus orationi vacare debet.

Constans est Patrum, ac sanctorum doctrina neminem posse benè vivere sine oratione. Chrysost. [a] *Arbitror cunctis esse manifestum, quòd semper impossibile sit absque orationis præsidio cum utilitate vitam degere, & vita hujus peragere cursum. Etenim qui fiat, ut quis virtutem exerceat, nisi continenter adeat, & supplex ad genua accedat Dei, qui virtutem omnem suppeditat, & largitur hominibus?* Et alibi. [b] *Cùm video non amantem orandi studium, nec hujus rei fervida, vehementique cura teneri; mihi continuò palam est, eum nihil egregia dotis in animo possidere*. Rursus: *Ubi quem conspexero insatiabiliter adhærentem divino cultui, idque in summis damnis numerantem, si non continenter oraverit, conjecto talem omnis virtutis esse possessorem, ac Dei amicum*. Aug. [c] *hac utitur omnis ætas,*

112
a lib. 1. de orand.
b ubi proximè.
c serm. de jejun. & orat.

Digitized by Google

ætas, & sexus; hæc conditio omnis, & dignitas; hæc in Ecclesia universis gradibus necessaria est; hæc catechumenis spiritum, fidelibus præsidium, pœnitentibus solatium præstat; hæc justos continet, sublevat peccatores; per hanc etiam qui stant, non cadunt, & qui allisi sunt, eriguntur. S. Ephrem. [d] *Oratio temperantiæ est custodia, iracundiæ frenum, animi elati suppressio, & ad modestiam revocatio, odii ob acceptas injurias medicina, invidiæ destructio, impietatis correctio.* Amb. [e] *Væ tibi sacerdos, si omissa paulatim oratione, ac proinde cognitione tui, & officii, ac oneris tibi impositi incipias sine sanctis, & rationalibus scrupulis vivere, cùm oporteat illis in dies pungi, & corrodi, & lumen semper à Deo petere.* Bern. [f] *Orando bibitur vinum lætificans cor, vinum spiritus, quod inebriat; & carnalium voluptatum infundit oblivionem.* Et alibi: [g] *Timeo tibi ne multitudo negotiorum continua intermissa oratione, & consideratione te ad durum perducat, quod devotione non incalescit, compassione non mollescit, compunctione non scinditur, & se ipsum non exhorrens, quia nec se sentit.* Longus essem, si referrem quæ alii Patres dicunt in hac materia.

[d de orand. Deum.]
[e lib. 10. Epist. 28.]
[f serm. 18. in Cant.]
[g 1. ad Eugen.]

113 Itaque sine oratione tentationes non vincimus, sed illis succumbimus. Cùm autem vita nostra sit tentatio perpetua, juxta illud: [h] *Militia est vita hominis super terram*, consequens est, ut frequenter in peccata miserè prolabamur. Unde Eccles. [i] *Non impediaris orare semper.* Ut semper resistere valeas. Et Christus. [l] *Oportet semper orare, & non deficere.* Quia si tentationes non desunt, non desit remedium ad illas superandas. Ideò idem Dominus, [m] *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem*, id est, ne succumbatis, quia sine orationis præsidio certa est ruina. Et Apostol. [n] *Sine intermissione orate.* Quia, sicut pugna est continua, sit etiam oratio ad repellenda hostium jacula. S. Ephrem. [o] *Pro arcu ad orationem manus extende, oratio namque est illa turris David, ex qua pendent mille clypei, omnis armatura fortium.* D. Greg. [p] *In hac turri armaturam nostræ mentis invenimus, ut inde præcepta, inde sumamus exempla, per quæ, contra adversarios nostros inexpugnabiliter armemur.*

[h Iob 7.1.]
[i Eccl. 18. 22.]
[l Luc. 18. 1.]
[m Matth. 26. 41.]
[n 1. Thess. 5. 17.]
[o ubi supra.]
[p Hom. 25. lib. 2. in Ezech.]

114 Sine oratione nec comparantur, nec conservantur virtutes. Ideò comparatur paradisi fonti, de quo Scriptura: [q] *Fons ascendebat de terra irrigans universam superficiem terræ.* Quo tota fecundabatur. Nos sufficientiam non habemus ad fecundandas animas nostras virtutibus, quibus feraces reddantur sanctarum operationum, quia [r] *Sufficientia nostra ex Deo est*, ut ait Apostol. Fons ergo orationis, quæ juxta August. est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia, supplet nostrum defectum. Illa est aquæductus, qui ex terra ascendit in cœlum, aquasque divinæ gratiæ salientes in vitam æternam ad nos trahit, quibus terra nostra irrigatur, & fecundatur. Unde David: [s] *Qui in lege Domini meditatur die, ac nocte, erit tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo, & folium ejus non defluet.* Ac si per sanctam meditationem, & orationem habeat perennes decursus cœlestium imbrium, quos è cœlo trahit. Quare sicut arbor plantata juxta aquarum fluenta excedit in proceritate, amœnitate frondium, veriditate foliorum, & abundantia fructuum, arbori sitæ in terra arida; ita excedit anima orationi, ac sanctæ meditationi dedita illas, quæ non consueverunt meditari, & orare. Et ideò David: [t] *Beatus vir, cujus est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit. Etenim benedictiones dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.*

[q Gen. 2. 8.]
[r 2. Cor. 3. 5.]
[s Ps. 1. 3.]
[t Ps. 83. 6.]

115 Ex quibus constat orationem mentalem, & meditationem rerum cœlestium, non esse solùm propriam Religiosorum, sed omnibus fidelibus communem, & valdè necessariam, maximè verò Parocho nostro ad proprias tentationes vincendas, salutemque propriam inquirendam, ad perseverandum in gratia, & peccata cavenda, ad augendas virtutes, sine quibus nec salvabitur, nec officio suo satisfaciet. Nam sicut corpus, subtracto cibo, iners redditur, & languidum ad omnem operationem; ita qui aliis curandis præpositus est, nisi cœlesti orationis pabulo continuò reficiatur, & roboretur, necesse est ut langueat, & deficiat in suis ministeriis obeundis.

116 D. Greg. [u] *Sit Rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, ut & per pietatis viscera in se infirmitates cæterorum transferat, & per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat; ne aut alta petens proximorum infirma despiciat, aut infirmis congruens appetere altiora derelinquat.* Ubi licèt actionem, & meditationem ita connectat, ut utramque si-

[u 3. p. Past. c. 5.]

mul requirat in Rectore animarum, actionem tamen orationi, & meditationi subordinat, à qua omne lumen menti ad deliberandum, & omnis ardor, & efficacia voluntati ad exercenda opera Pastoris dimanat. Quod alibi magis declarat dicens: *Qui externis rebus occupantur, tunc benè exteriora disponunt, cùm sollicitè ad interiora recurrentes ad alta rapiuntur.*

5. Mor.

117 Item docet Bern. [x] *Boni Pastores dormientibus subditis pervigilant tamquam rationem reddituri pro animabus eorum; pernoctant in oratione, hostium vigilias sagaciter explorans, anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos, cor suum tradunt ad vigilandum diluculò ad Dominum, qui fecit illos.* Bon. [z] *Sexta & ultima ala, sine qua reliqua perfici non valent, maximè est necessaria, ut Rector animarum sit devotus ad Deum, per quem zelus justitiæ accenditur, pietas compassionis infunditur, patientia roboratur, exemplum bonum conditur, discretio clarificatur. Hæc est unctio docens de omnibus, quæ expediunt saluti.* Extat quoque clarissimum Christi Salvatoris exemplum, qui die prædicabat, miracula edebat, nocte verò pernoctabat in oratione. *Ut perfectis Rectoribus innueret, quatenus nec activam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitùs operationis nimietate contemnant, sed quiete contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.* Ita Greg. [a] Eamdem viam sectati sunt Apostoli primi Ecclesiæ Rectores, & aliorum omnium Magistri, dicentes: [b] *Nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus.* Orationi primùm, deinde prædicationi, & doctrinæ populorum. Quasi sine oratione prædicatio, & labor circa proximos inutilis foret. Quare Parochus noster sine oratione muneri suo non satisfaciet, nec fructum de labore suo reportabit.

x Ser. 79. in Cant.

z de sex alis.

a 5. Mor. c. 23.

b Act. 6. 4.

118 Et quidem, cùm maximè sint difficultates in cura animarum, hæ superari non possunt sine spiritu orationis, quia si tanta est obscuritas in regendis nobis ipsis, quæ tenebræ erunt in regendis aliis, quorum consilia, & voluntates ignorat Pastor? Unde si tantis tenebris non accedat lumen orationis, nec discernere quod justum sit; nec quod sit utile animabus, exequi poterit; quod hac similitudine declarat Bon. [c] *Sicut nauta prævidens tempestatem, festinat sæpius ingredi portum securum; ita Rector ad orationis portum continuò confugiat, ubi omnes periculorum collisiones evadat, & in omnibus agendi semper plus orationi fidat, quàm propriæ industriæ, & labori.* Unde scriptum est: [d] *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solùm habemus residui, ut ad te oculos nostros dirigamus.* Videlicet in oratione.

c supra c. 8.

d 2. Paral. 20. 12.

CAPUT XV.

Frequens, ac fructuosa Missæ celebratio Parocho necessaria.

EX omnibus mediis, quibus Parochus perfici potest, ut in Dei servitio perseveret, & fructuosè operetur in sua Parœcia; nullum majus, quàm Missæ sacrificium, si dignè, ac sanctè peragatur; habet enim corpus Christi, quod in eo offertur, & sumitur, virtutem, ut sacerdos vivat vitam spiritualem, vitam divinam, & vitam Christi, juxta illud: [a] *Ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, ipse vivet propter me.* Quibus verbis Christus docet sicut ipse Deus, & homo vivit vitam Patris, quam sibi cum divinitate communicavit; ita, qui Christum recipit in divino Sacramento; victurum vitam Christi Dei. Quia sicut divinitas Patris propter identitatem, quam habet cum Christo, qua Deus est, causa est ut Christus, qua Deus, vivat vitam Patris; & propter unionem cum Christo, qua homo est, vivat quamdam vitam divinam; ita etiam per unionem Christi cum homine, mediante Sacramento, homo vivit vitam Dei, & Christi, ut exponunt sancti Patres. 119

a Joa. 6. 58.

120 D. Dionys. appellat hoc Sacramentum: [b] *Spiritualem incisionem.* Quia sicut arbori silvestri, ut naturam exuat, & fiat fructifera, surculus extraneus inseritur; qui germinet in novas frondes, flores, & fructus omninò dissimiles prioribus, fiatque nova arbor à prima diversa. Ita, qui vult mutari in alium hominem, & vivere vitam spiritualem, sanctam, ac divinam, inserat sibi sacram Hostiam, & virtute divini surculi vivet vitam cœlestem, ac deificam, ita ut jam alius dici possit, & quidquid in ipso est, redoleat divinitatem surculi sibi incisi, qui hominem in se mutavit.

b de Cœlest Hier. 2. ch. c. 3.

121 Quam mutationem expertus est in se Paulus, postquam Christum induit. Ita enim Christus insertus fuit Paulo, ut jam non videretur vivere vitam hominis, sed vitam Dei, & Christi, Christus vivebat in Paulo, non autem antiquus Saulus: [c] *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Sicut arbor, cui surculus inseri-

c Galat. 2. 20.

seritur, non vivit, germinat, floret, aut fructificat, sed surculus insertus, in cujus naturam arbor mutata est. Ita se res habet in viro justo maximè sacerdote, qui debita cum præparatione sacram sibi inserit Hostiam, ut se habebat in Paulo. Vivebat quidem. *Vivo ego*. Sed non vivebat prior Saulus. *Iam non ego*. Christus vivebat in Paulo. *Vivit verò in me Christus*. Ac si diceret teste Theodor. [d] *Priorem vitam deposui, in aliam vitam transii, à Christo sumitur mea vitæ institutio, aliam vitam non habeo*. Et ut percipiatur qualis fuerit mutatio mea, jam non sum Saulus, sum Paulus servus, & Apostolus Jesu Christi, nec nomen antiquum retineo, sicut rubus silvestris inserto piri surculo non dicitur rubus, sed pirus. Nomen etiam mutationem indicit; sciant omnes vitam Pauli esse vitam Dei, & Christi. Addit Dionys. [e] *Verus ad sacra percipienda accessus id accedentibus tribuit, ut ex communione divina ad Dei similitudinem, atque consortium transeant*.

d Theod. ad citatum locũ Pauli.

e Dionys. supra.

122 De Melchisedech sacerdote, qui [f] Deo offerebat sacrificium panis, & vini figuram nostri sacrificii, ait Apost. [g] *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei*. Ac si figura illa jam tunc communicasset vitam divinam, per quam Filio Dei simillimus redderetur. Mend. [h] *Quasi ab illo sacrificio vitam hauserit non solum æternam, quæ principium, & finem vivendi excluserit, sed etiam divinam, quæ proximam cum Deo similitudinem expresserit*. Ut intelligamus idem nunc contingere sacerdoti, qui verum Christi sacrificium offert, & in se recipit oblatam, in eo Hostiam, juxta illud: *In me manet, & ego in eo*. Id est, In me convertitur, & ego in illum. Quod intellige, ut declaratum est ab Aug. [i] *Non tu me in te mutabis, sed tu mutaberis in me*. Sicut rubus non convertit in suam naturam surculum incisum; sed illa convertitur in naturam surculi.

f Gen. 14. 18.

g Heb. 7. 3.

h Mendonca.

i 7 Confess. 10.

123 Nec mirum, quia Christus, ut ait Cyril. Alex. [l] *Carnem suam vivificantem effecit, volens ut esset vita animarum, sicut animæ sunt vita corporum*. Quare sicut corpus informatum anima leonis, vivit vitam leonis, informatum anima hominis, vivit vitam hominis; ita anima informata corpore Christi, vivit vitam Christi. *Qui manducat me, ipse vivit propter me*. Hoc est qui me dignè recipit, vivit vitam meam; ego sum ejus vita, quia habet in se Corpus meum vivum, a quo vivificatur. Barrad. [m] *Sicut corpus vivit propter animam, sic anima vivit propter Christum; vitam ergo animæ Christus efficit; propter Christum illa vivit; qualis anima, talis vita; Christus Deus vitam efficit Christianam, & divinam*. Nyss. [n] *Propterea nobis se ipsum comedendum proponit, ut cùm ipsum in nobis ipsis acceperimus, illud fiamus, quod ille est*. Et Hilar. expendens illud: *Et verbum caro factum est: Ait, Verbum Deus caro factum est, ut per Deum verbum carnem factum, caro proficeret in Deum verbum, & ne nostri corporis caro esset, habitavit in nobis, ut dum habitat, non aliud, quàm Deus maneret*. Sicut quando surculus arbori dominantur, nihil aliud remanet, quàm natura arboris, ex qua surculus decisus est.

l in Ioan.

m in illũ locum a.

n Hom. 8. in eccl.

124 Ex quibus Parochus inferat nullum hoc sacrificio esse medium efficacius ad perseverandum in Dei servitio, augendam gratiam, ac peccata vitanda, ut decet officium ejus. Si verò objiciat se per multos annos singulis ferè diebus celebrasse, & parum, aut nihil esse mutatum, nec experiri in se actiones sanctas, & cogitationes divinas, sed terrenas, & carnales, posseque dicere cum Propheta: [p] *Seminavit multùm, & intulit parùm; comedi, & non sum satiatus; bibi, & non sum inebriatus*. Doleo, mi Parochie. Causam tamen reddit Deus per Prophetam: *Quia domus mea deserta est*. Id est, quia animam tuam, quæ domus Dei est, non curasti ritè disponere. Propterea super te prohibiti sunt cœli, ne darent rorem, & terra, ne daret germen suum. Ideò infirmus es, & imbecillis, quia teste [q] Paulo, sine dispositione accedis.

p Aggæus 1. 6.

q 1. Cor. 11. 30.

125 Ut autem persistam in metaphora surculi, adverte 1. ut ille arborem, cui inseritur, in se convertat, opus esse arborem viridem, ac vivam esse; quia si sit arida, & mortua, non solùm non convertetur in naturam surculi; sed surculus perdet vivificandi virtutem. Ita qui fuerit tam audax, ut mortuus per peccatum celebret, non convertetur in Christum, nec ejus vitam vivet, sed potiùs quantùm in se est, Christum occidet, sicut mortua arbor vivo surculo vitam adimit. [r] *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*. Non erit anima illa, quæ virtute divini surculi vivat, & fructificet, sed erit quædam velut crux, & arbor mala, cui divinus ille surculus alligatus moriturus, juxta Apostolum [s] *Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*.

r 1 Cor. 11. 27.

s Heb. 6. 6.

zed by Google

t Petrus Dam. l.b. 4 epist. 14 *Dei*. Petrus Dam. [t] *Qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur; crucifigentium Iesum particeps esse convincitur*.

126 Adverte 2. ut arbor convertatur in surculi naturam, vivatque vitam illius, opus esse, ut cædantur rami, & frondes, aliàs surculus incisus ab illis opprimetur, arborque silvestris permanebit; ut antea. Ita sacerdos, qui celebrando vitalem surculum sibi inserit, nisi præciderit ramos, & frondes peccatorum per exactam confessionem, occasiones fugerit, pravisque inclinationibus falcem applicuerit, non poterit vivere ex illo, sed obruetur potiùs, & cui vitam communicaret, mortem affert; & damnationem, ut attulit Judæ. Aug. [u] *Buccella Dominica venenum fuit Iudæ, quam cùm accepit, inimicus in eum intravit, non quia malum erat, quod accepit, sed quia bonum malus malè accepit*. Petrus Dam. [x] *Numquid buccella, quam Iudæ Dominus porrexit, bona non fuit? sed quod erat causa salutis, illi facta est materia condemnationis; nec ideò sacramentum esse desiit, quia execrandus accepit; sed potiùs asserendum est, quia indignè eadem res facta est occasio mortis, quæ bonis procurata est ad remedium salutis*. Chrys. [z] *Sicut cibus corporalis, cùm corpus invenit malis humoribus occupatum, ampliùs lædit, & nocet, nec ullum præstat auxilium; sic spiritualis hic cibus, si aliquem invenit malitia inquinatum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio; tales enim sunt socii Iudæ, in quem post buccellam intravit satanas*.

u Tract. 61. in Ioa.

x Petr. Dam. in libell. Gratiss. c. 6

z Chrys. hom. de prodit. Iudæ

127 Sed absit, ut credatur de sacerdote, nedum de Pastore animarum, quòd sit tam reprobi sensus, ut de mortali culpa conscius præsumat celebrare. Ut tamen fructum uberem accipiat, à venialibus etiam culpis abstineat, quæ licèt effectum absolutè non impediant, minuunt quidem. Bonav. [a] *Licèt non occidant animam, reddunt tamen hominem tepidum, gravem, & obnubilatum, indispositum, & ineptum ad celebrandum*. Quia verò quotidianis defectibus non caremus, eos quotidiana confessio detergat. Et si hoc fieri non possit, saltem de illis doleat, & conteratur, antequam celebret; ad confessionem verò accedat, quoties potuerit, ut gratia sacramentali, & humilitate magis disponatur.

a de præparat. ad missam.

128 Quamvis autem quotidie celebret, nihil minuat de accurata, & diligenti præparatione; nam frequens usus hujus venerabilis sacrificii in pio sacerdote majorem semper reverentiam, & devotionem parit; quia frequentiùs actus charitatis, religionis, ac humilitatis exercet; quę virtutes, quò majora incrementa accipiunt; magis animam disponunt. Unde fit, quòd optima præparatio ad cras dignè celebrandum, sit hodie devotè celebrasse. Non ergo celebret ex quadam consuetudine, sed semper se colligat, & pia aliqua præparatione excitetur. Pertinet autem ad bonam dispositionem bona intentio, ut scilicet magis intendat Dei gloriam, quàm temporale lucrum, quod aliqui magis intendunt, quos deplorat Bonav. [b] *Væ, Væ, Væ Domine Deus, quanti hodie infelices ad sacros ordines accedunt, & divina mysteria accipiunt, non cœlestem panem, sed terrenum quærentes; non spiritum, sed lucrum; non Dei honorem, sed ambitionem; non lucrum animarum, sed quæstum pecuniarum!* Isti verè sunt mercenarii, qui ad altare accedunt tamquam ad communem mensam; unde meliores inde non recedunt.

b ubi sup.

128 Jam verò bonus Parochus non sic accedat, sed cum sancta intentione, & præparatione insinuata, ac cum magna reverentia interiori, & exteriori, quæ consistit in membrorum compositione, modestia, ac gravitate, nec non in sacris cæremoniis attentè, & cum dignitate servandis. Interior multa complectitur, varios nempè virtutum actus, de quibus suprà, & attentionem, ut mentem, & affectum cum verbis, & cum re, quam tractat, conjungat, ut faciunt pii sacerdotes, qui ita versantur in altaris ministerio, ac si passionem Christi, quæ in Missa recolitur, coram se agi viderent.

129 Quia verò inter fructus sacrificii est impetratio, & Parochus non tantùm orat, ut publica persona, nec solùm sacrificium offert pro aliis, sed etiam pro se; debet semper aliqua sibi necessaria petere ex virtute sacrificii tam spiritualia, quàm temporalia; & proprias, ac gregis sui necessitates proponere, ut à Domino subsidium accipiat.

130 Peracto verò sacrificio se ipsum colligat, & gratias agat pro tanto beneficio; acceptumque vitalem cibum foveat, ut ei magis uniatur. Nam statim, aut ferè statim ab altari ad negotia externa transire multùm obest sanctitati, quæ inde hauriri poterat, & scandalum parit circumstantibus, qui eodem modo facient, cùm communicaverint, sicut vident à suo Pastore fieri.

131 Qui

Digitized by Google

131 Qui se gesserit, ut par est, virtutem sacramenti experietur, crescetque de die in diem, & vita ejus erit spiritualis, & divina, ac Christi vitę simillima. Qui verò aliter, exiguum fructum experietur; quia nec satis cogitavit, qui venturus esset ad cor suum; nec posteà ruminat, quòd Christus, & tota Trinitas ingressa fuerit in animam suam; unde virtutem sacramenti non sentit, quod est indicium spiritualis mortis, vel saltem stupiditatis ad mortem disponentis, ut ait Bonav. suprà. Itaque idem sacrificium, quo justi vivunt, mortem affert injustis; quod benè dispositis vires robustissimas tribuit, indispositis tenuissimas confert.

132 Quibus congruit visio Pharaonis, qui [c] putabat se stare super fluvium, de quo ascendebant septem boves pulchrę, & crassæ nimis, & pascebantur in locis palustribus. Alię septem emergebant de fluminæ fœdæ, & macie confectæ, quæ tamen pascebantur in eadem amnis ripa in locis virentibus. Magnum mysterium, quod ex eisdem pascuis optimis boves crassę, & pingues; alię verò flaccidæ, quæ vix ossibus hærebant, egrediebantur. Ita quidem est. Ex eodem pabulo Eucharistiæ in se optimo, alii robustum mutuantur spiritum, alii adeò tenuem, ut vix appareat. Totum provenit ex diversa accedentium dispositione. Quare dē perfecta maximè curando.

c Gen. 40. 16.

CAPUT XVI.

Corporis castigatio Parocho necessaria.

133 AD benè vivendum propria peccata cavendo, multùm conducit prudens carnis afflictio, qua vitiorum motus, & carnis impetus cohibeantur. Falsò sibi persuadebit Parochus hanc afflictionem carnis ad solos pertinere Religiosos; conveniunt certè omnibus etiam sæcularibus sacerdotibus, maximè autem animarum curatoribus. Primò, quia ipsi ad insignem sanctitatem tenentur, ut alibi dicetur, quę sine his mediis non comparatur. Secundò, quia ipsi eamdem carnem, ejusque vitia, & corruptionem gestant; imò insolentiorem ob affluentiam rerum temporalium. Tertiò, quia frequentiora habent ad peccandum incitamenta, & majores occasiones; unde hæc illis medicina opus est, si velint vivere; sicut oportet ad munus suum rectè, & sine periculo propriæ salutis obeundum.

134 Advertat, quòd [a] Paulus castigabat corpus suum, & in servitutem redigebat, ne cùm aliis prædicaret, ipse reprobus efficeretur. Chrys. [b] *Si hoc Paulus tenuit, qui tam multos docuit, & timuit postquam prædicavit, & postquam factus est Angelus, & totius orbis terrarum curam, & defensionem suscepit; quid nos dixerimus?* causam verò reddit: *Quia dæmon tunc sævior efficitur, tunc magis efferatur, cùm videt nos cum diligentia vitam nostram disponentes, cùm viderit virtutis onera composita, & magnos acervos, tunc gravius inferre naufragium studet.* Anselm. ad illa verba Pauli: [c] *Infelix homo: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quid,* [d] *si tantus Apostolus maximis Dei donis spiritualibus effectus magister orbis tantam corporis repugnantiam patiebatur; quid nobis faciendum? qualis item erit in corporis castigatione adhibenda cura?*

a 1. Cor. 9. 27.
b Hom. 21 in 1. Cor.
c Rom. 7. 24.
d Anselm. 161.

135 Porrò corpus affligitur, & castigatur per jejunia, verbera, cilicia, vigilias, lectiones pias, & sanctas meditationes. His mediis viri sanctissimi, qui Deo placere studuerunt, & proximis prodesse, carnem suam edomare curarunt. Ne autem Parochus putet, hæc non ad se, sed ad monachos spectare, audiat Christ. [e] *Tollite jugum meum super vos:* [f] *Hoc dictum sit pro illis, qui ad monachos pœnitentias corporales pertinere credunt; quasi non majori munimine sæculares, quàm regulares clerici egerent: sicut enim qui in platea, sive cavea, dum tauri agitantur, existunt, cautiores esse oportet, quàm illis qui super tabulatum sedent, quia majus illis periculum imminet; sic, qui in sæculo sunt, in majoribus sunt constituti periculis, quàm qui in monasterio cursantur.*

e Matth. 11. 29.
f Chrys. 161.

136 Opus est igitur Parocho prædicta corporis afflictatio ob occasiones, in quibus versatur, & fragilitatem humani cordis, quòd facilè rapitur ab objectis frequenter visis: cùm verò diabolus utatur hominis complexione, ut ipsum suomet incendio consumat, & perdat; si hac maceratione carnis minuatur, & extinguatur calor nativus, arma, quibus nos hostis perdit, attenuabuntur; quod Climacus declarat hac similitudine: [g] *Sicut exsiccatum lutum porcis jam ampliùs usui esse non potest, ne ibi se volutent; ita & caro per abstinentiam marcida effecta dæmonibus ulterà non præbebit quiescendi locum.*

g Gradu. 16.

137 Et certè nullo medicamento carnis appetitus ita attenuantur, sicut ciborum parcimonia. Nam sicut ne ignis

ardeat, amovenda est materia; ita ne caro insolescat adversus animam, superfluitas ciborum, quibus ignis libidinis intenditur, subtrahenda est. D. Greg.[h] *Abstinentia ciborum contra hoc vitium fortissima est: si enim ignis libido est, subtrahis igni materiam, cùm cibos subtrahis: sicut ergo flamma ignis in materia pingui non coercetur; ita luxuria in corpore benè cibato non reprimitur, & qui saturo corpore castitatem se servaturum putat, similis est illi, qui ardentem rogum, injecto oleo, extinguere conatur.* Quare certò sibi persuadeat Parochus noster, omnia pericula, quæ ex intemperantia aliis novit imminere, sibi esse communia, & fœdiora; quia cùm sit dux populi in pugna contra vitia, si hoc in se non domuerit, sine fructu alios excitabit ad pugnandum contra illud. Quia, ut benè Hieron.[i] *Non confundant opera tua sermonem tuum, ne cùm in Ecclesia loquaris, tacitus quilibet dicere possit: cur ergo hæc, quæ dicis, ipse non facis? delicatus magister est, qui pleno ventre disputas de jejunio.*

h Greg.

i Ad Nepot.

138 Et quidem omnes sancti docent ab hujus vitii victoria spiritualia bella inchoanda. Hug. Victor.[l] *Neque ad conflictum spiritualis certaminis assurgitur, si non priùs in nosmetipsos gula appetitus edomatur; quia si non priùs ea, quæ nobis interiora sunt, prosternimus; inaniter ad ea, quæ longè sunt, impugnanda transimus.*[m] Greg. *Incassum extra campum contra exteriores hostes bellum geritur, si intra civitatis mœnia insidians civis habeatur; & frustrà ad conflictum agonis consurgitur, nisi priùs gula appetitus edomatur; hæc cæteris hostibus arma ministrat.*[n] Orig. ostendit irrationabiliter nos de carnis infirmitate, & rebellione conqueri, quam deliciis fovemus, ut contra animam robustior insurgat, dicens: *Audistis ex divinis scripturis, quod certamen est carni adversus spiritum, & spiritui adversus carnem? Et nescitis, quia, si carnem solam nutriatis, & ipsam frequenti mollitie, ac jugi deliciarum luxu foveatis, insolescet necessariò adversus spiritum, & fortior illo efficietur; Quòd, si fiat, sine dubio eum in ditionem suam redactum suis coget legibus, ac vitiis obedire. Nolite conqueri de infirmitate carnis; nolite dicere quia volumus, & non possumus, volumus continenter vivere, sed carnis fragilitate decipimur, & impugnamur stimulis ejus: tu das stimulos carni tuæ: tu eam adversus spiritum tuum armas, & potentem facis: cum eam carnibus satias, vino nimio inundas, omni mollitie palpas, & ad illecebras nutris.* Aug.[o] *Si jumento insideres; qui gestiendo te posset præcipitare, nonne, ut securus iter ageres; cibaria ferocienti subtraheres, & fame domares, quem fræno non posses? Caro mea jumentum meum est; iter ago in Ierusalem, plerumque me rapit, & de via conatur excludere; ita insultantem non cohibebo jejunio?*

l in Cap. 5. Reg.

m 30. mor.

n Hom. 9. in Levit.

o de jejun. utilitate.

138 Jam verò quantùm oporteat sacerdotem sobrietas vini, suadet Scriptura in Prov.[p] *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas.* Et Paul.[q] *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Et persuadet officium Pastoris, cujus est sapientia, & prudentia abundare ad alios instruendos. Unde in Prov. proximè: *Quicumque his delectatur, non erit sapiens.* Et Eccles.[r] *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam.* Ac si in vinoso sacerdote magis stultitia, quàm prudentia, aut sapientia dominetur. Ideò Deus ad Aaronem ejusque filios sacerdotes:[s] *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intratis in tabernaculum testimonii, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum; doceatisque filios Israel legitima mea.* Si igitur sacerdotibus legis veteris abstinendum fuit à vino, ut doctrina pollerent ad docendum populum instituta legis: quæ sobrietas sacerdotibus Christi necessaria erit, qui immaculati Agni Hostiam Deo offerunt, & longè perfectiorem doctrinam dare tenentur?

p Prov. 20. 1.

q Ephes. 5. 18.

r Eccl. 2. 3.

s Levit. 10. 9.

139 Sequatur igitur bonus Parochus documentum Pauli ad Timoth.[t] *Modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Chrys.[u] *Non simpliciter dixit: Vino utere, sed vino modico, non quòd hac admonitione Timotheus egeret, sed quòd nos indigeremus; idcircò ad illum scribens, nobis bibendi vinum mensuram, & terminos statuit, tantum bibere jubens, quantum valitudinem adjuvet, quantum corpori sanitatem præbeat.* Hæc sufficiant, ne bonus Parochus eos imitetur sacerdotes, quorum tota mens est in ciborum condimentis, & scientia in cacabis, & ollis, ac studium in culinis, quas habent Ecclesiis nitidiores, ac mensas altaribus ornatiores, qui proinde rarò obligationem suam recogitant, nec pericula damnationis, quę imminent animarum curatori; quæ si cogitarent, plorarent potiùs, quàm genio indulgerent, vel de nimio cibo, & potu cogitarent.

t 1. Tim. 5. 23.

u Hom. 1. ad pop.

140 Co-

140 Cogitet ergo se in multis offendisse; opusque esse jejuniis, ciliciis, disciplinis, & aliis corporis afflictationibus, ut Dei iram avertat. Per opera enim pœnalia, quæ carni molesta sunt, pro commissis in carne peccatis Deo maximè satisfacimus. Cogitet se esse Pastorem, cujus populus ædificatur, & facilè ad virtutem trahitur, dum suum conspicit sacerdotem carnis oblectamenta respuentem, & asperitatis amantem. Nam & si virtus intus sit in anima, cùm tamen foras se prodit per macerationem carnis, & deliciarum contemptum; populus addiscit quomodo debeat conversare. Quod Parocho curandum est, ut monet Apostolus: [x] *Providentes bona non tantùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Reliquę enim virtutes, cùm in occulto exerceantur, minus sæpè comparent; continentia verò, abstinentia, sobrietas, & maceratio per pœnitentias ipso primo aspectu notum faciunt hominem, maximè personam publicam, in quam omnes intendunt.

x Rom. 12. 17.

CAPUT XVII.

Parochus otium fugiat.

141 Aliud medium valde utile ad virtutem conservandam Parocho nostro non negligendum; consistit in sanctis & honestis occupationibus, quas impedit otium, & torpens ignavia. Non potest enim homo torpens, & otiosus ditari virtutibus, quas ad munus pastorale necessarias diximus. Ait enim Sapiens: [a] *Qui sectatur otium, replebitur egestate;* quod maximè de spirituali egestate virtutum intelligitur. Nec poterit carere vitiis, quæ illum inutilem reddant ad munus suum, quia [b] *Multam malitiam docuit otiositas.* Ut dixit Spiritus sanctus per Ecclesiasticum.

a Prov. 12. 11.

b Eccl. 33. 29.

142 Plorandum in primis est, quòd Parochus vocatus ad munus arduum, & laboriosum, otium quęrat. Hug. Cardin. [c] *Facto multi dicunt hodie illud: Dimitte me, obsecro, ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis. Officium sacerdotale duas habet partes, una est cura animarum perpetuo cum labore conjuncta; alia est temporalium rerum sustentatio: prima est principalis, secunda accessoria; sed de accessorio fit hodie principale.* Isti putant vineam Christi sibi commissam non ad operandum, sed ad vindemiandum, non ad laborandum, sed ad otiandum. D. Bern. [d] *Quid istud temeritatis est, fructus vineæ velle percipere, & tamen vineæ cultura intermissa debitam operam præstare nolle? sumptus ecclesiasticos gratis te habere putas?*

c in 1. Reg. c. 2

d in decla. Ecce nos.

143 Dantur certè Parocho fructus ad laborandum, non ad otiandum; dantur, ut fideles tuæ Parœciæ excollas, eisque inservias. Greg. [e] *Quid nos, ò Pastores, agimus, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? fructus quidem sanctæ ecclesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro ecclesia minimè laboramus: pensemus cujus damnationis sit sine labore hic percipere mercedem laboris: ecce ex oblatione fidelium vivimus; sed non pro animabus fidelium laboramus; illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata vel orationis studio, vel prædicatione, ut dignum est, insudamus.*

e Hom. 17. in Euang.

144 Si per otium, & desidiam torpescit Parochus, lupus ovium strage grassabitur; si vineę custos iners, & otiosus jacet; vinea inculta manebit, vastabitur à latronibus, & transeuntibus. Audi Salomonem: [f] *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totum repleverat urtica, & operuerant superficiem ejus spinæ, & maceria lapidum destructa est.* Quæ optimè quadrant in Parochum otiosum, ac desidem, cujus Parœcia statim agnoscitur ex spinis, & urticis vitiorum, & ex sepè, ac maceria divinæ legis diruta, qui Domino conquerenti de ejus otio, & ignavia respondere non poterit: [g] *Quia nemo nos conduxit.* Siquidem quando curæ animarum prefectus est, ad laborandum conductus fuit.

f Prov. 24. 30.

g Matth. 20. 6.

145 Igitur otium nō solùm alienum est ab officio Parochi, sed multa affert damna. Nam primò ei nocet, non tantùm quia tempus inutiliter terit, de quo exacta ratio reddenda est. Si enim de verbo otioso, quid de vita otiosa? sed etiā quia otiosus dæmonum tentationibus obnoxius est. Nam sicut hostis civitatem expugnaturus, illud maximè tempus præstolatur, quo milites otiosos, & somno deditos conspicit; ita dęmon tunc acrioribus stimulis ad peccandum solicitat, cùm nos otio distentos observat. [h] *Cùm enim dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania,* quæ bonum animę semen suffocarunt. Minuit etiam bonam opinionem, & debitam reverentiam, quia cùm otiosus sit, domi se continere non potest; unde discurrit per plateas,

h Matth. 13. 16.

Digitized by Google

teas, vagatur per oppidum inutiles conversationes quærit, domos alienas ingreditur, sine necessitate se negotiis impertinentibus immiscet. Quę omnia bonam existimationem minuunt,& pariunt contemptum Pastoris.

146 His Parochis congruit illud Jerem.[i] *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum.* Nam ut benè Greg.[l] *Aurum obscuratum est, quia vita sacerdotum quondam per gloriam virtutum clara, nunc per infimas actiones ostenditur reproba; nos etiam lapides sanctuarii, qui semper esse debemus in sanctuario Dei, & non foris in extraneis actionibus videri; sed dispersi sunt lapides sanctuarii in capite platearum, quia hi, qui per vitam rectam, & orationem intus semper esse debent, per vitam foris vacant; ecce enim jam ferè nulla est seculi actio, quam non administrent sacerdotes.* Quare observandum est optimum consilium Hieronymi, ut scilicet:[m] *Ita negotia tua & occupationes ordines, ut diabolus in re aliqua bona, & utili te semper inveniat occupatum.*

i Thren. 4. 1.

l Hom 17. in Euang.

m ad Nepot.

147 Nocet etiam Parochi otiositas populo sibi commisso. Nam parœcia tota silvescit, tota repletur spinis vitiorum, murus legis divinę dissipatur, urticæ scandalorum succrescunt, ut satis probat locus suprà adductus ex Prov. unde sancti Patres inferiorum culpas ad desides Prælatos, ac otiosos referendas docent, de quo lege [n] Bern. Quare benè otiosi Pastores à Zach. idolis comparantur, quia licèt idola figuram hominis præ se ferant, non tamen hominis operationes exercent:[o] *Oculos enim habent, & non vident; os habent, & non loquuntur.* Ita Parochi otiosi nomen habent Pastoris, & tales haberi, & coli volunt, sed digna Pastoris officia agere negligunt.[p] *Pastor*, inquit Propheta, *& idolum, relinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus; brachium ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.*

n 2. de Consid.

o Ps. 113.

p Zach. c. 11. 17.

148 Ac si dicat: O Pastor, qui non Pastor sed idolum, & larva Pastoris, qui nihil habes Pastoris præter nomen, umbram, & simulacrum, qui otium quæris, & tua tantùm commoda; oves non pascis, non curas, sed permittis lupis devorandas! ò Pastor insipiens, & vanus; non vivus, sed pictus, & fictus! Væ tibi, quia in decretorio mundi die hanc larvam deteget Christus judex, & ostendet quàm inane fuerit hoc Pastoris idolum, quod exterius præfers. *Gladius super brachium ejus.* Ac si dicat: Gladius, sive ultio Dei incumbet brachio pastoris stulti, & otiosi, ut ejus potentiam confringat. Item oculo dextero ejus providentiæ, calliditati, consiliis, & pravæ intentioni, quia per ignaviam satagit gregem perdere. Quasi dicat: Deus hæc ejus consilia, & desidiam, & pravas intentiones dissipabit, & infatuabit; nam brachium ejus arefaciet, idest, potentiam adimet; & oculum ejus dexterum, idest, intentionem ignavam, & machinationes inutiles obscurabit, excæcabit, & evertet.

149 Est & aliud genus otii vitandum, quo Parochus vacans à functionibus muneris sui, in actionibus secularibus se occupat.[q] *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut ei placeat, cui se probavit:* Scribebat Paulus animarum Pastori. Nam, ut ait Amb.[r] *Cœlestium rerum dispensator, cujusmodi est rector animarum, si divinis se negotiis non occupat, sed humanis; si non cœlestium rerum causas quærit, sed terrestrium; inutilis profectò, & otiosus dispensator; non utique fidelis est. Quis putas est fidelis servus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam? Qui nullum aliud negotium suscipit, & agit, quàm illud, quod à Domino suo illi commissum est. Quid nobis cum sæcularibus negotiis.* Hallucinatur ergo Parochus, qui se otiosum non credit, dum sæcularibus negotiis deditus tota die huc, & illuc discurrit. Sanè otiosum medicum dices, qui se causidicum præstaret, & causidicum otiosum, qui in calceis conficiendis occuparetur.

q 2. Tim. 2. 4.

r Cap. 12. in Luc.

CAPUT XVIII.

Quid faciendum Parocho, quando desunt negotia sui muneris.

SAEpè malo nostro experimur, quòd frequens conversatio cum sæculo, 150
& nimia occupatio rerum externarum devotionem extinguat, fervorem spiritus tepefaciat, propositum virtutis emolliat, cor dissolvat, studium proficiendi debilitet, delicias doceat, tempus sine fructu cogat expendere, verba otiosa multiplicare, jocis, ac næniis intendere, orationis studium prætermittere, horas canonicas negligere, & tædio vitam ducere. Quid ergo bono Parocho fa-

faciendum, qui non semper potest in actionibus pastoralibus occupari?[a] Amb. *Cur non illa tempora, quibus ab ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum revisas, Christo colloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cùm oramus; illum audimus, cùm divina legimus oracula. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaris Christi, non obsequium hominibus deferendum accepimus.*

a Ubi supra.

151 Habes igitur, quid facias, quando vacas à muneribus officii tui; præpara te ad ea meliùs exercenda; imitare medicum, qui quando ægrotos non visitat, legit doctores suæ artis, ut addiscat morbis occurrere; imitare causidicos, qui quando causas non defendunt, legunt jurisprudentes, ut habeant fundamenta ad eas benè defendendas; imitare prædicatores, qui, ut una hora prædicent, tota die ac nocte, studio vacant, & orationi, ut in ea hora populum instruant. Nonne in suo officio sunt infinitæ difficultates, & casus, quibus opem ferre debeas? Cur magistros non consulis legendo, ne te imparatum inveniant? ne animas ad te venientes illaquees, sed expedias à retibus inimici? Cur Deum non oras, ut te confortet, & illuminet ad tuum munus rectè obeundum?

152 Aug. [b] *Tale est ingenium naturæ nostræ, ut torpescat, si usus destiterit lectionis; quia sicut ferrum, nisi usum habueris, aruginem generat; ita & anima, nisi frequenter divinis exerceatur lectionibus, nascuntur illi peccata.* Greg. [c] *Ducitur sacerdos ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium, & valdè inter humana verba cor diffluit; cùmque indubitanter constet, quòd externis occupationum tumultibus impulsus à semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat; hinc est, quòd prælatum gregi discipulum Paulus admonet dicens: Dum venero, attende lectioni.*

b 99. utriusque Testam.

c 2. p. Pastor. c. 11.

153 Tractat Parochus cum variis hominibus, quorum sunt ingenia varia, & consuetudines; unde vix fieri potest, quin devotionis fervor langueat, & minuatur fructus rerum spiritualium, & ideò restaurare oportet vires spiritus. Hoc autem præstat non solùm orandi consuetudo, sed & bonorum librorum lectio, quę dum intellectum illuminat, affectum excitat; & si ob teporem aliquantulum defecerat, protinus reficitur, & renovatur. Certè Aug. [d] lectioni tribuit suæ conversionis initium. Et multa sunt exempla, quæ lectionem commendant. David vocat [e] eloquium Domini ignitum, & dulce. Constat autem Deum nobis loqui, quando sacros legimus libros. [f] Ezechieli mandatum est, ut librum comederet: *Et comedi, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Unde Hieron. [g] *Tenenti codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat.* [h] Et alibi ante alia hoc studium proponit, & sacras literas pomario comparat. Inter hos ergo hortos amœnos Parochus spatietur, & suavia poma decerpat, ut eorum dulcedine languentem spiritum ad cœlestia revocet. Greg. ita pastori lectionem sacram necessariam esse existimat, ut nihil ei familiarius esse debeat, cùm sit Dei instrumentum ad beneficium animarum, non solùm per administrationem sacramentorum, sed per ministerium verbi, & doctrinę Christianæ, ut posteà dicetur. Nihil autem est in utroque hoc munere optimè gerendo, quod studio rerum sacrarum, sive ad erudiendum populum, sive ad fidei mysteria evulganda, sive ad informandos animos, non inveniatur, dicente Apostolo: [i] *Cùm omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.*

d 8. confess. c. 12.

e Ps. 18. 9.

f Cap. 3. 1.

g Ad Eustochium.

h Rust. e.

i 2. Tim. 3. 16.

154 Parochus ergo, qui ab hoc studio alienus fuerit, dignus est, qui à sacerdotio repellatur juxta illud Osee: [l] *Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Aptus ad docendum est ille, qui huic sacro studio vacat. Unde Apostolus hortatur Timotheum, ut populos doceat, additque causam: [m] *Quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.* Ubi Chrys. [n] *Si quid dicitur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat nunc annuens, nunc hæsitans, & interdum ut probabilem recipiens: verùm ubi ex Scriptura divina vocis prodit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat.* Quàm uberes fructus ex doctrina Parochi colligerentur; si ipse spiritum, & scientiam tum ad populum arguendum, tum ad informandum ex cœlesti hoc fonte hauriret!

l Osee 4. 6.

m 2. Tim. 3. 15.

n Chrys. ibi.

155 At multi sunt, qui, hoc fonte relicto, rivulos quærunt vanitatis, & curiositatis, de quibus Deus per Prophetam: [o] *Væ pastoribus insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident, vi-*

o Ezech. 13. 3.

dent

dent vana, & divinant mendacium. Spiritum suum sequitur, qui libros vanos, & profanos legit, & sacra volumina, & Patrum deserit commentarios, ex quibus populo dicenda peti deberent. Ex quo sequitur, ut vitia non corrigat, peccantes non arguat, scandala non tollat. Et ideò non stat pro veritate, sed pro mendacio, & vanitate. Propptereà, addit Proph. *Hæc dicit Dominus Deus prophetis insipientibus; quia locuti estis vana, & vidistis mendacium; ideò ecce ego ad vos, eò quòd deceperint populum meum, dicentes: Pax, & non erat Pax*. Non ergo Parochus vana, & inutilia quęrat, sed solidam doctrinam scripturarum, sanctorum Patrum, ac piorum librorum. Greg. [p] *Ideò huic lectioni diligenter incumbere debent, ut semper in cordibus suis sacra eloquia meditantes testamenti arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est, protinus doceant*. Unde benè primus Ecclesiæ pastor cæteros pastores admonet dicens: [q] *Parati semper ad omnem satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*.

p Hom. 5. in Ezech.

q Petri 3. 15.

156 Nam cùm mysteria fidei nostræ captum superent, non ita facilè capiuntur ab hominibus, sed necesse est, ut sint in Ecclesia Pastores, & doctores scientia prædití, qui ea rudibus explicent, ad quos tamquam ad oracula confugere valeant. Hi autem sunt sacerdotes animarum Rectores, qui tamquam lucernæ in caliginoso loco positi super candelabrum lucere debent omnibus, qui in domo sunt. Ait enim Proph. [r] *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore ejus: quia Angelus Domini exercituum est*. Cùm autem hæc præstare non possit Rector sine studio sacrarum literarum, in quibus tamquam in thesauro omnia reconduntur, quæ ad populum docendum necessaria sunt, sequitur hoc ei studium esse maximè necessarium. Nam, ut benè Aug. [s] *Homo tantò magis, vel minus proficit, quantò in scripturis sacris magis, minusve proficit*.

r Malac. 2. 7.

s 4. de doct. Chr.

157 Quare sicut artifex in ea lectione versatur, in qua regulæ artis suæ, & modus exercendus præscribitur; ita Pastoralis muneris instrumenta sunt libri, nempè sacra Scriptura, libri spirituales, & morales, in quibus tractantur difficultates ad conscientiam pertinentes, qui nunquam à bono Parocho deponendi sunt, ut S. Hieron. consulebat suo Nepotiorio animarum Rectori, ut nunquam sacra volumina è manibus deponeret. Habet igitur Parochus quid sibi faciendum sit, ne otio corrumpatur; habet in quo tempus conterat cum fructu propriæ animæ, & populi sibi commissi. Oret, legat, studeat, dicat cum David: [t] *Da mihi intellectum, & vivam, & scrutabor legem tuam*, ut eam custodiam, & filios meos doceam. Hoc enim faciens dicet confidenter cum eodem: *Super omnes intellexi, quia mandata tua exquisivi, quia lex tua meditatio mea est*. Per lectionem enim sanctam ipse priùs spiritualiter ædificabitur, & populum suum instruet, ac perficiet.

t Ps. 118. 34

158 Per hoc tamen non damnamus aliquam honestam recreationem ad animum relaxandum, quæ in pagis, & parvis oppidulis, ac rure commorantibus potest esse aliqua piscatio in torrentibus circumvicinis, quo exercitio Apostoli aliquando usi sunt post vocationem ad Apostolatum; aliqua item venatio, dummodo non sit ex illis, quæ clericis prohibentur, qualis est venatio periculosa, seu clamorosa, v. g. aprorum, aut cervorum cum armis. Hæc enim prohibita est cap. primò cum sequentibus dist. 34. Et cap. primò de clerico venatore. Aliqua etiam exercitatio corporalis, vel honestus ludus, qui non sit alearum, aut taxillorum, qui ludus clericis prohibetur cap. penult. de vita, & honestate clericorum. cap. Cùm inter dilectos de excessibus prælatorum. De quo vide, si placet, [u] Barbos. aut similis honesta recreatio, qua animus sublevetur, ut postea cum majori aviditate ad munera sua incumbat.

u de Paroch. 1 p. c. 6. n. 31. & n. 27.

CAPUT XIX.

Quomodo Parocho cum laicis conversandum.

159 ALiud medium Parocho necessarium ad se tuendum, & conservandum, est prudens, ac circumspecta conversatio cum sęcularibus, in qua ea mediocritas servanda est, quæ animæ puritatem, & authoritatem personæ tueatur, & spiritualem eorum salutem non impediat. Hoc autem assequetur, si nimium usum, nimiamque cum laicis maximè suæ Parochiæ consuetudinem evitaverit, ad quod monere debent pericula, & detrimenta, quæ inde oriuntur. Nam ultra quod in his inutilibus con-

Digitized by Google

conversationibus tempus teratur, tria præcipuè damna inde oriuntur.

160 Primum est, quia Parochus, qui cum laicis frequentiùs, & familiariùs conversatur, illorum mores induit, eorumque studiis afficitur, cùm ea sit humanæ naturæ conditio, ut eam boni, vel mali formam sibi vestiat, quam bonorum, aut malorum, cum quibus conversatur, vita, & mores exprimunt. Ait enim David: [a] *Commisti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum*. Nam natura hominis ad malum prona faciliùs vitia, quàm virtutes contrahit. Naz. [b] *Illud exploratum habentes faciliùs esse vitium contrahere, quàm virtutem impertiri, quemadmodum faciliùs est morbo infici, quàm sanitatem largiri*. Basil. [c] *Qui mirum in modum sæcularium hominum amicitia delectatur, eaque re cum illis assiduè in colloquio esse cupit; is ex frequenti cum illis sermone pravas eorum affectiones in animum suum facile insinuat.* Caveat igitur curator animarum similes conversationes, & quando omninò vitari non possunt, illis se cum cautela immisceat, & breviter expediat.

a Ps. 105. 35.
b Orat. 20.
c Monach. inst. c. 21.

161 Secundum est, quod oritur ex multis peccatis linguæ, quæ in prolixioribus colloquiis, & conversationibus sæcularium vix possunt evitari. Dixit enim optimè [d] Greg. de hac sacerdotum cum laicis conversatione, esse sacerdotis satis periculosam. *Quia dum eis plerumque ad quædam loquenda condescendimus, paulisper assueti ipsam locutionem, quæ nobis indigna est, & delectabiliter tenemus, ut ex ea jam redire non libeat, ad quam veluti ex condescentione deducti venimus inviti; sicque fit, ut ab otiosis ad noxia, à levioribus ad graviora verba veniamus*. Imò, quando detractiones desint, quòd rarò eveniet, multa saltem ridicula, vel facta, vel dicta intermiscentur, quæ minimè conveniunt gravitati sacerdotis. Bern. [e] *Inter sæculares, nugæ sunt nugæ; in ore sacerdotis, blasphemia; consecrasti enim os tuum Evangelio; nugis ergo jam os aperire illicitum est; assuescere verò, & nugas loqui, sacrilegium est*.

d 3. Dial. c. 15
e 2. de Consid.

162 Neque respondeat se secularium conversatione uti, ut eos in rebus spiritualibus adjuvet. Quia valdè periculosum est, ne sub hoc charitatis prætextu ob nimiam consuetudinem subintret amor sæculi, indeque non solùm alios non acquirat, sed se ipsum paulatim perdat. Laurent. Justin. [f] *O quot sub specie charitatis ducuntur, & subducuntur! O quanti simulata pereunt dilectione! quàm multi in principio purè, & sine deceptione conversantes ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium lapsi sunt eò miseriùs, quò fœdiùs! Quot fuerunt, & sunt, qui tamquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti sæcularium conversatione, & confabulatione tepefacti ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt!*

f de disc. c. 11.

163 Tertium, quia ex hac nimia familiaritate paulatim minuitur, & tandem perditur reverentia, & authoritas Parochi; nimia enim familiaritas contemptum parit, sicut abstractio venerationem conciliat. Duplex autem est causa hujus contemptus; altera ex parte laicorum, qui solent esse nimis oculati in notandis potiùs defectibus, ut sugillent; quàm virtutibus, ut imitentur. Cùm enim credant in suo sacerdote non tam statum, quàm etiam naturam esse diversam; omnis illius culpa etiam levissima sub illorum censuram venit, & gravissima reputatur. Altera ex parte sacerdotis, qui cùm ob communem fragilitatem omni culpa non careat, longa consuetudine defectus suos facilè prodit.

164 Quamobrem mandabat Deus separari Levitas à turba: [g] *Statuesque Levitas in conspectu Aaron & filiorum ejus, & consecrabis oblatos Domino, ac separabis de medio filiorum Israel, ut sint mei*. Amb. [h] *Vides in sacerdote nihil plebejum requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, atque usu, & moribus multitudinis; sobriam à verbis gravitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo, dispar à multitudine? quid in te miretur, si sua in te recognoscat, & nihil in te aspiciat, quod ultra se inveniat, si qua in se erubescit, in te, quem reverendum arbitratur, offendat?* Greg. Samuelem commendat, ejusque exemplo Ecclesiarum Rectores instruit, dicens: [i] *Rarò videbatur in civitate, videlicet tardè veniens, & citò recedens; quo nimirum magisterio sanctæ Ecclesiæ doctor instruitur, ut videlicet rarò sit in publico, frequens in secreto, ut qui tardiùs aspicitur, devotiùs veneretur*. Solus sacerdos moderatus in sæcularium conversationibus, & colloquiis in honore habetur, qui proinde potens est ad illorum animos flectendos, quando opus est, illique continget, quod legimus de S. Jobo:

g Num. 8. 13.
h Epist. ad Iren.
i in cap. 9. 1. Reg.

Iob.29.8. l *Videbant me juvenes, & abscondebantur: & senes assurgentes stabant. Principes cessabant loqui, & digitum superponebant ori suo, vocem suam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi suo adhærebat.* Nam ea est humanæ naturę conditio, ut quę omnibus sunt exposita, minoris faciat; quę verò abstrusa, admiretur, & vene retur.

165 Accedit ex hac nim ia familiaritate cum sæcularibus, non solùm sacerdotem contemni, sed etiam totum, quod ab ipso procedit, licèt de se sanctum, & sacrum sit; contemnitur prædicatio, & consilium, quia cujus vita despicitur, prædicatio non æstimatur, nec vim habent ad persuadendum verba sacerdotis, quem sęculares vel sibi similem, vel parùm dissimilem conspiciunt: sacramentorum quoque reverentia imminuitur, præsertim apud rude vulgus, quod non tam ipsorum dignitatem, quàm ministrantis personam considerat. m *Quocircà danda nobis opera est, ut non nisi magna adhibita diligentia, & circumspectione in congressum cum externis hominibus veniamus,* monet sanctus Basil.

m Cap. 7. de inst. monast.

166 Si ergo ex communi conversatione laicorum tot mala oriuntur; quid erit, si Parochus illorum conviviis, & potationibus delectetur, ex quibus plura emergunt damna; nam inter verba, quæ inter convescendum, & compotandum audiuntur, eam teneri modestiam, quæ officio, & dignitati sacerdotali congruit, non est cujuscumque virtutis. Unde Hieron. ad amicum Parochum: n *Facilè contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, ire non recusat; numquam petentes, raro accipiamus rogati. Nescio enim quomodo quid deprecatur, ut tribuat, cùm acceperis, viliorem te judicat, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.* Non tamen omninò severum se præbeat Parochus, ut ad convivium rogatus semper renuat accedere; sed virtutis regulam servet, ut frequentiam fugiat, prudentia enim dictat, quando conveniat aut non conveniat talibus cōviviis interesse. Comessationes, & inhonesta convivia jus Canonicum prohibet cap. Cùm decorem, de vita, & honest. Cleric. Et cap. 1. de clerici, vel monachi conviviis. Quę fiunt gratia charitatis permittit Cap. Quando 1. d. 2. dist. 44.

n ad Nep.

CAPUT XX.

Inutilis mulierum consuetudo Parocho vitanda.

HOc est aliud medium maximè conducens ad sanctitatē Parochi tuendam, & commendandam. Ideò castitas dicitur sanctitas, quia sanctitatem commendabilem reddit. Apostol. a *Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra: ut abstineatis à fornicatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* Ubi castitatem vocat sanctitatem, & per sanctitatem & sanctificationem, castitatem intelligit, ut observat Bern. b Si ergo Deus omnes fideles vocavit in sanctificationem Castitatis pro diverso statu, & gradu ejus, in quam vocavit sacerdotem, maximè Pastorem, qui non solùm, ut alii sacerdotes, totus Deo consecratur per speciale votum, sed forma, & exemplar esse debet populo suo: certè fugiendum ei est ab omni occasione maculandi hanc sanctitatem, & honorem sacerdotalem. 167

a 1. Thessal. 4. 3.

b Ser. 22. in Cant.

168 Cùm igitur Parochus communem in se habeat corruptionem naturæ, & innatam propensionem in sexum muliebrem, evigilandum ei est, ne illarum commercio, & consuetudine flammæ excitentur, quæ vel illum adurant, vel saltem bonam opinionem denigrent. *Neque dicas,* inquit Aug. c *Ego extranearum mulierum familiaritatem habeo, & tamen castitatis ornamentum custodio: inter eas habito, & continentiam teneo. Attendite, quàm infelix, & periculosa sit præsumptio. Quid est dicere volo habere, quod vincam; nisi Volo habere, quo peream. Vide ne, unde putas te habere triumphum, æternum incurras opprobrium?* Cyprian. d *Nemo de tranquillitate, quam sentit, aut de longa castitate confidat, nam stupa non accenditur, nisi cùm juxta ignem opponitur, & absurdum, ac præsumptuosum est, quia pace fruens, occasiones belli quæritare.*

c Aug. Ser. 250 de tempore.

d Cypr. de singula. rit. Cleric.

169 Præter innatum impetum libidinis, qui, præsente objecto, magis incalescit, accedit ipsius muliebris sexus conditio mollis, & facilis ad perdendum, & decipiendum. Unde dixit S. Ephrem mulierem esse laqueum comptum homines in voluptates allicientem, quæ multos vulneratos dejecit, ut dicitur in Prov. Et Eccle. dicit: e *Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Allicit mulier homi-

e Eccl. 9. 9.

Digitized by Google

minem ad vehementem sui amorem, ex naturæ inclinatione, sumpta enim fuit ex latere hominis, ut ad eam diligendam peculiari affectu moveretur: ex quo amore, qui paulatim crescit, & radicatur ex usu, ac familiaritate, provenit hominis ruina, ut dixit [f] Basil. Unde unicum remedium est fugere mulieris familiaritatem, imò & aspectum.

f de vera Virgin.

170 Nulla alia passio adeò est timenda, cujus vehementiam declarat [g] Aug. duobus exemplis. Primum est Adæ. Quærit enim, cur obedierit voci Hevæ ad comedendum de fructu vetito: *Non est credendum*, ait, *quòd Adamus tanta sapientia præditus id crediderit, videlicet, quòd comedendo Deo similis accederet; dicit enim Paulus: Adam non est seductus, mulier autem seducta fuit.* Unde notat Hevam respondisse: [g] *serpens decepit me, & comedi.* Adamum verò non respondisse; mulier decepit me; sed [g] *mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi, & comedi. Amabat tanto affectu mulierem, ut, ne illam contristaret, fecerit quod petiverat.* Hoc modo fuit deceptus Adamus; amor decepit illum. *Hæc autem seductio non provenit*, ait Aug. *ex eo, quòd extimulatus fuisset à sensualitate, & carnis concupiscentia, quia adhuc in eo non fuerat carnis rebellio, sed ab amore tractus est, ut Hevæ morem gereret.* Per amorem ergo mulieris peccatum in mundum intravit. Quæ mala timeri non possunt ex tali amore in statu naturæ ruptæ, in quo vehementius allicit?

g 11. de Gen. ad Lit. c. 42.

g Gē. 3. 14.

g Gē. 3. 12.

171 Alterum exemplum est Salomonis. Quis hominum sapientissimum traxit ad idololatriam? Non est credendum de homine tam sapiente, quod crederet in idolis fuisse divinitatem, neque in eorum adoratione utilitatem. Quæ ergo causa tam miserabilis ruinæ? scriptura eam exprimit. [h] *Adamavit mulieres alienigenas multas; de gentibus, super quibus dixit Dominus filiis Israel: non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim avertent corda vestra ut sequamini deos earum. His itaque copulatus est Salomon ardentissimo amore. Cùmque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Igitur amor mulierum, quarum habuit consuetudinem, Salomonem perduxit ad idololatriam, *non quia sibi persuasisset, quòd idola digna essent adoratione*, ait Aug. *sed victus, & excæcatus ab amore mulierum, ne, quas deperibat, contristaret, amor cor depravavit.*

h 3. Reg. 11

172 Quapropter sancti omnes admonent, ut fugiamus hanc passionem amoris, ejusque occasiones. Et quamvis amor honestus appareat, mulieresque præbeant virtutis speciem, & conversatio sit de rebus spiritualibus; opus est magna circumspectione, & cautela, quia juxta sanctorum doctrinam adductam à Bonav. [i] Amor spiritualis facilè degenerat, & convertitur in carnalem. Et quamvis in principio sit vinum spiritus, posteà miscetur aqua, juxta illud: [l] *Vinum tuum mistum est aqua.* Imò hoc medio & esca utitur diabolus, ut hominem decipiat, & perducat in perditionem, qui in hac materia utitur doctrina Architriclini. [m] Ponit in principio vinum bonum, & posteà deterius; in principio suadet esse devotionem, & spiritum; posteà cùm familiaritas pervenit ad quandam teneritudinem, arctam consuetudinem, & confidentiam, tunc immiscet venenum; illa prima species sanctitatis, ac devotionis fuit esca ad inescandum, & perdendum virum bonum, & spiritualem. Bonav. *O quanti contraxerunt amicitiam, & familiaritatem cum aliquibus personis sub prætextu spiritus, quibus videbatur illa sermocinatio spiritualis, & proficua animabus suis, & fortasse ita fuit in principio, sed paulatim mutatus est amor, & degeneravit in carnem.* Unde dixit bene Gerson. Non esse aurum quidquid splendet, nec charitatem, quod charitas apparet, refertque de quadam sancta persona dicente nihil esse, quod magis timeret, & magis sibi suspectum foret, quàm amor, quamvis erga personas notæ virtutis, & sanctitatis. [n] *Est enim via quæ videtur homini recta: & novissima ejus ducunt ad mortem*, ut ait Spiritus sanctus.

i Opusc. 1. de profect. Relig. c. 37.

l Isai. 1. 22.

m Io. 2. 10.

n Prov. 16. 25.

173 Ex hoc brevi discursu longa experientia comprobato colligat Parochus, quàm sit pernitiosa mulierum familiaritas. Cyprian. [o] *Non est, quod vobis in hac præsumptione deceptoria blandiamini, ut quia spirituales estis, velitis inter flagitiorum armamenta versari, nec vos inhabiles esse pro clericatus dignitate, quia majores majoribus consueverunt conflictiones occurrere: acriùs divitibus, quàm pauperibus invidetur; non inopes, sed locupletes inquietat infestatio sæva latronum, plus duces, & principes, quàm milites ab hostibus impetuntur in pugna, & violentius propulsantur ventis, & turbinibus culmina quæcumque sunt altiora: ideò magis, magisque quò plus cæteris unusquisque potest, sciat esse sibi metuendum, ne*

o de Singul. cler.

in aliquo minoretur. Propterea dicitur, qui gloriatur in divitiis, paupertatem vereatur. Quare magis expedit plus benè timere, quàm malè fidere; & utilius est, ut infirmum se homo agnoscat, ut fortis existat, quàm fortis videri velit, ut infirmus emergat.

174 Nec dicat: sufficit mihi conscientia mea, habeo Deum judicem meæ vitæ testem, non curo quid homines dicant. Nam contrà est Apostolus: p *Providentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus.* Debet Pastor bonam famam tueri apud homines, ut illis prodesse possit. Et quamvis demus nulla libidine pungi, quomodo hoc persuadebit? Exéplo sit D. Hieron. Cui, quia sanctæ Paulæ sanctis colloquiis utebatur, non defuerunt, qui inde detractandi de tanto viro occasionem sumpserint, quibus ille respondere duxit necessarium: p *Antequam domum Paulæ noscem, totius in me urbis verba consonabant, omnium penè judicio dignus summo sacerdotio decernebar, dicebar sanctus, humilis, & discretus. Nunquid domum alicujus lascivioris ingressus sum? nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies rapuit ambitio? nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset domare mentem, nisi lugens, atque jejunans, squallens sordibus, fletibus penè cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Dei deprecantem sol sæpè deprehendit? nulla me potuit delectare, nisi illa, quam nunquam manducantem vidi? sed postquam eã pro suo merito castitatis venerari, colere, suspicere cœpi, omnes me illicò deseruere virtutes?*

p Hieron. ad Asellam.

175 Si sanctum Hieronymum tot Dei donis, tot pœnitentiis armatum cum Paula vetula, & sancta de rebus divinis colloquentem coram arbitris, hominum lingua momordit, quomodo tibi parcent, mi Paroche, qui nihil horum habes? quàm parum tutus clericus non senex his vacuus præsidiis cum fœminis vel suspecta, vel saltem non sancta familiaritatem habens? Adverte familiarem esse satanæ: artem fallendi incautos sacerdotes, ut non statim spiritualem virum in peccatum præcipitet, sed externa boni specie delusum paulatim in gravissima scelera pertrahat. Quare si in munere tuo proficere cupis, & animabus famulari sine dispendio tuæ salutis, hæc observanda tibi propone.

176 Primò cura, ut nullæ mulieres tecum cohabitent, nec etiam consanguineæ, si fieri possit, exemplo Augustini, qui nec sororem secum habitare permisit. Quod factum perpendens D. Greg. ait: q *Docti viri cautela magna nobis debet esse instructio, nam incautæ præsumptionis est, quòd fortis pavit, minus validum non timere; sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis.* Si ergo Augustinus tutiùs à sororis, contubernio sibi abstinendum duxit, de qua suspicio esse non poterat; cur tibi cavendum non erit ab extraneis? quæ, licèt ætate graves, & moribus probatas Concilia clericis quandoque permittant, mulieres tandem sunt, r *& sacerdotis dignitati minimè convenit,* ait Cyprian. *rem tam sacram, tam sanctam à muliere accipere famulatum.* Et Hieron. s *Hospitiolum tuum aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant: omnes puellas, & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige; nec sub eodem tecto maneas, nec in præterita castitate confidas, nec sanctior David, nec Sampsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior: memento semper, quòd paradisi colonum de possessione sua mulier ejecerit.* Unde clericus, & maximè Parochus tenetur omnem incontinentiæ suspicionem vitare, nec potest mulieres in habitatione sua recipere, & multò minùs cum suspectis conversari, cap. Præter hoc, cap. Interdixit cum sequent. Dist. 32. cap. Ut clericorum de vita, & honestate clericorum, & toto titulo de cohabitatione clericorum, & mulierum.

q 7. Reg. Epist. 39.

r ubi supr.

s ad Nepo.

177 Audi de hac re Hieron. t *Prima tentamenta clericorum fœminarum frequentes accessus evitare: ille sexus reprehensibiles exhibet clericos. Quid tibi cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? te in publico cuncti, te in agro rustici aratores, ac vinitores quotidiè lacerabunt, si contra depositum fidei cum fœminis habitare contendis. Prohibe virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo sunt. Dilige eas, exteriùs ordina, frequenter visita junctus obsequio clericorum, ne dum secretaliter, ac solus ingrederis, macules testimonium tuum. Ego judico, si cum viris fœmina habitent, viscarium non deerit diabolo.* Cyprian. u *Sodalitas mulierum gluten est delictorum, & viscus toxicatus, quo diabolus aucupatur.*

t ad Ocean.

u Cyprià. supra.

178 Secundò, cura longas cum mulieribus collocutiones fugere; neque ad illas accedas nisi cum tui officii ratio postulat, & gravis necessitas compellit: quo etiam tépore, quantò citiùs poteris, te ab illis expedire memineris. Maximè autem evita consuetudinem ignobilium fœminarũ, nam quò vilioris sunt conditionis, eò periculosior earũ familiaritas, & magis nociva animæ, & famæ sacerdotis, ut no-

x ad Rust. notat Hieron. x *Ancilla, quæ illi* (idest matri tuæ) *in obsequio sunt, tibi scias esse in insidiis, quia quantò vilior earum conditio, tantò facilior est ruina.*

179 Tertiò, observa ejusdem Hieron. z ad Nep. admonitionem ad Nepot. Parochum: z *Si propter officium clericatus, aut vidua visitatur, aut virgo, nunquam domum solus introeas; tales habeto socios, quorum contubernio non infameris; solus cum sola secretò, & absque arbitrio, vel teste non sedeas; si familiarius est aliquid dicendum; habet nutricem majorem domus virginem, viduam, vel maritatam; non est tam inhumana, ut nullum præter te habeat, cui se audeat credere: caveto omnes suspiciones, & quid probabiliter fingi potest, ne fingatur, antè devita.* Si sacramentalis confessio excipienda sit, fiat in loco, ubi à domesticis commodè videri possis, non autem audiri, ut famæ tuæ consulas, sine qua munus tuum peragere laudabiliter non poteris. Scimus sanctum Vincentium Ferrer. vocatum à fœmina prætextu confessionis ad turpitudinem solicitatum, & hoc ipsum aliis honestis sacerdotibus novimus contigisse.

180 Quartò, in hujusmodi colloquiis ratione tui officii necessariis oculos diligenter custodi; nunquam attendas vultum, & speciem mulieris, quia facilis est transitus ab aspectu ad concupiscentiam, & imago mulieris in corde sacerdotis etiam justi, si consensum non extorquet, tentationes excitat, quæ conscientiam pungunt, & molestant. a Disce à sancto Jobo, qui fœdus pepigit cum oculis suis, ut ne quidem cogitaret de virgine; benè norans à visu ad cogitatum, à cogitatu ad consensum, ab hoc ad scelus facilè perveniri. In qua re notabile exemplum refert Surius de quodam animarum Curatore, qui per multos annos Parochiæ præfuit diligentissimè; ita tamen se cautum præbuit, ut per annos quinquaginta, quibus ecclesiam administravit, diceret se nullius mulieris suæ Parœciæ faciem ita aspexisse, ut ex consideratione vultus, si occurreret, quænam esset, cognoscere posset. Et cùm semel quædam in meretricio ornatu ad eum accessisset, expostulantibus clericis cur illam sine gravi reprehensione dimisisset, respondit se nihil tale in muliere advertisse. Sic faciens bonus Parochus animam suam servabit, & ovibus maximè proderit, & cum laude exercebit munera Parochialia officii sui, de quibus jam dicamus.

a lib. 31. c.

Digitized by Google

LIBER SECUNDUS.

DE MUNERIBUS PAROCHI.

POstquam libro primo finem officii Parochialis, ejusque dignitatem ostendimus, & monstravimus qualiter debeat vivere Rector animarum, ut dignè, fructuosè, ac sine dispendio propriæ salutis munus suum obire possit; hoc secundo libro explicabimus actiones hujus sanctissimi muneris, declarabimusque in genere ad quid ex vi illarum teneatur; & aliqua media generalia dabimus, ut eas laudabiliter exercere possit. Cùm enim ab hoc munere maximè pendeat utilitas spiritualis populorum, quia Parochi sunt, qui immediatè, & proximè ovibus Christi invigilant, in illisque conquiescunt conscientiæ Episcoporum, si ipsi benè instructi fuerint, & juxta hanc nostram instructionem diligenter, & accuratè se gerant, sperandum maximè erit de divina bonitate, quòd profectus animarum prosperè procedat, ut tandem æternam vitam consequantur, quæ in magnam boni Pastoris gloriam redundabit.

CAPUT PRIMUM.

Quas actiones comprehendat munus Parochiale?

ACtiones pastoralis muneris comprehendit Christus Dominus illis verbis ad Petrum, quem universalem Pastorem constituebat, [a] *Pasce oves meas*: tertiò repetitis. Quasi insinuans triplici alimento pascendas, ut notavit Bern. [b] *Pasce verbo, pasce exemplo, pasce & sanctarum fructu orationum.* Et alibi: [c] *Pasce mente, pasce ore, pasce opere. Pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.* Oportet ergo Parochum pascere prędicationis ac doctrinæ Christianæ verbo; orationis & Sacramentorum subsidio, ac conversationis exemplo. Hæc sunt in genere alimenta, quibus Parochus tenetur ratione officii gregem Christi suæ curæ commissum pascere. Quæ Conc. Trid. magis declarat his verbis: [d] *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini*

a Iom 21. 17.
b Epist. 201.
c Ser. 2. de Resur.
d Sess. 23. c. 1. de reform.

vini prædicatione, sacramentorum administratione, & bonorum omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorũ more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, &c.

3 Hac doctrina Christi Petrus instructus, cui cæterorum Pastorum erudiendorum cura commissa fuit; solicitè id adimplens spiritu, & affectu paterno hortabatur omnes alios animarum Pastores in hæc verba: [e] *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro, consenior & testis Christi passionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè, sed spontaneè secundùm Deum: neque turpis lucri gratia, sed voluntariè: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo; & cùm apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Quasi dicat, & breviter moneat strictissimam obligationem pascendi triplici illo cibo. Obtestor, & adjuro vos per omnia sacra, & per ipsam Christi passionem, cujus testis sum, & per sanguinem, quem pro grege fudit, per gloriam, quam expectamus, cujus ego in monte prælibavi suavitatem, pascite gregem verbo, pascite oratione, pascite sacramentis, & exemplo.

e 1. Petri. 5. 1.

4 Explicemus breviter verba Petri, ut Parochus clariùs intelligat obligationem suam. Per *Seniores*, intelligit Petrus Presbyteros teste [f] Hieronymo. Compellat ergo sacerdotes, quibus animarum cura commissa est sive sint Episcopi, sive Parochi, ut strenuè pascant populos sibi commissos, ideam vitæ pastoralis paucis, sed nervosè præscribens. Obsecrat modestiæ causa; licèt enim esset summus Pastor, & Pontifex, non tam jubet, quàm precatur. Preces namque Prælati magis movent bonos subditos, quàm præcepta. *Consenior.* Hoc est, compresbyter. Ac si dicat: Ego Presbyter socius vester. Modestiæ causa se vocat non Pontificem, sed compresbyterum, ut sic magis alliciat ad curam pastoralem. *Testis Christi passionum*: Meminit Passionum Christi, ut eosdem excitet, ut Christi amore dura quælibet patiantur, & agant ad oves pascendas, pro eisque sanguinem, & vitam offerant, ut obtulit Christus. *Qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ.* Meminit gloriæ cœlestis, ut Pastorum animos ad cœlestia rapiat, ejusque spe eos animet ad labores, & agones pro Christo, ejusque ovibus subeundos.

f Epist. 85.

5 *Pascite, qui in vobis est, gregem.* Audivit à Christo, *Pasce oves meas*, idque tertiò repetitum. Idem aliis inculcat: quasi dicat: Ego à Christo Institutus sum summus Ecclesiæ suæ Pastor; ejus oves pasco cum omni cura, amore, & solicitudine; vos ergo Pastores mihi subordinati idem præstate. Hæc est enim voluntas Christi, quam mihi indicavit, ut eamdem vobis insinuarem. Allusit autem Christus ad David, qui ex Pastore ovium factus est Rex, seu Pastor populorum; sicut & Moyses à pascendis gregibus vocatus est ad regendum populum Hebræorum. Nam pascendo oves, quasi in gymnasio, & præludio didicerunt, quomodo deberent pascere homines, seu gregem Domini. Pascite ergo, idem est ac regite. Quia animarum Rector ea prudentia, charitate, cura, diligentia, ac patientia debet regere populum, qua Pastor regit oves, ut eas pascat, alat, & impinguet.

6 *Qui in vobis est.* Id est, qui vobis commissus est. Quo significat distribuendas diœceses, ac Parœcias, ac cuique assignandum Pastorem, qui unam dumtaxat regat. *Gregem Dei.* Non proprium Pastoris. Aug. [g] *Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas esse velint, non Christi; se convincuntur amare, non Christum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate; non obediendi, & subveniendi, & Deo placendi charitate.* Quam tamen Christus ter à Petro postulavit ante ejus institutionem, ut alibi ponderavimus. *Providentes*: Id est, superspeculantes, superintendentes, supervigilantes. Proprium est enim Pastoris, ut ait [h] Aug. superintendere, & supervigilare gregi. Unde prima conditio, Pastoris est gregem suum inspicere, eique quoad omnia providere.

g Tract. 130. in Io.

h 19. de Civit. c. 19

7 *Non coactè, sed spontaneè.* Id est, Pastoris officium subite, & obite non coacti à præmio rerum temporalium, ut ex redditibus vivatis, sed spontaneè, ultrò scilicet, ut animas juvetis, ac dirigatis ad Deum, ab eo æternam mercedem sperantes. Vel pascite non coactè, sed spontaneè, id est, non tam vi cogendo, quàm persuasione alliciendo; non tam virga agentes, quàm invitantes exemplo, ut

grex non coactè, sed spontaneè vos sequatur, & pascatur in Christi pascuis. Ber. [i] *Charitas bona mater est in Pastore: Cùm arguit, mitis est; cùm blanditur, simplex est; piè solet sævire; sine dolo mulcere; patienter irasci; humiliter indignari.* Hæc est secunda Pastoris conditio, ut scilicet, non coactè, sed spontè pascat; non vi cogat, sed amore agat ad officium. Quod intellige, quando oves tales sunt, ut amore ducantur; nam aliquæ ejus sunt indolis, ut non amore agi velint, sed virga, & pedo.

i Epist. 2.

8 *Secundùm Deum.* Hæc est tertia Pastoris conditio, ut spontaneè secundùm Deum pascat gregem, ut nempè alacriter munus obeat secundùm Dei voluntatem, qui illud ei imposuit; ideoque pascendo non spectet homines, sed Deum; illi uni placere, & satisfacere intendens, illius unius gloriam spectans, ad illum oves dirigere; & ex illius mente, voluntate, & præcepto regere satagens; ut scilicet, curet eas pariter Deo inservire.

9 *Non turpis lucri gratia.* En quarta Pastoris conditio, ne lucro inhiet, quod in persona Deo dicata est vile, & sordidum. Hieron. [l] *Nonnulli sunt clerici, qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit antè mendicos:* Ubi loquitur de clericis avaris, qui opes sibi, suisque corrogabant: [m] *Alioqui sancti Pastores, qui sua in pauperes erogabant bona, fidelium oblata Ecclesiæ recipiebant*, ait S. Prosper: *Scientes nihil aliud esse res Ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonium pauperum; & ideò habentes docebantur eas contemnere, quia non sibi, sed aliis possidebant; nec suscipiebant eas habendi cupiditate, sed subveniendi pietate. Sed voluntariè:* hoc est ex toto corde, ut scilicet, liber ab avaritia, ac turpi lucro, non suis, sed ovium commodis totum se Pastor impendat.

l Ad Nep.

m 2. de vit. contempl. c. 9.

10 *Neque dominantes in cleris.* Id est, dominantes in cleros, ut faciunt arrogantes, qui impotenter aliis imperare, & dominari satagunt. Hæc est quinta Pastoris conditio, ut scilicet, non sit imperiosus, nec imperiosè regat Ecclesiam, quæ est clerus, id est, sors, & hæreditas Domini. Unde Aug. [n] *Ipse, qui nobis præest, æstimet se non dominante cupiditate, sed charitate servientem felicem.* Chrys. [o] *Principes Ecclesiæ sunt, ut serviant minoribus suis, ut ministrent eis, sicut acceperunt à Christo, & suas utilitates negligant, & aliorum procurent, ut si opus fuerit, neque mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus, qui dicebat: Ego impendam, & superimpendar pro animabus vestris.*

n In regula

o Hom. in Matth. 20. opus imperf.

2. Cor. 12. 15.

11 *Sed forma facti gregis ex animo.* Hæc est sexta Pastoris conditio. Ut scilicet, sit forma, id est, exemplar vitæ gregi suo. Formam hanc opponit dominationi: ac si dicat: Non domineris imperio, sed exemplo, ut formam vitæ sanctè vivendo fidelibus præscribas, concinit Paulus: [p] *Exemplum esto fidelium:* Et alibi: [q] *In omnibus præbe teipsum exemplum bonorum operum.* Hieron. [r] *Optat Paulus, ut Timotheus, & quicumque prælatus sit instar archetypi, sive primaria forma, ex qua viva virtutum simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translatis exprimuntur.* Chrys. [s] *Sit omnibus doctrina, exemplarque tuæ virtutis speculum vitæ, quod omnibus ad imitandum proponitur, veluti primaria quædam imago omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt. Ex animo:* Id est, non ex composito, non ad externam speciem, non fictè, & affectatè, sed verè, realiter, & sincerè: ex animo, & toto corde satagite esse fidelibus forma, & norma vitæ sanctæ, & Christianæ; nam multi induunt vultum devotum, & religiosum, sed animum habent irreligiosum, & vanum, quam fictionem Petrus, sicut & Christus, reprobat.

p 1. Tim. 4. 12.

q Tit. 2. 7.

r Ad Tit.

s Hom. ad Titum.

12 *Et cùm apparuerit Princeps Pastorum.* Id est, cùm Christus apparuerit, qui est Pastor bonus. Accipietis gloriæ coronam, non solùm gloriam essentialem communem omnibus beatis, sed etiam accidentalem, quæ dicitur aureola, Doctoribus, ac Pastoribus debitam. Prima respondebit charitati, qua suam, & aliorum animas salvare, & perficere studuerunt: secunda zelo, quo regnum Christi, & gloriam Dei propagarunt. Cujus ergo major fuerit zelus, & labor, ejus pariter major erit gloria, & aureola. Deinde gloria ipsarum ovium erit gloria Pastorum, totque boni Pastores habebunt coronas, quot erunt coronæ animarum, quas ad salutem perduxerunt, juxta illud Pauli: [t] *Quæ est enim nostra spes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum nostrum Iesum Christum estis in adventu ejus? Vos enim estis gloria nostra, & gaudium.*

t 1. Thessal. 2. 19.

13 Ecce quomodo Petrus Pastores inferiores instruit. Ut ejus autem instructio

ctio clarior evadat, addo bonum animarum Rectorem imitaturum sapientem ovium Pastorem, qui non solùm assistit ovibus vigilando, & non parcendo labori, ut faciebat Jacob, qui de se dicebat: [a] *Die noctuque æstu urebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis*. Sed ulterius habet peram, & panem in pera, baculum quoque, & canem latrantem, & cornu cum oleo curativo. Panis in pera, est verbum Dei in memoria. Canis latrans, est zelus clamans contra vitia. Baculus, est verbum correctionis, & increpationis, quo rebellia corda feriuntur. Oleum leniens, est monitio suavis, quo scabiem fricat, linit, ac lenit ulcera. Hæc sunt instrumenta Pastoris sapientis, quæ Paulus requirebat in Tim. [x] *Prædica verbum*. Ecce panis in pera. *Insta*. Ecce canis, seu zelus latrans. *Obsecra*. Ecce oleum leniens. *Increpa*. Ecce baculus percutiens. His instructos vult Petrus Pastores, ut pascant Dei gregem administrando doctrinam Christianam, & verba salutis. Orando pro grege commisso. Administrando Sacramenta, quæ sunt pascua ad vitam conducentia. Præbendo sanctæ conversationis exemplum, quod oves imitentur tamquam normam sanctè vivendi.

a Gen. 31. 40.

x 2. Tim. 4. 2.

14 Caveant autem Pastores ne sint ex illis, de quibus Deus ad Zachariam: [z] *Sume tibi vasa Pastoris stulti: quia ego suscitabo Pastorem, qui dispersum non quæret; contritum non sanabat; quod stat non enutriet*. Hoc est, sume instrumenta, quibus utuntur Pastores; assume rudem, & hirsutam vestem, peram, baculum, fistulam sibilantem, canem, & cornu olearium, & sic ad publicum procede, ut omnes satis agnoscant te Pastoris stulti, & flagitiosi personam agere. Accipe pedum ferreum, quo si tibi contingat ferire ovem, pedem ei infringas, aut necem infligas. Accipe peram pertusam, ex qua omnia decidant. Accipe canem, qui non latret contra feras, sed solas oves infestet. Accipe cornu vacuum oleo. Volo enim hoc exteriori schemate repræsentare me tales permittere Pastores ob peccata populi mei, & ipsorum, qui salutem ovium nihil curant, nec pascunt, sed magis nocent. Attendat ergo Parochus noster, ne sit de numero istorum, quos hoc portentum designabat. Attendat, ne forte ob ejus peccata Deus permiserit illum Parochum institui, ad majorem ejus damnationem.

z Cap. 11. 15.

CAPUT SECUNDUM.

Parochus gregi invigilare debet, & residere apud illum.

15 Dicebat Deus per Ezechiel. [a] *Fili hominis speculatorem dedi te; audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis*. Ubi animarum Rector dicitur speculator, cujus est aliis invigilare, ut quoquoversùm circumspiciens, quid ad salutem pertinet, nuntiet; & tamquam ex specula vocis clangore dormientes suscitet; benè certantes animet; incautè ruentes moneat; hostium insultus, insidias, & fraudes detegat; impiis judicium, mortem, & vindicem Dei gladium impendentem demonstret. Non debet igitur dormire, sed cæteris dormientibus quoscumque hostium incursus, atque impendentia pericula vigili custodia præsentire, & avertere. Dicitur Pastor, cujus proprium est excubare animo, & corpore in sui gregis custodiam, & quasi in vigilia quadam permanere, ut de se ipso testabatur Jacob, [b] *Fugiebatque somnus ab oculis meis*. Unde sic Greg. [c] *Si sic laborat, & vigilat, qui pascit oves Laban, quanto labori, & quantis vigiliis intendere debet, qui pascit oves Christi?* Quæ sanè argumentatio valdè urget animarum Pastorem.

a Cap. 3. 17

b Gen. 31. 40.

c 7. Regist. c. 47.

16 Exprimebant hanc vigilantiam animalia [c] Ezechielis, quæ à tergo, & à fronte, & undequaque oculata erant, ut significarent non esse satis animarum Pastori habere fortitudinem, & providentiam, quas dotes animalia illa referebant, si vigilantia desit. Notavit Pelusiota in hæc verba: [d] *Sacerdos Domini, eò quòd ad divinitatem proximè accedat, non nisi oculus esse debet, & horum animantium exemplo circùm undique explorare, ne quid fideles detrimenti capiant; dum periculosa animarum cura est, ad dignè iis prospiciendum, ac diligenter excubandum, unus non sufficit oculus, aut bini, sed multitudo?*

c Cap. 1. 18.

d Lib. 1. Epist. 151.

17 Sicut enim proprium gregis est audire vocem Pastoris, & ad ejus nutum moveri; ita proprium est Pastoris supra gregem vigilare; ut sumitur ex Apostolo: [e] *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis, ipsi enim pervigilant pro animabus vestris, quasi rationem reddituri*. Unde sicut oculi tamquam speculatores in eximio corporis opificio locum tenent, ut inde circumspicientes tanquam excubiæ reliqua corporis membra custodiant, ita dominici gregis Pastor in sublimi Christianæ

e Heb. 13. 17.

Reip.

Reip. gradu positus est, ut prospiciat, & vigilet. Nam sicut vigilantibus oculis singula corporis membra in suas exeunt actiones, & è contrà oculis sopitis, & clausis, membra languent, ita, vigilante Pastore, grex Christi ad virtutum exercitia excitatur, nec vitiorum otio

f 2 Regist. c. 33. torpescit. Quare hortatur Greg. *f ut cor Parochi terrenorum Pastorum imitatione succendatur, qui hiemales noctes imbribus, geluque constrictis ducunt sæpè pervigiles, ne vel una ovis, & fortè non utilis pereat, quam si insidiator ore voraci momorderit; quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstibus, ut eruant lapsum pecus, ne à Domino gregis exigatur quidquid per incuriam perierit.*

18 Hujus autem vigilantię causæ sunt. Prima, quia Pastor debet agnoscere vultum pecoris sui, ut Christus exemplo

g Ioan. 10. 14. suo docuit dicens: *g Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Et priùs docuerat Spi-

h Prov. 27. 23. ritus sanctus: *h Agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera.* Quæ verba non superficialem cognitionem innuunt, sed summam, & accuratam vigilantiam indicant, qua animarum Rector diligenter consideret vitam, & mores populi sui, & qualiter eum ad salutem promovere possit. Quòd si in hoc deficiat, & ea de causâ animæ pereant, peribit & ipse cum illis. Si autem debita vigilantia adsit, & Parochus fideliter suo fungatur officio, & si multi pereant, ipse animam suam liberabit.

19 Secunda, quia illa est humanæ naturæ conditio, ut assidua opera, & vigilantia Pastoris indigeat, ita ut nunquam sine ea sibi possit securitatem polliceri: nam sicut ad malum proclivis est, ita inconstans in bono. Unde sicut terra, si paulisper ab agricola deseratur, illico sentes, & spinas germinat, & malas herbas, & vinea silvescit, & redditur inutilis, si non excavetur, & palmites superflui amputentur; ita animarum Parœcia vitiis, & peccatis scatebit, si vigilantia Parochi non sit perpetua. Tertia, quia nihil ferè est in humanis rebus vel præclarum, vel utile, quod, ad sui conservationem, & ad finis proprii consecutionem perpetuo studio, labore, ac vigilantia non indigeat. Cur ergo animarum saluti non erit perpetuò invigilandum cum majori studio, & cura, quàm rebus omnibus; si anima omnibus antecellit, & via salutis tot periculis, & difficultatibus exposita est?

20 Porrò ad hanc vigilantiam requiritur præsentia Parochi; si enim ille à sua Parochia absit, nec oves agnoscere potest, nec illis invigilare, aut necessitatibus spiritualibus subvenire. Unde ex sola absentia Parochi innumera damna in populum derivantur. Quemadmodum enim lupi tunc gregem adoriuntur, cùm absentem, vel dormientem Pastorem suspicantur, ita dæmones tunc seminant zizania, quando Rectores absunt, vel dormiunt per invigilantiam. i Matth. 13. 25.

i Cùm autem dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminavit zizania: l l Exod. 32. 4.

Et cùm abesset Moyses Populi Pastor, aureum sibi vitulum pro Deo conflavit. Quare sicut præsentia solis tenebras fugiat; ita boni Parochi præsentia dæmonis insidias detegit, & mala depellit. Nec alia de causa luna, & si minor aliis planetis, majorem tamen virtutem influit in hæc inferiora, nisi quia in infimo orbe constituta proximior adest. Et ideò de Petro legimus sola corporis m m Act. 5. 15.

umbra sanitatem contulisse, ut palam fieret Pastoris præsentiam animabus esse medicinam. Quare hęc residentia, & assistentia Parochi est de jure divino, ut definit Conc. Trid. n De quo latiùs dice- n Sess. 23. Cap. 1. de reform.

mus lib. 3. qui totus erit de hac materia.

21 Nec valet aliquorum excusatio, si fortè dicant se habere bonos, & diligentes coadjutores, quorum diligentia, vigilantia, & solicitudine nituntur. Non valet, inquam 1. quia estò illos habeant; cura, vigilantia, & assistentia commissa est proprio Pastori, non autem mercenario à se conducto. 2. quia multa frequenter accidunt in cura animarum ad quæ sola opera, industria, & assistentia coadjutoris, vel alterius ministri ad id conducti non sufficiat: non enim satis fuit o Elisæo Giezi servum suum misisse cum baculo, & authoritate sua o 4. Reg. 4. 31.

ad suscitandum filium Sunnamitidis, qui licèt cum omni celeritate, & solicitudine ad eum venerit, & jussa magistri expleverit, puer tamen non revixit, nisi ad Elisæi præsentiam, qui se ipsum supra defuncti corpus incurvavit, & suo calore spiritum, & vitam restituit, ut intelligeremus virtutem proprii Pastoris à Deo speciali modo adjuvari ad vitam spiritualem populi & restituendam, & conservandam. Tertiò, quia coadjutores, ut plurimùm, sunt mercenarii, & raro vel nunquam eum spiritum induunt, qui vero Pastore dignus est. Quartò, quia habemus in contrarium

Digitized by Google

rium exemplum Christi, qui post resurrectionem, & non anteà oves suas commendavit Petro. Dum enim humanis oculis conspiciendus inter homines fuit, non per alium curam pastoralem exercuit; quia animas diligebat; & qui eas diligit, aliena opera, custodia, & vigilantia contentus non est. Ultimò, quia Deus, & sacri canones arctissimè hanc assistentiam, & residentiam personalem Parochis præscribunt, de quo plura lib. sequenti.

CAPUT TERTIUM.

Parochus pascere debet sacrosancto Missæ sacrificio.

21 Conc. Trid. post commendatam vigilantiam, assistentiam seu residentiam, de qua proximè dictum est: accedens ad pascua, quibus oves Christi pascendę sunt à suo Pastore, primo loco ponit Missæ sacrificium dicens: [a] *teneri ex divino præcepto omnes, quibus animarum cura commissa est, pro his sacrificium offerre.* In qua materia versabitur totus liber 4. Hic tamen, ubi in genere agimus de muneribus parochialibus, hęc sacrificii actio prætereunda non est, siquidem à Concilio assignatur primo loco post ovium cognitionem, vigilantiam, & assistentiam, quæ est veluti fundamentum, & basis omnium aliarum.

a Sess. 23. c. 1. de reform.

22 Paulus ad Heb. ita loquitur: [b] *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate:* Quibus describit Pontificem ex tribus notis. Prima, ut ex hominibus assumatur, qui aliis hominibus tamquam suæ naturæ consortibus, suisque fratribus compati, condolere, & succurrere possit, eòque promptius, & ardentius, quò magis eorum uti naturæ, ita & miseriæ particeps est, & conscius, utpote eamdem sæpè in se expertus. Secunda, ut pro hominibus constituatur in his, quæ sunt ad Deum: Idest, ut causam hominum agat cum Deo, tamquam eorum mediator, pro eisque oret, & interpellet. Tertia, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis, ut scilicet Deum peccatoribus iratum reconciliet per dona, & sacrificia ab ipso oblata.

b Heb. 5. 1.

23 Quamvis autem Apostolus expressè loquatur de Pontifice; eadem est ratio de quolibet sacerdote, ut definit Trident. dicens: [c] *Christum in illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem. Apostolis, eorumque successoribus in sacerdotio præcepisse, ut sacrificium corporis, & sanguinis sui offerrent, ut semper Ecclesia catholica intellexit, & docuit.* Hanc autem obligationem offerendis sacrificium pro fidelibus alicujus sacerdotis curæ commissis, specialem esse ratione officii ex divino præcepto definit idem Concilium loco in principio capitis relato. Et meritò, quia proprius sacerdos, seu Parochus ex vi sui officii, accipit onus intercedendi apud Deum pro populo suæ curę, & offerendi dona, & sacrificia pro peccatis, ut Paulus dicebat de Pontifice: ergo tenetur ex vi proprii officii celebrare, & offerre sacrificium Missę; nam officium datur propter ministerium, & opus; & inordinatè retinetur, si ministerium non impletur.

c Sess. 22. Cap. 1.

24 Oret igitur bonus Parochus pro suis ovibus, ut illis misericordiam, & veniam obtineat, maximè autem in sancto Missæ sacrificio, quod quotidie celebrare curabit, quantùm fieri poterit. [d] *Quia certissimum est*, ut benè ait Laurent. Justin. *nullum acceptabilius Deo offerri posse sacrificium, sive ad exsolvendum laudes, sive exhibendum gratias, sive ad impetrandum indulgentiam, vel ad gloriam promerendam, quàm corporis & sanguinis Christi sacrosanctum mysterium.* Recordetur Parochus se ex hominibus assumptum, pro hominibus esse constitutum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis non solùm propriis, sed etiam alienis sui populi, quæ propria reputare debet. Faxit autem Deus, quòd aliquando in re talia non sint, ut erunt, si negligentia sua, & incuria, vel malo exemplo Pastoris committantur.

d Serm. de corpore Christi.

25 Imitetur sanctum Jobum, cui filiorum suorum salus ita cordi erat, ut cunctis diebus manè surgens holocausta pro illis offerret: [e] *Mittebat ad eos Iob, & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis. Dicebat enim: ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus.* Cùm ergo Parochus pater sit multorum filiorum, omnium videlicet, qui degunt in sua Parœcia, pro illis sacrificium altaris offerre debet; nec in alia re efficacius illorum saluti

e Iob. 1. 5.

luti

Digitized by Google

luti prospicere, illisque tam spiritualia, quàm temporalia bona impetrare potest, quàm in hoc sacrificio; licèt enim omnes pii, & justi Pastoris preces ad intercedendum pro populo plurimum valeant; ille tamen, quibus tanti sacrificii virtus annectitur, tantam gratiam, & virtutem acquirunt, ut omnia facilè à Deo impetrent; nam viribus Omnipotentis niti, idem est, ac Omnipotentem quodammodo fieri. Ultra quòd Sacrificium Missæ de se est propitiatorium, & impetratorium, Deum propitium reddens, ac beneficia impetrans.

26 Si Parochus oves suas diligat, non recusabit pro illarum spiritualibus, & temporalibus necessitatibus sacrificium offerre singulis diebus generali saltem oblatione, de qua lib. 4. & in eo pro iisdem Deum orare, quamvis pro particulari persona, & causa illud specialiter offerat. Est enim thesaurus infiniti valoris, cujus divitiæ ad omnia Ecclesiæ membra extenduntur. Quoties autem Parochus teneatur celebrare, Deo Sacrificium offerendo? & utrùm, ac quando teneatur Sacrificium specialiter applicare pro suis ovibus? lib. 4. cap. 8. & 9. explicandum erit.

CAPUT QUARTUM.

Parochus tenetur pascere oves verbo prædicationis.

27 UNum ex præcipuis muneribus officii Parochialis est pascere populum sibi commissum salutari verbo prædicationis. Sumitur primò ex Concilio Trid. Loquens enim de Parochis ait: [a] *Pascant plebes salutaribus verbis annunciando eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat.* Et alibi: [b] *Ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit, qui frangat eis: mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis animarum curam gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & festis.* Et alibi: [c] *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, Verbi Divini prædicatione pascere.* Et alibi loquens in specie de Parochis ait: [d] *Inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita singulis festis, vel solemnibus explanent; eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.*

a Sess. 5. c. 2. de ref.

b Sess. 22. c. 8. de sacr. Miss.

c Sess. 24. c. 1. de ref.

d Sess. 24. c. 7. de ref.

28 Sumitur secundò ex scripturis. Apostolus instruens Timotheum animarum Pastorem de obligationibus sui officii, primo loco ponit prædicationem verbi: [e] *Esto exemplum fidelium in verbo.* Quo indicavit primam obligationem Pastoris esse verbum fidei, verbum instructionis, & verbum salutis sedulò administrare, quod fit per salutaria monita prædicationis. Unde illos, qui hoc munus vel obliviscuntur, vel negligunt, arguit Deus per Ezechielem: [f] *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini: gregem autem meum non pascebatis.* Ubi graviter sugillat Pastores illos, qui curantes seipsos pascere, & impinguare ex bonis fidelium, fideles pascere, & alere verbo prædicationis salutaris non curant. Illud autem, *væ*, quo Deus utitur, culpam mortalem, & gravissimam indicat, ut notant Interpretes, docentque communiter Doctores.

e 1. Tim. 4.12.

f Cap. 34. 2.

29 Et alibi per eumdem Prophetam: [g] *Si non annuntiaveris, neque locutus fueris, sanguinem animarum de manu tua requiram.* Quæ Dei admonitio adeò formidanda gravem obligationem prædicandi, & exhortandi in Parocho significat. Si animæ defectu doctrinæ, & salutaris admonitionis, quæ in prædicatione fieri solet, perierint. Parochus ipse peribit, id enim significat sanguinem animarum requirere. Audi aliam comminationem factam per Zachar. [h] *O Pastor, & idolum: derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dexterum ejus: brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Quis est iste Pastor, simul & idolum, cui Deus tam gravia supplicia minatur? Ille quidem, qui instar idoli, mutus est, qui os habet & non loquitur verba salutis ad populum suum, ille qui rudes populi sibi commissos non instruit, qui depravatos mores non arguit, qui contra vitia non clamat, mandante Domino per Isaiam: [i] *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo scelera eorum, & Domui Iacob peccata eorum.* Hoc est officium Parochi, & qui mutus est, nihil habet Parochi præ-

g Cap. 3. 18.

h Cap. 11. 17.

i Cap. 58. 1.

Digitized by Google

ter nomen inane, & vacuum. Et ideò Pastor, & idolum cujus capiti gladius imminet divinæ ultionis.

30 Si non esset una ex primariis obligationibus officii Pastoralis verbo prædicationis pascere gregem suum, non cum tanta acrimonia adjuraret Paulus suum Timotheum, quem animabus præ-

l 2. Tim. 4 fecerat Pastorem: [l] *Testificor coram Deo, & Christo Iesu per adventum suum, & regnum ejus: prædica verbum, insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Cujus loci sensus est. Adjuro te ò Timothee coram Deo, & per Deum, & per Jesum Christum, quos invoco testes, & vindices hujus meæ obtestationis, ut instanter Euangelium prædices, opportunè, & importunè monita salutis inculces cogitans hujus prædicationis factæ, vel neglectæ exactam in die judicii Christo judici reddituram rationem. Apostolus autem hic, ut colligitur ex contextu, jam morti vicinus quasi ultimis verbis Timotheum alloquitur, & ultima ei dat monita, & quasi testamentum condit; in quo ante omnia commendat ei tanquam Pastori munus prædicandi, quasi hoc sit primum, & maximum Pastoris officium, ad quod de jure divino tenetur, ut probavimus ex Trident. cujus verba suprà retulimus.

m Teophil. 161. 31 [m] *Terreantur ergo Pastores, qui non prædicant*, inquit Teophil. Expergefiat, & horreat sub tali testificatione Paro-

n lib. 1. contra Cresc. 6. chus. Aug. [n] *Quis hæc audiens, si Deo fideliter servit, si dolosus operarius non est, ab hac diligentia, & instantia langueseat? Quis sub tanta testificatione segnis esse audeat?* Consideret etiam bonus Parochus ver-

o Cap. 13. 20. ba illa Dei ad Jerem. [o] *Ubi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? quid dices in die, quando visitaberis? nonne dolores quasi parturientis apprehendent te?* Ubi sermo est de expostulatione in die rationis, quando Parocho dicetur: Ubi est frater tuus, cujus cura tibi commissa fuit, ut ei invigilares, & doceres viam salutis, ad eamque dirigeres monitis salutaribus; ille autem culpa tua, & defectu admonitionis, doctrinæ, & prædicationis periit? Quid respondebis in die illa? Tacebis quidem, & obmutesces, & sic mutus tortoribus traderis, ut ob tuam negligentiam crucieris in æternum.

32 Sumitur tertiò ex doctrina Pa-

p 2. 7 Past. 4. trum. Greg. [p] *Præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotium accedit* (id est ad Rectoris officium) *ut ante adventum Iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet, clamando gradiatur. Sacerdos ergo, si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est, quòd super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit, quia nimirùm, quos repleverit, loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur, ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendatur.* Et alibi loquens de Pastoribus, quorum negotium præcipuum est prædicatio verbi, ait: [q] *Quod profectò* q in Regist. cap. *negotium tunc verè nos agimus, si benè vivendo & loquendo proximorum animas lucramur; si infirmos in superno amore roboramus; si protervos, ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter intonando, flectimus; si nulli contra veritatem parcimus.*

33 Ad illud Prov. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis*: ait Beda: [r] r Prov. 11. 26. *Qui prædicationis verba retinet, maledicitur in populis, quia in solius culpa silentii, pro multis, quos corrigere potuit, culpa damnatur.* Unde Paulus sibi timebat, si ab opere prædicandi cessaret: [s] *Væ mihi, si non* s 1. Cor. 9. 16. *euangelizavero.* Meritò sibi timere debent Pastores omnes, quia ex eorum desidia in hoc prædicandi munere oritur in populis Dei oblivio, divinorum mandatorum transgressio, & vita quasi bestialis populorum, juxta illud Scripturæ: [t] *Transibunt dies in Israel absque Deo* t 2. Paral. 15. 3. *vero, & absque sacerdote doctore, & absque lege.* Hoc est, erunt populi sine Deo, & sine lege, quia non erit sacerdos, qui doctoris munere fungens vera monita salutis annuntiet, de quo alibi Deus conquerebatur per Prophetam in hæc verba: [u] *Dispersæ sunt oves* u Ezech. 34. 5. *meæ, eò quòd non esset Pastor: & factæ sunt in devorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in universo colle excelso: & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat qui requireret.* Quibus verbis ovium ruinam muto, & desidi Pastori adscribit Deus. Quid igitur de Pastore muto, cujus silentio in prædicando tot, ac tanta mala populus Dei patitur? certè [x] Chrysostomus postquam locutus est de charitate eorum, qui famelicos cibant, x Hom. 5. in Gen. ait multò majorem esse eorum, qui spirituali cibo, cœlestique doctrina pascunt fideles, & majoribus præmiis

ii di-

ii digni sunt, qui admonendo, & continuò docendo in viam rectam desides inducunt.

34 Accedit ad hanc obligationem urgendam, quia, Parochus fructus beneficii percipit, & ecclesiasticis gaudet proventibus, ac ex substantia populi sustentatur, & splendidè vivit. Qua ergo conscientia cœlestis vitæ pabula dare recusat? quorsùm à fidelibus pascitur, nisi ut ab ipso vicissim pascantur pascuis salutaribus? Maximum ergo crimen est fidelium expensis sustentari, & debitum illis ministerium non rependere prædicationis. Audi Greg. ad illa verba Job: [z] *Si fructus terræ comedi absque pecunia!* [a] *Fructus terræ absque pecunia comedere, est ex ecclesia quidem sumptus accipere, sed eidem ecclesiæ prædicationis pretium non præbere, de qua videlicet prædicatione authoris voce dicitur: oportuit te committere pecuniam meam nummulariis; ut ego veniens recepissem utique, quod meum erat cum usura. Terræ igitur fructus absque pecunia comedit, qui ecclesiastica commoda ad usum corporis percipit, sed exhortationis ministerium populo non impendit. Quid ad hæc nos Pastores dicimus, qui ad veritatem districti judicis præcurrentes, officium quidem præconis suscipimus, sed alimenta ecclesiastica muti manducamus; exigimus, quod nostro debetur corpori, sed non impendimus, quod subjectorum debetur cordi?*

z Iob. 31. 39. a 21. Mor. 16.

33 Nec respondeat Parochus. Sacramenta administro, qui titulus satis mihi est ad percipiendos fructus, ac stipendia. Non est tibi hic titulus satis, quia ministerium tuum non imples. Non enim pascitur populus solis Sacramentis, sed etiam verbo, & doctrina, & tu plenè pascere debes. Unde Concilium hanc plenam pascendi obligationem declarans ait, tenere te pascere salutari verbo prædicationis, sacramentis, & vitæ exemplo. Lege sess. 5. cap. 2. de reform. & alia loca initio capitis relata, ubi adjungit pœnas, & censuras, quibus in prædicando negligentes à suo Episcopo mulctari debent. Quæ, cùm ita sint, quam excusationem coram Deo prætendere poteris, si partes tuas in hoc tam necessario, & principali munere officii tui non impleas? de hac tamen materia plura lib. 5. qui totus in ea discurret; nunc satis fuit hanc obligationem inculcare.

CAPUT QUINTUM.

Parochus tenetur pascere doctrina fidei.

HAEc est alia pars muneris Parochialis prædicationi quasi annexa, ut cap. 1. dictum est. Est autem doctrina fidei, seu doctrina Christiana, idem ac fidei rudimenta, quæ continentur in Symbolo Apostolorum, in decem præceptis Decalogi, in oratione Dominica à Christo Domino composita, ut nos instrueret ad orandum; quæ omnes fideles scire tenentur, & sufficienter intelligere, ut sciant quid credant, quid observare teneantur, & quid à Deo petant. Cætera contenta in libellis doctrinæ Christianæ sunt ad meliùs esse. 36

37 Hæc autem fidei rudimenta tradenda sunt Dominicis saltem diebus, & aliis festivis diebus ex decreto Concilii Trident. decernentis [a] *quòd Episcopi saltem Dominicis, & aliis festivis diebus pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curabunt, & si opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellant*. Quamvis autem eo loco non declaret hoc onus incumbere Parochis; nihilominùs alibi illud esse proprium Parochorum satis explicat, dum ait ad ipsos pertinere, ut doceant, quæ scire omnibus necessaria sunt ad salutem. Et cùm ait Parochorum esse, ut populos in lege Dei erudire studeant, quæ ad doctrinam Christianam pertinent, ut patet; Et quamvis nihil prorsus Concilium de hac re diceret, ex natura rei sequitur hæc obligatio in Parochis, saltem quando alia via huic muneri provisum non fuerit. Primò, quia Parochi est instruere ignorantes suæ Parœciæ de rebus ad salutem necessariis, qualia sunt rudimenta fidei. Secundò, quia hæc est præcipua pars verbi Dei, cujus prædicatio Parochis incumbit, ut cap. præcedente monstratum est. Tertiò, quia praxis universalis Ecclesiæ interpretatur hoc onus esse Parochorum, ut docent communiter Doctores. Satis sit referre sententiam P. Saæ, quæ est hujusmodi: [b] *Negligentia magna Parochi in docendo ad salutem necessaria, mortalis est. Et passim magnus abusus eorum, qui contenti docuisse Symbolum, non explicant populo rudi mysteria fidei, præsertim Trinitatis, & Incarnationis tantopere ad salutem necessaria:*

a Sess. 24. c. 4. de ref.

b Verb. Paroch. 2.

Digitized by Google

via: Væ Episcopis! væ Parochis! væ Prælatis! Et certè multi ignorant, & errant: utinam ob id non pereant, & Parochi eorum cum illis.

38 Quare Concilium, ut sæpè vidimus, requirit ut Parochi parvulis panem frangant, & lac præbeant infirmis in Christo. Et quidem simplex illa instructio, & rudis doctrina complectens mysteria fidei Symbolo contenta, & præcepta decalogi cum facilitate proposita fructuosior est altis sermonibus: [c] *Meliora enim sunt ubera tua vino.* Quem locum ut Parochus intelligat, advertat ex uberibus lac exprimi: Christi ergo ubera lac illud dulce doctrinæ Christianę, & facilis instructionis continent, & exprimunt: vinum verò designat mysteria altiora, ad quæ non omnes sunt capaces, sicut nec ad vini usum ob cerebri debilitatem. Lac ergo melius est rudi populo, quàm vinum ex cellariis sponsi, idest, quàm alta, & sublimia ex sacris Scripturis deprompta.

c Cãt. 1. 1.

39 Quapropter Scriptura ubera tribuit sponsę, & sponso. Nam de sponsa dicitur: [d] *Quàm pulchra sunt mammæ tuæ soror mea sponsa! pulchriora sunt ubera tua vino.* De sponso: [e] *Meliora sunt ubera tua vino.* Habet ergo Ecclesia Christi sponsa ubera ad lactandos filios parvulos, & imbelles, quos Christo peperit. Cùm verò Pastores Ecclesiæ non solùm sponsi vices gerant, nec solùm sint patres spirituales, sed etiam matres, & nutrices, juxta illud Pauli: [f] *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Ubi parturire se dicit, quod est proprium matris, ut se non solùm patrem fidelium, sed etiam matrem ostendat, rectè eis ubera tribuuntur, ut fideles populos, parvulos, & rudes alant, de quibus dictum est: [g] *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis,* quod per Parochos est explendum.

d Cant. 4. 10.
e Cãt. 1. 1.
f Galat. 4. 19.
g Isai. 66. 12.

40 Quæ ergo sunt ista ubera? nisi ubertas doctrinæ facilis, & suavis, ex qua lac elicitur ad alendas animas incapaces solidi cibi, hoc est, teneras, & imperfectas in scientia, fide, & pietate, indigentes simplici instructione in rudimentis doctrinæ Christianæ: de quo lacte loquebatur Apostolus: [h] *Rursus indigetis ut doceamini elementa exordii sermonum Dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Utinam hoc lacte abundarent omnes Pastores Ecclesię maximè Parochi, ad quos instructio populorum immediatè pertinet. Utinam imitarentur omnes Paulum, qui eo adeò plenus erat, ut cùm gladius caput amputavit, non sanguinem dederit, sed lac abundanter sparserit, quod symbolum fuit doctrinam hanc cœlestem copiosissimam fuisse, quasi in nutrice multorum filiorum, vel matre amantissima, quales Bern. volebat omnes Pastores, cùm dicebat: [i] *Discite subditorum matres vos esse debere.*

h Heb. 5. 12.
i Ser. 23. in Cant.

41 Nec mihi objiciant illud Cant. [l] *Soror nostra parvula est, & ubera non habet.* Quia ibi non negatur sponsa Ecclesia habere simpliciter ubera ad filios sponsi lactandos; aliàs non providisset Christus sponsus Ecclesiæ suæ. Sed intelligitur de tempore, quo Ecclesia in sui initio parvula erat, & videbatur non habere ubera, quia non habebat libertatem communicandi hoc doctrinę lac: non enim audebat publicè ad prædicationem fidei filios suos advocare. Posteà verò cessante persecutione impletum est illud: [m] *Filii tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent,* hoc est, de latere lac sugent, ut ibi legit Hieron.

l Cant. 8. 8.
m Isai. 60. 4.

42 Faxit Deus ne desint Parochi, qui instar matrum parvulos, ac rudes ad hęc ubera invitent; ne desint Episcopi, qui urgeant ad præbendum populis lac doctrinę Christianæ, sine quo præ macie deficiant in via salutis. Faxit Deus ne sint Parochi, quorum ubera vacua sint hoc cœlesti lacte, quo pascant agnos Christi administrando doctrinam fidei, & verbum salutis, panem frangendo, imò & masticando, & in fauces filiis parvulis, & rudibus inferendo, hoc est, pueros, & simplices instruendo, & catechizando in fidei, ac pietatis documentis, docendo eos, ut ex Apostolo retulimus: *elementa exordii sermonum Dei.*

43 Hoc à Parochis maximè requiritur, quia plurimi simplices, & rudes ignorant, & errant præ gravi eorum negligentia, ut experientia docet. Sunt enim multi, qui interrogati facilè respondent plures esse Deos; Patrem esse Filio seniorem: ignorant quæ persona carnem assumpserit. Circa Eucharistiam vix aliquid benè concipiunt; putant Christum, qui in ea continetur, esse imaginem crucifixi in Hostia impressam. Symbolum repetunt more psitacorum, quin intelligant mysteria in eo contenta. Nesciunt quid sit Ecclesia, quid resur-

surrectio carnis, quid remissio peccatorum quid communicatio Sanctorum, &c. Nesciunt quid sit dolere de peccatis, & propter quid dolendum sit. Unde contritionem, & attritionem merè naturalem eliciunt, quæ satis non est ad delenda peccata, etiam iu Sacramento. Ignorant cogitationes, & desideria interna esse peccata, & exprimenda in confessione, & sic de multis aliis ad salutem necessariis: cura autem hæc docendi, & explicandi incumbit Parochis, nec ipsi dedignari debent hanc humilem instructionem, quam nec Paulus, nec alii Apostoli, nec alii insigniores Ecclesiæ Doctores dedignati sunt.

44 Rectè ergo Parochis ubera attribuuntur, ut hujus gravissimæ obligationis recordentur. Ad quos diriguntur verba illa Sponsæ: [n] *Egrediamur in agrum, commoremur in villis. Manè surgamus ad vineas, videamus si floruit, si flores fructus parturiunt: ibi dabo tibi ubera mea.* Multorum enim vocatio est in agris, in villis, in pagis commorari, ibique Christi vineas colere, seu animarum curam habere. Manè ergo surgant, hoc est, diligenter munus peragant Pastorum, ut possint flores, ac fructus producere; flores quidem sanctorum desideriorum, fructus bonorum operum. Ubi etiam convenit sugere lac de uberibus sponsæ, hoc est, teneram doctrinam de cœlesti sapientia sponsæ Ecclesię, ut parvulos, & rudes alant, & nutriant. uno verbo ipsis commendatur doctrina catechismi, quam Christianam appellamus, ut eam agnis, imò & ovibus suis continuò instillent, alioqui coram Christo judice de ipsarum ignorantia responsuri.

n Cant. 7. 11.

45 Meminerint fidem esse fundamentum justitiæ, & sanctitatis, principium devotionis. Unde quemadmodum hortorum cultores primas operas ponunt in excolenda arborum radice frequenti irrigatione, quia beneficium in radicem collatum in arboris ramos, & fructus se diffundit; ita prorsus in inculcandis, ac declarandis mysteriis fidei præcipua Pastoris opera esse debet, quia ex radice exculta majores in reliquis virtutibus tamquam in ramis ex ea prodeuntibus fructus emanabunt; quod Christus satis insinuavit, dicens: [o] *Siquis voluerit voluntatem Dei facere, agnoscet utique de doctrina mea.* Quasi doctrina Christi sit fundamentum virtutum, quas exercendo voluntatem Dei facimus. Inde Apostolus: [p] *Vinctis compassi estis, & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Ubi has tam insignes virtutum operationes uni fidei, qua cognoscebant futura præmia, refert. Et experientia docet in Parœcia, cui præest diligens sacerdos in hac Christianæ doctrinæ exercitatione, populum frequentiorem esse in recipiendis Sacramentis piè, ac devotè, nullam ferè esse morum corruptelam; modestè, ac religiosè stare in Ecclesia, cultum festorum esse pium, templum benè ornatum, reverentiam, in sacerdotem, & multa alia bona splendere, quæ parit hoc sanctum exercitium.

o Ioan. 7. 7.

p Hebr. 10. 34.

46 E contra verò ubi hoc exercitium negligitur, omnia in pejus ruunt. Ibi ignorantia rerum divinarum, ibi sacramentorum oblivio; ibi indevota eorum susceptio; ibi vitia, & tanta peccandi licêtia, ut nulla ferè religionis species conspiciatur ut benè advertit Hieron. dicens: [q] *Ex quo intelligimus deficiente inter Christi fideles salutari doctrina, quasi alimento laborantes, extingui pudicitiam, castitatem omni labe infici, virtutes omnes amisso nomine in pejus ruere, omnia retrò sublapsa referri.* Chrys. [r] *Sicut si Pastor gregem suum non pascit, ex fame macies quadam, & attenuatio in ovibus inducitur, quæ lethalem morbum ingenerat: sic ubi populus sui Pastoris incuria spiritualem famem cœlestis doctrinæ patitur, ibi est omnis pietatis, & religionis exterminium, & Christianæ disciplinæ exilium.* Hæc pro loco.

q In c. 5. Am.

r Hom. 4 in Gen.

CAPUT SEXTUM.

Pastor tenetur pascere orationis subsidio.

Parochus, qui zelo animarum æstuat, orationes, lacrymas, jejunia, & multa id genus alia pro animabus sibi commissis offerre non dubitat; novit enim officii sui esse intercedere pro populo, esseque mediatorem inter ipsum, & Deum, vota, ac preces offerendo pro redemptione animarum, pro spe salutis, & incolumitatis earum miserias orphanorum, inopiam pauperum, desperationes languentium, gemitus afflictorum, defectus senum suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum Deo præsentare; orare pro pereuntibus, ut 1

revo-

Digitized by Google

revocentur, pro labentibus, ne collidantur; pro lapsis, ut erigantur; pro stantibus, ut conserventur. Accedens ergo ad thronum gratiæ Dei sæpè repetat illud Esther:[a] *Si inveni gratiam in oculis tuis, ò Rex, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro.*

a Esther. 7. 3.

48 Hanc obligationem Parochi comprehendit Conc. Trid. sub illis verbis:[b] *Pro his sacrificium offerre.* Neque enim loquitur de oblatione particulari, ut lib. 4. dicendum est, sed de generali, & de orationibus in Sacrificio offerri solitis: hanc esse de jure divino ibi docet. Et si dicamus teneri Parochum Sacrificium Missæ specialiter offerre pro suo populo, inde à fortiori convincitur teneri ad orandum, quia si obligatur Deum placare per Sacrificia, etiam tenebitur intercedere per orationes.

b Seff. 23. c. 1. de ref.

49 Sumitur autem hæc obligatio ex Scripturis. Nam sic Deus mandabat sacerdoti.[c] *Portabit Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & sanctificaverunt filii Israel, in cunctis muneribus & donariis suis.* Lyran. *Portabit orando, ut dimittantur.* Id clarius habetur apud Joel.[d] *Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium.*[e] Hinc sacerdos jubebatur portare supra pectus nomina duodecim filiorum Israel tamquam memoriale coram Domino, ut eorum haberet memoriam, quando sanctuarium ingrediebatur ad orandum. Et in superhumerali super utrumque humerum in duobus lapidibus onychinis, ut coram Domino memoriam haberet eorum, quos portabat super humeros, intelligeretque onus sibi esse orandi Dominum pro necessitatibus populorum, quos ideò in pectore, & super humeros oraturus gestabat.

c Exo. 28. 38.

d Joel. 2. 17.

e Exo. 28. 12.

50 Sumitur deinde ex proprio officio, quia Rector animarum constitutus est mediator inter Deum, & populum suum Bonav.[f] *Non enim solùm pro se orare necesse habet, sed etiam pro illis, qui sibi commissi sunt, quos non sufficit sine divino auxilio custodire; nam nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilat qui custodit eam. Est enim Prælatus mediator inter Deum & subditos, ut sicut negotium Dei gerit apud ipsos docendo, corrigendo, sursum agendo; ita etiam negotium studeat apud Deum fideliter promovere placando, impetrando, & conservando à malo.* Inde ait Aug.[g] *Sacerdotes die, ac nocte pro plebe sibi commissa oportet orare.* Est ergo obligatio hæc ex justitia, quia oritur ex obligatione officii Pastoralis: cùm enim lucrari animas, easque ad salutem perducere sit onus officii, & quid maximè supernaturale, magis proficitur in tali negotio per orationes, gemitus, & lacrymas Pastoris, quàm per voces, & verba etiam prædicationis.

f Cap. 8. de sex alis.

g In 1. ad Tim. 3.

51 Plus profuit oratio Moysis ad victoriam de Amalec, quàm duces, & milites. Nam[h] *cùm elevaret Moyses manus, vincebat Israel; cùm autem paululum remisisset, superabat Amalec.* Orante Moyse populus debellabat inimicos. Si ergo victoria temporalis inimicorum visibilium, ad quam vires humanæ proportionem habent, per orationem Prælati obtinetur, quid erit de victoria hostium invisibilium in animarum salute procuranda, ad quam vires, & media humana proportionem non habent? Quare orando, & plorando invocandus est Deus à bono Pastore, & placandus, ne contra populum suum irascatur.

h Exod. 17. 11.

52 Volebat Deus olim destruere populum suum in deserto ob adorationem vituli; Moyses verò deprecabatur impensè Dominum in hæc verba:[i] *Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra AEgypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? ne quæso dicant AEgyptii: Callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abrahã, Isaac, & Israel servorum tuorum, quibus jurasti per temetipsum.* Deus verò ad Moysen: *Dimitte me, ut irascatur furor meus, & deleam eos.* Quasi oratio Deum impediret. Aug.[l] *Vt videatur vis orationis, & quantum potest, & valet apud Deum. Potest enim justam Dei iram desinere, Deũque placare: id significabat illud Dimitte me, quasi oratio Deo irato vim inferret.*

i Exodo. 32. 11.

l in locū Exod.

53 Idem notavit Hieronym. ad illa verba:[m] *Tu verò noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi. Ostendit quòd sanctorum preces Dei ira possunt resistere.* Ita Hieron. Quando Deus voluit perdere populum propter seditionem motam contra Moysen, & Aaron, jam mortui erant quatuordecim millia.[n] *At Aaron sacerdos cœpit orare pro populo, obtulitque incensum pro illo, & plaga cessavit.* Unde in lib. Sapientiæ oratio appellatur scutum:[o] *Non diu permansit ira tua; properans enim*

m Ierem. 7. 16.

n Num. 16. 48.

o Sap. 18. 21.

Digitized by Google

homo sine querela deprecari pro populis, proferens servitutis suæ scutum, orationem & per incensum deprecationem alligans, restitit iræ, & finem imposuit necessitati. Apprehendat igitur sacerdos hoc orationis scutum, illoque protectus iræ Dei
p de obitu Valent. contra suum populum resistat. Amb. *p Bonum scutum oratio, quo omnia adversarii ignita spicula repelluntur.*

54 Sumitur hæc obligatio ex doctri-
q In 1. ad Tim. na Patrum. Amb. *q Sacerdos pro plebe sibi commissa orare oportet die, ac nocte.* Et ali-
r Ser. 30. in Luc. 8. bi: *r Invenio in Euangelio, quòd Dominus Iesus multorum affectus, & officia suscepit, ut doceret nos, quomodo in his conversari oporteret. Suscepit personam Pastoris, & ait: Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Suscepit personam advocati, & pernoctabat in oratione pro nobis, ut qualis advocatus esse debeat, demonstraret, qualis sacerdos ut non solis diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere.*
s Ser. 21. in Luc. Aug. *s Talem oportet esse Domini sacerdotem, ut quòd populus pro se ad Dominum non valet, ipse pro populo mereatur, quod poposcerit impetrare, quia scriptum est, si peccaverit populus, oret pro eo sacerdos.* Prosper. *Quibus animarum curandarum solicitudo commissa est, pro peccatis omnium, veluti pro suis deprecari debent, ac veluti alter Aaron incensum contriti cordis, & humiliati spiritus offerentes, quo placatur*
t Ser. 1. in Cant. *Deus, avertet iram futuræ animadversionis à populo.* Bern. *t Boni Pastores dormientibus subditis pervigilant tamquam rationem reddituri pro animabus eorum; pernoctant in oratione, hostium vigilias sagaciter explorant; anticipant consilia malignantium, deprehendunt laqueos; cor suum tradunt ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illos.*

55 Sumitur tandem ex voluntate ipsius Dei, qui licèt aliquando videatur sævire in peccatores, non vult eorum
u Ezech. 33. 11. mortem, sed ut convertantur, & vivant, ut monuit per *u* Prophetam. Et ideò cupit, ut sacerdos supplicia impendentia avertat, medietque inter ipsum iratum, & populum. Sicut enim pius pater, quamvis filio minetur, eum sæpè castigare detrectat, vultque ut mediator intercedat, qui ipsum contineat. Ita Deus verus Pater populi sui sic illum diligit, ut ad verbera venire nolit, gaudeatque quòd aliquis sit mediator, displicetque ei si desit, qui iram ejus contineat, per orationes, & preces, ut si-
x Ezech. 22. 30. gnificavit per Prophetam: *x Et quæsivi de eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam: & non inveni.* Et alibi: *z Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel.* Ubi Hieron. *a Sicut murus defendit ab inimico, ita Dei sententia Sanctorum precibus frangitur.* Talem quidem habemus Deum, ac Dominum, cui nihil propensius, quàm ut misericordiam præstet hominibus; nihil alienius, quàm ut supplicia irroget delinquentibus; indeque exoptat, ut precibus nostris illum ad veniam provocemus. z Ezech. 13. 5. a Hier. ibi.

56 Quare sicut patri contra filium irato nihil est optabilius, quàm ut occurrat amicus, qui ejus iram componat, & flagellum de manibus extorqueat, ita nihil Deo gratius, quàm quòd sacerdos pro peccatis populi sui intercedat; ad cujus preces ipse promisit se propitium futurum: *b Rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus.* Unde maximè dolendum, quòd Parochus non intercedat pro peccatis populi sui, & non oret pro necessitatibus ejusdem; ut dolebat Isaias de sacerdotibus sui temporis. *c Non est qui invocet nomen tuum, qui consurgat, & teneat te.* Ac si sacerdos proprius armis suis, quæ, teste Amb. sunt oratio, & lacrymæ, integrum populum eripere valeat ab ira Dei. Culpa ergo erit sacerdotis cujus curæ populus commissus est, non orare pro eo secundùm obligationem officii sui, maximè in sacrosancto Missæ Sacrificio, ubi magis personam publicam agit, & profitetur se mediatorem inter Deum, & populum instar Moysis, qui se talem profitebatur. b Levit. 4. 20.

57 In hoc autem officio orandi & plangendi pro populo, charitatem suam bonus Parochus ostendet. Sienim Judæi ex Christi lacrymis amorem ejus erga Lazarum agnoverunt, dicebantque: *d Ecce quomodo amabat eum.* Populus ipse ex lacrymis, & precibus sui sacerdotis, quibus spirituales sui gregis languores, infirmitates, & miserias deplorat apud Deum, ejus charitatem, & amorem perspectum habebit. Si Parochus gregem suum amet, ut par est, vulnerabitur in ejus vulnere, ut loquitur Cyprian. dicetque cum illo: *e Cum plangentibus plango, cum deflentibus fleo, cum jacentibus jacere me credo; jaculis grassantis inimici mea membra simul percussa sunt, sævientes gladii per mea viscera transeunt, in prostratis fratribus, & me prostravit affectus.* d Io. 11. 36. e Epist. 9.

CA-

Digitized by Google

CAPUT SEPTIMUM.

Parochus tenetur pascere Sacramentis.

58 HAEc sunt digniora pascua, quibus grex Christi pascendus est à suo Parocho. Per alia enim fideles suos ad divinam gratiam disponit tantùm, & excitat; per hæc verò gratiam ipsam, & Christi merita verè communicat. Nam salus animarum, quæ præcipuus scopus est, ad quem omnes pii conatus, & labores Pastoris dirigendi sunt, in digno, ac sancto usu sacramentorum posita est. Sacramenta autem, quorum Parochus proprius minister est, sunt quatuor, nempè Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia, & extrema Unctio. Quibus accedit Matrimonium, cujus quamvis non sit minister, est tamen testis qualificatus, sine quo ejus valor constare non potest.

59 Tenetur autem Parochus ex jure divino his substantialibus pascuis gregem suum alere, ut definit Trid. Quare quoties urget præceptum Ecclesiæ recipiendi aliquod sacramentum, vel spiritualis necessitas, aut utilitas, vel aliquis de suo populo sacramentum petit, tenetur illud ministrare sine mora, & nullo habito respectu propriæ quietis, aut commoditatis; hoc enim pertinet ad ejus officium, contra quod delinquit, si desit in tam præcipua parte muneris sui. Sunt namque sacramenta non solùm pascua animarum, sed & medicinæ spirituales morborum, ad quas fideles jus habent, & Parochus requisitus meminisse debet petentem uti jure suo, & petere ab eo, qui dare tenetur. Unde fraudabit illum injustè, si nulla legitima causa intercedente vel negat, vel differt, seque non levi culpa maculabit. Si enim medici corporum vocati opem suam non negant, nec negare possunt sine culpa, si à Republica sunt expositi ad curandum: quomodo Parochi animarum medici poterunt sine eadem negare sacramentorum medicamenta, cùm ad id expositi, & conducti sint ab Ecclesia, officiumque acceptarunt, ad illudque exercendum sustentantur à fidelibus suæ curæ deputatis?

Seff. 23. c. 1. de ref.

60 Accedit primò ad hanc obligationem urgendam damnum spirituale animarum, quod ex negatione, mora, aut negligentia sequi potest. Nam tempore, quo aliquis sacramentum postulat, gratiæ Dei sitibundus accedit, motusque ad ejus amicitiam procurandam; præsumendumque est peccata verè detestari dispositumque esse ad illud recipiendum. Unde si Parochus vel neget, vel differat, fortè non erit amplius locus curandi animam illam, vel quia propter supervenientem mortem, vel propter humanam inconstantiam de remedio ulterius non curabit. Qua ergo ratione piger, & crudelis Parochus damnum illud compensabit? Et quamvis hæc damna non semper timeantur, saltem contra charitatem faciet Parochus, quia charitas Pastoris se non coarctat ad obsequia debita, nec justitię rigorem solùm attendit; sed quodcumque officium, quod animabus prodesse potest, id totum sibi debitum esse judicat.

61 Accedit secundò, quia negligens Parochus injuriam Christo irrogat, qui sanguinem suum in animarum salutem liberaliter effudit, ut illo in Sacramentis ablutæ salutem consequantur; voluitque ut in Ecclesia essent perennes, ac patentes ejusdem sanguinis fontes, in quibus omnes lavari, & sanctificari possent: Juxta illud Zach.[a] *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris.* Hic autem fons est sanguis Christi in septem canales sacramentorum divisus. Quomodo excusabitur ab irroganda injuria Christo sacerdos ille, qui occludit hos sacros fontes, quos Dominus patentes esse voluit, ac perennes?

a Cap 13. 1

62 De his fontibus loquitur Isai.[b] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus salvatoris;* ad quas inviat nomine Dei: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione vinum & lac.* Quid hæc verba indicant, nisi immensam Salvatoris liberalitatem, quę gratis patentes nostrę salutis fontes esse voluit? Qui ergo sponte accedentibus ad hos sacros fontes, seu Sacramenta petentibus dare recusat, vel moratur, Dei liberalitatem restringit, & fontes misericordię quodammodo claudit, qui proinde timere potest, ut cùm propriæ salutis necessitas veniat, pro se cœlestes hos fontes clausos inveniat, qui eosdem cæteris per injuriam occlusit,[c] *quia judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

b Isai. 12. 3.

Isai. 55. 1.

c Iacob. 2. 13.

63 Addo non solùm debere Parochum non negare Sacramenta petentibus, sed illa offerre, ad ea invitando, & hortan-

do cum omni studio, ut in sua Parœcia sit frequens usus Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; per quæ & gratia restituitur, & habita augetur, per eorum usum peccata caventur, fomes sopitur, & vita quędam cœlestis in terra instituitur, bonaque omnium virtutum comparantur. Unde si Parochus vult, quòd sua Parœcia paradisi speciem referat, de frequentia horum Sacramentorum sit valdè solicitus, eam populo suo sæpè commendando, & fructus eorum explicando, ut sic alliciat ad eorum usum. Et certè ubi fuerit hic usus frequens, & devotus, non poterit Parochus non esse fervidus, ac zelosus in suo munere.

64 Præterea monitum illum esse velim, ut in Sacramentorum administratione æquali affectu, & diligentia omnibus succurrat, quia æqualiter omnium Pastor, & de omnibus Deo rationem dabit; & ideò non est cur uni magis, quàm alteri inserviat, cur unum diligat, & alterum contemnat; ideò soli comparatur, qui omnes æqualiter illuminat; & nubibus, quę imbres in omnium campos equaliter effundunt. Certè acceptio personarum in hac materia multa mala causare potest; quia dum pauperes, & humiles se vident à suo sacerdote contemni, illumque putant minus de sua ipsorum salute solicitum, & totum occupari cum divitibus, & nobilibus, non solùm obmurmurant, sed minimè ei fidendum putant, & quandoque ab ipsis Sacramentis removentur. Unde benè Amb. [d] *Cùm in omnibus injustitia citò offendat, tum maximè in Ecclesia, ubi æqualitatem esse oportet, sive enim pauper, sive dives in Christo unum sunt.*

[d] l. 1. de off. c. 24.

65 Quomodo suam solicitudinem ad solos divites extendat sciens pro paupere, & rustico non minùs, quàm pro divite, & nobili Christi sanguinem fuisse effusum? si eadem gehenna, si pereant, pauperem, & divitem manet? Cur non utriusque salus æqualiter procuranda est? Addo, si erga aliquos excedendum foret in cura, & diligentia, excedendum potiùs in cura pauperum, quia divitibus salutis cupidis deesse non solet, qui consulat, & serviat; non sic autem egenis, & pusillis. Discat ex Christo, qui licèt propter omnes venerit, cum turbis & pauperibus libentius versabatur, & pauperes à se evangelizari [e] respondit discipulis Joannis, in signum, quod ipse esset expectatus Messias. Unde meritò Concilium Tridentinum inter Parochialia munera illud recenset, [f] quod pauperum, & miserabilium personarum paternam curam gerat Parochus, ut suo loco videbimus.

[e] Matth. 11. 5.

[f] Sess. 23. c. 1. de ref.

66 Meminerit etiam, ut ea reverentia, & gravitate Sacramenta administret, ut respondeat eorum dignitati, ac sanctitati. Hæc autem reverentia, & gravitas duplex esse debet. Altera interna, quæ consistit in affectibus interioribus, ut scilicet recogitet se res divinas tractare, Christique agere ministrum. Quare colligat se, & aliam induat personam, & affectum ad exemplum sacerdotis legis veteris, qui templum intraturus causa sacrificii, laneis vestibus depositis, lineis vestiebatur. Sic Parochus Sacramenta ministraturus deponat cogitationes terrenas, & quidquid mentem à sacro illo ministerio divertere potest. Ad hanc autem internam reverentiam maximè pertinet sanctitas vitæ, & puritas conscientię, de qua lib. 1. Ita enim sanctè debet vivere, ut singulis horis, & momentis Sacramenta dignè ministrare valeat; ne dum alios lavat, & mundat, se ipsum maculet, & sordibus repleat. Unde saltem à culpa mortali liber esse debet. Et hæc sit prima, & præcipua pars hujus reverentiæ internæ.

67 Altera reverentia est externa, quę postulat gravitatem, authoritatem, compositionem, & modestiam in tam sacro ministerio, ne illud festinanter exerceat, sed maturè, & cum ea corporis gravitate, munditia, & nitore vestium, quę debitam decentiam ostendant. Quis enim non offendatur Eucharistiam sumere à sacerdote, cujus manus, & facies sordidæ sint? vel paramenta immunda, aut incomposita? Observet etiam ritus, & cæremonias præscriptas, quia exacta illarum observantia multùm confert ad externum cultum, & venerationem Sacramentorum, quas Deus olim maximè commendabat: [g] *Cave, nequando obliviscaris Domini Dei tui, & negligas mandata ejus & ceremonias, quas ego præcipio tibi.* Hæc pro loco satis, quia in materia Sacramentorum versabitur totus liber 9.

[g] Deut. 8. 11.

CA-

Digitized by Google

CAPUT OCTAVUM.

Parochus tenetur pascere conversationis exemplo.

68 HAnc obligationem esse de jure divino statuit Concilium Trident. a Seff.23.c.6. de ref. [a] *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, ac bonorum omnium operum exemplo pascere.* b Seff. 22 c.1. de ref. Et alibi: [b] *Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur: in eos, tamquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omninò clericos in sortem Domini vocatos, vitam, moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsius maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.* Quo loco licèt Concilium generaliter loquatur de clericis, id à fortiori intelligit de illis, quibus animarum cura demandata est, ut posteà expressit loco allegato in principio, ubi ad animarum Pastores priorem doctrinam omnibus clericis communem contraxit.

69 Debet igitur Parochus vitam suam ita instituere orationis frequentia, pietate in Deum, in Virginem Sanctissimam, ac sanctos Cœlites; in cibi parcimonia, potus sobrietate, corporis & animæ castitate, verborum modestia, in pauperes misericordia, in humanitate & charitate erga omnes, in generali omnium præceptorum observantia, ut quod verbo in Ecclesia populum docet, ipse opere confirmet, & in se tamquam in imagine ostendat; ita ut quod aliis tamquam ad salutem, vel necessarium, vel utile suadet, idem ipse exequatur; alioqui cum fundamento judicabunt Parochiani non seriò, & ex animo hortari Parochum suum, si videant illum non facere, quæ alios facere exhortatur, aut videant facere, quæ in aliis damnat.

70 Nam qui sibi bonus non est, aliis bonus esse non potest, cùm proximus sibi quisque sit, & animæ suæ priùs misereri teneatur, juxta illud: c Eccl.30.24. [c] *Miserere animæ tuæ placens Deo.* Si ergo Parochus animam suam sibi conjunctissimam non curat, quomodo aliarum curam geret ex animo? aut quomodo id alii credent, qui vident negligentiam, & incuriam circa salutem propriam? Quomodo cum fructu alios excitabit ad charitatem Dei, & rerum cœlestium desiderium, si ipse eo cœlesti igne privatus sit, & nihil appetat, aut cogitet, nisi de rebus terrenis, & perituris? Quomodo alios excitabit ad temperantiam, sobrietatem, & castitatem, si ipse crapulæ, & vino deditus sit; si impurus, ac incontinens existat? quomodo persuadebit pacem, & mutuam charitatem, ac mansuetudinem Christianam, si ipsemet lites alat, impatientia, & iracundia æstuet, si inimicitias foveat, & dissensiones? & sic de aliis.

71 Quapropter S. Isidorus ostendit qualiter Presbyteri, qui curam habent aliorum, vivere debeant; quæ evitare, quæ observare conveniat, ut doctrinæ gratiam possint populis ministrare, ut observat Gloss. in cap. 3. dist. 23. qui canon totus sumptus est ex Isidoro, & ita habet: [d] *His igitur lege Patrum cavetur,* d Dist.23. c. 3. *ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus se abstineant: non spectaculis, non pompis intersint: convivia publica fugiant: privata non tantùm pudica, sed & sobria colant: usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationes lucrorum, fraudisque cujuscumque studium appetant: amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & sæcularia officia, negotiaque abjiciant: honoris gradus per ambitiones non subeant: pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiant: dolos, & conjurationes caveant: odium, æmulationem, obtrectationem, atque invidiam fugiant: non vagis oculis, non effræni lingua, aut petulanti, fluidoque gestu incedant, sed pudorem, & verecundiam mentis simplici habitu, incessuque ostendant: obscœnitatem etiam verborum, sicut & operum penitus execrentur: viduarum, & virginum frequentationem fugiant: contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant: castimoniam quoque inviolati corporis perpetuò conservare studeant: senioribus quoque debitam obedientiam præbeant, neque ullo jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò doctrinæ lectionibus, psalmis, hymnis, canticis exercitio jugiter incumbant. Tales enim debent esse, qui divinis cultibus se mancipandos student exhibere: scilicet, ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.*

e Eadem dist. c...

72 Et Cap. 4. sequenti: [e] *Tales ad ministerium eligantur clerici, qui dignè possint Dominica sacramenta tractare; melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.* Ita certè est: unus bonus sacerdos totum populum exemplo suo ad vitæ integritatem componit. Nam maximum pondus habet ad persuadendum bona fama, & opinio, facilèque eis fidem habemus, quos tamquam pios, ac probos veneramur. Et ideò magis proficit bonus Parochus exemplo, quàm verbo; magis emendat benè vivendo, quàm benè monendo, aut exhortando.

73 Sicut è contrario magis nocet exemplo, quàm aliis defectibus in suo munere contingentibus. Si enim de Principibus sæcularibus dixit Tullius: [f] *Vitia non solùm ipsi principes concipiunt, sed etiam in civitatem infundunt, plusque exemplo, quàm peccato nocent.* Quid erit de Pastoribus Ecclesiæ, quos populus habet pro norma vivendi. Amb. [g] *Sicut in corporalibus morbis capite vitiato, necesse est reliquum corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari; ita & hi, qui capita videntur esse in Ecclesia, morbo suo fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium sacerdotum vitiositas non infecerit. Vnde populum videmus nugacem, & indoctum, eò quòd tales habeat sacerdotes.*

f 3. de legib.

g de Dig. Sac. c. 5.

74 Expectatur igitur in Rectore animarum omne virtutis exemplum ex Salvatoris præcepto: [h] *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Ut nempè eorum exemplo cæteri ad virtutem trahantur. Aliàs tamquam imperfectos Dominus admonet, ne justitiam suam faciant coram hominibus. Quia privatis hominibus satis est in publico malè non operari, si in secreto obligationibus satisfaciunt, qui verò aliorum duces constituuntur, opus est, ut luceant coram hominibus: [i] *Quasi diceret Christus*, ait Imperfectus, *sic illuminamini, sic docete, ut non verba vestra tantùm audiant homines, sed & opera vestra bona videant, ut quos illuminaveritis per verba quasi lux, condiatis per exempla operum quasi sal. Quoniam qui docet, & facit quod docet; verè ille docet: qui autem non facit, quod docet, non alium docet, sed se ipsum condemnat: & meliùs est facere, & non docere; quàm docere, & non facere: quoniam qui facit, & si tacuerit, aliquos corrigit exemplo suo: qui autem docet, & non facit; non solùm neminem corrigit, sed multos scandalizat.* Gregor. [l] *Lux gregis flamma est Pastoris, decet enim Pastorem, decet Dominicum sacerdotem moribus, & vita clarescere, quatenus in eo tamquam in speculo vitæ suæ plebs commissa & eligere, quod sequatur, & videre possit, quod corrigat.* Major enim vis, ad spiritualiter proficiendum in populis, inest in bona vita Pastoris, quàm in quacumque dicendi facundia, quia ut optimè sanctus Leo: [m] *Validiora sunt exempla, quàm verba, & pleniùs opere docemur, quàm voce.* Sed de hac materia hæc satis pro loco, quia in illa totus liber sextus versabitur.

h Matth. 5. 16.

i Imperf. hom. 10. in Matth.

l 13. Regist. Epist. 32.

m Serm. de jejun.

CAPUT NONUM.

Habeat Parochus amorem erga gregem suum.

Hucusque enumeravimus obligationes Parochiales, superest media aliqua generalia assignare, quibus bonus Parochus labores, & difficultates in illis adimplendis occurrentes cum facilitate, & gaudio superet. Primùm sit, oves sibi traditas diligat in Christo, cujus sunt: hic enim amor omnia facilia reddet, & suavia, nihil enim est difficile amanti; nihil durum, & arduum diligenti. 75

76 Ut autem hic amor sit verus, amorem Christi sibi imitandum proponat. Si enim Parochus vices Christi gerit in cura animarum; Christum, qui se proponit Pastorum exemplar, estque Princeps Pastorum, ut loquitur sanctus [a] Petrus, imitetur. Nam si omnibus, qui salvari cupiunt, Christi imitatio necessaria est, multò magis animarum Rectoribus, qui sunt Christi instrumenta ad salutem animarum. Nihil enim magis convenit instrumento, quàm ut causæ suæ principali conjungatur, à qua virtutem, & impulsum accipit. Quin etiam si in qualibet arte magistri disciplina opus est; quid erit in arte regendi animas in ordine ad vitam æternam? Non potest igitur alius esse magister, quàm ille, qui bonorum Pastorum prototypon, & regula est. Qui maximè imitandus est in amore, quem habuit erga oves suas; nam Christus acrè, & sincerè eas dilexit, non quærens, nisi oves ipsas, & earum salutem.

a 1. Petri. 5. 4.

Digitized by Google

lutem. Hoc exemplo ductus debet Parochus amare fideles suæ curæ commissos, non eorum opes, aut temporalia lucra.

77 Hic amor sit fundamentum totius curæ pastoralis, & non quivis, sed qui faciat, ut ex vero, & cordiali affectu se cognoscat ovium suarum patrem, imò & matrem, ac nutricem, ita ut effectus affectui correspondeat. Talis fuit verus imitator Christi Paulus, qui se patrem fidelium nominabat: [b] *In Christo Iesu per Evangelium ego vos genui.* Matrem: [c] *Filioli mei, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Nutricem: [d] *Facti sumus parvuli in medio vestrùm, tamquam si nutrix foveat filios suos.* Sicut enim amor naturalis est in causa ut pater, mater, & nutrix omnes difficultates, tædia, & incommoditates libenter patiantur, ut filios nutriant, sustentent, & ditent, quantum possunt; ita amor Parochi, si amorem patris, matris, ac nutricis imitetur, suavia, & jucunda reddet omnia munia pastoralia, ita ut dulce ei sit pro grege suo laborare. E contrariò deficiente hoc amore nihil faciet cum gaudio, & sine molestia. Greg. [e] *Ideò binos ad prædicandum discipulos Christus misit, ut nobis tacitus innueret, quia qui charitatem erga alterum non habet, prædicationis officium nullatenus suscipere debet.* Quam etiam ob causam notavit Chrysost. Petrum, antequam animarum Pastor institueretur, fuisse à Christo de amore examinatum, quia qui Christum diligit, animas ab eo redemptas diligit, & consequenter aptus est, ut illarum Pastor instituatur, cujus regiminis capax non esset, si hoc amore destitueretur.

b 1.Cor.4. 15.
c Gal.4.19.
d 1.Thess. 2. 7.
e Hom.17. in Euang.

78 Addo majorem adhuc esse debere amorem Pastorum utpote ordinis altioris, qui propterea perfectius unit amantem cum re amata, ut de suo testabatur Amb. [f] *Non minus vos diligo, quos per Evangelium genui, quàm si conjugio suscepissem; neque enim vehementior est ad diligendum natura, quàm gratia.* Hic autem excessus in eo maximè situs est, quia natura regulariter non amat, nisi id, à quo amatur; gratia autem amat etiam non amantes. Unde Paulus: [g] *Testis mihi est Deus, quomodo vos cupiam in visceribus Iesu Christi, & si vos diligens minus diligar.* Id est, licèt videam vos nullam amori meo vicem rependere; vos tamen non deseram, sed ea officia præstabo, quæ meus in vos amor sibi suo jure vendicat; vos ad Christum ducam, donec in ejus viscera introducam.

f 2. off. 1.
g Philip. 1. 8.

79 Hinc addiscat bonus Parochus, estò videat, ut plerumque accidit, operę & diligentiæ suę benevolentiæ signa non exhiberi à populo, non illicò frigescere, & languere, quia hoc esset animas non diligere, sed populi favorem. Audiat Chrysost. [h] *Si membrum à corpore deturbatur, nihil non molimur, quo illud iterum conjungamus, & uniamus; ita etiam tibi faciendum, cùm quis te amare noluerit; tunc in eum majorem ostende amorem, quatenus ipsum attrahas membrum.* Parochus caput est, Parochiani membra: vincat amore suo membrum dyscolum, attrahat illud sibi, etsi nolens, ac repugnans, ut illud Christo conjungat.

h Hom.17. ad Rom.

80 Amet Parochus oves suas tamquam animam suam, ita ut sibi persuadeat bona illarum bona esse sua; vitam, & salutem earum vitam, & salutem suam esse, ut faciebat Paulus: [i] *Nos vivimus, si vos statis in Domino.* Ac si vita Pauli à vita sui gregis dependeret; & gregis salus, & lucra, Pauli salus, & lucra forent. Unde meritò dixit Prosper: [l] *Qui pro multis occupatur, ut aliis proficiant, profectus illorum ejus fructus est; & qui sollicitudines omnium portat, in ipsis proficientibus proficit, & gloria illorum gloria illius est.* Sic Paulus de se testabatur cum suis Corinthiis scribebat: [m] *Utinam regnetis, ut & nos nobiscum regnemus.* Et Philippensibus: [n] *Gaudium meum, & corona mea vos estis.* Quem charitatis affectum imitatus est Chrysost. verus Pauli imitator. Ita enim dicebat ovibus suis, quando ab iis recedebat in exilium. *Quid patiar pro vobis? vos mihi cives, vos mihi fratres, matres, filii, membra, lux, corona mea, divitiæ meæ, thesaurus meus.*

i 1. Thess. 3.8.
l de vita contépl. c. 16.
m 1.Cor.4. 8.
n Philip. 4. 1.
Hom. de ejus exilio.

81 Nec satis dictum putabit Parochus noster, si consideret ejus amorem talem esse oportere, ut pro qualibet ove sua seipsum, & omnia sua despicere teneatur, ita si ex una parte de salute unius animæ agatur; & ex altera periclitetur honore, fortunis, imò & vita temporali, contemnenda sint omnia damna hæc, ut saluti illius animæ consulatur: [o] *Nam bonus Pastor,* quando opus est, *animam suam dat pro ovibus suis,* ut monuit Christus Dominus. Hoc autem non fit absque magno amore ovium in Christo. Qui hunc non habet, indignus est officio pastorali. Qui illum habet, labores, ac molestias pro

o Ioa. 10. 11.

ovium salute, & incolumitate refrigeria putat, & solatium.

CAPUT DECIMUM.

Parochus zelum habeat de salute ovium suarum.

82 ZElus nascitur ex charitate, & amore, estque eximium studium, & cura de animarum salute. Ex eo enim quòd Parochus animas diligat, sequitur, quòd omni industria procuret illarum salutem, & media adhibeat, quibus hæc comparari possit, acriterque opponatur omnibus iis, quæ eam possint impedire. Est autem hic zelus adeò necessarius animarum Rectori, ut Bern. disertè dicat non esse aptum ad animarum præfecturam, qui illo non ardeat: [a] *Oportet ut hoc vino æstuet, qui aliis præsidet; alioqui satis improbè præesse affectas, quibus prodesse non curas, & quorum salutem non zelas.*

a Serm. 24. in Cant.

83 Significabatur hic zelus in illo auro ignito, & probato, quod Angelus consulebat emendum Episcopo Laodiceæ: [b] *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Erat enim Pastor ille tepidus in Dei amore, & in salute animarum promovenda, quem Deus ex ore suo evomere inceperat, & ex toto evomuisset tamquam indignum cura animarum, si hoc ignito zeli auro non incalesceret, & ditaretur. [c] Amb. *Zelum habere debet sacerdos, qui incorruptam servare debet Ecclesiæ castitatem: bonus, & utilis est zelus in sacerdote, ne negligens, & remissus sit in suo munere.* Hoc zelo æstuabat Paulus; hoc accendi debent omnes, qui meritò habent nomen Pastoris.

b Apoc. 3. 18.

c Serm. 18. in Ps. 118.

84 Operatur autem hic zelus in corde Pastoris, ut omnes ejus vires cum divina gratia in Dei honore, ac animarum salute promovenda occupentur, omnes conatus, cogitationes, & industriæ ad hunc finem dirigantur, omnia commoda propria contemnantur, non sentiantur labores, superentur difficultates, media excogitentur, ita ut in hoc studio lucrandi animas, easque per salutaria pascua ad æterna gaudia perducendi totus Pastor incumbat.

85 Ad hunc autem zelum concipiendum juvabit primò, si advertat animarum curam ipsius Dei negotium esse, illudque maximum, ac præcipuum, quod in terris agitur, cujus causa Filius Dei carnem assumpsit, & tanto ardore hominum salutem operatus est, vitam, & sanguinem effundendo. Quid ergo non faciendum servo, cui Dominus idem negotium commendavit? Quid præstandum servo, cui Dominus sponsam suam dilectam sanguine proprio emptam, defendendam, custodiendam, sustentandam, & ornandam tradidit, donec ad cœlestem sponsi domum deducatur? Quàm indecorum erit, si servus tanti Principis tam charam sponsam vilipendat, si ei oscitanter inserviat; si eam ab inimicis Domini sui constuprari, & fœdari permittat; si totis viribus non procuret eam immaculatam servare, & incorruptam toto peregrinationis tempore, donec ad sponsi thalamum introducat? Hæc seriò attendat Parochus, ut zelum habeat de charissima sponsa Christi Dei sui commissa curæ suæ. Audiat Bern. [d] *Attendite vobis, quicumque opus hujus ministerii sortiti estis: attendite vobis, & pretioso deposito vestro, quod vobis creditum est: civitas est, vigilate ad custodiam: sponsa est, studete ornatui: oves sunt, attendite pascuis.*

d Serm. 76. in Cant.

86 Juvabit secundò, si attendat nulla in re magis declarare quis sit fidelis servus, & verus Christi amator, quàm in hoc zelo circa animarum curam, ut benè Greg. *Ille in amore Dei major est, qui ad ejus amorem plurimos trahit.* Nam qui Deum verè amat, fratrum suorum animas perire non patitur, sed quos potest, ad Dei amorem allicere conatur; ut Christi sanguis liberaliter effusus effectum habeat, & Deus magis, ac magis glorificetur in salute eorum, quos redemit, quosque impensè desiderat, ut salvi fiant. Juvabit tertiò, si attendat animarum dignitatem, simulque stragem, ac ruinam, quam in illis causant peccata, assiduam, & indefessam dæmonum astutiam in iis perdendis. Quis animabus tam pretiosis, à Deo tam charis, sibi commissis in tot periculis constitutis manum non porrigat? quis omnia non tentabit, ne cadant, utque lapsas erigat, stantes confirmet? quis fidelis Christi minister à satanæ satellitibus solicitudine ac diligentia se superari patietur?

87 Juvabit quartò, si attendat præmium à Pastorum Principe tribuendum zeloso, ac vigilanti Pastori. Qua consideratione Petrus Pastores sibi subjectos

Digitized by Google

ctos animabat ad officium Pastorale cum zelo, ac solicitudine exercendum, ut vidimus cap. 1. Audi Chrysostomum ponderantem verba illi Christi ad Petrum: [e] *Simon Ioannis diligis me? Interrogat discipulum magister, num ab eo ametur, non ut ipse edoceatur, cui omnium mortalium corda pervia sunt; verùm ut nos doceat quanta cura sibi sit gregis hujus præfectura, quod ubi constiterit, illud pariter constabit copiosam, atque ideò immensam mercedem illum expectare, qui consilium, cogitationem, & operam in iis ponat, quæ tanto apud se in pretio, & æstimatione Christus esse voluit.*

[e] Lib. 1. de Sacerdot.

88 Juvabit quintò, si attendat rationem strictissimam reddendam supremo Judici de grege sibi commisso. Timor enim iste reddendæ rationis optimus erit stimulus, ut Parochus ardentem zelum de salute animarum in se concipiat, quo ardeat, & inflammetur, ita ut possit dicere: [f] *Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Si enim Dei opprobria, quæ in peccatis hominum consistunt, tamquam sua non æstimet, & illa præ zelo vindicare, & avertere diligenter non studeat, rationem dabit de sua negligentia, & incuria. Greg. [g] *Nemo dicat, admonere non sufficio, adhortari sufficiens non sum. Quantùm potes, exhibe, ne malè servatum talentum, quod acceperas, in tormentis pendere exigaris.* Zelo igitur opus est ei, qui judici Deo placere desiderat.

[f] Ps. 68. 10.
[g] Hom. 6. in Euang.

CAPUT XI.

Parocho prudentia maximè necessaria.

89 AD munera pastoralia prudentia opus est, quæ zeli comes esse debet. Multi enim habent zelum, sed non omnes secundùm scientiam. Nam prudentia est lux, & quasi lucerna virtutum, quæ teste Bern. [a] *Omni virtuti ordinem ponit, ordo autem modum tribuit, & perpetuitatem.* Unde non satis est Parocho nostro zelus divini honoris, & salutis animarum: non satis est quòd nulli parcat labori, quòd vitia populi sui insectetur, & se strenuum in suo munere præstet, nisi omnia ad prudentiæ normam componat, sine qua virtus pro vitio reputatur, & quod aliquando intenditur in lucrum animarum, in ipsarum ruinam vertitur, juxta illud: [b] *Dux indigens prudentia, multos opprimet.* Cùm enim prudentia sit lux mentis, qui ea destitutus est, cæcus erit, & in multos errores impinget. Qui verò prudentiam habet, non solùm videt quid agendum, sed aptè discernit inter bonum, & melius, distinguitque inter tempus, & tempus, inter personas, & personas; mensuram, & modum omnibus virtutibus præscribit. Unde benè Bern. [c] *Importabilis est sine scientia zelus; & ubi vehemens æmulatio, ibi maximè discretio necessaria est, quæ est ordinatio charitatis; semper quidem zelus absque scientia minus efficax, minusque utilis invenitur, plerumque autem & perniciosus valde. Quò igitur zelus ferventior, ac vehementior spiritus, profusiorque charitas, eò vigilantiori scientia opus est, quæ zelum supprimat, spiritum temperet, ordinet charitatem.*

[a] Serm. 49. in Cant.
[b] Prov. 28. 16.
[c] Ubi sup.

90 Cùm igitur prudentia virtutum omnium regula sit, & moderatrix, Parochus prudens esse debet, quia si erret, grex confusus interibit: nam sicut oculus est lux totius corporis; ita Pastor gregis oculus esse debet, de quo dicitur: *Vos estis lux mundi.* Unde secundùm quod oculus est clarus, vel obscurus, sic corpus ab eo regitur per vias planas, vel per præcipitia. Petat igitur bonus Parochus hanc prudentiam à Deo, ut petivit [d] Salomon, qui ad benè gubernandum, hanc solam postulavit sciens sine ea non posse populum benè regi. Greg. [e] *Admonendi sunt, qui præsunt, ut per circumspectionis studium oculos pervigiles intus, & in circuitu habeant, ut cœli animalia fieri contendant; dignum quippe est, ut cuncti, qui præsunt, intus atque in circuitu oculos habeant, quatenus & æterno judici in semetipsis placere studeant, & exempla vitæ exteriùs præbentes ea etiam, quæ in aliis sunt corrigenda, deprehendant.* Alludit ad animalia ostensa [f] Ezechieli, & Joanni, quæ erant plena oculis ad significandam prudentiam eorum, qui regunt, maximè in ordine ad vitam æternam, ad quod regimen non vulgaris prudentia opus est; quia sunt varia hominum ingenia, variæ inclinationes, studia varia, quibus, ut notavit idem Gregor. non una, eademque exhortatio omnibus congruit. Quare sicut imprudentia erit uno, & eodem medicamento omnes velle sanare morbos, ita & omnes homines eadem via ducere, eadem pascere doctrina, iisdem mediis providere; easdem actiones consulere.

[d] 2 Paral. 1. 10.
[e] 3 p. Past. adm. 5.
[f] Ezech. 1. Apoc. 4.

91 *Vera prudentia*, ait Basil. [g] *est cogni-*

[g] Hom. 4.

tio

Digitized by Google

tio eorum, quæ agenda sunt, quam si quis sectatus fuerit, numquam ab officio, virtuteque discedet, numquam vitiorum pestem incurret. Seu, ut ait D. Thom. [h] *Vera prudentia est, quæ recto, & vero fine posito, vias deinde, & rationes aptas applicat ad eum consequendum.* Unde sine recto fine intento, vera prudentia esse non potest. Cùm igitur finis Parochi sit gloria Dei in salute animarum procuranda, prudentia dictat ea, quæ agenda, & quæ fugienda sunt, ut hic finis obtineatur, in quo magna circumspectio est necessaria, ne omittantur, quæ sunt agenda, & ne fiant, quæ sunt fugienda.

h 2. 2. q. 47. a. 1.

92 Ad hanc autem prudentiam comparandum, & augendam. Primò imploranda est à Deo tamquam à Patre luminum, à quo omne bonum procedit, ut ipse mentem illuminet. Secundò servet se Parochus ab omni culpa saltem mortali, quia Deus illustrare non solet supernaturali lumine mentem jacentem in peccato. Amb. [i] *In acquirendis consiliis plurimum confert vita probitas, prærogativa virtutum, & gratia frugalitatis.* Imò juxta Theologorum doctrinam nemo potest esse perfectè prudens, nisi omnes virtutes perfectè possideat. Tertiò diligenter observet ea, quæ quotidie eveniunt; quia experientia, sicut est omnium rerum magistra, ita est perpetua comes prudentiæ. Quartò fugiat præcipitationem in agendo, vel loquendo ante adhibitum maturum judicium; ait enim Scriptura: [l] *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Est enim levitas imprudentia, & ideò non statim ferat judicium, cùm primum aliquid audit: [m] *Quia qui citò credit, levis est corde.* Ne corripiatur ira, quia ira obstruit aditum bonis consiliis, claudit oculos, ne futura prævideantur; mentem ligat, ne homo sit compos sui. Greg. [n] *Per iram sapientia perditur, ut quid, quove ordine agendum sit, omninò nesciatur.*

i 2. Offic. 12.

l Eccl. 32. 24.

m Eccl. 19. 4.

n 5. mor. 31.

93 Præterea libenter perquirat aliorum sententiam, & virorum sapientum consilio utatur: [o] *Nam sapiens est, qui audit consilia.* Et superbia est existimare se nullius egere consilio, ac sibi penitus acquiescere. Quia, ut dixit Basil. [p] *Nullus sanè est adeò instructus, & sapiens, qui nullius ope, aut consilio indigeat.* Moyses sapientissimus, & Deo familiaris consilium à Jethro accepit. Si enim in temporali regimine omnes consultatione utuntur, quantò magis in negotio animarum, in quo imprudentia sacerdotis æternum sibi, & animabus damnum afferre potest. Hieron. [q] *Græci poetæ laudabilis illa, & admiranda sententia est, primùm esse beatum, qui per se sapiat; secundùm, qui sapientem audiat; qui autem utroque caret, hunc inutilem esse tam sibi, quàm aliis.* Bonav. [r] *Debet qui præest, consilia libenter audire, & humiliter quærere. Et in hoc simplex humilitas consistit. Primò, si alii idem sentiunt, quod & ipse, securus est quòd non decipiatur. Secundò, quidquid fecerit cum sapientum consilio, si aliquid inde evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quàm si de suo tantùm sensu id fecisset. Tertiò, quia sæpè in merito humilitatis talis, Deus dat ei agnoscere per se, vel alium, quod anteà non intellexit.* Ait enim Cyprian. de singul. Cleric. *Expedit plus benè timere, quàm malè fidere. Et utilius est, si infirmum se homo cognoscat, ut fortis existat, quàm fortis videri velit, & infirmus emergat.*

o Prov. 12. 15.

p hom. 12. in i. prov.

q in c. 3. Isai.

r Cap. 7. de sex alis.

94 Curet igitur bonus Parochus sapientem aliquem, prudentem, timoratum, ac Deo plenum, vel plures etiam habere maximè ex illis, qui animarum curam diu cum laude exercuerunt, quorum experientia multùm valet ad alios instruendos. Quia, ut ait Amb. [s] *Talis esse debet, qui alteri consilium dare vult, ut se ipsum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, ut ejus sermo salubris, atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora sit.* Si hujusmodi virum habeas, ejusque consilia & monita audias, magnum præsidium habebis. Audi Eccles. [t] *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, & proverbia laudis non effugiant à te. Et si videris sensatum, evigila ad eum, & gradus ostiorum illius exterat pes tuus.*

s 2. Offic. 17.

t Eccl. 6. 35.

CAPUT XII.

Parochus & sibi diffidat, & fiduciam in Deum habeat.

Aliud medium valdè principale, ut curam animarum cum laude peragat, est, si sibi diffidat, omnemque fiduciam in Deo ponat, juxta illud: [a] *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne innitaris prudentiæ tuæ.* Cognoscat nihil ex se boni facere posse circa animas sibi commissas, confidat tantùm de Dei misericordia Dominum illo usurum, 95

a Prov. 3. 5.

Digitized by Google

tum, ut instrumento ad res magnas operandum circa illarum salutem, ut faciebat Paulus, qui dicebat: [b] *Fiduciam autem talem habemus, per Christum ad Deum: non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti.*

b 2 Cor. 3. 4.

96 Agnoscat se debilem, infirmum, imperitum, & ad omne bonum insufficientem; confidat tamen se electum ab illo Domino, qui infirma mundi eligit, ut confundat fortia. Et sicut per instrumenta, quæ de se videbantur inutilia, quales erant rudes, ac imperiti piscatores, mundum convertit. ita simili instrumento utetur ad salvandas animas sibi traditas. Ideò enim Deus debilia instrumenta elegit ad rem adeò grandem, ut homo in se non fidat, nec sibi aliquid attribuat, sed omnem fiduciam in Deo ponat; quia scriptum est; [c] *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo,* ut dicebat Paulus referens ex Scriptura.

c 1. Cor. 1. 19.

97 Hinc colligat primò, non despondere animo cognoscendo propriam insufficientiam, & parvitatem ad ministerium tam divinum; imò hinc majorem animum concipiat ad confidendum in Deo, cujus hæc est natura, ut parvis utatur instrumentis ad res maximas peragendas, ut benè agnoscebat sanctus Franciscus, qui rogatus cur totus mundus post illum iret? Respondit: [c] *Quia Dei bonitas posuit oculus misericordiæ suæ in me peccatorum maximo, in me simplici, idiota, & vilissima creatura; quia eligit res debiles, & minimas, ut fortes, & magnas confundat, ut sic omnis honor, & gloria sit ejusdem Dei, & nulla creatura habeat unde glorietur, nisi in Domino.*

c In ejus vita.

98 Colligat secundò, ut Dei misericordia dignetur facere magnum fructum in Parœcia, non superbè sapiat, sed semetipsum humiliet, ac si nihil fecisset. Audiat Psalmistam: [d] *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis, Opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis. Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos: afflixisti populos, & expulisti eos: Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos: Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis. Tu es ipse Rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non salvabit me. Salvasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti. In Deo laudabimur tota die: & in nomine tuo confitebimur in sæculum.* Nihil ergo sibi adscribat, sed totum Deo, ut fecit sanctus David. Imitetur etiam Petrum, qui per totam noctem laborans in mari nihil cepit, quando verò in nomine Christi laxavit rete, tot pisces comprehendit, ut duo navigia penè mergerentur; quo ab ipso cognito [e] *procedit ad genua Iesu, dicens: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine. Stupor enim circumdederat eum, & omnes, qui cum illo erant, in captura piscium, quam ceperant.* Remansit Petrus attonitus, confusus, & humiliatus, videns se per totam noctem in vanum laborasse, ad verbum autem Domini tantam piscium multitudinem comprehendisse. Ita se gerat bonus Parochus, quando viderit notabilem reformationem in suo populo; eam totam Christo, non sibi attribuat, ab eoque eam speret, non autem ab industria sua, licèt semper conari debeat ad populi emendationem.

d Ps. 43. 2.

e Luc. 5. 8.

99 Colligat tertiò, quamvis sibi fidere non debeat, nec in suis viribus sperare, applicandam tamen omnem diligentiam ad populum suum meliorandum; quia velle quòd populus sine ejus industria, ac labore proficiat, foret tentare Deum, qui animas lucrari consuevit per ministros ab ipso electos. Unde Paulus vocat se coadjutorem, & cooperatorem Dei, & Christus noluit concedere Petro piscium multitudinem, de qua proximè, nisi laxando rete, ut Parochus intelligat non fore otiosum, sed laxanda ab eo retia, usurumque omni diligentia, & industria, non tamen fiduciam positurum, nisi in solo Deo; à quo est omnis fructus, & profectus, ut docuit Christus: [f] *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.* [g] *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed, qui incrementum dat, Deus.* Faciat ut Petrus, & Joannes, quando sanarunt claudum ad portam Speciosam, qui dixerunt: [h] *Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?*

f Luc. 17. n. 10.

g 1. Cor. 3. 7.

h Act. 3. 12.

100 Hac in Deum fiducia laboret, & videbit mirabiles fructus. Cyprian. ad illud:

Digitized by Google

i Deut. 11. 24. illud: [i] *Omnis locus, quem calcaveris pes*
l Cypr. *vester, vester erit*: ait [l] *Pes vester utique spes vestra est, & quantumcumque illa processerit, obtinebit*. Ac si dicat: si magna à Deo speraveritis, ille magna operabitur per vos: si pauca; pauca operabitur. Ille, qui
m Matth. 9. 18. dicebat: [m] *Filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet*. Fiduciam habebat in Christo, sed modicam, quia judicabat necessarium, ut Christus iret, & tangeret eam. Dominus tamen juxta ejus fiduciam operatus est. Ivit, tetigit, & suscitavit il-
n Matth. 9. 21. lam. Illa verò, quæ dicebat intra se: [n] *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero*. Postquam tetigit sanata est secundùm fidem, & fiduciam, quam habebat. Centurio autem majorem concepit fidem,
o Matth. 8. nu. 8. ac fiduciam, dicebat enim: [o] *Tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus*. Ideò Dominus ad eum: *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer in illa hora*. Operatus est Christus juxta ejus fiduciam sanando solo verbo. Ita se Deus habet nobiscum, si magna ab eo speramus, magna per nos operatur. Ideò
p Ps. 32. 22. David: [p] *Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum speravimus in te*: quia juxta fiduciam nostram, erunt Dei opera. Nam ut benè sanctus Zeno Veronensis Serm. 3. de Abraham. *Nihil difficile est fidei, quæ tantum habet, quantum credit*.

101 Timuit Josaphat Moabitas, & Ammonitas venientes in magna multitudine contra Dei populum, cui Deus per
q 2. Paral. 20. 11. 15. Prophetam: [q] *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei. Non eritis vos qui dimicabitis, sed tantummodò confidenter state, & videbitis auxilium Domini super vos*. Et ita factum est; nam confidente populo destruxit Deus exercitum faciens, ut inimici contra se ipsos dimicarent, seque occiderent. Videat bonus Parochus, quid Deus ab ipso quærat; speret de ejus bonitate; & eum adjuvabit, & prosperabit ejus industriam, & liberabit populum suum ab hostibus invisibilibus; habeat fiduciam in Deo, ad ipsum recurrat, & mirabilia operabitur in populi sa-
r Hom. 26. ad Rom. lutem. Chrysost. [r] *Nisi vehementer pigri, & negligentes fuerimus, sed quæcumquè ad nos pertinent, simul attulerimus, & in his, quæ ignoramus, manum porriget Deus*. Bern.
f Ser. 85. in Cant. [f] *Dei gratia omnia possibilia sunt innitenti super eum, qui omnia potest. Quanta fiducia vox? omnia possum in eo, qui me confortat: nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui in se sperant*. Psalmista: [t] *Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum*. Et alibi: [u] *In te speraverunt Patres nostri: speraverunt, & liberasti eos. Ad te clamaverunt, & salvi facti sunt: in te speraverunt, & non sunt confusi*. Ecclesf. [x] *Scitote quia nullus speravit in Domino, & confusus est. Quis invocavit eum, & despexit illum?* t Ps. 90. 14. u Ps. 21. 5. x Eccl. 2. 11.

102 Dicat igitur frequenter ad Deum cum omni affectu: Domine hoc negotium animarum tuum est, non meum: quid ego facere possum, si tu corda non moveas? defende populum tuum, cura de honore tuo: ego & populus meus meremur humiliationem, confusionem, & damnationem propter peccata nostra: sed quid erit de magno nomine tuo? Dicent inimici tui videntes fidelem populum per peccata captivum, & damnatum te non potuisse illum perducere in terram promissionis: defende ergo Domine honorem tuum, defende pretium sanguinis tui. [z] *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Hanc orationem Deus exaudiet, ut audivit [a] Josue similiter orantem: [b] *Nam beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus*. z Ps. 113. 9. a Josue 7. 8. b Ps. 146. 11.

CAPUT XIII.

Audiat Parochus Episcopum suum.

DIvus Thom. sapienter dixit: [a] *Sicut Moysi septuaginta senes dati sunt in adjutorium regiminis; ita Parochi in adjutorium ministerii concessi sunt*, (nempe Episcopo) *& veluti membra cum illo tamquam capite ad hoc tam perclarum ministerium assumuntur*. Sunt igitur Parochi tamquam agentia secundaria, & adjutores sui Episcopi, qui post Romanum Pontificem, qui est universalis Pastor ovium Christi, est primus animarum Rector in sua diœcesi, cui Parochi subordinantur, ut animarum salutis cooperatores, quibus Episcopus vices suas communicat, ut ab ipsis adjuvetur in hoc sancto regimine. Quibus proinde applicari potest illud Dei ad Moysen: [b] *Duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi; & auferam de spiritu tuo, tradam-* 103 a Quodlib. 3. a. 17. b Num. 11. 16.

Digitized by Google

damque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris.

104 Cùm igitur Episcopus sit caput, cujus spiritus, & virtus communicatur Parochis tamquam brachiis, per quæ ipse immediatius salutem ovium procurat, sequitur quòd Episcopus peculiari patris affectu Parochos sibi subjectos prosequi, ac fovere debeat, eorum pios conatus adjuvando, ut Dei causa felicius, & suavius peragatur. Unde faciles aditus illis præbeat, ad se venientes comiter excipiat, patienter audiat, & promptè satisfaciat; obtrectatoribus non statim assensum præbeat, illos non tamquam servos minis terreat, sed amanter amplectatur. Audiat Bern. [c] *Quid jugum vestrum super eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis?* Onera Parochorum, onera sunt Episcopi; jugum, quod portant, humeris Episcopi incumbit. Unde si illud levare conetur, sibimet Episcopus consulit.

c Serm. 23. in Cant.

105 Parochus verò suum Episcopum magis amet, ut patrem, quàm timeat, ut judicem. Hieron. [d] *Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi Parentem suscipe; amare filiorum est, & timere servorum.* Ex quo amore proveniet honor, ac reverentia Episcopo debita tamquam illi, qui in dignitate constitutus est, & supra nos potestatem habet, & Dei vices gerit, estque custos, qui non solùm vigilat super populum, sed super ipsos etiam Parochos, tamquam pro ipsis rationem etiam redditurus; Est magister, à quo dirigi, & instrui debet Parochus, ut populum Dei regat, & pascat.

d Ad Nep.

106 Hæc autem reverentia non sit solùm externa, quæ in præsentia deferri solet, sed etiam interna, orta ex interno cordis affectu, ut monet Bern. [e] *Redde reverentiam Prælato, & obedientiam; quarum altera cordis, altera corporis est: nec enim sufficit exterius obtemperare superioribus, nisi ex intimo cordis affectu sublimiter sentiamus de illis.* Nam reverentia externa sine interna perfecta non est; sed simulata, & ficta qualis à multis exhibetur illis, quos odio prosequuntur. Sit igitur Parochi affectus erga Episcopum sincerus, de eo ubique honorificè, & reverenter loquatur, ut sic magis à populo suo observetur. Si enim seculares Principes suos non nisi cum magna reverentia nominant, virtutes extollunt, defectus contegunt; & illorum honorem ad se ipsos spectare putant: cur sacerdos tam erit temerarius, ut audeat coram secularibus Episcopi sui actiones dijudicare, piam ejus mentem perperàm interpretari, ac de eo minùs honorificè loqui, quod in proprium ipsius Parochi dedecus vertitur, & probrosam ignominiam! dicente Eccles. [f] *Ne glorieris in contumelia Patris tui: non enim est tibi gloria, ejus confusio: gloria enim hominis ex honore Patris sui, & dedecus filii Pater sine honore.*

e Ser. 3. de advent.

f Eccl. c. 3. 12.

107 Ex eodem amore proveniet obedientia Episcopo debita; quæ consistit in prompta, & facili executione earum rerum, quæ pro sancto, & recto animarum regimine ab Episcopo ordinantur, vel per modum legis in suis constitutionibus, vel per modum præcepti ad tempus, vel pro certo negotio. Nam si ad omnes artes ritè exercendas necessaria est subordinatio, & obedientia discipuli ad magistrum; quantò magis in arte pastorali, quæ ars artium est, ut eam vocat Greg. [g] Et cæteris præstantior, & difficilior. Quid securius Parocho esse potest, quàm in re adeò periculosa Episcopi nutum sequi, qui non fortuitò, aut humano tantùm consilio præest, sed Dei voluntate, & ordinatione, neque suo tantùm judicio, & spiritu regit, sed lumine à Deo accepto! Basil. [h] *Si Paulus Apost. Christianos, & Dei filios jubet subditos esse non tantùm illis, qui humana lege imperandi potestatem acceperunt, sed etiam infidelibus, & impiis, qualis obedientia debebitur ei, qui à Deo ipso constitutus sit præses, & à legibus divinis potestatem accepit?*

g 1. p Past. c. 1.

h de cōst. monast. c. 23.

108 Ex hac obedientia maxima oritur Parocho securitas conscientiæ, quæ est singulare solatium muneris Parochialis: [i] *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Ac si dicat Apostolus: vestrum est obedire; illorum rationem reddere de his, quæ imperant. Bern. [l] *Quid enim interest utrùm per se, an per suos ministros, sive homines, sive Angelos hominibus innotescat suum beneplacitum Deus? Sed homines, inquis, facilè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda possunt; sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es, præsertim cùm teneas ex Scripturis, quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est? A quo denique divina potius consilia requirentur, quàm ab illo, cui credita est dispensatio my-*

i Heb. 13. 17.

l de præcepto. & dispensat.

myſteriorum Dei? ipſum proinde, quem pro Deo habemus tamquam Deum in iis, quæ apertè non ſunt contra Deum, audire debemus.

109 Igitur cum magna fiducia in dubiis, & neceſſitatibus, quæ ſæpè in animarum cura contingunt, Parochus ad ſuum Epiſcopum confugiat, cui Deus majorem gratiam, & opem communicat pro muneris ſui ratione, ad alios inſtruendos. Sit verò maximè obediens in exequendis ordinationibus, & decretis ſui Epiſcopi, quia hæc aliquid amplius habent ſupra ipſius vocem, & vivum ſermonem: nam prudens, & ſapiens Epiſcopus, antequam aliquid decernat, & conſtituat, rem prius cum Deo, & viris peritis communicat, nec aliquid ab eo in lucem prodit, quod prius non ſit matura conſideratione diſcuſſum. Quamobrem plus adjumenti capitur ex decretis hujus, quàm ſi ad Epiſcopum ipſum accedas requirens conſilium ſuum. His mediis utatur bonus Parochus, & confidat de divina miſericordia ſe maximè profuturum in promovendis animabus ſibi commiſſis.

LIBER TERTIUS.

DE

RESIDENTIA PAROCHI.

VEniendo magis in particulari ad obligationes Parochi, de quibus lib. præcedenti diximus, eas magis enumerando, & breviter illuſtrando, quàm explicando. Dicendum eſt in hoc lib. de prima, quam attigit Concil. Trident. verbis illis: *a Oves ſuas agnoſcere*. Junctis aliis, quæ adjungit poſt enumerata munera paſtoralia, ſcilicet, *Quæ omnia nequaquam ab iis præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt*. Quibus ſignificatur reſidentia in propria Parochia, & aſſiſtentia inter oves ſibi traditas. De hac igitur reſidentia, quæ eſt veluti fundamentum reliquorum munerum Parochialium, in hoc lib. agendum eſt: ubi explicabimus, quanta ſit hujus reſidentiæ obligatio; quæ, & qualis eſſe debeat. Quando, & quomodo liceat abeſſe à Parœcia. Quas pœnas incurrat Parochus non reſidens. Brevi tamen ſtylo omnia magis præſtringentur, quàm diſputabuntur, ut ſummatim habeat Parochus obligationes officii ſui.

a Seſſ. 23. c. 1. de ref.

CA-

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Parochus tenetur ad residentiam ex jure Divino.

a Prov. 27. 23. b Eccl. 7. 24. c Act. 20. 28. d Jo. 10. 14.

1 Sumitur resolutio primò, ex sacris Literis: [a] *Cognosce vultum pecoris tui, & gregem tuum diligenter considera.* [b] *Pecora tibi sunt? attende illis.* [c] *Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* [d] *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Ubi Christus exemplo boni Pastoris, cujus se exemplum proposuit, declaravit Pastorem cognoscendum ab ovibus, & oves à Pastore, ad quod requiritur, ut Pastor vivat inter oves, eisque assistat residendo in Parœcia, in qua oves commorantur.

e Sess. 23 c. 1 de reform.

2 Sumitur secundò, ex Concil. Trid. dicente de omnibus curam animarum habentibus: [e] *Cùm præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas agnoscere:* Et infrà: *Quæ omnia nequaquam ab iis præstari, & impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt, sacrosancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate pascant, & regant.*

f Azor. 2. p. l. 7. c. 4. q. 1. Less. l. 2. cap. 34 dub. 29 Barb. de offic. Paroch. 1. p. cap 8. n 1.

3 Ex quibus locis, & aliis, quæ lib. 2. cap. 2. ex sanctis Patribus adduximus, colligunt Doctores [f] residentiam Parochi esse de jure divino. Et ratio breviter est, quia ex jure naturali divino tenetur Parochus præstare ea munia, quæ sunt officii sui, qualia sunt ea, quæ à Concilio referuntur loco proximè allegato, de quibus summatim diximus lib. 2. à cap. 2. usque ad 8. latius explicaturi libris sequentibus: sed ea præstare non potest, nisi assistat gregi suo, & resideat in sua Parœcia: ergo de jure divino naturali tenetur ad hanc residentiam.

4 Neque objicias. Pontifex, imò & Episcopus, saltem ad tempus dispensare possunt in residentia Parochi: sed non possunt dispensare in his, quæ sunt de jure divino: ergo residentia Parochi non est de jure divino, aut naturali. Quia neque Episcopus, neque Pontifex dispensat in hac residentia propriè tollendo vinculum, quo Parochus est adstrictus ad residentiam; nam vinculum illud residendi resultat ex pacto inito cum Parochia, quod mutabile est per potestatem publicam. Unde consequenter naturalis obligatio, quę ex eo pacto, & voluntate humana nascitur, potest mutari, vel auferri; quia pactum illud ex natura rei subordinatur Papæ, & Episcopo, qui in tali Parochia habent excellentiorem potestatem, & curam etiam immediatam. Unde quando dispensant in residentia, statuunt quomodo pro tali tempore providendum sit Parochiæ de ministro sufficienti, & quasi onus in se suscipiunt, & Parochus liberatur obligatione personali residendi, non per dispensationem in præcepto naturali, sed quia illo modo impletur pactum initum, ex quo obligatio legis naturalis divinæ oriebatur: vel potius impletur ea obligatio alio modo incluso etiam in pacto, providendo modo præscripto à Papa, vel Episcopo ex justa causa, de qua in sequentibus.

g Azor. supr. Soar. de relig. tract. 2. l. 1. c. 14. Barb. suprà n. 2.

5 Igitur existente causa legitima [g] declarant vinculum illud cessare ob causam supervenientem, & Parochum non teneri in tali casu, vel pro tali tempore residere, & Dei voluntatem esse, ut non cogatur pro tunc ad personalem residentiam. Unde quando Papa, vel Episcopus id facit, Deus talem declarationem ita approbat, ut ab obligatione precepti divini Parochum ipso facto liberet. Quare non dispensant, ut agentia principalia, sed ut instrumentalia, & ministerialia, quatenus ex officio, & cum authoritate declarant esse justam causam, ob quam Deus relaxat obligationem, unde Deus tunc, ut agens principale, tollit illam obligationem. Sed hæc ad speculationem pertinent, de quibus agunt Doctores tractantes quomodo Papa, & Episcopus possint dispensare in votis, juramentis, & aliis obligationibus juris naturalis, quæ oriuntur ex pactis, & conventionibus: de quo nos 1. 2. tract. 9. de legibus disp. 2.

6 Videat ergo Parochus, an causa allegata ad non residendum pro aliquo tempore sit legitima, & sua absentia necessaria, vel saltem valdè utilis universali Ecclesiæ, aut propriæ. Quia si Papa, vel Episcopus sine hac, aut alia justa legitimè, & verè allegata dispensaverit, ipse peccabit non residendo, quia talis dispensatio concessa sine legitima causa verè existente, surreptitia est; nec licitè, imò neque validè concedi potest,

test, neque à Papa, qui in illis, quæ sunt de jure naturali, nec licitè, nec validè dispensare potest sine legitima causa.

CAPUT SECUNDUM.

Residentia Parochi debet esse personalis.

POterit fortasse Parochus existimare satisfacere obligationi suæ residendo per alium sacerdotem æquè, vel magis idoneum. Hanc tamen falsam existimationem omninò excludit Concilium Tridentinum cap. 1. suprà relato. Ubi postulat residentiam personalem Pastoris, & industriam personæ, quæ per alium suppleri non potest: ergo personaliter, & non alio modo satisfaciet Parochus muneri suo, quamvis populo æquè benè, & fortè melius per alium serviatur, ut etiam communiter docent Doctores. [a]

a Less. l. 2. c. 34. dub. 23. Possev. c. 1. n. 8.

8 Ratio verò est, quia contra rationem est, ut Parochus habeat officium cum emolumentis, & alius onus, curam, & vigilantiam, nisi major aliqua ratio cogat illum abesse, ut posteà dicetur. Nam Christus non vult in sua Ecclesia solos mercenarios, sed proprios Pastores: Parochus autem est proprius Pastor, substitutus à Parocho est mercenarius, cujus non sunt oves propriæ: ergo Parochus per se ipsum personaliter assistere debet gregi suo. Confirmatur, quia qui accipit aliquod officium, obligat suam personam ad proprias functiones officii, taciteque ex natura rei promittit se illas obiturum, quantum res ipsa patiatur, & nisi putaretur id facturus, ei officium non daretur: ergo idem à fortiori est de officio Parochi, qui proindè tenetur ad personalem residentiam.

9 Cum hoc tamen stat, quòd Parochus non prohibeatur habere Coadjutorem sacerdotem, à quo adjuvetur in muneribus parochialibus; imò laudabile erit, si commodè poterit, aliquem probum, pium, & benè instructum adjutorem habere, ut populus melius serviatur, id enim approbat communis consuetudo. Non est tamen probandus aliquorum usus, qui Capellanum tenent, non ut adjutorem laboris, sed ad propriam quietem, & otium, relinquentes illi omnia ministeria Parochialia, ita ut ipsi nihil faciant pro cura animarum.

10 Quare Parochus officio suo non satisfacit, si residens quidem corporaliter totam curam relinquat Capellano. [b] Audiat virum doctissimum: *Nec Parochis proderit, ut ab onere peccati, & restitutionis liberentur, aliquibus saltem inservire ministeriis, aliquibusve Sacramentis ministrandis incumbere, nisi major pars, vel saltem æquivalens per ipsosmet exerceatur, veluti illa, quæ à quolibet Vicecurato administrantur. Ut ergo unico verbo comprehendam, nota illis Sacramentis operam dare debere, quæ ex æquitate ministrari ab eis possint, ut notavit Vasques,* [c] *vel ad minus se præsentem in Ecclesia debet constituere Parochus, ut Parochiani, si velint, ipsum eligant Sacramentorum administratorem præsertim confessionis. Non tamen tenebuntur Parochi noctu administrare, communiter loquendo, sufficit enim ut id muneris exequatur Vicecuratus. Quod intelligo, nisi Parochus specialiter vocetur, quia tunc tenebitur personaliter ire, ut mox dicam.* Postquam verò alia dicit in hanc rem, concludit: *Hinc proh dolor! quàm malè aliqui Parochi se gerant, Sacramenta nunquam administrantes, & suarum ovium curam mercenariis committentes, qui cùm, ut plurimum, sacerdotes inopes, & egentes sint, timeri non imprudenter poterit, potius rationem habituros quærendi ab ovibus victum, quàm curam medendi infirmitatibus animæ, complacere eis studentes, quando respuenda, & reprehensionis gladio sunt ferienda. Nec scio qua cæcitate ducti Parochi hæc non advertunt tam clara, & quasi cæcis nota.*

b Joa. Sanch. disp. 47. n. 4. 5. 7

c de pœn. q. 63. a. 2. dub. 6. fine.

11 Quapropter Parochus, si ita se gerat, ut vocatus nominatim nolit ire, vel expetitus nolit audire, sed remittat ad Vicecuratum, excusandus non est; quia est proprius Pastor, cui oves Christi commissæ sunt; quibus personalis vigilantia, cura, & solicitudo negari non potest, maximè quando hæc postulatur. Potest enim infirmus, qui vocat, vel etiam sanus, qui petit, habere aliqua, quæ libens conferre cupit cum suo Pastore, quæ communicare Capellano non audet, vel saltem non habet tantam consolationem: non patitur igitur officium Pastoris deesse ovi ejus operam petenti; nec patitur Patris amor deesse Filio ad ipsum confugienti pro salute, vel consolatione. Unde credo graviter peccaturum Parochum renuentem, nisi illum aliqua causa valdè gravis excuset.

12 Ac-

Digitized by Google

12 Accedit, quia benevolentia Pastoris debet respondere amori populi. Unde si vocetur ab aliquo de sua Parochia, debet benevolè accurrere, audire, mederi, & consolari. Estque optimum consilium esse in hac re facilem, nec personarum acceptatorem, sed pauperes, & divites, nobiles, ac ignobiles æquè juvare, & consolari, maximè quando expresè vocatur, aut petitur. Sublevatur enim valdè, & hilarescit ægrotus, imò & sanus pauper, & humilis benignitate sui Pastoris, & omnis populus capitur ab ejus benevolentia, amaturque tamquam Pater. Quare qui habet Capellanum adjutorem, utatur illo non ut homine, qui portet pondus diei & æstus, sed ut socio curæ, & laboris pastoralis; advertatque quantum laboris adimit Capellanus, tantumdem meriti, ac præmii sibi auferri.

CAPUT TERTIUM.

Residentia Parochi debet esse in propria Parœcia.

13 PArochus debet residere in domo [a] ipsius Ecclesiæ Parochialis, si Ecclesia propriam domum habeat; si verò illam non habeat, habitare debet in alia domo, quæ sit intra limites Parochiæ. Fundamentum est, quia residentia Parochialis esse debet, ut populo suo benè inserviat in muneribus Parochialibus: sed ad hoc valdè conveniens est, ut resideat in domo Ecclesiæ, si illam Ecclesia habeat, quæ solet esse ipsi Ecclesiæ vicina, vel saltem intra limites Parochiæ, ut populus intra se habeat Pastorem suum, ad quem facilè recurrat in suis necessitatibus. Unde Garcia deducit ex sententia S. Congreg. si Ecclesia domum propriam non habeat, oportere quod Parochus aliquam conducat intra limites suæ Parochiæ.

[a] Garc. de benef. 3. p. c. 2. nu. 179. Sanctar. q. 4. nu. 46. Barb. de Episc. alleg 53. nu. 71.

14 Non tamen damnarem Parochum, qui in civitatibus, & oppidis majoribus, in quibus sunt variæ Parœciæ, si non habeat domum propriam Ecclesiæ, vel illa commoda non sit, habitaret intra limites alterius Parochiæ, si domus illa non multùm distaret à sua Ecclesia; quia parum pro nihilo reputatur, & aliquando contingere potest, quòd domus extra limites Parochiæ vicinior sit propriæ Ecclesiæ, quàm multæ, quæ continentur intra proprios limites; ut Eboræ vicinior est Ecclesiæ Parochiali sancti Antonii domus sita intra limites Parochiæ sancti Jacobi, quàm illæ, quæ sunt intra limites ejusdem S. Antonii prope Monasteria Calvariæ, aut S. Francisci.

15 Nihilominus [b] Barb. ita in hac materia loquitur: *Fuit aliquando dispensatum, ut Parochus non habens commodam habitationem in Parochiali, posset degere in loco vicino, dummodò prope Ecclesiam substitutus ejus habitet; & nonnunquam hæc facultas concessa fuit sine illa conditione, quòd substitutus prope Ecclesiam habitet, teste Garcia:* [c] *Nunc verò nequaquam id esse concedendum existimo, prout ex aliquorum repulsis mihi constat. Et in una Sarzan. 13. Novemb. 1627. censuit sacra Congregatio Concilii Parochum non excusari, quin intra Parochiam residere debeat, quamvis non adsit commoda domus Parochialis, & sit magna aeris intemperies; & retineat Capellanum in Parochia, & ipse Parochus accedat singulis diebus festis.* Ista tamen decisio non videtur procedere in casu, de quo §. antecedente loquuti sumus, in quo Parochus moraliter censetur habitare in sua Parochia; quia quamvis sit extra limites illius, suæ Ecclesiæ vicinior est, quàm si intra proprios fines habitaret, quia sic magis consulitur fini intento.

[b] de Paroch. 1. p. c. 8. n. 36.

[c] supra n. 17.

16 Si [d] Ecclesia habeat domum propriam, & Parochus ea relicta habitet in domo paterna, aut cognatorum intra limites Parochiæ existente propter honesta servitia, & sui majus commodum sciente, & tacente Episcopo, residentiæ obligationi satisfaciet, quia licèt ex domo Ecclesiæ eidem vicina posset facilius Sacramenta administrare; necessitatibus tamen populi ex habitatione prædicta sufficienter providere poterit; Et sic non est, quòd in hac parte scrupulis angatur, si non extet constitutio, aut præceptum Episcopi, quòd non alibi, quàm in domo Ecclesiæ Parochi habitent. Et idem credo secluso prædicto præcepto, estò domus paterna sit extra limites Parochiæ juxta doctrinam traditam §. Non tamen.

[d] Posser. c. 1. n. 7. Barb. c. 8. n. 37.

17 Si [e] Parochiani sint intra, & extra civitatem, oppidum, aut pagum; Parochus tenetur habitare prope Ecclesiam civitatis, oppidi, vel pagi, licèt ibi minor pars populi inhabitet, & major sit longè in oppidulis, vel per domos rurales dispersa; succurrendo tamen illis, qui longè habitant, secundùm antiquam

[e] Barb. n. 38. Garc. nu. 179. Sanctar. q. 4. n. 46.

quam loci consuetudinem, ut sumitur ex Conc. Trid. fuitque decisum à sacra Congregatione, ut referunt bonæ notæ Doctores.

f Garc. n. 179. Barb. n. 39 cum aliis.

18 Non f potest autem Parochus haberi pro residente, si inhabitet in civitate vel oppido, à quo sua Ecclesia Parochialis distet tribus, aut quatuor milliaribus, seu per unam leucam, quamvis singulis diebus Dominicis, & festis ad eam accedat. Unde Parocho villæ Mirtetti extra terram Massę Sarzan. diœcesis, qui se excusabat à residentia in propria Parochia, & habitabat in dicta terra, eò quòd non adesset commoda domus Parochialis, & quia habebat in Parochia Capellanum, ipse accedebat ad Ecclesiam suam singulis diebus festis; S. Congregatio Concilii 13. Novemb. 1627. respondit, quòd intra mensem conduceret domum in Parochia, & intra sex menses domus Parochialis reaptaretur.

19 Quare Monachus exercens curam animarum in Parochiali unita monasterio, si hoc distet ab Ecclesia suę curæ, tenetur habitare in domo Parochiali, & non in monasterio, ut declaravit sacra Congregatio Concilii 5. Aprilis. 1631.

CAPUT QUARTUM.

Explicantur aliqua dubia circa prædictam residentiam.

a Barb. c. 8. n. 4. & sequent.

20 EST tam præcisa residentia Parochi, ut quæ de ea dicta sunt, procedant, etiam si Ecclesia a Parochialis sit valdè tenuis, & quamvis incolæ aliò recesserint, & remanserint tantùm tres, aut quatuor incolæ. Si tamen Ecclesia Parochialis in notum Parochianos habere desierit; de illa tunc provisus non tenetur personaliter residere, quia de ea judicari tunc debet, ac si esset beneficium simplex. Sicut nec teneretur residere obtinens monasterium, vel abbatiam, quæ cura, & conventu caret.

b Bar. cum aliis n. 8.

21 b Obtinens Ecclesiam Parochialem per provisionem Sedis Apostolicæ habens liberum curę exercitium & possessionem omnium bonorum, fructuum, & proventuum ad dictam Parochialem pertinentium, licèt in limine adeptæ possessionis lis mota fuerit, tenetur ad residentiam in dicta Ecclesia, ac si lis mota non fuisset.

22 Parochus habens duas Ecclesias Parochiales unitas, tenetur residere in digniori. Si verò non constet quæ sit dignior, tenetur residere in frequentiori. Sed si una fuerit extra, altera intra urbē, vel oppidum, residere debet in ea, quæ est intra urbem, aut oppidum. Ita referunt decisum graves Authores. c Unde si populus dividatur, & una pars habitet in civitate, vel oppido, & altera extra, & idem Parochus eamdem Parochiam obtineat ex consuetudine, residere debet in civitate, aut oppido. Habens autem duas Parochiales unitas perpetuò invicem æquè principaliter, & non unam alteri accessoriè, ita ut una non sit dignior, & principalior altera, poterit in qua maluerit residere. Sed hæc apud nos rarò inveniuntur.

c Garc. n. 179. Barb. c. 8. n. 9 & 10.

23 Habens d Parochialem Ecclesiam simul cum Canonicatu ex legitima dispensatione, debet residere in Parochiali, cùm prima, & præcipua debeat esse cura animarum, juxta Constit. e Pii V. unde potest percipere fructus Canonicatus, & solùm perdere distributiones quotidianas, & si quid prætereà absentes justa de causa non percipiunt. Si verò Parochialis sit in eodem loco, ubi est Canonicatus, & possit utrique inservire, poterit etiam quotidianas distributiones percipere. Quare habenti Parochialem in civitate, & Canonicatum in Cathedrali, vel Collegiata ejusdem civitatis, si possit utrique inservire, non esse molestiam inferendam decisum referunt f Authores subdentes: Si vacet Parochialis, non debere Episcopum illam conferre habenti Canonicatum, quamvis præbendæ valdè tenues sint, sed debere consulere Papam, veros redditus Canonicatus, & Parochialis exprimendo. Idque fuit decisum in Rota in una Leodien. Canonicatus 3. Junii. 1610. Et ideò nec habenti dignitatem tenuem in Ecclesia Cathedrali, quæ de distributionibus quotidianis non percipit, Ecclesiam Parochialem, inconsulto Papa, conferri debere dicit resolutum Armendar. suprà.

d Armendar. n. 79. Bar. n. 12.

e Cōst. cupientes 65. Pii 5.

f Armendar. lib. 4. tit. 7. n. 49.

24 Si residens in g Parochiali non longè absit ab Ecclesia, in qua habet Canonicatum, potest ex indulgentia diebus ferialibus ad Ecclesiam Canonicatus accedere, & in ea divinis inservire, dummodò omnibus diebus, & horis congruis Parochiali inserviat, & nihil

g Garc. sup. n. 179. Armend. n. 156. Bar. n. 16.

Digitized by Google

nihil prorsus relinquat ex debito servitio ipsius, prout à sacra Congregatione fuisse decisum referunt Doctores. At obtinens Canonicatum, cui est unita Parochialis ad vitam obtinentis tantùm, tenetur in Parochiali residere, ut pariter decisum refertur, & sequitur ex suprà dictis.

25 Obtinens Parochialem, in qua Vicarium perpetuum legitimè institui obtinuit, eo vivente, residere non tenetur. Quod est intelligendum, si tota animarum cura legitimè translata fuerit in solum Vicarium perpetuum. Similiter Parochus Ecclesiæ, in qua fuit institutus Capellanus, cui ex institutione capellaniæ imposita fuit tota cura, seu perpetua Vicaria, quoad Capellanus vixerit, non tenebitur in ea residere; tenebitur tamen Capellanus in illa coadjutor authoritate Apostolica institutus, ut est communis sententia Doctorum.

h Armendar. n. 129. Bar. n. 20.

26 Si [h] Parochus obtineat coadjutorem, qui datus sit ratione infirmitatis, vel senectutis, non ob id excusatur à residentia, ut Authores dicunt resolutum à sacra Congregatione, & ratio suadet, quia non ob id eximitur à cura, sed succurritur infirmitati, & imbecillitati. [i] Et idem est de quolibet Parocho habente coadjutorem amovibilem, quia coadjutor, & Vicarius amovibilis in exercitio curæ arguit curam esse penes Parochum deputantem, & Ideò ipsum teneri ad residendum, pariter decisum testantur Authores.

i Garc. n. 179.

CAPUT QUINTUM.

Residentia Parochi debet esse continua.

27 Fundamentum resolutionis est, quia populus [a] continuò indiget opera sui Parochi: sed residentia debet esse talis, ut possit satisfacere indigentiæ populi: ergo cùm indigentia sit continua, residentia continua esse debet.

a Azor. 2. p. c. 4. Possev. c. 1. n. 5. Barb. c. 8. n. 42.

28 Hæc [b] autem continuatio debet esse moralis, quam non impedit brevis absentia, quando hæc fuerit rationabilis; qualis erit per aliquas horas, quando nullus infirmatur, ad honestam aliquam recreationem, vel ex alia justa causa; vel etiam per integrum diem, quamvis hæc absentia per integrum diem laudanda non sit. Tunc enim licitè abesse potest, etiam si nullum loco suo substituat, dummodò relinquat domi suæ commissionem, ut citò vocari possit, si opus fuerit; ita enim consuetudo optima legum interpres declarat etiam apud timoratos Parochos.

b Graff. 1. p. lib. 2. q. 29. n. 17.

29 Abesse [c] autem per duos, vel tres dies nullo etiam infirmante, & non relicto substituto, qui ejus defectum supplere possit, Authores communiter peccatum mortale reputant contra obligationem residentiæ propter multa, quæ possunt eo tempore evenire, maximè in rure, vel oppidulis, ubi non est alius sacerdos, qui possit ejus vices supplere. Potest enim interim aliquis mori sine Sacramentis, quæ quidem recepisset, si Parochus adfuisset. Unde sanguis hominis illius exquiretur de manu Parochi à supremo Pastore, & Judice Christo. Dixi *maximè in rure, vel oppidulis, ubi non est alius sacerdos.* Quia in civitatibus, & oppidis majoribus, ubi sunt religiosi, & alii sacerdotes, erit majus, vel minus peccatum ratione periculi, aut damni probabiliter eventuri, cui tamen ibi facilius poterit obviari.

c Possev. n. 4. Beja 4 p. casu 21. Barb. n. 44

30 Advertant igitur [d] Parochi rurales, & pagorum, ne singulis hebdomadibus ad urbem accedant causa invisendi amicos, maximè si non relinquant substitutum: sciantque posse Episcopum ipsis prohibere sub pœna pecuniaria, ne ultra biduum à sua Ecclesia abesse possint, licèt id prohibere non possit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut à S. Congregatione decisum referunt graves Authores. Sub pœna verò pecuniaria id esse permissum censuit Congregatio Concilii 11. Februarii 1628. & sæpè aliàs, ut refert Barbosa.

d Garc. c. 2. n. 23. Barb. c. 8. n. 45.

31 Cùm autem residentia Parochi sit in præcepto in ordine ad officium suum exercendum; non [e] satis erit corpore, seu personaliter residere, nisi ita resideat, ut facilè conquisitus inveniatur. Debet igitur ita copiam sui facere, ut indigentes non careant ministerio necessario. Non tamen ita arctatur, ut debeat semper manere domi, quasi in carcere. Non tamen debet se abscondere, ut non inveniatur, quamvis non eo animo id faciat. Unde optimè faciet, si domi suæ dicat ubi inveniri debeat, si fortè requiratur, vel si ordinaverit ut detur certum signum cum campana Ecclesiæ, quo audito ipse comparere possit. Itaque

e Sot. 10 de just. q. 5 c. 3. Possev. c. 1. n. 6.

Digitized by Google

ita resideat, ut nullus è suis Parochianis sine Sacramentis moriatur, & in hoc maximè invigilet.

CAPUT SEXTUM.

De ordinaria absentia Parochi.

32 Concilium[a] Trident. concedit Parochis, omnibusque inferioribus sacerdotibus animarum curam habentibus, ut possint à sua Ecclesia licitè abesse ad breve, & modicum tempus, quod spatium duorum mensium non excedat singulis annis, sive tale spatium sit continuum, sive interpollatum, & interruptum. Unde ordinaria absentia singulis annis non potest excedere hoc spatium.

[a] S. ss. 23. c. 1. de ref.

33 Si autem major absentia necessaria sit; hæc concedi non potest, nisi ex justa, & gravi causa cognita, & approbata ab Episcopo, & licentia in scriptis obtenta. Unde ad legitimam Parochi absentiam in primis necesse est, ne absentia bimestre excedat. Secundò, ut si illud tempus excedat, sit ex justa, & gravi causa, de qua dicam cap. seq. Tertiò, ut causa prius per Episcopum cognoscatur, & approbetur. Quartò, ut cùm impetratur facultas recedendi à Parochia ultra bimestre, relinquat Vicarium idoneum ab Ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione. Quintò, ut hujusmodi facultas in scriptis, & gratis concedatur.

34 Dubitatur verò primò, quæ causa sit sufficiens ad hanc brevem, & ordinariam absentiam duorum mensium; Concilium loco citato loquens de Episcopis, & idem intelligit de Parochis; & omnibus habentibus curam animarum, ait debere prædictam absentiam fieri ex æqua causa, non tamen requirit causam necessariam, vel utilem. Unde[b] Doctores pro causa sufficienti, & æqua assignant animi relaxationem, ad quam reduci potest causa invisendi parentes, fratres, propinquos, & amicos, illosque sua præsentia consolandi: æquum enim est, & humanæ conditioni consentaneum, ut animus perpetuis curis, & sollicitudinibus addictus, aliquantulum relaxetur, & debitum obsequium præstet consanguineis, & amicis.

[b] Azor. 2. p. l. 7. c. 4. q. 9. Possev. c. 1. n. 18. Barb. 1. p. c. 8. n. 50.

35 Hæc autem ordinaria absentia, ut monet Concilium, debet fieri sine gregis detrimento, nam si hoc sequatur, neque ad breves dies poterit Parochus licitè abesse. Et non debet esse in temporibus Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ, Resurrectionis Domini, neque in diebus Pentecostes, aut Corporis Christi, quibus refici maximè, & in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debent, ut loquitur Concilium. Debet etiam pro tempore absentiæ relinquere Sacerdotem substitutum, qui populo inserviat in muneribus Parochialibus.

36 Dubitatur secundò, an Parochus sine licentia Episcopi possit abesse à sua Parochia per prædictos duos menses continuè, vel divisim? [c] Affirmant aliqui non improbabiliter. Primò, quia ante Concilium Tridentin. id licebat, & à jure antiquo non est recedendum sine jure novo expresso. Secundò, quia Episcopo, qui non minus residere tenetur, permittitur abesse à sua diœcesi per duos, vel tres menses sine approbatione causæ facta à Metropolitano. Tertiò, quia verba Concilii continent eadem servanda quoad hanc absentiam in Curatis inferioribus, quæ in Episcopis servata proportione. Quartò, quia hæc sententia est benignior; esset enim satis grave, quòd nunquam liceret Parocho impunè sine licentia discedere, maximè urgente aliqua necessitate, ut si nuntium habeat de adversa valetudine, aut morte imminente Patris, Matris, aut amici habitantis in loco distanti, & similibus causis necessariis repentinis, in quibus licentia recedendi necessaria non videtur, quia copia Episcopi non semper haberi potest propter instantem necessitatem, & tempus ac locus non patiuntur dilationem, & licentiæ petitionem; ergo &c.

[c] Nav. c. 25. n. 121. Azor. c. 4. q. 10. Saa v. Resid. nu. 7. Sãch. 3. de Mat. d. 31. n. 11.

37 Communior, [d] & probabilior sententia est Parochum abesse non posse etiam per bimestre sine licentia Episcopi in scriptis obtenta. Fundamentum est, quia Concilium loco allegato §. Eadem omninò, ait: Quandocumque eos abesse contigerit, debere causam esse prius cognitam, & probatam per Episcopum. Quæ loquutio cùm sit universalis, absentiam ordinariam per bimestre comprehendit, & sine sufficienti fundamento applicatur ad solam absentiam lon-

[d] Less. l. 2. c. 34. dub. 29. Vasq. de benef. c. 4. § 1. Garc. 3. p. c. 2. Filiuc. t. 4. cap. 41. Tolet. l. 5. c. 5. n. 9.

Digitized by Google

longiorem. Et ita censent plures Doctores vivendi apud citatos. Unde non posse Parochum per hebdomadam abesse non petita, & obtenta licentia, & relicto Vicario idoneo ab ipso Ordinario approbato decisum refert Garcia, & valere Constit. Episcopi, ne Parochi possint abesse ultra duos dies sine licentia.

38 Nec rationes adductæ pro prima sententia convincunt. Non Prima, quia extat jus novum expressum Concilii Trid. ut ponderatum est §. antecedenti, quod à jure veteri cogit discedere. Non Secunda, quia Episcopo, propter ejus dignitatem, non imponitur illa obligatio ad ordinariam absentiam duorũ, aut trium mensium, sed id committitur ejus conscientiæ, quam Concilium sperat religiosam fore, ac timoratam; imponitur verò Parocho. Non Tertia, quia verba Concilii eodem modo loquuntur de Episcopo & Parocho in iis, in quibus discrimen non assignat; illud autem assignat in hac absentia quod ad licentiam, & approbationem. Non Quarta, quia in ea, vel simili necessitate urgenti potest Parochus uti Epicheja recedendo statim, mittendo tamen ad Episcopum pro licentia, declarando discessum sine licentia priùs obtenta fuisse ob talem causam urgentem, quam Episcopus approbabit, & discessum ratum habebit.

39 Licèt autem dicamus primam sententiam esse probabilem propter graves Doctores, qui eam docent, Parochus utatur consilio [c] Possevini, qui ait: *Tu obtine priùs licentiam, quia licèt in conscientia sis tutus inhærendo primæ opinioni, tamen ea liber evades etiam apud homines, qui fortasse secundæ sententiæ inhærendo te molestabunt, & castigabunt etiam in amissione fructuum illorum mensium, quia juxta secundam sententiam illos tuos non facis, quia secundùm Concilium non aliter conceduntur, nisi habita licentia.*

[c] Cap. 1. n. 21.

CAPUT SEPTIMUM.

De extraordinaria absentia Parochi.

40 Extraordinaria absentia Parochi est illa, quæ excedit spatium duorum mensium. Ad quam Concilium Trid. quinque causas assignat, ob quas Parochus licitè abesse potest à sua Parœcia de consensu Papę, vel sui Episcopi. Prima est Christiana charitas, quando nimirum hæc absentiam postulat. Secunda est urgens necessitas. Tertia obedientia, quæ majoribus debetur. Quarta est evidens necessitas, vel utilitas suæ Ecclesiæ. Quinta evidens utilitas Reipub.

41 Per [a] Charitatem Christianam intelligitur spiritualis utilitas proximorum; cùm enim proximi considerabili laborant necessitate, potest aliqua fieri absentia, ut illis succurratur, v. c. ad juvandam aliquam Ecclesiam in periculo hæresis constitutam, ad quam roborandam, & defendendam doctrina, prudentia, authoritas alicujus Parochi poterit esse necessaria. Huc reducitur, cùm Parochus abest ad dirimendas lites, & controversias alicujus momenti, quæ inter aliquos ortæ sunt, ad simultates, dissidia, & odia componenda.

[a] Azor. supra q. 4. Possev. c. 1 nu. 12. Tolet. lib. 5. c. 4. n. 6.

42 Hæc autem causa ita est intelligenda, ut in propria Parochia non sequatur ex absentia Parochi detrimentum spirituale, quia si hoc sequeretur, Parochus abesse non potest, sed proprię Parochię attendere debet, licèt minus indigeat. Similiter abesse non potest ad componendas lites, discordias, & odia, si ex absentia sequatur notabile detrimentum, licèt minùs in propria Parochia, quia eam deserere in tali casu, esset contra ordinem charitatis obligantis plùs sibi, quàm aliis, plùs suæ Ecclesiæ, quàm alienæ. Ita communiter Doctores.

43 Per urgentem [b] necessitatem intelligitur periculum vitæ imminens Parocho, nisi discedat à sua Parochia v. c. ob infirmitatem, vel persecutionem tyranni. Unde ad morbum curandum, ad bellum, hostiumque incursus evitandos, ad pestem sævientem, aeris intemperiem, inimicitias, odium, aut offensionem Principis, vel populi declinandam: denique ad vitæ, salutis, vel libertatis periculum ad tempus evitandum, abesse potest: dummodò ex tali absentia non sequatur spirituale detrimentum gregis sui; quia si hoc sequatur, debet potiùs mortem oppetere, quàm gregem deserere, juxta illud: [c] *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Cùm igitur tyrannus, vel hęreticus nocere ovibus tentat in spiritualibus, potiùs debet Parochus mori, quàm oves suas deserere.

[b] DD. sup.

[c] Ioan. 10. 11.

44 Circa hanc autem causam nota primò. Propter præcisam aeris intemperiem

riem Parochum inde non oriundum minimè excusari à residentia, ut alibi possit habitare, etiam relicto Vicario idoneo, & approbato, ut docent communiter Doctores advertentes, si Parochus infirmus esset, & in loco suæ Parochiæ non posset curari defectu Medicorum, & medicinarum, tunc posse ei ab ordinario concedi tres, vel quatuor menses, ut in locis vicinioribus maneat recuperandæ sanitatis causa, constituto intereà ab ipso Ordinario idoneo Vicario cum congrua portione de redditibus Parochiæ.

d C. 1. n. 37

45 Unde [d] Possev. tractans illam quæstionem, an tuta sit adeptio Parochiæ in loco, ubi est cœlum insalubre, cum intentione non residendi, obtenta tamen licentia? Respondet. Si delicatiores non resident in tali loco, resident tamen homines cœlo assueti, vel alii idonei mercede conducti: nescio quomodo excusandus sit à residentia: sibi enim imputet, quia talem Ecclesiam adeptus est: si enim noluit residere, ad quid sedem occupavit? Si autem intellexit non residere per duos menses à Concilio concessos, excusabitur. Si verò inclementia cœli prohibet à residentia per aliquot menses, & interim de Vicario idoneo providet necessitati populi, & Parochus aliquo tempore residens utilius curat Parochiam suam (quod credo de nunquam contingentibus) excusabitur à residentia per legitimam licentiam. Si verò concurrente alio idoneo, & residere valente, iste concurrat, & Ecclesiam acquirat sciens de qualitate alterius pariter concurrentis, sine dubio apud homines evadet impunè, non verò apud Deum. Ratio est, quia isti deest possibilitas exequendi officium suum, qua stante; & sciente alterius aptitudinem, peccat quærens talem Ecclesiam: ita Author ille ex Silv. verb. Residentia q. 4.

46 Nota Primò. Nec propter Principis, aut populi furorem, nec propter pestem, aliumve morbum contagiosum excusari Parochum à residentia, ubi detrimentum ovium suarum imminet in spiritualibus, si nulli essent ministri, qui ejus locum supplerent. Unde dixit benè [e] Possev. multos referens, dari casum, in quo Parochus propter nullam causam possit abesse, quando nimirum populus ex illius absentia notabiliter læditur; ideò in peste, & similibus tenetur omninò remanere apud populum suum, si non habet alium, qui pro ipso servitium præstet.

e Cap. 1. n. 16.

47 Nota Secundò. Nec propter inimicitias capitales excusari Parochum à residentia, colligitur ex quadam decisione Congregationis relata à Barb. [f] cùm enim quidam ob capitales inimicitias ab Ecclesia absentari supplicasset, in eadem idoneo Capellano relicto, de quibus quidem inimicitiis per Episcopum plena fides extabat. Congregatio 15. Febr. 1619. ad sex menses licentiam concessit ad effectum, ut interim aut resignasset, aut permutasset.

f Barb. c. 8. n. 32.

48 Quando inimicitiæ absque Parochi culpa contrahebantur, & post obtentam Parochialem oriebantur, Episcopi dispensare solebant, ut per annum in alio viciniori loco, & tutiori manere posset, & crescentibus inimicitiis dabatur alius annus, dummodo semper in Parochiali expensis Parochi maneret idoneus Vicarius. Hoc tamen hodie non licere putant graves Authores apud [g] Barb. meliusque futurum consulere S. Congregationem.

g Barb. n. 35.

49 Nota [h] Tertiò. Nec propter senectutem excusari Parochum à residentia, quamvis ordinarius jam providerit illius insufficientiæ, apponendo Vicarium cum assignatione congruæ portionis, sicut non est causa sufficiens ad non residendum infirmitas habitualis Parochi, estò ratione illius datus ei fuerit coadjutor. Hæc autem credo procedere, nisi senectus, vel infirmitas Parochum redderet omninò inhabilem ad omnia munia Parochialia, puta quia non est sui compos. Nam estò sit cæcus, adhuc potest audire confessiones, & consequenter adhuc tenebitur residere.

h Barb. Plures referens. nu. 33.

50 Per obedientiam majoribus debitam, intelligitur posse Parochum abesse à sua Parochia, ut pareat Papæ, vel ejus legato, aut suo Episcopo obsequium aliquod, & officium justum, debitum imperantibus, cujusmodi esset ad visitandam Provinciam, vel diœcesim, ad pacem componendam, & similia.

51 Notant verò doctores [i] Primò, non sufficere obedientiam tantùm, sed debitam requiri; quia cùm absque causa rationabili aliquid præcipitur, ex quo sequatur defectus residentiæ, non debet Parochus audire. Nec Papa, vel Episcopus excusat à residentia Parochum,

i Toler. lib. 5. c. 4. n. 10.

Digitized by Google

chum, nisi cum aliqua necessitate; quia cùm residentia sit de jure divino, non possunt sine causa justa in ea dispensare. Unde attendenda maximè est causa, ne sit inferioris momenti, quàm utilitas propriæ Parochiæ. Hoc autem puto debere attendi à Papa, vel Episcopo absentiam præcipientibus; quia Parochus si abesse præcipiatur, potest supponere extare causam justam; quia inferiores non debent examinare mandata superiorum, & causas eorum. Si tamen Parocho evidenter constraret non esse causam justam, quod rarò eveniet, tunc teneretur instare, & proponere necessitatem suæ residentiæ.

52 Notant [l] Secundò, Parochum non posse permanere in servitio Episcopi, aut Ecclesiæ Cathedralis, ut nempè sit Vicarius, visitator, secretarius, fiscalis &c. Et ita decisum à Sacra Congreg. 12. Maji 1629. referunt. Ideò ultra duos menses Episcopus uti non potest opera Parochi, ut censuit eadem Congreg. 8. Januar. 1628. Si tamen fuerit Parochus Ecclesiæ Cathedralis, poterit fungi officio Vicarii, quia residentiam non impedit. Et idem intelligo de quolibet Parocho habente suam Ecclesiam in eadem civitate, in qua est Cathedralis.

[l] Saa resid. n. 1. Barb. cap. 8. nu. 13. cũ multis

52 Notant Tertiò, non excusari à residentia Parochialis fungentes officio Subcollectoris Apostolici, nec exercentes officium Inquisitoris. Nam privilegium concessum Inquisitoribus, & aliis officialibus sancti Officii ad lucrandos fructus quorumcumque beneficiorum, excipit Parochiales Ecclesias, & perpetuas Vicarias, cæteraque beneficia curam animarum habentia.

53 Per evidentem necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, cui Parochus præest, intelligitur posse Parochum abesse à sua Parochia ad aliquod bonum pro eadem procurandum, vel ad eam, seu ejus bona, & jus defendendum. Quo revocatur, si Parochus ad Concilium diœcesanum, vel provinciale legitimè vocatur. Ad eamdem causam reducunt Doctores, si Parochus ad quinquennium studio Theologiæ vacaverit. Cap. ult. de magistris; & idem juris est, si ad quinquennium in jure Can. addiscendo studium collocaverit, ut docent communiter Canonistæ ad idem caput; quam causam jus approbat, & concedit; nec requiritur authoritas Episcopi, ut notarunt Rebuf. & Nav. Ultra verò quinquennium Episcopus non potest absentiam permittere, & irrita est licentia impetrata. Et in cap. cùm ex eo de electione in 6. potuit Parochus studiorum causa abesse per septennium ex consensu, & licentia Episcopi, relicto idoneo Vicario, cum congrua portione.

54 Notandum tamen est has concessiones fuisse de jure antiquo, hodie verò non permitti post Concilium [m] Tridentinum, quod illis dispositionibus derogasse videtur, quatenus decidit, ut habentes curam animarum abesse non possint à sua Parochia, nisi causa priùs cognita, & approbata ab Episcopo. Et discedendi licentiam ultra tempus bimestre non obtineant, nisi ex gravi causa: at declaratum est per Sac. Congreg. Concilii, studium non esse gravem causam post prædictum Concilium, ut obtinentes beneficia curata possint abesse; cùm illa obtineantur per concursum juxta idem [n] Concilium, & supponantur illi, quibus conferuntur, esse idonei, & jam studuisse, & consequenter necessarium non esse, ut studiorum causa absint à suis Ecclesiis, ne ob absentiam, debito servitio defraudentur. Unde non semel sacra [o] Congr. censuit post Concilium Trid. obtinentes Ecclesias Parochiales non posse ab illis studiorum causa abesse; & si absint, non posse percipere fructus, nec Ordinarios posse talem licentiam concedere.

[m] Sess. 23. c. 1. de ref.

[n] Sess. 24. c. 18. de ref.

[o] Barb. n. 27. cũ Gõzal. Riccio Garcia & aliis.

55 Per evidentem Reipub. utilitatem intelligitur utilitas etiam temporalis totius Regni, vel Provinciæ, quæ satis erit ad honestandam absentiam: debet autem esse conjuncta cum necessitate: quia cùm aliter, quàm per Parochum, potest eadem utilitas æquè benè procurari, non debet Parochus abesse. Et debet ea utilitas cum necessitate esse evidens. Et cùm non ita nota est, melius est ut Parochus in sua Parochia maneat, imò manere & residere tenetur.

56 Ad hanc causam revocatur, si [p] Parochus propter eminentem doctrinam ad Concilium generale vocatur: si in scholis Theologiam publicè doceat. Cap. ult. de magistris. Et idem est, si jus Can. publicè interpretetur. Idemque extendit Gloss. in cap. Cùm ex eo de electione in 6. Verb. literarum. Si in qualibet scientia etiam grammatica studium, & operam ponat in loco studiis generalibus destinato. Ad hoc autem necesse est, ut à suo Episcopo, in cujus diœce-

[p] Azor. 2. p. lib. 7. c. 4. q. 3. Nav. c. 25. n. 121.

Digitized by Google

si habet Parochiam, facultatem impetret. Cap. relatum, & cap. Tuæ de Clerico non residente.

57 Ista tamen utilitas post Concilium Trident. debet esse cum necessitate, & non aliter. Quia si per alium æquè benè, ac per Parochum potest id fieri, non debet Parochus abesse à sua Ecclesia ad tales lectiones. Et licèt docentes in Theologica facultate, dum in scholis docuissent, integrè per annos quinque percipere possent de licentia sedis Apostolicæ proventus prebendarum, & beneficiorum suorum, non obstante aliqua alia consuetudine, vel statuto cap. ult. de magistris. Post Concil. tamen Trid. Parochus non potest abesse à sua Ecclesia, ut doceat in civitate, quamvis non inveniretur alius idoneus ad legendum, non solùm grammaticam, sed nec theologiam, ac jus can. licèt relictus fuerit idoneus Vicarius, & ipse Parochus solemnibus diebus intersit suæ Ecclesiæ, prout à Sac. Congregatione decisum testantur [q] Doctores.

[q] Sàrar. q. 3 n. 32. Barb. n. 18 alios referens. [r] Seff. 23. c. 1. de ref.

58 Notandum autem est nullas ex prædictis causis excusare Parochum à residentia post Concilium [r] Trident. nisi habita prius facultate Episcopi in scriptis. Ita enim decernit postquam de Episcopis sermo fuit: *Eadem omninò etiam quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat, & decernit: ita tamen, ut quandocumque eos, causa priùs per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus nisi ex gravi causa non obtineant.*

CAPUT OCTAVUM.

In absentia Parochi relinquendus, qui ejus vices suppleat.

59 TEnetur Parochus, quotiescumque abest à sua [a] Parochia, sive cum justa causa, sive absque illa, sive cum licentia, sive sine illa, relinquere substitutum, qui suo loco populo inserviat. Ita enim postulat ratio naturalis, & obligatio officii, ne populus detrimentum patiatur in ea absentia. Et sumitur ex Conc. [b] Trid. §. eadem omninò.

[a] Poss.v. c. 1. n. 12. Barb. c. 8. n. 51.

60 Debet tamen excipi, quando [c] absentia est ad breves dies, & causa est urgens, quæ non patitur dilationem pro obtinenda licentia, quia v. c. Parochus hostiliter impetitur, & non habet quem substituat, nec recurrere potest ad Episcopum pro licentia, & Vicario substituendo. Unde ob repentinum incommodum, vel periculum potest legitimè discedere, etiam si in loco non habeat, quem substituat; si non sint infirmi, & quamvis sint, si adest alius sacerdos, qui possit conferre Sacramenta necessaria; vel si non adsit, infirmi commodè possint expectare sacerdotem ac cersendum.

[b] Seff. 23. c. 1. de ref. [c] Azor. 2. p. lib. 7. c. 4. q. ult. Possev. c. 1. n. 14. & 15. Barb. c. 8. n. 51.

61 Si verò periculum instaret, & Parocho discedente, sine Sacramentis maximè pœnitentiæ timeretur prudenter aliquis moriturus, vel Parochus occidendus, si non fugeret; tenetur [d] Parochus subire potius quodvis periculum, quàm deserere talem infirmum. Quia Parochus, cùm populus ex ejus absentia notabiliter læditur, non excusatur in deserendo populum propter proprium periculum probabile, imò neque propter certum; cùm Pastor animam suam ponere debeat pro ovibus suis, & pro una earum. Quod maximè verum est, quando ex una parte ovibus imminet periculum damnationis æternæ, & ex alia Parocho periculum omittendi vitam. Unde est quòd tempore pestis, ut jam diximus, Parochus teneatur oves non deserere, si non habeat substitutum, per quem possit in eo periculo satisfacere.

[d] D. Tho. 2. 2. q. 185. a. 5. Possev. c. 1. n. 16. Barb. n. 52.

62 Si Parochus discedat ad longum tempus v. c. ultra duos menses ex justa causa ab Episcopo cognita, & approbata, non potest substitutum etiam idoneum, & admissum in diœcesi ad Sacramentorum administrationem, loco suo relinquere, inconsulto [e] Episcopo, dicente Concilio: *Vicarium idoneum relinquat ab ordinario approbandum.* Idem credo si recedat ad tempus ordinarium duorum mensium: si tamen teneamus sententiam probabilem, de qua cap. 6. quòd ad absentiam ordinariam duorum mensium non sit necessaria licentia Episcopi, etiam credo non requiri, quòd substitutus ab Episcopo approbetur, dummodo aliàs approbatus sit ad excipiendas confessiones in ea diœcesi, vel

[e] Barb. n. 52.

vel territorio. Quia Concilium ait: *Quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita, & probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione, relinquant*. Ergo si dicamus ad absentiam duorum mensium non requiri Episcopi licentiam causa priùs cognita, & probata per ipsum, etiam non requiretur quòd ipse Vicarium idoneum approbet, cùm Concilium id requirat, quando Episcopus causam cognoscit, ac probat.

63 Advertat igitur Parochus, quòd substituat admissum pro administratione poenitentiæ generaliter pro omnibus personis, quia si relinquat substitutum approbatum pro solis clericis, aut pro solis viris, non relinquet idoneum, & sufficientem. Addunt aliqui debere relinquere substitutum admissum ab Episcopo pro omnibus Sacramentis, quia non esset idoneus, si ad quælibet tantùm esset admissus. Satis tamen est, quòd sit approbatus pro Sacramento Poenitentiæ, quoad omnes personas dioecesis, vel territorii, in quo est Parochia, quia ad reliqua Sacramenta, v. c. Eucharistiæ, Baptismi, extremæ Unctionis, & Matrimonii ipse Parochus approbare potest, & admittere quemlibet sacerdotem.

64 Si Parochus discedat per sex, vel octo dies, potest relinquere substitutum sine approbatione [f] Episcopi, dummodo ab eo approbatus sit ad excipiendas confessiones, quia ita declarat consuetudo universalis, nisi Episcopus per suas constitutiones, aut præceptum oppositum precipiat. Potest etiam substitui [g] Curatus vicinus, qui licèt non habeat ordinariam jurisdictionem, nisi supra suum gregem, ita tamen est admissus, ut ei aliqua jurisdictio delegari possit, sicut poterat de jure antiquo, ut colligitur ex [h] Trid.

f Possev. c. 1. nu. 19. Barb. c. 8. n. 52.

g Barb. n. 53. & in Remiss. ad conc.

h Sess. 23. c. 15. de ref.

65 Quòd attinet ad mercedem substituto assignandam ex decreto Concilii, dicendum existimo, si substitutus velit gratis inservire, non teneri [i] Parochum in conscientia eam assignare, cùm abest sive pro paucis diebus, sive pro duobus mensibus, sive etiam pro tempore longiori. Quia quòd merces assignari precipiatur, est ne populus patiatur defectum servitii, quod facilius obtinetur, cùm adest merces: si autem sacerdos amicus gratis inservire velit, cesfat ratio assignandæ mercedis, & consequenter ratio legis.

i Possev. c. 1. n. 20. Barb. c. 8. n. 53.

CAPUT NONUM.

De his, qui possunt concedere, ut Parochus absit à Parochia.

EX causis assignatis cap. 6. & 7. potest Episcopus concedere licentiam recedendi à Parochia, ut ibi dictum est. Hic verò Episcopus debet esse ille, cui Parochia subjecta est, & non alius, quia ratione illius, Parochus ei subditus efficitur, ad illumque pertinet cura gregis talis Parochiæ. 66

67 Eandem potest concedere capitulum [a] sede vacante; quia succedit in jurisdictionem Episcopi, habetque ejus vices in iis, in quibus non restringitur: non restringitur autem in hac parte: ergo eandem potest concedere.

a Possev. c. 1. n. 28 Barb. c. 8 n. 43 Sacr. q. 5. n. 64.

68 Eandem dare possunt alii locorum ordinarii Episcopo inferiores, ut aliqui Abbates, & alii habentes jurisdictionem quasi Episcopalem. Quia tales [b] ordinarii, qui nulli Episcopo subjecti sunt, habentque jurisdictionem Episcopalem, vel quasi Episcopalem in hoc æquiparantur Episcopis, cùm illorum subditi non habeant alium Episcopum, ad quem possint recurrere pro tali licentia obtinenda.

b Azor. 2. p. lib. 7. c. 4. 1. 4. Possev. c. 1. n. 20. Barb. c. 8. n. 63.

69 Sive ergo licentia petatur ab Episcopo, sive ab alio ordinario juxta proximè dicta; Parochus habens justam causam recedendi, non satisfacit conscientiæ suæ, si petat licentiam affirmans, vel etiam jurans se gravem habere causam ad recedendum, quam manifestare non expediat. Quia Concilium requirit, ut causa sit cognita Episcopo, & ab ipso approbata; non autem cognoscitur, si non exprimatur. Unde denegata licentia sic petita, quæ quidem negari debet, non licet Parocho discedere.

70 Similiter non licet recedere in casu, quo justam causam expresserit, quam vir bonus, & prudens rationabilem judicaverit, Episcopus verò minus justam, ac rationabilem judicat, & licentiam negat, vel quia movetur suspicione, quòd falsa sit, & ficta, cùm tamen sit vera; vel quia judicat necessariam Parochi residentiam

tiam

Digitized by Google

tiam pro tali tempore, cùm tamen non sit ita necessaria, ut facilè suppleri non possit per idoneum substitutum. Posse verò in tali casu recurrere ad Metropolitanum per modum appellationis responderunt Cardinales Congr. Concilii, ut referunt [c] Doctores.

71 Nec satis est ad licitè [d] recedendum licentia tacita, & præsumpta Episcopi, vel alterius Prælati eam concedere potentis, sed requiretur expressa, quia Concilium dicit, causam recedendi debere esse cognitam, & approbatam ab Episcopo. Quæ verba licentiam expressam indicant.

c Garcia 3. p. c. 2. n. 37 Barb. c. 8. n. 59.
d Garcia 3. n. 34. Barb. de Episcopo alleg. 53 n. 95. Sanctar. q. 4. n. 16.

71 Neque sola distantia loci, cum necessitate discedendi excusat Parochum, ut possit abesse à sua Parochia sine licentia expressa in scriptis obtenta, nisi [e] talis necessitas repente se offerat, quę non patiatur dilationem petendi hujusmodi licentiam, juxta dicta in superioribus. Quo casu quàm primùm Episcopus certior faciendus est de absentia, & necessitate illius, ut de causa cognoscere possit.

e Garcia n. 34.

72 Nec satis est ad licitè recedendum licentia obtenta [f] cum causa ficta: si enim Parochus licentiam petat fingendo causam justam, quam reverà non habet, peccat mortaliter, & tenetur in conscientia restituere fructus illius temporis. Quia Concilium duo requirit, ut absentia sit licita, & fructus justè percipiantur; nempè causam justam, & ejus approbationem. Cùm igitur causa falsa sit, inutilis erit ejus approbatio, & licentia subreptitia. Unde licèt factum punibile non sit in foro externo, in quo protegitur per licentiam subreptitiam; in interno damnabitur à supremo judice, qui corda intuetur. Et fructus non faciet suos, cùm tota ratio fructuum lucrandorum in absentia dependeat à justa causa, & vera licentia.

f Possev. c. n. 24. Barb. de Episc. 3. p. alleg. 53. n. 99. Sanctar. q. 4. n. 15.

73 Licita tamen erit absentia, si aliquid à Parocho petatur pro obtinenda licentia, ad quam habet causam justam. Nam licèt Concilium velit, ut gratis detur, culpa solùm erit in postulante pretium, non autem in Parocho, qui propriam vexationem redimit, dando pretium.

g Possev. c. 1. n. 30.

CAPUT DECIMUM.

De pœna ordinaria Parochi non residentis.

74 Parochus, qui absque legitima causa abest à sua Parochia, & qui abest absque legitima licentia, in casibus, in quibus hæc necessaria est, juxta superiùs dicta, præter culpam mortalem, quæ in rigore pœna non est, & præter pœnas extraordinarias arbitrio Episcopi imponendas, incurrit privationem fructuum pro rata absentiæ, ipso facto amittendorum, absque alia declaratione. Et prohibetur omnis compositio pro fructibus malè perceptis, qui applicandi sunt fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci, ante omnem Judicis condemnationem. [a] Ita Concilium, omnesque [b] Doctores.

75 Quare ad hanc fructuum restitutionem tenetur Parochus non residens in conscientia, nulla expectata sententia condemnatoria, vel etiam declaratoria criminis, tamquam rei non suæ. Estque pœna hæc juri naturali conformis, quia æquum non est, ut fructus ministrorum Ecclesiæ recipiat, qui ministerium non exercet. Nam sicut stipendium datum ob causam aliquam nec recipi, nec retineri potest, causa non subsecuta; ita fructus beneficii, qui conferuntur Parocho, causa residentiæ & muneris Parochialis, non possunt ab eo non residente, & munera Parochialia non exercente recipi, aut tuta conscientia retineri; quia talis Parochus à sua Ecclesia absens non acquirit jus in fructus respondentes tempori absentiæ: cùm Concilium statuat, ut ipso facto amittantur ante omnem declarationem criminis, ut applicentur fabricæ, vel pauperibus loci, tamquam fructus non sui: ergo tenetur illos statim restituere, antequam petantur, vel à Judice restitui jubeantur.

a Sess. 23. c. 1. de ref. § siquis autem.
b Less. lib. 2. cap. 34. dub 29. Garc. 3. p. c. 2. an. 16. Barb. c. 8. n. 67. Val. 2. 2. d. 10. q. 3. p. 5.

76 Nomine autem fructuum restituendorum non veniunt fructus merè industriales; quales sunt, qui percipiuntur ex mera hominis industria v. c. prædicando, cantando, celebrando &c. Neque emolumenta illa, quæ communiter dicuntur incerta, ut ea, quæ acquiruntur pro funere, pro sepultura, pro baptismo, & similibus, quę numquam comprehenduntur nomine fructuum, ac

Digitized by Google

ac proinde non sunt restituendi ob Parochi absentiam.

a Flam. de resign. l. 1 q. 10. n. 32. Sanctar. q. 4. n. 4.

77 Aliqui [a] Authores putant, hanc doctrinam esse veram, si Parochus absit ultra tempus ordinarium à Concilio præfixum, hoc est, ultra duos menses; dicuntque fructus respondentes tempori absentiæ supra duos menses, fore restituendos, non autem respondentes duobus mensibus. Quæ sententia probabilis est, juxta ea, quæ diximus cap. 6. probabile nempè esse ad absentiam duorum mensium non requiri licentiam Episcopi, satisque esse pro causa animi relaxationem. Si tamen teneamus oppositam, quam probabiliorem, & communiorem diximus, docentem, quòd ad hanc etiam absentiam requiratur Episcopi licentia, & quòd causa ab eo cognoscatur, & probetur, dicendum existimo etiam pro hac absentia duorum mensium sine licentia, fructus fore restituendos modo suprà explicato; solùmque posse retineri, quando absentia est de licentia Episcopi causa cognita, & probata.

c Possev. c. 1. n. 25.

78 Quæres autem: an Parochus, qui est pauper, & tenetur restituere fructus malè perceptos pro tempore absentiæ, possit eos sibi retinere, eos sibi applicando tamquam pauperi? [c] Respondeo posse eos sibi tamquam pauperi applicare, si verè pauper sit, vel etiam dare propinquis pauperibus, dummodo sint ejusdem loci, in quo sunt percepti; quia Concilium statuit esse restituendos fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus loci. Caveat tamen proprium affectum, ne se pauperem judicet, cùm talis non sit, & idem de propinquis.

d Possev. c. 1 n. 25. ad finem.

79 Sed quid de Curato, seu Parocho amovibili, qui servit ad certum stipendium, quales apud nos sunt Parochi rurales, & Vicarii non perpetui dati Parochis ob causas justas, omnesque ii, qui non habent decimas, sed certam portionem congruam? [d] Respondeo teneri prædictos ad restitutionem pro rata mercedis, & absentiæ. Unde si pro mercede habet sex modios, & abest per unum mensem sine justa licentia, tenetur restituere medium modium: si abest per duos, integrum modium. Et sic cum proportione, quando certum stipendium est in pecunia, aut qualibet re alia. Ratio est, quia tale stipendium mercenarium ei datur ratione servitii, & residentiæ, sine qua servire non potest; ergo tenetur restituere, sicut tenetur quilibet alius mercenarius non laborans. Si verò ultra onus curandi habeat aliud annexum, quale esse potest, si v. c. lampadem Ecclesiæ suis sumptibus illuminare teneatur, vel quid simile, detrahat, quæ pro lampade insumpsit, & restituat reliquam partem mercedis respondentem tempori absentiæ. Detrahat etiam, si quid substituto assignavit, ut pro eo inserviret tempore, quo absuit.

CAPUT XI.

De pœnis extraordinariis Parochi non residentis.

80 PRæter pœnam ordinariam, de qua cap. præcedenti, potest Parochus aliis juris remediis usque ad privationem Parochiæ compelli ad residentiam, ut decrevit [a] Concilium his verbis. *Quòd si per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint, liberum esse vult Ordinariis per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem, compellere; nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiam ratione cujuscumque beneficii, pactione, statuto, etiam juramento, vel quacumque authoritate confirmato, consuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela censenda est, sive appellatione, aut inhibitione etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ Constitutionis suspendi posse.*

a Sess. 23. c. 1 de ref. §. eadem omnino.

81 Ex quo decreto apparet primò, licèt attento jure antiquo incurreretur pœna privationis ob non residendum in Parochialibus beneficiis. Cap. Conquerente de Clerico non residente cum similibus; hodie tamen Parochum non residentem, etiam monitum, non esse ipso jure privatum Parochiali Ecclesia. Nam aliàs statim procedendum foret ad declarandum illum privatum, & non esset in arbitrio Episcopi, quo remedio ex relatis à Concilio uti vellet ad cogendam residentiam: Et sic declarasse sacram Congreg. docent [b] Authores, stylumque tenere, ut si habentes curam animarum discedant abique licentia Episcopi, post monitiones possint privari.

b Garc. c. 2. n. 59. Flam. q. 10 nu. 61. Barb. c. 8. n. 72.

82 Apparet secundò, quoad privationem Parochi ob non residentiam, non esse necessarium, ut priùs procedatur

tur per alias pœnas, nempè per censuras, vel sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliaque juris remedia. Quia licèt id de jure communi requiri videretur. Cap. Ex tua §. de Clerico non residente; Conc. tamen Tridentinum loco adducto id relinquit arbitrio Ordinarii. Ibid. *Liberum esse vult Ordinariis, &c.* Et hoc modo decisum fuit in Rota intelligendum sess. 24. cap. 12. de Reform. §. prætereà, ut etiam per Congregationem fuit declaratum, ut non afficiat Episcopos, qui possunt procedere ad privationem ob non residentiam, tametsi illa temporum intervalla non fuerint observata.

c Barb. n. 71. cum aliis.

83 Ut quis [c] autem legitimè privetur beneficio Parochiali ob non residentiam, juris ordine servato, debet priùs personaliter citari, ut ejus contumacia convincatur, sive absens sit de licentia Episcopi, sive absque ea. Et si personaliter citari non possit, quia ignoratur ubi sit, vel longè absit, ita ut commodè non valeat citatio ad ipsum pervenire, debet in ejus Ecclesia trinæ citationis edictum publicari (neque enim sufficit una citatio pro tribus) [d] & post ultimum edictum per sex menses expectari, ut colligitur ex cap. Ex tua 1. de Clerico non residente. Et privatio aliter facta est nulla. In personali verò citatione non requiritur trina monitio, sed sufficit una etiam extrajudicialis, nec debet expectari per sex menses, sed tempus est arbitrarium; ut decisum fuit à Sac. Congregatione, ut testantur Doctores.

d Garc. n. 114. Barb. nu. 70.

84 Et hæc pœnarum executio suspendi non potest privilegio, licentia, familiaritate, exemptione, statuto, consuetudine etiam immemorabili, sive appellatione, aut inhibitione, ut habetur in Concilio loco suprà indicato. Cujus decretum, quatenus disponit executionem sententię per appellationem, seu inhibitionem non impediri, generaliter accipiendum esse contra Parochos absentes, sive obedientes, sive contumaces resolvunt [e] Doctores, addentes Concilium per illas clausulas solùm tollere appellationem suspensivam, non verò devolutivam.

e Garc. n. 111. Barb. n. 76.

CAPUT XII.

De Parocho ratione infirmitatis solùm corporaliter residente.

Parochum corporaliter solùm residentem appellamus illum, qui licèt corporaliter assistat in Parochia, spirituales tamen muneris sui functiones exercere non potest propter ægritudinem, qua detinetur, ægritudo enim quamvis non impediat corporalem residentiam, impedit tamen spiritualem, ut sic loquamur, quia impedit à functionibus spiritualibus officii Pastoralis, puta à Sacrificio Missæ, ab administratione Sacramentorum, aliisque functionibus officio Parochiali annexis. Unde meritò hanc quæstionem de Parocho ęgrotante, qui inservire non potest, annectimus Parocho non residenti. Quia verò ægritudo Parochi potest esse in multiplici differentia; potest enim esse vel temporis limitati, vel valdè diuturna annorum, vel etiam perpetua, quando Parochus redditus est omninò inutilis ad munia sua exercenda, quia nempè factus est leprosus, amens, vel laborat alio morbo incurabili, qualis est Paralysis, & similes. 85

86 Dico ergo primò, si Parochi ægritudo sit brevis, &c. paucorum dierum, hebdomadarum, vel etiam mensium, quales sunt ordinariæ hominum ægritudines, potest idem Parochus alium sacerdotem loco sui deputare, dummodo sit approbatus ab Episcopo ad audiendas confessiones, ut Parochiæ inserviat; cui ipse ex redditibus suis congruam portionem assignabit, si amicus non sit, qui velit gratis inservire. Probatur; quia Parochus potest committere alicui prædicto modo approbato curam suæ Parochię, quando ex ea discedit ad breve tempus, nempè ad duos menses, ut dictum est cap. 6. ergo similiter & quando est impeditus, per infirmitatem ordinariam, quę duret per tot menses, parùm, minusve. Neque enim Concilium Trident. ut eo cap. 6. & 7. vidimus, postulat, ut talis Vicarius substitutus approbetur ab Episcopo, nisi quando absentia fuerit diuturna: maximè, quia probabile est, ad absentiam ordinariam duorum mensium non requiri licentiam Episcopi, ut ibidem diximus; ergo neque ad approbationem substituti.

87 Di-

Digitized by Google

87 Dico secundò, si Parochi ægritudo sit diuturna, quia videlicet senio, vel morbo longo non perpetuo, nec incurabili factus est inutilis, & impeditus ad ministrandum, dandus est ei Coadjutor temporalis, & revocabilis, qui pro eo ministret, officiumque exerceat. Ita deciditur in cap. de Rectoribus cum aliis de clerico ægrotante, docentque communiter Doctores cum Abbate. Prob. ex dictis cap. 7. ubi diximus ex Concilio Trident. quando Parocho ab Episcopo conceditur longa absentia à Parochia, ab eodem approbandum Vicarium, qui Parochiæ inserviat, cujusque loco officium curandi administret: sed ægritudo Parochi prædictis modis diuturna æquivalet absentiæ longi temporis: ergo in ea debet ei ab Episcopo dari Vicarius, seu adjutor, qui loco illius curam suscipiat. Non tamen negarem, si Parochus in principio posuit adjutorem, & Episcopus id sciens non repugnet, satis id esse; quia per tollerantiam scientis Episcopi, censetur Vicarium positum approbare.

Azor. 1. p. lib. 3. c. 2. Barb. de potest. Episc. alleg. 64.

88 Dico tertiò, Quando ægritudo Parochi est perpetua, quia nimirum senium, ætasque tam provecta est, vel tam fracta, ac debilitata, ut satisfacere non possit muneri suo, de quo casu sermo est in cap. Petisti 7. q. 1. cap. Pastoralis de Clerico ægrotante in 6. vel quando ob diuturnam infirmitatem vires corporis ita redditę sunt fractæ, ut ad curandum de cætero factus sit inhabilis: vel etiam quando infirmitas est animi, quia nempè Parochus factus est amens, ac mente captus, vel stolidus, ideoque ineptus ad curandum, de quo casu sermo est in cap. Tua nos, de Clerico ęgrotante, & citato cap. Pastoralis. Dandus est ab Episcopo tali Parocho Vicarius, seu adjutor ad curam animarum exercendam, quoad ipse vixerit. Hæc satis constant ex dictis.

89 Inquires autem: utrùm tali Parocho vel senio, vel morbo perpetuo impedito dari possit adjutor perpetuus cum jure succedendi? Respondent communiter DD. per Episcopum solùm dari posse adjutorem ad tempus amovibilem. Addit Barbosa in uno casu posse Episcopum dare adjutorem perpetuum, quando dabitur Parocho infirmo consentienti; nunquam tamen cum jure succedendi; quem solus dare potest Rom. Pontifex. Prob. quia ut habetur in cap. Nulla de Concess. Præbend. Nulla Ecclesiastica beneficia, seu ministeria tribuuntur alicui, aut promittuntur, antequam vacent, idque etiam habetur in cap. Relatum, & cap. Ex tenore de concess. prębend. In quibus statuitur promissiones factas de Ecclesiis nondum vacantibus, sed vacaturis, irritas esse & inanes: ergo solus Rom. Pontifex, qui est supra totum jus canonicum, & in illo dispensare potest, prædictum adjutorem assignare valet cum jure succedendi. De quo vide, præter citatos, Garciam.

Garc. 4. p. c. 5. n. 16. Barb. sup.

90 Quæstio autem esse potest: utrùm administratio beneficii curati pertineat ad coadjutorem datum Parocho, sicut pertinet cura animarum? an ipsimet Parocho ægroto, vel senio confecto? Gloss. in cap. de Rectoribus de Clerico ægrotante, verbo Curam animarum, ait: adjutorem ad tempus etiam datum esse beneficiarium, ac proinde habere beneficii administrationem, idque colligit ex prędicto cap. de Rectoribus, ubi habetur ægrotanti beneficiario dandum esse adjutorem, qui curam habeat animarum, & officium exequatur; & Parocho ægrotanti, quamdiu vixerit, juxta facultates Ecclesiæ, necessaria vitæ subsidia esse præbenda. Ex quibus videtur satis colligi adjutorem liberam habere redditu um administrationem.

Garc. sup. n. 29.

91 Melius tamen Abbas, quem sequitur Azor. & communiter alii, negat adjutorem Parochi ægrotantis esse beneficiarium, ac proinde non habere administrationem beneficii. Prob. quia nec habet titulum beneficii, nec jus in illo, sed solam functionem, & ministerium; nec enim per obitum talis adjutoris beneficium illud vacat, sed per mortem Parochi ægrotantis; ergo iste, & non adjutor datus, habet omnium redditu um administrationem. Quod etiam procedit, estò adjutor sit perpetuus, vel habeat à Papa jus succedendi; quia adhuc non habet titulum beneficii, nec jus in illo. Argumentum verò Glossæ nullius est momenti. Nam adjutor dicitur habere curam animarum, non quidem jure, potestate, & habitu; sed sola functione, & actu; ita ut penes Parochum ægrotantem sit cura jure, pote-

Azor. sup. q. 4.

Digitized by Google

potestate, & habitu; penes adjutorem verò sola functio, & ministerium. Ad id verò quod habetur in cap. Tua nos, removendum scilicet Parochum ab administrationis officio, & subministranda ei necessaria alimenta, donec vixerit. Respond. cum citatis Doctoribus eum ab officio submovendum, non quidem jure, potestate, & habitu; sed functione, & ministerio. Agit enim textus ille de Parocho leproso, qui ratione scandali, & horroris ab administratione removeri debet. Unde in eo Parocho sic ægroto manet tota administratio redditumn, non in adjutore, qui solùm habet jus ad justam portionem sibi assignandam.

92 Addendum tamen cum prædictis Doctoribus, si Parochi morbus talis sit, ut ipse nec spiritualia, nec temporalia administrare valeat; tunc ad adjutorem pertinere generalem redditum administrationem, qui commoda portione ab Episcopo assignata, Parocho data, & sibi etiam reservata alia portione congruenti, reliquos beneficii proventus, si suppetant, in pios usus impendat. Sic enim intelligunt caput, Tua nos. Si verò morbus talis sit, ut solam impediat spiritualium administrationé; tunc ad Parochum ægrotum pertinet generalis redditum administratio, qui sibi necessaria portione retenta, justam, ac debitam dabit adjutori suo. Et sic intelligunt iidem Authores, quod habetur in cap. de Rectoribus allegato.

93 Ex dictis autem patet, ex quibus bonis adjutor datus Parocho ægrotanti alendus sit; nempè ex redditibus beneficii Parochialis ægroti Parochi detrahendam esse portionem congruam, qua commodè sustentari possit, ut habetur in cap. de Rectoribus citato; reservata alia ad dictum ægrotum congruenter sustentandum. Sed quid si redditus beneficii adjutori, & Parocho ægroto non sufficiant, quia valde tenues? Glossa in cap. de Rectoribus, censet potiùs esse alimenta præbenda adjutori, quàm Parocho infirmo. Ratio autem esse videtur, quia adjutor, ut supponitur, habet totum ministerium, & curæ exercitium; ergo illius potior cura habenda est, cùm redditus ad utrumque non sufficiunt. Cardin. tamen, ut testatur Abbas in prædicto cap. de Rectoribus, docet Parocho potius ægrotanti subveniendum esse ex redditibus Parochiæ, & Populum, vel Episcopum sustentare debere adjutorem. Hoc autem colligit idem Cardin. ex cap. de Rectoribus citato. Ubi statuitur, ut commoda portio adjutori detur ex Ecclesiæ redditibus, & ut cæteri redditus Parocho ægroto relinquantur liberi: ergo potior videtur Parochi ægroti causa, quàm coadjutoris.

94 Ego tamen dicendum judico cum Abbate suprà citato, Azor. Barbosa, Aloys. Ric. & pluribus aliis, authoritate Episcopi certam ex redditibus portionem adjutori assignandam esse. Quando autem redditus Ecclesiæ adjutori simul, & Parocho ægrotanti non sufficiunt ad utrumque commodè alendum, Parocho egroto in primis esse providendum ex redditibus beneficii; in subsidium verò adjutoris teneri Parochianos alimenta ministrare, ad quod jure ab Episcopo compellendi sunt. Ratio est, quia Parochus ægrotus, qui inservivit Parochiæ, estque possessor beneficii, & Dominus redditum ejus; ex eo ali debet. Coadjutor verò, qui actualiter servit, non est fraudandus mercede sua, & congrua sustentatione, qui enim altari servit, de altari vivit; ergo si fructus beneficii capaces non sunt ad utrumque alendum, in primis ex illis alendus est Parochus ægrotus, cujus est beneficium, & adjutor alendus est à Parochianis, Episcopo ad id cogente, ac disponente.

95 Sed quid de Parochis illis, qui non percipiunt fructus beneficii, sed aluntur à Parochianis, ut video fieri in Parochiis ruralibus hujus territorii Eborensis, & alibi passim? Respondeo de his nullam me vidisse dispositionem in jure; ex iis tamen, quæ ex ipso dicta sunt circa Parochos beneficiarios, dicendum existimo illam congruam, ad quam concurrunt Parochiani, dividendam esse inter Parochum ægrotum, & eum, qui loco ejus inservit, & ita audio fieri: ut æquitas postulare videtur; cum illa enim medietate, & oblationibus, & emolumentis Ecclesię sufficienter alitur datus adjutor. Si autem alia dimidia pars satis non fuerit ad alendum ægrotum; crederem posse Episcopum cogere Parochianos, ut ad aliquid amplius concurrant ad sufficientem ægroti Parochi sustentationem.

96 Inquires adhuc quid in illis Parochiis, quas annexas vocant, cujus portio

Digitized by Google

tio assignata Parocho, adeò est limitata, & tenuis, ut divisionem non capiat, cùm vix, qui inservit, ali possit ex tenuissima portione, simul & ex limitatis oblationibus, aliisque altaris emolumentis? Domini Episcopi videbunt, quid in hoc casu faciendum sit, ne ægrotus Parochus, qui Ecclesiæ inservivit, in ejusque servitio factus est inutilis, fame pereat, & ne Ecclesia debito servitio destituatur. Ego crederem, cùm tales Ecclesiæ annexæ sint alicui Abbatiæ, aut Prioratui valdè pingui, ac prædiviti, cui omnes ipsæ decimas solvunt, æquitatem postulare, ut adjutori cedat tota brevissima portiuncula. Cum tenuissimis emolumentis Ecclesiæ, ad alendum verò ægrotum Parochum, cogendum per Episcopum Abbatem, seu Priorem, qui ditissimus esse solet ex decimis tot Ecclesiarum suæ abbatiæ, vel prioratui annexarum. Nam Parochiani in illis annexis adeò pauperes sunt, ut ego vidi, ut illum alere non valeant. Cùm ergo æquitas non patiatur, ut ægrotus Parochus temporalibus destituatur subsidiis, & alioqui sacri Canones jubeant, ut ex redditibus Ecclesiæ sustentetur, hos autem redditus colligat Abbas, vel Prior, hic cogendus erit per Episcopum, ut sustentet Parochum ægrotum, qui tali Abbati, aut Priori inservivit, curando oves, quarum lanam, & lac ipsi colligunt, & potiuntur.

97 Sed quid de Parochis residentibus, qui propter illiteraturam, & imperitiam inepti sunt ad curam animarum exercendam? Respondeo posse, & debere Episcopos tamquam sedis Apostolicæ delegatos, Rectoribus Parochialium imperitis, & minus aptis, dare coadjutores, vel Vicarios pro tempore, & assignare eis partem fructuum pro sufficienti victu. Ita statuit Concilium Trid. *Qui illiterati*, inquit, *& imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minùs apti sunt officiis; Episcopi tamquam sedis Apostolicæ delegati, eisdem illiteratis, & imperitis, si aliàs honestæ vitæ sint, Coadjutores, aut Vicarios pro tempore deputare; partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione, vel exemptione remota.* Sess. 21. c. 6. de ref.

98 Et hoc posse Episcopos etiam in Parochiis exemptis propter identitatis rationem docent communiter DD. Zerola in praxi Episcop. Verbo Parochia §. 7. Reginald. lib. 30. tract. 3. nu. 172. Gonsal. ad regul. 8. Cancell. Gloss. 5. §. 9. n. 29. ubi n. 30. resolvit, quòd Parochus, cui datus est coadjutor propter insufficientiam, non poterit abesse à residentia, & dicit sic decidisse Sacr. Cardinalium Congreg. in hæc verba: Propter deputationem coadjutoris, Parochus, cui datus est coadjutor, non poterit abesse à residentia. Barb. ad locu Trid.

99 Quid verò de Parochis illis, qui, licèt sufficientem habeant doctrinam, moribus tamen suis scandalo sunt Parochiæ; magisque destruunt, quàm ædificant? Respondeo de his ita disponere citatum Concilium. *Eos verò, qui turpiter, & scandalosè vivunt, postquam præmoniti fuerint, coerceant, ac castigent* (nempè Episcopi) *Et, si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis, juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione, & appellatione quacumque remota, privandi facultatem habeant.* Ex scandalo enim inducitur irregularitas, ut docent communiter DD. Host. Abbas, Majolus apud Flamin. de resignat. Irregularem autem removendum esse à beneficio, nemo est, qui nesciat, cùm autem hæc irregularitas per emendationem vitæ tolli possit, si hæc sequatur, sustineri possunt prædicti Parochi. Trid. proximè. Flam. lib. 9. q. 2. 106.

Digitized by Google

LIBER QUARTUS *DE* SACRIFICIO A PAROCHO OFFERENDO.

Concilium Trident. post agnitionem ovium, & residentiam inter illas, ad quam Parochus tenetur, ut lib. præcedente dictum est, inter munera Parochialia primo loco ponit Sacrificium, dicens: Præcepto divino mandatum esse omnibus habentibus curam animarum pro ovibus Sacrificium offerre. Unde post residentiam sequitur agendum de Sacrificio à Parocho offerendo, explicataque priùs natura Sacrificii Christianæ Reipublicæ, videbimus quas Parochus obligationes habeat in ordine ad illud.

CAPUT PRIMUM.

In Ecclesia est proprium Sacrificium.

1 Dico Primò, in Missa offertur Deo verum, & proprium Sacrificium. Est de fide definitum in [a] Concilio Trident. *Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium Sacrificium; anathema sit.* Probatur: Quia in Missa concurrunt omnia necessaria ad veram rationem [b] Sacrificii, nempe sacerdos, altare, res oblata, oblatio Deo facta, quædam immutatio rei oblatæ, de qua posteà, & Hostiæ consumptio: sed nihil aliud requiritur ad verum, & proprium Sacrificium: ergo. Major constat ex definitione Sacrificii, quę sic habet: Sacrificium est oblatio rei sensibilis à legitimo ministro facta Deo per realem immutationem ad testandum illius supremum dominium, & nostram subjectionem. Ubi quatuor conditiones exprimuntur. Prima, ex parte ministri, ut sit sacerdos. Secunda, ex parte materiæ, ut sit res aliqua sensibilis; omnia enim, quæ in Scriptura dicuntur propriè Sacrificia, cursantur in rebus hujusmodi. Tertia, ex parte formæ, ut detur illius rei peremptio, seu aliqua conveniens mutatio, in quo differt Sacrificium à simplici oblatione. Quarta, ex parte finis, ut implicitè, vel explicitè referatur in Dei cultum, & honorem, & nostram subjectionem indicandam, sed omnes istæ conditiones inveniuntur in Sacrificio Missæ. Prima, quia fit à legitimo ministro, qualis est sacerdos ad hoc munus specialiter consecratus. Secunda, quia panis, & vinum est res sensibilis. Tertia, quia transmutantur in corpus, & sanguinem Christi. Quarta, quia per hanc actionem testamur excellentiam Dei, & supremum dominium, cui in signum talis recognitionis offerimus rem pretiosissimam, & fatemur nostram subjectionem: ergo in Missa concurrunt omnia necessaria ad veram rationem Sacrificii. Min. prioris syllogismi constat etiam ex definitione Sacrificii. Unde de consequentia non potest esse dubitatio.

a Sess. 22. can. 1.

b Soar. to. 3. in 3. p. d. 74. Less. lib. 2. c. 38. dub. 2.

2 Con-

Digitized by Google

2 Confirmatur quia si in Missa non offertur verum Sacrificium, nullum in Ecclesia Christi esset Sacrificium propriè dictum: hoc autem dicere esset absurdissimum, cùm nulla fuerit unquam religio sive vera, sive falsa, quæ Sacrificiis caruerit. Accedit quia panis, & vini oblatio à Melchisedech Deo facta fuit verum Sacrificium, & figura oblationis, quam Christus fecit in Cœna; & quotidie facit in Missa per sacerdotes, ut sancti Patres inculcant: ergo ut veritas figuræ respondeat, Christus per se in Cœna verum obtulit Sacrificium, idemque per sacerdotes, quos ibi instituit, quotidie offert, quibus mandavit, ut idem offerrent, dicens: [c] *Hoc facite in meam commemorationem*.

[c] Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 24.

3 Dices. Eucharistia est Sacramentum, ergo non est Sacrificium. Prob. consequentia. quia per Sacramentum Deus aliquid nobis donat; per Sacrificium nos aliquid ei tribuimus, quæ duo opposita sunt. Respondeo Eucharistiam sub ea ratione, qua est Sacramentum, non esse Sacrificium, sed sub alia. Unde qua Sacramentum nobis gratiam confert, & spiritualem sustentationem: qua Sacrificium, nos Corpus, & Sanguinem Christi Deo offerimus, quæ duo non repugnant.

4 Sed contrà. [d] Quia Apostolus ait Christum unico Sacrificio se semel obtulisse Deo. Respondeo. Christum se semel obtulisse Patri per cruentum crucis Sacrificium, quo expiavit omnia peccata quoad sufficientiam; per Sacrificium verò incruentum altaris nobis voluisse applicari virtutem Sacrificii crucis. Unde hoc posterius non solùm superfluum non est, sed valdè congruum, ut esset memoriale Sacrificii cruenti in cruce peracti, quod duo habet; alterum ut sit verum Sacrificium; alterum, ut sit repræsentativum Sacrificii facti in cruce: sicut agnus paschalis erat verum Sacrificium, & simul figura, & repræsentatio Sacrificii in cruce peragendi.

[d] Heb. 7. 28.

5 Dico secundò, [e] Res oblata in Missæ Sacrificio est Christus Dominus. Ita definitur in Concilio [e] Trident. dicente, Christum in nocte Cœnæ Corpus, & Sanguinem suum sub speciebus panis, & vini obtulisse, nosque etiam, ut offerremus, præcipisse. Quod multis in locis canit Ecclesia, docentque Patres Christum in Missa offerri, & immolari.

[e] Sess. 22. c. 1.

6 Dico tertiò, [f] Christus offertur in Missæ Sacrificio, non ut existit in propria specie, sed quatenus est sub speciebus Sacramentalibus. Prob. quia in Sacrificio offertur res præsens, quæ est super altare: sed Christus, ut est in propria specie, non est præsens in altari, sed solùm in Cœlo: ergo cùm non offeratur in propria specie necessarium est, ut offeratur, quatenus est sub speciebus panis, & vini, cùm hoc modo ibi sit præsens.

[f] Soar. disp. 75. sect. 2.

7 Dices. In Sacrificiis hostia supponitur actioni sacrificandi: in hoc autem Sacrificio Christus ut existens sub speciebus non supponitur actioni sacrificandi, quæ est ipsa consecratio, cujus vi Corpus, Sanguis Christi sub speciebus constituuntur. Respond. majorem esse veram in Sacrificiis animalium, quæ olim in Sacrificiis offerebantur, in quibus res corrupta nobilior erat re producta, adeoque non hæc, sed illa offerebatur: secus verò se res habet in Sacrificiis, in quibus hostia sic destruitur, ut ex illius destructione aliquid sequatur præstantius re destructa, ut videre est in oblatione thuris; suffitus enim, qui ex thure per actionem ignis exprimitur, est multò præstantior, & gratior ipso thure, eratque olim res oblata in Sacrificiis. cùm ergo in Sacrificio altaris Christus sub speciebus positus sit multò præstantior pane, & vino destructis; consequens est, non panem, & vinum, sed Christi Corpus, & Sanguinem, ut sub speciebus existunt, habbere rationem principalis hostiæ Deo oblatæ.

8 Unde [g] constat qua ratione Christus dici possit materia hujus Sacrificii. Si enim per materiam intelligatur hostia, & res oblata, Christus verè est materia hujus Sacrificii, quia verè immolatur, & offertur Patri in odorem suavitatis. Si verò per materiam intelligatur res aliqua, circa quam versatur actio sacrificandi, sic Christus non est materia hujus Sacrificii, seu terminus *à quo*, sed potiùs terminus *ad quem* terminatur actio sacrificandi; terminus verò *à quo* incipit, est panis, & vinum, quorum substantia est terminus *à quo* transsubstantiationis. Unde panis, & vinum dici potest materia transiens Sacrificii. Et in eo sensu loquuntur Patres, & Theologi, quando dicunt in Sacrificio Missę offerri panem, & vinum; offertur enim tamquam materia, ex qua fit trans-

[g] Soar. concl. ult. Less. dub. 1.

substantiatio. Neque inde sequitur in Missa esse plura Sacrificia, sed unum dumtaxat, sicut unum erat, quo thus resolvebatur in suffitum, & quo animal mutabatur in cadaver.

CAPUT SECUNDUM.

De essentia Sacrificii Missæ.

9 Essentia [a] Sacrificii, quod in Missa offertur, consistit in sola consecratione. Fundamentum est. Quia in consecratione fundatur tota significatio mystica ad Sacrificium sufficiens; ergo. Prob. antecedens. Quia per illam repræsentatur passio Christi in recognitionem supremi cultus Deo debiti, quatenus per talem actionem fit mirabilis quædam, & supernaturalis rerum mutatio in hunc finem, ut Deo offeratur, in ejusque honorem in altari præsens fiat res nobilissima, maximèque illi grata, nempe Christus Deus homo: ergo consecratio est sufficiens actio, ut integra ratio, & significatio hujus Sacrificii perficiatur.

a D. Thom. 3. p. q. 79. a. 1. Soar. disp. 75. sect. 5. Less. supra n. 16.

10 Conf. primò, quia hoc Sacrificium ex sua institutione repræsentare debet modo mystico mortem Christi: sed sola consecratio hoc præstat, cùm solùm ex vi illius Christi corpus ponatur sub specie panis, & sanguis sub specie vini: ergo. 2. quia sicut Sacrificium Thymiamatis, & aliorum, quæ igne offerebantur, consistebat in conversione eorum in suffitum, qui primariò censebatur offerri; ita Sacrificium Missæ consistit in conversione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, qui in eo principaliter offertur. Et sicut ibi ad rationem Sacrificii opus non erat dicere: *Offero tibi hoc incensum, &c.* Aut materiam sursum elevare, ita neque ad rationem essentialem Sacrificii altaris opus est ulla verbali oblatione materię, aut rei consecratæ, nec ulla elevatione; sed hæc adhibentur ut preces, & cæremoniæ, quibus vel petimus exaudiri, & consequi fructum Sacrificii; vel nos, & alios excitamus ad considerationem eorum, quæ re ipsa peraguntur. Ipsa ergo realis conversio ad honorem, & cultum Dei à legitimo ministro facta est sufficiens oblatio, & Sacrificium. Nec refert quod exterius non præ se ferat speciem aliquam oblationis; quia neque ipsum Sacrificium Crucis, quod repræsentatur, præ se tulit speciem oblationis; sufficit enim, quòd habeat rationem oblationis, quatenùs subest intentioni offerentis legitimam ad hoc potestatem habentis. 3. quia nihil aliud occurrit, in quo essentia hujus Sacrificii consistere possit. Quia non consistit in oblatione verbali facta ante consecrationem, neque in alia, quæ fit post consecrationem. 1. quia in istis oblationibus nulla fit realis mutatio circa rem oblatam, quæ mutatio est de ratione intrinseca Sacrificii. 2. quia hujusmodi oblationes verbales non semper fuerunt in usu Ecclesiæ, in qua semper fuit perfecta ratio Sacrificii. Neque consistit in fractione hostiæ, quia si casu accidat, ut hostia consecrata in calicem incidat, fractio omittenda est ex communi sententia; non omitteretur autem, si pertineret ad essentiam Sacrificii. Neque etiam consistit in sumptione facta à sacerdote. 1. quia non est in fide certum, Christum in Cœna sumpsisse Eucharistiam, cùm in ea certum sit Sacrificium obtulisse. 2. quia per sumptionem hostia non occiditur, sed supponitur mysticè occisa, cùm non manducetur, nisi occisa. Consistit igitur essentia hujus Sacrificii incruenti in sola consecratione, ad quam spectat consecratio sub [b] utraque specie, quia si altera tantùm consecraretur, non repræsentaretur satis expressè modo etiam incruento ipsum Crucis Sacrificium, quatenus in eo sanguis Christi ab illius corpore fuit realiter separatus. Unde sequitur numquam licere hoc Sacrificium offerre in sola consecratione unius speciei. Imò cùm non possit sacerdos licitè conficere Eucharistiam, nisi in memoriam passionis Christi, non licet ex ulla causa privatim extra Missam consecrare sub una tantùm specie.

b Soar. d. 75. sect. 6.

11 Dices. Si sumptio sacerdotis non est de essentia Sacrificii, non tenebitur sacerdos celebrans ad sumendum Sacramentum ex jure divino, quia cùm nullum sit præceptum positivum à Christo latum de hac sumptione; si hæc est de jure Divino, ideò est, quia talis obligatio intrinsecè continetur in naturali obligatione efficiendi perfectum Sacrificium: hæc autem obligatio nulla esse potest, si sumptio non est pars essentialis Sacrificii, & consequenter non est, cur sumptio dicatur necessaria de jure Divino: hoc autem videtur esse contra anti-

Digitized by Google

antiqua decreta, in quibus dicitur immane sacrilegium non sumi utramque speciem ab eo, qui sacrificat; quod etiam indicat [c] Trident. Imò tam necessarium hoc ab Ecclesia judicatur, ut si contingat sacerdotem sacrificantem non posse sumere, debeat alius ejus loco substitui, ut consumat Sacrificium? ergo hæc sumptio est præcepta tamquam de substantia Sacrificii, aliàs non esset Ecclesia tam solicita de supplenda re accidentali, & extrinseca, si supponeretur Sacrificium perfectum.

c Seff. 13. c.

12 Respond. [d] esse quidem sacerdoti sacrificanti præceptum, ut utramque speciem sumat, ut constat ex argumento facto, non ut per eam actionem sacrificet etiam partialiter, sed ut participet de oblato Sacrificio. Dici ulterius potest de ratione hujus Sacrificii esse ordinem ad sumptionem, quia licèt per se primò sit propter Divinum cultum, consequenter etiam est institutum, ut hostia in eo immolata sit fidelium cibus: & hoc modo ordo ad sumptionem est aliquo modo de ratione hujus Sacrificii, quamvis sumptio ipsa non sit de substantia ejus, sed extrinseca ejus perfectio, & consecutio cujusdam finis intenti in ipsa re sacrificata. Quo sensu intelligendus est [e] Aug. dicens manducare panem esse in novo testamento Sacrificium Christianorum, nempe quantum ad rem oblatam. Nam sicut Sacrificia vetera post oblationem dabantur Judæis in escam; ita illorum loco in Ecclesia Christi datur fidelibus panis consecratus in cibum, ideoque precipi sacerdoti, ut ipse sumat, & de Sacrificio à se oblato participet.

d Soar. sect. 5. §. ult.

e Lib. 16. de civit. c. 5.

13 Utrùm verò hoc preceptum sit juris Divini, non satis constat. Nam [f] Trid. solùm dicit Ecclesię morem semper fuisse, ut sacerdotes celebrantes se ipsos communicent. *Quimos*, inquit, *tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure, ac merito retineri debet*. Ubi nihil dicit de jure Divino, quod traditio Apostolica non statim infert. Alia verò antiquiora decreta, quamvis præceptum declarent, non tamen satis explicant jure Divino latum esse. Si autem propter conjecturas adductas dicendum videatur hoc preceptum esse juris Divini; ad argumentum respondetur tale preceptum non colligi ex sola ratione, nec ex natura Sacrificii ut sic, sed ex traditione, & sensu Ecclesiæ, ex qua intelligimus hanc fuisse Christi voluntatem, non quia sumptio sit de substantia Sacrificii, sed ut mysterium Eucharistiæ omni ex parte tam in ratione Sacrificii, quàm Sacramenti consumatur, & ad esum reducatur saltem à ministro publico illud conficiente, & præterea ut minister ipso opere se exhibeat perfectum ministrum, ostendendo ad se Sacrificium pertinere.

f Seff. 13. c. 8.

g Soar. proximè.

CAPUT TERTIUM.

De cæremoniis, & ritibus accidentalibus Sacrificii Missæ.

Quamvis substantia, & essentia Sacrificii consistat in sola consecratione Corporis, & Sanguinis Christi, 14
ut dictum est: Nihilominus sanctè, & religiosè Ecclesia in ejus celebratione adjunxit quædam alia, partim antecedentia, partim subsequentia; quæ vel ad Dei laudes, & gratiarum actiones, vel ad populum instruendum in fide, vel ad devotionem excitandam, vel ad ejus vota & petitiones Deo præsentandas pertinent.

15 Ita enim constat ex traditione, & usu Ecclesię, & definit [a] Trid. dicens, dedisse Christum Ecclesię potestatem, ut in Sacramentorum dispensationem, salva eorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, vel ipsorum venerationi expedire judicaret. Et licèt de Sacramentis loquatur, sub ipsis Sacrificium comprehendit, tum quia eadem est illius ratio, tum quia unum etiam ex Sacramentis actione sacrificandi conficitur; & ideò idem [b] Concilium alibi dicit, rectè fecisse Ecclesiam hunc celebrandi ritum, quo utitur, instituendo.

a Seff. 21. c. 2.

b Seff. 22. cap. 4. &. can. 5. & sequent.

16 Antiquitatem verò omnium verborum, actionum, & cæremoniarum, quibus Ecclesia utitur in celebratione hujus Sacrificii, causas, & significationes latè tradunt antiqui Doctores, de quo etiam Recentiores varios libros ediderunt, & possunt videri apud [c] Soar. qui omnia à principio Missæ usque ad finem erudité exponit, à quibus brevitas, quam profitemur, abstinendum suadet.

c Disp 83. sect. 1.

17 Advertendum tamen in Missa distingui duplicem Missam, seu duplicem partem ritus celebrandi Missam. Prior dicitur Missa catechumenorum, quę durat à principio usque ad Euangelium, vel ad Symbolum inclusivè, & talis dicitur, quia ad eam catechumeni non-

dum baptizati admittebantur, & finito Euangelio, vel Symbolo dimittebantur tamquam incapaces mysteriorum, quæ posteà peraguntur. Reliqua verò pars à prima oblatione usque ad finem, dicitur Missa fidelium, quia solùm illi, qui fidem per Baptismum professi fuerant, ei assistere permittebantur.

18 Porrò Missæ nomen in Ecclesia Latina antiquissimum est, ut constat ex Conciliis, & Patribus relatis in [d] decreto. Originem verò hujus nominis aliqui credunt esse [e] Græcam, alii Hebræam, alii verò Latinam, ejusque etymologiam explicantes oblationem subintelligendam esse censent, ita ut Missa dicatur, quia oblatio Sacrificii ad Deum mittitur, & Missa est: vel quia Deus ad nos mittit hostiam hujus Sacrificii, quam nos iterùm ad ipsum mittimus per sacerdotem, juxta verba illa canonis: *Iube hæc perferre per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum*. Unde quando dicitur: *Ite, Missa est*. Sensus est juxta prædictam etymologiam, Ite: jam enim oblatio ad Deum Missa est, seu jam tota hæc actio est completa.

d Dist. 1. de consecrat.
e Soar. disp.74. sect. 3.
f Bellar. lib. 1. de Missa.c.1.

19 Quacumque ergo ratione origo, & impositio hujus vocis accipiatur, certum est jam accipi ad significandam totam illam actionem sacram constantem pluribus actionibus, & cæremoniis, in cujus fine populus dimittitur; & inde duplex Missa olim distinguebatur, ut dictum est. Nunc verò Missa significat totam illam actionem sacram à principio usque ad finem, quæ utramque prędictam Missam complectitur, quia jam illa prior dimissio catechumenorum sublata est, & tota res una veluti continua actione conficitur, quæ Missa dicitur.

20 Igitur, si de Missa loquamur, ut includit omnes cæremonias, actiones, & orationes, quæ ibi fiunt, & dicuntur, complectitur quidem Sacrificium, non tamen solam substantiam ejus, sed etiam accidentia. Et ideò secundùm hoc totum non est à Christo instituta, quia licèt ab illo in Cœna Sacrificium quoad substantiam fuerit institutum, ut cap. præcedente dictum est; quoad reliqua, quæ in Missa continentur & peraguntur, institutum fuit ab Apostolis, & auctum ab eorum successoribus sanctè, & religiosè ad majorem mysterii venerationem, & fidelium devotionem.

CAPUT QUARTUM.

De offerente Sacrificium Missæ.

Dico primò, Christus Dominus est principalis offerens Sacrificium incruentum altaris. Ita definitur in [a] Tridenț. per hæc verba: *Vna, eademque est Hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa*. Et sumitur ex [b] Florent. Ubi statuitur sacerdotem in consecratione gerere personam Christi, quatenus dicit: *Hoc est corpus meum*. Non autem, hoc est Corpus Christi, ut dicere debuisset, si ipse & non Christus esset principalis offerens, & sacerdos. Et ex [c] Lateran. quatenus dicit Christum in hoc mysterio esse simul sacerdotem, & Sacrificium. 21

a Sess. 22. c. 2.
b In decret. Eugenii.

22 Probatur ex [d] Scriptura, quæ Christum appellat sacerdotem æternum secundùm ordinem Melchisedech: qui ordo in oblatione hujus Sacrificii completur, & exercetur. Non potuit enim Christus dici sacerdos æternus propter solam Hostiam, quam semel in cruce obtulit, sed quia perpetuò sacrificat, & offert eandem Hostiam, mysticè per sacerdotes offerentes: deinde quia [e] Apostolus differentiam constituit inter legem novam, & veterem, quòd in veteri *plures erant sacerdotes, eò quòd morte prohiberentur permanere*. In nova autem unus est sacerdos æternus, cui nullus succedit, sed reliqui omnes sunt ministri ejus: sentit ergo Christum nunc offerre per sacerdotes Sacrificium incruentum corporis, & sanguinis sui; alioqui nulla esset differentia, quam inter utramque legem stabilire intendit quoad sacerdotium sanctus Apostolus.

c c. firmiter de sum. Trinit. & fide. cath.
d Psal. 109.
e Heb. 7. 11.

23 Ad intelligendum autem quomodo Christus sit principalis offerens, & sacerdos, notandum est quemlibet sacerdotem offerre hoc Sacrificium in persona Christi, & tamquam legatum ejus eum repræsentantem. Colit igitur Christus Deum in hoc Sacrificio, licèt per alium, sicut qui dat eleemosynam per famulum, rectè dicitur principalis donans; & licèt famulus sit iniquus, si Dominus est justus, eleemosyna munda est apud Deum. Addo Christum in eomet concursu, quo concurrit cum sacerdote ad actionem Sacrificii, gerere se ut supremum Dei cultorem, & intercessorem pro hominibus, quia totam illam suam

Digitized by Google

suam actionem ordinat in cultum Dei, eamque Patri repræsentat in memoriam suæ passionis, ut hominibus propitius sit. Nam, licèt quis eleemosynam mittat per ministrum, magis tamen se misericordem ostendit, & meliori modo operatur, si dum minister illam confert, ipse per se ad elargitionem concurrat, eique actu consentiat. Sic ad exactam perfectionem hujus Sacrificii, & ut omnino æquale sit ex parte offerentis Sacrificio Crucis, & Cœnæ, oportet quòd Christus per se ipsum aliquo modo offerat, & non tantùm per ministrum repræsentantem. Et hoc modo meliùs salvatur, quod nunc exercet munus sacerdotis summi, & æterni.

24 Dico secundò, soli sacerdotes novæ legis possunt validè Sacrificium altaris per se offerre tamquam Christi ministri. Ita colligitur ex [f] Trid. quatenus ait Christum per illa verba. *Hoc facite in meam commemorationem*. Præcepisse Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut Missæ Sacrificium offerrent. Illis enim verbis Christus Apostolos constituit sacerdotes, eisque dedit potestatem faciendi, quod ipse fecerat, nempe offerendi Sacrificium incruentum corporis, & sanguinis sui: cùm ergo hoc sit opus omninò supernaturale, non nisi ab habentibus potestatem, adeoque à solis sacerdotibus perfici potest. Confirmatur, quia Sacrificium, & sacerdotium sunt correlativa, ita ut nemo sit sacerdos, nisi in ordine ad Sacrificium offerendum: & nullum sit Sacrificium, quod non postulet sacerdotem deputatum ad illud offerendum.

f Sess. 22. c. 1.

25 Quòd autem sacerdotes tamquam Christi ministri, ejusque personam repræsentantes hoc Sacrificium offerant, sumi etiam potest ex [g] sacris vestibus, quibus induti celebrant. Nam amictus significat velamen, quo milites Christi faciem velarunt: alba significat vestem albam, qua Herodes Dominum illusit: cingulum significat funes, seu vincula, quibus in horto primò ligatus fuit: manipulus, vel funes, quibus manus ligatæ fuerunt, vel sceptrum arundineum, quo donatus fuit ad irrisionem: stola crucem humeris Christi impositam: casula vestem coccineam, qua irrisus est. His ergo vestibus sacerdos indutus procedit ad Sacrificium offerendum, ut minister Christi ejus personam repræsentans tempore passionis, quia in Sacrificio offerendo eadem passio Christi mysticè repræsentari debet. Hæc sunt quasi litterales significationes vestium.

g Soar. disp. 82. sect. 2.

26 Morales verò variæ sunt. Præcipuæ indicantur in orationibus, quibus sacerdos utitur, quando eas assumit. Unde amictus significat spem, & fiduciam, qua sacerdos accedere debet ad tantum Sacrificium Deo offerendum, juxta Apostolum [h] spem galeam salutis appellantem. Et ideò dicit: *Impone Domine capiti meo galeam salutis*. Alba indicat munditiem cordis, & totam hominis justitiam, unde dicit: *Dealba me Domine, & munda cor meum*. Cingulum carnis continentiam, & castitatem indicat. Ideò dicit: *Præcinge me Domine cingulo puritatis*. Manipulus cordis compunctionem, veramque pœnitentiam indicat, quam sacerdos ad altare deferre debet. Quare dicit: *Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris*. Stola significat suave Christi jugum. Unde in ordinatione sacerdotis ad impositionem stolæ dicitur: *Accipe jugum Domini*. Et quia per obedientiam ad jugum, & legem Christi restituendus est homo in eum statum, quem per inobedientiam amisit, dicit stolam induens: *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi*. Casula significat charitatem, quæ cunctis virtutibus supereminet, easque protegit, & illustrat. Unde dicit: *Fac, ut istud portare sic valeam, quòd consequar tuam gratiam*. His vestibus moraliter ornatus sacerdos personam Christi optimè repræsentabit Sacrificium Deo offerens.

h 1. Thess. 5. 8.

27 Dico tertiò, omnes fideles aliquo modo offerunt hoc Sacrificium per manus sacerdotis. Colligitur ex [i] Trident. dicente Christum dilectæ sponsæ suæ visibile, sicut hominum natura exigit, Sacrificium reliquisse, ut nempe illud offerat per sacerdotes, qui sunt ministri publici ad hoc munus specialiter deputati. Sicut enim, qui olim dabat agnum sacerdoti, offerre censebatur; ita Christus cùm se sacerdotibus tamquam victimam pro fidelibus offerendam reliquerit, non [l] minus singuli offerre dicuntur per sacerdotem, quàm si unusquisque victimam offerendam ei dedisset. Specialiter verò illi offerunt, qui Sacrificio intersunt, aut sacerdoti sacrificanti inserviunt, vel aliquod aliud ministerium exercent.

i Sess. 22 c. 1.

l Soar. sect. 5.

Institutio Parochi. F 3 CA-

CAPUT QUINTUM.

Pro quibus Sacrificium offerri possit?

28 DIco primò, Sacrificium Missæ offerri potest pro fidelibus baptizatis. Sumitur ex [a] Trid. & perpetuo Ecclesiæ usu. [b] Prob. quia fideles baptizati sunt capaces fructus Sacrificii, neque enim assignabitur ulla incapacitas. Nomine autem fidelium intelliguntur non solùm justi, sed & peccatores; nam licèt, dum quis est in peccato mortali, remissionem pœnæ obtinere non possit, per Sacrificium tamen ei possunt impetrare auxilia gratiæ, per quæ disponatur ad justitiam. Intelliguntur etiam infantes baptizati, quibus etiam si nulla pœna solvenda sit, per modum impetrationis illis obtineri potest sanitas, protectio à periculis, &c.

a Seff. 22. c. 2.
b Soar. disp. 78. sect. 2.

29 Dico secundò, Sacrificium Missæ offerri potest pro [c] catechumenis fidelibus non baptizatis. Prob. quia, ut multi Patres referunt, olim Ecclesia inter Missarum solemnia pro catechumenis orare solebat, sicut hodie facit in die Parasceues: ergo judicabat capaces esse alicujus fructus Sacrificii. Conf. [d] ex Aug. dicente sacerdotem stantem ad altare orare pro catechumenis, ut Deus illis inspiret desiderium regenerationis, quam dicit esse antiquam traditionem Apostolicam: potest enim Sacrificium eis prodesse saltem quoad fructum impetrationis. Neque contra hoc facit, quod ante consecrationem jubebantur exire de Ecclesia; quia hoc fiebat, eò quòd, cùm nondum essent baptizati, non censebantur satis fundati in fide, ut possent sine periculo interesse huic mysterio, quod captum humanum superat.

c Soar. sect. 2.
d Epist. 109. ad Vital.

30 Dico tertiò, Sacrificium Missæ potest offerri pro [e] Paganis, & infidelibus non baptizatis. Sumitur ex Trident. & Patribus. Et ratio est: Quia Sacrificium altaris non est speciatim institutum à Christo pro his, vel illis, sed pro omnibus, sicut ipse pro omnibus mortuus est, & pro omnibus obtulit Sacrificium Crucis: aliunde verò sicut pro omnibus orare, ita & Sacrificium offerre bonum est. Unde neque id illicitum esse potest, nisi vel à Christo, vel ab ejus Ecclesia prohibitum sit: nulla autem prohibitio assignari potest: ergo licitum est Sacrificium Missæ offerre pro infidelibus non baptizatis, ut Deus illos illuminet, & convertat.

e Soar. sect. 2.

31 Dico quartò, Sacrificium Missæ offerri potest pro hæreticis, [f] & schismaticis toleratis. Prob. quia illi sunt baptizati, ut supponitur, & consequenter membra Christi per Baptismum, & characterem, licet non per fidem; & quamvis non possint pro eo statu consequi remissionem pœnę eorum peccatis debitæ; sunt capaces auxiliorum gratiæ, quibus disponantur ad fidem, & justitiam. Unde in Missali est peculiaris Missa pro extirpando schismate, & hoc modo offerimus pro Anglia, Germania, ut in pristinum statum Deus Ecclesiæ suæ Catholicæ Provincias illas restituat. Erit autem consultum numquam expressè nominare personam aliquam infidelem, ita ut ab aliis audiri possit, ne fortè scandalum, aut admiratio apud ignorantes ingeratur.

f Soar. sect. 2.

32 Dico quintò, Non licèt Sacrificium Missę offerre pro [g] excommunicatis majori excommunicatione, sive fideles sint, sive infideles Apostatæ, si sint nominatim denuntiati, seu non tolerati. Prob. quia id prohibitum est per Ecclesiam, & hic est unus ex effectibus majoris excommunicationis, de quo alibi. Sine ullo tamen scrupulo potest sacerdos orare in *Memento* pro talibus Oratione privata, quia hoc non prohibetur.

g Soar. sect. 2.

33 Dico sextò, Sacrificium Missę offerri potest pro existentibus in Purgatorio. Est certum in fide, ut patet ex [h] Trid. quod licèt generatim agat de defunctis, idem intelligit de existentibus in Purgatorio, ut constat ex cap. 2. & ex decreto de [i] Purgatorio, & perpetua praxi Ecclesiæ. [l] Ratio verò est, quia cùm fideles, qui hìc militant, & qui ibi purgantur, sint ejusdem Ecclesiæ membra, & Christo uniti per charitatem, inter utrosque est communicatio Sanctorum, atque adeò sibi invicem opitulari possunt non solùm per Sacrificium, sed etiam per alia bona opera.

h Seff. 22. Can. 3. & c. 2.
i Seff. 25.
l Soar. sect. 3.

34 Dico septimò, Sacrificium Missæ neque quia satisfactorium, neque quia propitiatorium, offerri potest [m] pro Beatis, qui sunt in gloria. Prob. quia talis oblatio eis prodesse non potest sive ad culpæ, sive ad pœnæ remissionem, sive ad gratiæ, aut gloriæ essentialis augmentum. Potest tamen Deo

m Soar. sect. 3.

Sacri-

Digitized by Google

Sacrificium offerri in gratiarum actionem pro gloria, aliisque beneficiis in sanctos collatis, quod non est propriè offerri pro sanctis ipsis, licèt tale Sacrificium sit illis valdè gratum. An verò possit pro illis offerri, ut est impetratorium gloriæ, & honoris accidentalis? Dicendum videtur propriè loquendo non posse, nisi in quantum aliquo modo offertur pro nobis, ex quorum actibus honor aliquis, aut accidentalis gloria in sanctos redundat.

35 Dico octavò, Sacrificium offerri non potest pro damnatis. [n] Prob. quia cùm in Inferno nulla sit redemptio, neque remissio, culpæ, aut pœnæ, neque auxilia gratiæ ad conversionem disponentia, nullum bonum impetrari potest: ergo frustrà, & inutiliter pro eis Sacrificium offeretur, vel alia suffragia fierent. Confirm. ex usu Ecclesiæ, quæ numquam Sacrificium offert pro his, quos constat in peccato mortali obiisse; quia damnati jam sunt membra Christi, neque actu, neque potentia: ergo illis prodesse non potest passio Christi, neque Christi Sacrificium, in quo merita passionis ejus applicantur. Unde dixit [o] Aug. Quòd si Sacrificium contingat offerri pro his, qui damnati sunt, quia damnati esse ignorantur, valebit ad consolationem vivorum, non ad adjutorium mortuorum.

n Soar. sect. 3.

o Enchir. c. 100.

CAPUT SEXTUM.

De effectibus Sacrificii Missæ.

36 Non loquimur hoc loco de Sacrificio, prout est Sacramentum, & recipitur à sacerdote, vel ab aliis fidelibus, de hoc enim agendum erit lib. 9. sed loquimur de Sacrificio, prout Deo offertur in ejus cultum, & honorem juxta dicta cap. 2. Hoc igitur Sacrificium in prædicto sensu est propitiatorium, seu impetratorium, & satisfactorium, ut sumitur ex sacris literis, Conciliis, & Patribus.

37 Dico ergo primò, Sacrificium Missæ causat aliquem effectum ex [a] opere operato. Prob. ex communi sensu Ecclesiæ sentientis Sacrificium hoc ex vi suæ institutionis habere singularem vim, & efficaciam ad applicandum aliquem fructum passionis Christi, juxta [b] Trid. quatenùs ait Christum instituisse hoc Sacrificium, ut illius, nempè Sacrificii crucis, salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur. Quod cap. 2. latiùs, & uberiùs docet. Hæc autem applicatio, cùm fiat ex vi institutionis, ex opere operato est. Deinde quia Ecclesia semper intellexit fructum hujus Sacrificii non pendere ex gratia, & sanctitate ministri offerentis: ergo signum est communicari ex opere operato, quia si communicaretur ex opere operantis, magis penderet ex justitia offerentis, quàm ejus, pro quo offertur, ut videre est in quolibet alio opere satisfactorio.

a Soar. disp. 79. sect. 1.

b Sess. 22. c. 1. & 2.

38 Dico secundò, Sacrificium Missæ præter effectum ex opere operato, habet ex vi suæ institutionis specialem vim ad impetrandum [c] eos effectus, pro quibus impetrandis offertur. Prob. ex usu Ecclesiæ, in qua semper observatum est ut in oblatione Sacrificii oret minister offerens pro vivis, & defunctis, pro pace Ecclesiæ, & aliis necessitatibus hominum; ergo semper existimavit Sacrificium plurimum valere ad conferendum tali orationi vim impetrandi. Deinde quia impetratio propriè fit per orationem, per alia autem opera, quatenus adjunguntur orationi, fiuntque in Dei obsequium eo animo, ut eum inclinemus ad concedendum nobis id quod petimus, vel optamus: sed Sacrificium Missæ est maximum Dei obsequium, & potest conjungi cum oratione, vel desiderio obtinendi à Deo aliquod beneficium; ergo plurimum de se valet ad illud impetrandum.

c Soar. sect. 2.

39 Hæc autem vis non procedit ex opere operantis, quia etiam si minister sit indignus, indeque valorem non habeat, adhuc Sacrificium ex vi suæ institutionis, à qua habet, ut in persona Christi offeratur, retinet valorem suum, & vim ad impetrandum magis, quàm aliæ orationes Ecclesiæ, quæ quatenus nomine ejus per ministros suos offeruntur, habent suum valorem ad impetrandum independenter à merito, vel valore proximi operantis. Hic tamen modus impetrandi, & effectus inde proveniens differt à propria causalitate, & effectu ex opere operato. Primò quia causalitas ex opere operato fundatur in speciali promissione distincta à substantiali institutione Sacrificii; modus autem impetrationis non requirit specialem promissionem, sed ex natura talis Sacrificii, nempè ex sanctitate ipsius con-

consequitur, & intrinsecè sequitur valor ad impetrandum; sicut enim est altissimum Dei obsequium, ita de se est idoneum ad invitandam divinam voluntatem, ut postulata concedat. Secundò, quia ad effectum ex opere operato necessarium non est, ut offerens petat, vel consequi intendat effectum: nam ita illum operatur, sicut Sacramentum operatur suum. Sacramentum autem hoc ipso, quod alicui applicatur, confert illi effectum suum, quamvis neque minister, neque recipiens illum intendat, dummodo non ponat obicem: ergo. Tertiò quia effectus ex opere operato est infallibilis; fundatur enim in promissione absoluta respectu ejus, qui non ponit obicem; hic verò non habet de se unde sit infallibilis, quia nec fundatur in promissione, nec debetur ex justitia, quia non nititur in merito de condigno offerentis. Quartò, quia virtus impetrandi est universalior tum ex parte personarum, quia ad plures personas extenditur impetratio, quàm opus operatum: tum in effectibus; nam opus operatum definitum est ad certum, & definitum effectum, impetratio verò ad quoslibet effectus divinæ beneficentiæ extendi potest.

40 Dico tertiò, Sacrificium non confert [d] immediatè gratiam sanctificantem, & remissionem peccati mortalis ex opere operato, nec per modum impetrationis valet ad illam immediatè obtinendam homini per solam attritionem disposito. Prob. prima pars, quia aliàs sacerdos per ipsam consecrationem, in qua Sacrificium essentialiter consistit, ex attrito fieret contritus recipiendo gratiam, & remissionem peccati, adeoque esset ritè dispositus ad sumendam posteà Eucharistiam, quamvis confessionem sacramentalem non præmitteret; quod tamen dici non potest. Prob. secunda pars. Quia hujusmodi effectus est contra, vel saltem præter legem Dei ordinariam; unde inordinatum esset illum postulare, vel pro eo impetrando Sacrificium offerre: cùm enim Deus statuerit neminem justificare, nisi per baptismum, vel absolutionem sacramentalem in re susceptam, vel in voto in contritione, vel dilectione super omnia incluso, inordinatum esset à Deo petere, ut gratiam, & remissionem peccati sine his mediis conferret, sicut inordinatum foret petere, ut daret characterem ordinis sine ordinis Sacramento: ergo neque Sacrificium potest licitè offerri ad hoc impetrandum, nec talem effectum impetrabit, sed potius Deus ad iram provocabitur.

[d] Suar. sect. 3.

41 Addo neque per accidens [e] Sacrificium posse conferre primam gratiam, & remissionem peccati. Prob. quia quod non potest per se conferre ex opere operato augmentum gratiæ, non potest etiam per accidens dare primam gratiam; sed Sacrificium non potest per se dare augmentum gratiæ, ut statim dicetur: ergo. Conf. quia in Sacrificio respectu ejus, pro quo offertur, vix potest re ipsa distingui talis effectus per accidens, aut per se: ergo si per se conferri non potest, neque etiam per accidens. Antecedens declaratur, quia tunc prima gratia datur per accidens, quando per se requirit contritionem, & ratione bonæ fidei datur cum sola attritione existimata contritione: sed hìc non habet locum hæc bona fides, neque est necessaria talis existimatio contritionis, quia hìc non intervenit aliquod præceptum, cujus transgressio excusanda sit per hujusmodi bonam fidem, quia non tenetur homo priùs conteri, quàm pro se faciat Sacrificium offerri: ergo si Sacrificium potest aliquando dare primam gratiam homini attrito; hoc poterit si attritio cognita sit, quod est facere per se, & non per accidens.

[e] Suar. sect. 4.

42 Dico 4. Sacrificium non confert immediatè augmentum gratiæ ex opere operato, nec per modum impetrationis. Prob. quia sequeretur licitum esse offerre Sacrificium pro infantibus baptizatis eo fine, ut consequerentur hoc augmentum, unde sine actu elicito possent evadere in dies sanctiores. Et consequenter si ante usum rationis mererentur, reciperent majorem gloriam ea, quæ gratiæ baptismali responderet. Quod tamen est absurdum. Accedit, quia Deus statuit gratiam augere per actus pios operantis, & per Sacramenta ritè suscepta, & non aliter: ergo nec per modum impetrationis Sacrificium hoc augmentum immediatè confert ex opere operato.

43 Dico 5. Sacrificium mediatè [f] confert primam gratiam per modum impetrationis, & augmentum ejus. Prob. ex [g] Trident. dicente hoc Sacrificium institutum fuisse, ut virtus Sacrificii cruenti in remissionem peccatorum nobis

[f] Suar. sect. 4.

[g] Sess. 22. c. 1. & 2.

Digitized by Google

bis applicaretur. Et alibi Deum hac oblatione placatum, & donum pœnitentiæ concedere, & peccata ingentia nobis dimittere: sed illa applicatio non ita fit, ut Sacrificium immediatè primam gratiam, & remissionem peccati conferat, ut dictum est: ergo ita intelligitur, ut virtute Sacrificii concedantur auxilia gratiæ, quibus homo ad justitiam per pœnitentiam disponi valeat, quod est mediatè conferre ad primam gratiam, & peccati remissionem. Quod à fortiori procedit de augmento gratię in homine justo.

44 Dico 6. Sacrificium non delet immediatè, & per se [h] peccata venialia ex opere operato. Prob. quia per Sacrificium non datur immediatè, & per se gratia sanctificans: sed venialia non remittuntur sine hujus infusione, nec sine aliquo actu hominis, qui potest non fieri, quando pro aliquo offertur Sacrificium: ergo. An verò illa remittat saltem mediante actu peccatoris, ita tamen ut tota remissio fiat ex opere operato? Respond. talem impetrationem non esse prorsus infallibilem, quamvis verosimile sit frequentius, quàm in peccato mortali, & ferè semper habere effectum; & quia culpa levior est; & quia cùm subjectum sit gratum, magis est dispositum, & dignum, ut ei hoc beneficium impetretur, maximè in offerente pro se hac intentione, ut à Deo impetret hanc remissionem; hunc enim verosimile est consequi remissionem omnium venialium, non solùm quia impetratio pro se ipso est infallibilior, & certior, si ex parte impetrantis non est impedimentum, sed etiam quia non omninò caret actuali dispositione: est ergo verosimile illam semper consequi, non ex speciali promissione facta Sacrificio. Et ideò non propriè ex opere operato, sed veluti ex natura rei supposita institutione, voluntate, & modo offerendi.

45 Dico 7. [i] Sacrificium remittit per se immediatè, & ex opere operato aliquam pœnam debitam peccatis remissis hominum justorum sive viventium, sive in Purgatorio existentium. Prob. ex [l] Trident. dicente hoc Sacrificium offerri pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus fidelium. Idemque colligitur ex sequentibus, cùm dicit hoc Sacrificium pro defunctis in Christo nondum plenè purgatis, ritè juxta Apostolorum doctrinam offerri. Non enim aliter posset hæc oblatio prodesse animabus Purgatorii, quàm remittendo illis aliquam pœnam temporalem. Hicque est maximè proprius effectus hujus Sacrificii, ad quem nullum Sacramentum per se, & ex peculiari ratione ordinatur. Habet etiam legem infallibilem non solùm pro vivis, sed etiam pro defunctis in Christo; quia non minus pro istis, quàm pro illis fuit institutum. Conf. quia hoc Sacrificium aliquid confert ex opere operato, ut conclusione prima dictum est: sed nihil aliud apparet, quod prædicto modo conferri possit, ut constat ex præcedentibus: ergo &c.

46 Addo etiam conferre posse per modum impetrationis ad remissionem alicujus pœnæ. Nam cùm hoc Sacrificium sit de se sufficiens ad quodlibet bonum impetrandum, etiam si ex speciali Christi promissione unum conferat ex opere operato, non amittit vim ad impetrandum aliud distinctum: cùm ergo pœna peccatis debita sit multiplex, potest remissio partis conferri ex opere operato, & alia pars impetrari per idem Sacrificium.

47 Dico 8. Sacrificium Missæ etiam confert ad bona [m] temporalia consequenda. Constat ex Trident. suprà, & ex Patrum consensu, qui passim docent illud offerri pro pace, pro sanitate, pro fructibus terræ, &c. Et ex praxi Ecclesiæ, quæ Missas frequenter celebrat pro bonis temporalibus, quatenus hæc sunt aliquo modo utilia ad salutem. Hic tamen effectus non pendet à Sacrificio ex opere operato; quia si bona temporalia spectentur secundùm se, nullam habent dignitatem, aut utilitatem, ratione cujus mereantur per tam divinum Sacrificium obtineri infallibiliter: ut verò conducunt ad spiritualia, non adeò necessaria sunt, ut sine illis homo non possit gratiam, & salutem assequi: ergo solùm poterunt per Sacrificium impetrari, non tamen infallibiliter.

[h] Soar. sect. 5.

[i] Soar. sect. 6.

[l] Sess. 22. c. 2.

[m] Soar. sect. 7.

C 4.

by Google

CAPUT SEPTIMUM.

In quo offerente habeat Sacrificium effectum ex opere operato?

48 OFferentes Sacrificium varii sunt, ut diximus c. 4. Primus, & principalis est Christus. Secundus est Ecclesia, cujus nomine etiam offertur, sub qua comprehenduntur omnia ejus membra. Tertius est sacerdos celebrans, qui ut minister, & in persona Christi offert. Quartus sunt omnes alii, qui specialiter concurrunt cum sacerdote ad offerendum, sive inserviendo, sive assistendo, sive eleemosynam sacerdoti tribuendo.

49 Dico ergo [a] primò, oblationi Christi, ut est eadem omninò cum oblatione sacerdotis, qui non offert, nisi ut Christum repræsentat, non respondet fructus distinctus ab eo, qui respondet oblationi sacerdotis, ut sic, sicut nec oblatio distincta est, nec sacerdos, & Christus sub hac consideratione sunt duo, sed unum. Prob. ex ministerio Sacramentorum, ubi non respondet alius effectus sacerdoti ministranti, & Christo per illum operanti.

[a] Suar. disp. 79. sect. 8.

50 Dico secundò, Ecclesiæ, seu fidelibus ejus membris, quatenus sunt offerentes remotissimi, non respondet aliqua pars fructus ex opere operato. Idest, nullam remissionem pœnæ consequuntur. Prob. quia fructus passionis Christi non applicatur ex opere operato, nisi vel per propriam aliquam actionem, vel per receptionem sensibilem, vel per specialem applicationem alterius: sed membra Ecclesiæ, quando sacerdos Sacrificium offert, neque aliquid agunt, aut recipiunt, per quod eis talis fructus applicetur, nec applicatur hic fructus per specialem alterius applicationem: ergo solùm potest inde ipsis resultare aliquid per modum impetrationis, quia ad impetrandum sufficit sanctitas habitualis Ecclesiæ, ad quam Deus respiciens, quando nomine illius fit oratio, vel oblatio, ratione illius inclinatur ad concedendum id, quod petitur, in quo consistit impetrationis ratio.

51 Dico tertiò sacerdoti, ut offert in persona Christi, respondet ex opere operato aliquis proprius effectus hujus Sacrificii. Prob. quia Sacrificium habet effectum ex opere operato, ut cap. precedente dictum est: ergo maximè respondet illi, ut est actio ministri à Christo deputati, per quem Christus operatur. Conf. quia oblatio sacerdotis est propriè actuale Sacrificium: ergo sacerdoti maximè respondet fructus ex opere operato; qui ab ipso applicari potest, cùm maluerit, tamquam à ministro nomine Christi offerente.

52 Dico 4. Privatis offerentibus, qui aliquem concursum habent ad oblationem cum sacerdote offerente vel ministrantes, vel assistentes audiendo, respondet aliquis fructus proprius ex opere operato. Sumitur ex illis verbis canonis: *Pro quibus tibi offerimus; vel qui tibi offerunt.* Ubi sermo est de assistentibus, ut patet ex verbis antecedentibus. *Et omnium circumstantium, quorum fides tibi cognita est, & nota devotio, pro quibus &c.* Ubi distinguuntur offerentes, &c. illi, pro quibus offertur, quia singulæ illæ rationes per se sufficiunt ad recipiendum aliquem fructum ex opere operato. Et quia oblatio Sacrificii est fructuosa ex opere operato: ergo omnes, qui ad illam verè concurrunt per moralem concursum actualem participant fructum oblationis. Et quia sicut usus Sacramenti consistit in receptione, ita usus Sacrificii in oblatione: sed omnes qui recipiunt Sacramentum sine obice participant fructum ejus ex opere operato: ergo similiter omnes offerentes participant fructum Sacrificii ex opere operato, maximè quia Christus, qui illud instituere potuit cum hac efficacitate, ita credendus est instituisse.

53 Dico 5. Sacerdoti offerenti duplex fructus respondet ex opere operato; alter ut offert in persona Christi, & ut minister Christi publicus; alter ut offert in persona propria, sub qua etiam ratione concurrit non minus, quàm reliqui offerentes, quibus non est deterioris conditionis; quo fructu privatur, si sit injustus, nihil tamen minuitur de priori, quem applicat danti stipendium, illum nimirum, qui respondet Sacrificio, ut est à ministro publico, sub hac enim ratione accipit stipendium, scilicet ut publicus minister Christi. Neque aliquis unquam dixit teneri sacerdotem ad applicandum proprium fructum personalem danti stipendium, & non pauci credunt id fieri non posse.

54 Inter hos duos fructus est prima differentia, quia primus est principaliter

ter propter alios, pro quibus potest Sacrificium offerri, quia tunc gerit personam publicam, estque intercessor inter Deum, & homines. Secundus est privatus, & præcipuè propter singulos offerentes, qui non offerunt ut publici ministri, sed ut privatæ personæ. 2. quia primus de se est indifferens, & ideò soli sacerdoti Christi ministro data est potestas, ut huic, vel illi applicet illum, nec determinatur ex se ad sacerdotem offerentem, quia non est principaliter propter ipsum, sed propter alios, inter quos & Deum ipse est mediator. Secundus verò fructus ex se,& absque alia applicatione est offerentis, quia principaliter est propter eum, qui in oblatione personam privatam gerit. 3. ad priorem fructum non est sanctitas sacerdotis; quia sacerdos quoad hoc non gerit personam propriam, sed Christi; unde sicut hac ratione oblatio est munda, & grata, ita & efficax, quia non applicatur meritum proprium, sed Christi. Ad posteriorem requiritur gratia, & sanctitas, ut eo frui possit; quia quò est in peccato mortali, est incapax omnis fructus passionis Christi ex opere operato. Quamvis aliqui credant fructum illum pro tunc esse mortificatum, & postea sublato obice reviviscere, quod tamen est valde dubium. 4. differentia. Prior fructus non est major, nec minor propter majorem, vel minorem sanctitatem ministri; Posterior verò eò est major, quò melior est dispositio sacerdotis.

b Soar. sect. 9. 55 Dico 6. Sacrificio Missæ, tantùm [b] ut offertur à sacerdote, respondet effectus ex opere operato universalis, & indifferens, qui non conceditur nisi iis, quibus ab ipso applicatur. Prob. quia Christus vero, & reali Sacrificio promisit effectum ex opere operato: at solus sacerdos verè, & realiter sacrificat, sicut solus verè, & realiter consecrat, nam alii fideles non offerunt nisi modo spirituali, & per affectum; ergo Sacrificio, non nisi ut offertur à sacerdote, respondet effectus universalis ex opere operato. Deinde cùm neque ex institutione Sacrificii, neque ex actuali voluntate Christi sit persona, cui hujusmodi fructus conferri debeat, sequitur ut illi tantùm conferatur, cui sacerdos offerens per intentionem suam applicaverit; ille enim est dispensator mysteriorum Dei, & sicut in sua ordinatione accepit potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, & defunctis, ita etiam potestas pro iis apud Deum intercedendi, ipsisque applicandi fructum Sacrificii illius, in eadem ordinatione collata est.

56 Unde colligitur 1. sacerdotem posse validè fructum Sacrificii applicare contra prohibitionem Ecclesiæ, aut superioris preceptum. 2. fructum Sacrificii nemini obvenire, nisi applicetur, sed manere in thesauro Ecclesiæ. 3. supposito, quòd ille pro quo offertur, non sit dispositus ad fructum recipiendum, posse sacerdotem habere intentionem applicandi sibi, vel alteri. 4. improbandam esse praxim aliquorum sacerdotum, qui dum non habent stipendium, celebrant pro illo, quem Deus previdit stipendium postea oblaturum, eique fructum tunc applicare intendunt. Fieri enim potest, ut ille tunc non egeat, vel non sit capax fructus, quem aliàs ex Sacrificio sperabit, adeoque fiet ei injuria, si pro illo de novo non celebretur. Minus suspendi potest fructus Sacrificii ita ut hodie celebretur, & applicatio differatur decernenda in futurum tempus; quia Sacrificium habet vim, & efficaciam, quando celebratur, & si tunc non applicatur, manet in thesauro Ecclesiæ, ut dictum est.

57 Dico 7. ut Sacrificium habeat effectum ex opere operato in eo, cui applicatur, requiritur [c] capacitas, quam confert baptismus. An satis sit baptismus in voto? Negant communiter Doctores. Requiritur status viatoris, prout hic apponitur ultimo termino beatitudinis, vel damnationis, & comprehendit animas Purgatorii. Requiritur gratia sanctificans; qui est in peccato mortali, non est capax satisfactionis pro pœna temporali, est enim satisfactio beneficium amicorum, unde non est ratio, cur ad inimicos extendatur. Licèt non desint, qui existiment, pœnam debitam ex prioribus peccatis remissis, posse remitti in statu peccati, qui dicunt id posse fieri per oblationem hujus Sacrificii. c Soar. sect. 10.

58 Dico 8. Per Sacrificium confertur effectus [d] finitus intensivè. Prob. quia Christus instituens hoc Sacrificium, non ei, sicut nec aliis Sacramentis alligavit sua merita, ut causaret effectum infinitè intensum, tum quia homo non est capax effectus infiniti, tum quia quamvis capax esset, talis institutio non videretur con- d Soar. sect. 11.

Digitized by Google

consentanea. Accedit praxis Ecclesiæ probantis consuetudinem fidelium, qui curant plura Sacrificia offerri pro eodem defuncto. Unde sequitur per unum Sacrificium animam Purgatorii non semper assequi remissionem totius pœnæ, etiam si finita sit, ac proinde effectum Sacrificii ex opere operato non esse infinitum quoad intentionem.

59 Dico 9. Per Sacrificium non confertur effectus infinitus [e] extensivè, ita ut pro pluribus oblatum tantùm prosit singulis, quantum prodesset pro paucioribus. Prob. ex dictis. Quia si Sacrificium offeratur pro uno tantùm, totus fructus ei applicatur: hic autem fructus quoad intentionem est finitus; ergo si in plures distribuatur, necessariò singuli minus participabunt, quàm si applicaretur paucioribus. Conf. quia si Sacrificium multis æqualiter prodesset, æqualiter singulis conferret fructum, quamvis offerretur pro magna multitudine; unde Missa non benè celebraretur pro hoc particulari, sed generatim pro omnibus, eò quòd talis intentio multùm prodesset aliis, & non noceret illi, qui Missam sibi procurat: hoc autem repugnat praxi Ecclesiæ, & communi piorum sensui, estque damnatum ab ipsa Ecclesia declarante non posse sacerdotem per unam Missam satisfacere multis, à quorum singulis stipendium accepit.

[e] Soar. sect. 42.

60 Neque oppositum convinci potest ex dignitate Sacrificii, in quo res oblata est infinita, & primarius offerens Christus infinitè dignus. Quia aliud est valor Sacrificii, aliud effectus: unde quamvis ille sit infinitus, idem de effectu dici non potest, quia Sacrificium non habet vim agendi ex opere operato, nisi ex institutione Christi, qui agit liberè, & quantum vult; aliàs æquè concluderetur effectum Sacrificii esse infinitè intensum, & similiter effectum sacræ Eucharistiæ.

61 Nota 1. quando plures offerentes concurrunt cum sacerdote ad idem Sacrificium, omnes & singulos, quatenus offerentes sunt, accipere integrum fructum, non minorem, quàm si unus tantùm esset offerens. In quo sensu fructus hujus Sacrificii potest dici quodammodo infinitus extensivè, vel potius in infinitum augmentabilis extensivè; nostra tamen nona conclusio non procedit de hac extensione, sed de fructu sacerdotis, ut est persona publica applicans.

Nota 2. Sacrificium habere ex se infinitum valorem ad impetrandum. Unde quantum est ex parte ejus, oblatum pro multis non minùs prodest singulis quoad impetrationem, quàm si pro uno tantùm offerretur: est enim infiniti valoris, & infinitè gratum. Cùm igitur vis impetrandi non fundetur in speciali promissione, sed in intrinseca dignitate, & valore Sacrificii, hæc impetratio est de se infinita, hoc est, Sacrificium de se sufficiens est ad impetrandum quodlibet beneficium, seu beneficiorum multitudinem.

CAPUT OCTAVUM.

Quando Parochus teneatur Sacrificium Deo offerre, seu Missam celebrare?

Communis [a] sententia est quemlibet sacerdotem teneri sub mortali ad celebrandum aliquoties non solùm in vita, sed etiam in anno, nisi legitimo impedimento excusetur. Sumitur ex [b] Trident. dicente Christum illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepisse, uti semper Ecclesia catholica intellexit, & docuit. Ergo ex precepto Divino tenentur sacerdotes aliquando celebrare. Accedit: Quia sacerdos ex vi sui muneris accepit onus intercedendi apud Deum pro populo, & offerendi dona, & Sacrificia pro peccatis: peccabit ergo, si nunquam exerceat munus, & officium suum: nam officium propter ministerium & opus datur, & inordinatè retinetur, si executioni non mandatur. Adde: Quia contra charitatem proximorum erit nunquam celebrare, scandalumque causabit sacerdos nunquam celebrans. 62

[a] Soar. disp. 80.

[b] Sess. 22 c. 1.

63 Hoc autem præceptum celebrandi neque ex jure divino, neque ex ecclesiastico determinatur ad certos dies. Nam licèt Concil. Trident. præcipiat [c] Episcopis, ut curent, quòd sacerdotes saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus celebrent. Non tamen novam imponit sacerdotibus obligationem, sed solùm monet Episcopos, ut curent sacerdotes talibus diebus celebrare, quod ad consilium pertinere videtur. Unde communis sententia est, sacerdotes satisfacere huic obligationi, si ter, vel quater in anno festis solemnioribus cele-

[c] Sess. 23. c. 14. de ref.

celebrent, quamvis tutiùs sit pluries celebrare, & ita consulendum. Nescio enim quomodo carere possit scandalo, vel saltem notabili admiratione ab hoc tam Sancto, & utili ministerio abstinere.

64 Parochus verò tenetur celebrare tam frequenter, ut muneri suo satisfaciat, ut decernit Trident. proximè: satisfaciet autem, si celebret saltem diebus Dominicis, & festis, quibus populus Missam audire tenetur. Quando dandæ sunt benedictiones nuptiales, quæ in Missa dari solent. Quando sepeliendus est mortuus, ubi mos est non sine Missa sepelire. Quando communicandus est infirmus, ubi Eucharistia non servatur, ut non servatur in Parochiis ruralibus. Quando necessarium est ad Eucharistiam reformandam, quamvis hoc diebus festis fieri possit. [d] Ita Doctores.

d Barb. de Paroch. p. 1. c. 11 n. 5 Possev. c. 2. n. 2.

65 Extra hos verò dies, si non sit consuetudo, vel statutum Episcopi, non videntur Parochi obligari ad celebrandum. Quando populus non tenetur Missam audire, nec alia obligatio officii cogit, non tenetur Parochus celebrare. Verum est, quòd in Parochialibus, in quibus est sufficiens, vel saltem mediocris numerus sacerdotum, debeat quotidie Missa dici per aliquem saltem eorum, ut docent [e] Doctores, & insinuatur in [f] jure, patetque ex consuetudine, quæ vim legis habet, cujus signum est, quia si absque sufficienti causa Missa omittatur, non erit absque scandalo fidelium. Hæc verò obligatio per se pertinet ad Rectores Ecclesiarum. Nam licèt ipsi non teneantur quotidie celebrare per se; tenentur tamen curare ne desit in sua Ecclesia Sacrificium Missæ.

e Soar. sect. 2.
f Cap. cum creatura de celeb. Miss.

66 Addo, [g] in pagis, ubi sunt duo sacerdotes, esse valdè conveniens, ut saltem unus quotidie celebret, quia semper sunt personę piæ, quæ multùm solatii accipiunt quotidie Missæ interesse: pertinet autem ad Parochum consolationem, & spiritualia subsidia suis ovibus procurare; si verò Parochus sit solus, quamvis optimum esset ob eandem rationem, quotidie celebrare, ad id tamen cogendus non est; quia esset nimis rigida obligatio, quamvis teneatur frequenter id præstare, imò & regulariter non omittere absque causa. In rure autem, ubi Parœciæ distant ab Ecclesia, cessat ratio ista. Unde ad id non tenebitur Parochus, quamvis consilium optimum sit frequenter celebrare ad propriam consolationem, augmentumque vitæ spiritualis, & ut frequenter intercedat apud Deum pro ovibus suis.

g Soar. sect. 2.

67 Dubium esse potest, utrùm quando Parochus tenetur celebrare, quia populus tenetur audire &c. satis sit facere celebrare per alium? Resp. satis esse, quia nullibi contrarium prohibetur. [h] Hoc autem debet intelligi pro una, vel altera vice, quia si esset ad longum tempus sine justa causa, & ad otium, non excusaretur. Quia regulariter tenetur per se munia Parochialia exercere, si causa sufficienti non excusetur. Unde non benè dicunt aliqui posse Parochum semper celebrare per alium, & solùm peccare, si non celebret, quoties tenetur celebrare alius sacerdos, qui non sit curatus, & consequenter non peccare mortaliter, si celebret ter, vel quater in anno, si nulla alia obligatione teneatur, & absit scandalum, sed oppositum credo propter rationem adductam, & quia vix potest abesse scandalum, si Parochus residens communiter non celebret.

h Possev. c. 2. n. 5.

CAPUT NONUM.

An, & quando Parochus teneatur Sacrificium Missæ offerre pro suis ovibus.

QUòd Parochus teneatur Sacrificium Missæ offerre pro suis ovibus sumitur ex [a] Trident. dicente: *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, &c.* dubitari ergo non potest de hac obligatione, & quòd sit de jure Divino. 68

a Sess. 23. c. 1. de ref.

69 Quare, ut satisfiat secundæ parti quæstionis, aliqui [b] Doctores inhærendo doctrinæ traditæ cap. præcedenti, credunt Parochum teneri applicare Sacrificium Missæ pro suis ovibus, quoties tenetur celebrare. Cùm verò celebrare teneatur omnibus Dominicis, & festis diebus, & aliquibus aliis, quibus celebratio fuerit necessaria, ut muneri suo satisfaciat, dicunt eisdem diebus teneri applicare Sacrificium pro suis Parochianis, ita ut non liceat pro illis Missis stipendium ab aliqua persona accipere. Verùm hæc obligatio in nullo jure sive Divino, sive humano fundatur sufficienter. Nam licèt Parochus teneatur celebrare prædictis

b Toler. lib. 5. c. 5. n. 10.

dictis diebus Dominicis, & festis, ideò est, ut Parochiani habeant Missam, quam tenentur audire, quod pertinet ad officium Parochi, non autem ut Missa pro illis applicetur; neque enim hoc videtur pertinere ad officium Parochi; neque ex prima obligatione sequitur secunda, ut notant communiter Doctores. [c] Aliter sequeretur quando Parochus tenetur celebrare ad communicandum infirmum; aut pro benedictione nuptiarum, teneri etiam offerre Sacrificium pro infirmo, & sponsis, quod nemo dicet. Evidens ergo videtur ex obligatione celebrandi non sequi obligationem applicandi Missam, & consequenter ex eo, quòd Parochus teneatur celebrare diebus Dominicis, & festis ad satisfaciendum officio suo, ut populus possit Missam audire, non teneri eam ipsi populo applicare.

[c] Soar. disp. 87. sect. 1. Vasq. 3. p. disp. 231. Possev. c. 2. n. 4. Bonac. disp. 4. de Euchar. q. ult. p. 7. n. 5. Dian. 2. p. tract. 15. resol. 28.

70 Dices hanc obligationem applicandi Missam pro Parochianis esse de jure Divino, juxta verba Concilii initio relata. At ex prædictis verbis vel non colligitur obligatio offerendi Missam particulariter pro Parochianis, ita ut non possit stipendium recipi pro applicatione particulari; sed solùm applicatio generalis communis omnibus sacerdotibus celebrantibus, quorum Sacrificia participant omnes fideles, maximè assistentes, juxta dicta cap. 7. concl. 4. ut aliqui [d] Doctores volunt. Unde sicut Parochus tenetur celebrare diebus Dominicis, & festis, & sæpè aliàs, ita tenetur ad istam generalem applicationem eisdem diebus. Hæc tamen non tollit, ut non possit stipendium accipere ab illis, pro quibus in particulari Sacrificium obtulit.

[d] Vasq. proximè

71 Vel si dicamus ex loco Concilii colligi particularem obligationem Parochi ad applicandam Missam in particulari pro suo populo, juxta communiorem sententiam, talis obligatio est solùm indefinita, & indeterminata, sicut est obligatio confessionis, & communionis, quatenus ex præcepto Divino, quod ut tale non obligat in certis, & determinatis temporibus; ergo similiter preceptum istud offerendi Missam pro populo non obligat determinatè pro diebus Dominicis, & festis. Quod inde satis colligitur; quia etiam Episcopus habet curam animarum suæ diœcesis, & Papa curam omnium fidelium, & Prælati regulares suorum subditorum, quorum locales Parochi sunt: & tamen nemo obligat neque Episcopum, neque Pontificem, neque Prælatos regulares ad offerendam Missam diebus Dominicis, & festis pro suis ovibus: cùm tamen eo loco Concilium loquatur de omnibus habentibus animarum curam, ut patet ex text.

72 Quare sicut præceptum Divinum confessionis, & communionis, quę de se sunt indeterminata, ut obligarent pro certis temporibus, fuit necessarium, quòd ab Ecclesia determinarentur ad singulos annos tempore Paschatis, & sine hac determinatione, extra casus necessitatis, solùm obligabant aliquando in vita, quod prudentis arbitrio committendum erat. Ita ut hoc præceptum Divinum applicandi Missam particulariter pro populo, quod videtur colligi ex Trident. obliget pro certis diebus v. c. Dominicis, & festis, opus est, ut ad tales dies determinetur vel per Pontificem, vel per aliquod Concilium; quæ quidem determinatio non extat, ut omnes fatentur, vel per Episcopum, qui pro sua diœcesi potest facere hanc determinationem, quam mihi non constat factam esse in aliqua diœcesi hujus regni; vel per institutionem, & fundationem particularium Parochiarum, quod debet constare ex tabulis, & libris antiquis uniuscujusque ut omnes advertunt, vel per legitimam consuetudinem, quæ inducit obligationem, & potest determinare præceptum.

73 Dicet aliquis, Meus antecessor offerebat Missam pro populo omnibus Dominicis, & festis; ergo si consuetudo potest determinare præceptum Divinum, de quo loquimur, jam est determinatum ad prædictos dies per consuetudinem prædecessorum. Respond. 1. unde tibi constat antecessorem obtulisse prædictis diebus Missam pro populo? Respond. 2. dato quòd de hoc constet, potuisse eam offerre ex propria devotione, & charitate, quod est maximè laudandum, & imitandum, non tamen ex obligatione. Respond. 3. potuisse antecessorem hoc facere, quia existimabat se ad id teneri: quando autem consuetudo introducitur per ignorantiam, id est, quando solemus aliqua facere, quia ignoranter putamus ad id obligari, talis consuetudo obligationem non inducit, ut docent [e] Doctores

[e] Soar. lib. 7. de leg. c. 14. Vasq. 1. 2. disp. 171. c. 2. fine. Sal. de leg. d. 19. sect. 11. n. 92. Azor. 1. p. lib. 5. c. 18. q. 5. Pal. disp. 3. de leg. p. 2. § 3. n. 12.

Digitized by Google

ctores dicentes actus, per quos inducitur consuetudo obligatoria, fieri debere ex animo, & intentione inducendi consuetudinem obligantem, qui animus, & intentio non fuit in Parochis offerentibus prædicto modo, quia existimabant ad id obligari. Unde omnes colligunt per actus factos ex ignorantia, seu errore non induci consuetudinem obligatoriam, nec obligare, nisi ex conscientia erronea, in quantum hæc non deponitur: cognita verò veritate nullam esse obligationem continuandi.

74 Neque obstat, quòd in diplomate Parocho exhibito de administranda Parochia, dicatur, ut administret Sacramenta, faciatque omnia alia, quæ antecessores faciebant. Quia hoc intelligitur de illis, quæ antecessores faciebant ex obligatione officii. Cùm verò antecessores non obtulissent Missam pro populo diebus Dominicis, & festis ex vera obligatione, sed vel ex charitate, vel ex ignorantia obligationis, quam habere existimabant, non sequitur in novo Parocho successore talis obligatio, nec diploma id intendit. Sicut etiam non sequitur obligatio jejunandi, vel se flagellandi quotidie pro populo, si antecessor erat tam pius animarum Pastor, ut id quotidie faceret pro suis ovibus.

75 Quapropter si in diœcesi, in qua est Parochia, non extat constitutio, vel præceptum Episcopi determinans hanc obligationem Parochorum ad dies Dominicos, & festos: vel si Ecclesia non habet hanc particularem obligationem, de qua debet constare modo supra dicto §. Quare sicut: vel si non est legitima consuetudo; quæ, ut talis sit, non debet esse orta ex ignorantia, ut dictum est; Parochus non habet obligationem offerendi Missam pro populo diebus Dominicis, & festis. Et hæc est communis sententia Doctorum, quos postea allegabo.

76 Quod autem attinet ad consuetudinem, judico ex communi Parochorum inclinatione, quorum non pauci mecum egerunt de hac materia, omnes qui hac consuetudine utebantur offerendi Missam pro populo prædictis diebus, ea usos fuisse, quia existimabant ad id teneri, & non quia vellent inducere consuetudinem obligantem. Unde apud me parum valet consuetudo, quæ allegari solet, ut ex ea Parochos obligem ad tale onus. Addo plures [f] Doctores affirmare hanc consuetudinem non obligare sub mortali, quando de hoc onere non constat ex tabulis, & libris Ecclesiæ, vel ex præcepto Episcopi, cùm in præjudicium alicujus non sit inducenda obligatio sine claris probationibus.

[f] o [illegible] c. 2 n. 1. Praxi. de obligat. sacerd. sect. 3.

77 Ex hactenus dictis colligitur præceptum Divinum, cujus meminit Concilium, non obligare Parochum ad offerendam Missam pro populo Dominicis, & festis diebus, ut docent communiter [g] Doctores concludentes tale præceptum esse indeterminatum, & solùm obligare prudentis arbitrio aliquoties in anno in festis v. c. solemnioribus, & aliàs juxta Parochi prudentiam, orando in aliis diebus in mementis pro suis ovibus. Unde nescio quo fundamento [h] Barb. tradens hanc doctrinam dicat non posse Parochum diebus festis, quibus ex officio tenetur celebrare, licet non teneatur Missam pro populo applicare, stipendium pro illis Missis accipere, illasque applicare offerentibus illud: sic enim ait: Existimo Parochum non posse pro illa Missa stipendium ab alio accipere, quia obligatus alicui celebrare absque obligatione Sacrificii ad Divinum cultum tantùm, ita debet ibi celebrare, ut non accipiat stipendium ab alio, ut illi applicet Sacrificium sibi liberum. Pro qua sententia neminem allegat, cùm multos citet in contrarium; estque contra rationem: quia illa Missa est libera, ut concedit, & potest alicui applicari, cùm non debeatur populo; ergo potest alteri applicari pro stipendio.

[g] Soar. d. sp. 86 sec. 1. Vasq. 3. p. d. 234. Filiuc. tra. 5. c. 6. q. 2. Possev. c. 4 n. 4. Faner. tom. 4. d. 5. q. 9. n. 67. Villal. tra 8. diff. 14 n 5. Barb. ad locum Trid. & 1. p. de Paro. [h] c. 11. n. 10.
[h] Barb. c. 11. n. 11.

78 Ad majorem explicationem adverto 1. quando Parochia est in [i] Cathedrali, aut collegiata, penes Curatum esse administrationem Sacramentorum: onus verò celebrandi esse penes Capitulum; quod, sicut habet onus celebrandi, ita & onus applicandi populo Sacrificium, quod præstat singulis diebus in Missa majori, & fortasse in quibusdam aliis juxta uniuscujusque fundationem, & Curatus liber est ab hoc onere.

[i] Possev. c. 2. n. 1.

79 Adverto secundò, in Parochiis ruralibus, quæ de jure pertinent ad cathedralem, vel collegiatam, quibus decimæ solvuntur, & pro majori commoditate populorum institutæ sunt Eccle-

siæ

fiæ curatæ, cujus Parochum sustentant Parochiani suis propriis expensis, ut videtur in omnibus, quæ sunt in hoc territorio Eborensi, etiam obligationem offerendi Sacrificium pro populo, pertinere ad Cathedralem, vel Collegiatam, quarum incolæ de jure sunt Parochiani, & solùm conceduntur Ecclesiæ in rure, & Parochia ad majorem commoditatem Missæ, & Sacramentorum.

80 Adverto tertiò, in illis Parochiis, quæ sunt annexæ alicui Abbatiæ, vel vel Prioratui, quæ etiam institutæ sunt ad majorem commoditatem cum tenuissimo stipendio Parochis assignato, etiam curam applicandi Missam pro populo pertinere ad Matricem, cui sunt annexæ, & cui decimæ solvuntur, non verò ad Parochos annexarum, qui pauperrimi sunt, & nisi accipiant stipendium pro Missis, non possunt congruè ali ex altari, cui serviunt, cum magna etiam moderatione, & parcitate.

81 Adverto 4. dato, & non concesso, quòd Parochi obligarentur ad offerendam Missam pro populo omnibus Dominicis, & festis, si redditus Parochi ita sint limitati, ut non sufficiant ad congruam sustentationem, posse accipere stipendium pro Missis talibus diebus celebrandis, illasque offerre pro illis, qui stipendium dederint, dummodo aliquando in anno offerant pro suis ovibus. Ratio est, quia qui altari servit, de altari [l] sustentari debet: sed talis Parochus servit altari: ergo, cùm non sustentetur sufficienter per fructus Parochiæ, potest sustentationem ex altari quærere. Et ita resolvit [m] Henriquez qui quærens, an Parochus possit stipendium accipere pro Missis, quas tenetur offerre pro populo? Negativè respondet; addit tamen. Nisi beneficium Parochi esset ita tenue, ut illum congruè non alat, nec Parochiani per collectas contributionum provideant congruæ Pastoris sustentationi. Quam doctrinam refert, & probat [n] Reginald. & plures alii, & ratio posita persuadet.

[l] 1. Cor. c. 9.

[m] Lib. 7. c. 22. n. 6.

[n] Lib. 23. n. 238.

82 His tamen, quę dicta sunt, & ad rigorosum jus attinent, non obstantibus; Parochus, qui est pater sui populi, non debet uti rigoroso jure cum iis, quos tamquam filios amare debet, sed amore, & charitate paterna, nec intendere avaritiæ, sed spirituali populi commoditati. Unde optimè faciet, si frequenter Missam offerat pro illis, qui suæ curæ commissi sunt, maximè pro defunctis pauperibus suæ Parochiæ, expectans retributionem à supremo Pastore Christo, qui sicut pro suis ovibus sanguinem liberaliter fudit, ita maximè afficitur erga Pastores, qui eundem sanguinem liberaliter ovibus sibi commissis in Sacrificio Missæ Deo obtulerint pro illarum peccatis, earumque satisfactione.

CAPUT DECIMUM.

De dispositione Parochi ad celebrandum.

Quamvis dispositio debita ad celebrandum omnibus sacerdotibus celebraturis communis sit, habet 83
tamen specialem rationem in Parocho propter frequentiorem obligationem celebrandi. Et licèt dispositio ad tam sanctum ministerium deberet esse Angelica, loquemur solùm de ea, quæ est præcisè necessaria, & primò de statu gratiæ, sine qua peccatum mortale est hoc mysterium celebrare, [a] saltem propter Eucharistiam, quæ in eo à sacerdote recipitur.

84 Suppono ergo 1. tamquam in fide certum peccatum mortale esse ad Eucharistiam accedere cum conscientia peccati mortalis. Sumitur ex Apostolo: [b] *Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit*. Ubi sermo est de probatione morum per recognitionem, & examen conscientiæ; illeque dicitur indignè sumere, qui cum conscientia peccati mortalis accedit; judicium verò sibi manducare, est novam culpam mortalem contrahere, ut exponit [c] Trid. Quæ culpa sacrilegii est contra virtutem religionis.

85 Suppono 2. sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis teneri confessionem sacramentalem præmittere, antequam celebret, sicut quemlibet alium fidelem, antequam communicet. Constat ex [d] Trident. Hoc autem præceptum semper fuit in Ecclesia, & probabilius est esse de jure Divino positivo à Christo Domino Apostolis latum, & per eos Ecclesiæ traditum. Sumitur ex Apostolo suprà dicente: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis*. Et posteà addit: *Probet autem se ipsum*

[a] Suar. disp. 66. sect. 1. & 2.

[b] 1. Cor. 11. 28.

[c] Sess. 13. c. 7.

[d] Sess. 13. c. 7. & can. 11.

Digitized by Google

sum homo &c. Quibus verbis [e] Trident. ait contineri præceptum confessionis præmittendæ: ergo est preceptum Divinum, quod Apostolus ait se à Domino accepisse. De quo latè Doctores. [f]

85 Suppono tertiò, esse aliquos [g] casus necessitatis, in quibus fidelis potest accedere ad communionem, non præmissa confessione, de quibus alibi. Unde idem poterit contingere sacerdoti, & Parocho celebranti, 1. si, incœpta jam Missa, recordetur se mortaliter peccasse, aut de mortali non fuisse confessum, vel si in ipso actu celebrandi illud committat per aliquem actum internum. Et quidem si hęc memoria superveniat post consecrationem, progredi debet ad communionem sine [h] confessione cum sola contritione, ad quam cum divina gratia niti debet. Imò esto facilè, & sine scandalo posset vocare sacerdotem ad altare, & confiteri, nec tenetur, nec debet id facere, quia non decet Sacrificium jam substantialiter inchoatum interrumpere, nisi fortè tanta esset necessitas, ut non speraret posse se ad contritionem pervenire; tunc enim ex duobus incommodis minus esset eligendum, dummodo abesset scandalum verum, & non sola admiratio; quia scandalum ex obligatione charitatis vitandum est. Unde patet in casibus celebrandi absque confessione, teneri ad contritionem saltem probabiliter, & inculpabiliter existimatam.

86 Si verò hæc memoria occurrat in altari ante Missam inchoatam, debet [i] confessionem præmittere, etiam si oporteret vestes sacras exuere, ut Confessorem adeat, si absque scandalo, vel infamia id fieri possit, quę vix abesse possunt, si populus præsens sit ad audiendum. Si autem memoria hæc occurrat, Missa jam inchoata, & facilè, ac sine incommodo possit ad altare vocari Confessor, ita faciendum est, & præmittenda confessio, licèt [l] aliqui id negent. Non tamen excusarem celebrantem Missam solemnem, ubi tres assistunt, si aliquis pręter celebrantem sit sacerdos. Si verò non potest ad altare vocari sacerdos, non tenetur inde discedere, & Missam relinquere, sed potest illam perficere, procurando contritionem, ut dixi.

87 Si conscientia peccati mortalis pungat ante altare, [m] Parochus, qui ex officio tenetur celebrare, ut populus audiat, vel aliquod exequi munus officii sui, quod Missam postulat, ut si debeat celebrare pro communicando infirmo periculoso, potest cum sola contritione celebrare, si non habeat copiam Confessoris, id tamen non licet in aliis diebus, in quibus ex officio non obligatur ad celebrandum. Prob. quia hæc est necessitas urgens, de qua [n] Trident. ait licere sine confessione celebrare. Alii verò sacerdotes, qui non tenentur celebrare ex officio, non possent celebrare confessione non præmissa, esto non sit alius, à quo populus Missam audire valeat in die festo; quia tunc populus non peccat Missam non audiendo. Semper tamen intellige, nisi tali sacerdoti ex non celebrando sequatur infamia, vel scandalum in populo, quia tunc poterit celebrare sine confessione.

88 Sed quid si conscientia peccati mortalis pungat Parochum die antecedente celebrationem necessariam? Resp. casum non habere locum in civitatibus, vel oppidis, in quibus est Confessor, quia tenetur illum quærere ipso etiam die celebrandi: procedit igitur de Parochis ruralibus, & oppidulorum, in quibus non est alius Confessor; de quibus dicendum [o] est per se loquendo teneri Confessorem quęrere, & non celebrare sine confessione, nisi fortè Parochus sit tam senex, vel ægrotus, ut iter ad vicinum Parochum facere non possit, vel nisi sit aliqua tempestas, aut alia similis causa urgens illum impediens.

89 Notandum autem est Concilium loco citato imponere præceptum sacerdotibus urgente necessitate celebrantibus non præmissa confessione, ut quamprimùm confiteantur. *Quod si, inquit, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Quod præceptum humanum est, ab ipso Concilio noviter positum, nec [p] comprehendit laicos, nec sacerdotes more laicorum communicantes, nec illos, qui sine necessitate celebrant, ut communiter docent Doctores: debet autem confiteri quamprimùm, id est, cùm [q] primùm fuerit copia Confessoris. Si autem copia verè non sit per plures dies, omnibus illis potest celebrare sine confessione ex eadem necessitate, si nempe plures dies festi occurrant continuati, vel si non possit confessarium quærere extra locum, & nullus illuc adveniat.

90 Alia dispositio solet ab aliquibus postu-

[e] Sess. 13. c. 7.
[f] Soar. sect. 3.
[g] Soar. sect. 4.
[h] Soar. sect. 4. § quinta.
[i] Soar. sect. 4. § difficultas.
[l] Henriq. lib. 8. c. 46. n. 3.
[m] Soar. sect. 4. § ultim. causa.
[n] Sess. 13. c. 7.
[o] Azor. 1. p. lib. 10. c. 31. q. 3.
[p] Soar. sect. . . Vasq. 3. p. disp. 205. c. 3.
[q] Soar. sect. 4. § ult. causa.

siæ curatæ, cujus Parochum sustentant Parochiani suis propriis expensis, ut visitur in omnibus, quæ sunt in hoc territorio Eborensi, etiam obligationem offerendi Sacrificium pro populo, pertinere ad Cathedralem, vel Collegiatam, quarum incolæ de jure sunt Parochiani, & solùm conceduntur Ecclesiæ in rure, & Parochia ad majorem commoditatem Missæ, & Sacramentorum.

80 Adverto tertiò, in illis Parochiis, quæ sunt annexæ alicui Abbatiæ, vel vel Prioratui, quæ etiam institutæ sunt ad majorem commoditatem cum tenuissimo stipendio Parochis assignato, etiam curam applicandi Missam pro populo pertinere ad Matricem, cui sunt annexæ, & cui decimæ solvuntur, non verò ad Parochos annexarum, qui pauperrimi sunt, & nisi accipiant stipendium pro Missis, non possunt congruè ali ex altari, cui serviunt, cum magna etiam moderatione, & parcitate.

81 Adverto 4. dato, & non concesso, quòd Parochi obligarentur ad offerendam Missam pro populo omnibus Dominicis, & festis, si redditus Parochi ita sint limitati, ut non sufficiant ad congruam sustentationem, posse accipere stipendium pro Missis talibus diebus celebrandis, illasque offerre pro illis, qui stipendium dederint, dummodo aliquando in anno offerant pro suis ovibus. Ratio est, quia qui altari servit, de altari [l] sustentari debet: sed talis Parochus servit altari: ergo, cùm non sustentetur sufficienter per fructus Parochiæ, potest sustentationem ex altari quærere. Et ita resolvit [m] Henriquez qui quærens, an Parochus possit stipendium accipere pro Missis, quas tenetur offerre pro populo? Negativè respondet; addit tamen. Nisi beneficium Parochi esset ita tenue, ut illum congruè non alat, nec Parochiani per collectas contributionum provideant congruæ Pastoris sustentationi. Quam doctrinam refert, & probat [n] Reginald. & plures alii, & ratio posita persuadet.

l 1. Cor. c. 9.

m Lib. 9. c. 21. n. 6.

n Lib. 23. n. 238.

82 His tamen, quę dicta sunt, & ad rigorosum jus attinent, non obstantibus; Parochus, qui est pater sui populi, non debet uti rigoroso jure cum iis, quos tamquam filios amare debet, sed amore, & charitate paterna, nec intendere avaritiæ, sed spirituali populi commoditati. Unde optimè faciet, si frequenter Missam offerat pro illis, qui suæ curæ commissi sunt, maxime pro defunctis pauperibus suæ Parochiæ, expectans retributionem à supremo Pastore Christo, qui sicut pro suis ovibus sanguinem liberaliter fudit, ita maximè afficitur erga Pastores, qui eundem sanguinem liberaliter ovibus sibi commissis in Sacrificio Missæ Deo obtulerint pro illarum peccatis, earumque satisfactione.

CAPUT DECIMUM.

De dispositione Parochi ad celebrandum.

QUamvis dispositio debita ad celebrandum omnibus sacerdotibus celebraturis communis sit, habet tamen specialem rationem in Parocho propter frequentiorem obligationem celebrandi. Et licèt dispositio ad tam sanctum ministerium deberet esse Angelica, loquemur solùm de ea, quæ est præcisè necessaria, & primò de statu gratiæ, sine qua peccatum mortale est hoc mysterium celebrare, [a] saltem propter Eucharistiam, quæ in eo à sacerdote recipitur. 83

84 Suppono ergo 1. tamquam in fide certum peccatum mortale esse ad Eucharistiam accedere cum conscientia peccati mortalis. Sumitur ex Apostolo: [b] *Probet autem se ipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Ubi sermo est de probatione morum per recognitionem, & examen conscientiæ; illeque dicitur indignè sumere, qui cum conscientia peccati mortalis accedit; judicium verò sibi manducare, est novam culpam mortalem contrahere, ut exponit [c] Trid. Quæ culpa sacrilegii est contra virtutem religionis.

85 Suppono 2. sacerdotem habentem conscientiam peccati mortalis teneri confessionem sacramentalem præmittere, antequam celebret, sicut quemlibet alium fidelem, antequam communicet. Constat ex [d] Trident. Hoc autem præceptum semper fuit in Ecclesia, & probabilius est esse de jure Divino positivo à Christo Domino Apostolis latum, & per eos Ecclesiæ traditum. Sumitur ex Apostolo suprà dicente: *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Et posteà addit: *Probet autem se ipsum*

a Soar. disp. 66. s. 1. & 2.

b 1. Cor. 11. 28.

c Sess. 13. c. 7.

d Sess. 13. c. 7. & can. 11.

Digitized by Google

sum homo &c. Quibus verbis [e] Trident. ait contineri præceptum confessionis præmittendæ: ergo est preceptum Divinum, quod Apostolus ait se à Domino accepisse. De quo latè Doctores. [f]

85 Suppono tertiò, esse aliquos [g] casus necessitatis, in quibus fidelis potest accedere ad communionem, non præmissa confessione, de quibus alibi. Unde idem poterit contingere sacerdoti, & Parocho celebranti, 1. si, incoepta jam Missa, recordetur se mortaliter peccasse, aut de mortali non fuisse confessum, vel si in ipso actu celebrandi illud committat per aliquem actum internum. Et quidem si hęc memoria superveniat post consecrationem, progredi debet ad communionem sine [h] confessione cum sola contritione, ad quam cum divina gratia niti debet. Imò estò facilè, & sine scandalo posset vocare sacerdotem ad altare, & confiteri, nec tenetur, nec debet id facere, quia non decet Sacrificium jam substantialiter inchoatum interrumpere, nisi fortè tanta esset necessitas, ut non speraret posse se ad contritionem pervenire; tunc enim ex duobus incommodis minus esset eligendum, dummodo abesset scandalum verum, & non sola admiratio; quia scandalum ex obligatione charitatis vitandum est. Unde patet in casibus celebrandi absque confessione, teneri ad contritionem saltem probabiliter, & inculpabiliter existimatam.

86 Si verò hæc memoria occurrat in altari ante Missam inchoatam, debet [i] confessionem præmittere, etiam si oporteret vestes sacras exuere, ut Confessorem adeat, si absque scandalo, vel infamia id fieri possit, quę vix abesse possunt, si populus præsens sit ad audiendum. Si autem memoria hæc occurrat, Missa jam inchoata, & facilè, ac sine incommodo possit ad altare vocari Confessor, ita faciendum est, & præmittenda confessio, licèt [l] aliqui id negent. Non tamen excusarem celebrantem Missam solemnem, ubi tres assistunt, si aliquis prętèr celebrantem sit sacerdos. Si verò non potest ad altare vocari sacerdos, non tenetur inde discedere, & Missam relinquere, sed potest illam perficere, procurando contritionem, ut dixi.

87 Si conscientia peccati mortalis pungat ante altare, [m] Parochus, qui ex officio tenetur celebrare, ut populus audiat, vel aliquod exequi munus officii

e Sess. 13. c. 7.
f Soar. Sect. 3.
g Soar. Sect. 4.
h Soar. sect. 4. § quinta.
i Soar. sect. 4. § difficultas.
l Henriq. lib. 8. c. 46. n. 3.
m Soar. sect. 4. § animadverta.

sui, quod Missam postulat, ut si debeat celebrare pro communicando infirmo periculoso, potest cum sola contritione celebrare, si non habeat copiam Confessoris, id tamen non licet in aliis diebus, in quibus ex officio non obligatur ad celebrandum. Prob. quia hæc est necessitas urgens, de qua [n] Trident. ait licere sine confessione celebrare. Alii verò sacerdotes, qui non tenentur celebrare ex officio, non possent celebrare confessione non præmissa, estò non sit alius, à quo populus Missam audire valeat in die festo; quia tunc populus non peccat Missam non audiendo. Semper tamen intellige, nisi tali sacerdoti ex non celebrando sequatur infamia, vel scandalum in populo, quia tunc poterit celebrare sine confessione.

88 Sed quid si conscientia peccati mortalis pungat Parochum die antecedente celebrationem necessariam? Resp. casum non habere locum in civitatibus, vel oppidis, in quibus est Confessor, quia tenetur illum quærere ipso etiam die celebrandi: procedit igitur de Parochis ruralibus, & oppidulorum, in quibus non est alius Confessor; de quibus dicendum [o] est per se loquendo teneri Confessorem quęrere, & non celebrare sine confessione, nisi fortè Parochus sit tam senex, vel ægrotus, ut iter ad vicinum Parochum facere non possit, vel nisi sit aliqua tempestas, aut alia similis causa urgens illum impediens.

89 Notandum autem est Concilium loco citato imponere præceptum sacerdotibus urgente necessitate celebrantibus non præmissa confessione, ut quamprimùm confiteantur. *Quod si*, inquit, *necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur*. Quod præceptum humanum est, ab ipso Concilio noviter positum, nec [p] comprehendit laicos, nec sacerdotes more laicorum communicantes, nec illos, qui sine necessitate celebrant, ut communiter docent Doctores: debet autem confiteri quamprimùm, id est, cùm [q] primùm fuerit copia Confessoris. Si autem copia verè non sit per plures dies, omnibus illis potest celebrare sine confessione ex eadem necessitate, si nempe plures dies festi occurrant continuati, vel si non possit confessarium quærere extra locum, & nullus illuc adveniat.

90 Alia dispositio solet ab aliquibus

n Sess. 13. c. 7.
o Azor. 1. p. lib. 10. c. 31. q. 3.
p Soar. s. ... Vasq. 3. p. disp. 205. c. 3.
q Soar. s. 4. § ult. causa.

Digitized by Google

postulari ad celebrandum, nempe ut ante Missam dictum sit Matutinum cum Laudibus. Verùm ad hanc non obligatur sub mortali, quia nullum invenitur [r] præceptum de recitatione Matutini ante Missam. Neque obstat, quòd in Missali Rom. dicatur, ut sacerdos sacrum non faciat, nisi absoluto penso Matutino. Quia nullum est verbum, ex quo præceptum colligi possit, sed sola admonitio, consilium, & exhortatio. Sicut enim admonentur sacerdotes, ut orationi vacent, antequam celebrent, ita & ut Matutinum recitent. Unde sicut non est peccatum mortale preces illas omittere ante Missam, ita neque omittere horas matutinas, licèt optimum consilium sit illas præmittere.

r Soar. disp. 82. sect. 1. Nauh de Episc. 1. p. alleg. 24. n. 15. Dian. sup. resol. 36.

91 Neque dicas præceptum præmittendi Matutinum consuetudine introductum esse; quia multi docti, & pii existimant ordinem illum non esse consuetudine receptum ut obligantem, maximè sub mortali. Conf. quia aliàs cùm ex recepta consuetudine ordo servetur inter horas canonicas, sequeretur eum, qui talem ordinem inverteret? peccare mortaliter, si nimirum Primam diceret ante Matutinum, vel Nonam ante Sextam; quod tamen, omnes ferè inficiantur. Quare, urgente aliqua necessitate, nullum erit peccatum celebrare ante Matutinum; sine ulla verò causa mortale non erit, licèt possit esse veniale, de quo etiam dubito, quia veniale est contra præceptum leviter obligans, quod hic fortaisè facile non invenitur.

CAPUT XI.

De loco, in quo Parochus celebrare debeat.

92 AD celebrandum certus locus per se requiritur ad id destinatus, extra quem Missa ordinariè celebrari non potest. Hic autem est Ecclesia consecrata, aut benedicta, vel saltem ad cultum Divinum ab Episcopo designata. Unde Missa dici potest non solùm in Parochia, aliave Ecclesia principali, sed & in romitorio, sacello, aut oratorio domestico ex privilegio Pontificis erecto cum approbatione Episcopi.

93 Parochus verò tenetur celebrare in sua Parochia, ad quam fideles confluunt ad audiendam Missam, vel in illo loco Parochiæ, ad quem aliquando in anno accurrunt intentione alicujus festi celebrandi. Ex necessitate potest, & debet celebrare in domibus etiam particularibus, quando opus fuerit ad communicandum infirmum, quando vel in Parochia non servatur Eucharistia, ut contingit in Parochiis ruralibus, vel quando infirmus ita distat à Parochia, ut Eucharistia illuc decenter deferri non possit. Tunc verò curabit, ut domus decenter ornetur, & celebrabit super mensam supposito semper altari portatili lapideo, quod ara dicitur consecrata.

94 Non licèt celebrare in Ecclesia [a] polluta, ante ejus purificationem. Polluitur verò per homicidium voluntarium, & injustum in ea factum; quale non est, quod casualiter contingit absque culpa, aut per amentiam, aut injustam defensionem, per quæ Ecclesia non polluitur. Item per sanguinis effusionem injuriosam in magna quantitate, & quando in ea sepelitur fidelis nominatim excommunicatus, aut publicus clerici percussor; vel paganus, seu infidelis non baptizatus, quo etiam nomine venit infans mortuus ante Baptismum; item per copulam carnalem peccaminosam, aut voluntariam seminis effusionem.

a Soar. disp. 81. sect. 4.

95 Si Ecclesia inter [b] celebrandum polluatur, priùs diligenter examinet, an sit verè polluta; postquam verò constiterit pollutam esse, si Missa sit ante canonem, imperfectam relinquat, & discedat ab altari. Si sit post canonem, absolvat illam. Si post sufficiens examen est dubium, an sit polluta, Missam perficiat, etiam si sit ante Canonem, quia nemo debet privari jure suo, nisi per claras probationes.

b Rubric. missal. de defect.

96 In [c] Ecclesia polluta aliquo ex prędictis modis non solùm prohibitum est Missam celebrare, sed etiam Divina officia; officium verò Divinum est, quod clericus ut minister Ecclesiæ facit vel dicit, quod ex habitu, & cæremoniis noscitur. Prędicatio, & doctrina Christiana non sunt Divina officia. Est tamen omnis administratio Sacramentorum. In omnibus enim Sacramentis est laus Dei, laus autem Dei prohibetur in loco polluto. Unde si quis [d] celebret, vel Officium Divinum publicè recitet, aut exerceat in tali Ecclesia, peccat mortaliter, non tamen fit irregularis. Neque obstat cap. [e] *Episcoporum*, quia loquitur de cele-

c Soar. sup. & de Cæs. disp. 33. sect. 6. n. 6.

d Cap. si ecclesia de cōsec. eccles. vel altaris.

e De privil. in 6.

celebratione in loco interdicto; & Ecclesia polluta non est interdicta.

97 Cùm tamen in interdicto locali, cujus similitudinem refert Ecclesia polluta, concedatur Baptismus [f] etiam solemnis; Pœnitentia, [g] seu auditio confessionis: communio [h] pro moribundis. Hec Sacramenta possunt administrari in Ecclesia polluta, sicut administrantur in cessatione à divinis, quæ magis accedit ad naturam pollutæ Ecclesiæ.

f Cap. quoniam de sent. excom. in 6.
g Cap. alma mater ibi.
h Cap. quod in te de pœn. & remiss.

98 Nec potest dici Missa in Ecclesia polluta ex communi [i] necessitate audiendi Missam in die festo, nisi casu pollutionis contingeret in die Paschatis, Natalis Domini, in die Cœnę, & duobus sequentibus diebus, aut in die Pentecostes. His enim diebus, si Episcopus longè distet, & ejus provisio expectari non possit, unica Missa celebrari potest, ut populus audiat; quia preceptum ecclesiasticum non obligat cum tanto rigore, ut in diebus tam solemnibus Missa non celebretur, ut audiatur à populo.

i Soar. disp. 81. sect. 4. Possev. c. 2. n. 44.

99 Si Ecclesia sit tantùm benedicta, simplex sacerdos potest illam purificare, & reconciliare per aspersionem aquæ benedictæ, orationes, ac cæremonias, quę habentur in cæremoniali, juxta juris [l] dispositionem. Si autem sit consecrata, non potest à simplici sacerdote reconciliari, nisi de authoritate Papæ, sed tantùm à proprio Episcopo, vel ab alio Episcopo de ejus licentia. Ut sumitur ex jure. [m] Aliqui dicunt Parochum, & quemlibet sacerdotem non posse reconciliare Ecclesiam benedictam, Episcopo inconsulto, sed contrarium docent communiter Doctores. [n] Et sumitur ex textu allegato: Ubi dicitur: *Protinus lavetur*. Quod non diceretur, si oporteret expectare licentiam Episcopi.

l Cap. si Ecclesia. de cōsec. Eccles. vel alt.
m Cap. Aqua. Cap. Proposuisti de consec. Eccles. vel alt.
n Soar. disp. 81. sect. 4. fine. Avil. p. 5. disp. 7. dub 2. Barb. de Episcop. 2. p. alleg. 28. n. 57. Dian. 4. tract. 4. resol. 91.

100 Huc potest revocari alius casus. Si nimirum, Missa cœpta, superveniat publicus excommunicatus vel per declarationem, vel per publicam clerici percussionem, vel publicus interdictus. Qui, si fieri possit, blandè expelli debet. Si verò nolit discedere, & Missa sit ante Canonem, relinquenda est, & discedendum ab altari; si sit post Canonem, & non potest expelli propter scandalum, Missa perficiatur, ut dictum est, quando Ecclesia polluitur. Sed si non timetur scandalum, potest talis expelli per vim, estò sit clericus absque periculo excommunicationis incurrendæ. Ita [e] Doctores.

e Soar. de cens. disp. 17. sect. 1 Possev. c. 2. n. 44.

CAPUT XII.

De altari, vasis, & vestibus requisitis ad celebrandum.

101 AD celebrandum requiritur altare lapideum ab Episcopo [a] consecratum, quod aram dicimus, sine quo nullibi licet celebrare, & hoc sub mortali. Unde deferendum est, quando in domibus infirmorum celebratur. Non est autem de essentia consecrationis altaris, ut reliquiæ apponantur in lapide consecrato. Quare si appositę posteà deperdantur, non deperditur consecratio: deperditur verò, quando lapis ita frangitur, ut Calix, & Hostia in nulla illius parte aptè simul cohærere possunt. Quòd si in aliqua parte utrumque sine periculo debitè aptari potest, ille retinet consecrationem: deperditur etiam consecratio in altari fixo, quando lapis superior ab inferioribus, quibus agglutinatus fuerat, amovetur.

a Soar. disp. 81. sect. 5.

102 Altare, in quo celebrandum est, aliqua ornamenta requirit. In primis apponi debent duæ [b] mappę mundæ lineæ super aram extensæ, vel saltem una duplicata, quæ duabus æquivaleat, non tamen requiritur, quòd sint benedictæ. 2. requiritur corporale lineum benedictum ab Episcopo, vel alio habente privilegium, quod repræsentat sindonem, qua Christi corpus fuit obvolutum. 3. requiritur palla ad cooperiendum Calicem, ubi non est consuetudo cooperiendi parte corporalis; quę palla linea esse debet, & benedicta, saltem ex parte, quæ Calicem tangit, & significat sudarium, quo Christi vultus obvolutus fuit. 4. requiritur lucerna ardens, & licèt duæ soleant accendi, una sufficit. Et in gravi necessitate, si candelæ cereæ desint, sufficit ex oleo, vel sevo, quamvis hæ indecentes videantur. 5. requiritur Crux, licèt non sit mortale citra scandalum, aut contemptum eam omittere. 6. requiritur Missale propter periculum omittendi aliquod grave ex lapsu memorię.

b Soar. sect. 6.

103 Requiritur Calix, & patena, quorum [c] materia debet esse aurea, aut argentea, vel saltem stannea, ubi paupertas fuerit, & nulla alia; quamvis si cuppa calicis fuerit ex prædictis materiis,

c Soar. sect. 7.

pes possit esse ex alia. Pyxis, in qua asservatur Eucharistia, debet esse ex iisdem materiis, vel etiam ex plumbo, dummodo intùs apponatur linteum benedictum, quod à particulis consecratis immediatè tangatur. Calix verò, & patena debent esse consecratæ ab Episcopo, vel ab habente ad id potestatem à summo Pontifice. Consecratio deperditur. 1. si cuppa calicis notabiliter frangatur, aut, integra à pede per fractionem separetur; non autem quando est tornatilis, & sine fractione separatur. 2. quando cuppa interius deauratur, quo casu Calix de novo consecrari debet, eò quòd auri substantia de novo addita ab speciebus sanguinis proximè contingi debet. Pyxis estò conveniens sit, ut benedicatur, jure non est præceptum.

104 Requiruntur denique vestes Sacræ, sine quibus sacerdos per se loquendo non potest sine culpa mortali celebrare. [d] Vestes autem necessariæ sunt amictus, alba, cingulum, manipulus, & casula. In gravi tamen necessitate poterit sacerdos sine aliqua ex minoribus vestibus absque culpa celebrare, nempe sine cingulo, manipulo, aut etiam Stola. Poterit etiam in casu prædicto uti stola pro manipulo, & manipulo pro stola. Numquam verò licet in ullo casu, nisi fortè in extrema necessitate, hoc est, in periculo vitæ celebrare, omnes prædictas vestes omittendo; de quo dicendum est, cùm de communicatione infirmorum actum fuerit. Siquis tamen in contemptum religionis cogeret sacerdotem ad celebrandum sine vestibus Sacris, teneretur mortem potiùs sustinere, quàm sine vestibus celebrare.

d Soar. disp. 82. sect. 5. Dian. 1. p. tract. 14. resol. 57.

105 Omnes istæ vestes debent benedici ab Episcopo, vel ab alio habente ad id potestatem, antequam sacerdos illis utatur in sacro ministerio. In gravi tamen necessitate, sicut licet celebrare sine aliqua ex minoribus, ut dictum est, ita licet uti aliqua ex iisdem minoribus, quæ benedicta non sit. Harum vestium benedictio deperditur, quando ita frangitur quælibet, ut amplius apta non sit ad sacrum usum, ad quem fuerat instituta. Unde si reficiatur, de novo est benedicenda.

CAPUT XIII.

De ministro, qui celebranti ministrare debet.

Unus minister sufficit ad ministrandum Missæ. Nec refert quòd sacerdos dicat: Dominus vobiscum. Quia intentionem suam refert ad omnes fideles, qui sunt membra Ecclesię, sive præsentes sint, sive absentes; omnes enim de Sacrificio participant, & aliquo modo offerunt, ut constat ex cap. 4. & 6. 106

107 In casu gravis necessitatis potest sacerdos sine ministro [a] celebrare, & sibi ministrare. Gravis autem necessitas erit, quando Parochus tenetur celebrare, vel quia populus tenetur audire, vel ne quis moriatur sine viatico, quod ministrare non potest, nisi celebrando, & si qui alii casus occurrant similis necessitatis.

a Azor. 1. p. lib. 10. c. 2. q. 3. Possev. c. 1. n. 9. Barb. c. 10. n. 40. Villal. tract. 5. diff. 34. Dian. 1. p. tract. 14. resol. 43.

108 Si Parochus, vel alius sacerdos sit in loco, ubi nullum ministrum habeat, qui respondere sciat; potest celebrare etiam absque [b] necessitate, dummodo habeat, qui urceolos ministret, qui sit mas, & non fœmina, & ipse poterit sibi respondere; nam in rubrica Missalis recogniti à Clem. VIII. habetur, si minister, vel qui intersunt celebranti, non respondeant ad Kyrie eleison, ipse solus novies dicat: cùm verò hoc possit etiam intelligi de aliis, de quibus est eadem ratio, tutò videtur celebrare posse sibi semper respondendo. Et si adsit, qui sciat respondere, & non valeat ministrare urceolos propter chiragram, vel aliud impedimentum, ipse sacerdos poterit sibi ministrare, quod potius est faciendum, quàm admittere fœminam ad id muneris. Ita sumitur ex doctrina eorum, qui [c] hoc concedunt, quando Missa incœpta, puer, qui ministrabat, discessit, & expectatus per moram rationabilem non revertitur.

b Possev. c. 2. nu. 9. cum aliis.

c Henriq. lib. 9. c. 30. n. 5.

109 Quamvis autem hæc doctrina consulenda non sit, nisi in casibus necessitatis, non tamen [d] condemnandus est Parochus, qui extra illam id faceret, dum esset in loco, in quo non adesset aliquis, qui respondere posset, nec aliunde facilè accersiri, solùm ob devotionem, & ne se ac fideles privaret fructu tanti Sacrificii, quia hoc etiam videtur ad quamdam necessitatem pertinere.

d Possev. supra.

110 Soar.

d by Google

e Disp. 87. sect. 2.

110 Soar. [e] docet in defectum ministri nescientis respondere, posse sacerdotem præire dicendo, quę veniunt respondenda, & ministrum sequi recitando responsiones auditas à sacerdote. Si quis verò habeat ministrum, qui malè respondeat, & multa in notabili parte omittat, vel verba corruptè proferat; securè celebret, & non curet, quia usus obtinet, ut de hoc defectu nec valde timorati dubitent.

f Soar. proximè sect. 1. Barb. nu. 45. Dian. tr. 14. resol. 44.

111 Semper est cavendum ne fœmina [f] ministret. Neque valet quòd Moniales à choro respondere soleant, quia hoc ipsis specialiter conceditur, non tamen ut proximè ministrent porrigendo aquam, & vinum, & alia præstando, quæ à ministro fieri solent; magis enim indecens est fœminam adhibere, quàm sine ministro celebrare.

CAPUT XIV.

De tempore, quo est celebrandum.

112 DIco 1. singulis diebus potest Parochus, & quilibet sacerdos aliàs non impeditus celebrare, imò id maximè laudabile est, excepto die Veneris sancti, in quo Sacrificium non celebratur,

a Barb. 1. p.c.11.nu. 46. Dian. proximè resol. 67.

neque officium illius diei est propria [a] Missa, quę Sacrificium contineat, quia sacerdos non consecrat, sed utitur Hostia præcedenti die consecrata, quam sumit cum vino non consecrato. Unde si festum Annuntiationis eo die incidat, non tenetur populus Missam audire, nec obligatur ad audiendum officium illius diei, quia Missa non est.

113 De feria quinta in Cœna Domini, licèt aliqui existiment eo die non licere singulis sacerdotibus celebrare, Doctores communiter tenent securè posse quemlibet celebrare, quamvis prudens consilium sit vel Missam omittere, vel illam secretò celebrare absque populi

b Barb. n. 49. Soar. disp. 80 s. 2.

concursu: nulla enim [b] est circa hoc prohibitio, nec etiam consuetudo, quæ vim legis habeat, cùm sacerdotes docti, & timorati sine scrupulo eo die celebrent, & qui Missam omittunt, id non faciunt, quia existiment oppositum esse malum, sed vel ex devotione, vel ex nimia occupatione illius diei: unde si eo die occurrat festum Annuntiationis, aliquæ Missæ dici possunt in publico ante Missam solemnem, ut populus cum majori commoditate obligationi satisfaciat.

114 De Sabbato sancto dicunt multi non licere eo die privatim celebrare: verùm multò plures oppositum docent, quia jam prohibitio, quæ [c] fuerat, abrogata est per mutationem officii, quod tunc fiebat post mediam noctem Dominicæ resurrectionis, & hodie fit in ipso Sabbato. Unde sine scrupulo eo die celebrare [d] licet privatim, sublato scandalo, si fortè esset. Credo tamen hoc non faciendum, nisi post campanarum pulsationem. Quare si eo die occurrat festum Annuntiationis, possunt in Ecclesia publicè celebrari plures Missæ, ut populus audiat, hoc tamen post pulsatas campanas.

c Cap. sublato de consec. d. 3.

d Soar. disp. 80. s. 2. fine. Barb. nu. 50. Dian. 1. p. t. 14. resol. 21.

115 Dico 2. Non licet ordinariè celebrare ante auroram, ut patet ex regulis Missalis & communi consuetudine. In die Natalis Domini potest sacerdos celebrare tres Missas statim post mediam noctem, ut constat ex praxi. A puncto verò [e] auroræ semper celebrare licet. Per auroram non intelligitur ortus solis, sed initium crepusculi diei, seu prima lucis irradiatio. Unde potest Missa celebrari hora cum dimidia ante solis ortum sine scrupulo. Imò Soar. cum aliis ait posse licitè inchoari Missam dimidia hora ante crepusculum, ita ut finis Missæ sit sub initium crepusculi plus, minusve, & ita esse in praxi servandum.

e Soar. disp. 80. sect. 4. Dian. resol. 35.

116 Ex privilegio potest tempus assignatum anticipare. Unde qui habet privilegium anticipandi per horam, poterit Missam inchoare tribus horis ante ortum solis, cùm sine privilegio possit inchoare duabus horis ante solem. Et sic de majori extentione privilegii cum proportione. Pro communicando infirmo, quando necessitas urget, potest Missa celebrari post mediam noctem sine privilegio ex sola necessitate.

117 Addunt aliqui ex causa [f] rationabili posse tempus auroræ paululum anticipari, v. c. propter iter conficiendum, ad excipiendas confessiones fidelium in die magni concursus. Et si danda esset communio graviter ægrotanti, posset Missa celebrari una, vel altera hora ante auroram sine privilegio; quia sunt casus necessitatis, in quibus lex non obligat. Sed jam de Missa pro communicando infirmo dictum est.

f Soar. sup.

118 Dico 3. tempus legitimum intra quod debent Missæ absolvi, vel saltem inchoari, est [g] ante meridiem; ita ut

g Soar. s. dico 3. Dian. resol. 34.

ante meridiem debeant, per se loquendo, Missæ inchoari. Hæc est communis sententia, & constat ex rubricis Missalis, & communi consuetudine, quæ vim habet præcepti, ut colligitur ex privilegiis Pontificum concedentium aliquibus, ut Missa dici possit una, vel duabus horis post meridiem.

h Cap. 25. n.85.&86.

119 Navarrus[h] existimat posse Missam dici usque ad tertiam horam post meridiem. Soarius tamen inquit non posse tutò in praxi servari hanc doctrinam absque alia causa. Et concedit in casu raro, v.c. si sit festum solemne, & Missa publica, & concio non finiatur[i] usque ad unam, vel duas horas post meridiem, posse Missam privatam inchoari post finitum solemne officium, maximè ne pars populi Missa privetur. Et idem dicit posse permitti, si ratione itineris occurrat necessitas celebrandi paulò post meridiem, dummodo unius horæ spatium non excedatur. Et hæc videtur communior sententia. Idem à fortiori videtur concedendum, si viaticum posito in extremis dandum esset, in quo casu non dubitarem Missam incipere secunda hora post meridiem. Imò in tali casu posset practicari sententia Nav. quòd Missa finiatur tertia hora post meridiem.

Soar. sup. i Dian. supra.

CAPUT XV.

Vtrùm Parochus possit eodem die plures Missas celebrare.

Communi, & ordinario jure non[a] licet. Hoc autem jus non est naturale, nec Divinum positivum, sed[b] Ecclesiasticum. Excipitur dies Nativitatis Christi, in quo tres Missæ à quolibet sacerdote celebrari possunt; licèt ad id non teneatur, sicut nec populus tenetur, nisi unam audire. Consulerem tamen Parochum, si non habeat alios sacerdotes, ut ipse ter celebret eo die ad populi sui devotionem, & ne aliqui, qui primæ Missæ non adfuerunt, maneant sine Missa eo die. Quia si illas non dicat, poterit esse aliquale scandalum, vel saltem admiratio, quæ cavenda sunt. Si verò incautè in prima vel secunda Missa purificationem sumpsit, non potest alias dicere, estò populus cariturus sit Missis consuetis, & scandalum tolletur, si populus admoneatur de purificatione incautè suscepta.

120
a Soar. d. 80 sect. 3. Dian. sup. resol. 24.
b Cap. sufficit de cons. d. 1. Cap. consuluisti & Cap. de referente de celeb. Miss.

121 In cap. tam n consuluisti suprà ponitur exceptio. *Nisi causa necessitatis suadeat.* Unde gloss. ibi, & plures Doctores concedunt in variis casibus licere duas Missas celebrare. Primus casus est, si postquam celebrasti, contingat aliquem mori, pro quo poteris secundò celebrare, quem casum etiam videtur concedere cap. *Sufficit*. Illum tamen aliqui ita limitant. Si oporteat statim sepelire defunctum, & juxta loci consuetudinem debeat Missa præcedere. 2. Si superveniat aliqua magna persona, quæ Missam audire velit. 3. Si occurrat necessitas communicandi infirmum. 4. Si necessarium sit ad benedicendas nuptias. 5. Si eodem die occurrat duplex officium, v.c. de festo, & de vigilia, seu rogationibus. 6. Si sit consuetudo in ea Ecclesia ut dicantur duæ Missæ à duobus, & contingat alterum ægrotare. 7. Si propter paupertatem Ecclesiæ, vel sacerdotis, judicio prudentum id censeatur necessarium. 8. Si sacerdos duas habeat Ecclesias Parochiales, & non potest habere coadjutorem, & in utraque est populus, qui auditurus est Missam. 9. Si ob solemnem festivitatem tam numerosus est populi conventus, ut Ecclesia eum capere non possit, tunc enim alia Missa dici potest ab eodem sacerdote, si alius non sit, ne hi, qui primi advenerunt, ad Missam admittantur, cæteri autem excludantur, & maneant sine Missa.

122 Nihilominus hæc doctrina non est in praxi recepta quoad omnes istos casus. Cùm enim nemo possit celebrare, nisi jejunus. Ut jure[c] dicisum est, in quo qui purificationem sumpserit, prohibetur aliam Missam celebrare, sequitur illum, qui semel celebravit, sumendo purificationem solitam, non posse secundò celebrare ex casu repentino, ut contingit in prioribus quatuor casibus. Præterquamquòd in illis non sit necessitas considerabilis, nisi in tertio casu pro communicando infirmo, de quo creditur sine viatico moriturum. In hoc enim casu docent plures, & graves Doctores[d] posse non jejunum bis celebrare ad hunc effectum. Quod ego admitterem, absit scandalum, quod aberit, si Parochus moneat id licere.

c Cap. ex parte de celeb. Miss.
d Laym. lib. 5. t. 1. n. 6. Filiuc. t. 4. c. 8. n. 2; 8. Gran. 3. p. controv. 6. t. 10. d. 8. n. 12. Philiarc. lib. 2 c. 2. Soar. d. 68. sect. 5.

123 Quoad quintum casum concedit Soar.[e] posse aliquando habere locum, si v. c. sit dies solemnis Paschæ, aut similis festivitatis, & in eo oporteat dici Missam pro defunctis; tunc, si unus tantùm sit sacerdos, erit sufficiens causa, ut dicat Missam diei post Missam defun-

e Soar. d. 80. sect. 3.

functorum, non sumpta purificatione. Quia nullus, inquit, potest esse casus necessitatis moralis, in quo id magis liceat. Et tamen in cap. *sufficit* dicitur licere in casu necessitatis dicere unam Missam diei, & aliam de defunctis. Usus tamen videtur esse in contrarium; unde non facilè acquiescerem, nisi sublato scandalo, quod puto fore apud populum.

124 Sextus casus videtur Soar. insufficiens, quia causa illa valde levis est. 7. videtur reprobatus à Pontifice, dum specialiter prohibet hoc fieri propter lucrum. 8. casus de pluribus Parochiis est proprius, & communis Doctorum, & qui solus videtur esse in usu, quamvis in hoc Regno haud sciam esse illius occasionem. In eo verò concedit Soar. posse dici non duas, sed tres Missas, si tres sint Parochiæ ejusdem sacerdotis, & non solùm diebus festis, sed etiam ferialibus, quia satis gravis causa est, quòd populus non privetur suo Sacrificio, & opportunitate audiendi Missas. 9. casus etiam approbatur à P. Soar. Ego tamen non consulerem id fieri sine authoritate Episcopi, ne fortè Parochus damnetur de re insolita, qua authoritate justificabitur.

CAPUT XVI.

An Missa possit à Parocho interrumpi?

125 [a Possev. c. 2. n. 12. Azor. 1. p. lib. 10. c. 32 q. 3. Henriq. lib. 9. c. 30. n. 3.]

POtest Parochus[a] interrumpere Missam, eamque reassumere, seu iterùm incipere, quando, dicta jam Epistola, advenit Episcopus, vel Princeps, qui velit Missam audire. Addunt aliqui etiam, dicto Euangelio. Et quando advenit multitudo iter faciens. Quot verò faciant multitudinem? Respondet Possev. Credo non fore scrupulosè opinandum. Pro decem ego reassumerem, cùm nulla injuria fiat Sacramento, & credo tutò posse reassumi ab Offertorio citrà. Ratio est, quia quæ præcedunt Offertorium, non sunt de necessitate Sacrificii, quod constat Offertorio, consecratione, & consumptione saltem integraliter; nam essentialiter in sola consecratione consistit ut cap. 2. dictum est, & intra dictum terminum poterit reassumi toties, quoties adfuerit, vel supervenerit causa rationabilis, quia, stante causa justa, justus erit effectus. Sed ad hoc necessaria est prudentia, & non reassumerem ultra primam vicem, nisi causa superveniens esset major prima; aliàs vix cessaret scandalum, aut ad minus admiratio, & ab utroque cavendum. Ita Possevinus.

126 Dubium verò est, an possit Missa interrumpi discedendo ab altari v. c. pro confessione moribundi, vel pro Baptismo etiam moribundi? Respond. tentanda prius esse omnia media, ne discedatur ab altari. Si[b] est ante Canonem potest discedere, juxta rubricam Missalis de defectibus in ministerio occurrentibus. Si est post Canonem ait Azor opinionem communem esse Missam non debere interrumpi. Toletus verò concedit posse interrumpi, si verosimile sit sacerdotem celebrantem occidendum, si perseveret; ut si, celebrante sacerdote, adveniat aliquis ipsum volens occidere, aut inimici, qui sunt in prælio, irruant, aut domus corruat; tunc enim ait, si sacerdos sit ante consecrationem posse discedere, si post consecrationem, licere ei statim consumere Sacrificium, & discedere. Consulit verò Possev.[c] & benè; ut ante discessum admoneatur populus de necessitate discedendi, & de causa, ne scandalizetur, vel graviter admiretur.

[b Azor. sup. q. 1. Tol. lib. 2. cap. 9. n. 9. Soa. d. 84. sect. 1.]

[c Cap. 2. n. 12.]

127 Si ergo ad salvandum vitam corporis potest Parochus discedere in casibus prædictis, cur non poterit, ne ovis moriatur sine confessione, vel Baptismo? quando finis Missæ expectari non potest, maximè quia Parochus tenetur anteponere æternam salutem cujuscumque ovis suæ propriæ vitæ temporali. Unde credo posse eisdem remediis uti, consumendo statim Sacrificium, vel si moribundus, & puer baptizandus non sint distantes, relinquere Sacrificium cum debita custodia, & posteà redire ad perficiendum, admonendo populum de causa, & necessitate discessus. In casu verò aggressionis, si contingeret, se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, & si non excedendo occiderit aggressorem, deberet Missam perficere, sive esset ante, sive post consecrationem.

128 Potest etiam discedere & Missam interrumpere, si inter celebrandum polluatur Ecclesia, vel adveniat publicus excommunicatus, aut interdictus, ut dictum est cap. 11. ubi diximus, quæ in his casibus sunt facienda.

129 Sed quid de interruptione Missæ non

ſæ non diſcedendo ab altari, ſed ſuperſedendo, v. c. incipiendo hora competenti, dicta Epiſtola, expectare ad aliquas horas venientem, aut venientes, & cùm venerint, perficere? Reſpondet Poſſev. non[d] poſſe, quia Miſſa dicenda eſt continuata, & non poteſt interrumpi, niſi ſecundùm uſum, vel ad audiendam concionem, vel ut ipſe Parochus faciat exhortationem ad populum, aut denuntiationes, ſeu collectas, ubi fieri ſolent, vel ex cauſis graviſſimis, de quibus ſuprà. Si verò aliquis ad breve tempus ſuperſederet, non peccaret ratione parvitatis materiæ, vel etiam ex aliquo deliquio.

[d] Cap. 2. n. 13.

130 Unde ſi Miſſa interrumpatur ante Offertorium, ut reaſſumatur ex cauſis dictis in principio, nullum erit peccatum, quia permiſſum. Si interrumpatur[e] ſine cauſa, videtur peccatum mortale. Et idem à fortiori erit, ſi interrumpatur poſt Canonem ſine cauſis excuſantibus, de quibus ſuprà: licèt non maneat excommunicatus ſacerdos, ſed ſolùm ſuſpenſus ſecundùm aliquos,[f] ſi Miſſam deſerat inchoatam, non reaſſumendam.

[e] Poſſev. n. 14.

[f] Henriq. lib. 9. c. 26. in fine gloſſ.

CAPUT XVII.

De ſupplendis defectibus occurrentibus in Miſſa.

131 Dico primò, defectus ſubſtantialis occurrens in Sacrificio Miſſæ ſupplendus eſt.[a] Probatur, quia quòd Sacrificium maneat eſſentialiter imperfectum, eſt quid per ſe malum, atque adeò vitandum, ſupplendo defectum caſu aliquo contingentem. Unde ſi ſacerdos poſt conſecrationem advertat in calice eſſe ſolam aquam, debet curare, ut vinum apponatur, illudque ſtatim conſecrare, incipiendo ab illis verbis: *Simili modo poſtquam cœnatum eſt*. Non tamen elevabit calicem, ſi jam elevavit, ſed continuet ab eo loco, in quo erat, quando defectum notavit. Quòd ſi id non advertat, niſi poſt ſumptionem hoſtiæ, ſatis eſt quòd conſecretur vinum, quia ſola illius conſecratio omiſſa fuerat. Si denique non advertat, donec aquam in ore habuerit, debet eam deglutire, & vinum conſecrare, & ſumere eſtò non jejunus, quia tunc ceſſat præceptum Eccleſiaſticum prohibens non jejuno ſumptionem.

[a] Soar. diſp. 85. ſect. 1.

132 Dico ſecundò, ſi poſt conſecrationem occurrat defectus ſumptionem impediens, ſupplendus eſt.[b] Prob. quia licèt ſumptio non ſit de eſſentia Sacrificii, pertinet tamen aliquo modo ad ejus integritatem, & cadit ſub præcepto vel Divino, vel ſaltem Apoſtolico, ut cap. 2. dictum eſt; ergo offerens curare debet, ut utraque ſpecies ab ipſo ſumatur.

[b] Soar. ſup.

133 Hinc ſequitur primò, ſi aranea, aut vermis aliquis venenoſus incidat in calicem conſecratum, debet ſacerdos vermem lavare, & comburere, illiuſque cineres cum aqua in piſcinam projicere: ſpecies verò conſecratas, ſi ſine vitæ periculo, aut vomitu ſumere nequeat, ſtuppa imbibere, quæ poſteà exſiccata comburenda eſt, & cineres in piſcinam projiciendi: ad perfectionem autem Sacrificii, aliud vinum cum aqua in calicem infundat, conſecret, & ſumat. Et idem faciat ſi poſt conſecrationem ſciat, vel cum fundamento credat venenum eſſe in vino ad ipſius mortem procurandam.

134 Sequitur ſecundò, ſi totus ſanguis caſu effundatur, ita ut nihil ſuperſit à ſacerdote ſumendum, vinum de novo conſecrandum eſſe, & ſumendum. Quòd ſi cadat ſuper linteamina altaris, ea ſacerdos ter abluat calice ſuppoſito, & ablutionem ſumat, vel in piſcinam projiciat: ſi verò ſanguis cadat ſuper terram, ſtuppa, aut panno imbibendus, terra radenda, & raſuræ in ignem projiciendæ ſimul cum ſtuppa, vel panno, & cineres in piſcinam projiciendi. Si cadat ſuper tapetem, ſimiliter faciendum, & pars illa comburenda. Si ſuper tabulatum; radendum, & comburendum, & cineres eodem modo projiciendi in piſcinam.

135 Sequitur tertiò, ſi ſacerdos ante conſecrationem moriatur, aut ita malè habeat, ut non valeat Sacrificium perficere, manſuram Miſſam in eo ſtatu. Si verò id accidat poſt conſecrationem, tenetur ſacerdos alius, ſi adſit, eſtò non jejunus defectum illum ſupplere. Unde, ſi hoſtia ſola fuit conſecrata, vinum conſecret, & reliqua proſequatur uſque ad finem. Si verò utraque ſpecies fuit conſecrata, nihil eſt conſecrandum, ſed conſumptio utriuſque ſpeciei eſt facienda proſequendo uſque ad finem. Vel ſanguis ſumendus eſt, ſi hoſtia ſumpta fuit. Si utra-

Digitized by Google

utraque species sumpta jam erat, nihil est supplendum, quia jam Sacrificium perfectum fuerat.

136 Dico quartò, defectus accidentales aliquando [c] supplendi sunt, non tamen semper. Prob. quia inter tales defectus alii sunt aliis graviores. Unde, si sacerdos latinus ante consecrationem advertat panem, quem habet ad consecrandum, esse fermentatum, curare debet, ut afferatur azymus. Et si illius copia non sit, debet desistere à sacro perficiendo, si sine scandalo [d] possit. Et idem est, si aqua vino non fuit mixta, nec haberi possit. Quia satius est Sacrificium nondum substantialiter inchoatum non perficere, quàm illud cum gravi defectu absolvere.

c Soar. f.2.
d Soar. d. 84 s.2.

137 Si quis, dicto Euangelio, advertat se omisisse Epistolam, non debet defectum [e] illum supplere, sed reliqua prosequi, quia aliàs Epistola dicenda foret ordine præpostero; vel certè Euangelium repetendum, quod valdè incongruum est, & vix scandalum, aut admiratio vitari potest in præsentibus. Idem dic de aliis omissionibus tam verborum non essentialium, quàm actionum ad ritum accidentalem attinentium, qualis est genuflexio, aut capitis inclinatio, & sic de similibus.

e Soar. d. 83.f.3.

138 Quando particulę consecrandæ sunt pro communione, debent cum Hostia offerri ad Offertorium. Sufficit [f] tamen, quòd sint in altari tempore Offertorii cum animo eas consecrandi suo tempore. Si sacerdos ante consecrationem advertat particulas præsentes non esse numero sufficientes, nec sufficienter posse provideri communioni singulorum per partes earum, potest curare, ut plures afferantur etiam post Offertorium, & eas simul cum aliis, & Hostia consecrare absque Offertorio. Tutiùs tamen eas iterùm offerre solas; decentius offerre, oblatione mente concepta.

f Possev. c. 2. n. 17. & 2. Dian. re. sol. 71.

CAPUT XVIII.

De Ritu, & cæremoniis Missæ.

Dubium est circa ea, quæ Missale dicenda proponit. In quo dicendum 1. teneri sacerdotem ad servandum integrum ritum Missæ, prout in Missali præscribitur. Ita sumitur ex Bulla Pii V. posita in principio Missalis. Quando [a] autem omissio sit mortalis, vel venialis, ex materiæ gravitate, ex contemptu, vel negligentia judicandum est. Unde semper in omissione alicujus partis pertinentis ad integrum Ritum Missæ aliqua culpa intervenit, nisi vel ob inadvertentiam excusetur, vel materia sit adeò levis, ut pro nihilo reputetur. Erit autem culpa mortalis, si notabilis pars omittatur, v.c. Euangelium, Epistola, vel similis. Venialis, si aliquid leve prętereatur. Inter quæ Diana cum aliis numerat Credo, vel Gloria: Communicantes: Hanc igitur oblationem, quæ in Paschate additur.

a Soar. d. 81. sect. 3. Diana. t. 3. t. 14. resol. 33.

140 Unde non video quare aliqui [b] credant in Canone vel minimum verbum omittere, esse mortale, & cur in his non detur veniale ex levitate materiæ, ut si unum, vel alterum nomen alicujus sancti vel Communicantes omittatur, sicut si omittatur Symbolum, vel Gloria, aut aliqua oratio; quia reverà propriè non mutilatur Missa, neque sacra actio Sacrificii.

b Dian. re. sol. 59.

141 Dicendum 2. non licere sacerdoti addere novas precationes, aut alia verba præter ea, quę juxta ritum Ecclesię præscripta sunt. Ita Pius in Bulla suprà, & Concilium Trident. [c] In quo genere major erit culpa, quàm in aliqua omissione, ut omnes advertunt, quia hoc magis expositum est periculo superstitionis, ac erroris, & ideò hoc graviùs citatis locis prohibetur.

c Sess. 22. in dec. de observ. in celeb. Miss.

142 Secundò. Dubium est circa cæremonias, quę in actione consistunt. [d] In quo certum est, sacerdotem teneri ad istas cæremonias, ut sumitur ex iisdem locis. Contra quod peccari potest tam omittendo præscriptas, quàm addendo novas. Et peccatum hoc ex genere suo mortale est, licèt ex parvitate materiæ vel inadvertentia possit esse veniale, vel etiam nulla culpa. In additione frequentiùs erit gravis culpa, quàm in omissione; quæ omissio, si sit in re aliqua pertinente ad convenientem modum agendi, regulariter non videtur mortale. Si autem sit alicujus cæremoniæ gravioris continentis spiritualem significationem, materia erit gravis, ut si omittatur mixtio aquæ in Calicem, fractio Hostiæ, mixtio ipsius Hostię cum Sanguine; aut signa omnia, vel plura, quæ fiunt super oblata, & alia hujusmodi.

d Soar. d. 84. s. 2.

143 Dubium est circa modū celebrandi capite discooperto; videlicet, an liceat sacerdoti in aliqua infirmitate celebrare capite cooperto? Negant communiter

Digitized by Google

niter [e] Doctores id fieri posse absque licentia Episcopi, aut Prælati, si sacerdos sit regularis. Notant tamen aliqui, si gravis infirmitas id exigeret, nec posset facilè dispensatio postulari, id licere sine gravi culpa. Alii dicunt secluso scandalo, vel contemptu id non esse peccatum mortale. Notant verò alii Greg. XIII. vix dispensasse cum Episcopo Niceæ, ut pro infirma valetudine publicè celebraret capite cooperto, præterquam in Canone. Hodie facultatem hanc dispensandi spectare ad Pontificem docet [f] Gavantus dicens ita declarasse sacram Congreg. 2. Januarii 1590. Et sacram Congreg. Rituum 30. Julii 1626.

e Dian. cū pluribus Soar. s. 3.

f Tom. 1. p. 2. tit. 2. lit. F. ad rub. Miss.

144 Dub. circa ritum dicendi Missam diei, prout in Missali præscribitur. In quo dicendum [g] est in mutatione Missæ non semper esse culpam, dummodo in Missa, quæ dicitur, integer ritus servetur, quia tunc in rigore non permittitur ritus dicendi Missam. Neque videtur in rigore præceptum de Missa dicenda de feria, aut de sancto; nam cùm sacerdos absolutè non teneatur singulis diebus celebrare; non est cur obligetur ad hanc Missam determinatè dicendam, si celebrare vult; & ita habet praxis timoratorum.

g Soar. d. 83. sect. 3.

145 Hec tamen [h] doctrina intelligenda est in Missis privatis, quæ proprio arbitrio dicuntur. Nam in Missis solemnibus, quæ dicuntur in cathedralibus, collegiatis, aut Parochiis numerosis, ubi est chorus, major erit obligatio dicendi Missam diei, juxta præscriptum Missalis. Item quando aliquis ob stipendium, vel Capellaniæ institutionem, ~~similem~~ve causam obligatur ad specialem Missam dicendam, debet, si commodè potest, obligationem implere; quamvis si omittat absque scandalo, ut Missalis ordinem servet, non peccet. Imò si propter festum solemne id faciat, melius faciet. Et in universum loquendo, optimum consilium est non prætermittere etiam in hoc Missalis ordinem absque causa rationabili.

h Soar. proxim. è

146 Circa Missarum mutationem ita Parochos monet [i] Barbosa. Missæ votivę dici possunt quacumque die non Dominica, nec officii duplicis, in his verò non nisi ex causa rationabili, quę non erit, ut Missa brevior celebretur, neque quodlibet arbitrium laicorum, sed voluntas defunctorum, aut necessitas, vel pietas vivorum postulantium Missas votivas. Unde potest celebrare Missas pro defunctis ritu de Requiem Dominicis, & festis insepulto, & in Ecclesia præsente corpore, ut decrevit sacra Congreg. Rituum 23. Maji 1607. Ubi nimirum viget consuetudo sepeliendi defunctos simul cum Missa. Si quis autem moriatur in die Paschæ, corpus reservetur in diem sequentem ob reverentiam Paschæ, ex Rituali Rom. Pauli V. titulo de exequiis. Tolerari possunt Missæ de Requiem in festo duplici, quod non est de præcepto, pro voluntate testatorum implenda, ut censuit Congr. 1. Septemb. 1607. Ex qua notabis non dicere ad arbitrium vivorum, sed pro implenda lege defunctorum. Unde si festum duplex incidat in diem assignatum pro altari privilegiato, & sit festum de præcepto, non potest in eo altari dici Missa de Requiem. Eadem Congreg. 24. Aprilis 1607. Et quòd Missæ defunctorum certo die dicendæ, eo impedito, transferantur in sequentem, decrevit eadem Congreg. 27. Sept. 1608. In diebus verò, quibus prohibetur fieri de festo duplici, non possunt dici Missæ votivæ, nec de Requiem. Eadem Congreg. 28. Augusti 1626. Nimirum infra octavam Epiphaniæ, Paschatis, Pentecostes, & si quæ alię sunt, in majori hebdomada; in feria quarta Cinerum, in vigiliis Nativitatis, & Pentecostes. Potest pro Missa de Requiem dici Missa de sancto, vel de feria occurrente, quando majori devotione afficimur in his Missis, & multò magis, si Rubricæ obstent, quibus est obediendum, ut latè probat Gavant. [l] Ita Barbosa. Hæc tamen, si non detur scandalum nec contemptus, non obligant saltem graviter, juxta ea quæ dicta sunt num. 144.

i Cap. 11. n. 24.

l 3. p. tit. 12. a n. 10.

147 Advertat Parochus quando veniunt Missæ insolitæ ex petitione alicujus dicendæ, an sint Missæ de sancto ignoto, vel ad rem, quæ sapiat superstitionem, ut sibi contigisse refert [m] Possev. à quo quidam certas Missas petiit, unam nempe pro omnibus in aquis submersis; aliam pro omnibus necatis; aliam pro stultis, & alias similes. Tunc Parochus interroget, & deprehendet superstitionem, ut eam hic Author deprehendit, qui rogans ad quid vellet eas Missas? Respondit petens, ne filius meus, qui est in carcere, habeat torturam,

m Cap. 2. n. 36.

Digitized by Google

rem, quam timebat, qui proinde caruit Missis; & tu fac similiter. Unde [n] sacra Congregatio 8. Aprilis 1628. prohibuit, & damnavit certas Missas ab ea non approbatas. Sancti Gregorii pro vivis, & defunctis. Quindecim Auxiliatorum de Patre æterno, & quasdam alias, exceptis iis, quæ sunt permissæ certis Regularibus tantùm. Unde cessant quæ de hac re aliqui scripserunt.

n Barb. n. 29.

148 Triginta verò Missæ sancti Gregorii non sunt prohibitæ, ut decrevit S.Congr. 28. Octobris 1628. Debent autem dici ex eodem [o] sancto Gregorio per 30. dies continuos ab uno, seu pluribus sacerdotibus successivè recitata Missa, quæ occurrit, vel de Requiem juxta Rubricas Missalis cum applicatione Sacrificii pro anima illa, pro qua dicuntur. [p] Si intra illos 30. dies occurrat Parasceues, Sabbatum sanctum, & Cœna Domini, in quibus non celebratur, non proinde Missæ discontinuantur. Si dicantur 30. Missæ eodem die, vel pluribus discontinuatis, proderunt quidem, sed non ex institutione sancti Gregorii. Eodem modo si intra 30. Missas, eas numeres, quas ter in die Nativitatis celebrabis. Sufficit enim ut eo die unam titulo Missarum sancti Gregorii dicas pro defuncto, alias duas pro quibus volueris. [q] Multi tenent non opus esse has Missas esse continuatas, nec sacerdotem, qui eas tenetur dicere, obligari ad continuationem, & ita practicari Romæ in eodem Monasterio sancti Gregorii testantur fide digni.

o Lib.4 dial.c. 55.

p Possev. c. 2. fine

q Dian. resol. 32.

CAPUT XIX.

De justo stipendio Missæ.

149 Dico primò, quando aliquis celebrat pro aliquo, vel aliquibus ex certis redditibus stabilibus relictis pro eo munere, quidquid relictum est, talis oneris justum [a] stipendium est, quia voluntariè pro eo assignatum fuit. Si verò isti redditus ita sint tenues, ut non attingant minimum stipendium dari consuetum, quod rarò contingit, pertinebat ad Episcopum onus ad eum numerum Missarum indigere; ut unicuique justum stipendium saltem moderatum responderet. Hodie tamen pertinet ad Sedem Apostolicam, ex decretis Congreg. Concilii ex authoritate Urbani VIII. editis 21. Junii 1625. quæ incipiunt. Cùm sæpè contingat, & ex declarationibus eadem authoritate editis anno sequenti.

a Soar. d. 86. sect. 2.

150 Si Ecclesia habeat censum cum obligatione Missarum in aliqua proprietate, quæ pereat, non tenetur Missas applicare, quia pereunte re censuali, perit etiam census & ejus obligatio, & idem est, si res censualis fiat infructuosa. Tu verò, inquit [b] Possev. nihil agas tuo Episcopo inconsulto.

b Cap. 2. n. 21.

151 Dico secundò, si stipendia, quę voluntariè dantur à fidelibus volentibus Missas, taxata sint ab Episcopo, illa [c] erunt justa, ita ut majora non possint justè exigi, nec pro minori sacerdotes cogantur celebrare. Per hoc tamen non prohibetur, quòd fideles dent majora stipendia, si velint, dummodo voluntarie id faciant.

c Soar. sup.

152 Dico tertiò, si stipendium taxatum non sit, illud erit justum, quod [d] communi consuetudine receptum, & approbatum est, seu quod peti, & dari solet, hæc enim consuetudo vim habet taxæ. In hoc tamen casu æqualitas justa stipendii non potest consistere in indivisibili; sed aliquam habet latitudinem, sicut pretia rerum, quæ taxata non sunt, in quibus est pretium medium, infimum, & summum. Cavendum tamen est sacerdoti maximè Parocho, ne more rerum venalium hoc negotium tractet cum fidelibus, contendendo, ut summum tribuant stipendium, quia esset quędam irreverentia, ex qua communiter scandalum sequeretur.

d Soar. sup.

153 Dico quartò, Sacerdos ratione justi stipendii accepti tenetur ex justitia Sacrificium celebrare, & offerre pro persona, quæ stipendium dedit, quia contractus onerosus hìc intervenit: *do, ut facias*. Neque propterea sacerdos simoniam committit, quia non accipit stipendium in pretium Missæ, sed in eleemosynam ad convenientem sustentationem sibi debitam ex jure naturæ dictante, ut qui altari servit, de altari vivat.

154 Dico quintò, Sacerdos tenetur unum Sacrum facere pro uno stipendio, si justum, & adæquatum sit, ita ut ipsi non liceat duobus hujusmodi stipendiis acceptis unico sacro satisfacere; quod etiam est intelligendum, si semel sacerdos contentus sit medio, vel infimo stipendio, justo tamen. Non potest

test enim deinceps arbitrio suo reducere ad rigorosum stipendium, imminuendo Missarum numerum, quia hoc esset contra justam dantis voluntatem, essetque acceptio rei alienæ domino rationabiliter invito. Quod etiam in decreto supracitato Urbani VIII. prohibetur sub obtestatione Divini judicii.

f Soar. sect. 1. Possev. c. 2. n. 20. 155 Dico sextò, etiam sacerdotes f divites possunt justum stipendium Missæ accipere. Quia stipendium non datur pauperi, quia pauper est, sed quia illi debetur ex justitia, ad quod in gratiam alterius Missam celebrat; hæc autem ratio æquè militat in divitibus, ac in pauperibus sacerdotibus; quia divites, qui altari serviunt, possunt ex altari similiter sustentari: ergo.

g Soar. sect. 4. Possev. n. 24. 156 Dico septimò. Non Parochus, nec alius sacerdos potest g stipendium accipere pro ea Missa, quam alteri applicare tenetur; esset enim injustus volens eadem Missa duabus obligationibus satisfacere, quæ duas Missas postulant. Solùm id poterit, quando duo dederunt stipendia diminuta, & ex utroque unum stipendium justum conflatur, nisi utrique promisisset pro eo diminuto integrum Sacrificium offerre, vel ea esset intentio dantis à sacerdote cognita. Tunc enim habet locum decretum suprà relatum per hæc verba: *Ubi pro pluribus Missis plura stipendia, quantumcumque incongrua, & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum; sacra Congregatio sub obtestatione Divini judicii mandat, ac præcipit, ut absolutè tot Missa celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosyna præscripta fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, sua obligationi non satisfaciant, quinimò graviter peccent, & ad rationem teneantur, &c.*

157 Dico octavò. Licèt aliqui Authores probabile putarent potuisse sacerdotem pauperem pro una Missa accipere tot stipendia, quot sufficerent ad ejus sustentationem diurnam, ea tamen
h Soar. sect. 4. Possev. n. 24. Dian. 1. p. t. 14. resol. 88. h probabilitas sustineri non potest post decretum prædictum, in quo mandatur tot Missas celebrari, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint. Ultra quod ante decretum hæc nostra conclusio erat communis.

158 Dubium esse potest, supposito quòd Missa habeat tres partes. Primam totius Ecclesiæ, secundam celebrantis, tertiam celebrare facientis, ut dictum est cap. 7. an Parochus, & quilibet sacerdos secundam, quæ non solet applicari, possit alteri applicare, & pro ea recipere stipendium? i Respond. non posse, etiam si Missa gratis fuerit promissa. Quia ea pars est personalis, quæ in alium transferri non potest; & si celebrans sit in peccato, nulla est. Accedit, quia ubi est obligatio certa celebrandi pro alio, non potest ei satisfieri per talem applicationem, quia esset applicare fructum, de quo communiter est dubium, an possit applicari. Unde applicaret solutionem incertam pro debito certo, exponeretque se periculo errandi in re gravi. Et quamvis teneremus oppositam sententiam, pro qua l Diana multos Authores refert; hodie id non liceret; quia in declarationibus citatis ad 4. prohibetur satisfacere per unicam Missam duabus obligationibus, ut etiam resolvit idem m Diana. i Soar. d. 79 sect. 9. fine. Possev. n. 52. Bon. d. 4. de sacram. q. ult. p. 8. n. 16. l Resolut. 14. m Resol. 80.

159 Majus dubium, supposito quòd Missa est impetratoria, & satisfactoria, an si unus det stipendium pro Missa ad impetrandum beneficium, alius ad satisfaciendum pro mortuo, possis eadem Missa utrique obligationi satisfacere? Negant communiter n Doctores. Quia qui dat stipem pro Missa, intelligit sibi applicandam modo utiliori possibili: sed utilius est, ut, qui pro impetratione dat stipem, pro satisfactione etiam accipiat; ergo. Et signum est, quia si danti stipendium dicas: Offeram Missam pro te ad impetrationem, & eandem quoad satisfactionem applicabo pro certo defuncto, vix acquiescet, ut experientia docet. Accedit declaratio proximè relata, quòd per unicam Missam non satisfit duabus obligationibus: valeret tamen, si petens annueret, quia volenti non fieret injuria, nec declaratio in eo casu procederet. n Soar. sect. 12. Possev. n. 25. §. quæritur 7.

160 Dico nonò. Missa de Requiem præscripta in Missali pro die commemorationis omnium defunctorum, potest ad libitum applicari. o Ratio est, quia eo die Ecclesia non præscribit nisi ritum officii, non autem statuit de applicatione, cùm unum sine altero stare possit. Non est tamen laudanda applicatio particularis; non enim benè sapit Missam, quam unicam in anno Ecclesia præscribit pro defun- o Possev. §. quæres forte.

Digitized by Google

defunctis in generali, ipsis non applicare. Certè Parochus pro defunctis suæ Parœciæ meritò applicabit, ne mercenarii nomen habeat, qui solùm curat de interesse, & turpi lucro.

161 Dico decimò. Si aliqua Capellania esset instituta cum obligatione Missarum, etiam si non constaret ex institutione pro quibus essent applicandæ, sunt tamen applicandæ ad mentem testatoris. p Quia fructus talis Capellaniæ habent rationem stipendii illarum Missarum, & ita debentur danti stipendium, ut alteri applicari non possint.

p Possev. §. si aliqua

162 Dico undecimò. Contra illos Parochos, & Capellanos Ecclesiarum, ad quas solet esse magnus concursus propter specialem devotionem, qui multa stipendia accipiunt pro Missis dicendis majora solito, easque variis sacerdotibus distribuunt, dando illis stipendium ordinarium, retinendo sibi excessum; quam consuetudinem aliqui Doctores excusant, & ab injustitia liberare conantur, licèt dicant habere aliquid negotiationis, & sordidi lucri, qui videri possunt apud Dian. q Hodie tamen nulla ratione hoc licèt, quia in dicto decreto graviter prohibetur, ne sacerdos, qui Missam suscepit celebrandam sub certa eleemosyna, eamdem Missam alteri, parte eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat. Ubi etiam prohibetur alius abusus aliorum, qui in uno loco stipendium ibi dari solitum accipiunt, & Missas dicendas committunt in alio loco, ubi solet minus stipendium dari, reservando sibi excessum. r Non tamen procedit decretum, ut ipsa Congreg. ad 8. declaravit, in Capellano, cui pro Missis pingue stipendium respondet, si per alium sacerdotem celebrarè faciat; nam iste satisfaciet, si consuetum stipendium tribuat; quia reliquum retinetur titulo beneficii, vel Capellaniæ, neque enim tribuitur tantùm pro Missis dicendis.

q Resol. 80.

r Dian. resol. 11. Villal. c. 8. diff. 17.

163 Dico duodecimò. Licèt aliqui dicant peccare mortaliter, & non satisfacere sacerdotem, qui stipendium accepit pro dicenda Missa in certo altari, & dicit in alio; hoc tamen videtur valdè s durum, si absit scandalum, quia sacerdos non videtur infidelis in re gravi, nec concurrit aliqua circumstantia damnificans fructum Sacrificii. Unde solùm peccabit venialiter, nisi Missa foret dicenda in altari privilegiato, quia tunc defraudaretur fructu privilegii, quod esset quid valdè injustum, & ideò in tali casu non satisfaceret suæ obligationi.

s Possev. n. 25. §. quæritur 2.

164 Dico decimotertiò. t Qui stipendium accipit pro Missa, si illam non dicat cùm primùm potest; peccat, quia infideliter agit, & differt sine causa suffragium, vel emolumentum petentis; nam qui dat stipem, vult Missam utiliori modo possibili: utilius autem est, si dicatur quamprimùm. Unde sequitur 1. si petens Missam, dicat: Cùm commodè poteris, Missam dicito; teneris dicere, cùm, salvo honore Sacramenti, poteris, & non ad libitum tuum. Si verò dicat ad libitum tuum; poteris magis differre. Intelligerem obligari te ad dicendum, cùm satisfecisti obligationibus, quas fortè priùs habebas. u Sequitur 2. si duæ obligationes concurrant eadem die; alteri per te, alteri per alium satisfaciendum fore eodem die. Si tamen sis solus, satisfacies prìus ei, cum quo priùs contraxisti. Si una tempus, alia locum respiciat; satisfacies priùs priori.

t Sylv. verbo Miss. 3. 11.

u Azor. lib. 10. c. 24. q. 7.

165 Quid faciet Parochus si magno numero Missarum dicendarum obruatur? Respond. ex Conc. x Trid. Quando tantus est Missarum numerus, ut unicuique non respondeat justum stipendium, quia quod justum olim assignatum est pro anniversariis, & Capellaniis, hodie non est sufficiens propter rerum pretia, quæ creverunt, vel quando ob paucitatem sacerdotum illis omnibus satisfieri non potest, Episcopos in synodo diœcesana, & Abbates ac Generales ordinum in suis capitulis, re diligenter perspecta, potuisse pro sua conscientia statuere quidquid magis ad Dei honorem, & Ecclesiarum utilitatem judicassent expedire; verùm hodie hoc non licèt ex prædicto decreto, ubi ea potestas Sedi Apostolicæ reservatur.

x Sess. 25. c. 4. de ref.

166 Advertant igitur Parochi, & alii sacerdotes, ne Missas ex legatis, aut populi devotione dicendas suscipiant ultra suam potestatem, ne animas suas pro turpi lucro æternæ damnationi subjiciant. Et si se oblitos videant, curent per alios satisfacere, dando congruum stipendium, quod acceperunt; ad hoc enim tenentur, ut constat ex dictis, si per se satisfacere non possunt, vel ad resti-

restituenda stipendia accepta iis, à quibus acceperunt, ut alios celebrantes quærant. Ultra quod injuriosi sunt animabus defunctorum, quæ fortè patiuntur in Purgatorio ob eorum negligentiam, aut avaritiam. Ad quid Missas acceptant, si non possunt satisfacere? Cur quatuor, & quinque Missarum millibus se onerant, ut aliquos jam inveni sic oneratos, nisi ut pro sordido lucro se damnationi addicant, & causæ sint pœnarum fidelibus in Purgatorio existentibus. In cujus rei confirmationem aliqua exempla refero libro 7. capite 6. sectione 8. §. 3. ubi videbis ipse nepotem quemdam, qui à patruo milite equum accepit, ut pretium illius insumeret in eleemosynis, ac Missis pro ejus anima, qui cùm sibi equum usurparet, nihilque faceret pro anima defuncti, ei defunctus apparens intra paucos dies, in pœnam, inquit, hujus in me oblivionis, crastina die hac eadem hora miserrimè morieris, quod condicta die, & hora prorsus evenit.

167 Quas dabunt pœnas sacerdotes, qui suffragia defunctis debita non persolvunt? permittet quidem justus judex, ut quando omninò non pereant, in Purgatorio patiantur eas, quas sanctæ animæ sua ipsorum culpa, & negligentia passæ fuerunt. Quod comprobat exemplum, quod refert Gonzaga 4. p. historiæ Minorum de quodam bono religioso, qui, post mortem apparens alteri, qui pro ejus anima Dei misericordiam implorabat, Frater, inquit, Joannes ego sum, qui ex maxima Dei misericordia cœlicolis deputatus existo; verumtamen ne id statim assequar, impedimento sunt quædam defunctorum officia à me oblivioni tradita. Quamobrem à te obnixè precor, ut ea quamprimùm ex charitate persolvenda cures. Cùm igitur Fr. Ascentius, (sic enim appellabatur Frater, cui defunctus apparuerat) visionem Guardiano retulisset, illeque præfata defunctorum officia à fratribus dicenda curasset, apparuit iterùm defunctus eidem Fratri Ascentio summa claritate perfulgens, illique maximas, ob præstitum beneficium gratias egit.

168 Si igitur qui ex oblivione leviter culpabili, animas Purgatorii debitis officiis defraudaverat, sic in eodem Purgatorio detentus est: quid sperant avari sacerdotes, qui multarum Missarum stipendia accipientes, eas vel non dicunt, vel differunt per multos annos? Certè damnum hoc majus est, quàm omnia temporalia bona injusta violentia deprædari. Ergo si peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum; videant quomodo possint compensare pœnas, quas per multos annos sanctæ animæ perpessæ sunt, nisi vel pœnas æternas sustinendo; vel si verè pœnitentes decedant, easdem, vel majores in Purgatorio tolerando?

LIBER QUINTUS
DE
PRÆDICATIONE
PAROCHI.

a Seſſ.23.c. 1. de ref.

Concilium Trident. *a* poſt obligationem Sacrificii, de qua lib. præcedenti, ſtatuit teneri Parochum ex præcepto Divino oves paſcere verbi Dei prædicatione. Quod alibi ſæpè inculcat. Quam obligationem eſſe unam ex præcipuis officii Parochialis lib. 2. cap. 4. ſatis oſtendimus. Quare in præſenti lib. ſuppoſita ea obligatione, quam de novo confirmabimus ex Trident. dicemus, qualis debeat eſſe prædicatio Parochi, quibus diebus, quando ab ea poſſit excuſari, & quando non poſſit, adjicientes aliqua, quæ videbuntur opportuna ad Parochum inſtruendum in hac tam neceſſaria parte muneris ſui.

CAPUT PRIMUM.

Parochus tenetur prædicare in ſua Parœcia Dominicis, & feſtis.

1 Quamvis lib. 2. cap. 4. hæc Parochi obligatio ſatis probata relinquatur, hìc iterùm inculcanda eſt, adductis Conc. Trident. decretis, quæ ibi ſummatim tacta ſunt, ut ex ipſis appareat, quàm ſeriò res iſta commendetur, & præcipiatur.

2 Advertens igitur ſacrum Concil. quàm neceſſaria ſit ad animarum inſtructionem in ordine ad ſalutem prædicatio verbi Dei, Parochis, additis pœnis, injunxit, ut in ſuis Eccleſiis ſingulis diebus Dominicis, & feſtis, & temporibus Quadrageſimæ, & Adventus, ſi non quotidie, ſaltem tribus in hebdomada diebus prædicationes faciant, in quibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate doceant, quæ ſcire omnibus neceſſaria ſunt ad ſalutem. In ſpecie verò inter Miſſarum celebrationem frequenter, maximè diebus feſtis exponant ea, quę in Miſſa leguntur, atque inter cætera ſanctiſſimi Sacrificii Miſſæ myſterium aliquod declarent; & inſuper vim, atque uſum ſacramentorum juxta formam Catechiſmi Rom. etiam lingua vernacula explanent.

3 Sic enim ait: *a Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel aliàs curam animarum habentes, Eccleſias quocumque modo obtinent, per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat; ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id verò ſi quis eorum præſtare negligat, etiam ſi ab Epiſcopi juriſdictione quavis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet, etiam ſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra diœceſim exiſtenti, forſan annexæ, vel unitæ, modò re ipſa in diœceſi ſint, provida paſtoralis Epiſcoporum ſolicitudo non deſit, ne illud impleatur. Parvuli petierunt panem, & non* a Seſſ.5 c. 2. de ref.

& non erat, qui frangeret his. Itaque ubi ab Episcopo primùm moniti, trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur, ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.

4 Consideret bonus Parochus, & meditetur hoc decretum, & non dormiat in re tanti momenti, & tam seriò commendata. Episcopi invigilent, ut Parochi sibi subjecti muneri huic suo correspondeant, ne simul cum ipsis Parochis à supremo Pastore, cujus oves pascendas susceperunt, in æternum puniantur.

5 Rursus agens de Sacrificio Missæ, ita decernit: [b] *Quamobrem, retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre, & magistra, probato ritu; ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis: mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis, curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis, quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus Sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, & festis.* Ubi materiam aliquam ad facilem Parochi prædicationem præceptam videtur Concilium assignare voluisse.

[b] Sess. 22. c. 8. de sacrif. Miss.

6 Deinde exponens obligationes Parochi, declarat unde nam sit orta hæc Parochi obligatio prædicandi per hæc verba: [c] *Cùm præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, &c.* Ubi, licèt principaliter loquatur de Episcopis, inferiùs, §. *Eadem omninò*, declarat omnia in eò capite contenta se de curatis intelligere pariter dicenda.

[c] Sess. 23. c. 1. de ref.

7 Tandem loquens de Parochis ita statuit: [d] *Nec non inter Missarum solemnia, aut Divinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus, explanent; eadèmque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.* Advertant igitur Parochi tam repetitam hujus ministerii commendationem, ut illud tamquam ex officio debitum sedula cura, ac diligentia exequantur.

[d] Sess. 24. c. 7. de ref.

8 Duo adhuc hanc Parochi obligationem præcisam commendant. Unum est, quòd Urbanus VIII. facta sibi relatione per sacram Congreg. Concilii mandaverit 2. Maji 1629. ut cùm Episcopus prædicat, silere debeant alii Prædicatores, illisque possit Episcopus inhibere, ut eo tempore à prædicatione abstineant. [e] Nihilominus, Parochi inter Missarum solemnia sermonem habere possunt, etiam quando Episcopus prædicat, ut censuit eadem Congregatio 11. Junii 1631. subdens priorem prohibitionem Pontificis non intelligi respectu Presbyterorum in Ecclesia Parochiali. Et ratio debuit esse, quia prædicatio Parochorum est de jure Divino, quæ ab humano impediri non potest.

[e] Barb. 6. 1. p. c. 14. n. 3.

9 Alterum est, quia Trident. ita Parochis munus prædicandi injunxit, & quasi proprium declaravit, ut nec ab Episcopis in hoc impediri possint, ut declaravit sacra Congregatio ejusdem Concilii, ut refert [f] Barb. Et sicut confirmatus ad officium Parochiale, ipso jure censetur approbatus ad audiendas confessiones, & alia Sacramenta administranda; ita censetur approbatus ad munus prædicandi in sua Parochia. Vidi semel in hoc Regno Parochum prohibitum ab Episcopo magni nominis, & exempli, ne prædicaret, quia erat valdè idiota. Et cùm Episcopo exponerem hoc munus esse proprium officii, nec posse impediri: mihi respondit se non impedivisse prædicationem sibi proportionatam, ad quam talis Parochus tenebatur, sed altiorem, cujus erat incapax propter defectum doctrinæ. Qualis autem debeat esse Parochi prædicatio paulò pòst dicemus.

[f] Bar. 6. n. 5.

CAPUT SECUNDUM.

An Parochus teneatur prædicare per se ipsum?

10 Dicunt aliqui [a] satisfacere Parochum, si prædicet per se, vel per alios; cùm Concilium dicat: *Per se, vel alios idoneos, si impediti fuerint.* Credo prædicare per alios aliquando non solùm licitum, sed laudabile, ut abundan-

[a] Toler. 1. 5. c. 5. n. 10.

dantiori doctrina Populus instruatur, & varietate dicendi in Domino recreetur. Prædicare verò semper per alios ad propriam quietem, & otium, credo malum, neque ita satisfieri officio, cùm Concilium dicat prædicationem posse fieri per alios, quando Parochus fuerit impeditus: sicut enim non satisfaciet muneri suo, si totam curam Vicario committat, ut lib. 3. dictum est; ita nec si totum onus prædicandi in alios semper rejiciat.

b Possev. c.3.n.a. 11 Addit Possev. [b] excusandum Parochum, qui semper prædicaret per alios ex inhabilitate, si sic toleretur ab Episcopo sciente. Verùm hæc inhabilitas non facilè contingit suppositis iis, quæ cap. 7. dicemus de prædicatione Parochi, quæ ita facilis esse debet ex præscripto Concilii, ut vix ad eam inhabilis esse possit, qui simul inhabilis non sit ad munus Pastorale, & curam animarum.

12 Addit idem Author credere se universaliter posse salvari opinionem Toleti de prædicatione per alios, quia licèt hoc non videatur conforme verbis Concilii, concordat tamen ejus menti, quæ est, ut populus instruatur. Oppositum tamen existimo tum ex ratione facta; tum quia mens Concilii est, ut Pastor gregi suo invigilet, & illum per se ipsum regulariter erudiat, quià ipse melius novit, qua doctrina populus indigeat, quæ vitia in eo dominentur, quibus mediis ab eis defendi debeat.

13 Excusabitur tamen à prædicando. Primò, quando fuerit legitimè impeditus, & non habuerit alium, quem prædicare faciat, quia vel redditus non sufficiunt, vel deest persona idonea. Nam ad impossibile nulla est obligatio. Erit autem impeditus, si illis diebus valdè implicetur confessionibus audiendis, si nocte præcedenti in servitio moribundi occupatus fuit, aut similibus occupationibus muneris sui distrahatur, quæ vix sinant aliud agere. Si tamen potest etiam cum labore, aliquid dicat ad populi instructionem, brevitatem enim excusabit lassitudo. Si autem verè non possit præ nimia lassitudine, vel non habuit tempus ad recolenda præparata, excusabitur, quia difficilium eadem est ratio ac impossibilium: ita [c] Possev.

c Possev. n. 3. & 6.

14 Excusabitur secundò, si sit Pa-

Institutio Parochi.

rochus civitatis, ubi Episcopi communiter instituunt prædicatores aliquos, vel regulares de licentia Episcopi prædicant. Quia tales prædicatores censentur deputati ab Episcopo pro toto populo, & consequenter pro omnibus curatis. Et tunc Parochi censebuntur legitimè excusati vel à jussione Episcopi sic constituentis, & interpretantis istam legem, vel quia sic utiliùs geritur negotium populi. Ita [d] Possev.

d Possev. n. 3.

15 Hoc ego intelligerem de magnis civitatibus, ubi sunt varia monasteria Regularium, ad quæ populus confluit ad audiendum verbum Dei. Nam licèt [e] Concilium dicat: *Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei*. Et Parochus admonere debeat populum, ut diebus Dominicis, & festis frequentet suas Parochias. [f] Excommunicandus non est, si monitioni non pareat, nec Ordinarius potest mulctis, & pœnis cogere populum ad audiendam Missam, & concionem in Ecclesia Parochiali, ut decisum fuit à S. Congreg. Concilii; nec potest impediri, ne audiat in monasteriis Regularium. Si tamen populus soleat suas Parochias prædictis diebus frequentare, non excusabitur [g] Parochus etiam in magnis civitatibus à suo munere prædicandi, ut ratio persuadet.

e Sess. 24. c.4.de ref.

f Barb. c. 14.n.12.& 13.& c.11. à n.14.

g Possev. n. 3.

16 In oppidulis verò, & oppidis ordinariis, ac Parochiis ruralibus, ubi, tacente Parocho, omnes silent; sine dubio Parochus nec per se, nec per alium prædicans peccabit mortaliter, quia deficiet in re gravi officii sui cedente in grave populi detrimentum, nec excusabitur ex conniventia Episcopi, quia de jure divino ad hoc tenetur, ut patet ex Trident. [h] Unde tenebitur ordinariè per se prædicare, licèt aliquando id facere possit per alios juxta superiùs dicta.

h Sess. 23. c.1.de ref.

17 Excusabitur [i] tertiò, si populus nolit prædicationem audire. Hoc autem est intelligendum, si totus populus nolit; tunc enim poterit Parochus sine peccato tacere. Sed cùm impossibile sit, quod totus populus nolit; si major pars velit, prædicet: si major pars nolit, prudenter faciet, si non ita frequenter prædi-

i Gras.2.p. lib.3.c.22. n. 6. Possev. n. 4.

 cet,

Digitized by

cet, ut posteà avidius verbum Dei excipiatur. Optimè verò faciet, si Episcopum moneat, & de ejus consilio operetur.

18 Quando autem Parochus per se ipsum prædicat, ei non licet prætextu cujuscumque paupertatis prætendere sibi eleemosynam dari solitam prædicatoribus aliàs electis, ut censuit Congreg.[l] Concilii 20. Martii 1621. Et ratio est, quia prædicatio est unum ex muneribus officii sui, pro quibus exercendis sustentatur à populo; ergo sicut pro aliis muneribus Parochialibus nihil potest accipere, ita nec pro prædicatione.

l Barb. c. 14. n. 7.

19 Hoc ego intelligo de ordinariis exhortationibus muneris sui, quæ extraordinarium studium, & laborem non requirunt, ut constabit ex dicendis. Unde si Parochus sit homo doctus, & aliquando prædicaverit modo declamatorio pro aliqua confraternitate, benè poterit accipere stipendium consuetum, quia non tenetur ad talem modum prædicandi adeò laboriosum, qui extraordinariam postulat diligentiam, & studium.

20 Quando verò Parochus per alios facit eas ordinarias exhortationes, ad quas tenetur ratione officii, debet ex redditibus suis præstare debitum stipendium, si aliunde non sit provisum, vel prædicatores gratis non faciant. Quando enim quis tenetur ad aliquam actionem gratis faciendam ex vi sui officii, si eam per alios vult exercere, vel ad propriam commoditatem, vel quia minus capax est ad eam per se exercendam, tenetur solvere substituto, vel quærere, qui gratis pro se exerceat.

21 Addo viceecuratum, [m] quando servierit Ecclesiæ, & administraverit Sacramenta populo pro Parocho infirmo, absente, vel aliter impedito, teneri ad hoc munus prædicandi, sicut ad alia munera parochialia, quia verè pro tunc fungitur officio Parochi, & pro eo etiam ministerio accipit congruam ex redditibus Parochi, & ulterius licita est ei retentio oblationum, & eleemosynarum sibi interim factarum.

m Barb. n. 20.

CAPUT TERTIUM.

Confutantur frivolæ aliquæ Parochorum excusationes circa munus prædicandi.

DIcet fortè Parochus aliquis se ab hoc prędicandi munere abstinere, quia se minus idoneum ad id agnoscit. Si ita est: summæ temeritatis, & audaciæ fuit suscipere onus, quod portare non sufficit. Nonne bone sacerdos, sciebas prædicationem verbi primam partem esse officii Pastoralis? nihilque esse monstruosius speculatore muto, qui habilis non est ad mala impendentia denuntianda? Nesciebas canes, qui latrare non valent, è domo expelli, indignosque esse, qui impensis domini alantur? Nesciebas Pastorem non esse, qui canem latrantem contra lupos secum non habet? Si te mutum agnoscebas, quare Ecclesiam acceptasti, & procurasti? Cur eam alteri non reliquisti, qui te instructior, & ad hoc munus aptior non defuisset? Ad te alendum, non ad Christi oves pascendas officium procurasti. 22

23 Nec respondeas te ad curam animarum alieno arbitrio vocatum advenisse, quia scimus raros hodie Ecclesiis præfici sine magna ipsorum inquisitione. Sed dato quòd ais te non oblatum, sed vocatum, & quasi coactum advenisse, audi Chrysost. [a] *Nemo, licèt ei vis adhibeatur, spondet se ædificaturum domum, nisi sit architectus, nec se ægros curaturum profitetur, nisi sit medicus.* Ubi inductione aliarum artium idem ostendit. Si ergo homines in rebus parvi momenti nec precibus, nec vi illata vincuntur, ut ea munera subeant, ad quæ non habent capacitatem, quare idem non fecisti in arduo negotio animarum, in quo munus prædicandi ad ipsarum salutem procurandam præcipua dos est, & instrumentum? Cur non imitatus es Moysen, qui à Deo immediatè vocatus ad onus animarum, illud recusavit, quia ob linguæ impedimentum se minus idoneum reputabat? Accedit, quia si tu gregem magis diligeres, quàm lanam, non diceres te eloquentem non esse, & insufficientem: quia charitas eloquentem facit Pastorem; nam ad arcendos lupos gregemque defendendum magis postulatur amor, quàm rhetorica; amor sapiens est, & industriosus ad bonum rei amatæ.

a Lib. 1. de sacerd.

24 Alia

Digitized by Google

24 Alia via poterit se alius excusare dicens: Munus prædicandi est proprium Theologorum, qui mysteria nostræ Religionis didicerunt: Ego verò Theologiam nec de limine salutavi, solùm in rebus moralibus, & casibus conscientiæ me exercui; & ideò non est cur à me munus predicandi postuletur, maximè quia meus Episcopus, qui me ad curam animarum admisit, benè novit meam ad prædicandum insufficientiam; unde me sic admittens visus est me ab hoc munere deobligasse.

25 Frivola excusatio. Quia modus prædicandi Parochi non postulat theologicas subtilitates, quibus te fateris destitutum, sed ut doceas ea, quæ omnibus necessaria sunt ad salutem; ut annunties cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ populus tuus declinare debet, ac virtutes, quas sectari oportet, ut cap. 1. retulimus ex Trident. ad quæ tibi suppetit scientia, quam per facilem lectionem bonorum librorum augere potes. Et Episcopus, qui te elegit, vel confirmavit in cura animarum, ad hoc prædicandi genus te approbavit, non minùs, quàm ad confessiones Sacramentales excipiendas: nec te poterat ab eo excusare, quia est de jure Divino, in quod potestatem non habet Episcopus.

26 Accedit. Quia modus concionandi Parochi non debet esse multa elaboratus industria, non redundans figuris ad aures demulcendas, non compositus ad ostentationem, sed simplex ad utilitatem, non tam ex studio, quàm ex charitatis affectu ad eum modum, quo Pater domi suæ filios docet, ac instruit ad benè vivendum. Audi Prosperum[c] de Episcopo loquentem: *Pontifex non in verborum splendore, sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat; non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus; non plausum à populo studeat expectare, sed gemitus: tam simplex, & apertus, ut ab intelligentia sui nullos, quamvis imperitos, excludat; sed in omnium audientium pectus cum quadam delectatione descendat.* Audi Hieron.[d] ad Nepotianum Parochum: *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur: Lacrymæ auditorum laudes tuæ sint: Sermo presbyteri Scripturarum lectione conditus sit: nolo te declamatorem esse, & rabulam, garrulumque sine ratione, sed mysteriorum peritum.*

c lib. 1. de vita contempl.

d Epist. ad Nepot.

27 Sciat Parochus se esse Patrem, non rhetorem. Et sicut nulla esset major Patris temeritas, quàm dicere se nolle filios instruere, docere, & corrigere, quia eloquens non est; ita Parocho se hac via excusanti nulla esset major stultitia. Amet Parochus ex corde oves suas, & charitas illum faciet eloquentem eloquentia illa, quam Deus & sacri Canones ab eo postulant: nec amanti deesse potest materia dicendi, suggeret enim amor gregis sententias accommodatas ad finem suum. Audi Bern.[e] *Communica cœleste triticum sine invidia, & sine desidia: si multum accepisti, multum da; si modicum, & id tribue. Etenim qui in modico fidelis non est, nec in maximo erit; totum quod habes, da, quia totum repetendum est usque ad ultimum quadrantem. In his duobus mandatis, verbi scilicet, & exempli summa tui officii ad conscientiæ securitatem pendere intellige.* Non opus est, quòd Parochus pulpitum ascendat, quòd discursus politos argutis sententiis, ac conceptibus redundantes proferat: satis est si ex altari dicat, quæ necessaria sunt ad suum populum instruendum. Observet sancti Francisci Xaverii utilissima monita data prædicatoribus:[f] *Concionatorum præcipuum munus est auditoribus delictorum suorum quàm maximum incutere dolorem, & certissimis, sempiternisque infernorũ suppliciis ante oculos propositis eos à flagitiis deterrere; Satanæ quoque artes, atque insidias aperire, ea demũ pro concione ferere, quæ vulgi quoque imperiti intelligentia potiùs, quàm admiratio excipiat.*

e 4. de consid.

f Tursilin. in ejus vita, lib. 6. c. 16.

28 Alia via se poterit alius excusare ab hoc tam necessario munere prædicandi, dicens fortè: Alii Parochi prædicare non solent: cur ego solus in hoc defatigabor? maximè quia hæc obligatio prædicandi per non usum Parochorum scitum, & toleratum ab Episcopis visa est abiisse in dissuetudinem, & per usum contrarium jam cessasse. Unde non est cur in hac re scrupuli ingerantur.

29 Frivola, ac inepta excusatio. Dic mihi inepte Paroche, qui ita loqueris tamquam mercenarius; ignoras contra jus divinum nullam posse prævalere consuetudinem[g] contrariam? Nescis tuam hanc prædicandi obligationem esse divinam? Lege Concilium Trident. cap. 1. relatum, & quæ de hac materia dicta sunt lib. 2. cap. 4. Scire deberes precepta divina abrogari nunquam posse per contrariam consuetudinem etiam universalem, nullamque esse posse præ-

g D. Thom. 1. 2. q. 97. a. 3. ad 1.

ſcriptionem contra illa, aut uſum, ſed abuſum damnabilem. Si alii Parochi, vel potius mercenarii ſuo muneri deficientes in æternum damnari volunt, tu vis damnari cum illis? Si tuus Epiſcopus fortè ignorat incuriam tuam, aut illam diſſimulat, in quo graviſſimè delinquit, tu vis peccare, & perire cum illo? Falleris, credens quòd alii hoc munus ſpernant, omnes enim pii, & timorati, qui Deo placere ſtudent, & ovibus ſuis prodeſſe, hoc exhortandi munus habent ante oculos. Et vigilantes Epiſcopi in hoc maximè inſudant, ne oves deſtituantur ſalutaribus paſcuis exhortationis, & doctrinæ.

CAPUT QUARTUM.

Confutantur aliæ excuſationes magis frivolæ.

30 ALiter ſe Parochi fortè excuſabunt dicentes ſe à prædicando ceſſare, quia aliquas habent oves protervas, & contumaces, quæ ex ſuis verbis ridendi potius, quàm proficiendi occaſionem captant. Ineptiſſima excuſatio. Dic mihi, bone Paroche, quando quis paſtor oves ſuas deſerit, quia aliquæ errant, & deviant à paſcuis, & quaſi lupos quærunt, ut devorentur? Quando agricola, quia grando partem agri devaſtavit, reliquam, quæ illæſa eſt, tædio affectus deſeruit? Nonne magis ſtudet in parte ſana excolenda? Non eſt igitur ob culpam paucorum, cæteris præjudicium inferendum: non ſunt deſerendæ bonæ oves, ob aliquarum proterviam.

31 Accedit, quia Parochus medici, ac matris vicem gerit. Quis ergo medicus, quia videt ægrotum phreneticum medicamenta reſpuentem, ab illis applicandis ceſſat? Quæ mater non majori ſtudio, & diligentia proſpicit ſaluti talis filii? Magis enim commoventur viſcera ejus ex filii contumacia. Non haberet Eccleſia Auguſtinum, ſi mater ejus, ex filii obſtinatione, ab ejus converſione deſiſteret. *Argue tu, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: ut
a 2. Tim. 4. 2. monet Apoſtolus, [a] quia hi, de quibus deſperas, in meliorem interdum frugem ſe recipient.

32 Dicent alii ſe verbi ſemen non ſpargere, quia conſpiciunt ſteriles animarum agros, ex quibus nullam prorſus meſſem ſperant. Verùm id credi non poteſt de hominibus fidelibus, & facilè convincerentur, qui hac via ſe vellent excuſare ab obligatione ſua, ſe omninò ignorare naturam, & conditionem artis paſtoralis. Quis enim eſt qui neſciat ſpiritualem animarum profectum non eſſe opus hominum, ſed ſolius Dei, homines verò eſſe miniſtros tantùm, & cooperatores adeo, ut dicat Apoſtolus:
[b] *Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui* b 1. Cor. 3. 7.
rigat: ſed, qui incrementum dat, Deus. [c] *Fac* c 4. de conſid.
ergo tu, inquit Bern. *quod tuum eſt, nam Deus quod ſuum eſt, curabit: planta, riga; & tuas explevisti partes; ſanè incrementum, ubi voluerit, dabit Deus; ubi verò noluerit, tibi deperit nihil; medici eſt medicamenta adhibere; non eſt in manu medici ſemper relevetur ut æger. Et plaga tibi incumbit, cura eam, curam exigeris, non*
curationem. Unde benè D. [d] Proſper. *Sa-* d 1. de vita contempl. c. 12.
cerdotes ideò rei ſunt, non quia fortè populi verba eorum non audiant, aut audita contemnant, ſed ſi ab illis corrigendis deſiſtant.

33 Quare, mi Paroche, te reddes
circa Deum ſecurum, ſi cum Aug. [e] di- e Ser. 49. de verbis Domini.
cere poſſis: *Tu ſcis Domine, quia clamavi; ſcis, qui non tacui; ſcis, quo animo dixi; ſcis, quia flevi tibi, cùm dicerem, & non audirer.* Conſidera, quæſo, cum
Chryſ. [f] In omnibus artibus homines, f Ser. de Lazaro in c. 16. Luc.
& ſi crebrò fruſtrentur optatis, nec res ex ſententia veniat, non proinde ab opere deſiſtere: nam ſi piſcator, & ſi multoties fruſtra rete laxet in capturam piſcium, tamen ad idem opus redit. Cur ergo idem non faciet Parochus animarum piſcator? Maximè cum ob humanam inconſtantiam fructus, qui hodie non reportatur, cras forſan uberior erit; & qui unica vice perſuadere non valuit, alia perſuadebit. Imitetur Deum,
qui [g] ſtat ad oſtium, & pulſat, & licèt g Apoc. 3. 20.
non ſtatim aperiatur, non tamen à pulſando deſiſtit, donec tempore congruo
pulſatio effectum habeat. [h] Chryſoſt. h Hom. 4. in 1. ad Tim.
Si non perſuaſeris hodie, cras perſuadebis. Quod ſi nunquam perſuaſeris multis; paucis ex multis poteris perſuadere; nam & Apoſtoli non omnibus perſuaſerunt, locuti ſunt tamen omnibus, & mercedem, quæ omnibus debetur, habuerunt; non enim ex exitu eorum, quæ rectè ſiunt, ſed ex mente eorum, qui rectè faciunt, ſolet Deus coronas definire. Non ergo propter multorum deſiderium à paucis te ſubtrahas; ſi non potes centum, decem curam habe; ſi decem non potes, quinque ne deſpicias; quod ſi quinque non

potes;

Digitized by Google

potes; unum noli despicere; quod si nec unum potes, noli animo despondere. Accedit, quia fructus prædicationis, ut plurimum, occultus est. Unde evenire potest, quòd ubi nihil profecisse te credis, ibi profe- ris multum.

34 Dicent fortasse alii pluribus se detineri negotiis, quæ majorem temporis partem insumunt, ita ut prædicandi muneri locum non relinquant. Hæc tamen excusatio non relevat Parochum; quia inter ejus onera munus predicandi præcipuum est. Unde Apostoli alia officia, licèt pia, & digna posthabuerunt huic muneri dicentes: [l] *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Et Paulus [l] volebat, ut qui erant in Ecclesia contemptibiles, ii ad sæcularia negotia componenda constituerentur. Idemque consilium dedit Jetro [m] Moysi, ut causarum quidem sæcularium definitiones inferioris ordinis hominibus delegaret; ipse verò populo in iis, quæ sunt ad Deum, præesset. Qui autem habentes curam animarum, relicto ministerio verbi Dei, solicitudines suscipiunt sæculares, & si pias, alienum opus faciunt. Quinimò etiam si negotia talia sint, ut ex proprii muneris ratione omitti non possint, non ideò prædicatio prætermittenda est temporibus suis: quia animæ, quæ spirituali verbi cibo aluntur, rebus omnibus præponi debent.

l Act. 6. 2.
l 1. Cor. 6. 4.
m Exod. 18. 19.

35 Dicent alii habere se viros idoneos, per quos predicandi muneri satisfaciant, vel exercere curam in civitate, vel oppido, ubi non desunt prædicatores, ad quos populum suum remittant. Nec ista excusatio valet, quæ quidem oritur ex defectu amoris erga gregem. Si enim Parochus oves suas verè amaret, nequaquam aliorum arbitrio eas pascendas relinqueret: nam verè amans per se ipsum inservit dilectis. Quare sicut non placet Greg. [n] consuetudo illa matrum, quæ filios aliis lactandos tradunt, quæ in aliquibus potest esse argumentum incontinentiæ; in aliis defectus amoris: ita hæc consuetudo aliquorum Parochorum probanda omninò non est, quia verba Pastoris, & si minus compta, nescio quid ampliùs habeant ad commovenda filiorum corda, quia lac matris ex Galeno filiorum educationi, & sanitati magis confert: unde sponso, & sponsæ in Canticis [o] ubera tribuuntur, quia cùm animarum Pastores sponsi vices gerant, sintque non solùm Patres spirituales, sed matres, ac nutrices, ubera habere debent, ut propriæ doctrinæ lacte filios pascant. Ideo dictum est ad fideles: [p] *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Ubera autem sunt ubertas doctrinæ, ex qua lac elicitur ad alendas animas.

n 4. Mor. c. 3.
o Cant. 1. 2. & 4.
p Isai. 66. 12.

CAPUT QUINTUM.

Quos Parochus admittere possit ad prædicandum in sua Parochia?

36 Quamvis sola authoritas Parochi attento jure [a] antiquo sufficiens videretur, ut alius ab eo invitatus posset in sua Ecclesia prædicare; per Concilium tamen Trident. [b] prohibentur Parochi in suis Ecclesiis admittere concionatores ab ordinariis non approbatos. Unde hodie nullus etiam à Parocho invitatus prædicare poterit sine licentia Episcopi, estò sit regularis.

a Clem. dudum de sepult.
b Sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de ref.

37 Aliqui [c] tenent posse Parochum dare facultatem prædicandi viro docto, ut duabus, aut tribus vicibus prædicet in sua Ecclesia, etiamsi non sit approbatus ab ordinario Parochi. In qua re constitutiones Episcopi, & præcepta, si quæ fuerint, & consuetudo est observanda. Tu verò, si sapis, ut monet Possev. inconsulto Episcopo non admittas, sed per te ipsum prædica, ne incidas in aliquas tricas cum tuo Prælato, à quibus non te facilè expedias.

c Rodrig. & Henriq. apud Possev. n. 4.

38 An verò semel approbatus ab Ordinario possit admitti à Parocho sine alia licentia? Tu admitte, si fuerit Regularis semel approbatus simpliciter, & sine temporis limitatione, quia Ordinarius non potest licentiam semel datam prædicto modo revocare, nisi talis Regularis crimen commiserit in officio prædicandi, vel aliàs fuerit homo scandalosus, ut declaravit Urbanus Octavus: si verò approbatus fuerit ad tempus; eo finito admitti non debet, vel si approbatus fuit ab alio Episcopo, non tamen à tuo; quia Concilium requirit approbationem Ordinarii loci, qualis non est alienus Episcopus.

39 His tamen non obstantibus credo posse [d] Parochum in sua Ecclesia admittere quemlibet sacerdotem sufficienter idoneum ad aliquam exhortationem faciendã ex iis, quas Parochus solet, & de-

d Possev. n. 4.

Digitized by Google

bet facere, estò approbatus non fit. Per exhortationem verò intelligo sermonem rerum spiritualium habitum extra pulpitum, vel si fiat ex pulpito, fiat habitu distincto ab eo, qui assumitur in concionibus, ita ut habitus simul, & locus videantur distinctionem ponere inter prædicationem, & exhortationem, licèt verborum eadem sit materia, & ratio. Hoc autem intelligo, dummodò ab Episcopo specialiter prohibitum non sit, vel generaliter per ejus constitutiones. Nam hic modus exhortandi ad pietatem non est illa prædicatio solemnis, quæ majorem doctrinam postulat, & consequenter approbationem Episcopi.

CAPUT SEXTUM.

Quando Parochus prædicare debeat, quomodo, & quas pœnas incurrat non prædicando?

40 DIco primò, Concil. [a] Trid. ait Parochum debere prædicare saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus. Et alibi: *Singulis diebus festis, vel solemnibus*. Intellige autem regulariter. Nam aliquando propter nimias occupationes poterit excusari, ut supra dictum est. Si autem frequenter satisfaciat huic obligationi, non videtur obligandus ad ponendum alium, qui prędicet loco sui; ita enim videtur habere consuetudo rationabilis saltem tacente, & non contradicente Episcopo.

a Sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 7. de ref.

41 Dico secundò, Parochus non tenetur prædicare modo declamatorio, & exornatorio, ut alii prædicatores faciunt; licèt si velit, id facere possit; sed modo simplici, annuntiativo, & doctrinali. Fundamentum est, quia [c] Concilium ait: *Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis*. Sed hic modus prædicandi non postulat modum declamatorium, & exornativum, sed simplicem, ac doctrinalem; ergo ad hunc, & non ad illum Parochus tenetur.

b Possev. n. 7.

c Sess. 5. c. 2. de ref.

42 Dico tertiò, Parochus inter dicendum neminem particularem lædat etiam infimæ plebis, nedum nobilem, & minus magistratus sęculares, vel Ecclesiasticos. Reprehendat liberè neminem nominando, aut innuendo, quia est odiosum, scandalizativum, & impeditivum fructus spiritualis; sufficit necessaria dicere suppresso nomine illorum, quorum vitia taxat. Aliter imprudenter faciet, & sine fructu, & merebitur castigari ab Episcopo.

43 Dico quartò, materia ordinaria prædicationis Parochi debet esse illa, quæ exprimitur [d] à Concilio proximè. Nempe vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas sectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant. Unde Parochus, estò sit vir magni talenti, & voluerit aliquando prædicare modo declamatorio, & exornativo, meminterit semper taxare generaliora vitia grassantia in loco, & ea pro viribus evellere, aliquod eorum, si varia sint, & in hoc totus incumbat proponendo media convenientia ad ea extirpanda.

d Sess. 5. c. 2. de ref.

44 Dico quintò, licèt Parochus aliquando possit pro suo arbitrio prædicare aliqua subtilia, si habeat sufficientem doctrinam, & populus non sit incapax altiora percipiendi, accommodet tamen se auditorum capacitati, imitetur exploratores terræ promissionis, hi enim, habitu pariter, & lingua gentium, quas explorabant, utebantur; in quo fuerunt Christi figura, ut benè Theodoret. *Sicut exploratores*, inquiens, *præ se ferebant habitum, & vocem gentium, quas explorabant; ita Deus Verbum humanam induens naturam, illius utens lingua salutem nostram procuravit*: nihilominus [e] Trident. monet, ut postponat inutiles quæstiones, & [f] alibi prohibet apud rudes tractari difficiliores, & subtiliores quæstiones. Et certè, ut monet [g] Possev. citra periculum damni non erit absque veniali, quia vanum, & inutile, ubi non fuerit aliqua causa sufficienter justificans. Cum periculo verò damni erit mortale ratione damni. Quod tamen damnum apud nos vix locum habere potest.

Num. 13.

e Sess. 24. c. 7. de ref.
f Sess. 25. de purgat.
g Poss. c. 13. n. 12.

45 Dico sextò, licèt quoad tempus, quo durabit prædicatio Parochi, nihil certum statui possit, cùm sit res arbitraria, quæ prudentię Parochi relinquenda est juxta necessitatem populi; credo [h] tamen satis esse, si duret per mediam horam, & infrà, maximè si Parochus frequenter hoc munere fungatur. Minus enim tempus satis erit ad virtutem aliquam commendandam, & vitium detestandum. Neque enim semper sermo debet

h Possev. n. 1.

debet esse in generali dicendo in genere de virtutibus, & vitiis, sed regulariter ad particularia deveniendum est juxta necessitatem Parochiæ.

46 Hæc Parochi prædicatio communiter fit ex altari post Euangelium, ante Offertorium: si alius fuerit usus, observari potest. Nec opus est quod fiat ex pulpito, quia est per modum exhortationis Patris ad filios, quæ non indiget cæremoniis, quibus ordinarii prædicatores utuntur in concionibus. Imò si Parochus non sit theologus, & ad conciones generaliter approbatus ab Episcopo, melius faciet, si vel ex ipso altari inter Missarum solemnia exhortetur. Si verò pulpitum ascendat, ut potest, non utatur cæremoniis prædicatorum, ne videatur sumere alienum officium, sed simpliciter populum suum exhortetur ad pietatem. Quia iste modus prædicandi ei licitus est, imò & præceptus, ut suprà vidimus, nec ab Episcopo potest impediri ei, qui admissus est ad curam animarum.

47 Dico octavò, cùm [i] Trid. statuat Parochum teneri ad prædicandum ex præcepto Divino modo supradicto, si notabiliter deficiat in hoc munere, [l] mortaliter peccabit, quia deficiet in re magna, & in magnum populi præjudicium. Si verò una, vel altera vice deficiat, vel nullum, vel leve peccatum erit, quia parvitas rei excusat. Incurret præterea pœnas à [m] Concilio taxatas, nempe censuras, & alias arbitrarias Episcopo, & privationem mercedis assignandæ alteri, qui prædicet loco illius, estò Parochus sit exemptus. Si verò sit sub Abbate, & Prælato Regulari, & hic fuerit negligens, Metropolitanus, in cujus metropoli est Parochia, potest providere omni appellatione, recursu, seu exemptione postposita.

i Sess. 23. c. 1. de ref.

l Poss. n. 5.

m Sess. 5. c. 2. de ref.

CAPUT SEPTIMUM.

Qualis debeat esse prædicatio Parochi?

48 TRid. breviter innuit qualis debeat esse Parochi prædicatio dicens: [a] *Plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos, declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.*

a Sess. 5. c. 2. de ref.

49 Ubi Parochus notabit Concilium ab eo non exigere aliquid, quod excedat propriam capacitatem, nec requirere, quod sit magnus theologus, qui valeat secretiora mysteria explicare; sed solùm postulare, qùod ipse præstare facilè potest, estò valdè mediocriter doctus sit. Nam docere ea, quę omnibus ad salutem necessaria sunt, non requirit multum doctrinę apparatum. Et certè in hoc libro inveniet abundanter quidquid ipsum docere oporteat in suis prædicationibus.

50 Nihil igitur bonus Parochus intendat præter Dei gloriam, & spiritualem utilitatem populi sui per accommodatam instructionem de rebus ad salutem necessariis; non autem inanem gloriam, populi acclamationes, aut temporale lucrum, quod ex concionibus, quas ex officio debet, reportare non potest, ut dixi. Aliter impurus, ac inutilis pastor erit. [b] *Quæris*, inquit Ber. *quem dicam impurum? Qui laudes requirit humanas; qui non ponit sine sumptu Euangelium; qui euangelizat ut manducet; qui quæstum æstimat pietatem; qui non requirit fructum, sed datum.*

b Ser. 62. in Cant.

51 Fugiat igitur impuri animi sordes, cum quibus parum, aut nihil proficiet: proponat sibi scopum, qui fideli Dei ministro præpositus esse debet: laxet prædicationis rete in capturam animarum, non in propriam laudem, vel lucrum; habeat ante oculos Dei gloriam, & animarum salutem: aliter certò sciat, quidquid dixerit insipidum fore, ac inutile: quia, ut benè Greg. [c] *Cùm perversa est intentio, quæ præcedit, pravum est omne opus, quod sequitur, quamvis esse rectum videtur.*

c Greg. 1. dialog.

52 Diligentiam ergo adhibeat in materia eligenda, ne loquatur, nisi quod habet in mandatis Domini sui, juxta illud ad Jerem. [d] *Loqueris ad omnes civitates Iuda universos sermones, quos ego mandavi tibi ut loquaris ad eos.* Quod autem Parochus habet in mandatis, expressit Spiritus sanctus per Concilium ubi suprà. Quare de illis sermonem suum instituat, omittendo res steriles, curiosas, & inanes, tractando eas, quæ affectum promoveant, mores ad pietatem componant, & peccata destruant.

d Jerem. 26. 2.

53 Sedulò quoque populi sui mores, ingenia, & capacitatem exploret, & ad il-

ad illius captum, & pro illius indigentia sermonem accommodet, juxta Gregorii monitum dicentis: [e] *Debet subtiliter is, qui docet, prospicere, ne plus studeat, quàm ab audiente capiatur, prædicare; debet enim ad infirmitatem audientium, semetipsum contrahendo, descendere, ne dum parvis subtilia, & idcircò non profutura loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse.* Proponat sibi exemplum Pauli, qui quamvis admirabili, & è cœlo hausta sapientia prœditus esset, ita se cunctis accommodabat, ut omnibus omnia fieret, ut omnes lucrifaceret, [f] Parvulis in Christo lac, provectis verò solidum cibum apponens.

e 2. Mor. c. 2.

f Heb. 5. 12.

54 Dicat veritatem cum libertate, & charitate, quia non major pestis in grege est, quàm si vulnus, quod ferro indiget, unguento leniatur. Audiat quid Deus per Prophetam [g] ad Pastores: *Væ quæ consuunt pulvillos sub omni cubito manus: & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Non desit charitas, ne libertas in audaciam degeneret, sicque vulnus potius exulceret, quàm sanet: nulla enim ratione populus magis allicitur ad veritatem Pastoris capessendam, quàm si noverit ea, quæ ab ipso dicuntur, à charitate provenire.

g Ezech. 13. 18.

55 Caveat maximè ne eò sermonem suum dirigat, ut proprias ulciscatur injurias, satyrica quadam mordacitate in privatas personas potius, quàm in ipsa peccata invehens: quia id dissidiorum, ac discordiarum causas dabit. Advertat gravissimum negotium esse curationem animarum, quod proinde magna prudentia, & dexteritate Pastoris indiget, qui si animo erga omnes benè affectus esse debet; maximè inter concionandum, ubi si minimo signo, aut verbo indignationem in aliquem ostendat, offensionis periculum grave est. Unde rectè dixit Cyprian. [h] *Magis optamus, & cupimus contumelias, & injurias singulorum clementi patientia vincere, quàm sacerdotali licentia vindicare.*

h Cypr. lib. 3. epist. 9. ad Rogacianum.

56 Hæc, & multa alia mala facilè bonus Parochus evitabit, si ante concionem suam in Deum per orationem mentem referat: cùm enim prædicator sit Dei buccina, certum est nihil posse ritè perficere sine virtute, & impulsu ipsius Dei. Nam, ut dicebat Apostolus: [i] *Pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.* Et Bern. [l] *Oratio operi, & voci gratiam, & efficaciam promeretur.* Et Gregor. [m] *Mutum est omne os, quod loquitur, si Deus interius in corde non clamat; nequit enim mens, quæ igne divini amoris non calet, ad supernum desiderium inflammare; nec verba, quæ frigido corde proferantur, alios incendunt; neque enim res, quæ in se ipsa non arserit, aliud accendit.* [n] Unde discipulos suos Christus lucem appellavit, quia lucis proprium est ardere simul, & lucere. Lucere igitur per verbum Dei debet Parochus: sed antequam luceat aliis, ardeat priùs in se; aliàs non lucebit.

i 2. Cor. 5. 20.

l Ser. 57. in Cant.

m 11. Mor. c. 12. c. 15.

n Math. 5. 14.

57 Unde sequitur tunc Parochum profuturum, quando ipse fecerit, quod docuerit. Nam si sibi priùs non persuaserit, aliis persuadere non poterit; quia quantumcumque artis, & industriæ ponatur in dicendo, concio semper languida, & exanimis erit. Et si quod aliis dicitur, intimo animi sensu priùs à dicente perficiatur, seriò, & efficaciter loquetur; quia prodibunt verba ex corde, illa autem solum ex arte. Fervor enim spiritus, qui tantoperè in prædicatore commendatur, consistit in ardore charitatis, qui vivificat, & exacuit verbum Dei, & facit illud [o] *penetrabilius omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus.* Sed de hoc latè lib. 6.

o Heb. 4. 12.

58 Quoniam autem scopus prædicationis esse debet spiritualis animarum profectus, omnem vim, & conatum eò præsertim Parochus intendat, ut ea peccata tollantur quæ magis gravia, & communia in suo populo conspexerit; ac illæ virtutes plantentur, quas magis necessarias judicaverit; & & in his argumentis sæpius immoretur, instando opportunè, importunè, arguendo, obsecrando, increpando cum omni patientia, ut [p] Paulus suum Timotheum monebat.

p 2. Tim. 4. 2.

CAPUT OCTAVUM.

Parochus animarum salutem impedientes coarguat, & publicis resistat peccatis.

Animarum Rector gregum pastores imitari debet. Grex autem à suo pastore non tantùm victum quærit, & pascua, sed etiam à luporum incursibus defendi. Propterea cum illis Parocho acriter, ac strenuè decertandum, qui 59

instar

Digitized by Google

instar luporum in Parochia oves Christi ad præcipitia perducunt, qui ovibus nocent exemplo, vel doctrina. Utrumque enim, pascere nempe gregem, & cum rapacibus feris pugnare, munus est Pastoris. Unde latratu canum, & baculo Pastoris rabies frænatur luporum.

a 1. Reg. 17.34. 60 Ad exemplum Pastoris David dicentis: [a] *Pascebat servus tuus patris sui gregem, & veniebat leo, vel ursus, & tollebat arietem de medio gregis: & persequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum.* Insectatur Chrysost. negligentiam Parochorum: [b] *Qualem excusationem habebunt ii, quibus rationales greges crediti sunt, & magnam præ se ferunt negligentiam, & quotidie juxta Prophetam pecudes alias mactant, alias à bestiis captas contemnunt; alias verò ab aliis raptas reducere non curant?*

b lib.2. sacerd.

61 In eo enim Pastor à mercenario secernitur, quia tempore tranquillitatis uterque stat ad custodiam gregis: at verò tempore contradictionis, [c] *Cùm mercenarius videt lupum venientem, dimittit oves, & fugit, quia mercenarius est.* Aug. [d] *Non fugit, corpore, quia Ecclesiam non deserit, nec abit aliò; sed fugit animo, quia cùm præsens sit corpore, animo cadit, vitiis medicinam non adhibet, oviumque mores non corrigit.* Verus autem Pastor peccatis maximè publicis se opponit, peccantium insolentiam compescit; & quia spiritualem ovium suarum salutem plus amat, quàm quodvis temporale commodum, nullas potentium minas extimescit, nulla formidat pericula paratus dare animã suam pro ovibus suis.

c Ioan. 10 12.

d Serm. 49.

62 Ne comprehendatur sub illa Dei comminatione facta ad [e] Prophetam de pastoribus Israel: *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini.* Nam *hoc ascendere ex adverso est;* inquit Greg. [f] *ascendere ad defensionem gregis, voce libera contrariis potestatibus contraire, stare in prælio. Pastorem enim timuisse, quid est aliud, quàm tacendo terga præbuisse? Qui nimirum se pro grege objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.* Ut autem constanti animo se opponat peccatis publicis, abusus publicos exterminet; cogitet se participem fieri talium delictorum: quia quoties potest, & humano aliquo respectu, vel inani timore ea vel non corrigit, vel non arguit, eorum particeps redditur: nam error, cui ab eo non resistitur, qui debet, & potest, approbatur, ut docet idem D. Greg. estque certa Theologorum doctrina.

e Ezech. 13.5.

f 2. p. Past. c. 4.

63 Hanc Pastorum obligationem Christus Dominus significavit, cùm illos ad dandam vitam pro ovibus obligavit. [g] Ac si dixisset: Ut animæ salvæ fiant, omnia facere debet Pastor, nihil intentatum relinquere, omnia pati, omnia contemnere, vitam etiam ipsam, ut Christus ipse, qui suo præivit exemplo. Ad hoc vocatur, qui animarum curam suscipit: tales se præbuerunt sancti Pastores, qui jam cum Christo regnant. Et si aliquando bonus Parochus alicujus tribulationis particeps fiet pro sui muneris officio, id summæ gratiæ loco habeat, ut fecerunt veri Pastores, qui sanguine suo, & honoris dispendio animarum sibi commissarum salutem procurarunt.

g Ioan. 10.

64 Audiat Cyprian. in hac materia sic loquentem: [h] *Lecta epistola tua, frater, satis miratus sum, cùm animadvertissem te minis ac terroribus eorum, qui venerant, aliquantulum esse commotum; cùm te aggressi essent cum summa desperatione comminantes. Quòd si ita res est, ut nequissimorum timeatur audacia, quod alii jure, & æquitate non possunt; temeritate, atque desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia sublimi, ac Divina potestate; nec Christiani ultrà aut durare, aut se possunt, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, aut insidias pertimescamus. Manere debet apud nos fidei robur immobile, stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incursus, atque impetus oblatrantium fluctuum. Nec interest unde Episcopo aut terror, aut periculum veniat, qui terroribus, & periculis vivit obnoxius: & tamen fit de ipsis terroribus & periculis gloriosus. Nihil interest quis tradat, aut sæviat, cùm Deus tradi permittat, quos disponit coronari. Neque nobis ignominia est pati à fratribus, quòd passus est Christus.* Ita Cyprian. qui licèt de Episcopis loquatur, eadem est ratio de aliis inferioribus animarum Rectoribus.

h Epist. ad Cornel.

65 Audiat etiam Bonav. monentem animarum curatorem, [i] *ut in hoc ostendat quantum diligat Deum, ut ejus beneplacitum in se, & in aliis promoveat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, nec labore lassetur, nec consiliis flectatur, nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blandimentis deleniatur, nec minis terreatur, nec per diurna pravæ consuetudinis præscriptionem desperet, quin suum officium exequatur.*

i de sex alis c. 3.

Ha-

Habeat pro exemplari Ambrosii fortitudinem, tum in Theodosii Imperatoris crimine tam liberè arguendo, & castigando, tum in frangendis, & comprimendis conatibus Justinæ conjugis in protegendis Arianis. Quid ad hæc Parochus, qui non audet reprehendere, & severè monere unum protervum suæ Parochiæ aliqualiter ditiorem? Hinc saltem consuluendum, si non audet officium suum exequi, admoneat Episcopum, ut ovem errantem reducat; & in rebus majoris momenti optimum erit Episcopi consilium requirere.

CAPUT NONUM.

Parochus peccati gravitatem sæpè in sua prædicatione inculcet.

66 QUia Trident. sæpè adductum pro materia prædicationis Parocho assignat primo loco vitia, quæ declinare oportet. Hoc unum sit maximè proprium suæ prædicationis; populum in sancto Dei timore continere, ut timeat peccata, quibus Deus & offenditur, & perditur. Hoc enim cum zelo benè inculcato, virtutes, quas sectari oportet, etiam inculcabit; nam vitiis, & peccatis destructis virtutes contrarias plantari necesse erit.

67 Igitur gravitatem peccati inculcabit 1. ex Dei per illud offensi excellentia, & dignitate. Est enim Deus summè bonus, ac proinde dignissimus summo amore, ac honore, quem Beati, qui illum perfectè cognoscunt, toto corde amant, nec possunt non amare. Hunc autem Deum tam amabilem homines nihili facimus, dum loco debiti amoris, injurias peccando irrogamus: continet enim peccatum Dei offensam, & injuriam; quæ tantò solet esse major, quantò excellentior est persona offensa. Cùm ergo Deus offensus sit infinitè excellens, peccatum est injuria infinita; quam nullus homo per gratiam quamlibet adjutus potest ad æqualitatem compensare, quia estò sit sanctissimus, ejus opera sunt finiti valoris, quæ infinitati offensæ satisfacere non possunt, ut latè probant Theologi cum
a 3. p. q. 1. a. 2. ad 2. Divo [a] Thom.

68 Est prætereà Deus immensus, ubique præsens, cujus conspectum peccans fugere non potest; unde injuriam facit Deo in ipsius præsentiam, cujus ratio inde aggravatur: sicut enim graviorem Regi injuriam quis efficeret, si ipso præsente illam committeret; ita gravior est peccati commissi in Dei conspectu, quod maximè dolebat David, quando dicebat: [b] *Tibi soli peccavi,* b Ps. 50. 5.
& malum coram te feci. Ac si diceret, eò pervenit iniquitas mea, ut non solùm ausus sim tibi injuriam irrogare, sed ante oculos tuos illam commiserim.

69 Est denique Deus omnipotens, qui omnibus rebus dat esse, & operari, ita ut nulla habeat esse sine illo, nulla sit operatio ipso simul non cooperante. Igitur homo, dum peccat, abutitur suo esse, & suis potentiis, quas ad benè operandum accepit; imò abutitur Dei cooperatione, eam servire faciens suis cupiditatibus, & instrumenta à Deo accepta ad eum honorandum, convertit in instrumenta offendendi Creatorem.

78 Inculcabit 2. eamdem gravitatem ex beneficiis à liberali Dei manu acceptis: ipse enim Deus hominem creavit, conservat, sustentat, & gubernat. Quid pro tantis beneficiis Deo reddit? injurias, & offensas. Meritò igitur Parochus dicet populo suo, quod Moyses Israeli: [c] *Haccine reddis Domino popule stulte & insipiens? Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Si hominum beneficia impellunt ad amandos, & honorandos benefactores; cur Deum, qui solus est author omnium beneficiorum, ita per tot peccata contemnimus, & dehonestamus? c Deut. 32. 6.

71 Ipse redemit nos sanguine suo, nos vita sua pretiosissima pluris faciens; ipse eruit nos ex inferno, ex quo nullus alius eruere poterat; aperuit nobis cœlum, quod clauserat primus parens; ipse est Pater, Pastor, medicus, magister, & salvator noster; & hunc Deum tantorum beneficiorum authorem peccatis nostris iterùm [d] crucifigimus: sanguinem ejus spernimus, & conculcamus; cœlum ab ipso apertum claudimus; & infernum ab ipso occlusum aperimus. O amenia, & stultitia! d Heb. 16. 6.

72 Ipse sanctificavit nos, & posteà per sacramenta ad id ab eo instituta, per Spiritus sancti inspirationes internas, & auxilia gratiæ toties oblata. Quæ cùm ita sint; quomodo audet homo miser Deum tam beneficum offendere?

Qua-

Digitized by Google

Quare non dicit cum sancto Joseph
e Gen. 39. 9. quando se offert occasio peccandi : [e]
Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? Dicat ergo sal-
f 1. Reg. 24. 18. tem cum lacrymis. [f] *Iustior tu es quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona: ego autem reddidi tibi mala.*

73 Inculcabit tertiò eamdem gravitatem ex vilitate hominis, proponen-
g Gen. 3. 19. do quanta sit ejus vilitas. [g] Terra enim
h Isai. 40. 6. est, & in terram convertetur: [h] *fœnum, & flos agri*, qui hodie est, & cras dispare-
i Iacob. 4. 15. bit; [i] *quasi vapor ad modicum parens.* [l] *Vm-*
l Iob. 14. 1. *bra fugiens, brevi vivens tempore: repletur multis miseriis*, & immuneris necessitatibus obnoxius: totus quasi ulcus, unde sanies effluit, putredo, infirmitates, & dolores. Et hic tam vilis homo Deum illum, à quo solo juvari potest, & sanari, tam audacter offendit! Si offensa crescit ex vilitate offendentis, quàm gravis erit offensa peccati ex vilitate hominis peccantis?

74 Quamvis autem anima hominis nobilis sit, respectu Dei ferè nihil est.
m Ps. 38. 6. Unde dicebat David: [m] *Substantia mea tamquam nihilum ante te:* Et certè in nihilum, ex quo fuit creata, abiret, nisi à Deo perpetuò conservaretur. Est igitur comparatione Dei multò minùs, quàm formicula ad gigantem comparata. Sic Spiritus sanctus per Prophetam:
n Isai. 40. 17. [n] *Omnes Gentes quasi non sint, & quasi nihilum & inane reputata sunt ei.* Idest, ita sunt, ac si non essent. Et per Sapientem:
o Sap. 11. 23. [o] *Tamquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.* Quid ergo erit quilibet homo, si omnes, & omnia creata nihil ferè sunt. Cur ergo tantillus non veretur Deum offendere, & ad iram provocare, qui illicò eum potest perdere in gehennam?

75 Inculcabit 4. eamdem gravitatem ex vilitate rei, propter quam Deus offenditur, sive sit brevis voluptas, sive lucrum temporale, sive aura popularis honoris, & reputationis. Hos enim deos sibi peccator fabricat, hos adorat Judæis deterior, qui si Barabbam Christo anteposuerunt; ille viliorem rem præponit. Quod admiratus Jerem. di-
p Ierem. 2. 12. xit: [p] *Obstupescite cœli, & portæ ejus desolamini. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Alludens ad duas deformitates peccati, aversionem, scilicet, à Deo, quem homo peccando deserit; & conversionem ad rem creatam, ob quam peccat, ad quam convertitur, eam pluris æstimando, quàm Deum ipsum, pejus se habendo, quàm reprobus [q] Esau, qui primogenita sua q Gen. 27.
vendidit pro lentis edulio. Quomodo terra sustinet hominem tam ingratum? Quare illum non absorbet, sicut Da- r Num. 16.
than, & Abiron? [f] Cur non armat Deus f Ps. 105. 17.
omnes creaturas ad ultionem hominis, qui Deum privat honore finis ultimi, quem ponit in vilissima creatura?

76 Inculcabit 5. eamdem gravitatem ex pœnis peccato debitis. Certè omnes calamitates, infirmitates, & dolores, quos in hac vita patimur, effectus sunt peccati: peccatum verò est malum multò majus omnibus pœnis, quas pati possumus. 1. Quia pœnæ privant hominem bono aliquo creato, & finito; peccatum autem privat bono infinito, nempè Deo; & sicut Deus solus est absolutè bonus; ita illud solum est absolutè malum, quod privat Deo: unde quilibet dicere debet cum Eleazaro [t] præ- t 2. Mach. 6. 8.
mitti se malle in Infernum quàm prævaricari legem Dei. 2. quia pœnæ adhibentur à Deo in medicinam peccati: nullus autem medicus sapiens infert majus malum ad curandam minus.

77 Et quamvis in hac vita multas patiatur homo pœnas, afflictiones, & miserias; omnes simul nec computantur in partem supplicii uni peccato debiti, sed in integrum puniendus est in Inferno per totam æternitatem, & quidem justissimè; quia cùm peccatum sit infinitum ex infinita dignitate Dei offensi, debet pœna esse modo aliquo infinita saltem in duratione. Talis erit pœna Inferni, quę duplex erit. Altera dicitur pœna damni, & est carentia Dei, qui est vera hominis beatitudo: altera pœna sensus, ignis, sulphuris, & similes afflictivæ omnium sensuum, & potentiarum, ad quarum comparationem omnes, quas in hac vita pati possumus, umbra videri debent.

78 Tamdem gravitatem inculcabit ab exemplo Christi. Nam si [u] *in ligno vi-* u Luc. 23. 31.
ridi talia facta sunt, & filius Dei tanta passus est, quanta legimus in Euangelio, pro expiandis peccatis alienis, *in arido quid fiet?* Quantum reservabitur peccatori? Repræsentabit igitur bonus Parochus Christum Dominum per omnes passionis suæ partes pro suo populo exol-

exolventem, variosque in illo excitabit affectus, modò timoris à tanta severitate judicii: modò compunctionis, quòd causa extiterit tormentorum Christi: modò vindictæ, & pœnitentiæ; & certos Domini cruciatus applicabit certis peccatorum speciebus, tamquam pro illis inflictos, v. c. fel, & acetum pro gula; flagella pro carnis libidino; coronam spineam pro superbiæ, & vanitate, & sic de aliis.

CAPUT DECIMUM.

Tandem peccati gravitatem inculcabit ab exemplis.

79 Multa sunt exempla in Scriptura, quibus Parochus uti potest ad declarandam gravitatem peccati, & timorem incutiendum, ne committatur. Nimirum Pharaonis, [a] qui post tot plagas tamdem in mare submersus est cum suo exercitu, quia Deo castiganti non obedivit. [b] Nabuchodonosoris à regno, hominumque commercio expulsi, ut inter feras quasi bestia ageret. Dathan, [c] & Abiron, quos terra vivos absorbuit. civitatum [d] infamium, quas ignis è cœlo missus absumpsit. Diluvii universalis, [e] quo Deus omnes homines tunc viventes delevit, octo justis exceptis. Multa etiam sunt in historiis authenticis, quibus uti potest assumendo modo unum, modò aliud. Exemplis enim populus maximè movetur ad sanctum Dei timorem concipiendum. Nos duo attingemus.

a Exod. 14.
b Dan. 4.
c Num. 16.
d Gen. 19.
e Gen. 7.

80 Primùm sit de peccato Luciferi, & angelorum sequacium. Ad quod ponderabit qualis fuerit Angelus creatus. De illo enim ait [f] Scriptura; *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore, in deliciis paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum.* Hoc est creatus fuit purus spiritus absque ulla corporis admixtione, mortis incapax, mira intelligendi perspicuitate, ac ingenii subtilitate ornatus, præditus omni scientia, potens super omnes creaturas, sanctus à donis gratiæ, incola cœli Empyrei, capax videndi Deum, illoque fruendi, quod certissime assequeretur, si perstitisset sine peccato, ut boni Angeli perstiterunt.

f Ezech. 28. 12.

81 Hic verò ingratus spiritus ex ipsis donis accepit ruinæ occasionem, ut ait Scriptura: [g] *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Et in momento è cœlo deturbatus est; nec ullus relictus est locus pœnitentiæ ad hominum instructionem teste D. Petro: [h] *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos;* quantò magis nos? Idest si angelos tam nobiles, qui ausi sunt in Deum rebellare, sic Deus in infernum detrusit in æternum cruciandos, quid faciet vilibus hominibus, qui eadem temeritate peccare audent?

g Ezech. 28. 17.
h 2. Pet. 2. 4.

82 Ponderabit igitur, & applicabit hæc tria ad suas oves. Nempè bona, quæ à Deo acceperunt; ingratitudinem ab ipsis exhibitam, abusumque donorum, & promeritam ultionem tantò magis, quòd non unum peccatum, ut Angelus, sed plurima commiserunt, non cogitatione tantùm, ut ille, sed verbo, & opere: neque in uno genere, ut Angelus, sed in multis. Et quod maximum est, contra Christi sanguinem, quo redemptæ sunt, & sanctificatæ, quod Angelis non contigit. Concutiat ergo po pulum suum debito timore ex periculo, exaggeret patientiam Dei in expectando tamdiu pœnitentiam.

83 Secundum exemplum sit de peccato primi Parentis, in quo, præter alia, tria ponderabit. 1. qualis fuerit creatus, nempè ad imaginem, & similitudinem ipsiusmet Dei, ornatus gratia sanctificante, qua constituebatur Dei filius per adoptionem; & justitia originali, qua appetitus plenè subjectus erat rationi; immortalis, ita ut ex Dei beneficio mori non posset; immunis ab ærumnis, molestiis, & pœnis, quas nunc patimur; dominus creaturarum, & perfecta illarum cognitione imbutus, in loco deliciarum constitutus, transferendus tandem in cœlum cum corpore glorificato ad Deum videndum clarè.

84 Ponderabit secundò, quàm Deo ingratus extiterit. Nam Heva obedivit serpenti promittenti contra Dei comminationem nequaquam se morituros, sed futuros sicut Deos scientes bonum, & malum, si comederent de fructu vetito: Adam, quem saltem oportebat sapere, indulsit mulieri, & gustavit contra Dei præceptum.

85 Ponderabit tertiò, quæ pœnæ inde fuerint secutę. 1. uterque enim spoliatus fuit gratia adoptionis, & filiatione divi-

divina, & mansit Deo inimicus, invisus, & odiosus. Secundò. Exutus fuit justitia originali rebellante appetitu contra rationem. Tertiò. Factus est obnoxius morti, tot, tantisque miseriis, quot eorum filii cum damno nostro experimur: nascimur enim filii iræ, quia in Adamo peccante peccavimus, ex quo peccato tamquam ex fonte pullularunt quotquot à nobis committuntur. Quartò. Omnes facti sumus rei damnationis æternæ; & terra ipsa propter hominem peccantem fuit à Deo maledicta.

86 Expendet deinde quomodo quilibet adstantium similiter diaboli tentationibus circumveniri se sæpissimè passus sit, carne ut altera Heva, spiritum pelliceme, quodque per superbiam Dei similitudinem affectarit arrogans sibi non sua, sed Dei. Et quod tamdem pro una Adæ inobedientia quilibet innumerabiles admiserit. Unde consequens esse debere, quòd saltem sicut Adam diuturnam valde pœnitentiam egit toto vitæ tempore, quam extraxit ad nongentos annos; ita illius exemplo quilibet eamdem agat à Domino supplicando, ut hìc feriat, urat, & secet, dummodò in æternum parcat, sicut pepercit Adæ post ejus pœnitentiam, *Quem Deus eduxit à delicto suo*. Ut dicitur in Sap. [i] ad quod requiritur pœnitentia, & emendatio.

i Sap. 10. 2.

87 Ad hanc pœnitentiam persuadendam proponat Inferni pœnas, faciatque considerare in eo esse plurimos, qui ob unum aliquod peccatum mortale pœnas æternas luunt; & aliquos, qui aliquando piè, ac sanctè vixerunt, sed per remissionem in peccatum lapsi in eo mori permissi sunt justo Dei judicio, & delinquentes in uno, facti sunt [l] omnium rei, hoc est perinde damnationi addicti, quamvis non pari supplicio.

l Iacob. 2. 10.

88 Hoc idem cuilibet potest contingere, qui sæpiùs peccavit, & Infernum per singula promeruit; quod autem aliter evenerit, non propriis meritis, sed Dei bonitati adscribendum: unde gratias incessanter agere quilibet debet Deo pro tanta misericordia, & firmiter statuere non abuti ampliùs ejus patientia, & hactenus commissa per debitam pœnitentiam expiare, dum tempus datur.

89 Expendat quòd præservatum esse à damnatione quemlibet, qui illam per unum peccatum meruerat, perinde est, ac ex Inferno ipso fuisse ereptum. Unde dicere potest cum David: [m] *Confitebor tibi Domine, quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex Inferno inferiori.* Quia scilicet cùm potuerit justissimè ad Infernum detrudere, misericorditer abstinuit. Jam verò si quis inde ereptus fuisset, locusque pœnitentiæ datus esset, ut nobis datur, qualem, & quantam libentissimè peregeret? Quam se gratum in futurum exhiberet? Quare qui se prædicto modo credit extractum non semel, sed quoties peccavit, similiter facere debet, ne Deum ad majorem iracundiam provocet.

m Ps. 85. 13.

90 Proponat multitudinem peccatorum, de quibus quemlibet conscientia accusat, addatque præter illa cuilibet nota, multa esse incognita, pro quibus David sic orabat: [n] *Ab occultis meis munda me.* Quæ nos effugiunt per oblivionem, vel ob subtilitatem, ut interni motus superbiæ, odii, vindictæ, luxuriæ &c. vel ex ignorantia, & circumventione inimici per speciem boni operis. Ex omnibus ergo colligat quis numerum immensum, dicatque verissimè: [o] *Super capillos capitis mei multiplicata sunt iniquitates meæ.* Et suadeat, ut quilibet laudet Dei patientiam, qui non unam, aut alteram injuriam, quod homines vix faciunt, sed innumerabiles à se tanto Deo factas sustineat.

n Ps. 18. 13.

o Ps. 39. 13.

91 Si verò quodvis peccatum est instar lapis molaris, quo quis deprimitur in abyssum; quantum deprimment tot, tamque pergrandes? Nectitur ex tot peccatis quædam veluti catena ferrea ad Infernum usque pertingens, qua peccator constrictus illuc pertrahitur pondere ipso, sicut Lucifer cum suis è cœlo detractus est rudentibus Inferni, ut ait D. Petrus. [p] Hæc enim, & similes comparationes, quæ verissimæ sunt, rem declarant, & adjuvante Deo disponunt ad odium peccati, ad verum dolorem de illo, ad vitæque emendationem, quam bonus Parochus ante oculos habere debet.

p 2. Pet. 2. 4.

CA-

CAPUT XI.

Utatur frequenter memoria mortis, ut populum contineat.

92 MEmoria [a] novissimorum, teste Spiritu sancto, est medium efficax ad fugienda peccata. Hoc igitur utatur frequenter Parochus, ut populum in Dei lege contineat. Modò proponat unum, modò aliud. Nunc consideret aliquid ex uno, nunc ex alio, & semper habebit materiam prædicationis utilissimæ absque multo labore.

a Eccles. 7. 40.

93 Circa mortem occurrit primò, quòd sit certa, & inevitabilis, ita ut Deus præfinierit [b] diem, & horam, quæ præteriri non poterit. Unde oportet totam vitam ponere in servitio Dei, à quo vita per momenta pendet. Aliquando anticipatur tempus, quod secundùm causas naturales prorogandum fuerat vel ex Dei benignitate, [c] ne malitia mutet intellectum; vel in pœnam peccatorum juxta illud: [d] *Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos.*

b Iob. 14. c Sap. 4. 11. d Ps. 54. 24.

94 Secundò, quòd mortis dies, locus, & modus lateant. Hoc tantùm scimus, quòd veniet tamquam fur, Deo ita ordinante, ut semper vigilemus, ne nos imparatos inveniat: ut Christus monuit: [e] *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Et alibi: [f] *Estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Proponat igitur casus auditos, vel etiam visos mortis repentinæ, per quos quilibet moneatur simile sibi posse accidere. Et quis erit, qui hac cogitatione armatus ausit vel ad horam in peccato permanere?

e Math. 25. 13. f Luc. 12. 40.

95 Tertiò, quòd semel tantùm datur mori. [g] *Statutum enim est omnibus hominibus semel mori.* Unde si quis malè moriatur, remedio carebit in omnem æternitatem, sicut contrà absque omni periculo est mors semel obita in Dei gratia. [h] *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem; in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Qui locus de morte intelligitur, & de statu, in quo quis in ea repertus fuerit. Hinc seriò deducat, quàm insanus sit, qui ista pro certissimis habens, incurius suæ salutis vivit; faciatque, ut quisquis recogitet, quid secum foret, si mors pro tunc obreperet.

g Heb. 11. 27. h Eccl. 11. 3.

96 Quartò, quòd præterita maximè affligent, in primis peccata, quæ quasi agmine facto obsidebunt animam, ac importunè se ingerent, ut impleatur illud: [i] *Circumdederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbaverunt me: praeoccupaverunt me laquei mortis.* 2. occurret jactura temporis in rebus vanis, & inutilibus, pro quibus poterant multa merita acquiri. 3. neglectus mediorum, præsertim Sacramentorum, quibus potuit juvari, si illa frequentaret. 4. tunc proposita concipiet benè vivendi, quando copia vivendi non dabitur; quę fortè erunt inutilia, quia concepta ex necessitate, ac proinde non sincera, ut fuerunt illa Antiochi Regis iniquissimi, de quo ita Scriptura: [l] *Orabat scelestus hic Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* 5. tunc revelabuntur fraudes, quibus nunc unusquisque circumvenitur à mundo, & à diabolo, patebitque, quamvis serò, vanissima esse, quæ modò deperimus. Ex quibus inferat oportere nunc sapere, & vigilare.

i Ps. 17. 5. l 2. Mach. 9. 13.

97 Quintò, quòd præsentia etiam affligent, quia non deseritur sine dolore quod cum amore possidetur. 1. bona externa juxta illud: [m] *O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis.* Et magis si cum peccato fuerunt acquisita. [n] *Quia panis ejus in utero illius vertetur in fel: divitias, quas devoravit, evomet.* Secundò, personæ conjunctæ, & charæ, à quibus divellendus est. Tertiò, corpus ipsum antiqua, & arcta societate cum anima conjunctum, & omnia, quibus cum corpore fruimur, in perpetuum sunt relinquenda. Commendet ergo, ut quilibet videat, an horum aliqua inordinatè diligat, consulatque nunc potiùs illis moriendum, quàm cùm sunt necessariò deserenda, absurdumque esse ob ea, quæ paulò pòst amittenda sunt, vitam æternam in discrimen adducere.

m Eccl. 41. 1. n Iob. 20. 14.

98 Sextò, affligent futura, sicut cùm quis jam expectat sententiam definitivam, in qua de vita agitur, nec satis constat de eventu. Hic à fortiori timendum, ubi agitur de vita beata, aut damnatione æterna. Et sententia erit irrevocabilis, & tam incerta, ut nec justus sciat, [o] *Utrùm amore, vel odio dignus sit.* Et quamvis moriturus nihil sibi conscius sit, non tamen in hoc justificatus erit, ut de se dicebat [p] Apostolus. Exhortetur ergo omnes, ut ita vivant, ut tunc vellent vixisse.

o Eccl. 9. 1. p 1. Cor. 4. 4.

99 Proponat quale maneat corpus sine

ne motu, & sensibus, pallidum, deforme, fœtidum, mox in corruptionem vergens, ita ut sit horrori, quod anteà delectabat, & qui magis amabant, è domo efferri curent. Pro vestibus pretiosis linteum, quo involvitur: pro lecto humus: pro domo ampla fossa septempedalis, ubi socios habebit tineam, vermes, ac putredinem, dicente Propheta: [q] *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Considerent igitur cui inserviant, quid foveant, & ornent, nempè carnem putridam, propter quam animam, & tamdem corpus ipsum in æternas inferni flammas projiciunt. Exaggeret imprudentiam eorum, qui ob delicias tam putridi corporis salutem perdunt. Commendet, ut fugiant vanos honores, jactantiam, & contemptum aliorum, quando omnes futuri sunt post mortem æquales.

q Isai. 14. 11.

100 Si homo hanc mortis memoriam frequenter haberet, eamque singulis horis expectaret, peccata quidem evitaret, & salutem non adduceret in discrimen. Sed nemo est, qui sibi longam vitam non promittat, cùm fortè dies illa sit suprema taxante D. Jacobo [r] eos, qui audent dicere: *Cras hoc, vel illud faciam.* Exemplum est in divite [s] Evangelii, qui tripliciter deceptus est. Primò, quia sibi vitam largam promittebat, cùm dies illa esset ultima. Secundò, quia cogitabat sibi quietam, ac diuturnam bonorum usuram dicens: *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.* Tertiò, quia de solis bonis corporis solicitus supina negligentia salutis; & bonorum æternorum laborabat.

r Jacob. 4. 14.
s Luc. 12. 19.

101 Multa sunt damna hujus oblivionis. Primò, quòd serò cognoscitur error, quando nempè jam remedium non subest. Unde stulti [t] semeptipsos insensatos confitentur. Et diviti dicitur: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te.* Summa ergo stultitia est mortis oblivio. Secundò, quia tales noctu abripiuntur è vita, hoc est, in ipsis tenebris peccati, ut ab interioribus ac temporaneis transeant ad exteriores, & æternas. Tertiò, quòd inviti moriuntur, quare dicitur: *Animam repetunt à te.* Mali scilicet dæmones. Quartò, *Quæ autem parasti, cujus erunt?* Hoc postremum hujus oblivionis damnum, quod quasi semper victuri non prospiciunt in futurum. Tua certè non erunt. Diviti enim dicitur: [u] *Cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Summa insania curare de solis temporalibus, quæ relinquenda sunt illis fortè, qui nullam de te memoriam habebunt, nec brevem orationem pro anima tua recitabunt. Quid de te, si pro illis acquirendis animam damnasti?

t Luc. 12. 20.
u Psal. 48. 18.

CAPUT XII.

De particulari judicio statim in puncto mortis.

HOc est secundum novissimum. Cujus memoria multum juvat ad non peccandum. Proponat igitur Parochus personas intervenientes in hoc judicio. 102
Primò, erit anima judicanda exuta corpore, iisque, quæ corpus comitantur. Unde æquales erunt rusticus, & nobilis; doctus, ac indoctus, quibus sola proderunt bona opera. Secundò, Angelus custos, & malus diverso affectu pro diversa animæ conditione: nam bonæ applaudet bonus, & malus mœrebit: è contra, si mala sit. Tertiò, assidebit judex Deus invisibiliter quidem, sed certis signis præsentiam manifestans, infinitè sapiens, justus, & potens, à quo non datur appellatio; & ante oculos ponentur omnia opera, ita enim aperietur liber conscientiæ, & actionum, ut non sit locus tergiversationi. Quis hæc considerans salutarem timorem non concipiet, ut ita vivat, qualis tunc vellet inveniri?

103 Tempus hujus judicii est momentum illud, quo anima à corpore solvitur. In eo accusatio, sententia, & executio perficiuntur. O Momentum æternitatis principium, sive gloriæ, sive pœnæ æternæ! Cur non semper eris in memoria fidelium, ut illos contineas in sancto Dei timore? Locus est ille idem, in quo homo mortuus est. Accusatores erunt tres. Primò, diabolus, qui per excellentiam dicitur: [x] *Accusator fratrum.* Hic accusabit de iis, quæ ipsius instinctu peccavimus; & cùm actus nostros internos non percipiat, affirmabit plura ex conjecturis, vel etiam ex malitia. Secundò, propria conscientia, & hæc erit pro mille testibus, quæ accusabit sine replica. Tertiò, erit quodammodo ipse Angelus custos,

x Apoc. 12. 10.

Digitized by Google

stos, cujus monita sprevimus, & officiis ingrati fuimus.

104 Examen erit accuratissimum usque ad verbum otiosum, nec de commissis tantùm, sed etiam de omissis, ac de mediis non adhibitis, de inspirationibus neglectis, de beneficiis posthabitis, tam communibus, quàm particularibus, ac de ipsis etiam circumstantiis bonorum operum, quò pertinet illud: [b] *Ego justitias judicabo.* Fiet hoc examen cum tanta claritate, ut anima conspiciat omnia mala sua, & tunc gravitatem illorum æstimabit, & quæ pro peccatis non habuit, aut non advertit, vel oblita est, repræsentabuntur, ut fuerunt. [c] *Nam in tempore illo*, ait Dominus, *scrutabor Jerusalem in lucernis*. Non Babylonem tantùm, hoc est, peccatores, sed & Jerusalem, seu justos ipsos. [d] *Itaque opera illorum sequuntur illos*. Quare ergo sic obliviscimur sanctorum operum, quæ sola erunt nostræ divitiæ? Quare aliis inhiamus?

b Ps. 74.3.

c Sophon. 1.12.

d Apoc. 14. 13.

105 Facto examine anima damnanda expoliabitur donis supernaturalibus, quæ residua erant, ad eum modum, quò degradatus sacerdos justitiæ sæculari tradendus ad comburendum tamquam indignus munere; & dignitate sacerdotali, sacræque vestes detrahuntur ad insignem ignominiam. Secundò, donum fidei ab ea auferetur, quia non curavit vitam agere fidei suæ conformem. Tertiò, auferetur donum spei, quia media neglexit, per quæ debuerat ad cœlestem gloriam aspirare. Unicus manebit character Baptismi, & si quem alium accepit, ut appareat à qua conditione exciderit, illudaturque ab infidelibus; quia cùm posuerit tanti ædificii fundamentum, non voluit consummare. Et implebitur illud Prophetæ: [e] *Denudabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloriæ tuæ, & dimittent te nudam, & ignominia plenam, & revelabitur ignominia fornicationum tuarum.*

e Ezech. 23.26.

106 Sententia in animam peccatricem: [f] *Discede à me maledicta in ignem æternum.* Et in ipso momento destituetur Dei providentia, qua etiam peccatores illuc usque Deus prosequitur. Deseretur etiam ab Angelo custode illud usurpante: [g] *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Utique in manu sævissimi dæmonis, qui eam cum tripudio è lecto delicato, & corona amicorum in puncto ad infernum deportabit. Quid tam subita, & dispar conditio, rerumque omnium permutatio in anima infelici causabit?

f Matth. 25.41.

g Jerem. 51.9.

107 Sententia pro anima justa. [h] *Venite benedicta Patris mei, percipe regnum, quod tibi paratum est ab origine mundi.* [i] *Euge serve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Suscipiet eam Angelus, ac in cœlum deducet, nisi fuerit purganda, quia tunc ab ipso Angelo deducetur in Purgatorium. In illo autem primo ingressu paradisi, & quasi occursu torrentis voluptatis qualiter afficietur anima? O verè pretiosa mors sanctorum in conspectu Dei! [l] *Mors autem peccatorum pessima.* Quoniam verò in hoc judicio non est locus patrociniis; nunc patrocinia quærenda sunt, solicitando B. Virginem, & alios Sanctos amicos Dei, & benè operando; opera enim sunt vera patrocinia, quæ nos liberabunt ab angustiis illius judicii.

h Matth. 25.34.

i Matth. 25.21.

l Ps. 33.22.

CAPUT XIII.

De judicio universali à Parocho inculcando.

108 Quamvis unusquisque in judicio particulari judicatus fuerit juxta merita propria; omnes tamen comparebimus simul ante Christi tribunal in die judicii universalis. Primò, ut sententia lata in judicio particulari, ejusque æquitas innotescat mundo universo, & suppleatur, quod defuit; nam de corpore ibi nihil fuit determinatum, & post illud fortè contigit damnati hominis corpus fuisse in honore; beati verò ignominiosè tractatum: debet autem participare gloriæ, aut pœnæ, prout in hac vita servivit animæ ad justitiam, aut iniquitatem. Secundò, ut justis honor coram omnibus habeatur, qui fortè in hac vita fuerunt contempti, ac in primis ut justificetur Deus in judiciis suis, qui justos premi nunc, malos autem exaltari permittit; quod sapientissimè fuisse dispositum dies illa manifestabit. Tertiò, ut impii videant gloriam Christi, illi præsertim, qui eum viderunt humiliatum, ideoque judicium constituetur in valle Josaphat circa Jerusalem, & montem Olivarum, ubi crucifixus fuit, ut ibidem videant descendentem cum majestate magna.

109 Diem hanc plurima præcedent signa.

Digitized by Google

signa. Nam omnem creaturam armabit Deus ad ultionem. (a Sap. 5. 21.) [a] *Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos*. Et meritò, quia omnibus abusi sunt peccatores: (b Matth. 24. 29.) [b] *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum*, sed convertetur in sanguinem. *Stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur: erunt terræmotus, terroresque de cœlo:* mare rugiet, arescent homines præ timore, & expectatione impendentium malorum, quia obscuratio solis prætendet tenebras æternas: suffusa sanguine luna iram judicis implacabilem: cadentes stellæ præcipitationes in abyssum: fremitus maris, apertique terræ hiatus, & omnium confusio elementorum imaginem referent furientium dæmonum in capita hominum, & infernale chaos repræsentabunt, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Arescet autem impius præ timore exsiccante ossa tristitia ex conscientia factorum. At electi cum timore simul fiduciam habebunt. (c Luc. 21. 28.) [c] Respicient enim, & levabunt capita sua, quia appropinquat eorum redemptio.

110 Post hæc sequetur mundi conflagratio, de qua D. Petrus: (d 2 Petr. 3. 10) [d] *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Nempe plantæ, animalia, homines residui, & quidquid ad usum, & luxum humana fecit industria, palatia, moles, urbes, amœnitates. (e Ioel. 2. 3.) Nam ut ait Ioel. [e] *Ante faciem ejus ignis vorans, & post eum flamma exurens: quasi hortus voluptatis terra coram eo, & post eum solitudo deserti, neque est qui effugiat eum*. Ignis iste cruciabit malos, justi autem per illum purgabuntur. Permanebit autem usque ad finem judicii, etiam resurrectione facta, & in corpora damnatorum sæviet ante sententiã, ea autem pronunciata tanquam fluvius rapidus trahet eos secum in tartara: at verò justorum corpora resuscitata non poterit lędere (f Ps. 28. 7.) [f] *Deo intercidente flammã ignis*.

111 Post universalem mundi conflagrationem sequetur resurrectio ad vocem Archangeli vocantis ad judicium, ad quam comparebunt omnes magni, & parvi, corporibus momento formatis, animæ è cœlo & inferis revocatæ unientur. O vocem potentem, malisque terribilem! Quid remedii, ut illam tunc læti excipiamus? Hoc est unicum, audire modò Deum vocantem, illique obedire observando sanctam ejus legem, & veram pœnitentiam de peccatis agendo.

112 Tunc adveniet judex Christus cum gloria, & majestate, quem etiam ipsi dæmones coacti venerabuntur, ut tunc maximè: [g] *Omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris*. (h Philip. 2. 10.) Ibique juxta promissum ponentur [h] inimici ejus scabellum pedum ipsius. (h Ps. 109. 1.) Comitatus erit omnium Angelorum, ut ipse præmonuit. [i] *Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli ejus cum eo*. (i Matth. 25. 31.) *Tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, & plangent omnes tribus terræ; & videbunt Filium hominis venientem*. Plangent inimici crucis: exultabunt verò, [l] *qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis*. (l Galat. 5. 24.) Thronum judici exhibebunt splendidissimę nubes, è cujus vultu, & oculis micabunt radii placidissimi erga justos, in malos autem ira, & indignatio, ita ut illius aspectum sustinere nequeant. Quin etiam vulnera ipsa amorem spirabunt, illumque accendent in pectoribus justorum; confusionem verò, & fletum movebunt in peccatoribus, maximè Judæis, qui illum pupugerunt. Sed & B. Vergini Dei matri suus thronus collocabitur, non jam ut deprecetur pro pœnis, sed ut confundantur, qui in tempore usi non fuerunt ejus patrocinio. Circumponentur sedes etiam Apostolorum juxta Magistri [m] promissum. (m Matth. 19. 28.)

113 Tunc segregabuntur boni à malis. [n] *Congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit malos de medio justorum, sicut Pastor segregat oves ab hœdis: & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris*. (n Matth. 25. 32.) In hac vita omnes sunt permixti, & plerumque melior in loco deteriori sine dignitate, ac sine opinione, & sine rerum successibus: tunc mutabuntur vices, eruntque perpetuæ: quo gaudio justorum, & qua confusione iniquorum? Nemo in hac vita debet contemni, quia ibi fortè præcedet.

114 Hoc facto, aperientur omnium conscientiæ, ut ait Apost. [o] *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus; qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. (o 1. Cor. 4. 5.) Conscientiæ sunt quasi libri, qui aperientur, qui modò sunt clausi; tunc patebunt singulis omnia, quæ unusquisque

fecit, vel cogitavit. Studiosè nunc occultamus peccata, & gravissimè ferimus propalari uni, imò vix ea aperimus in confessione, & faxit Deus, ne multi ob id damnentur: quomodo sustinebimus coram Angelis, & omnibus hominibus tunc propalari? Serviat hæc cogitatio, ut nunc non erubescamus omnia exactè confessori declarare.

115 Producentur etiam in lucem omnia bona justorum, necnon & mala, quæ tamen ipsis confusionem non afferent, quia ab illis se expediverunt per pœnitentiam, imò cedent in confusionem malorum, qui fortè minùs peccaverunt, nec tamen se à peccatis illis paucioribus per pœnitentiam exemerunt. Malis autem ipsa etiam bona augebunt ignominiam, quia in bono perseverare noluerunt.

116 Sequetur accusatio. 1. accusabit diabolus dicens ad judicem: Ego hos nec creavi, nec pro eis sum passus, & tamen mihi servierunt, te neglecto. 2. Christus ipse intra ipsorum conscientias exprobrabit beneficia tum communia, tum privata, & quid tandem potuerint facere, & non fecerint. 3. Angeli custodes sua objicient officia, & justi etiam, qui eorum saluti operam impenderunt, ipsa denique conscientia vehementer accusabit.

117 Posteà sententia pro justis, quos blando vultu sic alloquetur Christus: [p] *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Idest. Venite qui aliquando vocati paruistis, & tollentes crucem sequuti estis me. Venite de Libano Ecclesiæ, in qua regenerati, & aliti sanguine meo in cedros pulcherrimas excrevistis: venite de tribulatione, ablutis stolis vestris in sanguine meo: venite de cubilibus leonum, de montibus pardorum, de societate hominum crudelium, qui vos affixerunt. Audiamus modò vocantem, sequamurque, ut tunc audire mereamur: [p] *Venite benedicti.* Qui hanc compellationem optatissimam promerebitur? [q] *Innocens manibus & mundo corde: hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo. Benedicti Patris mei.* Qui paterno prorsus affectu benedixit vos in omni benedictione, olim per gratiam, nunc verò per gloriam. *Possidete paratum vobis regnum.* Quod solùm est verè regnum paratum in misericordia, & beneplacito divino.

p Matth. 25.34.

q Ps. 23. 4.

118 Sententia in reprobos voce formidabili, & vultu horribili: [r] *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus. Discedite.* Hæc est pœna damni, exclusio à regno, à visione, & fruitione Dei, ab amore, ab omni favore, & beneficio; à cœlesti sede, à consortio beatorum. *A me* qui sum principium, & finis omnium, Creator vester, Redemptor, Deus; qui ad id tantum in vobis ero, ut quia sine me esse non potestis, non plenè in nihilum redigamini, sed vivatis, ut nunquam miseri esse desinatis. *Maledicti* per omnia in corpore, anima, & potentiis illius; in sensibus, in loco, in sociis, & rebus omnibus. Quæ rabies tunc damnatorum? Irrugiit Esau ob præreptam sibi à Jacob benedictionem! quantò magis isti ob superinductam ampliùs maledictionem æternam: unde in maledicta prorumpent, in matrem quæ genuit, in lac quod suxerunt, in Deum ipsum justum peccatorum vindicem. *In ignem æternum.* Hæc est pœna sensus, quia peccator non tantùm privatur summo bono, sed etiam afficitur summo malo. Ait ergo: Discedite in ignem æternum, qui in æternum cruciabit: non vos tantùm à meo conspectu, & bonis omnibus excludo, quod fortasse parvi faceretis, si liceret, ut priùs, uti creaturis ad explendas cupiditates vestras; sed omni ex illis consolatione exutos æternis cruciatibus addico. *Qui paratus est diabolo.* Ut cui vivendo adhæsistis, habeatis socium, & tortorem.

r Matth. 25.41.

119 Pronuntiata sententia illico executioni dabitur. [f] *Et ibunt hi in supplicium æternum: justi autem in vitam æternam.* Damnati illo ipso momento, terra dehiscente, cum toto exercitu dæmonum haurientur. Et implebitur illa maledictio: [t] *Veniat mors super illos: & descendant in Infernum viventes.* De quorum casu, justoque judicio laudabunt sancti Dominum, & dicent: [u] *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini percussit inimicum.* [x] *Magna, & mirabilia sunt opera tua, Domine Deus omnipotens: justa & vera sunt via tua.* Justi verò cum Christo ascendent in cœlum cum eo gaudio, & lætitia, quam homo mortalis concipere nequit, concinentes illud: [z] *Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

f Matth. 25.46.

t Ps. 54.16.

u Exod. 15. 6.

x Apoc. 15. 3.

z Ps. 123.6.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De inferno, & pœnis ejus à Parocho exponendis.

120 INfernus est carcer perpetuus, ac durissimus omni genere incommodorum, & miseriarum refertus, iis coercendis, qui cum peccati mortalis conscientia impœnitentes ex hac vita discesserunt. Est status omnium bonorum vacuus; & econtrà omnium malorum aggregatione cumulatus; nullum quippe illic bonum vel ex iis, propter quæ vita præsens à multis diligitur. Nullum ibi deest malum, quod in hac vita toleratur. Discurre per singula, & statue hæc præ illis esse quasi depicta; & præter illa supersunt alia multò pejora, qualia assequi non possumus cogitando, eò quòd præsentibus sint dissimilia, & sine comparatione atrociora. Unde mira insensibilitas est fugere modò modicum laborem, ut in illa deveniatur. Cumulum autem complet, quod non habebunt finem, ut nec ipsa æternitas, & semper quasi incipient.

121 Prima causa æternitatis horum malorum, quia damnati ipsi sunt immortales. [a] *In illis diebus quærent homines mortem, & non invenient eam; & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Quod desiderium, cùm impleri non poterit, ipsos aget in rabiem. Secunda, Locus etiam est æternus, terræ centrum: [b] *nam terra in æternum stabit.* Ignis inextinguibilis, & æternus erit. [c] *Nam flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.* Hoc Deo ita volente, & faciente conservabitur ignis, ac si fluvius sulphuris indeficiens suppeditaret materiam sine intermissione. Porrò ignis ille sic uret, ut non consummat, quæ incendit, nec ipse consummetur urendo. Tertia, vermis eorum non moritur, qui nascitur ex conscientia peccati tamquam ex putredine; quæ cùm vigeat semper, & apprehendatur immobiliter, morsus quoque vermis perpetuus erit. Quarta, decretum Dei immutabile. *In inferno nulla est redemptio.* Quinta, culpa manet semper, ac proinde comes illius pœna: permanet autem culpa, quia impœnitentia durat: cùm enim homo in peccato mori non refugit, eo ipso eligit in eo perdurare in æternum. O dura impœnitentium sors!

a Apoc. 9. 6.

b Eccl. 1. 4.

c Isai. 30. 33.

122 Pœnæ continuæ, ita ut nec fiat intermissio, nec variatio cum aliquo levamine. Documento sit dives [d] Epulo, cui vel aquę guttula denegata est ad tantillum refrigerium. Quin pœna ipsa ex accidenti augebitur, cùm ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium, ut est apud Job. [e] Et extremorum inter se acris pugna magis subjectum affliget. Nec ex habitu patiendi minuetur doloris sensus, sed potiùs crescet crescente impatientia doloris, furore, & rabie. [f] *Nam superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

123 Loci ipsius peculiaris ærumna, quia subterraneus, & tenebricosus est præ omnibus tenebris AEgypti, quo nullus lucis radius penetrari potest; & ipse ignis nullam mittit lucem, [g] *Deo intercidente flammam ignis*, idest prohibente, quamvis ea possit esse ejus natura, ut flammam non emittat, sed solùm tetrum fumum. Erit deinde angustissimus pro infinita corporum multitudine, ut planè futura sint compacta, atque compressa inter se. Nulla adspirabit illuc aura. Unde vocatur [h] *stagnum ignis, & sulphuris*, quo damnati immersi delitescunt. Erit fœtidissimus ex afflatu corporum, & loci fœditate. Erit in æternum clausus, quia post diem judicii nemini exire dabitur.

124 Tormentum à sociis. Erunt ibi ex Angelis omnium ordinum. Erunt ex omni statu, & conditione hominum: omne ibi discrimen dignitatum cessabit, omnis titulus: pares erunt omnes in conditione. Accedet odium implacabile, ut nemo alterum ferre possit; & præ impatientia, & rabie se mutuò convitiabuntur, & impetent, & atrocius, quo fuerunt in vita conjunctiores præsertim in malo. Ut carbones accensi, si cumulantur, se invicem magis accendunt; ita isti infernales titiones ob mali acerbitatem irritati in semet iras exacuent. Et erit intolerabile, quod separari nunquam poterunt, neque diuturnitate temporis pacari animi, aut reconciliari voluntates valebunt.

125 Tortores. Primò, ipsi se invicem torquebunt dicentes, & facientes sibi mutuò quàm pessimè poterunt. 2. dæmones exagitabunt illos, & terrificis umbris infestabunt. 3. vermis conscientiæ illos corrodet, & dilacerabit cernentes potuisse mala ista evitare, & noluisse. 4. manus Dei super illos ag-

d Luc. 16. 25.

e Iob. 24. 19.

f Ps. 73. 23.

g Ps. 28. 7.

h Apoc. 20. 9.

Digitized by Google

gravata; illo enim mandante, & vim ignis ministrante cruciantur infelices. Unde ira in Deum exardescentes blasphemo ore illum proscindent extincturi, si possent: quæ rabies implacabilis
i Heb.10. 31. pœnam non minuet, sed augebit.[i] *Horrendum est incidere in manus Dei viventis;* & insania maxima, dum tempus habemus, benè non operari, ut tantam infelicitatem fugiamus.

126 In omnibus sensibus torquebuntur miseri. Oculi ab aspectu contubernalium, quos angue pejus oderunt; & ab spectris horribilibus. Auditus à blasphemiis, maledictionibus, inconditisque vocibus, gemitibus, & ejulatibus. Olfactus à mutuo corporum pedore, sulphure, & omni immunditia loci. Gustus ab ingesto sapore hærente palatui quovis absynthio, & felle amariore cum stomachi convulsione, & nausea, à fa-
l Ps. 58. 7. me canina, juxta illud: [l] *Famem patientur ut canes*. A siti inextinguibili, ut pro-
m Luc. 16. 25. bat Epulo Euangelii.[m] Tactus toto corpore diffusus ab acutissimis doloribus quibuscumque præsertim ignis. In eo autem sensu potissimè punientur, quo maximè peccaverunt. Et non formidamus in omnia hæc mala incurrere ob
n Isai. 33. 14 brevem, & exiguam voluptatem! [n] *Quis poterit habitare cum igne devorante? quis habitare cum ardoribus sempiternis?*

127 Pœna potentiarum internarum. Phantasia vexabitur tristibus imaginibus, ut olim AEgyptii, de quibus di-
o Sap.17.4. citur:[o] *Personæ illis tristes apparentes pavorem illis præstabant, & transitu animalium & serpentum sibilatione commoti, tremebundi peribant*. Hinc appetitus sensitivus per varias passiones distrahetur, & quasi lacerabitur ab ira, tristitia, pavore, agonia, desperatione, invidia, rabie &c. Memoria jactabitur fluctibus cogitationum, tum rerum præteritarum, tum imminentium, quæ se importunè objicient, nec ex re aliqua solatium accipere poterit, imò ipsæ olim perceptæ voluptates tormento erunt. Intelligentia turbata, & excæcata aberrabit in judicando, & pœnas inflictas injustitiæ divinæ adscribet. Voluntas in malo indurata, & obstinata erit, ita ut Deum oderit, & amicos ejus; neque in re ulla utiliter miseri implere voluntatem suam poterunt, unde levamen aliquod accipiant.

128 Pœna damni ex quibusdam similibus, licèt infinitè distantibus, æstimari potest, ut si quis excidat hereditate amplissima; si vita per mortem intempestivam exuatur: sed hæc umbræ sunt, nec conferendæ. Plus valet, quod viri sancti divinitus illustrati vel ad cogitationem solam tantæ jacturæ deficiunt animis. Primò damnati, & si non percipiant intimis sensibus magnitudinem jacturæ suæ, poterunt tamen ex malis, quæ patiuntur, illam aliqua ex parte conjectare. Nam Deus, qui ita severè vindicat peccata, non est in remunerando minus liberalis, quàm in puniendo justus. Intuebuntur etiam aliquod cœlestis gloriæ specimen ex aspectu sanctorum in die judicii, illosque in beatas cœli regiones subvectos agnoscent, ipsis ad tartara detrusis. Neque tamen amor honesti, aut Dei erit causa dolendi de amisso illo bono, sed quod illius usura à tot malis eos vindicasset. Cæterùm jactura illa erit tanta, quantum est bonum videre Deum, sicuti est, & frui possessione boni infiniti modo excellentissimo: item quantum est corpora immortalia, & impassibilia gestare, & potentias omnes tam internas, quàm externas perfectas habere, & circa objecta ipsis convenientissima occupatas; frui etiam loci pulchritudine incredibili, & societate jucundissima hominum, & Angelorum absque omni amaritudine, vel offensione, idque totum in perpetuas æternitates.

CAPUT XV.

De Paradiso, & gloria cœlesti inculcanda.

Paradisus est status omnium bono- 129
rum aggregatione perfectus, in quo nullum malum culpæ, aut pœnæ, sed bona omnia, quæ desiderari possunt. *Ille enim beatus est*, teste Aug. *qui habet omnia, quæ vult, & nihil mali vult*. Est autem status æternus, securus absque metu, immutabilis sine diminutione, satians absque fastidio.

130 Locus est cœlum Empyreum, cujus præstantia describitur in Apoc.[a] a Apoc. 21.
Ex auro, & lapide pretioso. Quia apud nos nihil præstantiùs, sed excedit in immensum omnem imaginabilem pulchritudinem. Est enim lucidissimus luce quadam suavissima; temperatissimus absque ulla vicissitudine; firmissimus absque periculo, aut metu ruinæ. Amœnissi-

Digitized by Google

nissimus. Si enim Adæ consitus fuit locus deliciarum, & hæc habitatio inferior communis cum bestiis tot habet commoda: quid erit locus ille præparatus regnantibus cum Deo? De quo Propheta: [b] *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum.*

b Ps. 83. 2.

131 Convictus ibi jucundissimus beatorum Angelorum, & hominum, qui omnes se noscunt, & communicant. Sunt autem Angelorum millia millium, [c] *& hominum turba, quam dinumerare nemo potest.* Sunt Angeli omni virtute ornatissimi, & amabilissimi: varietas graduum, [d] *ut stella differt ab stella in claritate.* Ibi ordines Angelorum, & inter eos permixti ex hominibus; quin aliqui supra omnes ob vitæ meritum. Ibi chori sanctorum varii. Ibi mira concordia, quia unusquisque gaudet de bono cæterorum, ac de proprio. Ibi Christus Dominus rutilantibus vulneribus exhalantibus amabilitatem, & suavitatem inenarrabilem. Ibi Virgo sanctissima mater Regis Christi, & omnium cum eo regnantium, cujus aspectus exhilarabit mirificè beatos omnes, & præcipuè eos, qui in ejus devotione excelluerunt.

c Apoc. 7. 9.
d 1. Cor. 15. 41.

132 Anima replebitur Deo, ut ferrum candens igne, ejusque memoria sic occupabitur, ut divertere nequeat à præsenti bono, & memorabit omnia à Deo accepta beneficia, & recipienda, nec alicujus rei recordatio affliget. Intellectus replebitur clara Dei visione, intuebitur enim divinam essentiam, persona, attributa, modum incarnationis, & quomodo Deus mirabiliter operatus sit omnia, quæcumque fecit. Intelliget arcana divinorum consiliorum, & rationem providentiæ circa se. Voluntas ineffabiliter Deo adhærebit, & in eum transformabitur per amorem, indeque redundabit immensitas gaudii: [e] *Inebriabitur enim ab ubertate domus Dei,* & verè intrabit in gaudium Domini sui. Ab hoc amore ordinabitur voluntas ad omnem rectitudinem, eritque obedientia exactissima, mira conformitas cum divina voluntate, humilitas profundissima, religio perfectissima, & omnes virtutes.

e Ps. 35. 9.

133 Gloria corporis. Summa claritas. [f] *Iusti enim fulgebunt sicut sol.* Membrorum proportio, figura, color, & nitor mirabilis, inspicientur internæ partes, harmonia totius corporis tamquam crystallus. Immortalitas, & impassibilitas. [g] *Non esurient, neque sitient,* neque ab extrinseco lædi poterunt. Agilitas. Ita anima dominabitur corpori, ut sine ulla repugnantia illud celerrimè transferat quocumque voluerit, [h] *sicut scintillæ in arundineto discurrent.* Subtilitas. Instar spiritus non subjacebit necessitatibus vitæ vegetativæ, [i] *sed erit sicut Angelus Dei,* ideoque poterit permeare quodlibet corpus compactum, & densum absque resistentia.

f Matth. 13. 43.
g Apoc. 7. 16.
h Sap. 3. 7.
i Matth. 22. 30.

134 Gloria sensuum. Visus ex aspectu tot corporum glorificatorum, & in primis Christi mirificè recreabitur, cujus spe Job suas afflictiones solabatur. [l] *Scio quòd in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.* Auditus ex colloquiis sanctorum plenis gratia, & ex perennibus Dei laudibus, nam [m] *exaltationes Dei in gutture eorum.* Odoratus à fragrantia corporum beatorum, qui hìc fuerunt bonus odor Christi, cujus in primis erit fragrantissimus. [n] *Ubi fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ;* cœlestes nimirum abstractæ à suavitate illius. Gustus absque cibis omne delectamentum suavitatis percipiet. Tactus toto corpore diffusus purissimo perfruetur sensibili. Ergo [o] *secundùm multitudinem dolorum meorum consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.* Unde tu ô corpus lætare in his, quæ dicta sunt tibi, sustine modicum, sperne voluptates prohibitas per Dei legem, ut cœlestes possidere valeas: sciasque umbram tantùm tibi propositam. [p] *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum.*

l Job. 19. 26.
m Ps. 149. 6.
n Matth. 24. 28.
o Ps. 93. 19.
p 1. Cor. 2. 9.

135 Verùm hæc gloria non dabitur, [q] nisi illis, qui legitimè certaverint. [r] *Militia est vita hominis super terram.* Cum mundo, cum diabolo, cum carne pugnamus. Qui hos inimicos vicerit, accipiet gloriam istam, qui verò succubuerit, ad tartara detrudetur. Ideo dicitur: [f] *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Hoc lignum vitæ est Deus ipse, quia [t] *in ipso vita erat.* Editur de illo per claram Dei visionem. [u] *Hæc est enim vita æterna: ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum,* quod solis victoribus dabitur. [x] *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda,* quæ est damnatio æterna.

q 2. Tim. 2. 5.
r Job. 7. 1.
f Apoc. 2. 7.
t Joa. 1. 4.
u Joa. 17. 3.
x Apoc. 2. 10. & 11.

136 *Vincenti dabo manna absconditum,*

z Apoc. 2. 17.

tum, & dabo illi calculum candidum; & in calculo nomen novum scriptum. Manna. Est ipsa divinitas verè habens omne delectamentum suavitatis. *Estque absconditum.* [a] Quia *magna multitudo dulcedinis tua, quam abscondisti timentibus te. Calculus candidus.* Est approbatio rata, & immutabilis, qua Deus beatos reddit certos, ac securos de sua æterna felicitate. *Nomen novum.* Est nomen filii, quia tunc demum firmabitur æterna adoptio, modò mutat, & ideò imperfecta est; perficietur autem, cùm hæreditatem adibimus. [b] *Nam si filii; & hæredes per Christum.* Quod etiam impii agnoscent dicturi. [c] *Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.* Hoc autem non nisi post partam victoriam.

a Ps. 30. 20.
b Rom. 8. 16.
c Sap. 5. 6.

137 *Qui* [d] *vicerit, sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus. Vestimenta alba* quoad animam est purissimum lumen gloriæ: quoad corpus autem immortalitas, claritas, & reliquæ dotes. *Non delebo.* Significat altam securitatem æternandi in bono adepto. *Confitebor.* Idest, laudatorem agam, & prædicabo rectè facta, in eis gloriabor tamquam de parta victoria.

d Apoc. 3. 5.

138 *Qui* [e] *vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut & ego vici, & sedi cum Patre meo in throno ejus.* Non stabit ut famulus, sed sedebit ut princeps. *Et mecum.* Idest, me sedente, consedebit. *In throno meo;* meæ consors præcellentiæ: quia, sicut ego vici, & ideò sedeo cum Patre meo; ita ille mecum sedebit, quia vicit inimicos impugnantes.

e Apoc. 3. 21.

CAPUT XVI.

De malo luxuriæ, & bono castitatis.

139 Memoriæ novissimorum, de quibus hactenus dictum est, curabit Parochus continere populum suum in lege Dei. Quia tamen [a] Concilium ei injungit, ut annuntiet cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oportet. Non satis est peccata fugienda in genere proponere, & virtutes sectandas similiter inculcare; sed oportet aliquando ea vitia persequi, quæ viderit in sua plebe grassari. Nos aliqua, quæ ubique ferè communia esse solent, attingemus.

a Sess. 5. c. 2. de ref.

140 In primis vitia carnis, quæ maximè nociva sunt, extirpare curabit proponendo eorum damna, & utilitates virtutis contrariæ, quæ omnibus procuranda est pro cujusque statu, & conditione: neque enim omnes eundem gradum habere tenentur. Porrò luxuria est inordinatus appetitus delectationis carnalis. Quibus autem modis peccetur in hoc vitio, constabit ex dicendis lib. 8. cap. 9. & cap. 12. in explicatione sexti & noni præcepti decalogi, ubi omnes species peccati in hac materia declarabuntur.

141 Interim commendanda est fuga hujus vitii, quia inter reliqua magis nocet animæ, & æternę ejus saluti, quia magis insultans; unde assidua cum eo pugna, & rara victoria: & ideò evigilandum, ut edometur, ne corpus ipsum, & animam perdat in gehennam. [b] *Blandè enim ingreditur,* ut ait Scriptura, *sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Quo Spiritus sanctus significat malum damnationis æternæ, quam incauti homines incurrunt, dum sibi vim non inferunt ut vas suum possideant in sanctificatione, & honore, ut loquitur [c] Apostolus.

b Prov. 23. 32.
c 1. Thess. 4. 4.

142 Fructus hujus vitii sunt in hac vita morbi, putredines, & corruptiones. Exempla omnibus obvia. Infamia, non enim malè olet hoc vitium solum apud Deum, & Angelos, sed etiam apud homines, apud quos, qui luxuriæ se immergunt, famam perdunt, bonum nomen, & opinionem. Jam verò mulieres infames habentur. Depauperatio. Quot enim instar prodigi omnia consumunt cum meretricibus, & posteà pauperrimam vitam agunt, illamque finiunt in hospitalibus sine honore? Mors immatura. Multi enim immaturè moriuntur tabo, ac putredine confecti, vitamque vivunt putoribus plenam ex hoc vitio contractis. Multi occasionem peccandi quærentes mortem inveniunt violentam cum satis manifesto periculo æternæ.

143 Pœnæ etiam in hac vita à Deo gravissimæ infliguntur. Nam Deus universali diluvio totum mundum obruit propter hoc vitium dicens: [d] *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* [e] Civitates infames igne è cœlo misso succendit. [f] Ex Israelitis una die

d Gen. 6. 3.
e Gen. 19.
f Exod. 32.

Digitized by Google

g Iud. 16. die viginti tria millia occidit. [g] Sanson ob mulierem in servitutem venit, & oculos amisit, & fortitudinem, qua antea inimicis formidabilis extitit. [h] David quid non fuit passus ob adulterium? [i] Salomon in quas absurditates non devenit ob nimium usum mulierum? quot repente occisi sunt, & quotidie occiduntur in ipso actu peccandi, quorum animæ in æternum punientur?

h 2. Reg. i 3. Reg.

144 Pœnæ futuræ majores. Infernus his paratus, stagnum ignis, & sulphuris, ut patet ex dictis cap. 14. unde pro oblectatione cogitationum inhonestus horrendis vexabitur imaginibus: singuli sensus proprio afficientur tormento; & totus homo immersus in stagno ignis, & sulphuris pro brevi voluptate in æternum ardebit, ut impleatur quod dicitur in Apoc. [l] *Quantum in deliciis fuit, tantum date ei tormenti & luctus*. Ergo *fugite fornicationem*: clamat Apostolus. Et bonus Parochus continuò clamet hortando conjugatos, ut fidem Matrimonii servent inviolatam: cœlibes, ut Matrimonio copulentur, in quo sanctè vivant. [m] *Quia melius est nubere, quàm uri*. Maximè autem execretur, & reprehendat concubinatum, tamquam damnationis statum. Et consulat illis, qui præ fragilitate lapsi fuerint, ut illicò resipiscant, culpamque abluant per pœnitentiam, ne se sinant immergi, & diu volutari in cœno carnis suæ; quia si id contingat, difficilior erit emendatio, & certior æterna damnatio.

l Apoc. 18. 7.

m 1. Cor. 6. 18.

145 Remedia contra hoc vitium. 1. Custodia visus, & auditus; ne quid impurum in animam subeat. Imitetur sanctum [n] Job, qui pepigit fœdus cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine. 2. Gustus, & tactus, mortificatio per jejunia, & pœnitentias. 3. Circumspecta familiaritas, & conversatio, ita ut personæ, quæ ad peccandum allicere possunt, fugiantur. Et generaliter provida occasionum evitatio. [o] *Qui enim amat periculum, peribit in illo*. 4. Fuga otii. [p] *Nam malitiam docuit otiositas*, maximè in hac materia. 5. Oratio. Qui enim vult peccata carnis effugere, ad Deum recurrat per preces, & sanctas meditationes, quia Deus audit orantes, & præcipuè pro bono animæ, & salutis. 6. Devotio B. Virginis, quæ suos devotos protegere solet, ne hac peste luxuriæ comburantur. 7. Recordatio, & assidua memoria novissimorum, de quibus suprà, & meditatio passionis Christi. 8. Frequentatio Sacramentorum confessionis, & Eucharistiæ, hæc enim animam corroborant ad vincendas tentationes. Qui his remediis usus fuerit, experietur in se Divinam protectionem, & vitam immaculatam transiget, donec veniat locus pacis, & quietis.

n 1. Cor. 7. 9.

o Eccl. 3. 27.

p Eccl. 33. 29.

146 Multiplex Dei favor erga castos. 1. Peculiare præsidium Angelorum, qui delectantur cum sibi similibus, libenterque illis assistunt, ut in fornace Babylonis adfuit Angelus tribus pueris: [q] *Et excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis, neque contristavit*. Ita in ardore tentationis excutiunt flammam libidinis, ne mentem subeat per consensũ, in quo solo est peccatum: & rore cœlesti ardorem carnis restingunt, atque in gratiarum actionem erumpere faciunt animam cum tribus pueris in camino ignis. 2. Protectio Virginis sanctissimæ, quæ maximè favet volentibus castè vivere, eosque protegit, & defendit impetrando à Deo vires gratiæ, ne succumbant. 3. Particularis ipsiusmet Dei assistentia, [r] *qui pascitur inter lilia*, & castas mentes tuetur, ne tententur ultra id, quod possunt. Exemplo sit sancta Susanna, quam Deus liberavit à falso testimonio, à morte impendente, quia in occasione, & tentatione peccandi fidelis extitit, dicens: [s] *Melius est mihi mori, quàm peccare in conspectu Domini*. O si cogitaremus Deum esse præsentem, & ab ipso videri, quomodo auderemus rem obscœnam committere? Hac consideratione convertit sanctus Monachus meretricem, à qua solicitabatur ad peccatum, dicens: Tunc consentiam, cùm mihi locum dederis, in quo nemo nos videat; cùm verò illa secretissimum assignasset, respondit: Adhuc hìc oculos Dei judicis non effugimus; & sic illam ad pœnitentiam adduxit.

q Dan. 3. 49.

r Cant. 2. 16.

s Dan. 13. 23.

147 Qui vult se immaculatum custodire, si non potest cœlibem vitam ducere sine periculo, [t] *Matrimonio jungat virginem suam*, ut loquitur Apostolus, in quo contentus sit juxta legem Dei, & extra illud omnem fugiat delectationem carnalem tamquam pestem animæ, dicatque cum sancto Joseph. [u] *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Quin relinquat pallium, hono-

t 1. Cor. 7. 38.

u Gen. 39. 9.

Digitized by Google

honores, facultates, imò & vitam, si opus sit, ut in regnum assumatur, non AEgypti, ut Joseph, sed gloriæ æternæ, quæ per castitatem comparatur, & amittitur per luxuriam. Hæc loquatur bonus Parochus, & exhortetur in Christo Jesu Domino nostro.

CAPUT XVII.

De spiritu odii, & vindictæ.

148 HOc est aliud commune malum, quod Parochus extirpare conabitur, ad id autem uti potest parabola, quæ legitur in Euangelio [a] Dominicæ XXI. post Pentecost. Regis, cui ponenti rationem cum servis suis oblatus est unus, qui debebat ei decem millia talenta. *Decies millia talenta debet, qui decem præcepta decalogi violavit:* ut exponunt Interpretes. Et juxta Origenem quodlibet talentum significat unum peccatum gravissimum contra Deum. Et D. Aug. intelligit per tot talenta omnia peccata, quæ in hac vita committi possunt. Universa autem peccata ista Deus supremus Rex liberaliter dimisit servo debitori ob pœnitentiam, quam se promisit facturum dicens: [b] *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Id est, ut ait Haym. [c] *Omnia, quæ contra legis præcepta perpetravi, per lamenta pœnitentiæ emendare curabo.* Tantum valet apud Deum vera pœnitentia.

a Matth. 18.

b Matth 18.26.

c Haym. in c. 18. Matth.

149 Posteà idem servus, cum quo Rex tam clementer se gesserat, invenit proximum, qui debebat ei centum denarios, quem tenens suffocabat dicens: *Redde quod debes.* Cùm ille autem misericordiam postularet, non impetravit, sed missus fuit in carcerem, donec redderet debitum. Per centum denarios intelligunt Patres, & Expositores debita, seu injurias, quas committimus in proximos; quæ si conferantur cum offensis Deo factis, habent rationem centum denariorum respectu decem millium talentorum. Et tamen cùm velimus decem millia talenta nobis à Deo condonari, idque facilè ab ejus bonitate obtineamus; nos leve debitum, & breves offensas proximis nostris remittere recusamus, odium, & vindictam in ipsos exercentes. Id enim significabat ingratitudo hominis istius, qui tenens suffocabat proximum, quem in carcerem detrusit, ac si diceret, ait Haym. [d] *Quidquid in me peccasti, nec in præsenti, nec in futuro sæculo dimittetur.*

d Haym. prox. inc.

150 Conscius Rex hujus immisericordiæ erga proximum, & conservum, iratus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum talentorum. Notat verò Chrys. [e] *Quamvis irrevocabilia sint charismata Dei, tamen tantum valuit malitia, ut hanc legem solvere videatur.* Concludit Christus Parabolam: *Sic & Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unicuique de cordibus vestris.* *Unde constat*, ait Maldonatus, [f] *intentum parabolæ fuisse Deum nobis peccata non dimissurum, nisi nos fratribus offensas remittamus.*

e Chrys. hom. 61. in Matth.

f Mald. ibi

151 Et certè ita Deus abominatur in nobis odium, & vindictam, ut dimittens omnia alia peccata cum facilitate, hoc unum severè castigare videatur. Apparet in Dei judicio homo reus decem millium talentorum, per quæ, ut jam notavimus, significabantur decem millia peccata mortalia, & omnia decem præcepta sæpiùs violata; & Dei misericordia fuit adeo copiosa, ut nec illum reprehenderit, sed in integrum tam grande debitum remiserit, quia reus cum humilitate petivit, non quidem veniam debiti, sed dilationem, ut solvere posset. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Chrysost. [g] *Magna Dei misericordia, petit servus solius temporis dilationem; ipse autem majus eo, quod petit, dedit; & dimissionem, & concessionem totius mutui: debitum dimisit ei.*

g Hom. 61. in Matth.

152 Addit verò idem Chrysost. eumdem hominem, cui omnia peccata dimissa fuerant, comparentem coram Deo, quia non dimiserat offensam sibi à proximo factam significatam in centum denariis, severè à Domino reprehensum de nequitia, & ingratitudine: *serve nequam &c.* Chrysost. [h] *Quando decem millia talenta debebat, non vocavit eum nequam; quando autem contra servum ingratus effectus est, tunc dicitur serve nequam.* Ut ostenderet se erga alia peccata esse misericordem; erga hoc autem immisericordiæ, odii, & vindictæ justum, ac severum vindicem.

h Chrys. proxime.

153 Nec hominem solùm reprehendit, aut castigavit ob peccatum odii; verùm hoc satis fuit ad revocandam veniam datam de decem millibus talentis jubens, ut tam protervus homo, qui proximo offensam non remiserat, puni-

Digitized by Google

puniretur ob peccata etiam jam dimissa. *Quousque redderet universum debitum.* [i] Unde colligit Theophil. Quantum Deus abominetur odium, & vindictam, siquidem hæc quasi potens fuit, ad revocanda Dei beneficia, & remissionem prius obtentam, cùm ejus dona sint absque pœnitentia. *Cogita quantum malum sit vindicta cupiditas, quando donationem Dei revocat, & irritat.*

i Ad c. 18. Matth.

154 Traditus est ergo miser homo tortoribus; ut illum severè punirent, *quousque redderet universum debitum*. Non quòd Deus illum detruserit in Infernum ob talenta, & peccata semel dimissa: sed quia immisericordia, qua usus fuerat non remittendo proximo offensam, fuit tam grave peccatum, ut ob illud eum punierit, ac si ei dimissa non fuissent alia, ut notavit Jansen. [l] *Non quòd redeat propriè reatus peccatorum semel dimissorum, sed eò quòd crudelitas tam grave peccatum reputetur, & pro ea tam severè puniatur, ac si priora peccata ei numquam fuissent dimissa.*

l Jansen. ibi

155 Est autem valdè notanda diversitas pœnæ. Nam quando Rex hunc hominem voluit castigare ob debitum decem millium talentorum; jussit ut venumdaretur ipse, uxor, & filii. Quod supplicium, & si rigorosum, non tangebat corpus; non sic, quando secundò accusatus fuit de odio, & vindicta. Tunc enim *tradidit illum tortoribus*: hoc est dæmonibus, ut in æternum puniretur. Causa diversitatis fuit, quia malitiæ hujus secundæ culpæ, quia major, exigebat majus supplicium, & ideò datur omnium maximum. Orig. [m] *Iam non jussit eum venumdari, quia pejus eum oportuerat pati propter malitiam suam traditum tortoribus.* Tam sine misericordia castigatur à Deo ille, qui non utitur misericordia cum proximo, remittendo offensas acceptas. Quia, ut ait Apost. Jacobus: [n] *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam.*

m Hom. 7. in Matth.

n Iacob. 2. 13.

156 Omnia peccata in Deum commissa sunt offensæ factæ Patri, qui titulus quasi Deum cogit ad pietatem, ut veniam filio etiam perditissimo concedat. Confisus in paternis Dei visceribus veniam sperabat Prodigus dicens: [o] *Ibo ad Patrem meum.* Chrysol. [p] *Ibo illa spe, qua Pater est, quia quamvis ego perdidi quod erat filii; ille, quod Patris est, non amisit.* Nec eum spes fefellit; Pater enim veniam concessit, amplexatusque illum in honorem, & statum filii restituit. Cum eadem fiducia potest se Deo sistere peccator quilibet, siquidem Deus Pater est, quem eo nomine compellat, & precatur, quoties dicit: *Pater noster, qui es in cœlis.* Et ille, quia Pater, miserebitur filio etiam sceleratissimo. Solus, qui odio æstuat, ac vindictæ desiderio, Deum Patrem non habet. Quod ut Christus significaret, ait Chrysost. dixit: *Sic & Pater meus faciet vobis, si non dimiseritis unicuique de cordibus vestris.* Non autem dixit: sic & Pater vester cœlestis faciet vobis. Quibus terminis sæpè aliàs usus fuerat. Ratio fuit, quia loquebatur de hominibus non condonantibus injurias proximis, qui proptereà non merebantur Deum habere Patrem. Chrys. [q] *Non dixit: Pater vester; non enim digni sunt isti, quorum Deus Pater vocetur, cùm ita nequam sint, ut homines odio prosequantur.* Ac si diceret: Non meretur homo odium fovens in corde Deum Patrem aut habere, aut vocare. Nemo igitur audeat cum odio erga proximum coram Deo apparere, confisus in paternis Dei visceribus: quia quamvis sit, & dicatur peccatorum pater; immisericordes, & vindicativos non tamquam Pater, sed tamquam Judex severus judicabit, negando veniam, quam ipsi proximo denegarunt.

o Luc. 15. 18.
p Ser. 2. de prodigo.
q Hom. 61. in Matth.

157 Quamvis autem Deus videatur se negare patrem istorum; cùm tamen verè sit Pater, & creator, intus habet pietatem, ut dicebat Chrysol. [r] *Intus est in Patris pectore ipse, qui intervenit, & exorat affectus.* Ut tamen monet Aug. odium nostrum, & vindicta claudunt paterna Dei viscera. Et in hoc sensu exponit verba Jacobi jam relata: [r] *Dimitte ergo proximo*, inquit, *nedum fratri negas misericordiam, claudas Patri indulgentiam.* Quod benè novit debitor talentorum, qui videns in se tantum debitum fiduciam non amisit, sed misericordiam petit dicens: *Patientiam habe in me.* Quando verò accusatus fuit de odio, & vindicta, obmutuit: vidit enim portas misericordiæ occlusas, ideò animo cecidit, amisit fiduciam, quod totum in eo causavit peccatum odii dixit Antioch. qui proinde rectè consulit, ut odium deponamus. [f] *Ne nos à fiducia abalienet, quam erga Deum habemus.* Additque, ut nemo audeat comparere coram Deo ad impetrandam veniam

r Ser. 1 de prodigo.
r Ser. 1 in vig. Pentec.
f Antioch. in Biblior.

nium peccatorum, quin priùs eam concedat proximo de offensis sibi illatis dicens: *Neque enim, qui hoc ægrotat genere morbi, Deo se ausit præsentare: qua fronte vis, ut tibi Deus dignetur dimittere multum, si non acquiescis dimittere parum?* Absque dubio ita confusus hærebit, ut nec misericordiam petere audeat, ut non petivit debitor talentorum post peccatum odii, & vindictæ.

158 Magisque fiduciam amittit, quando viderit discrimen suorum peccatorum, & eorum, quorum noluit oblivisci per condonationem. Inter quæ est tanta inæqualitas, quanta inter decem millia talenta, quæ Deo debemus, & centum denarios, quos nobis fortè proximus debet. Chrysost. [t] *Tanta est differentia peccatorum quæ committuntur in hominem, & quæ committuntur in Deum; quanta est differentia decem millium talentorum, & centum denariorum.* Quam inæqualitatem Deus objecit servo ingrato. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, nonne oportuit & te misereri conservi tui?* Et ideò obmutuit, magis obmutesceret, si considerasset hunc excessum in suo rigore, in quo offensa Deo facta infinitè excedit omnes, quæ hominibus fieri possunt, sicut Deus hominibus infinitè excedit. Sed ego contentus excessu exposito à Chrysost. secundùm literam parabolæ dico: Sit peccatum contra Deum decem millia talenta, & offensa contra hominem centum denarii. Tu ò homo quot peccata commisisti in Deum? Numerum sanè ignoras. Quomodo ergo scies milliaria Deum millium talentorum, quorum debitor es? Et scis Deum non remittere debita ista tam grandia illi, qui non remittit centum denarios proximo suo. Non est insania similis ait Emissen. [u] non remittere centum denarios, ut sibi remittatur tot millia millium talentorum? *Stultissimus igitur est, qui centum denarios non vult dimittere ea conditione, ut ei decem millia talenta dimittantur.*

t Hom.61. in Matth.

u Hom. in hoc Euág.

159 Dicunt isti se non deponere odium, inimicitias, & animum vindictæ, quia non benè audirent apud homines, si injuriarum obliviscerentur. Verùm & si hæc ratio certa foret, æquius esset benè audire apud Deum, pluris esset habere Deum benevolum, ab eoque consequi veniam peccatorum, quàm habere illum contrarium, & implacabilem ob cordis odium, & affectum vindictæ. Addo tunc pejus quemlibet audire apud homines, quando odium conservat, & vindictam sumit de proximo suo. Dicant enim cur servi Regis tristati sunt videntes vindictam conservi sui, quem ad Regem detulerunt. *Videntes autem conservi ejus, contristati sunt valde, & venerunt, & narraverunt domino suo omnia.* Ratio fuit, teste Euthym. [x] *Quia incompassibilitas non à Deo solo habetur odio, sed neque mansuetis hominibus grata est.* Unde constat odium, & vindictam etiam hominibus displicere, qui de nobis concipiunt spiritus viles, naturam humilem, & conditionem abjectam.

x Ibi Matth.18.

160 Hanc fuisse rationem ait Abul. [z] cur Salomon non statim in regni ingressu occiderit Adoniam, à quo fuerat offensus ex regni præoccupatione. Quia, inquit, *Si propter primum delictum occidisset Adoniam, videretur hoc fecisse solùm ex vindicta, quæ quidem immundum redderet regnandi initium, & deturparet regiam cathedram, dum vilem animum in vindicando ostenderet.* Hoc nomen, hanc reputationem obtinent apud homines, qui odia non deponunt: ultra quod Deum perdant, & spem veniæ de peccatis suis. Et sæpè permittit Deus ad majus supplicium, ut etiam in hac vita inimici vicem rependat.

z ad 3. Reg. 1. q. 35.

161 Rex erat Adonibezec, & tam potens, ut habuerit in domo sua septuaginta Reges à se debellatos, erga quos adeò fuit crudelis, ut decisis extremitatibus manuum, ac pedum, quasi canes sub mensa sua ageret. Permisit Deus ut Rex hic ab Hebræis caperetur, utque cum eo similem crudelitatem exercerent. [a] *Quem persecuti comprehenderunt, cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum.* Quis movit Israelitas ad utendum cum hoc inimico devicto nova hac crudelitate? Respondet Abul. fuisse justam Dei permissionem, ut hic debellatus experiretur crudelitatem, qua ille victor usus fuerat cum suis inimicis. [b] *Deus movebat Israelitas ad sic faciendum, ut iste pateretur in eo, in quo deliquerat.* Nec rex ille dubitavit de hac Dei permissione. Sic enim addit Abul. *Adonibezec reputavit, quòd à Deo proveniret, dicens: Sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Justum Dei judicium est, ut sic quis tractetur à suis offensoribus, sicut cum eisdem se sæpiùs habuit, & experiatur ea signa odii, quæ ausus est exercere.

a Iud. 1.6.

b Abul. ibi q.7.

His

His bonus Parochus persuadeat amicitiam mutuam, ac offensionum oblivionem.

CAPUT XVIII.

Quàm Deo sit grata offensarum remissio.

162 Remissionem offensarum voluit Deus, ait [a] Chrys. fuisse medium, quo peccatores Deo quantumcumque debitores, & incapaces ad solvendum, possent ei integrè satisfacere. *Facilem ad satisfaciendum nobis viam prabuit Deus, qua omnia nostra debita possimus persolvere.* Si autem quæras quodnam sit hoc medium? Resp. *Oblivio eorum omnium, qua adversus te à fratre tuo commissa sunt. b Dimittite, & dimittemini,* ait Christus. Ac si dicat: Vultis, ut ego obliviscar vestrarum iniquitatum, & offensionum, quas adversus me commisistis, ob quas destinati estis ad æternas Inferni pœnas? Obliviscimini vos etiam offensionum vobis factarum: sicut remiseritis inimicis vestris; sic remittam vobis: sicut vindictam sumpseritis; ita de vobis vindictam sumam. *Dimittite & dimittemini; eadem mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.* Sunt ejusdem Christi Domini verba.

a Hom. 61. in Math.

b Luc. 6. 36.

163 Igitur in nostra manu est, ait S. Leo, [c] sententia nostrorum peccatorum: *Sententia judicaturi in potestate ponitur judicandi.* Nos ponimus in sententia judicis: *fiat, vel non fiat*: ut patet in debitore, de quo cap. præced. quem bonus Rex absolverat. *Dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Quam ille revocavit mutando in sententiam commendationis, quia sponte non condonavit conservo suo injuriam significatam in debito, ob quod eum in carcerem misit. Hæc est conditio, quam Deus ponit, ut rata, & firma habeatur ejus sententia absolvens, vel condemnans, ita ut sit talis, qualem nos protulerimus circa offensas nobis illatas. Idem S. Leo: *Iusta, & benigna conditio, ut homo sententiam Dei ex suo libret arbitrio, & eo sibi judicio obstringat Dominum, quo judicaverit ipse conservum.*

c Serm. de martyribus.

164 Ob odium, & vindictam experiuntur homines magis Dei iram, quàm ob alia peccata, ut accidit servo Euangelii, contra quem Rex iratus fuit, & verbis, & factis accusatum de vindicta, qua ex odio usus fuerat cum suo conservo. *Serve nequam. Iratus Dominus tradidit eum tortoribus.* Quod non fecit, quando inventus est debitor talentorum; quia tunc nec verbum asperum protulit, sed misericorditer omne dimisit debitum: contrarium verò contingit illi, qui offensas remittit, imò hæc est via efficax ad fugiendum rigorem divinæ iræ; ut benè intellexit David, [d] cui fugienti à facie Absalonis obvius Semei plures irrogavit injurias, & verbis, & factis: volentes autem aulici vindicare audaciam, non permisit David. Admirantur sancti Patres patientiam, dantque varias rationes, quare tantus Rex ita piè se gesserit erga hominem sibi graviter injuriosum. D. Greg. ait: David tunc persecutum à filio ex Dei permissione ob adulterium Bersabee, & homicidium Uriæ, judicasse illas injurias Semei sibi à Deo oblatas, ut eas patienter tolerando, & condonando, mereretur veniam talium peccatorum, & victoriam inimicorum, qui ei vitam, & regnum eripere tentabant. [e] *Fugiens reducit ad animum malum, quod fecit, & contumeliosa verba non tam convitia, quàm adjutoria esse credidit, quibus se purgari, sibique misereri posse judicavit.*

d 2. Reg. 16. 10.

e Greg. 30. moral c. 10.

165 Quòd autem hæc fuerit intentio David, satis colligitur ex ratione ab eo data de non vindicandis illis injuriis. *Si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac.* Ac si diceret: Parcamus homini maledicenti, quia mala, quæ patior, sunt flagella Dei contra me irati; & si est via ad ejus iram placandam, est non vindicare injurias. Quare dimittite, ut maledicat, nam ego libenter fero, ut sic effugiam iram Dei mihi pro meis peccatis irascentis. Theod. [f] *Ego fero me contumeliis afficientes, ut ea ratione placem Dei iram.* Nec fuit spes vana, quia Deus ei victoriam dedit, & liberavit ab angustiis. Brevis, ac facilis via ad Dei iram fugiendam. *Ego fero me contumeliis afficientes, ut ea ratione placem Dei iram.*

f in Glos. ad locum Reg. citatum.

166 Si autem Deus pro filiis non habet, sed castigat ut extraneos offensarum vindicatores: certum est misericordes earum condonatores filios recognosci, hocque solo titulo ut filios haberi. [g] *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, ut sitis filii Patris vestri,*

g Math. 5. 44.

vestri, qui est in cœlis. Imò hos solos videtur habere pro filiis: nam discurrens Dominus per alias virtutes, assignansque illarum præmia, huic solùm tribuit filiorum titulum. Pauperibus enim promittit regnum cœlorum; mansuetis terram; plorantibus consolationem. Solos autem pacificos filios Dei vocat: [h] *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. [i] *Hi autem pacifici*, ait D. Hilar. *sunt, qui injurias facilè condonant*.

h Matth. 5.9. i Hilar. ibi.

167 Qui vult ergo filius Dei haberi, utque Deus illi tamquam Pater peccata sua facilè remittat, aliosque favores liberaliter conferat; remittat proximis offensas propter Deum. Audiant S. Leonem: [l] *Qui dilexerit inimicos suos, illud in eo impletur, quod dixit Dominus, videlicet, ut sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est. Elige modo, quod tibi placuerit: si inimicos dilexeris; non solùm amicus, sed etiam filius Dei esse mereberis: si verò inimicos amare nolueris, propitium Deum habere non poteris, quia scriptum est: Qui odit fratrem suum, homicida est; & rursus. Itinera virorum, qui injuriam retinent, Dominus labefacit in mortem*.

l Serm. de martyrib.

168 Si offensarum vindicatores amittunt spem consequendi veniam, ut contigit debitori talentorum, qui, post vindictam de conservo, obmutuit, nec verbum protulit in sui defensionem, quia portas misericordiæ vidit clausas ob suam immisericordiam: qui injurias remittunt, possunt esse de venia securi, ac si illam jam in manu haberent. Crudeli odio prosequebatur Saul Davidem, cujus mortem continuò meditabatur. Sæpiùs potuit David vindictam sumere de hoste tam infesto, maximè quando, dormiente Saule, cum omnibus suis, [m] David accepit lanceam, quæ erat ad caput ejus, qua nec illum tetigit, nec passus est, ut Abisai occideret, ut volebat. [n] *Benedictus David*, exclamat Chrysost. *non quia inimicum habuit sub pedibus & lancea, sed quia tunc injuriarum oblitus est. Non eum beatum prædico, quòd hostem viderit sub pedibus illius jacentem, sed quòd illi pepercit*.

m 1. Reg. 26. n de Davide & Saule.

169 Cur sanctus Pater vocat David beatum, qui adulterium, & homicidium commissurus erat? Vocat illum beatum, quia spes, quam de venia habere poterat parcendo inimico, erat adeò firma, & certa, ut beatus jam dici posset. [o] *Qui pepercit, exultat, & delectatur optima spe fultus, ac tolerantia bravia expectans à Deo*. Vocatur igitur beatus, quia deposita malevolentia, & odio usus est cum Saule misericordia, potens vindictam sumere sine ullo sui periculo: nam propter hoc opus potest securè beatitudinem sperare tamquam tolerantiæ bravium, quasi beatitudo sit certissimum hujus virtutis præmium ante offensarum condonationem non tribuendum.

o Chrys. ibi.

170 Imò in hac vita honorantur à Deo, temporaleque præmium ab eo accipiunt. Quando Saul cognovit potuisse David sine ullo sui discrimine ipsum occidere, vindictamque sumere, ei tamen pepercisse; admiratus de tanta virtute non dubitavit in hac etiam vita fuisse remunerandum. [p] *Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc*. Caet. legit ex Hæbreo: *Dominus reddet tibi bonum pro eo, quod hodie operatus es in me*. Aitque fuisse prophetiam, per quam Saul securum reddidit Davidem habendi etiam in hac vita præmium pro tam excellenti virtute condonandi inimico: omittendo vindictam. [q] *Prædicit, quòd Deus non relinquet sine præmio tantum virtutis opus*. Præmium autem statim à Saule declaratum fuit. *Nunc certissimè scio, quòd regnaturus sis super Israel*. *Ecce*, inquit Caet. *præmium, quod prævidebat Saul dandum à Deo Davidi*. Et fuit prophetia tam certa, ut Saul occisus fuerit in prælio, & David Rex inauguratus ob condonationem offensarum, quod opus coegit Saulem ad sic prophetandum, credendumque sine hæsitatione David Regem futurum, à quo statim beneficia petiit: *Ne deleas semen meum post me*.

p 1. Reg. 24. 20. q Caet. ibi.

171 Ex dictis satis constat quantum Deus amet offensarum obliviosos. Si hæc homines non movent; moveat saltem Christi exemplum, qui cruci affixus noluit benedictam animam tradere in manus Patris, antequam inimicis, qui citra omnem pietatem ipsum injuriis inauditis afficiebant, condonaret. Et ut faciliùs veniam obtineret, allegat eorum ignorantiam, ut culpa levior appareret. [r] *Pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Hanc autem postulavit [s] *cum clamore valido & lacrymis*, ut ait Apostolus. De lacrymis enim in cruce effusis, quando fecit hanc petitionem intelligit Carth. locum Apostoli. Rupert. [t] *Optimum remissionis genus est, ubi illis, qui peccaverunt, non flentibus; solus*

r Luc. 23. 34. s Hebr. 5.7. t Rup. in c. 45. Gen.

Digitized by Google

lus ille fiet, qui peccatis offensus indulget. Moveat igitur hoc exemplum eos, qui Christiano nomine censentur, ne eo indigni nomine tamquam degeneres repellantur. *Cordis enim durities usque ad Christum*. Dixit Tertul. Ac si diceret. Ante Christum potuit esse aliqualis excusatio; post Christum verò, nulla esse potest umbra excusationis. Nam qui vult regnare cum capite, opus est, quòd cum capite conformetur; quia si membra eadem via, qua caput, non incedant, ad locum capitis pervenire non poterunt.

CAPUT XIX.

De vita scandalosa diu peccatis immersa.

172 ILli, qui diu in peccato immorantur cum scandalo fidelium, difficilè salvantur. Contra hos armari debet zelus boni Parochi, ad eosque convincendos, mediante Dei gratia, hoc discursu poterit adjuvari. [a] *Mors nostra peccatum est*. Dixit Hieron. Et Aug. [b] *Omnis quidem, qui peccat, moritur*. Ideò peccatum dicitur mortale, quia mortem infert animæ, aufert enim gratiam, qua vivit. Inde Greg. [c] *Omnis, qui in peccati mortem ceciderit, non inconvenienter poterit cadaver vocari, quasi exanimis namque jacet, qui justitia vivificantem spiritum non habet*. Per mortem igitur corporis mors animæ, quam peccatum causat, declarari debet, sicut etiam per resurrectionem corporalem significatur, ac declaratur resurrectio spiritualis animæ, qua gratiæ restituitur.

a Hieron. ad c. 11. Ioan.
b Tract. 49 in Ioa.
c Greg. 4. moral. c. 25.

173 Tres igitur mortuos legimus in Euangelio à Christo Domino suscitatos, in quibus significavit tria genera morientium per peccatum ab eodem ad vitam gratiæ revocari, ut notavit Aug. [d] *Intelligimus ergo tres mortuos, quos in corporibus suscitavit, aliquid significare de resurrectionibus animarum*. Quia verò solent esse tres differentiæ in operanda hac spirituali resurrectione juxta tria genera peccatorum, quibus animæ moriuntur, voluit Christus tres tantùm mortuos suscitare, ut in eorum quolibet videremus peculiarem differentiam resurrectionis spiritualis.

d Tract. 49. in Ioa.

174 Primò igitur suscitavit filiam Jairi [e] puellam duodecim annorum statim ac mortua fuit. D. Aug. & ex ipso Beda intelligit illos, qui moriuntur spiritualiter per peccatum internum non perveniendo ad opus. Sic enim ait: [f] *Sunt nonnulli, qui jacente tantùm cogitatione, peccati sibi mortem consciscunt*. Vel etiam intelligi potest de peccato externo occulto, cui remedium statim procuratur. *Tales se vivificare significans Dominus suscitavit filiam Archisynagogi*. Addit Beda. Nam sicut mors hujus puellæ fuit quasi somnus, ut dixit Christus: *Non est mortua puella, sed dormit*. Ita hoc genus peccati levius est, & faciliùs curatur. Sicut enim puella ad vitam rediit tactu manus Christi levissimo: sic animæ mortuæ in ea significatæ ad minimum tactum cordis per sanctam inspirationem cum facilitate resurgunt.

e Math. 9. 25.
f Tract. 49. in Ioan.

175 Secundò, [g] suscitavit filium viduæ civitatis Naim, cujus mors publica fuit, & notoria: jam enim efferebatur extra portas civitatis, de cujus vita jam non curabatur, nec ad illam rediret, si author vitæ ei obviàm non venisset, & lacrymis viduæ matris non moveretur. Per hunc intelligit Aug. & Beda illos, quorum peccata sunt publica, sed non valdè diuturna. Ut autem Christus significaret, hos etiam habere remedium, restituit illi vitam naturalem. *Alii verò, ipsum malum, quo delectantur, agendo, mortuum suum quasi extra portas efferunt; & hos se suscitare demonstrans, suscitavit filium viduæ extra portas civitatis*.

g Luc. 7.

176 Notandum verò est, sicut in morte hujus adolescentis fuerunt pejores circumstantiæ, ita in ejus suscitatione major difficultas. Circumstantiæ autem fuerunt, quòd non statim quæsitus est Christus, unde mortuus permansit per aliquod tempus, etiam & jam efferebatur ad sepulturam, licèt ad eam nondum pervenerit, quod non accidit puellæ, de qua suprà. Accidit tamen peccatoribus in hoc significatis, qui non erubescentes de peccatis suis, ea publicè committunt, in eisque perdurant, aliud post aliud committentes. Difficultas veniendi hos ad vitam, non solùm cernitur in signis externis, & mora, qua Dominus istum suscitavit, sed in eo præcipuè, quod à Christo ei obviàm de industria veniente, specialiter fuerit quæsitus: in eo, quòd mater pro eo lacrymas fuderit; quæ si non intervenissent, mortuus permaneret. Nam hic modus peccandi ab uno in aliud peccatum talis est, ut hominem faciat

sui

Digitized by Google

sui oblitum, & remedii incurium, ita ut ad vitam recuperandam necessarium sit, ut à Christo specialissimè quæratur, ut Virgo mater clementissima deprecetur, & quasi ploret pro vita defuncti.

h Luc. 22. 177 Ingreditur Petrus [h] atrium Caiphæ, accedit ad ignem cum militibus, sermonem miscet cum ancilla ostiaria, & data occasione negat Christum, & jurat se illum non agnovisse. Peccatum fuit hoc gravissimum, publicum, & scandalosum, & quia tale, reliquit Apostolum tam sui oblitum, ut intra breve tempus aliud, ac aliud simile commiserit, quin in toto eo tempore culpam suam ploraret, aut fugeret occasionem. Deus bone! Petre, isti sunt tui fervores? Lapsus fuisti in occasione, quare non statim surrexisti? Cur non statim flevisti? Defuit qui te de tuo statu admoneret? Non quidem, nam in hoc tempore cantavit gallus, quod fuerat signum à Christo prædictum. Non flevit in prima negatione, nec etiam in secunda, quia tunc Christus eum specialiter non quæsivit, flevit post tertiam, quia tunc *respexit Dominus Petrum, & flevit amarè*. Quia peccata publica sæpiùs iterata difficilè curantur: ab hac morte solùm resurgit, qui à Christo

i Amb. ad locum Lucæ. specialissimè quæritur. Amb. [i] *Negavit Petrus, & non flevit, quia non respexerat Iesus. Negavit secundò, & non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit tertiò, respexit Iesus, & statim flevit*. Tunc flevit, tunc surrexit, cùm specialiter Christus illum quæsivit.

l Ioan. 11. 178 Tertiò suscitavit [l] Christus Lazarum sepultum ex quatuor diebus, corruptum jam ac fœtidum. Per Lazarum intelliguntur peccatores illi, qui per multum tempus demorantur in statu peccati, in quo jacent tamquam mortui in sepultura. Ut autem Dominus significaret hos etiam habere remedium, suscitavit Lazarum, ait Beda. *Ad hos etiam erigendos adest gratia Salvatoris, ad quod intimandum resuscitavit Lazarum quatuor dies in monumento habentem*. Suscitavit igitur Lazarum tam corruptum, ut etiam sorori malè oleret, ut doceret nullum esse peccatorem tam antiquum, & scandalosum, qui non posset per gratiam suam ad vitam redire.

179 In modo tamen, quo hunc suscitavit, satis ostendit quàm difficile sit hos ad vitam regredi, dixit idem Beda. *Ad quatriduanum verò suscitandum fremuit spiritu, lacrymas fudit, & voce magna clamavit*. Ad quid hæc? Aug. [m] *Quia difficilè surgit, quem moles consuetudinis premit*. Si verò quæras cur sit difficiliùs suscitare hujusmodi peccatores, quàm duos præcedentes? Respondeo causam esse, quia ut tales sint capaces vitæ, debent priùs exire ab occasione, in qua jacent tamquam in sepultura, ut observant Patres ponderantes hanc Lazari resurrectionem, in qua spiritualis istorum significatur. Nam prius Dominus imperavit, ut à sepultura exiret per illa verba *Lazare veni foras*. Posteà verò jussit Apostolis, ut eum solverent institis, & ligaturis, paramentisque sepulchralibus. *Solvite eum, & sinite abire*. Ut doceret hominem in occasione peccandi sepultum, si vivere velit, debere prius exire à sua occasione; quia dum est in illa, Apostoli, hoc est sacerdotes illum solvere non possunt, nec à sepulchralibus sordibus per Sacramentalem absolutionem liberare, aut vitæ gratiæ restituere. Amb. [n] *Exi foras. Hoc est, qui jaces in tenebris, & delictorum tuorum sordibus, exi foras, ut justificeris*. Quia dum non exis, non datur locus vitæ, quæ per justificationem recuperatur, vel in ipsa justificatione consistit.

m Tract. 49. in Ioa.

n Lib. 2. de pœnit. c. 7.

180 Dices. Si remedium consistit in deserenda sepultura, & occasione peccandi, facilè erit vitam consequi; quia nemo esse potest tam sui impos, tam sui inimicus, ut velit jacere inter sordes, & putores, quibus sepultura scatet. Non est facile, sed difficillimum: quia qui venit ad hunc miserum statum, mavult jacere in sua squalida sepultura manibus, pedibusque ligatus, quàm frui vita gratiæ, & libertate spiritus: mavult mortem, quàm vitam: mavult jacere in fœtore peccatorum; quàm indui formosa stola gratiæ, & salutis. Ingreditur Christus celebre illud hospitale quinque porticus habens, invenit ibi inter alios paralyticum jacentem in lecto triginta, & octo annos habentem in infirmitate sua; & facilè conjici potest, qualis esset lectus, & quæ ejus munditiès: hunc interrogat Dominus, an velit sanus fieri. Poterat interrogatio videri otiosa, quia nihil aliud miser optabat, ad id enim expectabat aquæ motum. Non tamen fuit otiosa, quia interrogatus repræsentabat illos, qui per annos vivunt in peccatis: lectus in quo

o Ioan. 5.

Digitized by Google

quo jacebat significabat sepulturam pravæ consuetudinis juxta Gloss. Tales autem nolunt sanari, ideò Dominus rogat, an velit sanus fieri, ut intelligeremus, quamvis infirmi corpore sanitatem appetant; anima tamen infirmos, si infirmitas longa sit, nec sanitatem velle, nec de illa cogitare, ut notavit Salm. dicens: [p] *Etsi nullus infirmus sit, qui sanitatem non expetat, pauci tamen sunt, qui ab infirmitate spirituali liberari velint.* Intellige, si diuturna sit; imò multi fugiunt eos, à quibus sanari possunt; quos tamquam inimicos oderunt, sibique habent infensos.

[p Salm. de in tacula piscinæ.]

181 Singularis est ad hoc probandum locus ille, in quo scribitur invenisse Christum hominem, in quo diabolus morabatur à multis temporibus. [q] *Occurrit illi vir quidam, qui habebat dæmonium jam temporibus multis.* Quem dæmon trahebat per campos extra hominum commercium, catenis obstrictum, cujus habitatio erat in mortuorum sepulturis, quæ per montes, & valles erant, juxta morem Hebræorum. *Neque in domo manebat, sed in monumentis. Dæmones enim contenti non sunt mori homines, sed vivos homines gestiunt sepelire.* Ut benè notavit Chrysol. [r] Ac si diceret. Non solùm satagit inimicus spirituali vita privare per peccatum; sed studet, ut adhuc vivi morentur in sepulturis: seu, quod idem est, ut perseverent diu in peccato; donec perveniant ad statum, in quo sui obliti non curent de relinquenda putredine, in qua jacent quasi sepulti.

[q Luc. 8. 27.]

[r Serm. 16.]

182 Est autem valde notandum quid fecerit miser iste videns Christum, in quo erat remedium suæ miseriæ. Ego credebam, quòd cum lacrymis ad sacros ejus pedes provolutus misericordiam imploraret: sed video petitionem fuisse. *Quid mihi, & tibi est Iesu Filii Dei Altissimi, obsecro ne me torqueas.* Heus tu, miserrime hominum, agnoscis ne statum tuum? Nosti in te habitare integram dæmonum legionem, cum quibus moraris in speluncis, & monumentis inter ossa, & putredines? Cur ergo Dominum obsecras, ut à te discedat, ne te torqueat? In quo te potest torquere levamen, & solatium afflictorum?

183 In eo certè affligebat, ac torquebat, quia volebat ab illo dæmonium expellere, illum à sepulturis extrahere, ut viveret inter homines tamquam homo. *Præcipiebat enim spiritui immundo, ut exiret ab homine.* Volebat hominem liberare à dæmone immundo turpitudinis, in qua per annos sepultus jacuerat; qui autem ita vivit, pœnam sibi arbitratur, antiquum statum deserere: sibi tormentum est videre quempiam, qui de ejus remedio curet. Hoc erat tormentum, quod ei Dominus inferebat; de hoc querebatur, ait Salm. [s] *Præcipiebat spiritui, ut exiret. Ex quo ille affligebatur, & de hac tortura dicebat: ne me torqueas.* O miserum, quantò melius tibi esset natum non fuisse, si tibi deveniendum erat ad statum ut potiùs velles dæmonum legionem, quàm Salvatorem tuum; habitare potiùs in sepultura, absque vita, absque honore, & absque vera lætitia, quàm inter filios Dei in via ad æternam vitam.

[s Salmer. in illud Euang.]

184 Scribit sanctus Matth. [t] in eodem cap. in quo narrat casum, de quo hactenus; oblatos fuisse Christo dæmonium habentes, Christumque unico verbo dæmones expulisse, absque ulla resistentia. *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & ejiciebat spiritus verbo.* Cur isti facilè, ille autem cum tanta resistentia ejectus fuit? Crediderim non fuisse aliam causam differentiæ, nisi quia iste dæmonium habebat jam à multis temporibus, cum quo erat jam sepultus; alii non erant dæmones antiqui, qui ad sepulturam perduxissent, qui proinde facilè expellebantur. Quando bonus Parochus viderit horum aliquos, qui à multo tempore jacent in peccato, tamquam in eo sepulti, quos spiritus immundus habet in speluncis, & monumentis, ubi est occasio suæ ruinæ, quorum fama pejus olet, quàm omnes putredines sepulchrorum, non multum confidat de eorum remedio, non tamen ab eo desistat pro cura sua pastorali, quæ major esse debet erga oves sic morbidas, utpotè in majori necessitate constitutas, quarum lues, quando est publica, aliis valdè nocet, unde non cesset tollere scandala de sua parœcia insectando peccata publica.

[t Matth. 8. 16.]

CA-

CAPUT XX.

De illis, qui sine scandalo in peccato diu perseverant.

185 Diximus de peccato publico & scandaloso, quod ferè semper solet esse diuturnum. Jam de aliis; quæ, licèt scandalum non pariant, si diu continuentur, sunt valde periculosa. Sunt enim aliqui homines quasi paralytici, qui ita jacent in peccato, ac si vires non habeant ad surgendum. Nam paralytici in sensu morali significant homines illos, qui sunt in peccato ex habitu. Lyran. [a] *Paralyticus jacet in lecto, quando tenet eum peccati consuetudo.* Hic pessimus peccatorum status. Satis mali est consentire dæmonis tentationibus: pejus est opere complere consensum, malum operando. Pessimum continuare in peccato. Horum graduum meminit David: [b] *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum.* Quantum ad malum consensum. *Et in via peccatorum non stetit.* Quantum ad malum actum. *Et in cathedra pestilentiæ non sedit.* Quantum ad stabilem, ac firmam in judicio pravo consuetudinem. Ut exponit sanctus [c] Basil.

a In Psalg. pœnitent.

b Ps. 1. 1.

c In Ps. 1.

186 Hic certè est pessimus status peccandi; quia ferè sine remedio. Est enim quasi paralysis animæ, quæ difficilem curationem admittit. Quia sicut paralyticus perseverat in lecto sine miseria usque ad mortem; ita homo jacens in lecto pravæ consuetudinis, ex illo deferetur ad mortem æternam. Sed unde provenit, quòd status iste difficilè habeat remedium? Basil. [d] *Animæ morbus, ubi vetustuit jam, vix ullam admittit medellam, aut certè immedicabilis fit prorsus, cùm in his, ut in plerisque aliis consuetudo mutetur, & abeat in naturam.* Ac si diceret. Ideo peccatum diuturnum difficilè emendatur, quia fit per usum naturale, estque tam difficile illud abjicere, sicut est difficile naturam ipsam exuere.

d In Ps. 1.

187 Hanc difficultatem significavit Deus per Jerem. dicens: [e] *Si mutare potest æthiops pellem suam:* quasi diceret. Sicut æthiops non potest abjicere colorem nigrum, quia sibi naturalem, quantumvis se millies lavet: ita ille, qui per annos continuavit peccatum, ita ut illud sibi fecerit quasi naturam, non faciliùs illud exuet, quàm æthiops suum colorem. Nam ut benè Theod. [f] *Omnia, quæ longa consuetudine comparavit animus, paria censentur cum naturalibus.*

e Jer. 13. 23.

f Ad loc. ii. Jerem. cit.

188 Eamdem difficultatem significavit per Amos verbis illis: [g] *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Hoc est tribus peccatorum differentiis medebor, dando gratiam, ut convertantur: quartæ autem non medebor, nec gratiam dabo ad conversionem. Quod debet intelligi de facilitate, qua tribus opitulatur; quia absolutè Deus gratiam necessariam negare non solet cuicumque peccatori. Quæ verò erunt tres illæ differentiæ, quibus Deus majori cum facilitate remedium adhibet? D. Hieron. [h] *Primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt: secundum cogitationibus acquievisse perversis: tertium, quod mente decreveris, opere complesse.* Id est peccatum internum delectationis. Secundum consensus in ordine ad executionem. Tertium peccatum operis completi.

g Amos 1. 3.

h Hieron. ibi.

189 Quod verò est quartum, à quo Deus non ita facilè convertit? Idem Hieron. *Quartum, post peccatum non agere pœnitentiam, sed in suo sibi complacere delicto.* Hoc est peccatum, in quo quis perseverat tamquam in re sibi jucunda. Ab hoc Deus difficilè convertit. Sed cur? Nonne Deus promisit se condonaturum peccatori, quacumque hora ingemuerit, & pœnituerit? Ita quidem est: verùm qui ad hunc statum deveniunt, regulariter non pœnitent, quia peccatum converterunt in naturam, quæ raro omittitur, ideoque rarò convertentur; quia infirmitatem ita per diuturnitatem naturalem fecerunt, ut curationem non admittant. Basil. [i] *Qui in malo perseverat, habet vulnus immedicabile.*

i In Ps. 1.

190 Unde dixit Chrysost. [l] *Non sic nos aversatur Deus ob delictum; quàm quando perseveramus in delicto.* Quia peccare est effectus infirmitatis, & meretur compassionem, & veniam: perseverare autem est effectus malitiæ, & obstinationis. In Gen. sunt duo loca, quæ sibi videntur contraria. Nam cap. 6. assignat Deus rationem, cur mundum deleverit per diluvium: [m] *Videns Deus quòd cuncta cogitatio cordis esset intenta ad malum, Delebo, inquit, hominem,*

l Hom. de Iona.

m Gen. 6. 7.

num, quem feci. Et cap. 8. videtur assignare pro motivo non mittendi iterùm diluvium; idem, quod habuerat ad illud inducendum: [n] *Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines; sensus enim, & cogitatio humani cordis ad malum prona sunt ab adolescentia sua.*

n Gen. 8. 21.

191 Non sunt contraria, sed confirmant nostrum discursum juxta Interpretes, quos adducit Velaxque. [o] Nam primo loco loquitur Deus de inclinatione acquisita per habitum, & consuetudinem peccandi, in qua homines illius temporis se posuerant: id enim significat terminus: *Intenta ad malum*. Inclinationem nempe voluntaria, & habitualem, quæ Deum ad castigandum impellit. In secundo loco loquitur de inclinatione propriæ infirmitatis, quæ consistit in fomite hæreditario accepto cum ipsa natura, idque significat terminus: *Prona ad malum*. Inclinationem videlicet non procuratam, sed annexam naturæ, quæ veniam, & misericordiam meretur, quia non voluntaria est. Totum autem attribuendum est celeritati, vel moræ, qua remedium quæritur. Qui enim per solam fragilitatem peccat, statim cogitat de remedio: cecidit quidem, sed subitò surgit, & veniam impetrat cum tanta diligentia, ut videatur non cecidisse juxta illud: [p] *Septies in die cadit justus, & resurget*. Id est justus sæpius peccat ob innatam fragilitatem, sed statim sublevatur per poenitentiam. Dubium esse potest, si cecidit, cur conservat nomen justi, si peccatum est injustitia, & qui peccat injustus? Ita quidem est: verùm cùm statim surgat, poeniteat, & emendetur, non fuit tempus, in quo potuerit dici injustus. Fuit peccatum infirmitatis, quod brevì deletum est. Hieron. [q] *Justi vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam semper resurgit.*

o Velaxq. ad hunc locum.

p Prov. 24. 16.

q Epist. 46.

192 Qui peccat ex habitu, & consuetudine, ita cadit, ut non surgat. [r] *Impii autem corruunt in malum*. Ut in eo jaceant, sine spe resurgendi, ut exponunt Interpretes; ac si cadant sub pondere, quod surgere impediat. Hoc erat pondus, de quo Scriptura loquens de peccato Sodomorum ait: [s] *Peccatum eorum aggravatum est nimis*. Interl. *Scilicet consuetudine, quasi supposito lapide*. Ac si peccare ex consuetudine sit ponderosus lapis, quem homo ponit supra se, qui eum impedit surgere, & à peccato exire. Facilè est levari illi, qui solùm cecidit; difficillimum autem illi, qui cecidit sub magno pondere, à quo obruitur, & ne surgat, impedimentum est. Unde dixit Chrys. [t] illos, qui à peccato confestim surgunt, dignos potius esse laudis, quàm lacrymarum; qui verò perseverant in peccato, non esse tam miseros, quia peccarunt, quàm quia perseverarunt. *Qui*, inquit, *postquam peccavit, pœnitentiam agit, non lacrymis, sed laude dignus est: qui autem post peccatum, in eo perseverat, non tam in cadendo miser est, quàm in jacendo post casum*. Hos deplorabat Apost. cùm diceret: [u] *Multi autem ambulant, quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum.* Orig. [x] *Apostolus lugebat quosdam, qui antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam*. Isti sunt crucis inimici, quia ejus fructum despiciunt: isti, qui habent pro fine interitum: isti, qui habent pro gloria turpitudinem, & confusionem, in qua vivunt. Cujus causa est consuetudo, quæ peccata enormissima repræsentat ut levia, & ferè nihil. Aug. [z] *Peccata, quamvis magna & horrenda, cùm in consuetudinem veniunt, aut parva aut nulla esse creduntur*. Quia consuetudo causat insensibilitatem, & stuporem, ut non advertatur ad miseriã præsentis status. Bern. [a] *Recipies de assiduitate stuporem.*

r Prov. sup.

s Gen. 18. 20.

t Hom. 17. in 1. Cor.

u Philip. 3. 16.

x Hom. 7. in Matth.

z In Enchir.

a 1. de consid.

193 Sanctus David de suis peccatis dicebat: [b] *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ*. Bonum signum videri peccata, quod verè sunt putredines, ac maleolentes corruptiones, non autem flores, aut unguenta odorifera. Amb. [c] *Est ergo sancto David spes & remedium sanitatis, quia iniquitates non unguentum redolent, sed fœtorem*. Si enim ille pervenisset ad statum, de quo loquimur, non adverteret ad eorum fœditatem, & graviolentiam, quia, ut benè Chrysost. [d] *Anima à mala consuetudine obruta, non sentit quidem peccatorum suorum gravissimorum fœtorem*. Ab assuetis enim non fit passio. Dicant, quæso, quid intendant miseri isti? Voluntne salvari, an condemnari? Respondent quidem salvari se velle. Hoc tamen non fiet, nisi statum peccati mox relinquant. Quando ergo hoc erit? Respondent: in fine vitæ Deum sibi concessurum horam pœnitentiæ, quam concessit sancto latroni, qui, licèt per totam vitam in pec-

b Ps. 37. 6.

c Amb. ibi.

d Hom. 22. in Gen.

cato vixerit, salutem tandem adeptus est. O fallacem spem, ò insanam hallucinationem! Audiant D. Bernardum: e *Si benè memini, in toto canone Scripturarum unum latronem reperies sic salvatum. Noli ergo huic tam periculosæ expectationi credere temetipsum: unde scis, quòd tunc tibi ita subvenire velit, quem tu interim sic repellis?*

e Ser. 38. ex parvis.

194 Imò hoc ipsum exemplum, quod istis spem ingerit, formidinem ingerere debuerat, quia si Christus salvavit illum latronem, id fuit in die suæ majoris misericordiæ, & jubilæi, quando è cruce pendens sanguinem, & vitam effundebat pro hominum salute, quo die usus est hac benevolentia cum socio suo in passione, qui ad latus ejus simul moriebatur in præsentia matris suæ. Quid ergo mirum, quòd in tali die, ac circumstantiis extraordinaria quadam misericordia uteretur? Verùm eodem die, & circumstantiis permisit quòd alter socius perderetur, ut intelligeremus, quàm difficilis sit salus illorum, qui vitam transigunt in statu peccati, reservando pœnitentiam ad ultimam horam: erit quidem miraculum, quòd istorum aliquis salvetur: quia quamvis salus boni latronis ostendat illam in omni tempore esse possibilem; damnatio tamen socii docet, quàm sit difficilis illis, de quibus loquimur, ut curemus de vita cum tempore emendanda ad fugiendum tam grande periculum.

CAPUT XXI.

Exhortatio ad bona opera, & pœnitentiam non differendam.

195 Sicut sunt paralytici, qui ob ariditatem membrorum nihil operantur, ita sunt multi, qui in via salutis ita se gerunt, ac si haberent potentias animæ aridas, ac impeditas ad benè operandum. Lyran. a *Paralytici sunt pigri, quasi impotentes bonum operari*. Est autem paralysis ista valdè nociva, quia impedit opera honesta, sancta, & salutaria, sine quibus nemo admittitur ad paradisum. Opera enim illorum sequuntur illos. Nam etiam Adamum posuit Deus in paradiso terrestri ad operandum in illo: b *Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, ut operaretur, & custodiret illum*. Verùm quibus operibus, quove labore occupandus erat Adam, si paradisus omnes fructus proferebat absque opera agriculturæ, & status innocentiæ erat quietis, & non laboris? Deinde à quo debebat paradisum custodire, si non erant, à quibus impeteretur? Petebat Deus virtutum opera, quibus mereretur durare in tam felici loco, ut inde posteà ad gloriam patriæ per merita transferretur. Rupert. c *Quia ab homine exigit Deus fidem per dilectionem operantem, ait Scriptura; Posuit eum Dominus in paradiso, ut operaretur*. Volebat Deus opera fidei, charitatis, & aliarum virtutum: in his erat laborandum, hocque labore custodire debebat paradisum, ne illum amitteret, ut amisit, quia ista defuerunt.

a In miraculo piscinæ.

b Gen. 2. 15

c Rupert. ibi.

196 D. Amb. ait duo Deum ab homine postulasse, nempe ut per bona opera merita compararet, illaque custodiret, ne perderentur per peccatum. d *Hæc duo ab homine requiruntur, ut & operibus nova merita quærat, & parta custodiat*. Nam si non exerceret opera virtutum, non mereretur paradisum: si illa jam facta non custodiret, ne per peccatum perderentur, illum etiam perdidisset. Itaque hortus excolendus operibus, erat anima. Unde meritò Adam dictus est à Naz. e *Agricola plantarum immortalium*. Quia ad excolendas plantas animæ in paradiso ponebatur. Si ergo ad ita operandum posuit Deus hominem in paradiso voluptatis, quis sani judicii credet posuisse filios ejus in valle miseriæ, ut essent otiosi, & absque operibus cœlesti patria dignis? Bern. f *Quis sanus sapiens filios ejus in loco afflictionis ad feriandum positos arbitretur?* Error quidem erit id concipere. Ea enim de causa sæpiùs in Scriptura comparantur homines vineæ, & arboribus, ut intelligant ipsorum esse hos fructus proferre. Isai. g *Vinea facta est dilecto meo, & expectavit, ut faceret uvas*. Interl. *Idest fructus bonorum operum*.

d Amb. ibi.

e Naz. or. 42. in S. Pas.

f Ser. de sapient. & prud.

g Isai. 5. 1.

197 Sed quæ fuit ista vinea? Isai. *Vinea Domini exercituum domus Israel est*. Hoc est populus Judaicus, & antiqua synagoga, quæ loco uvarum bonorum operum fecit labruscas. Idest, ut exponit Lyran. h *opera inutilia, & nociva ad idololatriam declinando*. Propter quæ Deus vineam abstulit ab eo populo, illamque tradidit gentibus, ut proferrent fru-

h Lyran. ibi.

Digitized by Google

fructus sanctarum operationum, quas ille negaverat, juxta illud Christi Domini loquentis de hac vinea: [i] *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus:* [l] *In quo significatur,* ut exponit Maldon. *abolendam synagogam, & Dei Ecclesiam, quæ per vineam fuerat significata, ad gentes transferendam.* Et ita factum. Igitur tam vinea Isaiæ, quàm Christi in sensu literali significat Ecclesiam Catholicam. In sensu verò morali significat animas nostras, quas Deus plantavit in terra nostrorum corporum, ut eas excolendo, in æternum vivere possemus ex fructibus sanctorum operum, quibus etiam Deo Domino vineæ solveremus debitum tributum honoris, & laudis. Theophil. [m] *Quilibet de populo vinea est, idem etiam cultor.* Quare quilibet nostrùm est pars universalis vineæ, quam Deus plantavit in sua Ecclesia, vel arbor ipsius, cujus tot sunt rami, quot potentiæ, ex quibus Deus varios expectat fructus. Bern. [n] *Bona vinea justi, imò bona vinea justus, cui virtus vitis, cui actio palmes, cui vinum testimonium conscientia.*

i Matth. 21.43.
l Mald. ib.
m Theoph. in ea parabola.
n Serm 63. in Cant.

198 Verùm sicut res nulla majori industria indiget, quàm vinea, cui si desit excavatio, amputatio, & similis cultura, brevi degenerat in silvam soli igni aptam: ita si vinea animæ non excolatur, si non amputentur inclinationes pravæ, in quas erumpit terra, seu caro, in qua est plantata, si desit excavatio pœnitentiæ', irrigatio lacrymarum, brevì convertetur in silvam, in qua solùm reperiantur spinæ ad cruciandum Dominum vineæ: & si casu uvas aliquas produxerit: erunt illæ, quas proferre solet vinea non exculta, ex quibus fiat acetum ad eundem Dominum affligendum. De quo querebatur Isai. dicens: [o] *Expectavit, ut faceret uvas, fecit autem labruscas.*

o Isai. 5.2.

199 Confirmat Sapiens hanc doctrinam: [p] *Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam viri stulti, & ecce totam repleverant urtica, & operuerant superficiem ejus spina.* Unde benè Bern. [q] *Non est vinea stulto: quomodo vinea, ubi nihil plantatum, nihil elaboratum uspiam apparet? Tota spinis silvescit, & tribulis vinea stulti, & vinea est? Ubi vitis virtutis? Ubi botrus boni operis? Ubi vinum lætitiæ spiritualis.* Certè anima, quæ sanctis operibus non excolitur, vinea non est, sed ager silvestris tribulis vitiorum, & peccatorum spinis ferax: talis autem fit, ex defectu culturæ, ex incuria laborandi & oblivione benè operandi.

p Prov. 24.3
q Ser. 3. in Cant.

200 Si autem dicamus vineam esse Ecclesiam, fideles verò arbores illius, inveniemus eamdem obligationem producendi bonorum operum fructus, ob quorum carentiam Deus acriter punit. Bis Christus nos in Euangelio ficubus plantatis in vinea sua comparavit. Cur autem ficubus potius, quàm aliis arboribus? Fortasse fuit, quia inter omnes arbores sola ficus flores non profert, sed subitò germinat in fructus, ut notavit Plinius, & elegantius D. [r] Amb. *Cæteris albentibus primo vere virgultis, sola ficus nescit proprio flore canescere.* Non vult Deus nos arbores, quæ floribus, qui marcent, occupemur; vult statim fructus utiles. Flores arborum Dei debent esse ipsi fructus, juxta illud: [s] *Flores mei fructus honoris, & honestatis.* Causa etiam, cur ficubus comparemur, fortè erit, quia sola ficus nunquam feriatur: singulis annis abundat fructibus, non semel, sed bis, quod aliis arboribus non contingit: Deus autem vult, ut fideles suæ Ecclesiæ semper, & ubique fructus germinent, sub maledictionis suæ comminatione.

r In c. 13. Luc.
s Ecclesi. 24.23.

201 Maledixit enim ficui, in qua fructus semel quæsitus non invenit: [t] *Videns fici arborem, venit ad eam, & nihil invenit in ea, nisi folia tantùm: & ait illi: Numquam ex te fructus nascantur in sempiternum, & arefacta est continuò ficulnea.* Bone Deus! in quo peccavit ficulnea, ut sic malediceretur? Hoc fuit parabola, ait Beda: [u] *Sicut enim parabolas loquitur, ita etiam operatur.* Voluit Dominus significare quomodo se gerat nobiscum, qui sumus ficulneæ plantatæ in vinea Ecclesiæ suæ. Idem Beda. *Quisquis nostrùm ficus est, in vinea Dei, hoc est, in Ecclesia plantata.* A quibus sperat bonorum operum fructus, quos non inveniens vitam nobis adimit, ut olim præteriens ademit ficulneæ, quam arefecit, ut doceret tamquam arbores infecundas, ac steriles fore ad ignem excidendas. Quare concludit Beda: *Si non vis damnari à Christo, arbor sterilis esse caveto, sed potius pauperi Christo fructum offer.*

t Matth. 21.19. Marc. 11.
u Bed. ibi.

202 Notavit autem S. Marc. Quando Christus ficus quæsivit in ficulnea, non fuisse tempus illorum. [x] *Non enim*

x Mar. 11. 13.

erat tempus ficorum. In quo ergo peccavit ficulnea non habens fructus? In hoc clarius apparet mysterium parabolæ, in qua Dominus non agebat de ficulnea illa, sed de hominibus in ea significatis, in quibus semper fructus cupit invenire, quibus satisfaciat fami, & desiderio salutis nostræ. D. Paulin. *Propter nos utique scriptum est, in quibus escam suam Deus semper vult invenire: itaque in illa arbore salutem hominis esuriebat, & ab homine debitum sibi fructum petebat*. Ideò extra tempus quæsivit fructus in ficulnea, ut homo intelligat se semper teneri illos Deo offerre, ait idem Paulin. *ut omni tempore se fructum Deo debere cognoscat*.

203 Quare timenda maximè est maledictio ficulneæ, quam prius prædicaverat Baptista:[a] *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Nec maledictio differenda, ideò addit: *Iam securis ad radicem posita est*.[b] Athanas. *Securis est finis hominis, qui non tardat, & cùm sit incertus, in qualibet hora timeri potest*. Unde si volumus ignem effugere, ad pœnitentiam nobis est confugiendum, ut monebat sanctus Præcursor. *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ*. Teophil.[c] *Fructus pœnitentiæ non solùm est fuga mali, sed elaboratio boni*. Duo igitur sunt fructus pœnitentiæ; nempe fuga peccati, ad quod non redeamus, & opera sancta satisfactionis. Quæ tunc erunt fructus digni pœnitentiæ, quando fuerint culpis præteritis proportionata. Greg.[d] *Vt tantò majora acquirat bonorum operum lucra per pœnitentiam, quantò graviora sibi intulit damna per culpas*.

204 Aliquot istarum arborum excidit Deus in prima ætate, quia in illa hos fructus non proferunt: aliàs expectat usque ad secundam: aliàs usque ad tertiam. Ut Christus significavit loquens de pœnitentia in parabola ficulneæ, quam Dominus vineæ succidi jussit, quia in tribus annis fructum in ea non invenerat.[e] *Ecce tres anni sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio: succidete ergo illam, ut quid terram occupat?* Theophil.[f] *Triennium intelligendum est pro tribus ætatibus juvenili, virili, & senili*. In omnibus illis Deus à nobis quærit fructus pœnitentiæ: sæpè autem, si illos non invenit in juvenili, expectat eos in virili, & aliquando expectat usque ad senilem. Hæc ejus misericordia nos obligare debuerat ad hos fructus quolibet tempore proferendos: verùm ea sæpè est nobis occasio differendi illos ad ultimum tempus. *Quasi ille, qui per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit etiam longiorem vitam: in quo Propheta legis, quia promisit correcto indulgentiam; non mihi legis, quia promisit Deus tibi longam vitam*. Ut benè dixit Aug.[g] laborandum igitur est, ne desint in qualibet ætate fructus isti, ne contingat, ut ante illos arbor excidatur.

205 Sed proh dolor! sæpè pervenimus ad senectutem, quin Dominus hos fructus reperiat: quid speramus, nisi sententiam ficulneæ, quę in nullo trium annorum fructum obtulit? Et adhuc est, qui pro arbore tam sterili intercedat. *Domine dimitte illam & hoc anno*. In quo[h] Theophil. intelligit Christum Dominum, qui pro nobis apud Patrem intervenit. *Quasi ad Patrem diceret: meis ego irrigabo passionibus, & doctrinis, & forsan dabunt obedientiæ fructum*. O bone Jesu! quot jam sunt anni, ex quibus nos tuo sanguine irrigas in tuis Sacramentis communicato? Et nos adhuc steriles! quid speras, bone Jesu, si adhuc steriles, quando fructus veræ pœnitentiæ, quos hactenus negavimus, germinabimus?

206 Naz.[i] *Serpentis sibilus hic est; da mihi tempus præsens, Deo futurum; mihi juveniles annos, Deo seniles*. Vult inimicus, ut pœnitentiam differamus in tempus futurum, quod est dubium, ac incertum; ut exponamur periculo remanendi sine illa extra paradisum, ut accidit[l] virginibus fatuis, quæ non curarunt de oleo charitatis, & pœnitentiæ, dum tempus erat, distulerunt provisionem ad tempus futurum, quod diabolus promittebat, & tandem defuit; unde à paradisi nuptiis exclusæ fuerunt. Hilar.[m] *Et tamen cùm jam non est tempus pœnitentiæ, veniunt, Domine, Domine aperi nobis*: Fuit astutia serpentis, sicut etiam est ut ipsi demus juveniles annos, Deo seniles, quos fortasse non habebimus: & si illos certò habituri essemus, quodnam consilium foret? Cæsarius Arelat.[n] *Quis ferret quòd ejus servus hosti suo serviret, dum vires habet, & cùm jam foret inutilis, rediret ad serviendum domino suo? quod ergo non vis pati à servo tuo, non est justum ut facias Domino tuo*.

207 Cur non damus Deo tempus præsens, quod nobis misericorditer concedit?

[z] Epist. 33.
[a] Matth. 3.10.
[b] Athan. in qq. q. 44.
[c] Theoph. ibi.
[d] Hom. 20. in Euang.
[e] Luc. 13.
[f] Theoph. ibi.
[g] Tract. 33. in Joa.
[h] Theoph. ubi sup.
[i] Orat. in S Lavacr.
[l] Matth. 25.
[m] Hilar. ad locum Matth.
[n] Cæsar. Arelat. in Biblioth.

Digitized by Google

dit? Cur juvenes primam ætatem ejus obsequio non impendimus? Qui sumus in perfecta ætate, cur eam Deo non consecramus, si ille omnes suas nostræ utilitati devovit? Qui verò fortasse annos floridos juventutis, & virilis ætatis dæmoni tradiderunt, suntque jam in ultima senectute, illam saltem Deo offerant, qui piè illos expectavit, & multis non concessit. Bern. *Dedisti robur annorum juvenilium hosti Christi; Christo saltem misericorditer expectanti infirmam tribue valetudinem*. Proferat saltem in fine fructus pœnitentiæ, quos adhuc Dominus acceptabit. Bern. *Bonus profectò Iesus, qui etiam in quarta vigilia venientem servum suscipit pœnitentem*.

CAPUT XXII.

Exhortatio ad servanda Dei præcepta.

208 Mundus iste exilium, patria paradisus est: [a] *non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*. Arcta verò via est quæ ducit ad vitam; acclivis, quia ducit ad civitatem positam in monte. [b] *Quis ascendet in montem Domini?* Est autem mons adeò præaltus, ut via ad illum sit scala, quam Deus ostendit [c] Jacobo, quæ tangens terram cœlum simul attingebat; in cujus summitate Deus ipse videbatur quasi expectans ascendentes, adeò ut Jacob statuerit, non esse ibi aliud, nisi domum Dei, & portam cœli, scalamque illam viam, qua deberent ascendere, qui in eam essent intraturi. Tertul. [d] *Interpretamur scalis his iter ad cœlum demonstrari*.

a Heb. 14. 1.
b Ps. 23. 9.
c Gen. 28. 12.
d 3. Contra Marc.

209 Ad ascendendum igitur ad civitatem in tam alto monte ædificatam, per viam arctam, seu scalam acclivem necessarii sunt pedes sani, & expediti. Hos habet anima, suntque duæ voluntatis operationes, quæ dicuntur amor, & odium, seu prosecutio, & fuga. Aug. [e] *Pes animæ amor intelligitur, amore movetur tamquam ad locum, quò tendit*. Quamvis autem Aug. unius tantùm pedis amoris, seu prosecutionis meminerit; non ideò negat alterum odii, & fugæ. Utrumque expressit David, dicens: [f] *Declina à malo, & fac bonum, & inhabita in sæculum sæculi*. Ac si diceret. Si vis felicitatem cœlestis patriæ, fuge omne peccatum, & ama bonitatem virtutis saltem præceptam; isti enim sunt duo quasi pedes, quibus illuc ascenditur.

e Aug. in Ps. 9.
f Ps. 36. 28.

210 Aliter exponunt alii locum, & eodem recidit: omnia præcepta sunt vel affirmativa, vel negativa. Affirmativa præcipiunt bonum: negativa prohibent malum. Affirmativa implentur amando efficaciter bonum, quod præcipitur: negativa verò, fugiendo malum, quod prohibetur. Hi sunt duo pedes, quibus anima incedit per viam salutis tendentem ad patriam cœlestem, hoc est, per viam mandatorum Dei. Qui autem per hanc viam graditur, quin impingat, potest dicere cum David: [g] *Viam mandatorum tuorum cucurri*. Non solùm ambulavi, sed cucurri fugiendo malum prohibitum, & faciendo bonum præceptum.

g Ps. 118. 32.

211 Est autem dolendum, quòd sint multi claudi, qui in hac via nec unum pedem movent, nec unum scalæ gradum ascendunt. Cyrill. *Claudi sunt, qui quod vident, non possunt operari*. Ego potius dicerem: claudi sunt, qui nolunt ascendere, qui nolunt servare præcepta; nam omnes cum divina gratia, quæ non deest, possumus vitare peccata mortalia, & amplecti virtutes ad salutem necessarias, ut notavit Chrysost. ponderans verba Christi: [h] *Non omnes capiunt verbum istud*. [i] *Non dixit: Non possunt, sed Non omnes capiunt: omnes quidem capere possunt; sed non tamen omnes capere volunt*. Quia liberi. Sunt ergo claudi, qui nolunt fugere malum, & sequi bonum; suntque claudi utroque pede, quia illis uterque deest, nempe amor boni, & odium mali, quibus anima movetur: sunt instar Miphiboseth, de quo dicitur in Scriptura: [l] *Erat claudus utroque pede*, per quem Lyran. intelligit quemlibet Christianum duplici ex capite ad malum facilem, nempe ex ignorantia, & infirmitate: [m] *Per claudum utroque pede intelligitur quilibet Christianus, nam pronus est ad cadendum in peccatum dupliciter, scilicet per ignorantiam, & infirmitatem*. Ego potius dicerem utroque pede claudum esse, qui nec peccatum fugit, nec virtutem sequitur, quia hi sunt duo animi pedes, odium, & fuga peccati; amor & prosecutio virtutis.

h Matth. 19. 11.
i Chrys. hom. imperfecti.
l 2. Reg. 9. 13.
m Lyran. in Euang. piscinæ.

212 Proh! quot sunt hodie utroque pede claudi, & multi à nativitate similes illi, qui mendicabat ad portam [n] Specio-

n Act. 3. 2.

ciosam, quò ab aliis quotidie portabatur, nec enim ad id pedes habebat, erantque ultra quadraginta anni, ex quo sic vivebat: & si Apostoli eum per miraculum non sanassent, claudus moreretur. Quot hodie sunt magis claudi in anima, quàm iste in corpore? Quot sunt, qui à nativitate, nullum peccatum fugerunt; omnia commiserunt quotquot occasio obtulit, & quæ opere complere non potuerunt, per desiderium admiserunt? Nec unum virtutis opus à Deo præceptum exercuerunt? Quinam sunt isti, nisi claudi à nativitate, qualis ille, de quo ait Scriptura: *Claudus ab utero matris suæ.* Miseri, qui tantum distant à summitate scalæ, ex qua ad paradisum intratur, ut nec primum quidem pedem in ea posuerint: quomodo ergo, aut quando poterunt pervenire?

213 Est autem hæc infirmitas antiquissima; de illa querebatur David: [o] *Iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Itane! semper pedes animæ meæ erunt debiles, & infirmi! semper infirmitas hæc illos comitabitur, & impediet ascensum sanctæ civitatis. Ah Domine! tam habitualis, & intrinseca est infirmitas ista, ut non valeam me ab illa penitus expedire. *Iniquitas calcanei mei circumdabit me?* Ita quidem, quia erat infirmitas pedum, & tam antiqua, ut à primis parentibus derivaretur: ab Adamo enim ille, & nos omnes eam contraximus, quia serpens causa totius ruinæ, pedes animæ ejus momordit, illosque ex veneno immisso tam debiles reddidit ad bonum, quàm pronos ad malum. Unde cùm omnes simus filii patris claudi, quid mirum, si omnes claudicemus? Amb. [p] *Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulneri dereliquit, ut omnes suo vulnere claudicemus.*

o Ps.48.6.

p Amb. ibi

214 Hinc est quòd etiam illi, qui magis salutem desiderant, magisque laborant, ut Deo uniantur, experiuntur hanc pedum infirmitatem, & fatentur non posse illos movere per viam, qua volare cupiebant. Quæ magis optabat Dei unionem, quàm anima illa Cant. quæ tota hoc flagrabat desiderio? Videns verò imbecillitatem suorum pedum tractam ab Adamo submissè rogabat, ut ab ipso Deo traheretur, sciens aliter se movere non posse. Ideò dicebat: [q] *Trahe me, curremus.* Quæ tibi necessitas, ut traharis, ò anima benedicta? Magna respondet pro illa Bern. quia amor, qui est pes, quo anima graditur ad Deum, refrixit; indeque est, ut habeam pedes tam debiles, ut moveri nequeam, nisi Dominus me trahat. [r] *Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper ignis amoris tui, nec valemus à facie frigoris hujus currere.*

q Cit.1.3.

r Serm.21. in Cant.

215 Non deerat animæ isti, nec nobis Dei gratia necessaria ad incedendum per viam mandatorum, quæ suppleat infirmitatem nostram. [s] *Deus enim,* ut ait Apost. *adjuvat infirmitatem nostram;* quare vult, ut accingamur ad viam, ut non expectemus tamquam claudi, ut ipsemet nos in domibus nostris quærat, & ponat in via. Ad domum suam invitabat Sponsa Dominum allegans convenientias, nempe flores, quibus lectum ornaverat: [t] *Lectulus noster floridus.* Ac si vellet dulcedinem suæ beatæ præsentiæ sine motu, ac gressu. Dominus verò respondit: *Ego flos campi.* Quænam responsio? Invitaris, Domine, ad lectum, & respondes te esse florem campi? Mysterium fuit, teste Bern. significare animæ illi, quòd si volebat suavitatem, & gloriam suę præsentiæ, hanc non habendam domi suæ, sed exeundum sibi, ambulandum, & ascendendum per scalam præceptorum, supposito quòd per suam gratiam supplebat suorum pedum infirmitatem. Bern. [u] *Illa monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium provocat.* Ac si diceret. Si vis gloriam & quietem meæ præsentiæ, opus est movere gressus, & ascendere ad illam, quia eam non obtinebis, si tamquam clauda in lecto jacueris tuo. Quare surge, surge, propera amica mea, & veni. Quia gloriosa quies, quam appetis, non te quæret in domo tua tanquam hæreditas necessaria, quæ ex patribus ad filios derivatur, sine ullo ipsorum labore: hæreditas quidem est, per Christum comparata, ita tamen, ut eam non obtineat, qui eam non quærit: est hæreditas sita in regno longinquo, opus est moveri ad illa fruendum. Quapropter nisi te accingas ad viam fugiendo peccatum, & prosequendo virtutes; pro hæreditate invenies maledictiones, quas David imprecabatur dicentibus: [x] *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Quia volebant ut gloria illos

s Rom. 8. 26.

t Cant. 1. 16.

u Serm.45. in Cant.

x Ps.82.13.

illos quæreret, sicut hæreditas Patrum quærit filios, quin pro illa laborent: hæreditas autem gloriæ solùm datur quærentibus, ambulantibus viam mandatorum, imò & ascendentibus scalam virtutum. z Mald. Mald. [z] *Non hæreditati, sed virtuti conceditur*. a Bern. Bern. [a] *Virtus gradus est ad gloriam*. Ascendendum est per hanc scalam, relinquendo vitia in terra. Qui autem pedes non habet, vel habere non vult, ab ascendendo excludetur.

216 Nam gloria, ejusque benedictiones solùm dantur ascendentibus. b Psl.83.6. [b] *Beatus vir, qui ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum*. Cùm enim Dei civitas sit in alto posita; non potest ad illam perveniri, nisi ascendendo. c Geneb. ibi Geneb. [c] *Beatus, qui ex animo meditatur in domum Dei ascendere, quamdiu est in hoc mundo*. Hi digni sunt benedictionibus. *Etenim benedictionem dabit legislator*, dicendo *venite benedicti Patris mei*. Hi intrabunt paradisi portam, superatis omnibus scalæ gradibus, eundo de una virtute in aliam, tamquam de gradu in gradum. *Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion*. Naz. *Per quotidianos gradus conscensum scala laudo*.

217 Amb. Ne timeas, ò homo gradus hos ascendere. Est enim ascensus facilior, quàm repræsentatur: pone pedem in primo gradu, & facilè ascendes ad secundum: Deus est in summitate adjuvando tuorum pedum debilitatem; mandando Angelis suis, ut te coadjuvent, manumque porrigant; ideò Jacob multos vidit ascendentes: & descendentes; pone pedes in primo gradu, qui à terra, seu à peccatis separat: superato autem hoc gradu per fugam mali; faciles erunt alii bonorum operum gradus. d In præf. in ps.1. Amb. [d] *Ille primus ascensus te à terra separat; ubi ab humo elevaveris vestigium, in virtute positus surgendo liquisti terram: exordium processionis ad virtutem est abstinere à peccato*. Serva ad unguem præcepta negativa, quæ prohibent malum; & statim curres per affirmativa; quæ præcipiunt bonum, actusque virtutum, sine quibus ad culmen scalæ non pervenitur.

CAPUT XXIII.

Exhortatio ad solas virtutes procurandas.

Non desunt in via salutis claudi non utroque pede, sed uno tantùm; illi nempe, qui primo animi pede, qui est amor, sequuntur aliquo modo virtutem, faciendo aliqua opera virtuosa, & observando pleraque præcepta affirmativa; non tamen fugiunt in totum peccata, quatenus violant aliqua negativa; his deest pes odii, quo à malo receditur. Hi sunt claudi uno saltem pede, & claudicant in via mandatorum Dei, in qua rectè non ambulant. Barrad. [a] *Claudi sunt, qui in via præceptorum Dei claudicant, rectisque animæ pedibus minimè incedunt*. a Mor. de pœna. Quomodo potest rectus incedere unum tantùm habens pedem? Est id impossibile, duo enim requiruntur, & ambo sani; qui unum tantùm habet, vel alterum claudum, singulis gressibus necessariò erigitur, & deprimitur. Hoc autem est rectis animæ pedibus non incedere; modò assurge ad virtutem; modò deprimi ad vitium, inclinando jam ad unam partem, jam ad aliam, jam ad virtutem, jam ad vitium. Sunt isti similes Samaritanis, ad quos Elias: [b] *Usquequò claudicatis in duas partes*. b 3.Reg.18. 21. Quia, ut optimè Theod. [c] *Et Deum adorabant, & idola colebant*. c In gloss. ibi. Assurgebant, quando adorabant Deum: incurvabantur, quando Baal, & alia idola venerabantur: quod etiam notavit Scriptura: *Cùm Dominum colerent, diis quoque suis serviebant*. Hoc autem Elias vocabat claudicare in duas partes. Deus autem non tolerat hunc modum incedendi; vult quòd recti incedamus, ei soli serviendo; & hoc Elias suadere intendebat dicendo: *Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum*; quia ut recti ambularent, unum solum sequi debuerant; hunc autem Deum unicum & verum. 218

219 Cùm enim sciret, Deum solum esse Dominum dignum omni cultu, & amore, volebat quòd quæreretur utroque animæ pede; nempe amore, & odio, amando illum solum, & quidquid ille amare & velle præcipit, fugiendo; ac odio habendo, quidquid ille odit, & prohibet: nam quærere illum,

Digitized by Google

illum, & non fugere dæmonem, qui in Baal adorabatur; nec peccatum, ad quod invitat, est claudicare in duas partes. Deus autem domi suæ non patitur claudos: [d] *Cæcus, & claudus non intrabunt in templum Domini*. Ait Scriptura. Vult homines rectos, qui non incurventur jam ad unam partem, jam ad aliam. Quia inclinare ad utramque idem est, ac Deum deserere, & perinde est, ac utroque pede claudicare. Unde Theod. legit: *Quousque claudicatis utrisque poplitibus*.

d 2. Reg. 5. 8.

220 Hanc doctrinam nos docuit Christus, cùm dixit: [e] *Non potestis Deo servire, & Mammonæ*. Fieri non potest, ut quis Deo simul serviat, & bonis temporalibus. Quia si illis servierit, Deo servire non poterit. Notandum verò est cum Hieron. non dixisse Christum: Non potestis Deo servire, & habere divitias; quia habere bona temporalia, non est contra Dei servitium, nam potest quis multa habendo Deo perfectè inservire, ut contigit Jobo, Abrahamo, & multis aliis, qui divites fuerunt, & insignes Dei servi; qui bonis non serviebant, sed dominabantur. Chrysost. [f] *Iob dives erat, non tamen pecuniæ serviebat, sed imperabat; nec erat famulus, sed dominus*. Quare solùm est impossibile Deo simul inservire, & bonis. Quid autem sit bonis inservire? Barrad. *Ille divitiis servit, qui servi instar divitiarum cupiditati obsequitur, utque divitias congreget, crimina non pertimescit*. Unde servire divitiis est illas sic amare, ut propter illas acquirendas, vel non dimittendas furta committantur, aut restitutio non fiat. Sic autem servire divitiis, aut alteri commodo temporali, esse non potest cum Dei servitio, quia est adorare bonum illud, tamquam idolum.

e Matth. 6. 24.

f Hom. 22 in Matth.

221 Non patitur Deus in altari cordis nostri secum idolum. Ideo Elias, qui benè noverat Dei voluntatem, dicebat: *Si Dominus est Deus, sequimini eum; si autem Baal, sequimini illum*. Nam aut Deus, aut Baal; Deus, aut diabolus; Deus, aut peccatum è corde abjiciendus est. Eligendum nobis est, quia Deus non vult divisionem, sed cor integrum. Mulieres illæ, quæ litigabant coram Salomone de filio, cujusnam esset, habuerunt sententiam, qudò puer divideretur, ut unaquæque partem haberet. Quæ non erat mater, sententiam acceptavit: vera mater noluit divisionem. [g] *Date illi infantem vivum*. Bern. *Non patris, non matris vox illa: Nec mihi, nec tibi, sed dividatur*. Pater, aut mater vult integrum filium. Diabolus parùm curat, quòd dividatur, quia nec pater, nec mater est; ideò non curat, quòd Deum tamquam Dominum adoremus, quòd bona aliqua opera exerceamus; dummodo illi simul serviamus, simusque in peccato mortali, quia novit Deum nolle cum illo divisionem, & si illum admittimus, Deum omninò excludendum, illumque solum in corde, & anima permansurum tamquam Dominum.

g 3. Reg. 3. 26.

222 Jussit Josias, ut poneretur arca Dei in sanctuario templi: [h] *Ponite arcam in sanctuario templi, quod ædificavit Salomon filius David*. Hærent Interpretes in hoc mandato, quia locus arcæ, in qua Deus venerabatur, erat sanctuarium, in quo Salomon eam collocaverat multos ante annos, ut scribitur Reg. 3. Quomodo ergo jussit Josias, ut poneretur in sanctuario, si ibi jam erat à multis annis? Respondet D. Hieron. Dei arcam deseruisse templum tempore Achaz, quando idola introducta sunt in illud, fuisseque extra illud, usque ad tempus Josiæ, quia usque ad illud idola permanserunt in templo; quando autem Josias idola è templo relegavit, arcam Domini suo loco restituit, à quo toto illo tempore absens fuerat, non enim poterat Dei arca esse in eodem loco cum idolis. Hieron. [i] *Neque enim arca Dei poterat esse in loco, ubi simulacra introducta fuerant, & gentilitius usus, & ritus nefandissimus observabatur*. Voluit potius Dei arca domum suam deserere, quàm permanere in illa simul cum idolis. Unum è duobus, aut Deus, aut idolum divitiarum malè partarum; Deus, aut idolum turpitudinis: non possunt enim esse simul; alter excludendus est.

h 2. Paral. 35. 3.

i De locis Hebræis.

223 Videamus hoc in Zachæo, qui per usuras, & fraudes partas divitias domi suæ habebat, quibus tamquam idolis serviebat. Cupiebat Zachæus Christum videre; Dominus usus est cum eo tanta misericordia, ut fieret ejus hospes. Quid ex hoc ingressu Christi in domum illius; mox cogitavit de ejiciendis malè acquisitis suæ avaritiæ idolis. [l] *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudavi, reddo quadru-*

l Luc. 19. 8.

Digitized by Google

druplum. Unde talis mutatio homini sic avaro? Ex præsentia Christi, quem domi habebat, & conservare volebat, quem novit permansurum non fuisse cum idolo alienæ pecuniæ, sed alterum eorum ejiciendum: cùm ergo decreverit Christum retinere. Consequens fuit aliena è domo sua expellere. Amb. m *Zachæus excipiendo Christum, exclusit avaritiam, renuntiavit fraudibus: aliter enim non ingreditur Christus, nisi ut vitia excludat; quia non cohabitat erroribus.*

m De Abel & Cain. c. 4.

224 Adorabant Philisthæi suum idolum Dagonis, idolum turpitudinis seu Veneris, ut probat latè Serar. n Posuerunt autem arcam Dei, quam captam apud se habebant, in eodem altari cum Dagone. Ecce ibi inveniunt idolum extra altare dejectum in terram. o *Ecce Dagon jacebat pronus in terra, ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum. Rursumque manè die altera invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini.* Quo facto Deus significare voluit esse impossibile ipsum in altari cordis humani fore simul cum idolo turpitudinis, cum illa occasione peccandi, quam quis habet pro idolo. Quare qui vult Christum, idolum ejiciat; eligat, quia unus tantùm è duobus permanere debet. O bone Jesu! quàm timendum, quòd non desint, qui videntes te, aut idolum avaritiæ, vel turpitudinis è domo, & corde ejiciendum, te potius ejiciant, quàm suum idolum, in quo satis ostendunt, se pluris facere idolum suum, quàm te ipsum.

n In cap. 19. Judic. q. 23.

o 1. Reg. 5. 3.

225 Quòd autem sæpè homines Christum à se expellant, ne cogantur pecunias ejicere, probat locus Euangelii, in quo cùm Dominus dæmonum legionem à misero homine eijceret, dæmones petierunt, ut sibi potestatem faceret intrandi in porcos, qui propè erant, qua obtenta intrarunt in eos. p *Ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare, & mortui sunt in aquis: & ecce tota civitas exiit obviam Iesu.* Crederet aliquis exiisse homines illos, ut gratias Domino referrent ob beneficium factum suo concivi, Christumque cum honore in civitatem reciperent. *Ipsi verò rogabant eum, ut transiret à finibus eorum.* O hominum amentia! Dominum, qui vos liberat à dæmonum servitute, expellitis è civitate, & terra vestra? q *Viderunt quidem beneficium, sed simul viderunt interitum porcorum, & magis timuerunt damnum bonorum temporalium, quàm vellent augmentum spiritualium.* Ut ibi observavit Caet. Et ideò rogant, ut discedat à finibus eorum: Ac si dicerent. Multum beneficii confers, Domine, animabus nostris, eas à dæmonibus liberando, sed hoc est cum aliquali jactura bonorum nostrorum; quare te nolumus: si te, aut bona perdere debemus; abi tu potius, & maneant nostra bona. Similes sunt homines, qui apud se habent bona aliena malè parta, qui scientes Christum non posse intrare in eorum animas, nisi illa restituant, restituere nolunt, expellentes à se potius Christum salvatorem, quam bonum temporale, quod tamquam idolum adorant.

p Matth. 8. 32.

q Caet. ibi.

226 Jam verò quot sunt, qui, ut idolum turpitudinis domi conservent, Deum ab illa expellunt? Quandiu Philisthæi crediderunt arcam Dei potuisse simul consedere cum suo idolo turpitudinis in eodem altari, libenter eam in honore habuerunt; cùm tamen viderunt passam non esse cum illo consistere, statim curarunt de arca expellenda. r *Non maneat arca Dei Israel apud nos, quia dura est manus ejus super Dagon deum nostrum.* Ac si dicerent. Nos satis vellemus habere nobiscum Dei arcam; quia tamen illa non patitur secum idolum nostræ turpitudinis, abeat illa, & maneat idolum. Argumentum est, & conclusio hominum carnalium, qui certò scientes non posse simul esse Deum cum idolo suæ turpitudinis, ne hoc è domo ejiciant, volunt potius Deum, ac Christum veram Dei arcam ejicere. *Non maneat Dei arca apud nos.* Si Christus vellet simul cum idolo permanere; illum libenter vellent; quia verò illorum alterum solum permanere potest, idolum permanere eligunt.

r 1. Reg. 5. 6.

227 O Domine Jesu! Quàm parvi te faciunt homines, qui te facilè abjiciunt, ne abjiciant idolum vel lucri, vel turpis amicitiæ. Quid mali à te acceperunt, Domine mi, ut ita ab illis repudieris. Mortuus fuisti, ut ipsi viverent, & gloriam possiderent; ipsi verò te abjiciunt volentes potius causam suæ perditionis, quæ eos ad infernum deducit. Querimur de Judæis, quia voluerunt magis Barabbam, quàm te; & nos sumus illis multò deteriores, siquidem te à nobis abjicimus, ne cogamur

gamur

Digitized by Google

gamur abjicere res Barabba viliores. Aperi, Domine, oculos nostros, ut seriò agnoscamus, quantum simus debitores, ut efficaciter statuamus perdere quidquid nos à tua separat amicitia.

CAPUT XXIV.

Contra eos, qui caduca mundi bona, ac gaudia æterna saluti anteponunt.

228 CAEcitas universalis est, quæ omnes ferè filios Adam infecit. Barrad. [a] *Cæci sunt, qui mundi bona ardenter concupiscunt, siquidem quàm fluxa illa sint, quàm mobilia minimè cernunt*. Quæramus à Paulo, quidnam sint bona mundi, ejusque gaudia, & voluptates? Et respondebit: [b] *Omnia arbitror ut stercora*. Quid ergo mirum si cæcitatem causent? quid enim sanctum Tobiam cæcum fecit, nisi stercus? [c] *Contigit autem, ut dormienti illi calida stercora inciderent super oculos ejus, fieretque cæcus*. Non est ergo novum, quòd bona hujus vitæ, ejus voluptates, & gaudia, quibus competit Apostoli definitio, homines obcæcent, ne attendant ad solida bona, ad vera gaudia futura æternæ felicitatis.

a In Evang. piscin.

b Philip. 3. 8.

c Tob. 2. 11.

229 Chrys. aliter definit bona præsentia. [d] *Sunt pulvis, cinis, fumus, & ventus*. Non solùm ob vilitatem, & brevem durationem, sed quia oculos animæ obscurant, non minùs, quàm oculos corporis pulvis, cinis, ventus, vel fumus. In hunc pulverem figunt homines oculos. [e] *Oculos suos statuerunt declinare in terram*. A quo ita obscurantur, & obcæcantur, ut non advertant ad lucem, virtutumque pulchritudinem. Unde provenit quòd neutram procurent, aut desiderent, quia juxta certam philosophiam nihil volitum, quin præcognitum. Chrysost. [f] *Præsentibus affixi non futurorum unquam possunt arcanorum bonorum admittere desiderium, tamquam lippitudine quadam corporeis oculis imposita, sic præsentium concupiscentia rationem obtenebrante*. Non enim magis obcæcat pulvis oculos corporis, quàm bona præsentia oculos animæ.

d Hom. 9. ad Heb.

e Ps. 16. 11.

f Hom. 139. ad popul.

230 Satis plorabat David hanc cæcitatem, post peccatum suum. [g] *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. Adeò voluptas Davidem obcæcavit, ut qui anteà lynceos habuerat oculos ad bonum virtutis, ac salutis; postea remanserit ita immemor sui, ut transacti fuerint novem menses, quin sui, aut status sui recordaretur. Jam enim natus fuerat filius ex adulterio, quando Nathan à Deo missus accessit ad eum illuminandum virtute parabolæ propositæ, ad quam ille tamquam cæcus, non advertit: adeò ut opus fuerit, quòd Propheta palam loqueretur dicendo: [h] *Tu es ipse Rex*. Idest, tu ipse omnia mala contenta in parabola commisisti, tunc autem advertit ad peccatum suum, illudque flevit per totam vitam, & simul cæcitatem, quam in se causaverat. *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*. Hanc enim proprietatem habent carnales voluptates, ut afferant cæcitatem.

g Ps. 37. 11.

h 2. Reg. 12. 7.

231 Non solùm autem illæ, sed quælibet alia peccata. Piscante Petro cum Joanne, & aliis Apostolis in mari Tiberiadis, apparuit Christus in litore, quem Petrus non cognovit, donec Joannes dixerit: [i] *Dominus est*. Bone Deus! non erat Petrus adeò perspicax in videndo, ut divinitatem absconditam in Christo penetraverit, illumque Dei Filium alios edocuerit, per illam celebrem confessionem: [l] *Tu es Christus Filius Dei vivi?* Unde ergo modò tam obtusos habuit oculos, ut nec hominem agnoverit, nisi à Joanne edoctus? Id provenit ex peccato commisso in Christi negatione, hæc perspicatiam oculorum ita obtenebravit, ut qui antè alios ducebat ad cognitionem Christi, modò tanquam cæcus ad eamdem ab alio quasi manu duceretur. Chrysol. [m] *Quares, (idest peccatum) sic tardaverat mentem, ut ab alio audiret Dominum, qui cæteris consueverat nuntiare*. Ubi, Petre, acumen illud videndi, quo Christum penetrabas usque ad divinitatem, perdidisti? Idem Chrysol. *In domo aufugeras Caiphæ*. Si autem peccatum tot lacrymis irrigatum, ita animam malè oculatam reliquit; quos oculos habebit ille, qui quotidie multa peccata committit?

i Joa. 21. 7.

l Matth. 16. 16.

m Ser. 78.

232 Si bona caduca, gaudia, & voluptates hujus vitæ, quæ cum peccato possidentur, ita obcæcant, quàm pauci sunt ab hac cæcitate immunes? unde oritur, ut parvipendamus bona spiritualia, & æterna; tamquam Esau, cui nos Apostolus [n] æquiparat, tam dediti sumus turpibus, & brevibus deliciis præ-

n Heb. 12. 16.

Digitized by Google

præsentis vitæ, ut pro illis renuntiemus æternæ cœli hæreditati, quam nobis paravit Deus, sicut ille [o] renuntiavit majoratui patris sui Isaac, cùm mille benedictiones annexæ erant, commutando illam pro brevi, & vili edulio, judicans tamquam cæcus, qui res non videt, vel potius qui res non considerat magis sibi commodam voluptatem vilem, quàm nobilem hereditatem, & majoratum paternum. Nam ubi nos legimus: *Quid mihi proderunt primogenita?* legit Procop. [p] *Quid mihi cum primogenitura hac, scilicet, quæ ad virtutem ducit, & beatitudinem elargitur? quasi diceret, sunt mihi alia excellentiora bona, voluptas, cupiditas mala, intemperantia &c.* Quid aliud faceret homo omninò cæcus, & amens? Et quod fuit pejus, post talem errorem *Abiit parvipendens, quòd primogenita vendidisset*. Ita accidit illis, qui ita vivunt, ac si solam haberent carnem, qui non videntur credere, sperare, aut velle, nisi illud, quo caro frui valet. Aug. [q] *Esau significat illos, qui carnaliter vivunt, carnaliter credunt, carnaliter sperant, carnaliter diligunt.*

o Gen. 25. 31.

p Procop. ibi.

q Serm. 44. de divers.

233 Sunt isti similes illi diviti, qui dicebat animæ suæ: *Anima mea, habes multa bona reposita in annos plurimos, comede, bibe, epulare.* Quid aliud diceret brutum animal, ò brutalis homo, tam cæcus es, ut velis animam immortalem bonis, ac præsentibus voluptatibus saginare? Basil. [s] *Si porcinam haberes animam, quid aliud ipsi enuntiare potuisses? Itane pecuinus tu, ita bonorum animæ ignarus, eam ut exceptes carnalibus epulis?* Verùm confestim audivit sententiam debitam suæ stultitiæ. *Stulte hac nocte repetunt animam tuam à te.* Meritò noctu, & in tenebris moritur, qui vixit in obscuritate cæcitatis, Gloss. [t] *In nocte aufertur anima, quæ in obscuritate cordis, quod poterat pati, prævidere noluit.* Prævidere debuerat, quæ sequuntur post gaudia, & delicias, quas deperibat: sed quia fuit cæcus, moriatur cæcus, & aperiat oculos, quando jam non erit remedium.

r Luc. 12. 19.

s Hom. super illud destruam horrea mea.

t Gloss. ord.

234 Nunquam alius dives oculos sursum levavit, semper eos habuit in terram defixos. *Oculos suos statuerunt declinare in terram.* Solùm cùm esset jam in inferno, illos levavit: [u] *Elevans autem oculos in tormento vidit Abraham & Lazarum.* Jam miser oculos sursum levas, quos semper declinasti in terram, & ejus gandia? serò nimis eos levas. Chrysol. [x] *Serò dives sursum levat oculos suos, quos semper depressit in terram.* Non in aliud illos levas, nisi ut tua miseria crescat ad conspectum Lazari in sinu Abrahæ quiescentis, in quem, dum viveres, illos noluisti dirigere. Accidit misero, contingetque omnibus, qui semper in sua cæcitate vixerunt, quod militibus quærentibus [z] Eliseum, ut comprehensum ducerent ad Regem Syriæ, quos Propheta cæcitate mulctavit, fingensque illos ducere ad Eliseum, quem quærebant, duxit ad Samariam urbem micam, ubi jam positis oculos impetravit, ut se viderent hostibus undequaque circumseptos, absque ulla vitæ spe. Tales erunt quicumque tamquam cæci ad infernum deducuntur: in quo tandem oculos aperient ad majorem pœnam, & confusionem.

u Luc. 16. 23.

x Chrysol. 66.

z 4. Reg. 6.

235 Quid remedii, ne isti cæci in infernum percipitentur? Quærant hominem doctum, & probum, qui illos quasi manu ducat per viam salutis, ut faciunt corporaliter cæci. Id tamen sibi omninò necessarium non facient, quia præter cæcitatem, sunt tam amentes, ut credant se optimos, & satis claros oculos habere, duceque non indigere. [a] Seneca scribens ad amicum ait: se domi habuisse servam cæcam, & amentem, cujus amentia in eo erat, ut se cæcam non existimaret, nec indigere pædagogo: & quando impingebat, dicebat domum fuisse obscuram, & ideò se non videre, non autem defectu oculorum. Concludit autem Philosophus: *Hoc, quod in illa videmus, omnibus nobis accidere liqueat & tibi; nemo se avarum esse intelligit, nemo cupidum: cæci tamen ducem quærunt; nos sine duce erramus & dicimus: non ego ambitiosus sum &c.*

a Epist. 50.

236 Itaque non solùm cæci sumus, sed & amentes; aliter enim nemo peccatum mortale auderet committere; quo, qui Filius Dei erat, se diabolo venderet in perpetuum mancipium. Orig. [b] *Omnes erramus Dei, in pretio peccatorum nos vendidimus, & tradidimus dæmoni.* Quod verò pretium accipimus pro anima sic vendita? Idem Orig. *Homicidium pecunia diaboli est, adulterium, furtum, falsum testimonium &c.* Peccatum nostrum, seu voluptas illius est pretium hujus venditionis. Hanc venditionem, quam omnes celebramus implicitè, cùm mortaliter delinquimus, cele-

b Orig. hom. 5. in Gen.

Digitized by Google

c Dam. serm. 45. celebravit expressè quidam nomine [c] Theophilus, qui cùm cæcus traharetur amore lascivo, cujus complementum habere non poterat; ei diabolus apparens obtulit, quod optabat, si proprio sanguine syngrapham venditionis scriberet. Non recusavit miser cæcus, & amens. Tenor autem scripturæ fuit. Ego Theophilus ex nunc renuntio juri, quod habeo in sanguinem Christi, & in gloriam paradisi; & declaro me nihil velle de bonis ipsius, & per hanc scripturam me tibi, diabole, vendo, & trado, ut in vita, & in morte tuus sim. Hunc contractum tacitè, & implicitè celebrat cum dæmone quilibet peccans mortaliter; unde patet cæcitas, & amentia, quam causant gaudia vitæ præsentis.

237 Quid medicinæ ad recuperandos oculos, quibus videamus virtutis pulchritudinem, ac valorem æternæ salutis? Medicina est, despicere terrena gaudia, terramque pedibus calcare, non verò habere in oculis. Hoc medio cognoscitur Deus, & ab eo præparata felicitas. Notavit [d] Phil. Deum non mutasse nomen Jacob in Israel, nisi postquam per multos annos dictus fuit Jacob, qui significat illum, qui pedibus calcat; Israel verò, qui Deum videt; unde qui vult esse Israel, habereque oculos ad cognoscendum Dominum, & ea, quæ ad ipsum perducunt; sis prius Jacob, pedibus terram; ejusque gaudia terat: his enim pro præmio dantur oculi ad cognoscendum, quod solum dignum est cognosci. Phil. *Præmium proponitur, ut oculatus fiat ad perspicuam ejus perceptionem, quod solum contemplatione dignum est.*

d Lib. de nomin. mut.

238 Quapropter terra, ejusque bona sub pedibus. Si verò in oculis habeatur, sit ad considerandum eam, in quam convertendi sumus; quia tunc non obcæcat, sed visum acuit, ut satis colligitur ex miraculo cæci à nativitate, cujus oculos Christus Dominus luto ex pulvere facto unxit: [e] *Fecit lutum ex sputo, & linivit super oculos ejus.* Ut nos doceret pulverem sepulturæ nostros oculos curare posse D. Laur. Just. [f] *Medicinam animæ ex pulvere designavit, ut nobis ipsis ex ipso mederemur.* Sed notandum illum insuper misisse ad piscinam, ut in ea oculos lavaret. *Vade, & lava in natatoria Siloe.* Ut etiam insinuaret lavandos lacrymis contritionis, & postea Christi sanguine, quo abundat Sacramentum pœnitentiæ. In hac salutari piscina oculos nostros lavemus sæpiùs; ut benè videant, quid mereantur bona, & gaudia vitæ hujus, & attendant ad sola bona cœlestia, quæ nos in patria paradisi expectant.

e Ioan. 9. 6.

f Laur. Iust. ad eu. locum.

CAPUT XXV.

Exhortatio ad Sacramenta.

239 Omnes [a] *peccaverunt, & egent gloria Dei:* dicebat Apostol. Unde Aug. [b] *Nemo mundus in conspectu tuo.* Et David: [c] *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Et Joan. [d] *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Christus cùm semel à Pharisæo vocaretur bonus. [e] *Magister bone.* Ipsum quasi reprehendens respondit: *Quid me dicis bonum? nemo bonus, nisi solus Deus.* Nonne Christus bonus erat, imò ipsamet bonitas incarnata? Ita quidem. Ejus tamen sensus fuit: si me Deum non agnoscis, ut certè non agnoscis; me bonum ne voces, quia solus Deus est bonus, & à peccati miseria alienus: quare si me bonum agnoscis, Deum simul confitere. Amb. [f] *Quid me dicis bonum, quem negas Deum; non ergo se bonum negat, sed Deum signat.* Omnes igitur indigemus gloria, ut dicebat Apostol. hoc est, misericordia, & gratia, ut mundemur ab inquinamentis nostris, ab illisque lavemur, ut bonitatem amissam recuperemus.

a Roma. 3. 23. b in Ps. 142. c Ps. 13. d 1. Ioan. 1. 8. e Luc. 18. 19. f Amb. ibi.

240 Satis merebatur mundus totus per peccata corruptus diluvium, quale fuit temporibus [g] Noe ob similem corruptionem, quo totus periret: sed Dei misericordia loco diluvii, dedit fontem chrystallinum, quo lavaremur, & sanaremur. Hic salutis fons est Christus Dominus. *In illa die erit fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatorum.* Id est, tempore, quo ego oculis misericordiæ meæ mundum intuebor, dabo ei fontem patentem, ac pervium, in quo omnes homines lavari, & sanari possint. Fons iste est unigenitus Dei Filius factus homo; qui licet semper fuerit fons aquæ vivæ, antequam tamen in mundo appareret, erat quasi fons absconditus, & clausus; cùm tamen apparuit factus homo; fuit fons

g Gen. 7.

fons patens omnibus pervius. Greg. [i] *Fons occultus est unigenitus Patris invisibilis Deus; fons verò patens est idem Deus incarnatus.*

241 Est autem fons iste tam copiosus, & abundans, ut non solùm profuerit illis, qui vivebant, quando apparuit, sed etiam eis, qui antè vixerunt, & postea vivent: omnes enim, qui salutem obtinuerunt, & obtinebunt, eam invenerunt in aquis salutaribus hujus fontis, hoc est, in sanguine Salvatoris, quo nos lavit, & lavat à peccatis nostris. Bern. [l] *Neque his tantùm profuit quos tunc præsens invenit; sed fons nobis est Christus Dominus, unde lavemur, sicut scriptum est: Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris.* O verus fons misericordiæ, in quo mundus universus lavari potest; & sanitatem recuperare!

242 In paradiso terrestri posuit Deus fontem, qui promanabat in quatuor [m] copiosa flumina ad irrigandam faciem terræ. Ex fonte autem per Zachar. promisso, qui est Christus Salvator, quinque emanarunt fontes, qui in fluvios excreverunt, non aquæ, sed sanguinis. Cùm enim esset fons pietatis, & misericordiæ, conveniens fuit, ut esset abundantior, & pretiosiori scateret liquore. Unde Isai. de eo loquitur in numero plurali: [n] *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris.* Quia quamvis unus in se esset, ferro excavandus erat in pedibus, manibus, & latere, indeque perennes fontes emanaturi, in quibus lavari possemus, & veram recipere animarum sanitatem.

243 Ex illo autem, qui è latere profluxit, septem alios derivavit amantissimus Dominus in nostrum remedium, quos Ecclesiæ suæ dereliquit. Hi fuere septem Sacramenta, quorum quinque sunt fontes, in quibus jam sani, & vivi per gratiam possunt confirmari, ac corroborari in sanitate, recipiendo novas vires, & augmentum illius, qui proinde à Theologis dicuntur Sacramenta vivorum: alii duo sunt fontes, in quibus infirmi morbis lethalibus, & magis mortui, quàm vivi possunt primam sanitatem, vitamque recuperare, & dicuntur Sacramenta mortuorum.

244 Istorum primus est sacer Baptismus, in quo animæ magis lotæ sanguine Christi, qui in eo invisibiliter applicatur, quàm aqua visibili, perfectam recuperant sanitatem, ab infirmitate hæreditaria, quam à primo parente contraximus, & ab omnibus aliis, quas fortè propria voluntate quæsierunt; indeque emergunt saniores, & puriores, quàm [o] Naaman Syrus ex aquis Jordanis. Secundus est Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis Sacramentalis, in quo, qui post sanitatem in fonte Baptismatis acceptam, in nova crimina ex nostra infirmitate, ignorantia, aut etiam malitia incidimus, tamquam in novos mortales morbos nos ad interitum deducentes, qui sunt propemodum infiniti, ab omnibus perfectè sanamur, loti in eodem Christi sanguine, quo ibi misericorditer abluimur.

245 Mirabilis fuit Probatica piscina, cujus meminit S. Joannes. [p] Sed quid illi cum hoc sacro Pœnitentiæ fonte? In illa semel tantùm in anno, ut multi existimant, vel si pluries, rarò solus unus salutem obtinebat, qui primus in eam intraret: in hoc verò saluberrimo fonte omnes, qui ad illum dispositi accedunt, salutem consequuntur, non semel in anno, sed diebus singulis; singulisque horis, ac momentis, cui proinde melius quadrat nomen *Misericordia*. Quam significabat nomen Piscinæ *Bethsaida*. Siquidem in hoc omnes mundi nationes, qualibet hora, & tempore lavari, & sanari possunt. D. Ambrosius [q] alludens ad illam Piscinam: *Quantò major est*, inquit, *gratia Ecclesiæ, in qua omnes salvantur, quicumque descendunt.*

246 Ad intrandum in illam piscinam erat impedimento infirmitas ipsa, quia adimebat vires, ut posset quis primus, qui solus sanabatur, intrare: unde multi cogebantur, per annos perseverando, expectare. At ad hunc saluberrimum fontem omnes possunt accedere, quando, & quoties libuerit; nec impedit corporalis infirmitas, quoniam, quin moveatur, domi suæ, & in lecto suo lavari quis potest, & sanari. D. Chrys. [r] loquens de Piscina ait: *Infirmitas corporalis sanari volentem impediebat: nunc unusquisque potestatem habet accedendi.*

247 Si autem quæras, cur in Ecclesia sint tot infirmi, si Pœnitentia fons est tantæ virtutis, ut omnes sanare valeat, omnibusque pateat? Respondeo causam esse, quia ibi nemo sanatur, qui sanitatem non appetat: ideo enim Christus Dominus rogavit Paralyticum triginta & octo annos habentem in infirmita-

i hom. 22. in Euang.
l ser. 5. in nat.
m Gen. 2. 10.
n Isai. 12. 3.
o 4. Reg. 5.
p Ioan. 5.
q 2. de Sacram. c. 2.
r Hom. 35. in Ioan.

[Digitiz]ed by Google

s Ioan. 5. 7. mitate sua, s an vellet sanus fieri? Non quia dubitasset; benè enim sciebat, nihil aliud in illo loco expectasse; sed ut significaret in fonte Pœnitentiæ, quem Piscina illa significabat, illos solos sanari, qui sanitatem amabant. Unde D. Aug. t *Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei.* Nam justitia, quæ est sanitas animæ, non datur contra hominis voluntatem. At cur nolumus sanitatem animæ corporea adeò pretiosiorem, utpote cui soli annexa est æterna salus? Cur homines tam soliciti de corporea, caduca, & fragili, tam parum curant de spirituali.

t De lib. arb.

247 Prima ratio est, quia statim sentimus pœnas, & dolores, quos causant infirmitates corporeæ, quibus proinde quamprimùm remedium quærimus: non autem subitò experimur pœnas inferendas ob animæ ægritudines, quia sunt futuræ. Accedit etiam quia cùm spirituales animæ ægritudines, omnes illius potentias, ac sensus inficiant; non percipimus, ut par erat, damna futura; & idcircò non ita curamus de hac sanitate; nam si benè caperemus dolores: pœnas, ac tormenta, quæ nos manent; curreremus velocius ad Pœnitentiæ fontem, quàm cervus ad fontes aquarum. Sed fides, qua id totum credimus, satis superque erat, nisi nobiscum pariter mortua foret.

248 Secunda est, quia infirmitates corporeæ afferunt de præsenti dolores, pœnas, & molestias, quibus homo liberari cupit; ægritudines verò animæ, quæ sunt peccata, afferunt præsentem voluptatem, aut commodum, quæ duo necessariò relinquenda sunt, ut animæ sanitas comparetur. Ne autem relinquamus præsentem voluptatem turpis amicitiæ, commoditatem rei restituendæ, emolumentum opinionis, quam putamus imminui ex odii depositione, aut ex satisfactione exhibenda proximo offenso, volumus potius in peccati infirmitate permanere, usquequò ipsa nos in infernum demergat. O gaudia misera! ò voluptates infaustæ! ò lucra damnosa! ò crudelia emolumenta! quæ solam habent dulcedinis apparentiam, & verè sunt fel æternam allaturum amaritudinem: t *Uva eorum uva fellis, & botri amarissimi: fel draconum vinum eorum.* Hæ sunt voluptates, hæc lucra, hæc emolumenta peccati; fel, & venenum perpetuò cruciaturum: his mundus iste deceptos trahit suos amatores: offert voluptates, & porrigit tormenta: invitat ad vinum, & propinat venenum æternam inferens mortem. D. Amb. u *Cibos promis, tormenta irrogas, vina prætendis, venena suffundis.* Nos verò miseri, qui tua gaudia satis novimus, tuaque lucra, illa abjicere recusamus. Ecce quid impediat sanitatem: quam si vellemus, possemus obtinere in sacro fonte Pœnitentiæ, & augere, ac firmare in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento.

t Deut. 32. 32.

u De Elia & jejun. c. 14.

249 Heu nos infelices! Quid facimus, quidve cogitamus? Quid respondebimus Christo judicanti, & exprobranti, quòd sanguinem ejus despexerimus? Si mandasset nos ad Jordanem tam distantem à nostris regionibus, ut ibi lavaremur ad sanitatem capiendam, utique ire debuissemus, ut sanitatem obtineremus æternæ gloriæ cooperatricem. Hæc erit maxima nostri omnium confusio, quod tam facilè remedium vulneribus nostris non adhibuimus, quæ proinde putruerunt usque ad interitum. Cogitemus dies antiquos, & annos æternos in mente habeamus, & statim sequetur. x *Exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Si enim æternitatem attendamus, ut saltem fugiamus ejus pœnas, ad Christi sanguinem in fonte Pœnitentiæ, & Eucharistiæ recurremus.

x Ps. 76. 6.

CAPUT XXVI.

Exhortatio ad Eucharistiam.

Licèt libro primo multa dicta sint, ex quibus bonus Parochus plebem suam exhortari possit ad vivificum sacræ Eucharistiæ Sacramentum, ubi est fons perennis gratiæ, ac vitæ, dicente Domino: a *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Maximè quæ dicta sunt cap. 15. Ubi habes non negligendam de hac materia exhortationem, imò & materiam ad plures. Quæ enim ibi diximus de frequenti, ac fructuosa Missæ celebratione Parocho ipsi necessaria: accommodare ipse potest ad plebem suam, cui nihil magis congruum, nihil magis opportunum medium dari potest, ut sanctè vivat, & perseveret in gratia, quàm si frequenter, cum debita dispositione ad hunc salutis fontem, ad sacras has epulas, ad divina hæc pocula 250

a Ioa. 6. 59.

Digitized by Google

cula religiosè accedat. Nihilominus alios discursus ad eamdem materiam accommodatos subjiciemus, ut cum uberiori doctrina possit populum suum ad tam cœlestes dapes variis in occasionibus excitare.

§. I.

Christus in Eucharistia alimentum, & sustentatio animarum fidelium.

251 CAro [b] *mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Promisit his verbis Christus Dominus fidelibus Ecclesiæ suæ, divinissimum corporis, ac sanguinis sui Sacramentum. Quod autem promisit, perfectè explevit in mortis suæ pervigilio, dum accipiens panem in sanctis ac venerabilibus manibus suis, dixit: [c] *Comedite; hoc est corpus meum. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis novi testamenti.* Cùm enim in cibo, & potu consistat corporum nostrorum alimentum: sic in venerabili Corporis, & Sanguinis sui Sacramento, situm esse voluit Dominus, & Redemptor noster nostrarum nutrimentum animarum. Quod satis significare voluit, cùm dixit: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Hoc est, præstabit in animabus vestris, quod cibus, & potus præstat in corporibus.

b Joan. 6. 56.

c Matth. 26. 27.

252 In cruce nos Dominus generavit, seu potius regeneravit. Antequam autem sic regeneraret in filios adoptionis; providit de sustentatione proportionata vitæ, quam fidelibus suis largiturus erat; ut satisfaceret naturali obligationi generantium, quæ ea est, ut statim filiis genitis competens suppeditent alimentum, ut benè observavit S. Cyril. Alex. [d] *Quidquid*, inquit, *generavit; ei, quod generatur, protinus alimentum præbere, est consentaneum.* Quapropter sicut vita in cruce danda, cœlestis, ac divina futura erat; ita alimentum cœleste postulabat, & divinum, Sacramentum nimirum Corporis, & Sanguinis sui, suæ divinitati unitorum. Quis umquam Pater se filiis suis præbuit in alimoniam? Labore manuum suarum, sudoreque vultuum illam plures comparant. At se ipsos dare, alium postulabat amorem, aliamque potentiam. Utrumque tu solus habuisti, Domine Jesu, qui verissimè dicis. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.*

d Lib. 1. pædag. c. 6.

253 Ut autem amor tuus nobis undequaque esset perspectus, matris etiam officium accepisti, non solùm in doloribus, quibus nos in cruce genuisti; matris namque est filios in dolore parturire; sed etiam in uberibus omni dulcedine abundantibus, quibus filios tuos alis. Reliquæ matres, ad summum parvulos suos lacte uberum suorum enutriunt, nulla tamen carne sua pascit, aut sanguine potat. Solus tu, ô bone Jesu, animarum nostrarum amor, pro lacte tamquam amantissima mater corpus tuum porrigis, & sanguinem: hæc enim erant ubera tua, quæ nobis commendabat Sponsa, cùm te alloquens dicebat: [e] *Meliora sunt ubera tua vino.* Per hoc enim vinum, cui præferebat ubera sponsi, intelligunt sancti PP. manna, quo Deus olim populum suum aluit in deserto: per ubera verò vino illo, seu manna suaviora, Corpus, & Sanguinem Christi, quibus alit fideles suos, quos genuit: Theodoret. [f] *Per ubera illa admiranda & vino præstantiora, cogita ineffabiles illos altaris fontes, ex quibus non pietatis alumni nutrimur.* Cur ergo non erunt, non solùm manna Judæorum, sed omni alia dulcedine dulciora? Quando pro lacte distillant Corpus, & Sanguinem unà cum Divinitate Domini Dei nostri. Quo ineffabili beneficio nos magis obæravit, quàm regeneratione ipsa, & si tam cœlesti, tamque Divina; in illa enim nihil nobis de sua substantia tribuit, quia ad solam nos gratiam evexit, adoptivamque filiationem, quæ quidem distincta est à se ipso, & sola quædam participatio accidentalis suæ divinæ naturæ. At in hoc sacro Carnis & Sanguinis sui alimento, totum se ipsum præbet, Corpus, Sanguinem, animam, ac Divinitatem, & quidquid in ipsa continetur.

e Cant. 1. 1.

f Theod. ibi.

254 Non satis debitores redderentur filii parentibus suis, si sibi ab illis genitis defuissent in præbendo convenienti alimento, ad sustentandam vitam, quam ab illis acceperunt, quod ipsi neque sciunt, neque investigare valent: quia aliud non esset, quàm vitam accepisse illico amittendam. Valde quidem debitores reddimur Christo servatori, eò quòd nos per mortem suam revocaverit ad vitam gratiæ, quam perdidimus in Adamo, qua donati è sacro fonte bapti-

Digitized by Google

baptiſmatis emergimus ad vitam feliciorem: ſed ſicut infantes recens nati indigent lacte materno, ſine quo breviſſimè interirent; ita fideles renati ad vitam gratiæ, ut eam conſervarent, ne per peccatum deperderetur, hoc indigebant Sacramento, tamquam lacte dulciſſimo, quod effluit è Chriſti uberibus, latereque ſuo lancea perforato, ad alendos filios, quos genuit in Baptiſmo; ad quod nos invitat Apoſtolorum Princeps: [g] *Sicut*, inquit, *modò geniti infantes lac concupiſcite*. Sine quo non minus accepta vita periclitaretur, quàm temporalis infantium, matris lacte deſtitutorum, ut benè probat [h] Baſil. ex Chriſti verbis: *Induti*, inquit, *novum hominem per Baptiſmum, opus eſt ut nutriamur cibo, de quo ſcriptum eſt: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quapropter, ſicut parum prodeſſet vita temporalis infantibus recenter natis, ſi eos Parentes non alerent cibo convenienti, lacte nempe materno; ſic renatis in Chriſto non multùm prodeſſet vita gratiæ, quam acceperunt in regeneratione; ſi illos Chriſtus, qui regeneravit, non cibaret lacte corporis, & ſanguinis ſui, ut per illud vitam acceptam conſervarent, ne per culpam deperderetur.

[g] 1. Petri. 2.2.

[h] Li. Hom. 1. de baptiſmo.

255 Nec autem ſolùm indigemus hoc cœleſti alimento, dum ſumus pueri, ac tenelli in fide, & gratia; ſed etiam cùm jam ſumus adulti, & in utraque veterani; quia ut benè S. Paſchaſ. [i] Sicut adulti homines vitam temporalem diu protrahere neutiquam valent abſque alimento; ita provecti in fide, & gratia, illam nullo modo conſervare poſſunt, hoc Sacramenti pabulo deſtituti. *Valdè*, inquit, *pernecessarius eſt ad vitam ille cibus cœleſtis, & potus; quatenus ſicut aluntur cibis terrenis ad tempus, ut vivant, ſic alantur ſpiritualiter renati per hæc ad perpetuam vitam, ne deficiant in via.* Hinc Chriſtus Dominus vocavit hoc Sacramentum panem de Cœlo lapſum: [l] *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.* Ut clarè doceret illud idem corporis, & ſanguinis ſui Sacramentum, quod eſt lac ad alendos noviter renatos, eſſe ſimul panem, panemque cœleſtem, ad nutriendos jam provectos, qui proinde præceptum habent comedendi cœleſtem hunc panem, maximè in occaſionibus, in quibus vita gratiæ periclitari poteſt, ut virtute illius conſervetur, fiatque æterna.

[i] Lib. de Corp. & Sang. D.

[l] Joan. 6.59.

256 Quapropter S. Cyprian. volebat, ut etiam martyrium pro Chriſto ſubituri hoc vitali pane, ſacroque poculo reficerentur; quoniam exponi fortes milites martyrio, illoſque ad illud non ſic refectos hortari, eſſet exponi periculo, ut in tormentis illorum gratia, vitaque ſpiritualis periclitaretur. [m] *Quomodo*, inquit, *docemus, aut provocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Sanguinem Domini denegamus?* Ac ſi judicaret ſanctus Pater, in gravibus tormentorum tentationibus, aliiſque, quibus frequenter impetimur, virtute cœleſtis hujus panis gratiam ſecuram reddi, quæ ſine illo certè nutaret. Quare majus nobis beneficium contulit Redemptor noſter, dum tam divinum ſuppeditavit alimentum, ad ſuſtentandam, æternandamque vitam gratiæ, quàm in ea primum conferenda per regenerationem Baptiſmi. Quia parum profuiſſet illam ſuſcepiſſe, ſi tandem perdenda foret; quæ certè perderetur; niſi illam cœleſtis hic panis mirabiliter conſervaret. Vera namque eſt ſententia Salvatoris: [n] *Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

[m] Cypr. epiſt. 2. ad Cornel.

[n] Joan. 6.54.

257 Conſideremus ergo hujus divini panis naturam, ut melius tanti beneficii excellentiam percipiamus. Ait enim Dominus: *Caro mea verè eſt cibus. Id eſt*, ut commentatur Euthym. [o] *Aptiſſimus, utpote animam, quæ propria hominis pars eſt, nutriens.* Ait igitur Dominus carnem ſuam in hoc venerabili Sacramento, eſſe magis accommodatum, ac proportionatum alimentum, quod excogitari potuit, quia alit animam præcipuam hominis partem, vitamque ejus ſupernaturalem ſuſtentat, nempe gratiam, qua Deo vivit; hoc enim proprium eſt veri alimenti. *Caro mea verè eſt cibus.* Cibus, inquam, qui reficit, & reſtaurat damna, ac detrimenta, quæ fomes peccati, tamquam ignis quidam intrinſecus, reliquæque occaſiones extrinſecæ in anima operantur; ad quem effectum potuit quidem Redemptor noſter plantare in Eccleſia ſua aliam vitæ arborem ſimilem ligno vitæ, quod olim poſuit in paradiſo terreſtri, quæ cauſaret in animabus, quod illud cauſabat in corporibus. Sed ipſe-

[o] Cap. 64. in Matth.

met

Digitized by Google

met piissimus Redemptor voluit esse hæc vitæ arbor, ut per Corpus, & Sanguinem suum, tamquam per fructus suavissimos, illum præstaret effectum, ut sic magis honoraret servos suos humiles, ac inutiles. Unde optimè D. Chrysost. [p] *Cogita*, inquit, *quali sis insignitus honore*. Qui major certè excogitari non potest.

p Hom. 82 in Matth.

§. 2.

Mirabiles effectus hujus cælestis alimenti.

258 LOcuti sacri Evangelistæ de hoc cœlesti pane, sacroque edulio, ac divino alimento, quod idem Christus, ut est communis Patrum sententia, nos postulare docuit in oratione, de qua ab ipso edocti sumus. S. Lucas [a] vocat panem quotidianum: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. S. Matth. [b] vocat panem suprasubstantiam: *Panem nostrum suprasubstantialem da nobis hodie*. Ex Græco legitur: *Panis substantiæ proportionatus*. Quòd autem dicatur panis quotidianus, benè intelligitur. Quoniam quotidie, vel saltem sæpissimè illo indigemus. Sicut etiam benè intelligitur, quòd dicatur panis consubstantialis; quia videlicet est accommodatus, ac proportionatus substantiæ animæ, cujus vitam alit, ut dicebamus cum Euthymio. Quòd verò dicatur suprasubstantiam, seu supersubstantialis, non ita facilè capitur, maximè quia videtur negari, quòd sit consubstantialis, accommodatus, ac proportionatus ad alendas animas, illarumque vitam conservandam. D. Hieron. [c] ait dici suprasubstantialem, eò quòd sit supra omnes substantias, vel quia est supra substantiam terrenam, & corpoream hominum, quos alit, & sustentat. Sufficiens quidem responsio.

a Luc. 11. 3
b Matth. 6. 11.
c D. Hiero. ibi.

259 Mihi tamen magis placet, quam reddit P. Salmer. [d] Qui ait hunc panem esse verè suprasubstantialem, quia nec mutatur, nec convertitur in nostram substantiam, ut alia, quibus utimur, alimenta; sed ille nos transmutat, & convertit in suam, reddendo nos divinos, & cœlestes. *Verè est*, inquit, *supersubstantialis, quia non mutatur in nostram substantiam, sed potius nos in suam convertit, divinosque efficit, & cælestes*. Neque expositio opponitur lectioni Græcæ, quæ panem hunc vocat consubstantialem, ac proportionatum: quia hoc ipsum convenit vitæ cœlesti, & divinæ animarum nostrarum, qua Deo vivimus per gratiam, ut sustentemur pane cœlesti, ciboque divino, qui in illis conservet, augeatque esse divinum, ac cœleste à Christo communicatum per baptismi regenerationem, ad quem finem nobis tam divinum panem suppeditavit, ut benè Tertul. [e] *Caro*, inquit, *Corpore, & Sanguine Christi vescitur, ut anima de Deo saginetur*. Hic enim est hujus cœlestis panis effectus, saginare, & augere vitam cœlestem gratiæ. Idcirco illo vescimur, ut anima de Deo pinguescat, magisque ac magis in Deum convertatur, fiatque in dies magis cœlestis, magisque divina.

d Tom. 5. tract. 50.
e Lib. de resur. c. 8. nis. c. 8.

260 Ita enim dicebat Christus ipse servo suo Augustino, nobisque omnibus, ut eum nos alloquentem inducit S. Laur. Justin. [f] *Non ego mutabor in te; sed tu mutaberis in me*. Non me convertes in tuam substantiam, sicut convertis cætera, quibus pasceris, alimenta; sed ego te in meam transmutabo, faciamque, ut sis, quasi alter ego. Nec mirum, nam cœleste hoc pabulum, est alimentum vivum, est panis vivus: [g] *Ego sum*, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi*. Est Christus vivus, & immortalis, qui proinde nos in se convertit, quin nos eum in nos convertere valeamus; ad quod necessarium fuerat, quod fuerit alimentum mortuum, quod prius vitam amitteret, ut in nostram substantiam mutaretur, quod est impossibile propter ipsius immortalitatem, de quo audi D. Greg. Nyssen. [h] *Propterea*, inquit, *nobis semetipsum comedendum proponit is, qui semper est, ut cùm ipsum in nobis ipsis acceperimus, illud fiamus, quod ipse est*. Ita ut verè dicere valeamus: Christus vivit in me: jam sum alter, quia Deum Christum accepi: ipse me in se transformavit. Unde dicere possum cum Paulo: [i] *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus*. Ad quem locum Theodoret. *Priorem vitam deposui: in aliam vitam transii, à Christo sumitur mea vitæ institutio: aliam vitam non habeo*.

f De agone. c. 4.
g Ioa. 6. 4.
h Hom. 8. in Ecclesiastem.
i Galat. 2. 20.

261 Nec mireris, ò Christiane, Corporis, ac Sanguinis Christi particeps effectus, in hoc Sacramento, cujus virtute te Dominus tuus non solùm evexit ad vitam suam, sed omnes tibi Patris sui communicat perfectiones, modo tibi

d by Google

tibi possibili. Quod ut intelligas, pondera mihi cum D. Hilario verba illa Christi Redemptoris tui, qui locutus
l Ioa. 6.27. de Sacramento Corporis sui, dixit: l *Hunc enim Pater signavit Deus*. Quibus significare tibi voluit, cœlestem hunc panem esse quoddam eximium signaculum, in quo Pater omnes suas insculpsit perfectiones, in quo figuram suæ substantiæ impressit, imaginem suæ bonitatis, & quidquid in se continebat perfectionis. Hoc enim significant verba illa: *Hunc Pater signavit Deus*. Fecit sacrum panem hunc signaculum quoddam admirabile sui ipsius; ut intelligeres, si illo dignè reficiaris, impressurum in te imaginem sui divini esse, omniaque sua attributa, tantò expressius, quàm ceræ imprimitur imago insculpta in signaculo, quantò feliciùs, & expressius cœlestis iste panis à Patre signatus in se continet figuram substantiæ Patris, omnesque proprietates ejus. Hæc enim est natura signaculi, imprimere subjectis capacibus, quibus applicatur, omnem formam, omniaque delineamenta archetypi, & quidquid in se expressum continet. Audi jam S. Hilar.
m Lib. 8. de Trinit. m exponentem citata Christi verba: *Signaculorum natura est*, inquit, *ut omnem impressa speciei explicent formam: & dum totum accipiunt, quod imprimitur, totum ex se proferunt, quidquid impressum est*.

262 Ut autem comprobes verissimam esse expositionem Hilarii, pondera verba illa dicta à Christo Domino, post admirabilis hujus Sacramenti institutio-
n Ioan. 17. 22. nem: n *Claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus*. Quasi diceret: Honorem, quem tu, ò Pater, mihi contulisti, dum me ita de tua substantia genuisti, ut ego sim eadem res tecum, habeamque idem esse, omnesque tuas prærogativas, communicavi ego fidelibus meis, in Sacramento Corporis, & Sanguinis mei; fecique, ut suo modo sint idem tecum; sicut tu & ego unum sumus inter nos, habeantque in se, quidquid in te perfectionis est, sicut & ego habeo. Quod probatur non solùm ex ratione metaphorica signaculi, quod diximus esse hoc Sacramentum, utpote in quo substantia, Patrisque perfectiones impressæ inveniuntur fidelibus dignè communicantibus imprimendæ, de qua impressione proximè: sed deducitur apertè ex vi materiæ, & formæ, ait optimè idem S. Hilar. Nam si verè in hoc Sacramento accipimus & realiter divinum Verbum incarnatum, idemque cum illo efficimur: qua ratione fieri potest, ut in nobis non sit Pater ipse, & quidquid in ipso est excellentiæ, sitque idem nobiscum, sicut nobiscum idem est incarnatum Verbum, virtute Sacramenti Corporis, & Sanguinis sui? Audi Hilar. o *Si nos*, inquit, *verè Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est? Quia & in Christo Pater est, & Christus in nobis est*. Unde Christus in hoc Sacramento, ut benè advertit Cyril. Alexand. est quasi nexus, ac vinculum, quod nos unit, & nectit cum Patre, facitque, ut idem simus cum Patre ejus: n *Nexus igitur*, inquit, *unionis nostra ad Deum Patrem Christus est*. Non potuit nos Redemptor noster majori honore afficere, quàm dando Corpus, & Sanguinem suum ut idem essemus cum ipso, idemque cum ejus æterno Patre.

o Hilar. supra.

o Lib. 9. In Ioa. c. 27.

263 Quapropter exclamat S. Laur. Justin. p *Eja lætare mater Ecclesia cum universis filiis tuis, exultationis & gaudii conventum age; quia meruisti Dei, & Domini præceptoris, & sponsi, fratris, & Redemptoris tui saginari carnibus, & sanguine debriari*. Satis est causa lætitiæ Ecclesiæ universæ, cunctisque filiis ejus, quòd Domini, & Redemptoris sui Corpore cibetur, Sanguineque potetur. De qua proinde regius Vates ipsam allocutus: q *Vxor tua*, inquit, *sicut vitis abundans in lateribus domus tua: filii tui sicut novella olivarum in circuitu mensa tua*. Quasi diceret: Ecclesia sponsa tua, est quasi vitis abundans fructibus uberrimis, filiique tui tamquam olivæ novellæ juxta mensam tuam. *In circuitu planè mensa altaris Filii tui*. Idem Justin. ex quo altari ipsis totus eorum fructus dimanat, totus spiritus, totumque devotionis oleum. Et addit Justin. Ecclesiam ipsam alloquens: *Et quidem ex quo tanto adhæsisti sponso, corpusque tuum corpori ejus associatum est. Facta es speciosa & suavis in deliciis, decora & ornata in vestibus, venusta & grata in moribus, onusta & sancta in desideriis, prudens & sanctificata in cogitationibus, fecunda & locuples in filiis*. Ex hoc enim pane, ex hoc Sacramento tota resultat Ecclesiæ pulchritudo, totaque ejus felicitas, ac filiorum ejus jucunditas, divitiarumque cœle-

p Serm. de Euchar.

q Ps. 127.3.

cœlestium abundantia: subjungit idem Laur. Justin. de eadem Ecclesia: *Sicque dilecta, ut Dei Filius affectus de te illud clamet, & dicat: Tota pulchra es amica mea.* Hinc meritò exultationis tuæ causa exurgit. Quasi in hoc super omnia Ecclesiæ, filiisque suis exultandum sit, quòd Corpore, & Sanguine Redemptoris pascantur, nutriantur, & saginentur.

264 Memores tamen vellem filios tam dilectos, ne obliviscantur reverentiæ, & humilitatis, & timoris sancti, quo accedere debent ad sacrosanctam istam Domini sui mensam, si velint admirabiles illius effectus experiri, de quibus locuti sumus. Discant à terra insensibili, quæ tota tremuit, cùm intra viscera sua exangue Domini sui corpus recipere debuit, in signum reverentiæ tanto corpori debitæ. Hæc enim, ut notavit S. Hilar. tota fuit causa, cur pendente in cruce Domino, terra tremuit: [r] *Ad onus Domini,* inquit, *in cruce pendentis intremuit eum intra se contestata non capere.* Cur ergo non tremamus & nos, qui sanctissimo Christi Corpori, non tam mundum offerimus domicilium: tremamus, & humiliemur sub potenti manu Dei, ut nos exaltet per corporis sui receptionem, faciatque nos sibi similes, imò & eosdem secum, ac cum Patre suo; quod faciet, si obstaculum non ponamus.

r lib. 3. de Trinit.

265 Si autem plures effectus hujus cœlestis alimenti deprehendere cupis; adverte illud proposuisse Dominum in illa mensa, de qua Propheta Rex utens præterito pro futuro dixit: [s] *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me.* Quasi diceret: Parabis fidelibus tuis mensam pretiosis dapibus abundantem. Hæc autem juxta Cyprian. & alios PP. est mensa sacrosanctæ Eucharistiæ, cujus epulæ sunt Corpus unà cum Sanguine, ac divinitate Redemptoris nostri Jesu Christi. Hanc autem mensam Christi Domini amor adinvenit, ut mederetur damnis nobis à dæmone illatis, per dapes alterius mensæ, ad quas Adæ filios semper invitavit, & quotidie invitat, ut in viscera trajiciant omnium malorum causam, ac ruinam animarum, ut benè S. Cyril. Jerosol. [t] *Ante tuum, Domine, adventum dæmones mensam pollutam & diabolica paratam facultate parabant.* Motus autem sua infinita pietate Dominus, & Redemptor noster suam nobis mensam proposuit, quæ tot malis antidoto esset. *Hanc mensam,* addit idem Cyril. *proposuit Deus contrariam illi, quam nobis anteà dæmones proponebant.* Est autem hæc mensa omninò opposita mensæ diabolicæ. *Adversus eos, qui tribulant me.* Idest, ut commentatur Lyran. [u] *Adversus dæmones tentationibus suis me tribulantes.* Duæ ergo nobis mensæ proponuntur, altera à dæmone in perniciem, & ruinam: altera à Christo servatore in pharmacum, & medicinam, quarum contrarietatem ex sequentibus deprehendes, indeque tibi clarius constabit de effectibus sacri alimenti, quo in Christi mensa feliciter enutriris.

s Ps. 22. 6.

t Catechesi mystag. 4.

u Lyr. ibi.

§ 3.

De mensa, quam nobis dæmones proponunt.

DApes, quas hostis generis nostri diabolus in mensa sua proponit, sunt omnes quas Deus prohibet in sua sanctissima lege. *Cibus dæmonis,* inquit Glossa, [a] *est ebrietas, fornicatio, & hujusmodi.* Omnia edulia, quæ Deus prohibet tamquam immunda, ac mortifera, proponit ille tamquam dulcia, & suavia. Cùm autem sint re ipsa venena, quæ occidunt, causantque alios effectus non minus nocivos, illa arte sua diabolica ita condit, & dulcorat, ut capti falsa, & notha dulcedine ad venenum mortiferum, quod latet, non attendamus; ut enim benè dixit D. Hieron. [b] *Venena non dantur, nisi melle circumlinita.* Neque dæmon est tam parum astutus ut venenum mortiferum offerat absque aliquo condimento, cujus sapor, & aliqualis suavitas nos invitet, ut sic omnes pereamus, quod solùm intendit. 266

a Ad Euang. Prodig.

b epist. ad Letham.

267 Ad quid autem tales proponit epulas? D. Amb. [c] *Nos vult inescare, non pascere.* Non cogitat de nobis sustentandis tamquam Pater, qui filios suos alit; sed de nobis perdendis tamquam hostis. Agit nobiscum, sicut piscator cum piscibus, & venator cum avibus, quas capere cogitat. Egreditur piscator è domo sua, secum canam ferens, & lineam in fine hamum habentem: & similiter venator laqueis obarmatus, ac retibus, non sine escis proportiona-

c serm. 14. in ps. 118.

tis offerendis ab illo piscibus; ab isto avibus. Intendit ne ille alere pisces, qui natant in flumine; aut iste sustentare aves volantes per aerem? Nihil minus: id enim officium est Dei, [d] *Qui das illis escam in tempore opportuno; aperis manum suam, imples omne animal benedictione*, ut benè cecinit regius Vates. Quid ergo intendit piscator? Nihil aliud, quàm offerre piscibus escam sapidam, intra quam hamum abscondit, quo viscera vulneret, & vitam adimat. Quid verò venator? Cibum avibus offerre meditatur, quo ipsæ delectantur, sed prope laqueum parat, ut cibum vix tangentes, laqueo captæ suspensæ suffocentur. Id ipsum diabolus cogitat per escas, quas nobis apponit in mensa sua: *Nos vult inescare, non pascere*. Non cogitat de nostro alimento, sed de nostro interitu. Idcirco epulæ ejus solam habent apparentem dulcedinem, re ipsa venena sunt mortem afferentia; sunt laquei suffocantes, sunt hami animam strangulantes ad mortem.

d Ps. 144. 16.

268 Idcirco eas indulcorat, quantùm potest, ne ad venenum, ad laqueum, ad hamum latentes attendamus; sed solùm ad mel apparens, quo perfunduntur. Unde D. Chrysost. hanc diabolicam mensam appellavit *mensam oblectationum*. Quia ejus dapes ad primum tactum dulces sunt, ac sapidæ. Tangis illas, ait Euseb. Emiss. dulces tibi videntur instar mellis: deglutisti, venenum hausisti, tibi mortem afferens: laqueum reperisti, quo suspensus interis: ferrum ebibisti, quo viscera feriuntur ad mortem. *Provocat*, inquit Euseb. [e] *prius odor poculi, sed præfocat sapor in virus: mel est quod ascendit in labia; sed virus est, quod descendit in viscera*. Hæ sunt edulia, quæ dæmon proponit, & offert in mensa abominanda; & cùm talia sint, numquam ei defuerunt, qui cum aviditate accumberent, neque hodie desunt, qui illecti eorum falsa dulcedine, quæ labia non transcendit, veneni quasi obliviscuntur, quod descendit ad intima animæ præcordia.

e Ser. 3. de Epiphan.

269 Est autem mensa hæc pestifera tam antiqua, ut mundus ipse: statim in ipsius exordio illam dæmon primis hominibus exposuit, offerens in ea pomum illius arboris, quam solam Deus illis prohibuerat; ut enim diximus, ille solùm nos invitat ad eas dapes, quas nobis prohibet lex divina, tamquam eas, quæ solæ nobis nocere possunt. At quo melle astutus hostis respersit pomum tam amarum, de quo Dominus dixerat: [f] *Quacumque die comederis ex eo, morte morieris?* Respersit illud quadam falsa divinitatis promissione. *Eritis*, inquit, *sicut Dii, scientes bonum & malum*. Cùm primùm mater Heva pomum tam dulce fuisse imaginata est, illud subitò decerpsit ex arbore, comedit, virumque suum invitavit ad similem esum, ut benè notavit Chrysost. [g] *Vt divinitatem*, inquit, *mente imaginata est, ad esum properavit*. Hic sapor fictus, hæc apparens dulcedo, veneni, quod verè comedebat, memoriam ablegavit. Hoc condimento indulcoravit diabolus cibum tam amarum, ut statim experta est per effectus, quos in utroque causavit esus incautus. Qui autem fuere hi effectus? Plures quidem, percurramus paucos.

f Gen. 2. 17.

g Hom. 16. in Gen.

270 Primus fuit, quòd statim se viderunt exutos pulcherrimo illo gratiæ ac justitiæ originalis indumento, quo Deus illos pulcherrimè induerat, ac exornaverat; quo deperdito se tales intuiti sunt, ut se ipsos erubuerint, foliisque ficus suam cooperire cogitaverint nuditatem, fœditatemque celare. [h] *Aperti sunt oculi amborum, cùmque cognovissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata*. Quid sibi vult, ubi primùm comederunt, Aperti sunt oculi eorum, suamque viderunt fœditatem? Erant ne antea cæci, unde eam videre non poterant? Minime quidem: sed cùm comedissent, viderunt se exutos; mirabili illa gratiæ chlamyde, quæ illos prius reddebat decoros, ac venustos; & propterea sic miserabiliter exuti adverterunt ad nuditatem, ac turpitudinem, qua undique circumdabantur. Id significat, *Aperti sunt oculi amborum*. Idest, viderunt quod anteà videre non poterant. Nazian. [i] *Postquam diaboli invidia ab acerba illa esca victus est; primùm turpitudinem suam, infamiamque cognoscit*.

h Gen. 3. 7.

i Orat. 2. in Pasch.

271 Hunc effectum, quantum ad amissionem gratiæ, causant in nobis similia edulia: illa nos exuunt regali quidem, ac nuptiali veste: illa, inquam, veste gratiæ, qua nulla est pretiosior

Digitized by Google

sior in divinis mutatoriis, tam similis regali chlamydi, qua divina majestas induitur, ut illa vestitus homo Deo ipsi perquam similis evadat, ac penè divinus, juxta Catholicam D. Petri doctrinam: [l] *Per quam efficimur divinæ consortes naturæ*. Hoc imperiale ornamentum amittimus, gustato quolibet hujus turpissimæ mensæ edulio, talesque reddimur, ut si nosmetipsos introspiceremus, nostri ipsorum intuitus horrorem nobis incuteret, ad nauseamque provocaret. Quod nobis ex parte indicare potest Pater filii prodigi, quando hic in domum paternam remeavit, postquam turpibus & obscœnis hujus diabolicæ mensæ dapibus se affatim ingurgitavit: hæc enim erant edulia, quæ comedebat miser, & quibus saturari non poterat. [m] *Cupiebat implere ventrem de siliquis, quas porci manducabant. Siliqua*, ait ibi Glossa, *cibus est dæmoniorum*. Veniebat miser adeò fœdus, quia ibi perdiderat vestem, de qua loquimur, quæ illum antea pulcherrimum, ac gratiosissimum reddebat; ut bonus Pater eum sic exutum vidisse erubuerit, ideòque jubet, ut sine mora afferatur vestis, qua tegatur. *Citò proferte stolam primam, & induite illum*. Ad quem locum Chrysol. [n] *Non sustinuit*, inquit, *nuditatem: hinc est, quòd à servis antè vestiri voluit, quàm videri*. Tantùm exhorruit fœditatem filii, ut illum non sustinuerit videre sic fœdatum. Et Deus ipse sic abominatur, quos videt hac gratiæ veste exutos, ut illos in æternum releget ad fœdissima inferni sterquilinia, ut patet ex illo: [o] *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? mittite eum in tenebras exteriores*. Hoc est in perpetuum inferni exilium.

l 1. Petri. 1.4.

m Luc. 15. 16.

n Ser. 3. de prodig.

o Matth. 22. 12.

272 Secundus effectus hujus obscœnæ mensæ, est amissio honoris, ac nobilitatis homini congenitæ. Fuit homo creatus ad imaginem, & similitudinem Dei, ut dominaretur creaturis omnibus. Hunc ergo honorem, hancque nobilitatem à misero homine abstulerunt diabolicæ hujus mensæ dapes, quæ illum ita deturparunt, ut similis non jam Deo creatori, sed brutis vilioribus simillimus evaserit. [p] *Homo*, ait Psalmista, *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Invidit inimicus homini altum statum, sublimemque conditionem, in qua creatus fuerat: quo

p Ps. 48. 21.

uteretur medio ad illum ab ea deturbandum? Accumbere eum fecit mensæ suæ; invitavit, ut ederet pomum vetitum: accubuit, & comedit, indeque assurrexit tam vilis, tamque abjectus, ut magis brutum animal, quàm homo videretur. *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*.

273 Expertus communis hostis damnum primis hominibus ex suis epulis ortum; sicut mundus continuebatur, sic ille mensam suam novis epulis, turpissimis quidem abundanter hominibus offerebat: huic gulam, illi luxuriam, alii furta propinabat, aliis denique similes dapes diversas quidem in condimentis, ac saporibus, quibus inescatus mundus eò miseriæ devenit, ut notaverit D. Chrysost. in toto illo unum tantùm hominem repertum fuisse. Hic autem fuit Noe, quem sancta Scriptura præ honore hominem appellavit: [q] *Noe vir justus, atque perfectus fuit*. Vocavit autem illum hominem, quia nunquam tetigit hujus diabolicæ mensæ tetra edulia; nam qui ex illis vescebantur, pro brutis reputabantur, erantque & nomine, & honore hominis indigni. *Hic* [r] *enim, idest, Noe*, inquit Chrysost. *solus homo: cæteri autem non homines, sed humanam gerentes formam, ex hominibus in bestias mutati*. Vocavit Noe hominem, quia solus ille conservavit & esse, & imaginem, & hominis nobilitatem. *Ille in tanto populo imaginem hominis servavit*. Addit Chrysost. cæteri ex hac dæmonis mensa recesserunt, quales ex manibus Circes illi, quos illa infaustè fascinabat, de quibus Poeta. [s] *Quos hominum ex facie dea sæva potentibus herbis induerat Circe in vultus, ac terga ferarum*.

q Gen. 6. 9.

r Hom. 23 in Gen.

s Æneid. 7.

274 Tertius effectus fuit amissio paradisi: [t] *Et emisit eum Dominus è paradiso voluptatis*. Ejecit Dominus primos parentes tamquam excommunicatos è paradiso terrestri, quia suadente dæmone escam sibi vetitam comederunt. D. Bern. *Sicut excommunicatos, quia vetitum comederunt, ablegavit illos Deus è ligno vitæ, & deliciarum horto*. In signum, quòd vescentes in hac mensa locum non habent in paradiso cœlesti. Præsentissimum quidem virus, quod tales operatur effectus. Quid plura? Creaverat Deus hominem mortis prorsus immunem, dummodo non vesceretur fructum sibi prohibitú, quem solus dia-

t Gen. 3. 23.

bolus ei offerre poterat: [a] *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Invitavit ad illum dæmon: comedit oblatum; statimque infusum in eo virus ita operatum est, ut animam ejus occiderit, cujus vita est gratia, quam illico amisit, cùm comedit; nosque eamdem pariter amittimus, cùm primùm aliquod ex eduliis hujus pestiferæ mensæ degustamus. Eo enim temporis momento, potest quilibet nostrùm se mortuum verissimè reputare, siquidem peccatum mortale commisit, id namque nomen ejus significat, nempe peccatum, quod occidit, vitaque miseram privat animam adeò, ut notaverit Orig. [x] non potuisse filios Jacob annuntiare Patri suo quòd filius ejus Joseph viveret, dicentes: [z] *Filius tuus vivit.* Si ille à mala, & lasciva hera vinceretur, tangeretque turpe edulium, quod diabolus, ea mediante, ei offerebat. *Hoc enim*, inquit, *si fecisset, sine dubio non viveret; anima enim, quæ peccat, ipsa morietur.* Hanc mortem infaustam illico primis hominibus attulit cibus insipidus, ac virulentus.

[a] Gen. 2. 17

[x] Hom. 15. in Gen.

[z] Gen. 45. 6.

275 Neque hoc satis, mortem etiam intulit temporalem, & corpoream, quam priùs ipsis Dominus comminatus fuerat, statimque per sententiam promulgata, ac intimata fuit per illa verba: [a] *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Perdiderunt igitur & sibi, & universis posteris suis immortalitatem, qua donati fuerant. Adeò venenatus fuit cibus ille à dæmone oblatus: eodemque veneno laborant omnes, qui in ejus mensa degustantur: nos autem tales sumus, ut solùm attendamus ad ea, quæ oculis corporeis percipimus, nempe odorem, saporem, præsentemque dulcedinem epularum; minimè verò ad virus, quod latet: hic enim fuit primus error matris nostræ Hevæ, ut benè notavit Rupert. [b] *Solis*, inquit, *exterioribus oculis naturam ligni consideravit, & deprehendit malè cauta, quod in fructu ligni non esset venenum mortis: erat enim bonum ad vescendum, & pulchrum oculis.* Non vidit oculis venenum sublatens, persuasit sibi neutiquam latere in pomo tam pulchro oculis, gustuique tam delectabili; sed statim experta est suæ deceptionis effectus, qui breviter relati sunt, præter multos alios, quos filii ejus satis experimur, quos brevitas hujus discursus cogit præterire.

[a] Gen. 3. 19

[b] Lib. 3. in Gen. c. 9

276 O bone Jesu, unicus animarum nostrarum amor! Quid esset de nobis tam venenosis dapibus toties ingurgitatis, & virulentis potionibus toties inebriatis, gustum habentibus adeò infectum, ut illas solas appetamus, ac sitiamus; nisi tu præ amore æstuans te ipsum nobis dares in cibum, & sanguinem tuum in potum, cujus dulcedo nos abstrahere posset à falsa, & apparente, ad quam nos dæmones quotidie invitant? At ò nos miseros! qui mensam tuam, quæ mensa Patris est, quæ nos sustentat ad vitam, fugimus accurrentes libenter ad illam, in qua certa nobis mors propinatur. Fastidimus quidem panem Angelorum, & appetimus porcorum siliquas: dulcius nobis est fel, quod occidit, quàm mel, quod vivificat, cujus miram dulcedinem experiuntur animæ piæ, quæ conscientiis puris, purisque affectibus amoris accensæ ad tuam accedunt mensam, cujus tanta est dulcedo, quantam conjectare possumus [c] ex illo Religioso servo tuo, qui cùm gustasset frustum panis, quem antea gustare non poterat; quapropter de deserenda religione cogitabat, quia tu, Domine Jesu, illud tuo sacro lateri admovisti, indeque extractum comedendum præbuisti, ei tam dulcis fuit, tamque suavis, ut se jam crederet paradisi mensæ accumbere. Quid, Domine mi, de illis, qui mundo corde, & animo verè contrito, amoreque suffusi ad tuam sacrosanctam mensam accesserint, & in illa gustaverint non quidem ordeaceum panem admotum lateri imaginis tuæ è cruce pendentis, sed verum, & reale corpus tuum, tuum pretiosum sanguinem, tuamque divinitatem? Quæ quidem dapes sunt, quæ solùm vitæ cœlestes cives replent beatitudine.

[c] Chron. Min.

277 [d] *Hanc mensam proposuit Deus contrariam illi, quam nobis anteà dæmones proponebant.* Hanc mensam sacrosanctam nobis apposuit Deus misericordiarum, & Dominus totius consolationis in omnibus oppositam illi, quam nobis dæmones quotidie proponunt. Nam si in ista deperditur pulcherrima illa gratiæ stola: in illa recuperatur longè pulchrior: si in ista amittitur humana dignitas, & brutalis deformitas comparatur: in illa brutalis exuitur indignitas, & honor humanus restauratur ad divinum quodammodo accedens, si

[d] Cyril. ubi sup.

in ista deperditur jus ad paradisum: in illa restituitur, ex eaque exeunt, qui dignè discubuerunt, æternæ beatitudinis candidati. Si in ista deperditur vita animæ, & vita corporis: in illa inveniunt invitati vitam animarum, corporumque immortalitatem, qua cœlesti hoc pabulo refecti perfruentur, juxta promissionem institutoris: a Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Ut autem apertè constet, quàm contraria sit hæc Christi mensa mensæ dæmoniorum, percurramus breviter effectus hujus mensæ cœlestis, videamusque quàm sint contrarii iis, quos retulimus de obscœna illa mensa diaboli. a Ioa. 6. 59.

§ 4.

De mensa, quam suis proponit Christus in Sacramento Corporis & Sanguinis sui.

278 Diximus de mensa dæmonis, dicamus jam de mensa Christi, de qua, ut vidimus, dicebat sanctus Cyril. Jerosol. a *Hanc mensam proposuit Deus contrariam illi, quam nobis antè à dæmones proponebant.* Non possumus autem hanc contrarietatem meliùs demonstrare, quàm monstrando, quàm sint contrarii effectus utriusque. Quare oportebit brevissimè referre, quos diximus causare mensam dæmoniorum, ut faciliùs utrorumque contrarietas, & oppositio innotescat. a Catech. 4. mystag.

279 In dæmonis igitur mensa, ut dicebamus, deperditur illa pulcherrima gratiæ chlamis, qua nos Deus ornaverat, ac dignificaverat. In sacra autem Eucharistiæ mensa, quam nobis proponit Christus, divinissima chlamis illa restauratur cum fœnore pulchritudinis. Quoniam, licèt verum sit, quòd accedentes ad hanc mensam cœlestem, accedere debeant gratiæ chlamyde indui, quæ significatur in veste nuptiali Euangelii, sine qua horrendum sacrilegium est ad illam accedere. Contingere tamen potest, ut in schola docetur, quòd in hac mensa illa induatur, qui omninò exutus bona fide accessit. Quando autem indutus accedit, ut quidem accedere debet: redditur longè pulchrior, longèque prolixior. Additur, quia ipsum Christi Corpus, & Sanguis, quibus ibi vescimur, & potamur, non solùm nos vestit, largiendo ad sui ingressum pulcherrimam hanc gratiæ stolam, vel ejus majus augmentum, majoremque ipsius splendorem; sed ipsummet corpus, & sanguis nobis est pro indumento regio, loco justitiæ originalis, quam amisimus, quando Protoparens noster Adamus mensæ dæmonis infeliciter accubuit. Qua quidem veste pretiosa Paulus volebat, ut semper induti incederemus; quando dicebat: b *Induimini Dominum nostrum Jesum Christum.* Has enim duas vestes planè regias de pretiositate, ac pulchritudine contendentes in hac mensa cœlesti nos accipere docuit D. Chrysost. b Rom. 13. 14.
c *Qui hujus sanguinis*, inquit, *sunt participes, ipsam regiam Christi stolam induti; imò ipsum induti sunt Regem.* Hinc facilè percipies, quàm contraria sit mensa hæc Christi mensæ dæmonis, in qua deperditur vestis gratiæ, & indumentum justitiæ: in Christi verò mensa non solùm comparatur amissa gratia, sed Christo ipso animæ induuntur tamquam stola quadam divinissima, omnibus aliis longè diviniori. c Hom. 45. in Ioan.

280 Mysterium hoc subodoratus est Abbas Cellens: in eo, quòd Deus jussit circa agnum paschalem, qui quidem Christi figura fuit in hac mensa fidelibus offerendi; de quo voluit, ut nihil foras projiceretur. d *Caput cum pedibus, & intestinis vorabitis.* Mysterium autem fuit, ait ille, fidelibus suis significare in hac mensa cœlesti non tantùm opponendum nobis Christi carnem ad esum; sanguinemque in potum, ut pretium redemptionis, sed etiam in indumentum, & ornatum. e *Ut redemptio*, inquit, *in sanguine, refectio in carne, vestis in pelle præbentur.* A quo non fuit alienus S. Chrysol. qui ad prophetiam Isajæ: *Quasi agnus coram tondente obmutescet.* f *Christus*, inquit, *tacitus tondetur, ut tegat illam, quam Adam primus intulit nuditatem.* Unde patet Christi mensam, in qua vestimur agno Dei Sacramentato, mensæ dæmonis contrariam esse; quia in hac prodigè perditur pretiosa vestis, quæ in Christi mensa longè pretiosior, ac splendidior invenitur. d Exod. 12. 9. e Isai. 53. 7. f Ser. 13.

281 Quid plura? Transmutantur in mensa dæmonis homines in bruta: in mensa autem Christi bruta convertuntur in homines. Nascitur Christus panis quidem cœlestis, ut ipse testatus est, dicens: g *Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi.* Nascitur autem in domo g Ioa. 6. 4.

brutorum, seu in stabulo: & Virgo mater eum reclinat in præsepio. Ut ostenderet, ait Euseb. Emiss. se ad bruta, qualia pro tunc erant homines, descendisse: [h] *Reclinatur*, inquit, *in præsepio panis vivus, non hominibus, sed pecoribus anteponitur*. Ut quid, Domine Deus, panis cœlestis offertur brutis? Quoniam volebat, ut homines, quos diabolus in bruta transformaverat, ad pristinam hominum formam, ac honorem reducerentur. S. Hesych. [i] *Libens reconditur in præsepio, ut qui sunt pecuius accurrant, & reperiant logon, idest, sermonem, & rationem in præsepio constitutam, ut ex eo recipiant dignitatem, rationalem*. Idcirco nascitur in stabulo, idcirco ponitur in præsepio panis cœlestis, ut ejus virtute, qui bestialiter vivebant, rationalem vitam instituerent, eamque viverent, priori amissa, longe digniorem.

h Hom. in Nat. Domini in nocte.

i Hesych. orat. 1.

282 Brutus quidem, ac bestialis mundus penè universus degebat, cognitione Dei, à quo fuerat creatus, destitutus. Cùm primùm tamen panis hic cœlestis apparuit in præsepio, quasi brutis oblatus in pabulum; statim veluti conditione mutata, ad deperditam scientiam Dei hominum propriam rediere, creatoremque suum, quem ignorabant, agnovere. [l] *Bos cognovit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*. Per hæc duo bruta animalia intelligunt plures ex sanctis PP. duos populos, Judaicum videlicet, & Gentilicum per bovem Judaicum, quem durum legis jugum opprimebat; per asinum Gentilicum, animal certè immundum, ob abominationes, & idololatrias, quibus immersus erat. Hi autem populi tam brutales, ac stolidi esse humanum receperunt, & tamquam jam homines, Dominum suum agnoverunt. *Bos cognovit: asinus cognovit*. Ambo cognoverunt; quia ambo stabulum intraverunt: ambo comederunt in præsepio, non jam fœnum antiquum, quod illos brutos, ac stupidos faciebat, sed cœli panem sibi in eo oblatum, ut eis humanum honorem restitueret. D. Chrysol. [m] *Uterque agnovit, quia uterque ad unum præsepe Domini epulaturus accessit; epulaturus non fœnum mortis, sed cibum salutis*.

l Isai. 1.3.

m Ser. 159.

283 Quapropter licèt plerique nostrùm, nos moribus nostris brutales adhuc agnoscamus, ne fugiamus cœlestem hunc panem, quem Deus nobis proposuit in principio in præsepio, quasi brutis; hodie jam in mensa tamquam hominibus, comedamus illum cum aviditate, ut nobis honorem deperditum restituat: ad id enim nobis apponitur in hac mensa, sicut dicebamus cum Hesychio: *Ut ex eo recipiant dignitatem rationalem*. Ea propter hodie adhuc multi inveniuntur, qui nihil ferè hominis habere videntur, quos superbia leones, crudelitas tigres, gula lupos, dolus & astutia vulpes, ira viperas, luxuria equos repræsentat; quia nempe cœlestem hanc mensam fugiunt, vel ad eam raro accedunt, vel etiam sine congrua dispositione. Oblata aliquando fuit S. Macario mulier quædam à dæmone possessa, quam ille in varias brutorum formas transmutabat. Sanctus verò Abbas, ut scribit Palladius, declaravit id dæmoni licuisse, quia mulier illa à multis temporibus ad sacram mensam non accedebat, ab ejusque sacris epulis abstinebat, quarum est humanum esse restituere, ac conservare honorem: [n] *Tantùm dæmoni licuisse monuit, quòd multum temporis ab Eucharistiæ perceptione abstinebat; ad quam qui frequenter accesserit debitè dispositus, à brutalitatibus alienus erit*.

n Lorin. ad Ps. 22. versu 7.

284 Quid plura? Tertius effectus mensæ diabolicæ, ut dicebamus, fuit amissio paradisi, à quo Deus ablegavit primos ejus epulones, in signum, quòd in illa non tantùm perdebatur terrestris, sed cœlestis pariter paradisus, cujus intolerabilior amissio est. At in Christi mensa nobis datur corpus ejus, & sanguis, ut pignus futuræ gloriæ, & tamquam certa ad illam via: [o] *Sacrificium enim laudis honorificabit me, & illic iter, quò ostendam illi salutare Dei*. Quasi diceret Deus per Prophetam: Sacrificio corporis, & sanguinis unigeniti Filii mei volo ego honorari, ut exponit ibi Lyran. Eo non solùm mihi homines honorem exhibebunt, sed erit ipsis certa ad cœlum via, pignusque irrefragabile, cui negari non poterit gloria meæ beatæ visionis. In hac ergo sacra mensa secura ad cœlum via fidelibus ostenditur, & cœlestis gloriæ pignus offertur. *Et futura gloria nobis pignus datur*. Canit Ecclesia. Unde satis apparet unius, & alterius mensæ oppositio, siquidem in altera paradisus deperditur, in altera via certa ad illum invenitur.

o Ps. 49. 23.

285 Quar-

285 Quartus effectus mensæ diabolicæ erat animam occidere, illam privando gratia, quæ est vita, qua Deo vivit: Christi verò mensa virtutem habet ad hanc vitam in æternum conservandam, animamque reddendam ab hac p Ioan. 6. 59. misera morte immunem. *p Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. De hac enim vita promissio ista Christi ad litteram exponitur. Ut autem capiamus, qua ratione cœlestis hujus mensæ panis hanc vitam conservet absque ullo mortis dispendio, in memoriam reducamus admirabile illud beneficium primis parentibus concessum. Creavit illos in statu innocentiæ; posuit illos in paradiso terrestri, ex quo post annos, morti tributo non soluto, ad cœlestem paradisum transferrentur. Quia tamen homo ex sua natura, & naturali constitutione mortalis erat; ne mortem experiretur, plantavit in paradiso mysteriosam quandam arborem, quæ lignum vitæ dicebatur, cujus mirabilis fructus virtutem habebat, ut mortem arceret, vitamque eo vescentibus in æternum conservaret.

286 Eodem ferè modo se Dominus habuit in paradiso suæ Ecclesiæ, in qua fideles suos collocat, qui in eam intrant per januam sacri baptismatis, in quo eis vitam gratiæ, ac virtutum pulchritudinem misericorditer elargitur. Ut autem utraque semel accepta conservaretur, plantavit in hoc novo paradiso aliam vitæ arborem longè digniorem ligno vitæ terrestris paradisi, cujus mirabiles fructus vitam, ac pulchritudinem acceptam tueretur ab omnibus contrariis, quæ eam ad mortem disponere potuissent. Hæc autem arbor Christus est crucifixus, fructus ejus vitalis Corpus, & Sanguis in Eucharistiæ Sacramento. In hoc sensu intelligit S. Paschas. promissionem illam factam ab Angelo in Apoc.
q Apoc. 2. 7. *q Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Non loquitur, ait sanctus Pater de paradiso terrestri, neque de ligno vitę, quod Dominus in eo plantaverat: paradisus, de quo loquebatur, erat Ecclesia militans: arbor vitæ Christus crucifixus: fructus vitæ Corpus, & Sanguis ipsius in venerabili Eucharistiæ
r Pasch. lib. de corp. & sang. Chr. c. 7. Sacramento. *r Paradisus*, inquit, *Ecclesia dicitur, lignum vitæ Dominus Jesus Christus, qui in ligno pependit, qui & in Ecclesia, & in spirituali paradiso vitale alimentum, cælestisque panis præbet fidelibus Sacramentum.* Hæc verissima vitæ arbor hæc est, quæ verissimè animas nostras à morte peccati reddit immunes: hanc repræsentabat quasi figura lignum vitæ terrestris paradisi, in quo tamquam in emblemate nobis Scriptura sacra depingit hujus vitalis arboris effectus admirabiles.

287 O millies benedicta, ac miraculosa vitæ arbor! Sine te mors certa: tecum non nisi vita, eaque felicissima: tuo fructu aluntur, qui habitant in Ecclesia militante: eodem felicissimè sustentantur, qui regnant in triumphante; cùm enim utrique vivant, illi quidem in labore, hi verò in pace, & quiete; omnibus necessarius fuit hic vitalis fructus. Hoc mysterium ostensum est Joanni, quando ei monstrata fuit sancta cœli civitas, quam circumfluebat flumen quoddam crystallinum, cujus illud, inter cætera, erat miraculum, quòd idem lignum vitæ esset ex hac, & ex illa parte fluminis. *ſ Ex utraque parte fluminis lignum vitæ*. In quo Deus, juxta Glossam, significare volebat, eamdem vitæ arborem Christum esse ex hac parte fluminis in Ecclesia militante, ut fideles ex ejus fructu, corpore scilicet, & pretioso sanguine ipsius vitas sustentarent animarum suarum: eamdem salutiferam arborem simul esse ex altera fluminis parte, hoc est in Ecclesia triumphante, ut beati illius cives suæ visionis pasceret intuitu, quasi fructu beatifico. ſ Apoc. 22. 2.
Glossa: *t Circa flumen, idest, in hac vita habemus lignum vitæ; idest, Corpus, & Sanguinem Christi, in quibus reficimur. Ultra flumen, idest, in futura vita habebimus ipsum præsentem*. Ut videlicet ejus aspectu satiemur tamquam fructu vitali, quo in nobis vita æterna perennabit, quod satis experiuntur, qui sacrosanctam Eucharistiæ mensam cum pietate Christiana, cordisque mundicie, ac puritate frequentare solent, recedentes omninò à polluta dæmonum mensa. t Gloss. in citatum locum.

288 Ego verò aliud adhuc mysterium contemplor in hac vitæ arbore ostensa Joanni. Nam præter reliquarum naturam singulis mensibus novos proferebat fructus: *u Afferens fructus duodecim, per singulos menses reddens fructum suum*. Mysterium, quantùm conjectari licet, hoc erat, ut intelligeremus, tunc vitam gratiæ sine dispendio conservandam fuisse, quando u Apoc. 22. 2.

do non semel, aut bis in anno, sed repetitis vicibus ex hoc vitali fructu in sacrosancta Christi mensa ederemus, semel saltem in quolibet mense; ideò enim singulis mensibus novos producebat fructus, ut fideles ad novum esum, in quolibet mense invitaret, si vitam gratiæ conservare vellent. Fundatur autem hæc mea cogitatio in eo, quod contingebat vescentibus de ligno vitæ paradisi terrestris, de quo ait Angelicus Doctor non satis fuisse ad vitam corpoream sustentandam eo vesci semel, aut bis, sed opus fuisse eum sæpius comedisse: [a] *Semel sumptum*, inquit, *præservabat à corruptione usque ad determinatum tempus, quo finito, indiguisset iterùm sumere de ligno vitæ*. Ita similiter ad vitam gratiæ servandam, eamque æternandam, necessarium est sæpius ad Christum arborem vitalem accedere, ejusque vitalibus fructibus vesci frequenter, ut vitæ animarum nostrarum immunes conserventur à morte peccati, fiatque æterna virtute fructus ejus vitalis, juxta ejus indubitatam promissionem: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*.

a 1. P. q. 97. a. 4.

289 Quid deinde? Erat, ut dicebamus, ultimus mensæ diaboli effectus mors ipsa corporum. Immortalis homo futurus erat, tributum morti minimè soluturus, si non comedisset pomum prohibitum, sibi à dæmone oblatum. Mensa verò Christi Eucharistica diaboli mensæ undequaque opposita, virtutem habet ad hanc etiam vitam conservandam, ad illamque feliciter restituendam illis, qui eandem in mensa dæmonis perdiderunt. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Testis sit Elias, qui quadraginta diebus ambulavit in virtute placentæ sibi ab Angelo oblatæ. [b] *Comede*, inquit, *longa tibi restat via*. Commentatur verò Lyran. *Comede sacram Eucharistiam*. Quasi diceret Angelus ad eum: Iter tibi faciendum est satis longum, terra autem deserta carens omnibus ad vitam necessariis. Verùm comede hanc placentam, quam tibi offero in figuram panis vitalis decreto tempore fidelibus subministrandi; illa enim vitam tuam conservabit ad multos dies. Ita prorsus evenit: ambulavit per quadraginta dies in virtute panis illius usque ad montem Dei Horeb, quin alterius indigeret alimento.

b 3. Reg. 19.

290 Ex quo facto infert Guitmundus. Si in virtute illius figuræ Elias vixit quadraginta dies absque alia refectione, jure potiori victurum multò plures, qui vitæ panem comederit, non jam in figura, sed in realitate. [a] *Si virtute illius refectionis*, inquit, *quadraginta diebus, totidemque noctibus vixit; quantò magis ex virtute divini convivii potest quispiam meliùs sustentari?* Ut verè sæpè contigit pluribus Dei servis, de quibus legimus in historiis, permultos vixisse annos, quin aliud edulium degustarent, præter hunc vitalem Eucharistiæ panem, quo singulis diebus Dominicis reficiebantur. *Et hoc ipsum*, addit idem Author, *de quibusdam sanctis Patribus legimus, qui nullum aliud sumentes edulium, sola communione Dominica, diebus tantùm Dominicis saginati multis annis vixerunt*. Et nisi Dominus vellet sancta eorum merita præmiare, adhuc in hac vita perseverassent in virtute illius panis vivifici; cujus effectus adhuc invenies multò mirabiliores. Nam vitam causat æternam, & non solam temporalem temporis limitati, sed illam prorsus immortalem, quam in cœlesti patria felicissimam speramus; illam, inquam, quam post communem resurrectionem, in perpetuas æternitates duraturam recipiemus.

a Guitmund. in glossa.

291 Quem cogitamus nostris corporibus vitam æternam daturum, & ex sepulturis, in quibus jacebant redacta in cineres, ac putredinem, illa excitaturum immortalia, & incorruptibilia, ut in cœlo vitam ducant æternam? Vita hæc felicissima effectus erit hujus panis divinissimi, quo corpora nostra in hac vita reficiuntur. Nec sanctus Irenæus argumentum habuit efficacius ad probandam vitam æternam corporum, eorumque ad vitam resurrectionem hæreticis, qui eam vitam, resurrectionemque inficiebantur, quàm hoc; quòd scilicet alebantur Corpore, & Sanguine Christi nobis dato in divinissimo Eucharistiæ Sacramento. [b] *Quomodo enim*, inquit, *carnem negant esse capacem donationis Dei, quæ est vita æterna, quæ Corpore & Sanguine Christi nutritur?* Quasi diceret. Corpora fidelium vita ipsa sustentantur, quæ Corpore, ac Christi Sanguine, qui panis vivus est, saginantur; non possunt ergo non resurgere ad vitam immortalem, & æternam. Neque mirandum est, quòd alia alimenta

b Iren. lib. 5. c. 2.

menta vitam non conferant à morte alienam, quia sunt edulia mortua. Mirandum verò valde foret, quòd panis vivus, qualis est Christi Corpus, imò vita ipsa, illam non communicasset corporibus, quæ illo nutriuntur. Hæc Irenæi doctrina traditur etiam à sanctis Patribus Cypriano, Athanasio, & Gregorio Nyss. qui ultimus postquam latè discurrit in hac materia, sic concludit: *Ostensum sit aliter fieri non posse, ut nostrum corpus sit in immortalitate, nisi per communionem cum immortali factum sit particeps incorruptionis.* Ac si dicat. Impossibile est, quòd corpora nostra ex natura sua corruptibilia, mortique obnoxia, elevettur ad vitam immortalem totius corruptionis immunem, & consequenter æternam, nisi per communicationem, quam habent cum Christi Corpore in Sacramento altaris, quòd solùm, tamquam panis vivus, ut illud Dominus verissimè appellavit, potest vitam communicare ab omni morte, omnique corruptione alienam, & Cyril. Alex. ex eo quòd Christus tactu mortuos ad vitam reducebat. c *Quòd si*, inquit, *solo tactu sua corrupta rediuntegrantur: quomodo non vivemus, qui carnem illam & gustamus, & manducamus? reformabit enim omninò ad immortalitatem suam participes sui.* Et cap. 15. *Non enim potest natura nostra vita conjuncta non vivificari. Quemadmodum si quis scintillam ignis in fœno, aut palea occultaverit, totum inde ignitum necessariò fiet: sic Verbum Dei tamquam scintilla in naturam nostram immissum, totam inde inflammavit, atque ad vitam, interitu penitus destructo, reduxit.*

c Lib. 4. In Joan. c. 14.

192 Hinc justi illi, qui cum Christo Domino surrexerunt, ut meditatur Abbas Rupertus, scientes vitam immortalem, corporumque resurrectionem à Corpore Christi derivandam: quod, dum viverent, non degustarum in hoc Sacramento, iterum corpora immortalitate donarentur, videntes Christi Corpus in cruce demortuum sepulturæ tradendum, ad invicem certabant, ut quisque posset illud in sua recipere sepultura, ut ex illius saltem contactu, corpora in pulverem redacta, ad vitam resurgerent immortalem. Ideò monumenta aperta sunt, & tremuit terra, quasi ex æmulatione, qua quisque illorum festinabat ad suam aperiendam. d *Corporibus*, inquit, *mortuorum hoc expe-*

d Rup. l. In Cant. c. 6.

diebat, ut conjungeretur cum eis corpus hujus mortui, quod afferebat resurrectionem mortuorum; idcirco ad suscipiendum illud certatim, & avidè se dilataverunt. Neque decepti sunt; quia satis fuit sepeliri corpus illud sanctissimum, pariter & vivificum in corde terræ, quæ aliorum mortuorum corpora continebat, ut ipsa virtute illius ad immortalitatem resurgerent, de quibus ait Evangelista: e *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Hæc est virtus Corporis Christi in Sacramento altaris, quod in ejus mensa nobis edendum datur, vitam communicare æternam, corporibus etiam in pulverem jam conversis. Qua de causa, Ecclesia sancta mater nostra omnibus filiis suis morti vicinis hoc Christi Corpus, panemque vivificum subministrat, ut ejus virtute membra nostra jam jam in terram resolvenda, valeant tempore constituto resurgere immortalia, & gloriosa, ut in æternum vivant omni incorruptibilitate, & immortalitate donata.

e Matth. 27. 52.

193 Ex hactenus dictis constat, quàm vera sit sententia D. Cyril. *Hanc mensam proposuit Deus contrariam illi, quam nobis antea dæmones proponebant.* Nam in hac Christi mensa vel certè confirmamus, corroboramus, & ampliamus pulcherrimam gratiæ stolam; condignum hominis honorem recuperamus, jus ad æternam paradisi gloriam, vitam supernaturalem animarum nostrarum, vitam quoque immortalem corporum nostrorum feliciter comparamus; quæ omnia in mensa dæmonum infelicissimè perdideramus. Fugiamus igitur mensam tam obscœnam, fastidiamus dapes ejus adeò venenosas, ac nocivas. Appetamus autem mensam Christi, ejus divinas, ac salutares epulas avidè sitiamus, utpote ex quibus tot præclara bona certissime sperare possumus. Nec obliviscamur sententiam Apostoli: f *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Sunt duæ hæ mensæ contrariæ, ut satis ostensum est. Non licet utrique accumbere. Et fortasse in multis sacrosancta Christi mensa ideò non causat effectus, quos solet, quia non abhorrent ex toto execrandam diaboli mensam; qui enim illam abominatur, & fugit, experitur non solùm divinas dulcedines, solidasque consolationes, sed grandia virtutum incrementa, reliquosque mirabiles

f 1. Cor. 10. 21.

biles effectus, quos retulimus. Hanc ergo inhiemus, hanc sitiamus, ab hac non recedamus, si perduci optamus ad veram felicitatem; ad quam, ut nos elevaret Dominus noster Jesus Christus, se in mensâ sua proposuit, deditque corpus suum in cibum, sanguinemque pretiosum in potum.

§ 5.

Exinanivit se Dei Filius in mensa Eucharistiæ, ut servis suis exhiberet ad vitam quamdam divinam, Christi vitæ simillimam.

a Philip. 2. 7. 294 LOquens Apostolus de Dei Filio, ait: a *Semetipsum exinanivit*. Hanc Dei Filii exinanitionem interpretatur Dionys. Alex. de ea, ad quam Christum amor hominum perduxit in Sacramento Corporis, & Sanguinis sui, in quo non solùm abscondit formam suam, esseque divinum, sed etiam esse humanum occultavit, ut se communicare posset fidelibus suis, illosque facere participes divinitatis suæ. Ut benè D. Amb. b *Se ille exinanivit, ut nos repleret, atque in carne hominis plenitudo divinitatis habitaret*. Clarius Dionys. Alex. c *Hæc est*, inquit, *exinanitio Dei filii ad usum nostrum ut possemus accipere eum: hoc enim mysterium pertimescendum docet Apostolus, cùm ait: Semetipsum exinanivit*.

b lib. 8. c. 58.

c Epist. ad Paul. Samosat.

295 Et quidem, si benè attendamus, videre licebit, nunquam Dei Filium se magis humiliasse, exinanivisse, vel abscondisse suæ divinitatis splendores, quàm in hoc admirabili Sacramento. Nam in incarnatione, in qua D. Bern. tantùm humilitatis, ac exinanitionis veneratur, ut dicat: d *Semetipsum exinanivit usque ad carnem: quis dignè pensat quanta fuerit humilitatis Dominum majestatis carne indui?* Nihilominus ibi legimus intervenisse Archangelum, qui Dei Filium prædicavit illum, qui se in Virginis visceribus abscondebat, ibique majestatem suam deprimebat ad infantuli, quando primò generatur, parvitatem. e *Filius*, inquit, *Altissimi* prædicatur. Ibi inauguratus est Rex. *Regnabit in domo Jacob*. Ibi declaratus est grandis, qui sese ad tantam parvitatem contrahebat, qui sese exinanibat, & quasi anihilabat. *Hic erit magnus*. Luc. 1.

d Ser. 13. in Cant.

e Luc. 1. 32.

296 Si attendamus ad nativitatem, ubi humilitas, & exinanitio maximè fuisse videtur, de qua dixit Bern. f *Deus Pater Verbum fecit abbreviatum*. Redaxit enim infinitam Filii sui magnitudinem ad infantuli corpusculum. *Vultis nosse*, inquit Bern. *quàm longum, quàm breve fecit? cælum, inquit hoc Verbum, & terram ego impleo. Nunc caro factum, in angusto locatum præsepio est. A sæculo, ait Propheta, & in sæculum tu es Deus, & ecce factus est infans unius diei*. Dubitari non licet, fuisse in Christi nativitate, ejus humilitatem, & exinanitionem prodigiosam, ut patebit consideranti Domini majestatem redactam ad corpusculum infantuli positi in præsepio, in paleis, & fœno inter animalia. Nihilominus in tanta humilitate, & exinanitione non defuerunt signa, quæ divinitatem occultam publicarunt. Fuerunt enim Angeli, qui ei gloriam decantarunt. *Gloria in altissimis Deo*. Fuit Angelus, qui natum infantulum Salvatorem prædicavit. *Natus est vobis hodie Salvator*. Luc. 2. Salvare autem officium est proprium Dei. Fuit stella miraculosa, quæ gentibus ejus divinitatem significavit, ut benè S. Greg. g *Eum parvulum, & nec dum per humani corporis officium loquentem, stella gentibus denunciat*.

f Serm. 5. de nat.

g Hom. 10. in Evang.

297 Si verò attendamus ad tempus, quo vixit in carne mortali, ita illum videbimus humilem, abjectum, & absconditum, ut non defuerint divinitatis indicia. Nam in Jordane descendit super eum Spiritus sanctus, & Pater eum filium declaravit. h *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. In Thabore i *Resplenduit facies ejus sicut sol: vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix*. Ubi etiam declaratus est secundò Filius, & communis mundi magister, & doctor. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*. Videbimus deinde miracula prodigiosa, quæ satis ostendebant illorum Auctorem, doctrinamque admirabilem, quæ abundè declarabat prædicatorem non fuisse hominem: quando ejus inimici missi ad eum comprehendendum, illo audito, eum capere ausi non sunt dicentes, nunquam sic hominem fuisse locutum. Videbimus tandem tales ex vultu ejus divinitatis radios emicasse, ut cogerentur homines post ipsum abire. D. Hieron. l *Certè fulgor ipse*, inquit, *& majestas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se venientes trahere poterat aspectu*.

h Matth. 3. 17.

i Matth. 17. 2.

k Joan. 7. 46.

l Ad cap. 9. Matth.

298 In hoc autem corporis sui Sacramen-

Digitized by Google

mento non solùm abscondit Dominus divinitatem suam, omniaque ejus indicia, sed ipsam quoque humanitatem. Ut benè cecinit D. Thom. [m] *In cruce latebat sola Deitas, sed hic latet simul & humanitas*. Defuerunt in ejus institutione Angeli, qui majestatem absconditam prædicarent. Defuerunt homines ductati à stella, qui ad eum ibi adorandum accurrissent. Imò cùm semel de hoc à se instituendo Sacramento loqueretur, multi, qui eum sequebantur scandalizati, Dominum reliquerunt. *Ex hoc*, inquit S. Joannes, [n] *multi discipulorum ejus abierunt retrò* deficientes in fide, quam jam habebant, ut ibi exponit D. Chrys. [o] *Hoc est*, inquit, *fidem, quam jam habebant, perdiderunt*. Existimantes non potuisse latere divinitatem, quam ipsi concipiebant, in eo, qui se promittebat dandum in edulium, & alimentum suorum fidelium. Non potest cogitari major humiliatio, major abjectio, majorve exinanitio.

[m] In hymno Adoro te.
[n] Ioa. 6. 66.
[o] Hom. 46. in Ioa.

299 Si autem attendamus ad crucem, in qua Dominus noster visus est magis abscondisse divinitatis radios, videbimus ibi etiam à creaturis insensibilibus manifestatam fuisse. Quid enim aliud fuit obscurari solem, scindi petras, aperiri sepulturas, moveri terram, scindi velum templi, nisi suo modo prædicare, illum, qui in cruce pendebat, fuisse plusquam hominem, verumque Dei Filium? Talem eum agnovit Centurio, qui videns quasi dolorem creaturarum insensibilium, exclamavit: [p] *Verè Filius Dei erat iste*. Milites quoque crucifigentes aliquam agnitionem habuisse demonstrarunt, dum quasi illum suspicientes, [q] ejus crura non fregerunt. At in institutione hujus Sacramenti non solùm defuerunt signa prodigiosa passionis, sed partitum, ac divisum in ea est Corpus Domini. Nam licèt realiter semper integrum fuerit, sitque ac indivisum, oculis tamen nostris partiri videtur, ac dividi, quando dividuntur species, sub quibus latet, de qua divisione Apostolus: [r] *Panis, quem frangimus, nonne participatio Domini est?* Ubi Chrysost. [s] *Quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur; & propterea frangi sustinet, ut omnes satiet*. Non est major exinanitio.

[p] Matth. 27. 54.
[q] Ioa. 19. 33.
[r] 1. Cor. 10. 16.
[s] Hom. 24. ad Cor.

300 Jam verò si attendamus ad passionis injurias; fortasse non sunt minùs atroces, quas Dominus patitur in hoc Sacramento; & quia diuturniores; & quia in tempore gloriæ, & immortalitatis, quæ proinde indicant majorem exinanitionem in tolerante Deo. Qui indignè accedit ad hoc Sacramentum ait Apost. [t] *Reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Hoc est*, ut ibi exponit D. Thom. *ac si Christum occiderit, punietur*. Ex parte enim sua eandem violentiam, injuriamque irrogat, quàm irrogarunt, qui Dominum crucifixerunt; nam culpa magis est in animo, quàm in opere. Unde dixit D. Amb. Christum mori manibus eorum, qui indignè ad hoc Sacramentum accedunt: [u] *Occisus est*, inquit, *ab his, juxta illud: Rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei*. Datque rationem Theophil. [t] *Ut enim qui tunc pupugerunt Christum, Sanguinem ejus fuderunt, non ut biberent, verùm ut effunderent; sic indignè bibens, nihilque inde commodi referens, frustrà, ac temerè fundit Sanguinem*. Sicut namque, qui Christum crucifixerunt, ejus fuderunt sanguinem, non ut fructum ex eo perciperent, ita qui illum indignè bibunt, sicut sine utilitate percipiunt, solùm habent pro fine illum fundere, ut habuerunt, qui Dominum realiter crucifixerunt.

[t] 1. Cor. 11. 16.
[u] 1. Cor. 11. 27.

301 Neque in hoc abominabili sacrilegio desunt Judæ traditoris subdolæ amicitiæ simulationes, nec Judæorum injuriæ, & opprobria. In hoc enim sensu explicat Theodoret. [x] verba Apost. *Reus erit Corporis, & Sanguinis Domini. Significat*, inquit, *quòd quemadmodum tradidit ipsum Iudas, ipsum autem insultarunt, & conviciis affecerunt Iudæi; ita eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus Corpus immundis manibus accipiunt, & in os pollutum immittunt*. Quid enim aliud est, accipere Christi Corpus, ut fidelis, & amicus, cùm re ipsa inimicus sit, quàm Domino osculum fictæ amicitiæ porrigere, ut fecit Judas? Quid aliud accipi in manibus sacrilegis tot malorum sacerdotum, quàm ab eis alapas accipere, sicut accepit à Judæis, & Gentilibus? Quæ injuriæ, cùm sint continuæ, à pluribus irrogatæ personis, magisque obæratis ad honorem Domino præstandum, ob fidem, quam habent de ejus divinitate; manet exinanitio, & imminutio in hoc Sacramento multò magis commendabilis, quam quæ fuit in passione, licèt admiranda.

[x] Theodoret. ibi.

302 Sed, ut notavimus, in cruce, ubi Chri-

Christus Dominus magis visus est abscondisse, & exinanivisse majestatem suam, non defuerunt signa prodigiosa, quæ eandem manifestarunt: in hoc verò Sacramento, in quo se fecit cibum, & potum fidelium, non solùm deficiunt ea signa absconditæ divinitatis, sed suppetunt, quæ secundùm rationem purè humanam, persuadent ibi neutiquam latere, adeò ut Moyses medium efficacius non invenerit, quo clariùs convinceret populum Idolatram, vitulum, quem adoraverat, nullas neque umbras divinitatis habuisse, indignumque prorsus fuisse cujuscumque adorationis, quàm illum comminuere, ac redigere in pulveres, qui à populo epotarentur: [a] *Arripiensque vitulum*, inquit textus, *combussit, & contrivit usque ad pulverem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel*. Ut certò scirent nullam fuisse divinitatis umbram in eo, quod ab ipsis potatum fuerat, indeque corrueret omnis occasio impiæ adorationis, erubescerentque, quòd antea adoraverint vitulum, quem ebiberant: Et ut benè dixit Amb. [b] *Ut omnia impietatis aboleret vestigia*. Et D. Hieronym. [c] *Ut contemnere discat, quod in secessum projici vident*. Ex quibus certò apparet numquam Dei Filium se magis abscondisse, neque exinanivisse, suamque divinitatem, ac majestatem magis occultasse, quàm in hoc Corporis, ac Sanguinis sui Sacramento, cùm se reliquit sub speciebus panis, & vini in suorum fidelium cibum, & potum.

a Exod. 32. 20.

b In cat. Lypom.

c Ad Fabiol.

303 Adsit tamen D. Bern. dum dixit: [d] *Quantò minorem se fecit in humanitate, tantò majorem se exhibuit in bonitate; & quantò pro me vilior, tantò mihi charior*. Quantò magis, ò bone Jesu, te abscondisti, te exinanivisti, & quasi ad nihilum te deduxisti propter me; tantò me ad te amandum efficacius provocasti. Ad eam enim exinanitionem te perduxit amor, ac desiderium, quo flagrabas honorandi, & exaltandi servos tuos, quos nunquam sic Dominus sublimavit, quàm dum se exinanivit, & abscondit divinitatis suæ, imò & humanitatis splendores, ut nobis esset alimentum, cibus, & potus in hoc Sacramento, quo nutriti, & aliti vitam quandam divinam viveremus; vitam, inquam, simillimam vitæ, quam ipse vivit. Habet enim Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi virtutem, efficaciamque, ut illi, qui illo dignè frequenter reficiuntur, vitam vivant tam spiritualem, tam justam, ac sanctam, ut vitam Dei, Christique vivere videantur.

d Ser. 1. de Epipha.

304 *Ego*, ait Christus Dominus, [e] *vivo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse vivet propter me*. Ac si diceret: Sicut ego Deus, & homo Filius Dei, vivo Patris mei vitam, quam ille mihi cum sua divinitate communicavit; ita qui Corpore, & Sanguine meo nutritur, vitam meam vivet. Nam sicut divinitas Patris, ob identitatem cum Christo, quatenus Deus est, in causa est, ut ipse vivat eandem Patris vitam, & ob unionem, quam habet cum Christo, qua homo est, est in causa, ut ipse Christus etiam quatenus homo, vitam vivat divinissimam: ita pariter homo ob unionem, quam habet cum Christo, ratione hujus Sacramenti, quod sibi incorporat, vivet vitam Dei, & vitam Christi ut exponunt Chrysost. Cyril. Hilar. & alii PP. & Expositores. Hanc autem mutationem de vita humana in divinam, & Christi, alibi declaravimus exemplo arboris silvestris, cui surculum arboris fructiferæ inserimus, quæ quidem virtute inserti surculi gemmat in novas frondes, flores, & fructus, ita ut jam sit nova, & non arbor antiqua. Ita quidem homo, qui pectori suo sacram inserit Hostiam, in qua latet Corpus, & Sanguis Christi, ejusque divinitas, virtute surculi divini vitam accipit non solùm spiritualem, sed vitam divinam, & vitam Christi. Hæc est hujus divini surculi virtus: hæc emolumenta illorum, qui convenienter dispositi sibi inserunt vitalem cibum; transeunt per illius virtutem ad quandam Dei, & Christi similitudinem, ut benè divinus Dionys. [f] *Verus ad sacra percipienda accessus id accedentibus tribuit, ut ex communione divina, ad Dei similitudinem, atque consortium transeant*.

e Ioa. 6. 58.

f De cœlesti hierarch. c. 3.

305 Ut autem intelligamus, qua ratione ad hanc Dei, ac Christi similitudinem transeamus, pensemus verba illa Christi de eo, qui manducat ejus carnem, & bibit ejus Sanguinem in hoc Sacramento: [g] *Manet*, inquit, *in me, & ego in illo*. Quod accipiendum est, ut idem Christus Dominus declaravit Augustino: [h] *Non tu me in te mutabis, sicut cibum carnis tuæ; sed tu mutaberis in me*.

g Ioa. 6. 56.

h 7. Confess. c. 10.

Digitized by Google

mo. Ut maneas quasi alter ego, sicut agrestis arbor non mutat in se surculum sibi insertum, sed ipsa mutatur in surculi naturam. Nec mirum, quia licèt hoc Sacramentum panis sit, alimentumque animarum, non est panis aut alimentum mortuum, quod convertatur in substantiam aliti: est panis vivus: [i] *Ego sum*, inquit Dominus, *panis vivus, qui de cœlo descendi*. Et sicut panis vivus convertit in se illum manducantes. *Carnem suam*, ait D. Cyril. Alex. [k] *vivificantem efficit*. Dedit Christus nobis carnem suam, suumque Corpus vivum, ut nos vivificaret, essetque vita animarum nostrarum, & quasi forma, & anima, quæ nos informaret, ac vivificaret. Unde doctissimus Barrad. [l] *Sicut corpus vivit propter animam, sic anima vivit propter Christum*. Quia verò talis est vita, qualis est forma, qua corpus informatur, & animatur, ideoque Corpus hoc vivit vitam humanam, illud leoninam, aliud equinam, ob diversas formas, & animas, à quibus informantur, ac animantur; sequitur animas justorum, qui habent pro forma, & anima sua Corpus Christi, vivere vitam Christi, & vitam Dei. *Christus ergo*, addit Barrad. *Deus vitam efficit Christianam, & divinam*.

[i] Ioa. 6. 41.
[k] Cyril. ibi.
[l] In mor. de beat.

306 Hanc hominum in se ipsum transformationem intendit amor Christi, quando Sacramentum Corporis, & Sanguinis sui in nostrarum animarum alimentum instituit, ut benè Greg. Nyss. [m] *Propereà*, inquit, *nobis se ipsum comedendum proponit, ut cùm ipsum in nobis acceperimus, illud simus, quod ille est*. Tam similes nos sibi voluit, ut voluerit quod per corpus suum, quod ad id dedit, essemus idem cum ipso, & quasi idem quod ipse est. Unde D. Hilar. [n] explicans verba illa Joa. 1. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*; ait, id fecisse: *Ut per Verbum carnem factum, caro proficeret in Deum Verbum; & ne nostri corporis caro esset, habitavit in nobis; ut dum habitat, non aliud, quàm Deus maneret*. Tam divinos nos voluit, talesque per hoc Sacramentum fieri concupivit. Hanc autem in Deum, & Christum transformationem per virtutem hujus Sacramenti declarant sancti PP. variis similitudinibus. Alii ferri, [o] quod in ignem immersum, inde extrahitur non jam frigidum, durum, aut obscurum, ut antea erat; sed ardens, molle, & clarum, & magis ignis, quàm ferrum, quia totum ab igne penetratum. Alii similitudine ceræ liquefactæ, [p] cui si injicias frustum alterius duræ, ita liquefit, & penetratur à prima, ut eam ab illa non distinguas. Alii similitudine fermenti, quod cùm sit parvum in quantitate, totam massam commaculat, fermentatamque reddit, ac sapidam. Alii similitudine sanguinis, quem parentes filiis communicant, qui illos ita similes reddit genitoribus, ut sint imagines quædam eorum naturales. Unde nos appellant *concorporeos, & consanguineos Christi, & Christiferos*.

[m] Hom. 8. in Eccles., 1 con.
[n] Lib. 1. de Trinit.
[o] Cyril. Alex. lib. 4. in Joa.
[p] Cyril. Ierosol. Catech. 4. mystagog.

307 Omnes autem concludunt, unum è præcipuis effectibus Corporis Christi in hoc Sacramento, esse unire nos sibi, & concorporare, unamque rem efficere, ita ut esse amittamus pristinum; sicut virtute verborum consecrationis substantia panis convertitur, & transmutatur in substantiam Corporis Christi: sicut virtute nativi caloris alimentum convertitur in substantiam aliti, fitque eadem res cum illo: ita qui vescitur hoc sacro pane, in quo Christus latet, fit eadem res cum Christo. Unde D. Thom. [q] ait, effectum proprium hujus Sacramenti esse transformare homines in Deum, illosque reddere Christo similes; sicut ignis transformat in se res omnes, quæ sibi appropinquant consumens prius quidquid in ipsis sibi contrarium erat, quo facto, illico formam suam introducit. Unde Cyril. Jerosol. dixit de illis, qui frequentamus hoc Sacramentum: [r] *Sic efficimur Christiferi, hoc est, Christum in corporibus nostris ferentes*.

[q] In 4. d. 12. q. 1. a. 1.
[r] Catech. 4. mystag.

308 Hæc autem divina transformatio agnoscitur, quando quis se invenit spiritualiter mutatum in Christum, eique similis est in vita, & moribus, humilis, castus, obediens, mitis, ac mansuetus, ut Christus. Hoc est signum transformationis, quam in nobis causat Christi Corpus. In consecratione transformatur substantia panis in Corpus Christi, remanentibus integris accidentibus. In sacra Communione remanet substantia hominis, mutanturque ejus accidentia in accidentia Christi; quia ex homine vitioso fit virtuosus, ex imperfecto perfectus. Hoc erit argumentum, quòd Christus nos in se transformavit. D. Cypr. [f] ad illa verba Ps. 22. 5. *Calix meus inebrians, quàm præ-*

[f] Lib. 1. epist. 3. ad Cæc.

clarus

clarus est. Quæ ille de Divino Sacramento interpretatur, ait, ficut vinum hominem à suis sensibus alienat, eumque facit oblivisci cogitationum, quibus premebatur; ita hoc Sacramentum quando homines in Christum transformat, sic illos à se ipsis alienat, ut jam de rebus hujus mundi, quibus immergebantur, non agant, eorumque negotia cœlestia tota sint. Idem ait S. Basil. [t] versans verba illa Apostoli: *Vt qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est. 2. Cor. 5. 15.*

t In q. 8. brevibus. n. 272.

309 D. Chrysost. declarans obligationem hujus nostræ in Christum transmutationis, commendat, ut quando in tentationem inciderimus, recordemur intrasse in nos Christi Corpus, ut hæc memoria sit nobis quasi frænum aureum, quod nos ab omni culpa dimoveat; nam linguæ, quæ toties in se habuit Corpus Christi, congruit talis sanctificatio, ut non loquatur turpia, & obscœna, sed neque scurrilia, aut levia, ut nec mendaciis, aut detractionibus profanetur. Cor, quod solet esse custodia Corporis Domini, non decet, quòd sit sterquilinium turpium affectuum, nec cogitationes admittat, nisi divinas, quando custodia aurea, vel argentea, in qua illud portare solemus, non deputatur usibus sordidis, nec profanis. [x] *Cùm nos*, inquit, *ab ira corripi viderimus, vel ab alio vitio; cogitemus, quibus facti sumus digni; & sit irrationabilium nobis motuum correctio talis cogitatio*. Et alibi: [y] *Quæ erit nobis excusatio, cùm talibus pasti talia peccemus? cùm lupi fiamus, agnum comedentes, cùm tanquam oves pasti, more leonum diripiamus?* Certè excusationem non habebit, qui in vita fuerit lupus, alimentatus carne, ac Sanguine agni Dei; qui fuerit leo in ira, odio, vel vindicta, debens esse agnus mitis, & mansuetus propter unionem, quam habet cum agno Dei immaculato, ac mansueto.

x Hom. 61. ad popul.

y Hom. 83. in Matth.

310 Omnes habemus passiones nostras, inclinationesque sinistras, ac pravos affectus, quos tanquam idola adoramus. Si autem agnoscere cupimus, an hoc Divinum Sacramentum operatum sit in nobis mutationem, de qua loquimur, videamus attentè, an corruerit idolum illud honoris, voluntatis propriæ, & commoditatis temporalis, & similia, quæ antea adorabamus, sicut cecidit Dagon [z] ad introitum arcæ Domini. Si enim corruerunt, credere possumus non comedisse nos vitæ panem otiosæ, ac sine utilitate. In quem sensum declarat D. Hieron. quod ait Sapiens de muliere illa forti figura Ecclesiæ, & eorum, qui in illa vivunt cum majori sui cura, & vigilantia: [a] *Consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit*. Hoc est, consideravit angulos, ac scrinia animæ suæ. Quod pertinet ad præparationem antecedentem, quam commendat Apostolus, dum ait: [b] *Probet autem se ipsum homo.* Quando verò ex sacro convivio eximus facti meliores; tunc dici potest de anima nostra: *Panem otiosa non comedit*. Væ væ illis, qui tot annis cœlestem hunc panem comederunt, quin in se experiantur Christi virtutes: væ nobis, qui post diu frequentatas divinas has epulas dicere non possumus cum Paulo: [c] *Vivo ego, jam non ego. Idest*, inquit ibi D. Hieron. [d] *Non vivit ille, qui quondam vivebat in lege, qui persequebatur Ecclesiam, Vivit verò in me Christus. Idest, Sapientia, fortitudo, sermo, pax, cæteraque virtutes, quas qui non habet, non potest dicere: Vivit verò in me Christus*. Hoc est evidens signum, quòd in Christum sumus transmutati, si ejus in nobis virtutes vigeant, ac floreant. Ex quibus satis constat ad hoc Redemptorem nostrum Sacramentum Corporis & Sanguinis sui instituisse, ut fideles suos in se ipsum transformaret, ut in illis ejus vigerent virtutes, & mores.

z 1. Reg. 5.

a Prov. 31. 27.

b 1. Cor. 11. 28.

c Galat. 2. 20.

d D. Hieron. ibi.

311 Si autem quæras, cur paucos videamus sic in Christum transformatos, cùm corpore ejus, sanguineque frequentissimè saginentur? Respondeo ad hanc transformationem opus esse, ut divinæ illæ dapes recipiantur cum illis præparationibus, ac dispositionibus, quas ejus postulat sanctitas; quæ si desint, non potest in nobis esse mirabilis hic effectus. Neque enim forma viventis, quamvis indistans à corpore, si illi desint debitæ dispositiones, illud informat, ac vivificat. Ut enim surculus arbori silvestri insertus suam illi virtutem communicet, arborque agrestris in ejus substantiam convertatur, necesse est, quòd sit viridis, vegetet, & vivat; nam si sicca fuerit & mortua, non solùm non convertetur in substantiam, & naturam surculi, sed ipsum exsiccabit, & quodammodo occidet. Ita similiter siquis emortuus per culpam, & gratia justi-

justificante destitutus sibi inseruerit vivum Christi corpus; non solùm non convertetur in Christum, sed quantum in ipso erit, Christum occidet, Deoque suo vitam adimet, ut suprà dicebamus ex Apostolo, sicut arbor arida vita spoliat viridem surculum. Unde remanebit homo ille, non arbor, in qua vivat vitæ surculus, eamque in se convertat; sed potius crux quædam, in qua de novo crucifigatur, ut in illa moriatur, quantùm est ex parte illius, qui vitalem Christi surculum sic indignè recipit. *Erit*, ait Mend. [e] *homo ille truncus aridus, seu anima illa mortua quidam veluti tumulus, seu quędam urna, ubi Christus iterùm moriatur, ac tumuletur. Seu potiùs erit illa anima quędam veluti crux, & mala arbor, cui divinus ille surculus non inseratur victurus, sed affigatur moriturus: erit illud corpus non viride lignum, in quo cœlestis ille ramus quodammodo reviresc at, & reflorescat; sed ferale patibulum, in quo penitùs exarescat, & contabescat.* Quæ omnia prius, licèt breviùs expresserat S. Cardin. Petrus Dam. [f] *Qui Dominicum corpus*, inquit, *pollutis tractare manibus non verentur, crucifigentium Dominum Iesum participes esse convincuntur.*

e Tom. 2. annot. 22. sect. 1.

f Lib. 4. epist. 14.

312 Addo deinde, quòd licèt arbor viridis sit, & viva, ut surculus in ea coalescat, unaque tantùm arbor ex utroque efficiatur, opus esse, ut, antequam novus surculus inseratur, inutiles rami defrondentur, infructuosi stolones rescindantur, & enodes trunci resecentur. Nam si truncus inutilibus ramusculis, ac frondibus, ut antea, silvescat; in priores fœtus erumpet, nec cum insito surculo cohærebit. Unde rursus non vivet truncus per surculum, sed potiùs surculus per truncum interibit, ab illa silvestrium ramorum congerie oppressus. Non aliter, antequam Eucharistia suscipiatur, debent omnia ex animo flagitia amputari, pravæque affectiones coerceri: ut animus à peccatis liber, tamquam truncus noxiis frondibus exoneratus, coalescat cum Divino illo surculo Christo, & surculus in trunco inolescat, atque una fit utriusque vita, ex qua una, atque eadem operatio consequatur. Nam si animus vitiosis adhuc appetitionibus lasciviat, ac luxurietur, numquam cum illo Divino surculo concrescet; in priora flagitia prodibit, quibus ille divinus surculus quodammodo obrutus, & oppressus, quantùm in ipso homine est, penitus exarescet, & contabescet. Hinc autem provenit, quòd non fiat transformatio illa in pluribus, quàm in paucis hoc divinum Sacramentum operatur, in quibus vitæ surculus perfectas dispositiones invenit, ut eos transferat in suam naturam.

313 Celebre est in Scriptura somnium illud Pharaonis, in quo dissimiles admodum boves in eisdem pascuis oberrantes sibi videre videbatur: [g] *Putabam*, inquit, *me stare super ripam fluminis, & septem boves de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus: quę in pastu paludis vireta carpebant. Et ecce, has sequebantur alię septem boves in tantum deformes & macilenta, ut numquam tales in terra AEgypti viderim.* Quis non miretur in eisdem aquarum fluentis saginari quasdam boves, quasdam emaciari; & cùm omnes eodem pabulo uterentur, non omnes tamen eosdem profectus experiri? *Sed in hac re*, ait Mend. [h] *mihi videtur presens mysterium adumbrari. Videmus enim aliquando, & utinam non frequenter, eos, qui eodem Christi Domini corpore & sanguine nutriuntur, in diversas conditiones abire: & alios quidem spiritu provehi, alios carne consumi.*

g Gen. 41. v. 17.

h Tom. 2. annot. 25. sect. 1.

CAPUT XXVII.

Exhortatio ad devotionem B. Virginis.

Inter præcipuas curas boni Parochi, qui populo sibi commisso seriò mederi exoptat, hæc una esse debet, ut specialissimum amorem, piissimum affectum, cordialissimam devotionem erga magnam Dei Matrem illi instillet, & in hac devotione inculcanda, & persuadenda viriliter desudet. Quò enim majores in hac parte progressus fecerit, eò magis credat profecisse in munere suo Pastorali, & in Parœciæ suæ reformatione. Certum enim est, eos magis piè vitæ suæ rationem instituere, qui beatæ Virgini magis addicti sunt, ejusque obsequiis magis se devovent. Ut autem hanc Dei Matris devotionem faciliùs persuadeat, aliqua capita brevissimè præstringam, quibus uti possit ad hanc Virginis devotionem suavissimè persuadendam. 314

Digitized by Google

§. 1.

Devotio B. Virginis, Prædestinationis & salutis æternæ singulare argumentum.

315 NIhil magis tritum apud sanctos Patres & Doctores mysticos, quam Beatæ Virginis specialiter studiosos, salvandos, æternamque beatitudinem consecuturos. Unde passim dicunt, devotionem, affectumque specialem erga Dei Matrem esse quoddam signum, & quasi prædestinationis characterem, quo veluti signati sunt, qui ad æternam capiendi sunt hæreditatem: signum quidem simile illi, de quo Angelus in Apoc. [a] *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum.* Unde D. Bonav. in Psalterio: *Qui acquirunt*, inquit, *gratiam Mariæ, cognoscuntur à civibus Paradisi; & qui hunc habuerit characterem, adnotabitur in libro vitæ.* In quo scripti sunt Prædestinati, qui ab Angelis agnoscuntur tamquam amici Reginæ suæ, quibus tamquam Dominæ suæ clientibus opitulantur in opportunitatibus, illosque adjuvant, fovent, ac tuentur, tamquam secum pariter in Patria regnaturos.

a Apoc. 7. 3

316 Idcircò ipsa Dei Mater, vel Spiritus sanctus ejus nomine dicit in Prov. [b] *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Ubi vides beatitudinem promitti tam certò, ac si jam ipsam possideat. *Beatus homo.* Cui verò promittitur? Illi quidem, qui Virginem audit, qui ipsam prece sua alloquitur: illi, qui vigilat ad fores ejus, qui ejus templa frequentat, qui visitat ejus aras, qui ante ejus sacras Imagines piè, ac devotè deprecatur. Postquam Regius Vates de Virgine dixit: [c] *Concupiscet Rex decorem tuum*, teque eliget in matrem suam propter singularem speciem gratiæ tuæ, statim addidit: *Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.* D. Athan. serm. de Deipara sic eam alloquitur: *Ideò vultum tuum deprecantur omnes divites plebis, ditati scilicet isti hujusmodi bonis, & spiritualibus solatiis.* Quasi, quia Virginis vultum assiduè deprecantur, divites efficiantur in bonis & operibus, ut loquitur Apostol. 1. Timoth. 6. Idcircò D. Bern. qui his divitiis ditissimus erat, humiliter se demittens: [d] *Si vultum*, inquit, *tuum deprecantur, Virgo sacra, divites, multò magis ego egenus, & pauper opprobrium hominum, & abjectio plebis.* Deprecari igitur assiduè vultum Virginis, signum est magnarum divitiarum spiritualium, & prædestinationis insignis ad gloriam insignem, ad quam prædestinantur Sancti insignes significati per divites plebis Domini. Neque enim Sancti majoris excellentiæ, qui in cœlo regnant, ad eam sanctitatis eminentiam pervenire, nisi per hujus Virginis auxilium, ejusque devotione obarmati, qua dæmones devicerunt.

b Prov. 8. 34.

c Ps. 44. 13.

d Bern. 3. super Salve.

317 Hinc dixit optimè S. Damasc. Virginem allocutus: [e] *Devotum tibi esse, est arma quædam salutis, quæ Deus illis dat, quos vult salvos fieri.* Quasi devotio Virginis arma sint, quibus victoriam reportamus, & quibus victores agnoscimur, ut ad cœlestem Paradisum admittamur, quem soli victores ingrediuntur, juxta illud: [f] *Qui vicerit, dabo ei edere de ligno vitæ, quod est in Paradiso Dei mei.* Unde S. Germ. sic Virginem alloquitur: [g] *Si tu nos deserueris, quidnam de nobis fiet, ò sanctissima Deipara, spiritus & vita Christianorum? quemodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita sanctissimum tuum nomen, quod in ore servorum tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco, & modo, vitæ, & lætitiæ, non solùm est signum, sed etiam ea conciliat, & procurat.* Ubi vides, sicut respiratio nostra & causa est, & signum vitæ corporalis, ita affectus, ac devotio in Virginem sanctissimam causa est, & signum vitæ spiritualis, nempe vitæ gratiæ, ex qua certa erit vita gloriæ æternæ. Nota verò, dici nomen Virginis: *quod in ore servorum suorum versatur assiduè in omni tempore, loco, & modo:* signum vitæ, quia magnum prædestinationis indicium est, quòd Virginis studiosi assiduè in ore habeant ejus sanctum nomen, sive eam laudando, sive deprecando, sive implorando favorem ejus, sive ad ejus amorem, & devotionem alios exhortando. Nam nomen *Mariæ*, assiduè in ore servorum suorum versari, signum est vitæ æternæ. Si autem per momenta fit respiratio, & si intervallo temporis prohibeatur, signum est & causa mortis, idem proportionaliter censeri debet de Virginis nomine, cujus recordatio respirationi comparatur, ita ut saltem dies non transeat absque eo, quòd

e Orat. de Annunt.

f Apoc. 2. 7

g Orat. de zona.

Digitized by Google

quòd ei aliquod præstetur obsequium, & sæpius à suis devotis invocetur. Unde dicebat Bern. [h 3. super missus.] [h] *Mariam cogita, Mariam invoca. Non recedat ab ore, non recedat à corde; ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsa duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis.* Nempe ad portum salutis.

318 Hanc veritatem per spiritum prophetiæ imbiberat Vates Regius, [i Ps. 85. 16.] quando sic Dominum precabatur: [i] *Salvum fac filium ancillæ tuæ: fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur.* Quibus verbis à Deo salutem precabatur sanctus Propheta, non aliud allegans motivum, nisi quia erat filius ancillæ Dei, Virginis scilicet Sanctissimæ. Nam licèt hæc ex suo esset semine nascitura secundùm carnem, ipse tamen se ejus filium agnoscebat, & profitebatur secundùm spiritum, utpote matris Christi, per quem redimendus erat. Ideò dixit: *Salvum fac filium ancillæ tuæ.* Illius nimirum, quæ dixit: *Ecce ancilla Domini.* Ut [l Aug. in Ps. 85.] benè exposuit Aug. in eum Psalm. [l] *Fac,* inquit, *salvum filium ancillæ tuæ. Cujus ancillæ? Cui quando nasciturus nuntiatus est, respondit, & ait: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ex hoc titulo, quod quis est per devotionem, & affectum filius Virginis, non solùm salus habetur, sed fit in eo signum in bonum, signum videlicet, quòd prædestinatus sit ad illud bonum, quod solùm simpliciter bonum est.

319 Hoc ipsum promittit, & assecurat ipsa Dei mater, vel Spiritus sanctus [m Prov. 8. 35.] nomine ejus, dum ait: [m] *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Quæ verba communiter applicantur ab Interpretibus beatæ Virgini, imò ab ipsa Ecclesia in festo Conceptionis, & Nativitatis. Ait igitur virgo Mater: *Qui me invenerit, inveniet vitam.* Idest, ut ibi commentatur Cornel. *Inveniet vitam gratiæ, & gloriæ.* Unde benè sapiens Idiota: *Inventa Maria invenitur omne bonum.* Omne autem bonum est Deus clarè visus, in quo consistit beatitudo, & gloria nostra, quæ suprema felicitas est, juxta illud, quod [n Exod. 33. 19.] dictum fuit Moysi à Deo ipso: [n] *Veni, ostendam tibi omne bonum.* Addit sanctissima Virgo adhuc clarius. *Et hauriet salutem à Domino.* Ubi illud, *hauriet*, dicit quandam abundantiam, & copiam gloriæ, quam hauriunt devoti Virginis à fonte Divinitatis per Virginem ipsam, tamquam per canalem, & aquæductum totius gratiæ, & gloriæ. De quo D. Bern. [o] *Propterea,* inquit, *tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuisse, quòd necdum intercederet tam desiderabilis aquæductus.* [o Bern. de aquæduct.] Approximatio igitur cordis, & oris ad hunc Mariæ Dei matris aquæductum, signum prædestinationis est, quia quò magis quis ad Virginem appropiat, amando corde, ore laudando, magis indicat, & demonstrat, haurire se salutem à Domino, fierique in eo fontem aquæ vivæ salientis in vitam æternam, ita ut possit verus Virginis servus, ac devotus de ea dicere, quod dicitur in Sapientia: [p] *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius.* [p Sap. 7. 11.] Unde D. Bern. [q] *Intuemini,* inquit, *quanto devotionis affectu à nobis Mariam voluerit honorari, qui totius plenitudinis bonum posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare.* [q Bern. de aquæduct.]

320 Facit in hanc rem quod dicitur de prima muliere, quæ appellata est Heva, eò quòd esset mater cunctorum viventium ut dicitur in libro Gen. [r] [r Gen. 3. 20.] Certè debuisset potiùs appellari, *Mater cunctorum morientium.* Ut benè advertit Abbas Rupertus, [s] quando hoc ei [s Rup. 3. de Trin. c. 26.] nomen inditum est, post auditam in se, posterosque suos mortis sententiam. At vocata est mater cunctorum viventium in figuram beatæ Virginis, ut docet D. Epiphan. hæresi 78. [t] *Ecce,* inquit, [t Epiph. hær. 78.] *Mater viventium, postquam audivit: Terra es, & in terram reverteris. Et mirum est, quòd post hanc transgressionem, magnum cognomen habuit. Et secundùm sensum quidem ab illa Heva omnium hominum generatio est in terra. Hic autem verè à Maria hæc vita mundo est genita, ut viventem gigneret. Per ænigma igitur Maria mater viventium appellata est.* Si igitur [u] *Beata Virgo,* ut ait Athan. serm. [u Serm. de Deipara.] de Deipara, *nova Heva, mater vitæ appellata permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viventium.* Signum habet, & characterem, quòd vivat vitam gratiæ, & futurus sit vivens vita gloriæ, qui verè affectum in se experitur filialem erga matrem viventium Virginem Deiparam.

321 Nam sicut ab Heva ducta est generatio omnium viventium vita naturali, &

li, & mortali, ita à virgine Maria ducta est generatio, seu potius regeneratio omnium viventium vita supernaturali, & æterna, id est, generatio omnium Electorum, qui absolutè, & per antonomasiam dicuntur viventes: juxta illud Psal. [x] *Credo videre bona Domini in terra viventium*. Duplex quippe est hominum series; altera reproborum, ac verè mortuorum, quæ primis parentibus adhæret, à quibus peccatum, & mors, qui proinde ducuntur ad perditionem. Altera est series Electorum, qui non adhærent propagini ductæ ex Adamo, & Heva, sed per novam, & spiritualem regenerationem uniuntur Christo, & Matri ejus. Nam sicut nemo ab Adam, nisi per Hevam, sic nemo à Christo, nisi per Mariam. Quapropter non solùm dicitur cum Heva mater viventium; sed etiam, ut eam vocat And. Cretens. *Vita viventium*, & *causa vitæ*. Qui ergo ad hanc Virginem accedit per affectum filialem, & devotionem sinceram, causam habet, & signum vitæ, ut dicebat sanctus German. Unde Damascen. [z] *Sufficit iis, qui tui memoriam piè usurpant, pretiosissimum memoriæ tuæ donum, quæ ejusmodi lætitiam parit, quam nullus potest eripere, quia scilicet lætitia est æterna salutis*.

x Psl. 26. 13.

z Orat. de dormit.

322 Duas adhuc accipe hujus rei figuras. Prima fuit Maria illa soror Aaron typus gloriosæ virginis Mariæ Dominæ nostræ, in eo vel maximè, quòd prima post egressum ex mari rubro, sumpsit tympanum, egressæque sunt mulieres post eam, quibus ipsa præibat dicens: [a] *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare*. Primum signum de morte Pharaonis in mari rubro, & populi Dei à tyrannide AEgyptiaca liberati apparere cœpit in Maria: Maria præcessit populum, Maria ad terram promissam dux extitit per desertum: ut eo facto adumbraretur primum nostræ prædestinationis signum, nostræ libertatis argumentum, diabolo in Christi Sanguine, velut in mari rubro demerso. Adumbraretur virgo illa Maria nostræ libertatis omen, quæ nobis ducatum præbet ad salutem, de quo audi Chrysol. [b] *Semper*, inquit, *Maria humanæ prævia salutis: Populum, quem unda regeneratrix emisit in lucem, ipsa prior præcessit in cantico. Maria soror Moysis sumens tympanum, dixit: Cantemus Domino*. Observat autem Cornel. quòd primùm hoc loco, cùm libertatis canticum cecinit, appellari Mariam, cùm cap. 2. dicta sit tantùm, suppresso nomine, Soror Aaron. Quia in hoc typum gessit nostræ Mariæ virginis, quæ Electorum libertatem operata est, & præcecinit. Dicitur prætereà: [c] *Non est amotus populus de loco suo, donec revocata est Maria*. Ubi Lyran. *Impedimentum*, inquit, *itineris fuit reverentia Mariæ*. Non audebat enim populus ad terram promissionis progredi, nisi prævia iret Maria. Signum igitur habent, quòd perventuri sint ad veram promissionis terram, qui ductricem sequuntur Mariam Dei Matrem, quam illa antiqua figurabat. Ideò Amb. [d] *In veteri testamento Virgo Hebræorum per mare duxit exercitum: in novo testamento Virgo Regis aula cœlestis electa est in salutem*. Ad quam servos suos feliciter ductat incolumes, ducendo illos per mare inquietum, ac tempestuosum hujus mundi usque ad totius tranquillitatis portum.

a Exod. 15. 20.

b Chrys. ser. 146.

c Num. 12. 15.

d Amb. epist. 81.

323 Secunda Rahab, quæ signum salutis fuit domesticis suis, ut constat ex lib. Josue cap. 2. Quæ quidem in hac parte Virginis nostræ figura præcessit, de qua dixit Sponsus: [e] *Sicut vitta coccinea labia tua*. Ubi Septuaginta legerunt: *Funiculus coccineus labia tua*. In qua lectione arcanum latet mysterium ad indagandum in sanctissima Virgine nostræ prædestinationis auspicium. Quia absque dubio alluditur ad funiculum coccineum, quem Rahab suspendit in fenestra domus suæ ad signum suę salvationis, & omnium domesticorum ejus. [f] *Signum fuerit*, inquit Textus, *funiculus iste coccineus, & ligaveris eum in fenestra*. Rahab autem in hoc typum Virginis gessisse plures docent. Suspendit Rahab funiculum coccineum in fenestra domus. Suspendit virgo Maria funiculum coccineum in fenestra oris sui: *Funiculus coccineus labia tua*. Illa in signum salutis sibi, & domesticis, incensa Jericho, sub duce Jesu filio Nave: hæc in signum salutis sibi, & devotis suis, incenso orbe sub duce Jesu Filio Dei, & suo. Ideò Mariæ dicitur: *Funiculus coccineus labia tua*. Signum in labiis præferens salvationis omnibus domesticis suis, de quo audi Theodoret. ad citatum locum Cant. [g] *Per funiculum*, inquit, *coccineum in memoriam redigit Rahab, quæ ejus figuram gerebat in vete-*

e Cant. 4. 3.

f Iosue. 2. 18.

g Theod. in Cant.

Digitized by Google

uteri testamento. Etenim ipsa quoque habuit signum salutis funiculum coccineum, quem suspensum dimittere visa est à fenestra. Hoc signum cœlestis sponsus in ore sponsæ Virginis collocat: quia scilicet verba quæ prodeunt ex ore sanctissimæ Matris Dei, & voces internæ, quibus suos devotos alloquitur, sunt tamquam funiculus coccineus prænuntians, & promittens salutem æternam. Unde subditur: *Et eloquium tuum dulce.* Quia dulcedinem spondet æternæ vitæ.

§. 2.

Devoti Virginis non damnantur.

324 Est hæc propositio consequens ad superius dicta: & communis apud sanctos, qui in devotione B. Virginis floruerunt; quam habes apud S. Anselmum, relatum à D. Bonav. in Speculo. Ubi sic: [a] *Sicut, ò Beatissima Virgo, omnis à te aversus, & à te despectus, necesse est ut intereat: ita omnis ad te conversus, & à te respectus, impossibile est ut pereat.* In quo testimonio pronuntiat Anselm. veros Virginis devotos, & studiosos Magnæ Dei Matris, quos illa ut tales benignis suæ pietatis oculis intuetur, fore impossibile perire, æternaque damnatione puniri: sicut est impossibile, quòd non pereant, & salventur quicumque à tam pia Matre, ac domina alienantur, illiusque affectum & devotionem abjiciunt.

a Bonav. in Speculo c. 3.

325 Quam propositionem P. Mendoça [b] docet nullum continere periculum, sed securam omninò esse hujusmodi locutionem. Nempe: *Impossibile est damnari illum, qui Beatam Virginem piè colit*, quia scilicet, conformis est propositioni supradictæ D. Anselmi aliorum sanctorum authoritate stabilitæ. Et intelligitur in sensu composito, ut loquitur schola, supposita, nimirum, gratia congrua, & efficaci, quam Virgo Deipara suis devotis cultoribus impetrat, ut perseverent in gratia finaliter, vel si à gratia fortè exciderunt, ut ad veram pœnitentiam reducantur, mediante qua damnationem, quam merebantur, misericorditer protecti à Virgine, cui filialiter serviunt, effugiant.

b Mend. l. 2. virid. pervig. 9.

326 Potest autem explicari propositio Anselmi exemplo quodam naturali, quod adducit sanctus Epiphanius in [c] Physiologo. Ubi ait, esse avem quandam Charadium appellatam hac proprietate præditam, quòd si quis morbo laboret lethali, prospectum suum avis ab illo avertit; ille ab avi: sin verò morbus vitæ securitatem promittat; tunc avis in ægrotum visum intendit, & vicissim æger in avem. Igitur signum futuræ mortis est aversio prospectus ab ægro: signum verò vitæ, & salutis est prospectus avis in ægrum, & ægri in avem. Hæc similitudo, quam D. Epiphan. Christo applicat, aptissimè quadrat in sanctissimam virginem Matrem ejus: signum quippe æternæ mortis, & damnationis est, neque benignè respici à Deipara; neque vicissim devotè respicere Deiparam. Nam, ut dicebat Anselmus: *omnis ab ea aversus, necesse est ut intereat.* Contra verò, cùm Virgo Dei Mater in hominem oculos suæ pietatis intendit; & vicissim homo in Virginem oculos suæ devotionis: tunc sicut ibi, ex Epiphanio, vitæ securitas promittitur; ita hic omnis ad Virginem conversus, ac proinde eam respiciens, & ab ea respectus tamquam cultor, & devotus ejus; impossibile est, quòd pereat, & damnetur. Ratio verò est, quia, qui respicit Mariam, respicitur ab illa, ex cujus oculis hauritur salus. Nam eadem beata Virgo, ut habetur in revelationibus beatæ [d] Gertrudis. Dum cantaretur antiphona: *Salve*, deventumque esset ad illa verba: *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Hi sunt*, inquit, *misericordiosissimi oculi mei, quos ad omnes me invocantes possum salubriter inclinare: unde & uberrimum fructum consequuntur vitæ æternæ.* Et hoc ipsum est, quod retulimus ex D. Anselmo, & Bonav. Impossibile esse, quòd pereat ille, quem respicit Maria. Respicit autem specialissimè servos suos, & devotos, qui eam speciali affectu, ac devotione respiciunt, colunt, & venerantur.

c Epiph. c. 13.

d Lib. 4. c. 53.

327 Redeat iterùm D. Anselmus. Et ex ipso sanctus Antoninus: [e] *Sicut*, inquit, *impossibile est, quòd illi, à quibus Maria oculos sua misericordia avertit, salventur: ita necessarium est ut hi, ad quos convertit oculos, pro eis advocans, glorificentur.* Duas habemus hic propositiones. Prima facit ad præsens institutum. Quòd nempe devoti Virginis non pereant, nec damnentur. *Ita necessarium est, ut hi, ad quos ipsa oculos suos convertit, glorificentur.* Benè sequitur impossibile esse quòd damnentur; si necessarium est,

e 4. p. tit. 15. c. 14. §. 7.

Digitized by Google

quòd salventur, & glorificentur. Confirmatur eadem doctrina, & propositio Anselmi, & Antonini à sancto Ignatio Martyre, cujus verba refert Celf In append. 1. lib. c. 10 lada: [f] *Impossibile est*, inquit, *aliquem salvari peccatorem, nisi per tuum, ò Virgo, auxilium, & favorem; quia quos non salvat Dei justitia, salvat sua intercessione Mariæ infinita misericordia*. Quasi quos divina justitia perdere, & damnare postulabat, salvat Dei misericordia à matre sua specialiter implorata. Hanc autem misericordiam Virgo mater implorat, ut suis devotis subveniat, tunc vel maximè, cùm eos videt in damnationis periculo constitutos, ne in æternum pereant sui devoti cultores. Cap. 26. in Cant. Unde de Virgine dixit Rich. Victor. *Tanta fuit ejus charitas, ut non solùm ad Iudæos, sed ad omnes homines dilatata fuerit. Pro his indesinenter oravit, pro his solicita fuit, pro his orando exaudita fuit, dicente ad eam Angelo Gabriele: Invenisti gratiam apud Deum, scilicet quam quærebas: omnium salutem desideravit, quæsivit, & obtinuit.*

328 Secunda propositio erat: *Quòd impossibile sit, ut illi, à quibus Virgo misericors oculos sua misericordia avertit, salventur.* Oculos autem suos plenos pietatis illa non avertit, nisi ab illis, qui propriæ salutis ita immemores vivunt, ut matrem suam, per quam Dominus omnia nos habere voluit gratiæ suæ dona, ut loquitur D. Bernardus, penitus obliviscantur, ejus cultum, ac devotionem prorsus abjicientes. Hi enim sunt illi, de quibus ipsa dicit in Prov. peccare in ipsam peccato, saltem omissionis, qui quidem lædunt animas suas, quatenus eis non procurant certissimum g Prov. 8. 36. ad æternam salutem patrocinium. [g] *Qui peccaverit*, inquit, *in me, lædet animam suam. Omnes, qui oderunt me, diligunt mortem*. Hoc est, mortem æternam sibi conciscunt. Nec opus est odium positivum, quale habuere Helvid. Nestorius, & similes Virginis matris declarati hostes, qui animabus suis mortem per illud in Virginem odium concivere; sed satis est odium quasi negativum, quo laborant illi, qui hujus sanctissimæ Virginis prorsus obliti, illius cultum, & devotionem abjecerunt. Hi enim lædunt animam suam, mortemque diligunt æternam, quia non curant de devotione Matris misericordiæ, per cujus intercessionem salus æterna assecuratur, & damnatio efficaciter impeditur.

329 Hinc dixit satis verè, & piè sanctus German. Dei Matrem alloquens: [h] h Orat. de zona virg. *Si nos deseris, quid de nobis fiet, ò spiritus, & vita Christianorum?* q. d. Perditio nobis certa erit, & mors æterna certissima; si deseramur ab illa, quæ spiritus, & vita est omnibus, qui in Christo vivunt, à quo ipsis spiritum, & vitam exorat. Non tamen nos deserit pia mater, nisi nos ipsi eam prius deseramus. Facit in eumdem sensum Damasc. [i] i Orat. de dormit. *Nobis*, inquit, *quomodo erit vita vitalis, si Mariam non habeamus, cum qua versemur*. Ac si dicat: Impossibile esse vivere vitam illam æternam gloriæ, quæ sola vita vitalis dicenda est, si Virginem, quæ illam nobis peperit, illamque nobis solicitat, propitiam non habeamus, cum illaque quasi continuò versemur per cultum, & devotionis affectum. Nam, ut benè D. Bern. [l] l Bern. ser. de aquæductu. *Tolle hoc corpus solare, ubi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, quid nisi caligo involvens, umbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquentur?*

330 Stella maris appellatur sanctissima Virgo. Quia sicut qui mare navigant, ut ad optatum portum perveniant, oculos à stella maris, per quam suos cursus dirigunt, non deflectunt, ut inter medias tempestates, dum se conspiciendam præbet stella polaris, veluti portum commonstrans, in ea habeant spem & signum salutis, sic ait Bern. [m] m Bern. 2. super missus. *Si insurgant venti tentationum: si incurras scopulos tribulationum, respice stellam, invoca Mariam*. Quapropter sicut tota navigantium spes posita est in ligno, & in stella: ita tota spes eorum, qui navigamus per mare mundi hujus quasi in via ad portum salutis, posita esse debet in cruce Christi, & in Maria matre ejus, ut benè Innocentius apud Bonav. [n] n Bon. in specul. c. 3 *Quibus*, inquit, *auxiliis possunt naves inter tot pericula pertransire usque ad littus? Certè per duo, per lignum, & stellam. Idest, per fidem crucis, & per virtutem lucis, quam peperit nobis maris stella Maria*. Concinit Card. S. Petrus Dam. exponens verba illa Psal. [o] o Ps. 22. 4. Dam. ser. de assump. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. In virgine virga*, inquit, *& baculo cruce peccatorum spes, & consolatio sita est, ut profectò declarat psalm. 22. Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. De cruce dubium esse non potest, tota enim

spes

spes nostra in Christo est, ac in morte crucis ipsius. De Virgine est doctrina PP. in ipsa post Filium, spem nostram collocandam. D. Bern. [p] *Hac est mea maxima fiducia, hac tota ratio spei meæ.* Per ipsam enim salutem, quam nobis Christus Filius ejus in cruce promeruit, impetramus, ipsa meritis, & precibus suis æternæ damnationis mortem, quam per crucem evasimus, avertit, ipsa æternam vitam, ut obtineamus, exorat. Unde verum est Virginis servos non perituros, Virginisque devotos non damnandos.

p Serm. de aquæduct.

331 Ratio autem utriusque propositionis suprà positæ ea est, quia Virgo mater non potest non intercedere pro suis devotis, & amicis, juxta illud, quod nomine ejus dicitur in Prov. Salomonis: [q] *Ego diligentes me diligo. Et qui vigilant ad me, invenient me.* Propitiam nempe advocatam, ac interventricem in majori opportunitate, & periculo, quale est in quo vertitur discrimen æternæ salutis. Oratio autem, & intercessio hujus Virginis non frustratur effectu, ut est communis doctrina Sanctorum, qui in eo differentiam ponunt inter orationes, & patrocinia aliorum Sanctorum, & orationem, & intercessionem Virginis Dei matris, quia oratio, & protectio Sanctorum fundatur tantùm in misericordia ex parte Dei; oratio verò, & patrocinium Virginis fundatur in aliquo jure quasi justitiæ ex parte ipsius, ex quo ita postulat, ut quasi jus habeat, ut ei concedatur, quod pro suis devotis exorat.

q Prov. 8. 17.

332 De quo audiendus est sanctus Antoninus. [r] *Oratio, inquit, sanctorum non innititur alicui rei ex parte sui, sed tantùm misericordia ex parte Dei. Oratio autem Virginis innititur gratia Dei, juri naturali, & justitia Evangelii. Nam filius non tantùm tenetur honorare matrem, sed obedire, quod est de jure natura.* Et infrà subdit orationem Virginis Deiparæ habere rationem jussionis, & imperii; petendo enim à filio, quasi videtur imperare filio obedientissimo, ut concedat, quod petit. Quod idem eleganter docet S. Petrus Dam. Serm. 1. de nat. Virginis. Ubi de ea pro suis devotis intercedente sic loquitur: [s] *Accedit ad aureum humanæ reconciliationis altare, non rogans, sed imperans, Domina, non ancilla.* Quòd si preces principum jussa meritò dicuntur; utique erunt instar jussionis preces Virginis Deiparæ, quæ Deo tamquam filio quodammodo principatur: dicente D. Bernardo: [t] *In Maria sublimitas est sine socio, quòd Deo fœmina principetur.*

r 4. p. tit. 17. §. 5.

s Dam. ser. 45.

t 1. Super missus.

333 Hinc sequitur orationem aliorum Sanctorum posse aliquando esse inefficacem, & sine effectu; orationem verò Matris Dei semper fore efficacem, ejusque intercessionem semper sortiri effectum, ut docuit idem sanctus Antoninus loco suprà indicato: *Impossibile est*, inquit, *Deiparam non exaudiri, juxta illud, quod in figura ejus dixit Salomon matri sua: Pete mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Quòd si Christus Dominus, ut dicitur ad Heb. 5. A Patre exauditus est pro sua reverentia, ratione divinæ filiationis; etiam Virgo mater exauditur à Filio pro sua reverentia, ratione maternitatis. Ut benè D. Bern. [u] *Exaudita est*, inquit, *pro sua reverentia, in causa nostra, & totius mundi salute.* Hinc sancti Patres prædicant unanimiter patrocinium, & intercessionem Virginis altioris esse ordinis, de quo sanctus German. [x] *Patrocinium Virginis*, inquit, *majus est, quàm ut intelligentia apprehendi possit.* Quam incomprehensibilitatem declarat Georg. Nicomediæ Episcopus, dicens: *Virginem in petitionibus suis habere vires & robur inexpugnabile, nihil ejus resistere potentia, omnia ejus obedire imperio, omnia ejus potestati servire.*

u Serm. 5. in vigil. nat.

x Orat. de zona Virg.

334 Magnum servorum Virginis solatium, quòd tantæ Dominæ serviant, tamque potenti Virgini famulentur, quòd meritò sperare, & confidere possint, quòd æternam fugiant damnationem, per ejus & piam, & potentem intercessionem. Quo ergo animo, quo affectu, qua pietate, & devotione ei inservire debeamus, eam amare, colere, ac precari? qua sedulitate nobis in ejus obsequiis insudandum, qui nostram amamus salutem, ut de ea spem firmam concipiamus, quam certè concipiebat D. Bernardus, cùm de Virgine loquens dicebat: [z] *Hac, filioli, est peccatorum scala, hac tota mea fiducia, hac tota ratio spei meæ.*

z Serm. de aquæductu.

Digitized by Google

§. 3.

Devotio Virginis remedium efficax contra Dæmonum insultus.

335 CUm primum dæmon serpentem indutus in ipso nascentis mundi exordio primam mulierem supplantavit, & per illam virum, in quo omnes miserabiliter corruimus; illico Dominus Deus providit de remedio competenti contra dæmonum insidias, & fraudes, astutiasque; cùm dæmonem in serpente alloquens: [a] *Inimicitias*, inquit, *ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius; ipsa conteret caput tuum*. Quem locum omnes ad Virginem sanctissimam referunt. S. Cyprian. adversus Judæos: [b] *Mater Domini nostri Iesu Christi in illa muliere promissa est: hæc inimicitiis opposita est serpentis. Ponam*, inquit, *inimicitias inter te, & serpentem. Non dicit, Pono. Ne ad Hevam pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur in futura*. Nimirum, ut ait D. Bern. [c] *Ipsa Virgo est quondam à Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura*. Ergo Virgo beata est illa mulier benedicta, de qua Rupertus lib. 3. in Gen. c. 19. ait: *Si nuda planta vivacissimum caput serpentis vel leviter presserit, statim totum cum capite corpus interibit*. Ergo qui sub tutela, & protectione Virginis est, ut sunt ejus devoti; victoriam sibi certam de dæmone repromittere potest.

a Gen. 3. 15

b Cypr. c. 9

c Serm. de verbis Apoc.

336 Sanctus Damascenus sic Virginem alloquitur: [d] *Spem tuam habens, ò Deipara, servabor, defensionem tuam possidens, non timebo. Persequar inimicos meos, & in fugam convertam, habens ut thoracem protectionem tuam, auxilium tuum: nam devotum tibi esse, est arma quædam salutis, quæ Deus iis dat, quos vult salvos fieri*. Nota appellari à sancto Patre devotionem Virginis arma salutis; quia nihil est, quod magis terreat dæmones inimicos nostros, qui eam perpetuò impedire satagunt, quàm hujus Virginis patrocinium, quàm devota nominis ejus invocatio: si enim in quolibet eorum atrociori insultu, quo te ad perditionem impetunt, nomen Virginis invoces, videbis illos expavescere, trepidare, contremiscere, in fugamque se convertere, de quo audi Idiotam: [e] *Ad solam*, inquit, *ejus nominis invocationem cœlum ridet, Angeli lætantur, terra lætatur, dæmones contremiscunt, conturbatur infernus*.

d Orat. de annuntiat.

e Cap. 5. de exempl.

337 Audi etiam D. Bern. [f] *Non sic timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aereæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum; fluunt sicut cera à facie ignis, ubi inveniunt hujus nominis recordationem, devotam invocationem, solicitam imitationem*. Ideò dicitur à Sponso: [g] *Terribilis, ut castrorum acies ordinata*. Terribilis, inquam, dæmonibus servos suos impetentibus. De quo audi eumdem Bern. [h] *Quid enim*, inquit, *an non horruerunt principes tenebrarum, quando viderunt, præter morem, armatura omni fortiori instructam contra se procedere fœminam, fœminam fortem, ad bella doctissimam, cujus ensis super femur ejus, propter timores nocturnos*. Et post pauca: *Nimirum timor, & tremor venerunt super eos, ita quòd dicerent: Ecce plusquam Heva hæc: castra Dei sunt hæc, fugiamus Israelem. Tu ergo bellatrix egregia primò eum, qui primus omnia supplantavit, expugnare viriliter aggressa es*. Et quia eum tam fortiter debellasti, & expugnasti, tantum de te timorem conceperunt omnes ejus tartareæ phalanges, ut tuo solo nomine audito horreant, & *fluant sicut cera à facie ignis*, ut dicebat Bernardus.

f Apud Bonav. in speculo lect. 2.

g Cant. 6. 9

h In deprecat. ad Virginem.

338 Hoc autem Virgo sanctissima confessa est sanctæ Birgittæ, ut habetur lib. suarum Revelationum. [i] *Sicut*, inquit, *avis, quæ in prædam ungues & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam: & cùm nihil operis sequi videt, statim revertitur ad eamdem. Sic dæmones audito nomine meo, statim relinquunt animam quasi territi; sed iterùm advolant, & revertuntur ad eam quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur*. Defendit nos Dei Mater à dæmonum insultibus, cùm impetiti invocamus, cùm ad ejus confugimus protectionem; ut tamen persistat in nostra defensione, vult aliquam ex parte nostræ vitæ emendationem; si enim nulla sequatur; dæmones, qui in nostram perniciem invigilant, ad arma contra nos revertuntur. Et si beata Virgo offensa, quòd emendationem non curemus, nos derelinquat, misera præda eorum erimus.

i Lib. 1. revel. c. 9.

339 Varias præmisit Dominus figuras hujus belligeræ Virginis, ejusque potentiæ in dæmones, ad servos suos sibi devotos ab eorum violentia, ac tyrannide defendendos. Quia verò omnes percurrere non possumus, aliquas attin-

Digitized by Google

attingamus. Prima sit Judith, quam omnes figuram Virginis in multis agnoscunt: quòd autem ad rem præsentem attinet, in eo vel maximè, quòd sicut tunc Israelitis, qui populus Dei electus erant, tota spes libertatis, victoriæ, ac salutis obtinendæ ab Assyriis, à quibus obsidebantur, in Judith posita fuit, ita nunc electus Dei populus fundat suæ salutis effectum, suas de infernalibus hostibus victorias, in Mariæ Virginis patrocinio, & pia intercessione. Sicut enim per Judith fugatus est exercitus Assyriorum, qui constabat centum viginti millibus peditum bellatorum, & equitum duobus supra viginti millibus, ut habet ejus historia. [l] Sic per Mariam Virginem in ea figuratam fugantur innumerabiles exercitus dæmonum; tam potens illa est contra omnes eorum phalanges, ut etiam si totus se effundat infernus in suos verè devotos, prævalere nihil possit, pro quibus pugnat Maria. Nam ut dixit S. Germ. [m] *Illa nequissimi hostis in conservos suos invasiones sola ejus nominis sanctissima invocatione repellens, tutos, ac incolumes reddit.*

[l] Judith c. 7.

[m] In zo. na virg.

340 Quando Assyrii duce suo Holoferne per Judith decapitato, totos se confusione tumultuantes viderunt in fugam turpissimam conversos, exclamarunt: [n] *Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor regis.* Hæc verba melius applicantur dæmonis phalangibus, à Virgine sanctissima contrito capite Luciferi debellatis, ut ea applicavit Fulbert. Carnot. [o] *Contrivit, inquit, Maria caput serpentis, contrivit caput satana, & astutiam ejus. Unde de illa dici potest: Una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Quæ etiam fuit cogitatio Richardi à sancto Laurentio. Quatenus alludens ad Jahel pariter & Judith Virginis figuras, dixit: [p] *In manu fœmina tradidit Deus Sisaram: Et una mulier Hebræa fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Quare sicut de Judith dicitur: [q] *In omni spatio vitæ suæ, non fuit qui perturbaret Israel.* Sic non erit, qui perturbet servos Mariæ, in omni spatio vitæ ejus: vivet autem illa in æternum, & in æternum non permittet fluctuationem devotis suis.

[n] Judith 14. 16.

[o] Fulbert. de laud. virg.

[p] Lib. 1. de laud. Mariæ.

[q] Judith 16. 3.

341 Secunda figura fuit Esther, quæ in multis, Virginem Dei Matrem præfiguravit, ut passim notant sancti Patres, maximè verò, quòd ad preces Estheris Aman crudelissimus populi sui hostis suspensus est patibulo, quod paraverat Mardochæo, ut habetur in ejus historia. [r] Ad preces verò Virginis nostræ fugatur infernalis Aman ad flammas æternas omni patibulo duriores, ad quas servos suos deportare conabatur. Sicut enim [s] *Esther procidit ad pedes Regis, flevitque, & locuta oravit, ut malitiam Aman, & machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Judæos, juberet irritas fieri: at ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur.* Sic sanctissima Virgo pro suis devotis prosternitur ante Filium cœli, terræque regem, precesque fundit, ostenditque ei pectus, & ubera, ut loquitur D. Bern. & Arnold. Carnot. deprecans, ut malitiam Aman, idest, diaboli, & machinationes ejus pessimas in devotos suos irritas faciat. Ad quas Matris preces divina misericordia flectitur; & veluti moto aureo sceptro signa clementiæ monstrat. Si autem Assuerus dixit Estheri, ut scriberet, sicut placeret, & signaret litteras annulo regis. Id multò clariùs apparet in Virgine matre, cui Filius Rex, se ipsum dedit quasi sigillum, juxta illud: [t] *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Ad obsignandas quascumque vellet gratias. Ut enim habetur in Revelation. D. Birgittæ: [u] *Nihil est, quod Virgo non possit: quod enim vult, hoc factum est.* Igitur cùm misericors Virgo velit devotos suos à monstris infernalibus liberare, lumen charitatis suæ effundit, quo viso disparent truculentæ bestiæ, fugiuntque in latebras suas spe prædæ amissa, sicut orto sole fugiunt in speluncas suas bestiæ deprædantes in nocte.

[r] Esther c. 7. 10.

[s] Esther 8. 3.

[t] Cant. 8. 6.

[u] Lib. 4. c. 74.

342 Virgo enim sanctissima est illa Sara, cujus gratia sanctus Abraham timens sibi mortem ab AEgyptiis inferendam, sperabat se ab illorum sævitia liberandum, ut habetur Gen. 12. [x] *Dic, quæso, quòd soror mea sis, ut vivat anima mea ob gratiam tui.* Ad quem locum alludens D. Bonav. in Speculo: *O Maria, inquit, ò Sara nostra, dic quòd sis soror nostra, ut propter talem sororem AEgyptii, idest, dæmones revereantur, & Angeli nobis in acie conjungantur, ut propter talem sororem Pater, Filius, & Spiritus sanctus nostri misereantur.* Non solùm sororem nostram profitetur Virgo beata, sed matrem amantissimam,

[x] Gen. 12. 13.

mam, cujus amor vehementior est erga filios, quàm sororis erga fratres, de quo audi D. Aug. [a] *Fuit*, inquit, *mater spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Salvator, à quo illa magis spiritualiter nata est, sed planè mater membrorum ejus, qua nos sumus, quia cooperata est charitate sua, ut omnes fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt, corpore verò mater ipsius capitis*. Mater igitur est communis omnium fidelium, sed specialissima cultorum, ac devotorum suorum, quos proinde tamquam piissima Mater defendit à dæmonum catervis efficaciùs, quàm quælibet mater suum tenellum infantem à terriculamentis, quibus sæpius conturbatur. De quo dæmonum princeps suo, suorumque nomine querelas fundit.

a lib. de S. Virginit. c. 6.

343 Ut meritò contemplatur Chrysippus Jerosol. [a] *Verisimile est*, inquit, *hostem generis humani secum loqui, dum videt nos per mulierem revocatos ad filiorum adoptionem, quam in initio habebamus. Nonne hæc dicit, & queritur. Quì fit, ut instrumentum, quod in principio cooperabatur, mihi adversetur? Mulier mecum effecit, ut in genus humanum tyrannidem occuparem; & mulier me à tyrannide deturbavit: antiqua Heva me erexit in altum, & nova dejecit*. Hoc ipsum, quod contemplatus fuit Chrysippus, confessus est dæmon ipse cuidam ex Patribus eremum incolentibus, à quo, cùm rogaret, quomodo se res ejus haberent? Indignabundus respondit, Pessimè, postquam Altissimus uti cœpit muliere quasi socia in regimine hujus mundi, à qua comilitones ipsius prohibebantur, ne qui ad ipsius patrocinium confugiebant, ab ipsis infestarentur. Ecce confessione dæmonis Virginis sanctissimæ devoti, ac fideles cultores à dæmonum insultibus, ipsa instar matris patrocinante, liberantur.

a Ser. de laud. Virg.

§. 4.

Devotio Virginis optimum ad bonam mortem remedium.

344 DAEmonum insultus semper periculosi, ac formidandi, in hora mortis periculosiores, ac formidabiliores reputantur. Verùm Virginis sanctissimæ devoti, qui dum viverent, eorum pericula, sanctissimæ Dei Matris nomine invocato, feliciter evaserunt, eadem in hora mortis felicissimè virtute ejusdem evadunt. Unde verissimè dixit sanctus Bonav. Virginem ipsam alloquens: [a] *Gloriosum & admirabile est nomen tuum, Maria; qui illud retinent, non expavescunt in hora mortis. Ab invocatione nominis tui trepidat spiritus malignus, pax multa observantibus nomen tuum*. Quasi, quando acrius est cum dæmone certamen, tranquillior pax fit devotis Virginis, qui ejus nomen sanctissimum, dum viverent, devotiùs, ac crebriùs invocare consueverunt, ejusque obsequiis se filialiter emancipaverunt. Cùm ergo ex hora mortis pendeat æterna salus, inde est, quòd dæmones adversarii nostri, qui per totam vitam nobis damnationem procurarunt, in mortis articulo magis furiant, ne eorum manus effugiamus. Unde opus est, quòd per devotionem nostram erga Dei Matrem promereamur ejus protectionem, & patrocinium in hac hora majoris necessitatis, ut nos tueatur à teterrimis adversariis salutis nostræ, qui tunc vel maximè satagunt, circumstantque ut leones, ut devorent, & in æternum perdant. Quod ipsa maxima charitate præstat erga devotos amicos suos, ut legimus, ipsam revelasse sanctæ Birgittæ præstitisse erga filium suum Carolum sibi devotissimum, cujus morti adstetit: [b] *Sicut mulier*, inquit, *alteri parienti adstat, ut eruat infantem, ne in illo arcto spatio, per quod exit, suffocetur, custodiens animam à dæmonibus, quòd nullus eorum eam possit attingere*.

a Bon. in psa terio.

b Lib. 7. c. 13.

345 Beata igitur Virgo erga suos familiares devotos munus exercet quasi obstetricis in hora mortis eorum, quando animæ è corpore exeunt, quæ est dies Natalis Electorum, quo Deo nascuntur ad æternam vitam. Quapropter sancta Ecclesia, ut Mater pia Virginem precatur pro filiis suis in hac hora. *Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. De hoc ergo Virginis patrocinio erga devotos suos, quos ipsa adjuvat in vita, & in morte, & post mortem sapientissimus & devotissimus Idiota: [c] *Adjuvat*, inquit, *in vita præsenti tam bonos, quàm malos: bonos in gratia conservando, unde canimus: Maria Mater Gratiæ: malos ad misericordiam reducendo, & ideò dicitur: Mater misericordiæ. Adjuvat etiam in morte ab insidiis diaboli protegendo, & ideò dicitur: Tu nos ab hoste protege*.

c In contépl. Virg.

Digitized by Google

ege. Adjuvat etiam post mortem animas suscipiendo. Et ideò dicitur: Et hora mortis suscipe.

346 In signum autem quòd per Virginem Deiparam evadant cultores ejus naufragium, quod in transitu præsentis vitæ ad futuram transfretantes animæ pati solent, facta est arca illa à Noe ex Dei præscripto, per quam solam humanum genus à communi diluvio salvum evadere potuit, & incolume, ut benè D. Bern. [d] *Arca*, inquit, *Noe significavit excellentiam Mariæ, sicut enim per illam omnes evaserunt diluvium; sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, ut diluvium evaderet fabricavit: istam Christus, ut humanum genus redimeret, præparavit. Per illam octo tantùm animæ salvantur: per istam omnes ad æternam vitam vocantur.* Illud tamen observandum, quòd sicut extra arcam Noe non fuit salus temporalis; ita extra hanc arcam virgineam nullam esse salutem spiritualem, & æternam. Observandum deinde in arca Noe paucos, idest, octo tantùm animas salvas fuisse, ut dicitur 1. Petri. 3. quia solæ illæ octo ingressæ sunt in arcam: in arca autem Virginis salvantur quotquot per affectum, & veram devotionem in ea eligunt habitare. Idcirco Virgini dicitur: [e] *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Quoniam securus est à diluvio, qui in hac arca ex hoc ad alterum mundum transfretatur. Quòd si columba ramum portans olivæ virentibus foliis signum misericordiæ, & cessationis diluvii non aliis attulit, quàm illis, qui erant in arca: hoc quidem significabat iis præsertim ramum olivæ, hoc est, speciale signum Divinæ misericordiæ, & salutis portendendum, qui specialiter vivunt in arca Virginis per specialem devotionem, & affectum; tum vel maximè, quia ipsa virgo Mater non solùm est arca, sed, ut ait D. Bon. in Speculo: [f] *Velut altera columba ramum olivæ, quæ symbolum est etiam misericordiæ, virentibus foliis portans.*

d Serm. de B. Maria.

e Ps. 86.7.

f Bon. in Speculo.

347 Hæc igitur Virgo non solùm est arca, in qua in hora mortis à naufragio liberamur, sed scala simul cœlestis est, per quam eadem hora ascendimus ad Deum, qui nostra felicitas, & suprema, ac æterna beatitudo est. Designata enim fuit sanctissima Dei mater in illa scala, quam vidit [g] Jacob, ut omnes ferè Patres docent: nam sicut per scalam illam Angeli ascendebant, ita per Virginem scalam longè sublimiorem ascendunt Angeli offerentes Deo preces studiosorum ejus, & Angeli pariter descendunt reportantes à Domino munera gratiarum, quas Virgo mater eisdem obtinet. Vidit Jacob Dominum innixum scalæ, quia licèt Virgo beata à Christo per gratiam, & dona omnia, quæ ab illo accepit, pendeat, ideoque dicatur: [h] *Innixa super dilectum:* Christus tamen dependet à Virgine, quoad naturam, quam ab illa mutuatus est, ideoque Dominus dicitur innixus scalæ. Devoti autem Virginis huic scalæ firmiter adhærentes per firmam, perseverantemque devotionem, per eam facilè ascendunt in cœlum in hora, qua ex hac vita discedunt. Per hanc enim scalam vidit Jacob Angelos ascendentes; quia, ut ait Damasc. [i] *Per Virginem mediatricis munere factam, homines Angelica vita sublimes rapiuntur in cœlum.*

g Gen. 28. 12.

h Cant. 8. 5.

i Orat. 2. de dormit.

348 Nec mirum, quòd per hanc scalam homines in cœlum ascendant, quando per eamdem Deus ipse ad terras discendit, ut hominibus mereretur ascensum, ut benè Aug. [l] *Per ipsam*, inquit, *Deus descendit in terram, & per ipsam homines ascendere merentur in cœlum.* Et D. Fulgent. *Facta est*, inquit, *Maria cœli fenestra: facta est scala cœlestis.* Quanta ergo facilitate, qui Mariæ devotè adhærent, per eam tamquam per scalam ducantur in paradisum exultationis, ostendit revelatio facta, seu visum ostensum Fratri Leoni, ut habetur in chronic. [m] sancti Francisci, cui duæ scalæ apparuere, altera purpurea, in cujus fastigio erat Christus Dominus; candida altera, in cujus culmine videbatur sanctissima virgo Mater ejus. Per primam multi conabantur ascendere, plerique tamen ruebant præcipites: per secundam candidam facillimus erat ascensus; parvo nisu, qui attentabant ascensum, assurgebant ad fastigium. Qua quidem visione significavit Deus nullam esse viam faciliorem ad salutem, quàm per specialem affectum, & devotionem erga Mariam Dei Matrem. [n] *Quoniam*, ut ait Aug. *pedes nostri in hoc itinere affectus nostri sunt.* Ascendunt igitur per candidam Mariæ scalam, qui affectum specialis devotionis habent erga illam, nec dæmones in majori illo mortis peri-

l Serm. 11. nat.

m P. 1. lib. 2. c. 35.

n In Ps. 94.

ricu-

Digitized by Google

riculo, illos valent à firmissima scala deturbare.

349 Nec deterreat devotos Virginis nomen scalæ, quæ tanta facilitate eos ad culmen ducit, ut pontis nomen etiam obtineat. Nam: [o] *Sicut sanctissima Virgo*, ut ait S. Proclus Episcopus Constantinopolitanus, *pons est, per quem Deus ad homines descendit; ita pons est, per quem homines ascendunt ad Deum*. Pons etiam appellatur à Fortunato ad penetrandos polos. *Pons homines à terra traducens in cælum. Pons traducens homines de morte ad vitam*, dicitur à Græcis in suis hymnis apud Buteonem. Ex quibus vides eamdem Dei Matrem, quæ scala cœli dicebatur, jam pontem appellari, ut intelligas eadem facilitate, qua flumen periculosum per pontem firmum ex una ad alteram partem transmeas; eadem per Virginem ex hac lacrymarum valle ad promissam cœli patriam tibi transeundum.

o Orat. de nat. Dom.

350 Figurata fuit Virgo sanctissima in arca fœderis, quæ, ut Dei populus veniens ex AEgypto terram sibi promissam, ac desiderabilem intraret, quin Jordanis impetus impedimento foret, opus fuit, quòd ipsa præcederet. [p] *Ecce*, inquit Josue nomine Dei ad populum, *arca fœderis Domini omnis terræ, antecedet vos per Iordanem*. Arca viam securam monstravit, aquas Jordanis detinuit, ne in transitu ab illis suffocarentur; arcam sequentes cum summa facilitate siccis pedibus in terram promissionis intrarunt. Unde dixit optimè Fulbert. Carnot. [q] *Non absorbetur scyllea voragine, sed prosperè veniet ad portum quietis æternæ*. Per Virginem tamquam per pontem salutis transeunt devoti ipsius procellosum mortis mare, & per illam securi deveniunt ad portum salutis æternæ.

p Josue. 3. 11.

q Serm. de nat.

351 In signum verò, quòd ipsa Virgo Virginum devotos suos de corpore exeuntes securos suspiciat, ut misericordiam obtineant in judicio, ubi causa eorum finaliter terminanda est, illam Deus præfiguravit in arcu cœlesti, quem post diluvium posuit in nubibus in signum fœderis inter se, & terram Gen. 9. ut docuit sanctus Bernardinus: [r] *Ipsa*, inquit, *est arcus fœderis sempiterni, ut non interficiatur omnis caro*. Si autem consideres conditiones hujus arcus, omnes quidem invenies in hac Virgine. Nam primò materialis ille arcus circuit cœlum, de quo proinde dicitur Eccles. 43. [s] *Gyravit cælum in circuitu gloria sua*. Secundò utraque cuspide tenet terras, & maria. Tertiò residet in nube. Quartò ex Meteoristis, nubes hæc debet esse tenuis, ac levis. Quintò debet esse nubes rorida, & madida. Sextò debet esset irradiata sole. Septimò imbuta varietate colorum, quos in ea nube sol, veluti penicillo lucis depingit. Octavò sole humili, idest, cadente arcus sublimis apparet, teste Plinio. [t] His octo conditionibus constitutus arcus signum est fœderis inter Deum, & terram.

r Tom. 3. ser. 1. de nomine Mariæ.

s Eccles. 43. 13.

t Lib. 2. c 59.

352 Hæc omnia apprimè quadrant in B. Virginem. Si arcus circuit cœlum: Maria virgo etiam dicit: *Gyrum cœli circuivi sola*. Eccles. 24. si arcus extremis sui partibus attingit maria, virgo Mater ibidem dicit: *Et in fluctibus maris ambulavi*. Si arcus in nube residet; Virgo Deipara ibidem dicit: *Thronus meus in columna nubis*. Si nubes illa debet esse levis: Ecce de Virgine dicitur: *Ascendet Dominus super nubem levem*. Isai. 19. Si nubes debet esset rorida, non deest ros in arcu Mariæ, dum dicitur: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum*. Isai. 45. Si nubes debet irradiari sole: de Maria quoque dicitur: *Mulier amicta sole*. Apoc. 12. Si arcus aureo fulgore rutilans colorum undique varietate circumdatur; de Maria quoque dicitur: *In vestitu deaurato circumdata varietate*. Ps. 44. Si denique arcus sublimis apparet sole humili. Tunc Virgo est sublimata, quando sol justitiæ Christus humiliavit semetipsum, ut homo fieret in ejus sacris visceribus.

353 Sicut ergo arcus cœlestis signum est fœderis inter Deum, & terram. *Sic Maria*, ut ait And. Jerosolym. [u] *est divina cum hominibus reconciliatio*, quia, ut dicit Ephræm: [x] *Ipsa fœdus, pacemque fidelibus impetrans*. Unde S. Antonin. loquens ex persona Virginis: [y] *Ego*, inquit, *sum juxta Filium meum; ut cum Deus peccatis hominum diluvio flagellorum minatus fuerit terram subvertere; ego, ut arcus appaream in conspectu ejus, & cùm recordatus sit fœderis, repropitietur eisdem, ne mundum dissipet*. Si igitur Virgo sanctissima, ut arcus cœlestis signum generale est fœderis, & salutis inter Deum, & homines. Erit profectò signum speciale fœderis, & salutis studiosis devotis suis, iis nempe, qui specialiter huic sunt

u Serm. de Annunt.

x Serm. de laud. Virg.

24. p. tit. 15 c. 14 §. ult.

Digitized by Google

sunt iridi emancipati. Si Deus respiciens hanc iridem, recordatur fœderis inter se & homines, recordabitur utique specialiter devotorum Virginis, ne dissipet eos per reprobationem in hora mortis, in qua maxima hominum pars absorbetur in illo universali diluvio aquarum multarum, quando sancti, apud eum, ut intercedant pro aliis, non approximabunt, ut est in Ps. [a] Cùm Christus Dominus sedebit in sede majestatis suæ ad judicandum. Sed advertendum est à devotis hujus Virginis, quòd iris est in circuitu sedis illius, ut dicitur in [b] Apoc. Ut intelligant, sciantque nullam de illa Christi sede posse prodire sententiam, quam Mariæ iris non ambiat. Unde devoti illius, cùm post mortem judicandi adstabunt in conspectu sedis illius, in illa iride, in illo arcu cœlesti, in Virgine, cui fideliter servierunt, respirabunt.

a Ps. 31. 6.

b Apoc. 4. 3.

354 Observare tamen libet hoc loco id, quod [c] *ex antiqua, sanctorum traditione*, refert Auctor historiæ scholasticæ, *quòd aliquot annis ante diem judicii, non apparebit arcus cœlestis*. Quasi sublato fœderis pignore in signum supremæ cladis. Videant ergo hi, in quibus per aliquot annos refrixit devotio erga Virginem, ne desinat in iis apparere cœlestis hic arcus, ex cujus absentia imminebit illis judicium, & ultio. Quare invigilare oportet, ne frigescat in ipsis hujus Virginis devotio.

c In Gen. c. 35.

§ 5.

Peccatoribus Virginis devotio maximè necessaria, ac salutaris.

355 APostolus [a] ait, omnes peccasse, & egere gloria Dei, id est, gratia, & misericordia Domini. Unde sicut nullus est, qui non peccet, & egeat Dei gratia, ac pietate, ut à peccato resurgat, & Deo, quem peccando offendit, reconcilietur: sic nullus est, qui adjutorio Virginis non indigeat, ut ejus meritis, precibus, & intercessione piissima resurgat, & Dei amicitiæ, à qua exciderat, reconcilietur, cùm ipsa non solùm sibi, sed nobis gratiam invenerit, quam perdidimus. Felix homo ille, licèt aliàs peccator, & indignus, qui Virginem Dei Matrem obæratam habet, ut per eam, gratiam, quam amisit, & ipsa invenit, recuperet; & resurgendo a peccato Deo sibi offenso reconcilietur. Quomodo enim gratiam, quam amisisti, invenies, nisi per eam, quæ gratiam, quam perdidisti, invenit?

a Rom. 3. 23.

356 Hoc officium clementissimus Deus Matri suæ commisit, ut ii, qui peccaverunt, & à gratia, amicitiaque sua exciderunt, per ejus preces, ac maternam intercessionem erigantur, & Deo restituantur. Idcirco in Canticis ait illi cœlestis sponsus: [b] *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos tuos juxta tabernacula Pastorum*. Per oves, & agnos designantur justi, & sancti; per hœdos injusti, & peccatores; oves ponendæ sunt ad dexteram judicis in die judicii, ut salventur; hœdi ad sinistram, ut reprobentur, ut sumitur ex Euangelio. [c] Hoc autem posito, constat ex citato loco Cant. specialissimè commissos fuisse virgini Matri à sponso, & filio hœdos, ut illos pascat, *Pasce hœdos tuos*. In ordine ad caulas Paradisi, quas licèt solæ oves, & agni ingrediantur, ipsa pro pastoritia vigilantia sua, ut ex hœdis in agnos tamdem convertantur per gratiam, & justitiam, ut cum aliis justis inter oves ad dexteram salvandi constituantur, laborat. Hæc autem sors non erit omnium hœdorum, seu omnium peccatorum; sed eorum tantùm, qui hœdi Virginis, seu peccatores Virginis appellari potuerunt. Idcirco à sponso non dictum absolutè est: *Pasce hœdos*, sed *Pasce hœdos tuos*.

b Cãt. 17.

c Matth. 25. 33.

357 Ponderatio est venerabilis Guillelmi ad citatum locum Cant. ubi devotos Virginis sic alloquitur: [d] *Attendite*, inquit, *Maria addicti ex toto corde: ait enim sponsus: Pasce hœdos tuos; suos quippe vocat, quia non hœdi omnes vocantur Mariæ, sed qui Mariam colunt, ac venerantur; licèt sceleribus attaminati; qui enim peccatis irretiti sunt, nec beatam Virginem speciali aliquo obsequio prosequuntur, nec preces aliquas in ipsius cultum fundunt, ut vel tandem aliquando resipiscant, hœdi profectò sunt, non verò Mariæ, sed ad sinistram judicis sistendi æternas inferorum flammas subituri*. Quasi suprema illa infelicitas illis, qui hujus Virginis hœdi appellari meruerunt, licèt etiam peccatores, ejus tamen servi sunt, studiosi, ac devoti cultores, contingere non possit. Quoniam cùm sub ejus patrocinio sint, sub ejus cura, ac protectione pasto-

d ad 1. Cant. vers. 7.

paſtoritia, eis paſcua ſalutis procurabit, veramque ſolicitabit pœnitentiam, per quam ex hœdis in agnos commutentur, ex peccatoribus transferantur in juſtos, qui ad dexteram cum aliis ſalvandis cura, & induſtria tantæ Paſtricis tandem collocentur. Ad id enim ei commendantur à ſponſo Paſtorum Principe: *Paſce hœdos tuos.*

358 Paſcit igitur magna Dei Mater hœdos ſuos, hoc eſt, devotos ſuos, cultores ſuos, qui infirmi ſunt, qui peccatores ſunt, qui malè olent, ut hœdi, & hirci ob putidam concupiſcentiam, & graviolentem vitæ converſationem. Paſcit, inquam, juxta tabernacula Paſtorum, id eſt, juxta Eccleſias Apoſtolorum, & eorum, qui Apoſtolis ſucceſſerunt; à quibus paſtoralis Virginis cura, in fide, & virtute formantur, à concupiſcentiis, corruptiſque moribus curantur, donec inveniant Chriſtum jam facti oves, & agni boni Paſtoris. *Rectè*, ait idem Guillelmus, *vocantur, licèt peccatores, hœdi Mariæ, non quos ipſa facit, aut vult eſſe hœdos, qui ſtatuantur ad ſiniſtram; ſed quos ipſa magis, magiſque convertit in oves ponendas ad dexteram.* Tantum prodeſt devotio Virginis benedictæ peccatoribus, ut ſibi promittere poſſint pœnitentiam, per quam diſponantur ad gratiam, & ad gloriam tandem conſequendam.

359 Beatiſſima igitur Virgo ſuorum hœdorum Paſtrix vigilantiſſima conſtituta à filio paſtore hœdos ſuos, hoc eſt, peccatores ſibi ſpecialiter devotos defendit à lupis inferni, à judicis ira tuetur, à paſcuis venenatis arcere curat, laboratque, ut ad ſalutaria deducantur, eſtque illis non ſolùm Paſtrix vulgaris, ſed ad inſtar columnæ illius nubis, quæ Hebræos à ſolis ardoribus defendebat in deſerto, de qua ſermo eſt in libro [e] Exodi. Et in Pſal. dicitur: [f] *Deduxit illos in nube.* Quia *Virgo Sanctiſſima*, ait D. Bonav. in ſpeculo, *tamquam nubes protegit ab æſtu divinæ indignationis, ab æſtu diabolicæ tentationis, ſicut dicitur ex pſal.* [g] *Expandit nubem in protectionem eorum.*

e Exod. 13. 21.
f Pſal. 77. 14.
g Pſ. 104 39.

360 Ut autem intelligant univerſi, quantum peccatoribus proſit hujus Virginis affectuoſa devotio, ut ejus interceſſione, ac precibus reſipiſcant, & ſalventur, non utcumque, ſed ad notabilem gloriæ cumulum aſſurgentes, obſervavit [h] Rich. à S. Laur. viſam fuiſſe magnam Dei Matrem à Joanne Apoc. 12. coronatam ſtellis: *Et in capite ejus corona duodecim ſtellarum.* Eamdem verò in Cant. vocari ad coronam de cubilibus leonum, & de montibus pardorum: [i] *Veni de Libano Sponſa mea, veni de Libano, veni coronaberis, de cubilibus leonum, de montibus pardorum? Nota*, inquit, *quòd Apoc. 12. dicitur, Maria coronari ſtellis: hic promittit ei filius, quòd coronabitur de feris; & quid eſt hoc? Niſi quòd feræ per gratiam, & orationes Mariæ ſunt ſtellæ, ut conveniant capiti tantæ Reginæ, & hæc mutatio dexteræ excelſi.* Quam nempe per merita, & interventionem Matris ſuæ facit excelſus Filius ejus in devotis ipſius. Itaque devoti Virginis non ſolùm mutantur per ejus interceſſionem de hœdis in agnos; verumetiam magni peccatores ſignificati per leones, & pardos, ita per Virginem convertuntur ad Deum, ut ſtellæ fiant fulgentiſſimæ, quibus Virginis caput glorioſiſſimè coronatur. Unde benè dixit Aug. Dei Matrem alloquens: [l] *Tu es ſpes unica peccatorum: in te noſtrorum eſt expectatio præmiorum.*

h Lib. 5. de laud. Mariæ
i Cant. 4. 8.
l Ser. 2. de annunt.

361 Quis peccatorum major, quis leoni, & pardo ſimilior, quàm inſignis, famoſuſque peccator ille nomine Theophilus; de quo præter multos alios, meminit S. Dam. Serm. 1. de nat. Virg. D. Bern. in deprecat. ad Virginem. D. Anton. 3. p. tit. 31. cap. 4. §. ult. Qui cùm ſatanæ opera Chriſto, & Matri ejus renuntiaſſet, ad eam tandem confugiens, non veniam modò, poſt triginta dierum lacrymas, impetravit; ſed etiam chirographo, quo ſe diabolo devoverat, ſanctiſſimæ Virginis opera reſtituto, publicè coram Epiſcopo, & populo crimen confeſſus, percepta Euchariſtia, facie inſtar ſolis coram omnibus collucente, paulò pòſt inter Deiparæ laudes animam Deo reddidit.

362 De hac mirabili tanti peccatoris converſione per Virginis operam, & interceſſionem, ait citatus Petrus Dam. Virginem alloquens: [m] *Quid tibi negabitur, cui negatum non eſt, Theophilum de ipſis perditionis faucibus revocare? infelicem animulam, totum illud, quod in te factum eſt, proprio charactere denegantem, de luto fæcis, & miſeriæ ſublevaſti. Nihil tibi impoſſibile, cui poſſibile eſt, deſperatos in ſpem beatitudinis relevare.* D. Bern.

m Dam. Ser. 45.

in relata deprecatione, de eodem
n Bern. in deprecat. Theophilo loquens: [n] *Tu*, inquit, *peccatorem, quantumlibet fœtidum, non horres, non despicis, si ad te suspiraverit, tuumque interventum pœnitenti corde flagitaverit: tu illum à desperationis barathro pia manu retrahis, spei medicamen adspiras, foves, non despicis, quousque horrendo judici miserum reconcilies. Famosum hujus tuæ benignitatis testimonium est per te Theophilus restauratus gratia.* D. Antoninus
o D. Ant. 3. P. tit. 31. §. 3. 3. part. tit. 31. §. 3. [o] *Nonne ipsa Mater pietatis Theophilum, qui se diabolo dederat: & chirographum scripserat, ut eum liberaret à quadam confusione injustè sibi illata: restituit saluti, & chirographum in medio jactare coegit?*

363 Quapropter designata fuit Deipara Sanctissima per civitates refugii, quæ erant in fugitivorum auxilia præparata Num. 35. Unde S. Damascenus
p Orat. 2. de dorm. ait: [p] *Virginem evasisse civitatem refugii omnibus confugientibus ad illam.* Habet autem multò amplius privilegium, quàm quælibet civitas refugii; quia in illis non omnia delicta gaudent immunitate; quæ quidem apud Hebræos erat valde restricta, nempe *ut fugeret ad eas, qui fuderit sanguinem.* Ut dicitur citato loco Num. Deipara verò, ut diximus ex Damasc. *Est civitas refugii omnibus confugientibus ad illam.* Nullus ab ea peccator excluditur, cùm ipsa sit, ut dixit S. Ephræm Serm. de laudibus ejus: *Peccatorum hospitium.* Et Carth. lib. 2. de laud. Virg. *Singulare perditorum refugium.*

364 Hinc autem apparet, cur Virgo sacra, statim post Christum conceptum abiit in montana Judææ, *Nempe*, ut ait
q Annot. 16. in 1. Luc. Tolet. [q] *in Hebron, quæ urbs ex Iosue 21. erat locata in montanis, & civitas refugii, tamquam civitas sacerdotalis*, nimirum, ut ait Philo lib. de speciali lege: *Vrbs sacerdotalis media erat inter sacrum, profanumque, & quasi templum quoddam secundarium.* Ad hanc ergo urbem festinans abiit Maria, ut ibi se locaret facta jam civitas refugii spiritualis, ubi locata erat civitas refugii temporalis. Neque mirum quòd Joannes ad ingressum Virginis obtinuerit statim libertatem à delicto originali, quia *exultans in utero.* Luc. 1. Et ut vult Chrysostom. serm. die 2. Julii apud Metaph. *exiliens, & saltans,* eo modo, quo poterat confugit saltibus ad hanc civitatem refugii. In qua studiosi Virginis per frequentes, & fer-

ventes erga eam actus, & obsequia devotionis sibi quodammodo domicilium statuunt. In hoc autem totas exerit vires diabolus, ut aliquis consueta intermittens pietatis officia erga Virginem, quasi extrahatur à civitate refugii; ut postea nulla gaudens præteritorum delictorum immunitate, à tartareis satellitibus comprehensus, ligatis manibus, & pedibus mittatur in tenebras exteriores.

365 In hac civitate qui degunt, possunt dicere cum Propheta Ps. 86. 7. *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Ps. 86. 7.
Quoniam inveniunt in hac pia Matre, ut ait D. Bern. [r] *Captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, justus gratiam, peccator veniam.* r Serm. de verbis Apoc.
In hac denique civitate refugii habet quisque etiam perditissimus arrham, & spem salutis. Nam virgo Mater, ut ait S. Ephræm, *Spes est desperantium.* Est autem civitas ista fortissima ad defendendos peccatores ad eam confugientes. Idcircò in turri munitissima significatur à divino sponso.

366 *Sicut [s] turris David collum tuum,* s Cant. 4. 4.
quæ ædificata est cum propugnaculis. In hac turri tot munita propugnaculis ad defensionem, non solùm justi, sed peccatores præsidium reperiunt. Nam [t] t Hailg. card. ibi.
Sanctissima Dei Mater, ut ait Card. Hailgrin. *fuit à Christo vero Davide fabricata, ut peccatoribus esset refugium, & munimen. Propugnacula hujus turris sunt gratia, quibus peccatores protegit, & inimicum expugnat.* Ideò additur: *Mille clypei pendet ex ea, omnis armatura fortium.* Ubi *millenarius numerus*, ut ait D. Greg. [u] *pro* u 9. Mor. c. 2.
universitate solet intelligi. Unde *mille clypei* idem valet atque omnes clypei. Quia scilicet contra omnes dæmonum tentationes, contra omnium vitiorum inpulsus, contra omnes animi passiones reperitur clypeus in hac Virgine. Unde D. Bern. [x] *Si jactaris superbiæ undis,* x 2. super missus.
si ambitionis, si detractionis, si æmulationis, voca Mariam. Si iracundia, aut avaritia, aut carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, barathro cœperis absorberi tristitia, cogita Mariam.

367 Ecce in hac civitate, quæ, quia munitissima ad defendendum, turris appellatur, contra omnes hostes mille clypei, seu omnes clypei, qui sunt omnis armatura fortium. Unde illi sibi fortitudinem, ac victoriam promittant, qui in

Digitized by Google

in hac civitate turrita clypeis ejus armantur. Ideò idem D. Bern. [z] *Ex te*, inquit, *prodit omnis armatura fortium: quia nihil est virtutis, quod ex te non resplendeat*. Et D. Thom. [a] *Mille*, inquit, *clypei pendent ex ea; quia in omni periculo obtinere potes salutem à Virgine gloriosa*. Adeò autem verum est reperiri in hac civitate refugii omnem armaturam fortium, ut ipsemet Christus ad pugnandum contra diabolum, quando in ea indutus est carne, armis indutus ex ea est. Unde S. Method. [b] *Tu*, inquit, *potentem illum corpore quasi panoplia induis, per quam ignita omnia maligni tela extinguntur*. Si Christus ipse arma sumpsit ex hac turri; si in ea est omnis armatura fortium: utique devoti ejus ad protectionem ejus confugientes ex ea clypeos assument, fortesque erunt contra hostes suos. Qui verò non armantur ex hac turri, qui se non tuentur in hac civitate, imbelles erunt, & facilè debellabuntur, ac victi cadent miserabiliter.

z super Salve.
a Opusc. 8
b Orat. de Hyp. ap.

368 Confirmat hanc veritatem revelatio facta sanctæ Catharinæ Senensi, quam æternus Pater sic allocutus est: *Mariæ unigeniti Filii mei gloriosæ genetrici à bonitate mea concessum est, propter incarnati Verbi reverentiam, ut quicumque etiam peccator ad eam cum devota veneratione recurrit, nullo modo deripiatur à dæmone infernali*. Quia scilicet, ita ab ea obarmatur clypeis protectionis suæ, ut victor, non victus evadat in duro, ac continuo contra hostes inferni certamine. Quare recursus, & confugium ad civitatem, & turrim hanc virgineam eo modo, quo par est, evidens argumentum est, quòd talis devotus, non superabitur à dæmone, nec fiet misera præda illius. Ideò sanctus Ephræm Virginem appellat [c] *Spem desperantium, portum naufragantium, & auxilio destitutorum unicam adjutricem*. Quid non præstabit magna Dei Mater sperantibus, quæ etiam adjuvat desperantes? Cùm nemo sit, qui à calore ejus abscondatur; nemo, qui ab ejus patrocinio rejiciatur; nemo, qui ab ejus protectione excludatur.

c Orat. de laud. Virg.

369 Quid timendum devotis Virginis in ejus protectione commorantibus, ad ejus civitatem turritam confugientibus? cùm [d] *omnes domestici ejus induti sunt duplicibus*. Sermo est de muliere forti, per quam D. Bern. 2. super missus, & alii passim Deiparam intelligunt; quæ ideò dicitur mulier fortis, quia civitas est refugii, quia turris est, ex qua pendet omnis armatura fortium: devoti ergo Mariæ, domestici ejus sunt. Quos illa vestit duplicibus, hoc est multiplici armatura induit, ut fortes reddantur, & inexpugnabiles. Opponitur enim Virgo beata Hevæ, quæ, ut notat Bern. [e] *Supervestivit carnem filiorum suorum diploide confusione sua. De manu quippe illius duplicis mali semen terra nostra suscepit, scilicet culpam in anima, calamitates in corpore*. Domestici ergo Virginis vestiti sunt duplicibus, *quia eos virgo Mater vestit*, ut ibi exponit Cornel: [f] *charitate in anima, continentia in corpore. Sive domestici ejus vestiti sunt duplicibus, quia vestiti sunt Christo, juxta illud Pauli Rom. 13. Induite Dominum nostrum Iesum Christum: & vestiti sunt Maria; juxta id, quod dixit Bonav. in Psalt. Mariam induite quotquot eam diligitis. Hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus*. Hæc sunt potissima arma, scuta impenetrabiliora, quibus Virgo B. devotos suos obarmat. Jesus, & Maria, quibus protecti facilè victores evadunt.

d Prov. 31. 21.
e Serm. de laud. S. Mariæ.
f Corn. ad locū Prov.

370 *His potentibus armis depræliantes in via*, ut ait Pelbartus, [g] *assequuntur in cœlo peculiarem veluti aureolam, & aliqua veluti insignia, quibus à cæteris cœli civibus, ut speciales Deiparæ servi discernantur. Nam sicut*, inquit, *servi Regis, & Reginæ in curia regia certis vestibus, & insignibus decorati procedunt, per quæ discernuntur, ut servi Regis, vel Reginæ, ac speciali purpura vestiti ambulant; ita in curia cœlesti servi beatæ Virginis speciali ornatu, & gloria, quâ præ aliis discernantur, quòd servi sint Mariæ, fulgebunt, juxta illud Prov. ult. Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*. Ex quibus colligere licet, quàm firmam de sua salute spem concipere possunt Virginis devoti, qui sub ejus tutela, ac protectione militant in ordine ad æternam vitam, ad quam creati sunt.

g In stellario Virg. lib. 12 p. 1. art. 4.

371 Nam quotiescumque datur medium necessarium, aut saltem valde conducens ad finem: quò magis acceditur ad tale medium, majus habetur argumentum assequendi talem finem: sed, ut constat ex dictis, devotio Virginis Matris est medium necessarium, vel saltem valde conducens ad finem salutis: ergo quò magis ad eam acceditur, majus habetur argumentum salutis. Per affectum autem, & devotionem

erga

Digitized by Google

g In psal. 94. erga Virginem, ad illam acceditur. Nam, ut ait Aug. *g Pedes nostri in hoc itinere affectus nostri sunt. Prout quisque affectum habuerit, ita accedit, vel recedit.* Maj. probatur. Quia assecutio finis pendet à mediis; ergo quò magis acceditur ad media necessaria, vel valde conducentia ad finem, magis acceditur ad finem. Quòd verò Virgo sanctissima, ejusque devotio tale medium sit ad finem salutis, præter hactenus dicta, probatur. Quia per Virginem dantur omnia dona gratiæ, quæ sunt media planè necessaria ad salutem: ergo sicut se habet in ratione medii; ita se habet in ratione argumenti salutis iis, qui sibi specialiter applicant tale medium. Tales autem sunt omnes specialiter studiosi Virginis, qui ex hoc affectu speciali erga illam, specialiter sibi applicant tale medium, impetrando, & merendo ejus patrocinium, ac protectionem specialem.

372 Confirmatur ex propinquitate, quam virgo Mater habet ad hunc finem. Quia hoc postulat ordo hierarchicus, ut ea, quæ sunt remotiora à fine, subordinentur illi, quod est proximius fini: sed Deipara est proximior fini; cùm ratione maternitatis Dei attingat Christum, qui est principium, & finis salutis, dicente ipso in Apoc. h Apoc. 1. 8. *h Ego sum Alpha & Omega, principium & finis.* Ergo ordo hierarchicus postulat, ut omnes salvandi in hoc subordinentur Virgini, quæ est proximior fini. Hæc autem subordinatio maxime apparet in Virginis devotè studiosis, qui ad eam confugiunt, in ea, post Christum, spem collocant, ab ea regi se sinunt. Ergo in his maximè refulget signum suæ prædestinationis, ut constat ex dictis §. 1. & 2. Hæc loquatur bonus Parochus, hæc exhortetur, in hoc desudet pro viribus, ut Parœcianos suos huic Virgini sanctissimæ addicat, ut ejus piæ devotioni emancipet, ut in ea vivant securitate, qua olim electi degebant in sinu Abrahæ. Nam, ut dixit Guarricus Abbas: *i Nullatenus censendum est majoris esse felicitatis habitare in sinu Abraha, quàm in sinu Mariæ, cùm thronum in ea posuerit Rex gloriæ.* i [illegible] Assumpt. Felix igitur, qui ad hanc Virginem confugiens, sub protectione ejus commorabitur.

373 Et hæc satis sint de prædicatione Parochi. Neque enim possibile est in brevi instructione percurrere materias omnes, quibus tractare debet in suis exhortationibus; suppono enim, habiturum libros aliquot spirituales, quibus adjuvetur in tam necessario ministerio; ideo contenti sumus percurrisse materias generaliores, & opportuniores. Addo, posse etiam adjuvari ex multis, quæ dicta sunt lib. primo, & secundo, & dicentur lib. sexto, in quibus sunt varii discursus morales de variis virtutibus, quibus ad eas inculcandas satis juvari potest, ita ut ei non desit opportuna materia exhortandi populum suum ad benè vivendum, secundùm obligationem officii sui.

Digitized by Google

LIBER SEXTUS,
DE
EXEMPLO PAROCHI,
ET CURA PAUPERUM,
ac miserabilium personarum.

INter obligationes Parochi, quas ex Concilio Trident. Lib. 2. tradidimus, in sequentibus latiùs tractandas, & explicandas; Cap. 8. monstravimus, hanc pascendi oves sibi commissas bonorum operum, ac sanctæ vitæ exemplo, esse unam ex præcipuis, quibus afficitur quilibet animarum Pastor. Quare in hoc lib. dicemus in particulari de hoc exemplo, quantùm prosit ad officium pastorale fructuosè exercendum; quantùm noceat, & impediat ejus defectus. Et tandem assignabimus præcipuas materias, in quibus hoc exemplum maximè postulatur. Quia verò a Concilium cum exemplo conjungit obligationem, quam animarum Pastor habet gerendi curam pauperum, & miserabilium personarum; de hac etiam obligatione aliquid dicemus, quæ optimè revocari potest ad exemplum Pastoris. Agimus autem post prædicationem Parochi de ejus exemplo, quia hoc non solùm est magna pars prædicationis, sed præcipua, ut docent sancti Patres, & ex cendis constabit.

a Sess. 24. c. 1. de ref.

CAPUT PRIMUM.

Parochus pascat oves suas bona conversationis exemplo.

1 LIb. 2. capite 8. ostendimus ex Trident. teneri Parochum obligatione orta ex jure Divino ad pascendum gregem suum bonorum omnium operum exemplo. Sumitur autem doctrina Concilii ibi tradita ex Scripturis. Nam Petrus pastorum omnium caput pastores alios instituens, ita eos exhortatur: a *Pascite, qui in vobis est, gregem, forma facti gregis ex animo.* Forma, ait, ad cujus intuitum informentur oves Christi concipiendo fœtus diversarum virtutum similes illis, quos vident in suo pastore, sicut ad conspectum b virgarum versicolorum oves Jacobi concipiebant agnos secundùm colores, quos in canalibus intuebantur. Forma igitur gregis tui debes esse, ò Paroche. Hoc est, c *Ita debes vivere*, ait S. Anselm. *ut sis omnibus forma benè vivendi; & qui te viderint, legant in operibus tuis, velut in libro & exemplari, quid agere debeant.*

a 1. Petr. 5. 2.

b Gen. 30. 37.

c Ad c. 2. Tit. n. 7.

a Paulus instruens Timoth. quem ani-

Digitized by Google

animabus Pastorem præfecerat, de hoc exemplo admonet, tamquam de primaria obligatione Pastoris: [d] *Exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Ac si diceret: Esto veluti primarium exemplar, cui omnes alii se conforment, & veluti speculum nitidum, in quo populus universus maculas suas, & nævos conspiciat, & corrigat: esto norma benè vivendi, ad quam animæ tuæ curæ commissæ omnes suas dirigant actiones: esto tamquam exemplar, quod magister pueris in schola præbere solet ad imitandum, ut politos characteres depingant. Hæc sit tua prima cura, hoc fundamentum officii pastoralis, sine quo nihil proderis animabus, quas regis.

d 1. Timoth. 4. 12.

3 Idem Paulus ad Titum etiam pastorem: [e] *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Hoc est: Esto exemplar virtutum, quod omnes imitari possint. Seu, ut ait ibi Chrysost. [f] *Sit doctrina, & exemplar virtutis tuæ speculum vitæ, quod omnibus proponitur ad imitandum veluti archetypus, & primitiva quædam imago omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt.* Hugo Cardin. ibi: [g] *Quasi tu sis liber, & exemplar subditorum, quod omnes intueantur ad imitandum, illique se conforment tamquam animatæ legi.* Nam, ut benè Hieron. ad Heliod. [h] *In te omnium oculi diriguntur: domus tua, & conversatio quasi in specula constituta, magistra est publicæ disciplinæ: quidquid feceris, id sibi omnes faciendum putant: cave ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur; aut, qui imitari, cogantur delinquere.* Et Conc. Trident. [i] *In eos, tamquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur.*

e Ad Tit. 2. 7.
f Hom. 4. in Titum.
g Hugo Card. ibi.
h Epist. ad Heliod.
i Sess. 22. c. 1.

4 Hoc ipsum exemplum Pastoris in omnibus ejus actionibus exhibendum intendebat olim Deus [l] in vestibus Sacerdotis, quibus indutus Deo erat ministraturus, quæ deorsum plenæ erant tintinnabulis, ut audiretur sonitus, quando ingrederetur sanctuarium, de quibus vestibus locutus Ecclesiasticus dixit: [m] *Cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro dare sonitum in incessu suo.* Hieron. [n] *Ut gressus ejus, & motus, & universa vocalia sint, virtutem mente concipiat, & totam eam habitu resonet, & quidquid agit, doctrina sit populorum.* Quasi quælibet actio Sacerdotis oporteret esse exemplar, & norma benè vivendi, ut non moreretur; hoc enim sonat verbum illud Exodi: *Et non moriatur.* Quia sine illo sonitu operum morti esset obnoxius, utpote delinquens in præcipua obligatione officii sui, quæ consistit in vita exemplari omnibus proposita ad imitationem. Quam obligationem benè intelligens sanctus Christi Præcursor, interrogatus; quisnam esset? Respondit: [o] *Ego vox.* Ac si totus esset vox, quæ ad benè vivendum incitabat. Venetus: [p] *Erat enim vox, quia non tantùm ejus prædicatio; sed vita, vestitus, cibus, & quidquid erat in eo, erant voces ad benè vivendum incitantes.*

l Exod. 28. 33.
m Eccl. 54. 10.
n Epist. ad Fabiolã.
o Ioan. 1. 23.
p Venet. ad eum locũ.

5 Hoc ipsum intendebat Christus Dominus, quando loquens de bono pastore dicebat, illum esse, qui [q] *Ante oves vadit.* Ubi Cyril. Alex. [r] *Ante oves Pastor vadit, quando ipsis proponit vitæ exemplum, quod imitentur; & per bonorum operum gressus iter ostendit, quò debeant incedere.* Adeò autem commendatur exemplum in Pastore, quia explorata res est, sanctæ vitæ exemplum efficacius esse ad movendos homines, quàm verba, & doctrinam. Unde princeps Pastorum Christus prius docuit exemplo, quàm verbo, & prædicatione: [s] *Cœpit Iesus facere, & docere.* Per integros triginta annos solo docuit exemplo vitæ; tribus verò exemplo simul, & verbo. Et morti proximus exemplum proposuit Apostolis, quos operis sui Vicarios, ac pastores gregis sui relinquebat. [t] *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.* Quia exemplo Pastorum magis, quàm prædicatione oves Christi ad æternæ gloriæ pascua deducendæ sunt.

q Ioa. 10. 4.
r Lib. 7. in Ioan. c. 1.
s Act. c. 1.
t Ioa. 13. 15

6 Idem præstitit Præcursor Christi Joannes ante ipsum missus, [u] *Ut multos filiorum Israel converteret ad Dominum Deum ipsorum.* Hic eremum sibi eligens ad vivendum, vitam asperrimam totius pœnitentiæ exemplar sibi duxit instituendam, ut homines videntes in suo Propheta, & prædicatore admirabile pœnitentiæ exemplum, ad illam imitandam moverentur, satis enim tanto viro compertum erat, vitæ exemplum aptius esse ad peccatores convertendos à vitiis suis pessimis per pœnitentiam, quàm per monitiones, & exhortationes, ut notavit Hieron.

u Luc. 1. 16

7 Et Apostolus non solùm exemplum vitæ commendabat Pastoribus, quos insti-

instituebat, ut vidimus, sed suis Corinthiis, quos genuerat per Euangelium, se proponebat exemplum: [a] *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Ut illos quasi cogeret ad sequendum Euangelium, quia illud observari videbant à suo Pastore. Nam, ut optimè Bern. [z] *Sermo vivus, & efficax exemplum operis est plurimum faciens suadibile, quod monstratur factibile*. Quod priùs notaverat Seneca: *Longum iter est per præcepta; breve & efficax per exempla, quia homines amplius oculis, quàm auribus credunt*.

a Cor. 4. 16.

z Serm. de S. Bened.

8 Ratio autem, cur sanctæ conversationis exemplum tam necessarium sit animarum Pastoribus, ut à Deo ipso eis specialiter mandatum sit, sicut in principio capitis 1. retulimus ex Trident. inde sumenda est. Quia tenentur ratione officii oves sibi concreditas per pascua salutaria ad æternam vitam deducere, quantùm in ipsis fuerit, ad idque applicare vires, conatum, & industriam: sed bona, ac sancta vita est medium ad viam salutis facilè suadendam, quæ sine illa vel dissuadetur, vel saltem difficulter admodum persuadetur: & alioqui pravæ vitæ exemplum maximè personarum majorum, & præcipuè pastorum animarum maximè scandalosum est, & spiritualis ruinæ inductivum: ergo, cùm ex jure divino naturali ratione officii teneantur procurare, ac promovere animarum salutem, illamque non impedire, aut retardare, sequitur quòd ex vi ejusdem juris teneantur ad benè & sanctè vivendum, ut suæ vitæ exemplo oves ad salutem deducant, non autem ad interitum. Maj. & conseq. patent. Min. constabit ex tribus sequentibus capitibus.

CAPUT SECUNDUM.

Parochus bonæ vitæ exemplo facilè viam salutis ovibus suis persuadebit.

9 AUgustinus sapientissimè dixit: [a] *Habet, ut obedienter audiatur, quantacumque gravitate dictionis, majus pondus vita loquentis*. Hoc est, multò magis movet vita Pastoris, quàm exhortatio ejus, consilium, vel doctrina, imò hæc ab illa efficaciam habent. Ratio verò est, quia quando vita pastoris conformatur cum doctrina, credit populus verba procedere ex intimo cordis affectu, indeque efficaciam habent ad persuadendum. Unde Bern. [b] *Validior operis, quàm oris vox est*. Et sanctus Leo: [c] *Validiora sunt exempla, quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce*. Quare vox Parochi exemplaris facilè plebi suæ persuadebit.

a 4. De doctrina Christi c. 27.

b Ser. 59. in Cant.

c Apud Ber. 6. c. 1. sect. 1.

10 D. Bern. [d] *Sermo vivus, & efficax exemplum operis est*. Ac si diceret: Tunc Pastoris doctrina, exhortatio, consilium, & admonitio est efficax; & quasi vitam habens, quando est conjuncta cum exemplo, quod quidem est anima, ac vita doctrinæ, quæ proinde efficaciam præbet, & persuadibile facit, quod proponit; si autem exemplum desit, erit doctrina sine anima, sine vita, & consequenter mortua, quæ nullam habebit ad persuadendum efficaciam: sicut enim corpus anima destitutum nihil operatur; ita exhortatio, reprehensio, & consilium Parochi, qui vitæ exemplo non præit, nihil boni persuadebit; illud enim vim, & potestatem dat in corda audientium.

d Serm. de S. Bened.

11 Notarunt [e] Euangelistæ, Christum Dominum prædicasse tamquam potestatem habentem, ac si potestatem habuisset super eos, qui eum audiebant. Si autem quæratur, unde nam provenerit hæc potestas, & dominium verbis Domini? Respondet D. Greg. non aliunde, nisi quia operabatur quidquid prædicabat, quia habebat in se virtutes, quas docebat, & carebat vitiis, quæ taxabat: si prædicabat mundi contemptum, ipse mundum adeò contemnebat, ut esset opprobrium hominum, & abjectio plebis: si prædicabat paupertatem, ille erat tam pauper, ut non habuerit, ubi caput suum reclinaret, & sic de aliis. Qui autem prædicat virtutes, quas habet, qui reprehendit vitia, à quibus est alienus, prædicat, & reprehendit cum imperio, ac potestate, & cum tali efficacia, & dominio, ut auditores ei resistere non valeant. Gregor. [f] *Imperio docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur*.

e Math. 7. 29.

f 23. mor. 7.

12 Hinc Paulus Timotheo animarum Rectori: [g] *Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis*. Quibus verbis tria ab eo postulabat, quæ eodem ferè recidunt. Primum. Ut esset Pastor ita operarius, ut ejus doctrina, & prædicatio ei ruborem

g 2. Timoth. 2. 15.

borem non suffunderet, nec confusionem pareret, id enim significat: *Operarius inconfusibilis*. Qualis futurus esset, si ejus doctrina, & vita concordarent. Ac si diceret, ait ibi Hieron. [i] *Ita vivere, ne dicta, factis deficientibus, erubescant*. Secundum. Ut rectè tractaret verbum Dei, seu verbum veritatis. Quod tunc rectè tractatur, quando vita cum dictis conformatur, dicente Hieron. ubi proximè: *Ille rectè tractat, qui exemplis sua dicta confirmat*. Proh dolor! Quot hodie pastores, prædicatores, & Doctores non rectè tractant verbum Dei! Quot sunt, qui aliter vivunt, & aliter prædicant, & docent! Quot aliter operantur, quàm doceant! Per hos enim blasphemari nomen Dei luculenter probat [l] Apostolus.

i Ad loc. Pauli.

l Rom. 2. 24.

13 Tertium: Ut se exhiberet operarium probabilem. Quæ verba, licèt patiantur alias expositiones, juxta eumdem Hieron. intelligenda sunt, ut nempe talis sit operarius, ut probabile reddat quidquid docuerit, & prædicaverit, ita ut audientes amplecti possint audita tamquam doctrinam probabilem, & benè fundatam. Idest, inquit Hieron. [m] *Talem te exhibeas, quòd meritò possit tibi populus obaudire*. Nonne doctrina Euangelica, quam prædicabat Timotheus, erat vera, & certa? quare ergo Apostolus ei commendabat, ut illam probabilem redderet? Certa quidem erat, imò certissima in se, & quasi speculativè loquendo, foret tamen improbabilis in praxi, si eam Timotheus vitæ suæ exemplo non confirmaret, hoc enim eam probabilem faceret, & persuadibilem. Primas: [n] *Ille enim probabile reddit, quod dictum exemplo confirmat*. Quare, qui exemplo destruit, quod verbis ædificare conatur, non magis docet, & persuadet, quàm si proponeret doctrinam improbabilem omni veritatis fundamento destitutam. Primas: [o] *Quia non benè docentur verbis, qui destituuntur exemplis*.

m Vbi supra.

n Primas ad locum Pauli.

o Vbi supra.

14 De illis sexaginta fortissimis, qui custodiebant lectulum Salomonis, & significabant sacerdotes, quibus cura Ecclesiæ commissa est, dicitur, [p] fuisse ad bella doctissimos. Erant autem ad bella doctissimi, quia omnes tenebant gladios, non unum, sed duos, juxta Theod. alterum in manu, vel potiùs in ore, nempe gladium doctrinæ, & prædicationis: alterum ad femur, gladium videlicet mortificationis, & vitæ exemplaris, qui proinde erant doctissimi ad bella Ecclesiæ, quia non solùm vitia profligabant gladio oris prædicando, & exhortando, sed etiam gladio femoris, seu gladio exempli personalis, qui si deesset, non prævalerent contra vitia, quia frivolum, ac umbratile eis bellum indicerent solo gladio oris dimicando. Ubi etiam notandum est, non dici habentes, sed tenentes gladios. Greg. [q] *Quia verbum Dei non est mirabile solùm scire, sed facere: habet quidem, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundùm illud vivere negligit: hic autem doctus esse ad bella non valet, qui spiritualem, quem habet gladium, non exercet*.

p Cant. 3. 7

q 1. 23. mor. 23.

15 Quapropter illi sunt ad Ecclesiæ bella doctissimi, qui simul cum gladio oris, & doctrinæ tenent gladium ad femur suum, quo vitia propria jugulant, in eoque sunt exemplo populo suo. Hi quando utuntur gladio oris, & prædicant contra vitia, ea profligant, persuadentque proximis eorum extirpationem. De his enim intelligitur illud Isai. [r] *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*. Ac si diceret: Prælatus, Parochus, & Prædicator, qui bellum propriis vitiis indicit, estque in eo exemplum proximis suis; quando docuerit, & vitia populi eo reprehenderit, ad eos fructus dispo-net, ad quos felix agricola terram, quam vomere suo exarat: gladius, quem tenet ad femur, quo vitia propria cædit, & truncat, in eoque prælucet populo, convertetur in vomerem, quo populum excolat, & in falcem, qua ab ipso demetat copiosos manipulos fructuum in Christi horrea inferendos. [s] *Hoc est, qui gladium spiritus in proprium femur distrinxit, propriisque concupiscentiis, & affectionibus acre bellum movit, eum sibi gladium in falcem, qua uberes prædicationis suæ fructus demetat, & in Christi horrea inferat, fore commutandum*. Dixit eleganter doctissimus quidem Modernus.

r Isai. 2. 4.

s Velasq. tom. 1. pag. 239.

16 Tenetur Parochus ex suo officio populum sibi commissum per varia media ad caulas æternæ salutis deducere. Utinam frustrarentur nunquam conatus, & industriæ Pastoris, quæ frequenter effectum non sortiuntur, sæpè deest in Pastore vitæ exemplum, quo de-

instituebat, ut vidimus, sed suis Corinthiis, quos genuerat per Euangelium,
x Cor. 4. 16. se proponebat exemplum: [x] *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Ut illos quasi cogeret ad sequendum Euangelium, quia illud observari videbant à suo Pastore. Nam, ut optimè Bern.
z Serm. de S. Bened. [z] *Sermo vivus, & efficax exemplum operis est plurimum faciens suadibile, quod monstratur factibile*. Quod priùs notaverat Seneca: *Longum iter est per præcepta; breve & efficax per exempla, quia homines amplius oculis, quàm auribus credunt*.

8 Ratio autem, cur sanctæ conversationis exemplum tam necessarium sit animarum Pastoribus, ut à Deo ipso eis specialiter mandatum sit, sicut in principio capitis 1. retulimus ex Trident. inde sumenda est. Quia tenentur ratione officii oves sibi concreditas per pascua salutaria ad æternam vitam deducere, quantùm in ipsis fuerit, ad idque applicare vires, conatum, & industriam: sed bona, ac sancta vita est medium ad viam salutis facilè suadendam, quæ sine illa vel dissuadetur, vel saltem difficulter admodum persuadetur: & alioqui pravæ vitæ exemplum maximè personarum majorum, & præcipuè pastorum animarum maximè scandalosum est, & spiritualis ruinæ inductivum: ergo, cùm ex jure divino naturali ratione officii teneantur procurare, ac promovere animarum salutem, illamque non impedire, aut retardare, sequitur quòd ex vi ejusdem juris teneantur ad benè & sanctè vivendum, ut suæ vitæ exemplo oves ad salutem deducant, non autem ad interitum. Maj. & conseq. patent. Min. constabit ex tribus sequentibus capitibus.

CAPUT SECUNDUM.

Parochus bona vita exemplo facilè viam salutis ovibus suis persuadebit.

9 a 4. De doctrina Christi c. 27. Augustinus sapientissimè dixit: [a] *Habet, ut obedienter audiatur, quantacumque gravitate dictionis, majus pondus vita loquentis*. Hoc est, multò magis movet vita Pastoris, quàm exhortatio ejus, consilium, vel doctrina, imò hæc ab illa efficaciam habent. Ratio verò est, quia quando vita pastoris conformatur cum doctrina, credit populus verba procedere ex intimo cordis affectu, indeque efficaciam habent ad persuadendum. Unde Bern. [b] *Validior operis, quàm oris vox est*. Et sanctus Leo: [c] *Validiora sunt exempla, quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce*. Quare vox Parochi exemplaris facilè plebi suæ persuadebit. b Ser. 59. in Cant. c Apud Ber. 6. c. 1. sect. 1.

10 D. Bern. [d] *Sermo vivus, & efficax exemplum operis est*. Ac si diceret: Tunc Pastoris doctrina, exhortatio, consilium, & admonitio est efficax; & quasi vitam habens, quando est conjuncta cum exemplo, quod quidem est anima, ac vita doctrinæ, quæ proinde efficaciam præbet, & persuadibile facit, quod proponit; si autem exemplum desit, erit doctrina sine anima, sine vita, & consequenter mortua, quæ nullam habebit ad persuadendum efficaciam: sicut enim corpus anima destitutum nihil operatur; ita exhortatio, reprehensio, & consilium Parochi, qui vitæ exemplo non præit, nihil boni persuadebit; illud enim vim, & potestatem dat in corda audientium. d Serm. de S. Bened.

11 Notarunt [e] Euangelistæ, Christum Dominum prædicasse tamquam potestatem habentem, ac si potestatem habuisset super eos, qui eum audiebant. Si autem quæratur, unde nam provenerit hæc potestas, & dominium verbis Domini? Respondet D. Greg. non aliunde, nisi quia operabatur quidquid prædicabat, quia habebat in se virtutes, quas docebat, & carebat vitiis, quæ taxabat: si prædicabat mundi contemptum, ipse mundum adeò contemnebat, ut esset opprobrium hominum, & abjectio plebis: si prædicabat paupertatem, ille erat tam pauper, ut non habuerit, ubi caput suum reclinaret, & sic de aliis. Qui autem prædicat virtutes, quas habet, qui reprehendit vitia, à quibus est alienus, prædicat, & reprehendit cum imperio, ac potestate, & cum tali efficacia, & dominio, ut auditores ei resistere non valeant. Gregor. [f] *Imperio docetur, quod priùs agitur, quàm dicatur*. e Matth. 7. 29. f 13. mor. 7.

12 Hinc Paulus Timotheo animarum Rectori: [g] *Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium, inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis*. Quibus verbis tria ab eo postulabat, quæ eodem ferè recidunt. Primum. Ut esset Pastor ita operarius, ut ejus doctrina, & prædicatio ei ruborem g 2. Timoth. 2. 15.

Digitized by Google

borem non suffunderet, nec confusionem pareret, id enim significat: *Operarius inconfusibilis*. Qualis futurus esset, si ejus doctrina, & vita concordarent.
k Ad loc. Pauli. Ac si diceret, ait ibi Hieron. [k] *Ita vive, ne dicta, factis deficientibus, erubescant*. Secundum. Ut rectè tractaret verbum Dei, seu verbum veritatis. Quod tunc rectè tractatur, quando vita cum dictis conformatur, dicente Hieron. ubi proximè: *Ille rectè tractat, qui exemplis sua dicta confirmat*. Proh dolor! Quot hodie pastores, prædicatores, & Doctores non rectè tractant verbum Dei! Quot sunt, qui aliter vivunt, & aliter prædicant, & docent! Quot aliter operantur, quàm doceant! Per hos enim blasphemari nomen Dei luculenter probat [l] Apostolus.
l Rom. 2. 24.

13 Tertium: Ut se exhiberet operarium probabilem. Quæ verba, licèt patiantur alias expositiones, juxta eumdem Hieron. intelligenda sunt, ut nempe talis sit operarius, ut probabile reddat quidquid docuerit, & prædicaverit, ita ut audientes amplecti possint audita tamquam doctrinam probabilem, & benè fundatam. Idest, inquit
m Vbi supra. Hieron. [m] *Talem te exhibeas, quòd meritò possit tibi populus obaudire*. Nonne doctrina Euangelica, quam prædicabat Timotheus, erat vera, & certa? quare ergo Apostolus ei commendabat, ut illam probabilem redderet? Certa quidem erat, imò certissima in se, & quasi speculativè loquendo, foret tamen improbabilis in praxi, si eam Timotheus vitæ suæ exemplo non confirmaret, hoc enim eam probabilem faceret,
n Primas ad locum Pauli. & persuadibilem. Primas: [n] *Ille enim probabile reddit, quod dictum exemplo confirmat*. Quare, qui exemplo destruit, quod verbis ædificare conatur, non magis docet, & persuadet, quàm si proponeret doctrinam improbabilem omni veritatis fundamento destitutam.
o Vbi supra. Primas: [o] *Quia non benè docentur verbis, qui destituuntur exemplis*.

14 De illis sexaginta fortissimis, qui custodiebant lectulum Salomonis, & significabant sacerdotes, quibus cura
p Cant. 3. 7. Ecclesiæ commissa est, dicitur, [p] fuisse ad bella doctissimos. Erant autem ad bella doctissimi, quia omnes tenebant gladios, non unum, sed duos, juxta Theod. alterum in manu, vel potiùs in ore, nempe gladium doctrinæ, & prædicationis: alterum ad femur, gladium videlicet mortificationis, & vitæ exemplaris, qui proinde erant doctissimi ad bella Ecclesiæ, quia non solùm vitia profligabant gladio oris prædicando, & exhortando, sed etiam gladio femoris, seu gladio exempli personalis, qui si deesset, non prævalerent contra vitia, quia frivolum, ac umbratile eis bellum indicerent solo gladio oris dimicando. Ubi etiam notandum est, non dici habentes, sed tenentes gladios. Greg. [q] *Quia verbum Dei non est mirabile solùm scire, sed facere: habet quidem, sed non tenet gladium, qui divinum quidem eloquium novit, sed secundùm illud vivere negligit: hic autem doctus esse ad bella non valet, qui spiritualem, quem habet gladium, non exercet*. q 13. mor. 13.

15 Quapropter illi sunt ad Ecclesiæ bella doctissimi, qui simul cum gladio oris, & doctrinæ tenent gladium ad femur suum, quo vitia propria jugulant, in eoque sunt exemplo populo suo. Hi quando utuntur gladio oris, & prædicant contra vitia, ea profligant, persuadentque proximis eorum extirpationem. De his enim intelligitur illud Isai. [r] *Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*. Ac si diceret: r Isai. 2. 4. Prælatus, Parochus, & Prædicator, qui bellum propriis vitiis indicit, estque in eo exemplum proximis suis; quando docuerit, & vitia populi eo reprehenderit, ad eos fructus disponet, ad quos felix agricola terram, quam vomere suo exarat: gladius, quem tenet ad femur, quo vitia propria cædit, & truncat, in eoque prælucet populo, convertetur in vomerem, quo populum excolat, & in falcem, quæ ab ipso demetat copiosos manipulos fructuum in Christi horrea inferendos. [s] *Hoc est, qui gladium spiritus in proprium femur distrinxit, propriisque concupiscentiis, & affectionibus acre bellum movit, eum sibi gladium in falcem, qua uberes prædicationis suæ fructus demetat, & in Christi horrea inferat, fore commutandum*. Dixit eleganter doctissimus quidem Modernus. s Velasq. tom. 1. pag. 239.

16 Tenetur Parochus ex suo officio populum sibi commissum per varia media ad caulas æternæ salutis deducere. Utinam frustrarentur nunquam conatus, & industriæ Pastoris, quæ frequenter effectum non sortiuntur, sæpè deest in Pastore vitæ exemplum, quo de-

t De dup. mart.

debuissent animari, & reddi efficaces: t *Habens opera linguam suam, habent suam facundiam, tacente lingua.* dixit sanctus Cyprian. Quam habebunt, non tacente lingua, sed clamante? quid non persuadebunt? Deest sanctorum operum exemplum, deest gladius ad femur, solùm habetur in ore, non sunt nisi vomeres ad excolendum, & falces ad metendum fructus conversionum, rara erit messis, quæ fuisset copiosa, si audiretur sanctus Nilus clamans: u *Conflate vomeres vestros in gladios, & falces vestras in lanceas.* Hoc est, sit in vobis honestatis, ac sanctæ vitæ exemplum: videant populi gladium ad femur sui Rectoris, videant lanceas ad propria vitia confodienda, statim major saltem pars movebitur exemplo Rectoris, statim ejus prædicatio, consilium, & reprehensio exemplo quasi animata persuadebit.

u Nilus in Ascetico.

CAPUT TERTIUM.

Parochus vitæ exemplo destitutus parum, vel nihil boni operabitur in sua plebe.

17 Divus Aug. a dixit satis verè, tantam esse hominis infirmitatem, ut cum difficultate moveatur ad amplectendum bonum, ad quod monetur, nisi illud videat in suo monitore. Unde consequenter ait, opus esse, quòd magister, & pastor animarum bonus in se sit, ut, qui audiunt, doceantur, & dirigantur, habeantque quid possint imitari, quia aliàs nihil efficiet docendo, prædicando, & dirigendo. Et Naz. b non minùs verè affirmavit, illum, qui verbis docet, exemplo autem dedocet, altera manu animas ad Deum trahere, altera fugare, & quod unà manu facere conatur, altera impedire, ne fiat.

a Ser. 163. tom. 1.

b in serm. n. 4.

18 c *Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* Hic est verè pastor animarum, qui illas verè pascit, & impinguat, & verbo prædicationis, & sanctæ conversationis exemplo: qui verò solo verbo pascit, parùm proficit in ipsarum utilitatem. Nam, sicut ferrum aliud ferrum attrahere nequit, nisi à magnete tactum, in quo est tota vis attrahendi ferrum: ita Parochus oves suas ad Deum trahere non valet, nisi ipse Deo sit conjunctus, à quo accipiat vim attrahendi, quæ tota in Deo est, dicente Christo: d *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Unde ait sanctus Dionysius sacerdotes debere esse perfectos, & perficientes, illuminatos, & illuminantes. Quia si in se boni non sint, non poterunt alios ad bonitatem adducere; si in se clari non sint, alios illuminare non valebunt. A frigido enim Parocho verbum urens non procedit, sicut nec ab obscuro verbum illuminans. Tunc exhortatio oves inflammabit in Dei amore, quando exierit à corde in eodem amore inflammato. Nam nemo communicat, quod non habet. Unde si non habes virtutem, quomodo illam ovibus tuis communicabis?

c Math. 5.19.

d Ioan. 6. 44.

19 Notavit S. Matth. non habuisse scribas illam potestatem, & imperium, quo Christus Dominus prædicabat, & reprehendebat, ait enim: e *Loquebatur tamquam potestatem habens, & non sicut scribæ eorum.* Si autem quæramus, cur defuerit scribarum verbis potestas, & dominium, quod in Christi sermone eminebat? Respondebit D. Greg. Quia non habebant in se virtutes, quas aliis inculcabant, & quia scatebant vitiis ac peccatis, quæ in aliis reprehendebant. Nam defectus vitæ, & exempli; vita, quæ cum doctrina non cohæret, non solùm adimit potestatem, & dominium ad persuadendum, sed etiam fiduciam ad loquendum. Greg. f *Doctrinæ subtrahit fiduciam, quando conscientia perpendit linguam.* Certissimum enim est, propriam conscientiam, quæ nos accusat de vitiis, quæ in aliis reprehendimus, & de carentia virtutis, quam aliis suademus, linguam nostram cohibere, & quasi infrænare, eloquentiam exsiccare, & vim persuadendi penitus auferre.

e Math. 7.29.

f 25. mor. 7.

20 *Quis enim vereatur scelus, cujus in suggesto complicem videt;* dicebat prudentissimè Theodoricus, ut refert Cassiod. g Quomodo mihi incutiet odium peccati ille, quem video non nisi in peccatis delectari? Quomodo me inclinabit ad virtutem ille, qui virtutem fugit? Est hoc impossibile, licèt longos, ac doctos discursus quotidie buccinet, ex quibus nihil aliud colliget, nisi laborem, & propriam confusionem. Beda: h *Qui facto destruit, quod prædicat, contemnitur.* Hic erit fructus, contemptus, confusio, & ignominia.

g 1. var. epist. 4.

h In c. 4. Luc.

21 Ideò Hieron. Nepotian. Parocho:

i Non

Digitized by Google

i Ad Nepot. [i] *Non confundant opera tua sermonem tuum.* Ac si diceret: Sint opera tua talia, ut nec tibi, nec doctrinæ tuæ confusionem pariant. Parient autem certissimè, quando illi, qui te audiunt, respondere poterunt. Quare id non facis, quod prædicas, & consulis? quare non fugis id, quod in nobis reprehendis? Idem Hieron. *Ne cùm in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: cur ergo hac, quæ dicis, ipse non facis?* Et tandem concludit illius, qui prodesse vult, verba cum operibus, doctrinam cum vita concordare debere. *Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.* Quasi diceret: Non desit in te vitæ & operum exemplum, & statim exhortatio tua, consilium, & reprehensio proderit animabus, statim

l Cassiod. supra. quidquid dixeris, persuadebis: [l] *Nam facilis recti persuasor est innocens judex, sub cujus prædicabili conversatione pudet probabiles mores non habere*; dicebat idem Theodor. apud Cassiod. suprà. Facilè persuadet virtutem, qui illa affectus est, cùm suo exemplo reddat tam probabile, quod docet, ut pudeat auditores non amplecti, quod vident in suo prædicatore, in suo Parocho, & doctore.

m Ad Tit. 2. 7. 22 Hinc Apost. ad Titum: [m] *In omnibus te præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, verbum sanum, irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur nihil habens malum dicere de nobis.* In quibus, præter alia, commendat, ut doctrina sit irreprehensibilis.

n Hugo ibi. *Verbum irreprehensibile*, Hug. Cardin. [n] *quantùm ad mores, ut vita non reprehendat ipsum verbum.* Ac si dicat: Tunc dabis, ò Tite, exemplum in doctrina, quando vita tua, mores, & actiones tuæ concordaverint cum bona, & sana doctrina. Nam quamvis doctrina in se optima sit, si non fuerit confirmata, & illustrata per exempla bonæ vitæ, erit non solùm reprehensibilis, quatenus tibi confusionem afferet, sed etiam inutilis, quia nihil per eam auditoribus proderis, quamvis defectus tui alioqui leves appareant.

o Matth. 5. 19. 23 [o] *Qui solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum.* Idest: Qui fuerit transgressus unum etiam ex levioribus præceptis, illiusque transgressor existens docuerit homines, erit parvulus in Ecclesia, illiusque doctrina parùm utilis, & proficua erit. D. Hieron.

[p] *Possumus intelligere, quòd magistri eruditio, etiam si parvo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu maximo.* Quantumvis Parochus sit doctus, & eruditus, nihil ovibus suis proderit, si vita non consonet cum doctrina, erit quidem doctus, sed Parochus parvus, & operarius minimus, quia parum, vel nihil proficiet doctrina sana, quam culpæ etiam non admodum graves comitantur, à quibus quasi imminuitur, & contemptui exponitur. Hieron. *Nec prosit docere justitiam, quam minima culpa destruit.* Interest ergo, ut vita talis sit, ut non reprehendat ipsum verbum, ut dicebamus ex Hugone: *Verbum irreprehensibile quantùm ad mores, ut vita non reprehendat ipsum verbum.* p Hieron. ibi.

24 Sit Parochus eruditus, eloquens, imò & mirabilis in exhortando, & consulendo, si contingat, ut desit in exemplo vitæ laudabilis, committens peccatum, cujus habeatur notitia in populo, statim perdet fructum, quem ex labore suo poterat sperare, imò & miraculorum, quæ fortè operatus fuerat in confirmationem prædicationis. [q] q 3. Reg. 13.
Quis prodigiosior prædicatore illo, quem Deus misit ad Jeroboam immolantem idolis in Bethel? Reprehendit enim cum omni libertate regis idololatriam, denuntiat ei supplicia, quæ à Deo denuntianda acceperat: irascitur Rex idolatra, prædicationem sibi contumeliosam credens, manum elevat, ut injuriosè percutiat prædicatorem, hæret manus cum brachio, orat Propheta Dominum ad Regis petitionem, restituitur manui, & brachio arido sanitas, & pristinus vigor. En eloquentem, ac miraculosum prædicatorem, adeò ut Rex cœperit errores suos agnoscere, seque velle in Deum convertere, ut aliqui colligunt ex honoribus à Rege Prophetæ exhibitis, & à benevolentia, qua illum posteà tractavit.

25 Quomodo potuit deperdi fructus probabilis speratæ conversionis, & impediri tam miraculosa exhortatio, ne felicem haberet exitum? Quid faciendum, ut Rex terribiliter monitus, & miraculis visis perculsus in eadem perseveraret idololatria, ac si nihil vidisset, & audisset? Remedium excogitavit diaboli [r] minister, qualis erat propheta falsus, qui miraculoso prædicatori obviàm venit, domumque suam r 3. Reg. 13. 15.

Digitized by Google

conduxit, ut cibum caperet, contra Dei mandatum. Nam juxta Lyran. Gloss. & communem sententiam, erat princeps inter sacerdotes idolorum, & magna in æstimatione apud Jeroboam. Hic autem falsus propheta timens, ne Rex propter prædicationem veri Prophetæ tot signis, & miraculis confirmatam idololatriam desereret, sibique inferret debitam pœnam ob fallacias, & dolos, quibus ad cultum idolorum inducebat, hanc excogitavit astutiam, ut Dei Prophetam deciperet, faciendo, ut sub aliquo honestatis prætextu in loco illo comederet contra Dei præceptum, ut violato Domini mandato, iram Dei incurreret, ejusque prædicatio frustraretur effectu.

f Gloss. ibi.

26 Et ait Gloss. acutè discurrisse: [f] *Excogitavit, ut virum Dei deciperet, satis acutè agens*. Quasi certò deprehenderet, cùm primùm Propheta præceptum sibi impositum, violasset, per unam tantùm panis bucellam illico ejus prædicationem, licèt miraculis confirmatam, falsam, ac frivolam reputandam, regemque persuasum iri ad idololatriam non deserendam. Unde addit Gloss. *Ut dum transgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret, sicut posteà fecit, & per hoc monstraretur esse falsa, quæ prædixit, sicque regi persuadere posset, sicut fecit*.

g 3. Reg. 13.33.

27 Respondit autem stratagema optatis tam benè, ut postquam Scriptura narravit peccatum prophetæ, ejusque pœnam, hoc est, mortem à leone illatam, statim addiderit: [g] *Post verba hæc non est reversus Ieroboam de via sua pessima*. Hoc est permansit in sua idololatria nihili faciens prædicationem tot miraculis illustratam, postquam illam vidit quasi deturpatam per peccatum prædicatoris. Quapropter si bonus Parochus vult, quòd ejus doctrina, exhortationes, reprehensiones, & consilia salutaria prosint plebi suæ, ita vivat, ita præeat exemplo vitæ, & laudabilis conversationis, ut vita, & mores non reprehendant doctrinam, quia solùm verbum sanum, & irreprehensibile movet, & persuadet.

CAPUT QUARTUM.

Parochus exemplo vitæ destitutus oves suas ad interitum deducit.

a Cantipra. lib. 1. c. 8.

Placet auspicari hoc caput à tremendo exemplo satis accommodato ad rem præsentem. [a] Quidam sacerdos Parisiis prędicaturus in synodo diœcesana valde angebatur circa dicenda in tot Pastorum, ac Parochorum conventu, cui diabolus apparens ait: Quid angustiaris istis clericis prædicare? Dices eis istud, & non aliud: Principes infernalium tenebrarum Principes Ecclesiarum salutant: læti nos omnes gratias referimus eisdem, quia cum ipsis pręlatis nobis eorum subditi devolvuntur, vel offeruntur, & per eorum negligentiam, & pravum exemplum ad nos ferè pariter devolvitur totus mundus: invitus tibi dico, quod dico, addit diabolus, sed Altissimi jussione coactus. Respondit sacerdos: Mihi quidem, si hæc narravero, non credent. Tunc diabolus tangens maxillam ejus: Ecce, ait, signum nigredo insolita faciei, hanc antequam prædices, non contingas, quia frustrà, post prædicationem aqua benedicta delebis. Processit sacerdos prædicaturus, & admirantibus cunctis in signo indito faciei, illa, quæ sibi jussa erant, recitavit, & ad horrorem maximum cunctorum corda permovit. 28

b Lib. 12. c. 6.

29 Addo aliud ex Cesareo. [b] Erat, inquit, in quadam villa sacerdos quidem miserrimus, luxurię, & comessationibus vacans, animasque sibi commissas omninò negligens, qui cùm mortuus fuisset, Parochiani sub eo defuncti, saxis comprehensis, in locis infernalibus illum arctare cœperunt, & dicere: Tibi commissi fuimus, tu nos neglexisti, & cùm peccaremus, neque verbo, neque exemplo nos revocasti: tu occasio nostrę damnationis fuisti. Quem cùm agitarent, lapides post eum mittendo, ille in puteum cadens, nusquam comparuit. Hęc cuidam Religioso de illo sunt ostensa. Ex quo exemplo vides quantùm noceat populis & Parochus mutus, qui verbo prędicationis oves suas non docet viam salutis, de quo lib. precedenti, & malum ipsius exemplum, quo easdem ducit ad damnationem.

30 Et

Digitized by Google

30 Et quidem nihil magis movet ad malum, quàm pravum exemplum majorum, maximè Pastorum, juxta illud: [c] *Qualis rector civitatis, tales & habitantes in ea*. Ideò Apostolus tam seriò commendabat animarum Rectoribus bonæ vitæ exemplum: [d] *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum*. Aug. [e] *An frustrà dictum est servo Dei, in omnibus te ipsum præbe exemplum?* Quasi diceret: Non fuit frustrà, sed multo à consilio, quia benè sciebat Paulus, quàm perniciosum esset plebi pravum Pastoris exemplum. Aug. *Attendendo enim ovis fortis etiam plerumque Præpositum suum malè viventem, incipit dicere in corde suo: Si Præpositus meus ita vivit, quis ego sum, qui non faciam, quod ille facit*. Notetur autem ita discurrere non quamcumque ovem, sed fortem in benè operando, quia licèt talis sit, pravum Pastoris exemplum debilem illam reddit, & ignavam; & si hoc in fortibus, quid non operabitur in debilibus, & ignavis?

c Eccl. 10. 2.
d Ad Tit. 2.
e Aug. lib. de pastoribus. c. 4.

31 Hinc in Levit. dicitur: [f] *Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino*. Ubi duo notanda sunt cum Origen. Primum, peccato sacerdotis annexum esse populi peccatum: [g] *Quasi necesse sit, ut sacerdos peccans in eandem perniciem populum suum trahat*. Secundum. Quòd eadem victima jubetur offerri pro peccato totius populi, ac pro peccato solius sacerdotis. Nam statim additur in textu: *Si omnis turba fecerit, quod contra voluntatem Domini est, offeret pro peccato suo vitulum*. Origen. *Scilicet quia idem utrumque peccatum reputatur*. Quasi eadem sit gravitas in peccato solius sacerdotis, ac in totius plebis, ob commune damnum communitatis invitatæ ad peccandum ex malo sacerdotis exemplo. Unde meritò dixit S. Greg. [h] *Nullum majus præjudicium, quàm à sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui peccata aliorum compescere debuimus*.

f Levit. 4. 3
g Orig. ibi.
h Hom. 12. in Luc.

32 Inde peccatum Pastoris maximè punitur. Pastor populi erat Moyses, & aliquando dubitavit de Dei promissione circa aquam è petra eliciendam. [i] *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Mirum est, quàm se Deus præbuerit offensum per hoc dubium, & quàm graviter Moysem punierit; plena est Scriptura. Mirandum tamen non est, quia fuit peccatum Pastoris, quod subditis occasio fuit committendi alia majora. Chrysost. [l] *Ejus incredulitas multorum ruina fuit, quia excusare poterant incredulitates suas*. Quid non auderet populus contra fidem Deo debitam, Pastore suo dubitante? Videtur enim subditus aliqualem habere excusationem, si Pastorem suum imitetur. Nam etiam Christus Dominus ad excusandos suos discipulos à calumnia Judæorum, quia causa famis evellebant spicas die Sabbati, nihil aliud fecit, quàm allegare duo exempla Regis, & sacerdotum, qui idem penè fecerant in simili necessitate: [m] *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant?* Et infrà: *Non legistis in lege, quia Sabbatis sacerdotes in templo Sabbatum violant, & sine crimine sunt?* Quasi excusarentur, quia faciebant, quod fecerat Pastor populi ecclesiasticus, & sæcularis. Aug. [n] *Notandum de eo, quod illicitè factum videretur Iudæis, unum exemplum datum regiæ potestatis de David, alterum sacerdotis de his, qui per ministerium templi sabbata violant, ut multò minus ad ipsum evulsarum Sabbato spicarum crimen pertineat*. Quando enim præcedit Pastoris exemplum, statim subditi licere sibi putant, quod aliàs prohibitum est, & detestandum.

i Num. 20. 10.
l Hom. 3. in Act.
m Matth. 12. 3.
n Q. 13. Matth.

33 Unde satis patet nocivum valde esse Pastoris peccatum, quod satis declarat allegoria S. Greg. ad illud Jobi: [o] *Filiis tuis & filiabus vescentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, domus oppressit liberos tuos, & mortui sunt*. Qui observat tunc solùm periisse, quando comedebant in domo senioris, non autem quando in domibus aliorum fratrum vescebantur. Greg. [p] *Dum ergo in majoris fratris domo convivantur, pereunt, quia tunc contra nos hostis vehementius vires accipit, quando & ipsos, qui pro custodia, & disciplina prælati sunt, ventri servire cognoscit*.

o Job. 1. 18.
p 2. Mor. 16.

34 Jam verò si seniores, & Pastores eruditione polleant, & doctrina rerum divinarum, eorum exemplum non solùm cum efficacia, sed etiam cum violentia in perditionem ducit. Scribens Oseas quomodo tribus Israel ruebant ad idololatriam, quando videbant aliquod simile peccatum in tribu Juda,

ait:

q Oseas 4. 19. ait: [q] *Ligavit eum spiritus in alis suis*. Vel ut legit Biblia regia juxta Septuag. *Ligavit turbo*. Et sensus est, sicut aviculæ celerius volant, quando vehemens ventus volantes invenit: ita tribus Israel volabant ad idololatriam, quando videbant tribum Juda doctam in lege in eamdem prolabi. D. Cyril. [r] *Aves, cùm ventus non solùm impellit, sed velut violentia sua cogit, celerius volant: sic videbas Israel Iudam lege eruditum eodem idololatriæ crimine teneri, & ita factum est, ut celerius discederet à Deo Israel.* Non habet ventus vehementissimus majorem vim ad aviculas secum rapiendas, quam pravum exemplum Pastorum maximè doctiorum ad rapiendum populum ad malum.

r Apud Velazq. t. 1. pag. 251.

35 Huc pertinet illud Chrysost. de sacerdotibus sui temporis: [f] *En nos sumus causa, nos, inquam, ut illi in errore permaneant. Iampridem doctrinam suam damnassent, & nostram approbassent, nisi vita nostra retraherentur: verbis philosophari perfacile est, sed requirunt operum probationem.* Sacerdotes itaque, maximè Pastores, sunt causæ ruinæ populorum: si Christiana plebs in pejus ruit, id præcipuè adscribendum exemplo ecclesiasticorum: quid faciet populus rudis, & indoctus, si ejus Pastores docti, & instructi in lege Domini pravis exemplis retrahunt à benè vivendo?

f Hom. 71. in Ioan.

36 Quare si bonus Parochus Parœciam suam reformari cupit, se ipsum reformet, præluceat exemplo vitæ honestæ, & laudabilis. Consideret illud Isai. [t] *Vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Confitetur Propheta de se idem vitium, quo totus popolus tenebatur, & tamen Seraphim de solo curat sanando Propheta. *Et volavit ad me unus de Seraphim, & in manu ejus calculus, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, peccatum tuum mundabitur.* Cur, quæso, Seraphim solùm cogitat de purificando Propheta, cùm totus populus eadem indigeret purificatione? Pina. [u] *Non immeritò, nam Propheta labiis purificatis totius populi ora mundari necesse erat.* Ita quidem est. Unde si Parochus plebem suam purificari optat, purificet se ipsum, quia sicut ejus pravum exemplum plerosque ducit ad interitum, ita bonum perducit ad vitam, vitamque æternam. In hoc sensu locutus est Apostolus, cùm dixit: [x] *Nemo nostrùm sibi vivit.* Cujus sententiæ sensus est juxta Aug. Nemo sive bonus, sive malus sibi tantùm vivit. Quia bonus sibi vivit, comparando sibi merita: & vivit aliis deducendo illos in Deum per bonæ vitæ exempla. Malus verò sibi vivit, operando sibi damnationem, & vivit aliis, eos pestifero vitæ exemplo inficiendo. Naz. [z] *Nemo est, qui sibi solùm vivat, neque bonus, neque malus, sed quemadmodum hic aer, ejus quod fortè attraxit, vel fragrantiam, vel fœtorem acquirit, sic nos quàm celerrimè tales evadimus, quales sunt proximi nostri.* Sunt quidem sancta exempla, maximè Pastorum, odor Christi suavissimus, ut dicebat Apostol. [a] sicut autem odor non sistit in corpore odorifero, sed inde diffunditur, omnesque, ad quos pertingit, recreat, & confortat: ita bonum exemplum, seu odor quidem Christi diffunditur, confortatque, & promovet omnes, à quibus videtur, & scitur. Econtrà verò, sicut fœtor etiam extenditur, & nocet omnibus, quos tangit, ita pravum exemplum non sistit in operante, sed percutit omnes, à quibus videtur, & noscitur, & tamquam odor pestilens omnes inficit, ac disponit ad mortem.

t Isai. 6.5.

u Pina ibi.

x Rom. 14. 7.

z Orat. de Episc.

a 2. Cor. 2. 15.

37 Unde nemo sibi tantùm vivit: vivimus enim & nobis, & proximis, cum ea tamen differentia, de qua dictum est. Aug. [b] *Nemo se circumveniat, fratres charissimi: Nullus sibi solummodo vivit. Quantoscumque aliquis exemplo sanctæ vitæ ædificaverit, cum tantis & pro tantis mercedem beatæ retributionis accipiet, & quantiscumque exempla mala conversationis, etiam si ea non sequantur, præbuerit, pro tantis se malis rationem noverit redditurum.* Concludit Chrysost. [c] *Itaque horum nos pœnas dabimus, non solùm eorum, quæ ipsi commisimus, sed quorum authores fuimus, ut nomen Dei blasphemaretur.* Quæ omnia à fortiori vera sunt de Pastorum exemplis, utpote quæ pluribus vel prosunt, vel nocent.

b Ser. 163. de temp. 10.

c Hom. 71. in Ioa.

38 Concludamus cum D. Greg. de Pastoribus loquente: *Sunt nonnulli, qui quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit, ut cùm Pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Hinc namque per Prophetam Dominus contra contemptibilem Pastorum scientiam queritur, dicens: Cùm ipsi limpidissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis, oves meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant,* pasce-

d 1. Past. 2.

pascebamtur, & quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant. Aquam quippe limpidissimam Pastores bibunt, cùm fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt: sed eamdem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia malè vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cùm subjecti quique non sectantur verba, quæ audiunt, sed sola, quæ conspiciunt, opera pravitatis imitantur. Qui cùm dicta sitiunt, & per opera pervertuntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc quoque scriptum est: Laqueus ruina populi mei sacerdotes mali. Hinc rursus de sacerdotibus malis: Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis. Nemo quippe ampliùs in Ecclesia nocet, quàm qui perversè agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet: delinquentem enim hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Hæc Greg. satis ad rem præsentem.

CAPUT QUINTUM.

Parochus universali omnium virtutum exemplo plebi suæ prælucere debet.

39 DIximus de obligatione, quam habet Parochus pascendi oves suas sanctæ conversationis exemplo. Quàm facilè per illud eas deducet ad æternæ gloriæ pascua. Quàm parum sine illo proficiet, imò & quantum nocebit. Superest videre in quibus debeat hoc exemplum elucere. Et quidem in hoc capite ostendam universale virtutum exemplum in Parocho postulari, descensurus postea ad particulares materias, in quibus magis postulatur.

40 Et quidem Apostolus generale exemplum in quacumque materia postulat. Unde ad Titum: [a] *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* Ac si dicat: Esto exemplar omnium virtutum, & typus, quem omnes imitari possint, omnium sanctorum operum. D. Greg. [b] *In tuis actibus plebi exempla bonè vivendi existant.* Eodem ferè modo scribit Paulus ad Timoth. [c] *Esto exemplum fidelium.* Non in una vel altera materia, sed in omnibus: in omnibus vitæ tuæ actionibus, in omni vivendi consuetudine, ita ut nulla in te observetur actio, quæ non valeat esse doctrina fidelium.

41 Ad Corinthios: [d] *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* Ubi loquitur cum prædicatoribus Euangelii, quorum officium erat proximos ad fidem ac pietatem promovere, in quorum loco hodie sunt Doctores, & prædicatores, maximè verò Episcopi, & Parochi, à quibus postulat, ut nullam dent offensionem. Quasi dicat: Caveant, ne cui scandalum præbeant, caveant ne vita licentiori quis offensus viam salutis suscipere, aut in ea progredi recuset. Nam aliàs vituperabitur ministerium, quia dum exhortando, consulendo, aut reprehendendo fideles ad salutem pellicere satagunt, ab eadem per prava vitæ exempla revocabunt, quod cedet in vituperium ministerii.

42 Præterea idem Apost. de Episcopo, & idem est de Parocho, cujus idem est onus, & munus docendi, & pascendi, licèt circa pauciores personas, ut ibi notat Cornel. ait: [e] *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Ac si dicat: Episcopus, & Parochus non tantùm carere debet vitio, quod notari, & reprehendi possit, sed virtutibus omnibus ornari debet. Hieron. [f] *Omnes virtutes uno sermone comprehendit, & penè rem contra naturam exigit: quis enim ille est, qui absque vitio, & reprehensione vivat?* Unde Naz. *Vitium in Episcopo est non quàm optimum esse.* Quia, ut benè Plutarchus: [g] *Sunt principes tam sacri, quàm profani instar lucentium gemmarum, atque adeò si quis in illis nævus appæret, detractioni patet & calumniæ.*

43 Theophyl. [h] *Præsidem, ac Principem velut stellam, & illuminatricem decet esse, ut ad ipsum omnes defigentes oculos illustrentur, atque ducantur in viam rectam.* Et Chrysost. [i] *Eum, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis cæteros velut stellas suo fulgore obscuret: oportet Angelum esse nulli humanæ perturbationi, vitiove subjectum.* Et intrà: *Idcircò nos Dominus elegit, ut simus quasi luminaria, & velut firmamentum evadamus, ut magistri cæterorum efficiamur, ut veluti Angeli cum hominibus versemur in terris, tamquam viri cum infantibus pueris, quasi spirituales cum animalibus, ut ex nostro contubernio ingentia illi lucra conquirant.* Et alibi docet Episcopum, & Parochum debere esse in populo quasi Angelum inter homines, & quasi pastorem inter oves mu-

tas,

a Ad Tit. 2. 7.
b Greg.
c Timoth. 4. 12.
d 2. Cor. 6. 3.
e 1. Timot. 3. 2.
f Epist. ad Ocean.
g De doct. Princip.
h Ad 1. cap. Timot.
i Hom. 10. ad Timot.

Digitized by Google

tas, & omnino irrationales, tantùmque ratione, & virtute populum debere antecellere, quantùm homo bruta antecellit: Bern. [l] *Considera oportere te esse formam justitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, assertorem veritatis, fidei defensorem, doctorem gentium, Christianorum ducem, amicum sponsi, sponsæ paranymphum, pastorem plebis, magistrum insipientium, refugium oppressorum*. Hæc Bern. de Pastore animarum.

l 4. De considerat. c. 11.

43 Alibi idem Apostol. [m] *Oportet Episcopum sine crimine esse*. Hoc est, sine aliquo ex gravioribus, quæ simpliciter crimina dicuntur: quia non est dominus, sed œconomus, & administrator domus Dei, quæ est Ecclesia: ipse ergo vitæ suæ integritate Ecclesiæ quasi sol prælucere debet, quia in illum omnium intenti sunt oculi. Dixit autem oportere sine crimine esse, non sine defectu, quoniam impossibile est, quòd aliquis in hac vita non habeat aliquos defectus saltem leves, quæ crimina non dicuntur, cùm ille sit optimus, qui minimis urgetur.

m Ad Tit. 1. 7.

44 Hoc etiam universale exemplum postulant sacri Canones, ut videre est in toto titulo de vita, & honestate clericorum, & sæpè alibi. Pro omnibus sufficiat decretum Concilii Trid. quod licèt procedat de omnibus clericis, ad Pastores animarum præcipuè pertinet, in quos potissimum plebes oculos conjiciunt, ad eorumque exemplum vitam suam, & mores componunt. Decretum ita habet: [n] *Nihil est, quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur: in eos tamquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nihil, nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cùm igitur quò majore in Ecclesia Dei & utilitate, & ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit sancta Synodus, ut quæ aliàs à summis Pontificibus, & sacris Conciliis de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiosè, ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum eisdem pœnis, vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis observentur, nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat. Si quæ verò ex iis in desuetudinem abiisse compererint, ea quàm primùm in usum revocari, & ab omnibus accuratè custodiri studeant, non obstantibus consuetudinibus quibuscumque, ne subditorum neglectæ emendationis ipsi condignas Deo vindice pœnas persolvant*. Hucusque decretum Concilii.

n Sess. 22. c. 1. de ref.

CAPUT SEXTUM.

Parochus præluceat castitatis exemplo.

45 Licèt Parochus universali omnium virtutum exemplo in omnibus materiis lucere debeat, specialiter sollicitum esse oportet de castitatis exemplo. Ideo enim Apostol. illud specialiter petit à suo Timotheo, Tito, & Corinthiis locis suprà allegatis, in quibus post generale, speciatim de exemplo castitatis meminit. Quia sine hoc nihil illustre faciet vel in Dei gloriam, vel in animarum utilitatem. Nam castitas est illa zona aurea, quâ [a] Joannes vidit præcinctum ad mamillas similem filio hominis, per quem lib. 1. cap. 10. diximus significari sacerdotem, maximè animarum Rectorem. Quia parum prodessent ubera, sive lac doctrinæ ex mamillis expressum, ad alendos spirituales filios suæ curæ commissos, nisi ornarentur hac aurea castitatis zona, quæ lac doctrinæ valdè commendabile reddit, illudque propinat ut dulce, ac suave, prædicationisque fructus promittit uberrimos.

a Apoc. 1. 13.

46 Dicitur autem castitas *Zona*, quia carnis concupiscentias comprimit, omnesque sensuum cogitationes, ac defluentia desideria constringit. Dicitur verò *aurea* propter fulgorem, pulchritudinem, & pretium. Sicut enim aurum inter metalla excedit in fulgore, & valore, ita castitas inter virtutes morales, de qua proinde eleganter Cypr. [b] *Honor est corporum, ornamentum morum, sanctitas sexuum, hostis immunditiæ, lorica pudoris, pronuba sanctitatis, repudium turpitudinis, abolitio scandalorum, pax virtutum, mater innocentiæ, dilectionis parens*,

b Ser. de pud. c.

Digitized by Google

renus, quæ soli Deo placere cupit. Hæc aurea castitatis zona primum est ornamentum sacerdotii, hæc fascia pectoralis, cujus numquam oblivisci debent sacerdotes, ne decore sui status amisso inter Christi fideles probrosè vivant: hoc est præclarum cingulum dilectum Deo, &

c Prov. 22. 1.

hominibus faciens sacerdotem: [c] *Qui enim diligit munditiem, habebit amicum Regem*.

47 Curandum igitur est sacerdoti, solicitè insistendum animarum Rectori, ne præclara hæc zona tetro aliquo inficiatur odore, aut fumo sinistræ opinionis: vigilandum, ne aliquo nævo ejus fulgor obscuretur, hoc est, ne quæsita, aut incauta conversatione castitatis periclitetur, de quo latius dictum est lib. 1. cap. 20. innitendum, ne vestis ista polymita ornamentum, & decus sacerdotii, quæ reddit similes Deo in gloria sanctorum, macula aliqua aspergatur. Multæ autem suppetunt rationes, quæ nostro Parocho hanc castitatis zonam persuadent.

48 Prima est generalis ratione sacerdotii, quod omnem postulat munditiem,

d Isai. 52. 11.

juxta illud: [d] *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Si enim Deus mundos, & puros volebat sacerdotes legis veteris, ut dignè tractarent vasa templi, quæ solam sanctitatem legalem, & cæremonialem habebant, quantò magis castos, & puros volet esse sacerdotes, qui non solùm tractant electissima vasa sanguinem Christi continentia, sed ipsummet sanguinem agni immaculati, ejusque sanctissimum Corpus, & Divinitatem. Mundentur igitur per castitatis sanctificationem: non enim eos Deus vocavit in immunditiam, ut loquitur Apostolus,

e 1. Thess. 4. 7.

[e] sed in sanctificationem, ut sancti sint per castitatem, quæ in Scriptura sanctitas nominatur, ut observant Patres.

f Ser. 37. ad fratres.

49 Aug. [f] *O sacerdotes, si anima cujuslibet justi sedes est Dei, multò magis sedes & templum Dei vos esse debetis mundum, & immaculatum: si sepulchrum ejus gloriosum est, in quo corpus ejus jacuit exanime, multò gloriosiora & digniora debent esse corpora vestra, quæ à mortuis suscitatus quotidie inhabitare dignatur: si beatus est venter, qui novem mensibus Christum portavit, & beata debent esse corda eorum, in quibus quotidie hospitium eligit Filius Dei: si beata sunt ubera, quæ parvulus suxit, beatum debet esse os, quod carnem ejus sumit, & sanguinem sugit. Carnes ergo vestras cum timore ejus configite, & vobis diligenter providete, ne lingua, quæ vocat de Cœlo Filium Dei, contra ipsum Dominum loquatur; & ne manus, quæ impinguntur sanguine Christi, polluantur sanguine peccatorum*.

50 Certè Christus Dominus, qui in tota sua vita paupertatem, humilitatemque amavit, Sacramentum Corporis, ac Sanguinis sui celebraturus, cœnaculum magnum, mundum, & stratum elegit, ut significaret mundissimo Sacramento non nisi mundum, ac nitidum hospitium convenire. Quomodo igitur venerabile Sacramentum tractare auserint sacerdotes, qui fortè: [g] *Quasi jumenta computruerunt in stercore suo?*

g Ioel. 1. 17.

Similiter corpori suo defuncto sepulchrum voluit ita mundum, ut in eo cadaver nullum, nulla mortuorum corruptio, ac nullus malus odor extiterit, quia mundissimo Christi Corpori pura, & munda debebatur habitatio. Quid de sacerdote, qui Christi vivi, & jam gloriosi quotidiana habitatio esse solet?

51 [h] *Homo de semine Aaron, qui habuerit maculam, non offerat panes, nec si scabiem, aut impetiginem habet in corpore, nec intra velum ingrediatur, nec accedat ad altare*.

h Levit. 21. 17.

D. Greg. [i] *Scabiem habet, cui carnis petulantia, cui pruriens concupiscentia dominatur*.

i 1. p. Past. c. 11.

Talis ergo quomodo sacratissimum Panem, qui de Cœlo descendit, audebit offerre? quomodo ad totius puritatis authorem impurus cogitabit accedere? si enim scabies, quæ animam non fœdat, prohibetur à panibus figurativis offerendis, quid erit de scabie luxuriæ, quæ corpus fœdat, & animam inficit? Quomodo hac infectus scabie aptus erit ad Panem Cœli offerendum, & populo sancto Dei distribuendum?

52 Secunda ratio est. Quia Parochus est ordinarius sacerdos, cujus officium est quotidie Sacramenta fidelibus ministrare, quæ cùm sint fontes totius sanctitatis, & puritatis, eamdem postulant in ministro, qui ea destitutus gravissima sacrilegia committit, & majoribus se quotidie sceleribus innodabit. Unde Parochus suæ salutis oblitus, qui carni suæ, & simul altari inservit, nequior evadit omnibus perditissimis sæcularibus, ut benè notavit D. Thom. ad illud: [l] *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem*, dicens: *Quantò*

l Ephes. 6. 12. D. Thom. ibi.

quis

quis altior est secundùm naturam, quando convertitur ad malum, nequior & pejor est. Unde dicit Philosophus, quòd homo malus est pessimus omnium animalium. Et ideò dicit spiritualia nequitia, quia spirituales & nequissimi sunt. Loquitur de dæmonibus cum Apostolo.

53 Si igitur homo malus est pejor omnibus animantibus, quia omnes excedit in natura, & Angeli pravi sunt pejores malis hominibus, propter eamdem rationem, etiam sacerdos, cùm pervertitur, pejor est aliis malis hominibus. Et si sensualis evadat, secularium abominationes majori cum audacia committit, ita ut ipsis sæpè dæmonibus nequior existat, possitque jure optimo dici spiritualis nequitia in cœlestibus, quia è cœlesti statu suo in cœnum, & barathrum totius spurcitiæ demergitur. Caveat igitur Parochus, ne timore Dei excusso ad talem statum deveniat, in quo pessimis sæcularibus nequior sit.

54 Nam licèt impuræ voluptates in omnibus sint damnandæ, in sacerdote sunt execrandæ, & quia peccati gravitas crescit ex peccantis dignitate, & quia si semel animam illius infecerint, nec statim opportuno remedio occurratur, ita tenaciter adhærebunt, ut non sine magna difficultate repudientur: cùm enim, si ad Sacramenta puro corde accederet, purior in dies evaderet, & fortior ad impuras tentationes vincendas, vel etiam non sentiendas, hanc enim vim habent Divina Christi Sacramenta, maximè Corporis, & Sanguinis ejus, teste Bernard.[m] *Si quis vestrùm non tam sæpè modò, nec tam acerbos sentit motus iracundiæ, invidiæ, luxuriæ, & cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Qui verò indignus accedit per suam impuritatem, quotidie redditur imbecillior ad resistendum, & facilior ad labendum. Et hæc est causa cur sacerdotes in his peccatis evadant laicis deteriores, ac audaciores, quia omnis mutatio fit de contrario ad contrarium: unde qui castissimus esse debuerat ratione status, si his vitiis immergatur, pessimus evadit, id Deo permittente in pœnam audaciæ, qua impurus purissima Dei Sacramenta tractare non veretur.

m Ser. de cœna Dom.

CAPUT SEPTIMUM.

Castitatis exemplum in Parocho ratione officii specialiter necessarium.

Cap. præcedente assignavimus rationes quasi generales hujus exempli: nunc attingamus speciales. Prima sumitur ex damno populi, cui præest, cui nihil magis nocet, quàm vita obscœna sui sacerdotis, quæ lapis est offensionis, ad quem multi impingentes pereunt. Cùm enim corrupta hominis natura ad vitia carnis maximè feratur, ad ea sine fræno currit, si ea videat in suo Pastore. Quia, ut dixit Pelusiota: [a] *Natura comparatum est, ut ad ejus, qui præest, similitudinem ii, qui parent, se se effingant.* Addit Naz.[b] *Neque vel indelebilem tincturam pannus, vel fœtidum odorem res admota ita facilè contrahunt, vel exitialis quidam vapor per aerem disfunditur, ac animalia occupat, quàm subditi Antistitis improbitate celerrimè impleri solent.* Causam verò reddit Greg.[c] *Persuadent enim sibi subditi eis in primis licere, quod à suis Pastoribus fieri palam conspiciunt, & audentius id perpetrant.* 55

a Lib. 1. Epist. 205.
b In Apologetic.
c 1. p. Past. 2.

56 Quare impura vita Parochi populo suo est tamquam pestis, quem inficit, & ducit ad interitum. Nam vulgarium hominum luxuria, quasi in tenebris commissa suos solùm authores perdit: at cœnum Pastoris omnibus damnum affert tamquam halitus pestilens ad omnes diffusus. Ut enim benè Greg.[d] *In exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.* Honoratur quidem proprius sacerdos à populo, ut par est: quid sequitur, nisi ut ejus spurca vita honoretur ad imitationem. Sicut ergo si inferiora astra eclipsim paterentur, non idcirco aliæ stellæ lumen amitterent; si tamen sol, qui princeps astrorum est, lucem perderet, stellæ omnes obscurarentur: sic incontinentia sacerdotis, qui communis lux est populi, dicente Domino: [e] *Vos estis lux mundi,* ita illum obscurat, ut ad omnes ejus obscuritas diffundatur, eisque miserabiliter noceat.

d Ubi proximè.
e Matth. 5. 14.

57 Unde Amb. hoc damnum hac similitudine declarat: [f] *Sicut in corporalibus morbis capite vitiato, necesse est reliquum corpus inundatione superioris morbi lethaliter irrigari; ita & hi, qui capita videntur*

f De dign. sacerd. 5.

debent esse in Ecclesia, morbo suo fraternum vitiant corpus, ut nihil ex totius corporis compage insauciatum possit evadere, quod negligentium sacerdotum vitiositas non infecerit. Addit Aug. [f] *Omnis, qui malè vivit in conspectu illorum, quibus præpositus est, quantùm in ipso est, illos occidit: & fortè qui imitatur, moritur; & qui non imitatur, vivit; & tamen quantùm in ipso est, utrumque occidit.* Quare tot mortes committit, quot subditos scandalizat, quotque occasiones præbet peccandi, ut disertè dixit Greg. [h] *Scire Prælati debent, quòd si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot subditos ad perditionis exempla transmittunt: unde necesse est, ut tantò se cautius à culpa custodiant, quantò per prava, quæ faciunt, non soli moriuntur.* Et alibi: [i] *Quanto mundus gladio feriatur, aspicitis; quibus quotidie percussionibus intereat populus, videtis. Cujus hoc, nisi sacerdotes peccato agitur? nos peremti populo auctores mortis existimus, qui esse debemus duces ad vitam, ex nostro peccato populi turba prostrata est.*

[f] De Pastor. c. 5.

[h] Pastor. 3.

[i] Hom. 17. & 19. in Evang.

58 Secunda ratio est. Quia Parochus sine castitate est impotens ad munus suum cum fructu peragendum: cùm enim populus communiter contra illam delinquat, non erit Parocho authoritas, & fiducia reprehendendi subditos, exaggerandi vitii fœditatem, & damna, aut medendi Pœnitentibus illo infectis, ut oportet. Quomodo enim reprehendet fœditatem, qua ipse fœdatus est? Quomodo efficaciter suadebit, & obligabit ad dimittendam occasionem peccati, in qua ipse est? Quomodo negabit absolutionem indigenti hoc remedio, si ipse eodem indigens confessiones audit, & quotidie celebrat? Possunt namque pœnitentes dicere, quod supra retulimus ex Hieron. [l] *Cur ergo ea, quæ dicis, ipse non facis?* Manebit igitur miser Parochus mutus, contra peccata latrare non audens, ne contra se latrare videatur. Nam, ut benè Imperfectus: [m] *Qui non facit quæ docet, non alium docet, sed se ipsum condemnat.* Unde verissima est doctrina S. Greg. supra relata: [n] *Nullum puto majus præjudicium ab aliis, quàm à sacerdotibus tolerat Deus: quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus.* Patet ergo quàm inhabilis maneat Parochus impurus ad officium exercendum, præter alia damna insinuata cap. præcedenti.

[l] Ad Nepot.

[m] Hom. 20. in Matth.

[n] Hom. 17. in Evang.

59 Advertat autem primò, ne decipiatur existimans obscœnitates suas esse occultas, quia sicut ex putri lacuna, non nisi fœtor exhalatur, ita ex vita obscœna Pastoris non poterit odor pestilens impediri. Si enim neglecta vera, & interna cordis mundicie, externam castitatis speciem, & bonam opinionem apud vulgus conciliare velit, id non assequetur, quia nihil fictum diuturnum esse potest, nec latere diu: falsa moneta diu tractata adulterina tandem apparet: & qualis est ordo & harmonia in interna parte horologii, talis esse solet in externa sonus horarum, & index. Accedit, quia Dei judicium in primis timendum est, cui scelera nostra numquam possumus occultare.

60 Advertat secundò, non sibi satis esse, si apud Deum innocens, & castus sit, sed oportere apud homines talem apparere. Unde curandum sibi est de bona fama conservanda, quæ maximum pondus habet ad persuadendum, facilè enim fidem habemus iis, quos pios, ac probos veneramur. Et quamvis apud Deum bonam conscientiam habere oporteat, apud homines, præter illam, requiritur bona fama, secundùm Apostol. [o] *Providentes bona non solùm coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.* Ad quæ verba alludens Aug. [p] *Propter nos conscientia nostra necessaria nobis est, propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis: duæ res sunt conscientia & fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo tuo: qui confidens conscientiæ negligit famam, crudelis est. Quare crudelis? quia fama turpitudinis in sacerdote eodem modo nocet populo, ac si verà ejus sacerdos turpis esset, quia apud populum fama operatur, & opinio. Unde tanta in sacerdote debet esse integritas, ut illius nitorem non tantùm maculet ipsa peccati labes, sed omnis etiam peccati suspicio; quia authoritas illorum, qui aliis præsunt, non solùm veritate, sed etiam fama nititur; & aliquando in Rectore animarum pejor est peccati suspicio, quàm vitium latens, si hoc in illo latere potest, propter aliorum offensionem, & scandalum. Quapropter sancti animarum Pastores tantam circumspectionem habuerunt, ut à licitis etiam abstinerent, ut visum est in Paulo dicente:* [q] *Si esca scandalizat fratrem meum, non*

[o] Rom. 12. 17.

[p] De com. Vita cler.

[q] 1. Cor. 8. 13.

man-

r 1.Cor.9. 12. *manducabo carnem in aeternum. Et alibi:* [r]
Omnia sustinemus, ne quod offendiculum
demus Euangelio Christi.

CAPUT OCTAVUM.

Parochus caveat avaritiæ labem.

61 SOrdidum avaritię genus dedecus est
ordinis sacerdotalis, & valde no-
civum officio pastorali: dum enim po-
pulus videt Pastorem suum de lana, &
lacte ovium nimis solicitum, statim
credit ipsum non amare spiritualia
ovium emolumenta, sed propria tem-
poralia; unde à Pastore alienatur. Quo-
modo enim amabit, si se amari non
credit? quam fiduciam habebit in eo,
quem lucro temporali, non autem spi-
ritualibus animarum lucris inhiantem
videt? Certè Christus committens oves
a Ioa. 21. 17. lib. 4. de consi-rat. suas Petro dixit: [a] *Pasce oves meas. Pa-*
sce, non mulge, vel tonde, non quarens qua
tua sunt, sed qua Iesu Christi. Ut nota-
b 1. Timoth. 4. 12 vit Bern. Et Apostol. suo Timotheo: [b]
Esto exemplum fidelium in charitate. Cre-
dens si oves in suo Pastore charitatem
erga se non viderint, Pastorem oleum,
& operam perditurum: charitas autem
erga oves non stat cum avaritia Pasto-
ris quærentis quæ sua sunt, non au-
tem quæ sunt ovium.

62 Quàm verò detestanda sit avari-
c 1. Timot. 6. 10. tia in Parocho, inde constat, quia, [c]
d Eccles. 10. 9. *Radix omnium malorum est cupiditas.* Et [d]
Avaro nihil est scelestius. Unde sequitur
primò, sacerdotem avarum eò malitiæ
devenire, ut Sanguinem Christi sæpè
divendat: sicut enim avaria captivavit
discipulum comitem Christi, ut loqui-
tur Aug. sic captivat sacerdotem ejus
ministrum, ut Sacramenta aut vendat,
aut non ministret sine spe lucri tempo-
ralis. De quo jam olim Deus quereba-
e Malac. 1. 10. tur: [e] *Quis est in vobis, qui claudat ostia,*
& incendat altare meum gratuitò? non
est mihi voluntas in vobis. Et hodie con-
queri potest tamquam de maximo ip-
sius contemptu, & Christi persecutio-
f Ser. 1. de conver. Pauli. ne. Nam, ut ait Bern. [f] *Dati sunt sacri*
ordines in occasionem turpis lucri, & quæ-
stum æstimans pietatem: copiosissima siqui-
dem pietatis inveniuntur in suscipienda,
imò accipienda magis animarum cura, sed
hæc apud eos cura minor, & de animarum
salute novissima cogitatio est. Si vero Sal-
vatori animarum gravior ulla esse poterat
persecutio? Quod idem Bern. his verbis
deplorat: *Heu heu Domine Deus, quia ip-*
si sunt in persecutione tua primi, qui viden-
tur in Ecclesia tua primatum diligere, gere-
re principatum: ingressa est iniquitas à se-
nioribus judicibus vicariis tuis, qui viden-
tur regere populum tuum.

63 Sequitur secundò, minui reve-
rentiam, ac debitam Sacramentorum
æstimationem: [g] *Muscæ morientes perdunt* g Eccles. 10.
suavitatem unguenti; dixit Sapiens: Ubi
per muscam insatiabilis sacerdotis ava-
ritia intelligi potest; quia sicut muscæ
ex putri materia fiunt, ita avaritia ver-
satur circa terrena, quæ ut stercora [h] h Philip. 3. 10.
Paulus reputabat. Sicut ergo muscæ ca-
dentes in suave unguentum, licèt odo-
rem penitus non tollant, illum tamen
minuunt; sic avaritia sacerdotis, se
immiscens inter pretiosa Sacramento-
rum unguenta, suo fœtore reveren-
tiam, devotionem, & eorum suaveo-
lentiam quasi extenuat; de sacerdote-
que avaro intelligi potest Dei querela:
[i] *Offertis super altare meum panem pollu-* i Malac. 1. 7.
tum. Quia quantùm in ipso est, polluit
Sacramenta, & Sanguinem Christi ava-
ritia sua commaculat.

64 Sequitur tertiò, crudelitas in ava-
ro sacerdote. Est enim crudelitas ava-
ritiæ comes, ut sumitur ex Ezech. [l] l Ezech. 22. 27.
Principes ejus quasi lupi rapientes prædam ad
effundendum sanguinem, & perdendas ani-
mas, & avarè ad sectanda lucra. Et con-
firmat Chrysost. [m] *Avaritia omnes, qui* m Hom. 7. de pœnit.
ei serviunt, crudeles efficit, atque feroces.
Et alibi: *Sola avaritia tantam immanita-*
tem & feritatem in corde Iudæ proditoris
ingeneravit, ut in ipsum Christi Sanguinem
conspiraret. Ita enim indurat cor avari-
tia sacerdotis, ut nemini parcat, ne-
mini compatiatur, viduam opprimat,
pupillum invadat, pauperem aggravet,
nulli succurrat, à quo lucrum non spe-
ret. Ecce Pastor in lupum conversus,
& rapiens ab ipsis, pro quibus vitam
dare oporteret. Greg. [n] *Considerate nunc* n Hom. 7. in Euang.
quid de gregibus agatur, quando Pastores
lupi fiunt: hi enim custodiam gregis susci-
piunt, qui insidiari Dominico gregi non me-
tuunt, contra quos custodiri Dei greges de-
buerant: nulla animarum lucra quærimus,
nostris quotidie studiis vacamus; terrena
tantùm concupiscimus.

65 Sequitur quartò, retrahi fideles
à cultu Dei, ut probat avaritia filio-
rum Heli sacerdotis, de qua dicitur:
[o] *Erat ergo peccatum puerorum grande ni-* o 1. Reg. 2. 17.
mis coram Domino, quia retrahebant homi-

nes

nus à Sacrificio Domini. Cùm enim fideles videant sibi ab avaro sacerdote tolli, aut minui substantiam, contra ipsorum voluntatem, facillimè deterreantur ab illis exercitiis sanctis, in quibus ab inordinata sacerdotis cupiditate sua auferri conspiciunt, qui cùm plus quærit, quàm sibi debeatur, aut etiam cùm debita nimia aviditate conquirit, nimia exactione extorquet, à sacrificio Domini detrahuntur, sicut Hebræi propter irreligiosam avaritiam sacerdotis. Unde duo mala facit sacerdos avarus; & Dei servitium impedit, & sua lucra consequenter imminuit, dum ea per avaritiam augere studet.

66 Sequitur quintò, aditum omnibus virtutibus præcludere, ut benè
p Epist. 23. Petrus Dam. [p] qui avaritiam sanctitatis virus, & lepram appellat, aitque non benè convenire, neque in eadem sede morari Christum, & Mammo-
q Matth. 6. 24. nam, ut prius dixerat Christus: [q] *Non potestis Deo servire, & Mammonæ*. Quarebenè Hieron. ad Nepot. Parochum:
r Ad Nepot. [r] *Ne lucra sæculi in Christi militia quæras, nec plus habeas sacerdos, quàm cùm clericus esse cœpisti: negotiatorem clericum, & ex inope divitem factum, quasi quandam pestem fuge: ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis*. Quapropter bonus Parochus hanc pestem fugiat, quæ tamquam tabes ex inferni palude in Ecclesiasticos derivatur, ut eos in eamdem demergat; præluceat exemplo charitatis amando spiritualia lucra ovium suarum, non autem sua propria temporalia.

67 Ideo caveat primò, ne ea, quæ fideles ex sua devotione offerunt, velit quasi debita extorquere; nec eos arguat, si non offerantur. Caveat secundò, ne pro administratione Sacramentorum aliquid petat, procuret, aut recipiat, quia est grave simoniæ crimen, sciatque talem pecuniam futuram in perditionem illius, qui existimavit donum Dei pecunia possidendum, ut di-
s Act. 8. 20. xit S. Petrus. [s] Nihil enim tam iniquum, quàm Sacramenta venalia habere, & Christi sanguinem gratis, & liberaliter effusum, pretio communicare.

68 Caveat tertiò, ne Defunctorum hæredes, aut testamentarios majoribus gravet oneribus, aut cogat ad majores sumptus, quam æquitas postulet, aut eorum conditio ferat, vel decretis Episcopi sancitum fuerit; quia id erit aliena rapere, invito domino, & imitari peccatum [t] filiorum Heli, qui non con- t 1. Reg. 2.
tenti parte hostiæ immolatæ, quæ sibi ex divina institutione pertinebat, per vim rapiebant, quod sibi non debebatur. Audiat Deum per Jerem. [u] *Væ Pastoribus, qui dilacerant gregem*. u Jerem. 23. 1.

69 Caveat quartò, ne in exigendis emolumentis, quæ sibi debentur, se nimis anxium, aut litigiosum ostendat, quia id magis est mercatoris, quàm sacerdotis: qui ab omni avaritiæ specie alienus esse debet: & omnis nimia solicitudo lucri etiam justi, in omnibus turpis est, in sacerdote verò turpissima: sciat amore potiùs, quàm rigore benevolentiam, imò & propriam utilitatem conciliandam esse; nec solùm esse avarum, qui rapit aliena, sed illum quoque, qui servat sua, ut egregiè dixit Augustinus. [x] x Ser. 196.

70 Caveat quintò, ne cupiditate lucri plura onera Missarum in se suscipiat, quibus satisfacere commodè non possit; quia hæc avaritia execranda est. Primò, quia gravissima se furti culpa implicat, dum mercedem recipiens, debitam operam non impendit. Secundò, quia animas Purgatorii defraudat suffragiis sibi admodum necessariis ad evadendas gravissimas pœnas, quarum libertatem sponte protrahit, quod est gravissimum nocumentum animabus injustè, & impiè illatum. Tertiò, quia estò sacerdos pœnitentia ductus stipendia restituat, vel post se relinquat, qui prædictis oneribus satisfaciat, non poterit compensare damnum animabus illatum acerbissimarum pœnarum, nisi easdem per multum tempus tolerando. Sed de his aliquid dictum est lib. 4. cap. 19. Et iterum dicetur lib. 12. cùm de cura Parochi erga Defunctos actum fuerit.

71 Caveat sextò, ne sit infidelis in faciendis restitutionibus, quæ sibi fortè secretò faciendæ committuntur: nam ultra quod peccatum injustitiæ, & infidelitatis admittat, semperque ipse ad restituendum obligetur, id tandem non ita occultabitur, ut non veniat ad notitiam Parochianorum, apud quos infidelis semel deprehensus fidem amittet, indeque cum eisdem parùm, vel nihil proficiet. Et generaliter fugiat omnem famam avaritiæ, quæ Pastorem maximè dehonestat, ac inhabilem reddit ad spiritualia animarum lucra pro-

procuranda, de quibus præcipuè curare debet.

CAPUT NONUM.

Caveat Parochus turpe lucrum.

72 Solet avaritia clericos ad turpe lucrum quandoque impellere. Dicitur autem turpe lucrum, quod comparatur per negotiationem, aut vile, & sordidum artificium clericis specialiter interdictum per sacros Canones, quod Parocho à fortiori interdictum est eisdem sacris Canonibus. Sciat igitur Parochus, & quilibet alius clericus non posse se negotiari, & mercaturam exercere lucri causa, ut constat ex cap. negotiatio, d. 88. Et cap. secundum. Ne clerici, vel monachi, in quo decernitur, ut id facientes excommunicentur. Et cap. sed nec, eod. tit. in quo præcipitur, ut suspendantur ab officio ecclesiastico, & cap. clericus, d. 94. Ubi imponitur depositionis pœna. Et cap. Canonum. 14. q. 4. Ubi jubetur, ut excludantur à clericali consortio, de quo argumento latè Doctores. [a]

73 Advertant autem talem prohibitionem intelligi de negotiatione per quemcumque contractum, sive emptionis, venditionis, vel etiam conductionis, ut si conducant possessiones propter cupiditatem habendi. cap. 1. Ne clerici vel monachi. Nam negotiatio est, cùm quis rem aliquam comparat eo animo, ut integram, & non mutatam vendendo lucretur. cap. Ejiciens, d. 88. Ubi illud, *vendendo*, accipitur generatim, ut etiam permutationem, & quemlibet alium contractum comprehendat, ut notant Doctores. [b]

74 Ex prohibitione autem adeò severa colligunt Doctores peccare mortaliter clericos in sacris constitutos, si multùm negotiationi dent operam. Ratio verò, cur Ecclesia tam severè id prohibuerit; est, & quia valde indecorum est clericos Divino cultui destinatos, lucris temporalibus captandis incumbere; & quia res valde occupat animum, à spiritualibus avocat, & quia est plena periculis perjuriorum, fraudum, ac injustitiarum, ut sumitur ex illo Apostoli: [c] *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas.*

75 Nota tamen primò, non peccare clericos negotiando causa necessitatis, ut se, suosque alant; si aliunde non habeant, unde vivant, & bona Ecclesiæ ad eorum victum, & vestitum non sufficiant. Quia tunc cessat prohibitio, quæ sola extenditur ad negotiationem factam causa lucri. In dubio tamen negotiatio præsumitur facta causa cupiditatis & lucri, nisi necessitas probetur, ut advertunt Doctores [d] communiter, quos videre licebit. Nota secundò, non peccaturos mortaliter, si semel, aut iterum negotiationi dent operam, ut etiam notant Doctores. [e] Ratio esse potest, quia semel, aut iterum negotiari, videtur materia levis. Caveat tamen noster Parochus, ut nec semel de hoc exemplum præbeat, quia si vel semel reputetur negotiator, difficilè opinionem exuet, illamve umquam deponet. Nota tertiò, communiter Doctores excusare à peccato clericos negotiantes per alios, qui totam industriam præstent, ut si pecuniam in societate mercatorum depositam habeant; quia tunc videtur cessare ratio prohibitionis, quia solùm videtur prohibitum negotiari per se. [f] Less. tamen meritò ait videri hoc parum decorum statui ecclesiastico, ideoque non faciendum, nisi aliqua justa causa excuset. Quod etiam approbat Barbosa, quatenus ex hoc capite negotiationem excusantes, ait requirere justam causam. Et postea relatis aliquibus, qui dicunt non licere clericis negotiari per alios, dicit: Sed eorum opinionem existimo procedere eo casu, quo clerici questui potissimum anhelantes negotiationem per alium exercent, secùs verò dicendum, ubi negotiatio per modum alicujus liciti artificii exercetur, & nullum avaritiæ, vel ambitionis vitium in clericis notari potest, in quibus terminis sunt intelligendi Doctores, qui dicunt hoc licere. Ita Barbosa.

76 Nota quartò, non peccare clericum, nec incurrere crimen negotiationis, qui emit pertinentia ad se, suamque familiam sustentandam, pro toto anno, si postea præter intentionem empta supersint, vel ex diminutione familiæ, vel ex quacumque alia ratione, illaque divenderet pretio tunc currenti, etiam cariori, quàm emit, ut omnes concedunt. Nota quintò, non esse

a Rebel. 2. p. lib. 9. q. ult. sect. 2. à n. 4. Dian. tr. de contract. resol. 72. Barb. de Paroch. c. 6. à n. 37.

b Less. lib. 2. c. 21. dub. 1.

c 1. Timot. 6. 9.

d Barb. cū aliis supr.

e Dian. supra. Barb. sup.

f Less. sup. n. 6. Barb. n. 43.

g Barb. supra. se g negotiationem clerico peccaminosam locare prædia sua, vendere animalia sua, ut oves, boves, & similia, si illa habeat ex decimis, aut successione: nec si habens multa pascua, emat eadem animalia, quæ pascua depascant, ad sustentationem sui, & familiæ suæ, ut communiter docent Doctores supra citati, aliique communiter. Nota sextò, idem h fore dicendum de illo clerico, qui proprios agros coleret, ut fructus venderet: ligna, lapides, & metalla ex suis fundis cæderet, vel erueret, sive ea mutet in aliam speciem, sive non. Item de illo, qui greges in suis pascuis aleret, ut ex fœtu, lacte, & lana pecuniam conficiat; aut qui ipsa animalia adulta, & saginata vendit. Nam omnia hæc sunt fructus, vel quasi fructus agrorum suorum, nec redolent crimen negotiationis. Nota septimò, non esse negotiationem peccaminosam, si clericus vendat vinum suum, oleum, triticum, & similia, sive ea habeat ex decimis, sive ex propriis agris, estò vendat per minuta, si de eo non fuerit aliqua prohibitio Episcopi, quæ servanda omninò erit, quamvis hoc facere per se ipsum non videatur carere indecentia.

h Barb. cum aliis.

77 Sciat etiam Parochus, & quilibet clericus ab omni sordido, & vili quæstu debere se abstinere, sicut à quolibet ignominioso artificio. Si verò non suppetant ex sacerdotio, quibus congruenter vivat, poterit i aliquo honesto artificiolo victum quærere. Sicut Apostoli, qui laborabant manibus suis, ne fideles gravarent, ut constat ex Act. Apostolorum, & epistolis Pauli. Et D. Antonius colebat terram, & texebat fiscellas, idemque faciebant monachi in eremo. Unde permissum est Parocho & clerico, maximè quibus Ecclesia non sufficit, exercere opera rusticalia, ut canistra viminibus texere, seminare, rigare, serere arbores fructuosas, agrestibus surculos inserere, apum alvearia fabricare, retia texere pro capiendis piscibus; vineas proprias putare, vel fodere, domus suas reficere, & alia hujusmodi. Cap. Presbyter. Cap. clericis victum, d. 91. dummodo tamen non impediantur munera, quibus incumbere debent ratione ordinis, aut officii.

i Barb. ib.

CAPUT X.

Caveat Parochus alia, quæ in jure canonico clericis prohibentur.

78 PRohibentur clerici, & à fortiori Parochi mimis, joculatoribus, & histrionibus intendere: scurrilibus, aut joculatoriis verbis, vel adulationibus inservire, aut vacare: maledicere, detrahere, vel calumniare maximè in sacerdotes: risus, & fabulas vanas, ac tumultus in concessu, & Ecclesia vitare monentur, aut indiscretis vocibus perstrepere, vel obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere: & his similia, quibus vituperari possit eorum ministerium, prohibentur per varios textus adductos à Barbosa. a Qui verò joculatores, aut gogliardos se faciunt, vel buffones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, sunt ipso jure infames: si verò breviori tempore, & moniti non resipuerint; ipso jure omni privilegio clericali carent. Excipe, si in occulto id facerent, v. c. inter amicos, aut infirmitatis alicujus causa, vel honestatis alterius gratia.

a Cap. 6. n. 18.

79 Secundò, prohibentur caupones, vel tabernas ingredi, nisi longioris itineris causa. Ita deciditur in variis textibus Canonum apud eumdem Barbosam. b Et meritò. Quia si hoc in sæcularibus dignum est reprehensione, quid erit in clericis? Sunt enim tabernæ loca & fomenta intemperantiæ, & incontinentiæ. Debent etiam fugere comessationes, ac inhonesta convivia. cap. Cùm decorem. De vita & honestate clericorum. cap. 1. Ne clerici, vel monachi. Nam ut Hieron. ad Parochum: c *Convivia tibi vitanda sunt sæcularium, & maximè eorum, qui honoribus tument: consolatores nos Christiani potiùs in mœroribus suis, quàm convivas in prosperis noverint: facilè contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium non recusat.* Honestis tamen conviviis, & quæ fiunt gratia charitatis, licitè interesse possunt. cap. Quando 1. & 2. d. 44. sicut & iis, quæ fiunt in anniversariis defunctorum, aut in solemnitatibus Sanctorum. cap. Nullus, d. 44. quamvis hæc apud nos non videantur esse in usu.

b Cap. 6. n. 2.

c Ad Nepot.

80 Tertiò, jubentur abstinere à crapula & ebrietate, à qua si non abstinuerint, & à superiore commoniti

non satisfecerint, ab officio & beneficio deponendi sunt. cap. A crapula, de vita, & honestate [d] clericorum. Multa enim mala affert ebrietas, quæ multùm dedecent clericum, maximè animarum Rectorem. Aufert memoriam, dissipat sensum, corrumpit sanguinem, obtundit visum, infirmat nervos, obtundit auditum, onerat cerebrum, resolvit viscera, perpendit linguam, confundit intellectum, enervat ac fœdat corpus, omnia membra debilitat, secreta pandit, libidinem provocat, rixas excitat, & multa alia affert damna, quæ satis hominem reddunt indignum, & incapacem curæ animarum.

[d] Barb. à n. 15.

81 Quartò, ob dignitatem ordinis, & gravitatem status non licet clerico pulsare citharam, & saltare, nisi secretò, & in domo sua, ut docet Abbas in cap. cùm decorem, de vita, & honestate cleric. Nec licet choreis, & saltationibus interesse, ne propter motus obscœnos oculi eorum contaminentur. cap. Presbyteri, dist. 34. de quo Doctores. [e]

[e] Barb. n. 19. & 22.

82 Quintò. Non licet etiam comœdiis interesse, quia ut plurimum sunt de rebus lascivis, & turpibus provocantibus ad libidinem. cap. penult. De vita, & honestate clericorum, de quo vide Doctores apud Barb. [f] Qui advertit, si comœdiæ audiantur ob solam vanitatem, & vanam curiositatem absque periculo probabili lapsus, & si res turpes repræsententur in prædictis comœdiis, & modus repræsentandi sit turpis, non fore peccatum mortale cessante scandalo, quod existimat modò non esse, quia frequentissimum est clericis comœdiis interesse; maximè quia cap. citatum non videtur habere præceptum, sed hortationem, vel ut alii volunt, non obligat sub mortali cessante scandalo, vel contemptu. Pro qua sententia plures Doctores refert. Verùm periculum probabile lapsus vix credo cessare posse. Et quamvis scandalum cessaret, Parochus deberet in hoc præbere exemplum, ne illi, qui sine periculo lapsus interesse non valent, id sibi licere existimarent, freti exemplo sui Pastoris.

[f] Num. 23.

83 Sextò. Non debet Parochus, nec clericus adesse agitationi taurorum juxta prohibitionem Greg. XIII. in sua constit. quæ est 75. inter constitutiones hujus Pontificis. Licèt autem posteà Clemens VIII. in alia constitut. pro Regnis Hispaniarum pœnas, & censuras contra eos impositas abstulerit, manentibus erga solos Regulares: monet tamen Sanctitas sua, & in Domino hortatur clericos seculares beneficia Ecclesiastica obtinentes, vel in sacris ordinibus, seu Ecclesiastica dignitate constitutos, ne paterna hac ejus benignitate abutantur, prout plenius continetur in dicta constitutione. De qua Barb. suprà.

84 Septimò. Non licet Parocho, vel etiam clerico in sacris ludere ad aleas, vel taxillos. cap. penult. de vita, & honestate cleric. cap. Inter dilectos, de excessibus Prælatorum. Trid. Sess. 22. cap. 1. de ref. de quo Doctores latè. [g] Quorum aliqui peccatum mortale putant, nisi relaxandi animi gratia, secretò, modicè, & absque scandalo ludant. Permittitur tamen ludus, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis, si ludant secretò, & in domibus suis. Unde ludum scaccorum, sive latrunculorum non esse clericis prohibitum resolvunt Doctores, modò fiat causa recreationis, non autem avaritiæ, & non distrahat à divinis ex longo tempore, quod in tali ludo fortè conteratur.

[g] Barb. n. 27.

85 Octavò. Non licet Parocho, aut clerico habere [h] canes, accipitres, vel hujusmodi ad venandum. cap. 1. de clerico venatore fine: nec venationes facere periculosas, seu clamorosas, veluti aprorum, & cum armis. cap. 1. de clerico venatore. Cap. 1. cum sequentibus, d. 34. Non prohibentur tamen sanitatis, vel recreationis causa uti aliis venationibus, v. c. cuniculorum, dummodo id fiat cum silentio, & modestia. Et in dubio venatio debet presumi facta causa recreationis. Piscari autem licet exemplo Apostolorum, qui piscatores fuerunt: dummodo artem piscandi non exerceant, diebus præsertim solemnibus, quibus officiis Ecclesiasticis interesse debent, & assistere; nec assiduè, quia Apostoli postquam Dei gratiam noverunt, piscationi operam assiduè non dabant, sed relictis retibus Christo adhærebant; quod Parocho magis commendandum est, propter assistentiam personalem in Parochia necessariam.

[h] Barb. n. c. 27.

86 Nonò. Non licet Parocho, aut clerico arma deferre; quæ si portaverint, excommunicari debent. cap. cle-

rici

ricì 2. de vita, & honestate cleric. de quo Doctores apud Barb. [l] si tamen subsit justa causa, licitum est arma portare, ut si iter faciant per loca periculosa ad terrorem latronum; vel sint in obsidione, aut habeant inimicitias, quæ sint causæ justi timoris, aut alia subsit justa, ac rationabilis causa.

[l] Barb. n. 51.

87 Decimò. Non licet Parocho, aut cuilibet clerico vestimentum, & calceamentum, quæ religionem non deceant. [l] Quia sicut discreti debent esse à sæcularibus in conversatione; ita & in habitu. Specialiter illis prohibetur ne vestibus holosericis induantur, pellibusve utantur pretiosioribus, ut abstineant à variis laicorum consuetudinibus induendi, ac odoramentis. Eorum vestes debent esse talares, ac honesti coloris: viridem, & rubrum expressè improbant sacri Canones, in quibus multa de hac vestium honestate, sicut gestare annulos in digitis, nisi quibus competit ex officio, ut sunt Doctores, & constituti in dignitate. Laudandus est igitur decor, & competens vestium ornatus, quæ morum sunt manifesta indicia. Amb. [m] *Decor corporis non sit affectatus, sed naturaliter simplex, neglectus magis, quàm exquisitus: non pretiosis aut albentibus indutus sit clericus vestimentis, sed communibus, ut honestati, & necessitati nihil desit, nihil accedat nitoris.* Debet enim clericus nec fulgidis, nec sordidis vestibus se ornare, ut optimè Hieron. [n] ad Parochum à se institutum: *Vestes pullas æquè devita, ac candidas: ornatus, & sordida pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.* Præbeat ergo Parochus noster exemplum in omni honestate.

[l] Barb. c. 4. à n. 1.

[m] 1. Offic. c. 19.

[n] Ad N. pot.

CAPUT XI.

Præluceat Parochus exemplo rerum, quas commendat Apostolus iis, qui Pastorale exercent officium.

88 Apostolus, sicut totius Ecclesiæ Doctor, & formator extitit, ita Pastores, quia illam erant in spiritu promoturi, multis coloribus depinxit ostendens, quales futuri essent, ut suo muneri satisfacerent. Igitur ad Titum postquam dixit: [a] *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum.* De quo suprà. Addidit: *In doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile.* Quæ omnia aptè referri possunt ad doctrinam, & munus docendi, de quo cap. sequenti. Quasi dicat: Ea, quæ docet Pastor animarum, sint integra, & incorrupta, non falsa, aut vitiata, sint gravia, non levia, aut futilia. Et ita erit verbum, seu doctrina sana, & irreprehensibilis, ut carpi non possit; quinimò auditores excitabuntur tam ad Pastoris, quàm ad doctrinæ venerationem.

[a] Ad Titum 2. 7.

89 Nihilominus per integritatem castitas intelligi potest. Lyran. *In integritate*, hoc est, [b] *In castitate mentis, & corporis.* Quæ Pastori animarum omninò necessaria est, ut in superioribus dictum est. Per gravitatem potest intelligi modestia, externaque compositio non minus necessaria, quia nascitur ex corde puro, & benè composito, tamquam effectus ex sua causa, per quam dignoscitur ejus interna compositio, & castitas. Hieron. [c] *Speculum mentis est facies, & taciti oculi mentis fatentur arcana.* Commendat autem Paulus hanc externam modestiam, & gravitatem, quia per illam solent homines judicare de secretis cordis motibus. Nam ut dixit Spiritus sanctus: [d] *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Et alibi: [e] *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.*

[b] Lyran. ibi.

[c] Ad Furiam.

[d] Prov. 27. 19.

[e] Eccl. 19. 26.

90 A Timotheo, postquam universale exemplum postulavit, adjunxit: [f] *In verbo*, idest, in sermone gravi, & tali, qualis decet Pastorem. *In conversatione.* Hoc est, in tota vita, ac vivendi consuetudine. *In charitate.* Hoc est, in amore Dei, & proximi, & zelo promovendi ejus salutem. *In fide.* Idest, in fidei rectitudine, & constantia. *In castitate.* Hoc est, in totius vitæ puritate. In omnibus ergo speciale exemplum postulat.

[f] 1. Timot. 4.

91 A Corinthiis postquam etiam generale exemplum postulavit per illa verba: [g] *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros.* Addidit: *In multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in vigiliis, in jejuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suavita-*

[g] 2. Cor. 6. 3.

te, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.

92 Quasi dicat: Exhibitio patientiæ, non unius, sed multæ hominibus clarè demonstrat veros ministros, & Pastores. Patientia igitur refertur ad sequentia. Et sensus est, exhibeamus nos quasi Dei ministros patientes in tribulationibus, necessitatibus, angustiis, & aliis, quæ sequuntur. Hanc enim patientiam quasi altiorem philosophiam mirantur homines, qui in similibus irasci, indignari, verbis & factis ulcisci solent, ex eaque colligunt veram doctrinam Pastoris, indeque ad eam amplectendam moventur. O quantùm proderit bonus Parochus, si numquam videatur iratus, numquam indignatus, sed placidus semper, & tranquillus!

93 *In castitate.* Seu puritate omnibus in rebus, quæ ad temperantiam pertinent: seu in vera castitate, quæ ab omni libidinis usu abstinere facit, & vitam Angelicam in terris imitari, ostenditque hominem esse divinum, Deique ministrum, cui nemo refragari audet. O si talis esset meus Parochus! quid boni non operaretur? *In scientia.* Hoc est, det operam Pastor animarum, ne sit indoctus rerum, quæ ad salutem conducunt: sed ostendat se illas scire, docendo oves suas, quæ bona agere, quæ mala vitare debeant: ex quo omnes cognoscent illum esse verum Dei ministrum. *In suavitate.* Hoc est, ne per rancorem iis, à quibus fortè vexatur, sit asper, sed per suavitatem mentis, verborum, & operum illis sit dulcis, benignus, ac beneficus. *In Spiritu sancto.* Idest, ita omnia agat pio, benigno, sincero, & fervido spiritu, ut pateat non vanitate, aut superbia agi, sed spiritu. *In verbo veritatis.* Ut veritatem Christianam verè, & sincerè, ac sine fuco proponat. *In virtute Dei.* Hoc est, in constantia, & fortitudine Christiana, in vehementia sermonis, in prædicationis efficacia.

94 Prætereà docens idem Apost. qualis debeat esse animarum Rector, ait: [k] *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed suæ domui benè præpositum, filios habentem subditos cum omni castitate, testimonium bonum habentem ab iis, qui foris sunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Ubi licèt expressè loquatur de Episcopo, jam suprà notavimus ea, quæ postulantur in Episcopo, postulari etiam in Parocho, qui Pastor etiam est, licèt minor.

k 1 Tim. 3. 2.

95 *Sobrium.* Significat tam sobrium, quàm vigilem, suisque rebus attentum, nam sobrietas mater est vigilantiæ, ingenii, & solertiæ: quia nimirum Pastor, cujus est invigilare saluti animarum, qui propterea dicitur in sacris litteris speculator, non debet esse dormitabundus, sed imitari, ac etiam superare duces castrorum, qui noctu, diuque universum suum exercitum perlustrant; non potest autem vigilare, qui sobrius non est, sed ventri deditus, qui sobrietatem, ac temperantiam non colit, sed crapulæ, ac ebrietati inservit.

76 *Prudentem.* Significat mentem sanam, judicium maturum, consilium circumspectum. In Pastore ergo animarum magna requiritur prudentia, ut jam diximus lib. 2. cap. 11. Quia, ut dixit Naz. [i] *Ars artium, scientia scientiarum mihi esse videtur hominem regere, animal, scilicet, maximè varium, & multiplex.* Prudentia ergo maximè necessaria in Pastore. *Ornatum.* Id est, honesto habitu vestitum, qui deceat virum gravem, seu, ut ait Hieron. [l] *Qui decorum servat in motu, incessu, habitu, & sermone.* Unde *ornatum* idem est, ac moribus compositum, ut etiam per corpus appareat animi moderatio, & temperantia.

i Naz. in Apologet.

l Ad Ocean.

97 *Pudicum.* Idest fugientem omnem nocivæ incontinentiæ suspicionem. Quę non evitatur, nisi fugiendo fœminarum colloquia, & consortia, de quo plura lib. 1. c. 20. Noverit autem Parochus, & quilibet clericus, non posse mulieres domi suæ recipere, aut retinere, & multò minus cum suspectis fœminis conversari, ut proclamant jura apud Barbos. [m] In quo invenies duas decisiones sacræ Congregationis, alteram, in qua sacerdos 60. annorum jussus à suo Episcopo, ut famulam ejusdem ætatis removeret, ob idque apud Congregat. conquestus, ab eadem reprehensus obedire compulsus fuit. Alteram, in qua idem contigit sacerdoti annorum 64. cum alia famula 66. annorum. Magni momenti est exemplum in hac materia.

m Barb. c. 6. n. 9. & 10

98 *Hospitalem.* Idem valet, ac peregrinorum amantem, & receptatorem.

Hæc

Digitized by Google

Hæc virtus misericordię tam erga peregrinos, quàm erga alios pauperes, & personas miserabiles Pastori maximè consentanea est. Si enim omnes illud Euangelii audire desiderant: [a] *Hospes fui, & suscepistis me.* Quantò magis animarum Pastor, cujus domus omnium debet esse hospitium? Laicus enim unum, aut duos, aut paucos recipiens, implebit hospitalitatis officium: Pastor animarum, nisi omnes recipiat, inhumanus erit, ac crudelis ab officioque Patris deflectens. *Doctorem*. Idest aptum ad docendum: doctrina enim omninò necessaria est in quolibet animarum Pastore, quia ejus officium est, docere mysteria fidei, prædicare verbum Dei, dirigere conscientias. Quod sine scientia, & doctrina fieri non potest. *Non vinolentum*. Idest, abstinentem a crapula, & ebrietate. Certe quilibet excessus in hac materia indignum redderet hominem officio Pastorali.

[a] Matth. 25.35.

99 *Non percussorem*. Idest, qui nec percutiat, nec sæviat, non sit asper, & crudelis in domesticos, & subditos, vel juxta Chrys. [o] *Qui lingua non feriat, non jurgetur, non contristetur, non maledicat. Sed modestum*. Seu æquum. Æquus verò ex Aristot. dicitur, qui non persequitur summum jus, in quo summa est injuria, sed in partem propendet benigniorem, quam dictat æquitas, modestia, seu moderatio. *Non litigiosum*. Idest, alienum à contentione verborum, à jurgiis, à litibus, quæ Pastorem omnino dedecent. *Nihil imprudentius est arrogantia rusticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati semper ad lites in subjectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant*, dixit S. Hieron. [p]

[o] Chrys. apud Cor. a Lap.

[p] Ad Ocean.

100 *Non cupidum*. Hoc est, alienum à cupiditate divitiarum. *Ignominia sacerdotis est propriis studere divitiis*. Dixit idem Hieron. [q] Magis verò dedecet esse avarum, & turpis lucri cupidum, qualis est ille, qui se, & propinquos ditare satagit ex bonis Ecclesiæ, quique avarè frumentum, ac decimas recondit expectans annonæ caritatem, ut pluris divendat, & qui ex mercium, aliarumque rerum indecentium, & sordidarum commutatione, aut negotiatione lucrum aucupatur, de qua avaritia jam suprà dictum est.

[q] Ad Nepot.

101 *Sue domui benè præpositum*. Idest, qui domum suam benè regat, qui enim illam benè moderatur, idem præstabit in Parœcia: si autem domui suæ præesse nesciat, quomodo Ecclesiæ curam habebit? *Filios habentem subditos cum omni castitate*. Ad litteram sermo est de filiis susceptis ante sacerdotium; ad quod assumebantur unius uxoris viri. Vult ergo Paulus ex moribus compositis filiorum, Patris mores, modumque regendi æstimari, eumque eligendum in sacerdotem, qui liberos optimè instituerit. Quæ doctrina hodie applicari potest ad domesticos Parochi juxta illud Bern. ad Eugenium: [r] *Interest gloria sanctitatis tuæ, ut quos præ oculis habes, ita ordinati, ita sint informati, quatenus totius honestatis, & ordinis ipsi speculum, ipsi sint forma*. Scandalum dabit Parochus, si quos domi suæ habet, licentiosè vivere permittat.

[r] 4. De consider.

102 *Testimonium bonum habentem*. Idest, talem debere esse sacerdotem, & Parochum, cui etiam extranei probitatis testimonium perhibeant, ne vitia, quæ in ipso viderint, ei exprobrent. Unde *incidat in laqueum diaboli*. Hoc est, in turpem, scandalosam, ac indecoram infamiam, fiatque commune probrum, quo quasi laqueo diabolus multos capiat, avertendo à suo sacerdote.

103 Denique idem Apostolus ad Titum loquens de pastore, ait: [s] *Oportet sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem: ut potens sit exhortari in doctrina sana; & eos, qui contradicunt, arguere*.

[s] Ad Tit. 1.7.

104 Percurramus breviter ea, quæ in superioribus explicata non sunt. *Non superbum*. Id est, non sui sensus tenacem, ille enim superbus est, qui sui sensus est tenax, qui suo semper ducitur judicio, & voluntate; qui perfractus, durus, asper, & inflexibilis est; qui sibi ipsi ita placet, ut cæteri displiceant, qui est protervus, & contumax. *Iracundus* autem, qui subitò irascitur, & sæpè sine causa. *Benignus*. Idest, suavis, bonorum amator, placidus, humanus, & urbanus. *Sanctus*, non solùm significat justum, sed pium erga Deum: multùm enim conducit ad bonum regimen animarum hæc in Deum pietas.

Continens, hoc est, abstinens non solùm à gula & luxuria, sed etiam ab aliis vitiis animi. Hieron. [t] *Sit abstinens non tantùm, ut quidam putant, à libidine, & ab uxoris amplexu, sed ab omnibus animi perturbationibus, ne ad iracundiam concitetur, ne illum tristitia dejiciat, ne error exagitet, ne lætitia immoderata sustollat.*

t Hieron. ibi.

105 *Amplectentem eum &c.* Id est, sit tenax, & mordicus retinens fidelem sermonem, seu veracem, & indubitatum, *qui secundùm doctrinam est*, hoc est, qui sanæ doctrinæ, & fidei consentaneus est, sive quem docet doctrina sana. *Vt potens sit exhortari.* Habeat doctrinam necessariam ad docendum, ut in pietate oves confirmet. Theod. [u] *Neque enim statuit Apostolus, ut Pastor animarum sit disertus, sed ut sit divinorum eloquiorum peritus. Constans, fortis, & intrepidus ad arguendum eos, qui contradicunt, & rebelles se ostendunt doctrinæ veritatis.* Ecce breviter ex Paulo, in quibus Parochus, & quilibet animarum Pastor debet esse exemplaris, ut officio suo benè, ac fructuosè fungatur. Sed quia sæpè postulat exemplum in doctrina, videamus quale in ea tradendum sit hoc exemplum.

u Theod. ibi.

CAPUT XII.

Parochus det exemplum in doctrina.

106 Apostolus postulans à Pastoribus animarum exemplum, de quo hactenus, hoc specialiter postulat in doctrina. Sic ad Titum: [a] *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina.* Ad Timot. [b] *Esto exemplum in verbo*, hoc est, in doctrina. Et sæpè alibi, ut constat ex dictis cap. præcedenti. Tribus autem modis potest Parochus, & quilibet alius Pastor, & verbi prædicator dare exemplum in doctrina.

a Ad Tit. 2. 7.
b 1. Tim. 4. 12.

107 Primò. Si verbum fuerit sanum, ut loquitur Paulus ad Titum: [c] *verbum sanum. Quantùm ad veritatem dicti*, ut exponit Hugo Cardin. [c] hoc est, si doctrina fuerit vera, & benè fundata, non autem falsa, ac improbabilis. Est autem maximè necessarium hoc exemplum in doctrina, quia videtur appropinquasse jam tempus, de quo Apostolus: [d] *Erit tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt.* Idest, veram, & *perfectam*, ut exponit Hieron. *sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.* Hoc est, ut liberè operentur, quærent sibi magistros, & doctores, qui ad voluntatem loquantur, dicantque esse licitum, quod illicitum est; securum in conscientia, quod vel certò ducit ad perditionem, vel saltem est valde periculosum. Hieron. [e] *Tales magistros inquirent, qui ea dicant, quæ ipsi audire desiderant, ut securi delinquant.* Quærent magistros sibi similes, eisdem vitiis deditos, qui solùm possunt talem doctrinam edocere. Idest, exponit Cornel. [f] *Homines voluptuarii similes sibi magistros quærent, qui hominum voluptatibus indulgentes, eos à severitate Christianæ vitæ ad suos errores, & vitæ, morumque licentiam abducent.*

c Hug. ibi.
d 2. Tim. 4. 3.
e Hieron. ibi.
f Corn. ibi.

108 Itaque homines prurientes auribus similes sibi magistros quærunt. Ita exponit Cornel. *ii, qui pruriunt auribus, coacervant sibi magistros ad suos pruritus, ac desideria accomodatos.* Idest, homines deditos pravis desideriis, desiderant invenire opiniones, & doctrinas, quæ suis faveant desideriis, ad hoc autem quærunt magistros, qui ad placitum respondeant, & vitia eorum foveant. Si verò inveniant, qui veritatem dicant, continent aures suas, & tristes recedunt, quærentes alios, qui ad libitum respondeant. Et sic ad fabulas convertuntur, seu ad doctrinam, quam docent tales magistri, quæ non habet fundamentum solidius, quàm fabulæ ipsæ, & cum illa quietantur, vel fingunt se quietari. *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

109 Quæres autem: unde nam proveniat, quòd illi, qui habent officium Pastoris, & Doctoris, consulant, & doceant doctrinam fabulosam? Respondeo ex duplici capite id provenire posse. Primò, quia sunt tales, quales illi, à quibus consuluntur. Unde mirum non est, ut qui propriis conscientiis non prospiciunt; de alienis non curent: maximè quia se ipsos condemnarent, si aliter docerent, ac agunt. Secundò, quia appetunt benevolentiam eorum, ad quorum pruritum, & libidinem respondent: *Vt indulgendo eorum voluptatibus demereantur ipsorum gratiam:* Dixit sanctus Basilius. [g]

g Basil moral. c. 29.

110 Sunt enim aliqui, qui consulent

lent posse te etiam adorare idolum, si inde auram popularem, & gratiam aucupari possint. Sit pro exemplo magister, & Doctor veritatis ratione officii, & sacerdotii Aaron, qui ne displiceret hominibus perditis, eis morem gessit in crimine idololatriæ: petierunt Hebræi ab ipso deos: [h] *Fac nobis deos, qui nos præcedant*. Stulta, & abominanda postulatio. Et tamen non legimus Aaronem ea rejecisse ut absurdam, ac stultam, nec ejus authores, ut par erat, quod si fecisset, impedisset fortè tantam abominationem; imò potius statim petiit inaures, & monilia aurea, ex quibus conflavit vitulum, quem posuit in altari, incensum obtulit, & præconis voce clamavit: *Cras solemnitas Domini est*. Unde, quæso, ad rem tam absurdam perductus est Pastor, ac magister tam qualificatus? Lippom. [i] *Certè non aliunde, quàm quòd oculos suos à voluntate Dei deflexit ad favorem vulgi*. Magis voluit placere hominibus se consulentibus, respondendo ad eorum pruritum, quàm Deo, qui eum sacerdotem præfecerat: ut lucraretur populi benevolentiam, perdidit Dei gratiam, & suo consilio se ipsum, & totam multitudinem seduxit.

h Exod. 32. 1.

i Lip. ibi.

111 Nocivi valde sunt in Ecclesia tales Pastores, & magistri. Quid remedii? [l] *Tu verò vigila*. Tu, qui es Pastor, ne dormias, custodi gregem tuum ab his lupis: non satis est, quòd sis bonus, quòd per te malum non agas: satis mali est in Pastore, non impedire tam grandia mala, non vigilare, ne serpant. Laudatur in Apoc. Episcopus Pergami, de quo tamen erant querelæ apud Deum: [m] *Habeo adversus te pauca*. Quia nempe erant in sua civitate discipuli Balahami, qui docebant fideles doctrinam, quam eorum magister olim docuerat Balac. *Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filiis Israel*. Gravissimè fert Deus, si Pastor, ad quem spectat cura spiritualis populi, igne, & ferro non persequatur hos magistros, qui sanam doctrinam non seminant, sed improbabilem, & falsam, quæ sine scandalo, & ruina populi spargi non potest.

l 2. Tim. 4. 5.

m Apoc. 2. 14.

112 Secundò, datur exemplum in doctrina, non docendo frivola, vana, & superstitiosa. Hieron. [n] *Quasi dicat Apostolus: ne doceas falsa, frivola, vana, & superstitiosa*. De falsitate dictum est; jam de frivola, vana, & superstitiosa, quæ doctrinæ falsæ valde affinis est. Sunt Pastores, & Predicatores piscatores animarum: [o] *Faciam vos fieri piscatores hominum*. Prædicatio, & doctrina sunt retia, quibus animæ sunt capiendæ: [p] *Laxate retia vestra in capturam*. Quid caperet piscator, si secum deferret retia aranearum, ex rebus frivolis, ac vanis contexta, quæ nihil valent ad homines extrahendos à peccato, qui proinde si in vitiorum mari erant submersi, ibi permanent, quia non laxarunt retia, quæ illos extrahere possent, si enim prædicassent Christi doctrinam, & retia Euangelii laxassent; Deus illos traheret ad pœnitentiam.

n Hieron. ibi.

o Matth. 4. 19.

p Luc. 5. 4.

113 Locutus Deus de his Pastoribus, & prædicatoribus dixit: [q] *Si stetissent in consilio meo, avertissem utique eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis*. Idest, commentatur Lyran. [r] *Si illi prædicarent juxta voluntatem meam, sicut tenebantur ex officio, ego extraherem peccatores, spiritum veræ pœnitentiæ eis conferendo*. Culpa igitur Parochorum, & prædicatorum persistunt animæ sine hoc spiritu pœnitentiæ in mari suorum peccatorum: quia cùm debuissent uti retibus Christi, seu doctrina Christi, cui annexus est spiritus veræ conversionis, & pœnitentiæ veræ; utuntur retibus suis compositis ex rebus frivolis, & futilibus, quæ non habent majorem vim, quàm retia, ac aranearum tela.

q Ierem. 23. 22.

r Lyran. ibi.

113 Non curant de retibus, quæ pisces extrahant, contenti si ranas expiscentur, id est, laudem, & gloriam vanam. Hugo Cardin. [s] *Rete prædicationis projicitur non ad pisces, sed ad ranas, quia prædicatio non fit in hominum salutem, sed ad propriam laudem, quæ per loquaces ranas significatur*. Et quod pejus est, sæpè prædicationis rete est adeò tenue, ac frivolum, ut neque ranas extrahere valeat: & quando credebant se valdè laudandos, satis vituperantur. Sed dato, quòd intentum assequantur, nec desint ranæ cantatrices; quid inde? Eam utilitatem reportabunt, quam piscator, qui retia colligens nullum piscem inveniret, sed solas ranas.

s Ad c. 5. Luc.

124 Vera laus Parochi, & prædicatoris non sunt cantus ranarum, sed gemitus peccatorum. Hieron. [t] *Docente te in Ecclesia, non clamor populi, sed*

t Ad Nepot.

gemi-

gemitus suscitetur; lacryma auditorum laudes tua sint. Quando homines prudentes vident auditores compunctos, laudant prædicationem, & prædicatorem æstimant. Sed aliqui volunt laudes populi ignorantis, *qui quidquid minus intelligit, plus miratur;* ut dixit citatus Hieron. Et cum hoc laborum suorum fructu se divites credunt, non attendentes perdidisse oleum, & operam, reddituros que Deo rationem de animabus, quæ eorum incuria, & culpa non deserunt statum peccati, in quo sunt.

115 Sic enim Deus per Prophetam: [w] *Si dicente me ad impium: Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur à via sua pessima, & vivat: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Hoc est, si tu Pastor, & prædicator non denuntiaveris peccatori, ut relinquat culpam, quæ ipsum ducit ad perditionem, ideoque ille moriatur in peccato suo; dabis rationem de ejus damnatione, cujus fuisti causa, quia ratione officii tenebaris nervosè, ac ponderosè proponere periculum suum, ut resipiscere posset: tu verò usus fuisti verbis inanibus, quæ terrere non poterant, nec extrahere à peccato, unde periit; qua de causa tu etiam peribis, quia defuisti obligationi tuæ. Id enim significat: [x] *Sanguinem ejus de manu tua requiram.* Greg. *Nos sacerdotes hìc commonemur, qui tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi, & tacentes videmus.* A Parocho, à prædicatore sanguis exquiretur, quia non utuntur doctrina solida, sed inani, & aerea, quæ vim non habet ad terrendum, ad movendum, ad convertendum peccatorem.

w Ezech. 3. 18.

x Gregor. ibi. Hom. 11.

116 Ubi nostra Vulgata legit: *Non annuntiaveris ei.* Legitur ex Hebræo: *Non expolieris.* Id est, lima contriveris. Et significat prædicationem futuram talem, ut valeat comminuere, & conterere cor durum, ac ferreum peccatoris. Velazque: [z] *Ut talis fuerit admonitio, & tam exacta, ut rubiginem ab anima auferre valeat.* Ridiculum foret velle ferrum limare, atterere, & comminuere lima serica, blanda, & suavi. Magis ergo ridiculus, qui ad scindendum cor ferreum, utitur exhortione frivola, ac futili, quæ minùs emollire valet cor peccatoris, quàm lima serica ferrum rubigine induratum.

z Velazq. ad locum Ezech.

117 P. Pradus ait verbum: *Expolieris,* significare sæpius peccatorem seriò, & graviter admonere: quia sicut ferrum non exuit contractam rubiginem, si semel lima tangatur, sed opus est, quòd ab illa sæpius mordeatur; ita Parochus, & prædicator non satisfaciet officio suo, admonendo semel, aut iterum, sed opus est non cessare à clamando, ac denuntiando vocibus efficacibus supplicia, quæ imminent peccatori, juxta illud: [a] *Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam: & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Quotique clamor tamquam lima è coelo lapsa conterat cordis duritiem. Prad. [b] *Ut concionatoris munus esse sciamus eadem sæpè repetere, & apertè, atque dilucidè, palamque admonere aberrantes periculi sui.* Tu verò, mi Paroche, putas satis tibi esse, si semel insinues peccatori peccata sua, cùm hæc debuisset esse materia quasi continua tuæ exhortationis, idque cum lima serica, quæ non feriat cor peccatoris.

a Isai. 58. 1.

b Ad locũ Ezech.

118 [c] *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, & quasi malleus conterens petram?* dixit Deus. Quare ergo tractantes verbum Dei, illo corda non emolliunt, sicut ignis ferrum? cur non conterunt peccatores, sicut malleus lapides? Sancius: [d] *Quia sic tractant alieno sensu, & spiritu, ut verba illa non esse Domini existimari potuerint.* Verbum Dei ignis est; verba autem tua aereæ, quæ nihil habent ignis, nisi fortè depicti: verbum Dei est malleus conterens, & confringens; verba tua bractea, quæ vento commota levem sonum edunt, qui nihil operari valet præter ventum, & aerem.

c Ierem. 23. 29.

d Sancius ibi.

119 Quorum nomine dixit Isai. [e] *Concepimus, & parturivimus, & peperimus spiritum, salutes non fecimus in terra.* Hoc est: Formavimus in mente nostra discursum, *concepimus:* & ex mente nostra prodiit in papyrum, *parturivimus:* & prodiit in publicum quasi partus, & fuit partus spiritus, *peperimus spiritum:* non tamen causavimus salutem, *salutes non fecimus.* Si partus prædicationis fuit spiritus, cur non causavit salutem? Et si non causavit salutem, quomodo peperit spiritum? Ratio est, quia spiritus ibi significat ventum. Et sensus est. Concepimus ventum: prædicavimus res aereas, ventosas, & sine substantia,

e Isai. 26. 18.

Digitized by Google

ctia, & ideò non fecimus salutes. Sancius: [f] *Spiritus significat ventum, ac proinde peperisse ventum, idem est atque rem evanidam, & nullius momenti produxisse.* Quomodo seminans ventum demetet salutes animarum? seminasti ventum, ventum colliges; nam quæ quis seminat, hæc & metit.

f Sanc. ibi.

g Oseæ 8. 7.

120 Oseas: [g] *Ventum seminabunt; & turbinem colligent.* Predicatores seminantes ventum, quid colligent, nisi ventum, seu nihil? sed quia congruum est plus colligere, quàm fuit seminatum; seminarunt ventum; colligent ventorum procellas: *Turbinem colligent.* Lyran. Id est: [h] *Turbinem judicii æterni.* Ac si diceret: Fructus exhortationis aereæ, futilis, frivolæ, & vanæ, erit judicium Dei, tamquam turbo sæviens in adulterantes verbum ejus.

h Lyran. ibi.

i Hug. Card. sup.

121 Tertio modo dabit exemplum in doctrina juxta Hug. Card. [i] *Quantùm ad modum docendi.* Si modus proponendi verbum Dei, doctrinam Christi, fuerit conveniens. Potest enim doctrina esse bona, modus verò talis, ut illam inutilem reddat. Ut si prędicator totus occupetur in verborum compositione, cultu, & lenocinio, ita ut auditores verbis inescati ad doctrinam necessariam non attendant. De tali prædicatore dici potest illud Isai. [l] *Vinum tuum mixtum est aqua.* Seu ut legunt Septuaginta: *Caupones tui miscent aquam vino.* Id est, prædicatores tui Christi doctrinæ, quæ est vinum confortans corda hominum, miscent tantum aquæ, seu verborum cultorum, & impertinentium, ut nec maneat vinum aquatum, sed ad summum aqua vinata sine vi ad aliquid boni causandum in auditoribus.

l Isai. 1. 22.

122 De his prædicatoribus, persistendo in eadem metaphora, dixit Theod. [m] *Divinum sermonem cauponantur, cum fabulam efficientes.* Hoc est, tantum addunt impertinentium verborum, ut sicut caupones, qui vendunt vinum suum cum multa aqua; vendunt, quod jam non est vinum; ita isti prædicant verbum, quod jam non est Dei, sed quædam mixtura, in qua jam non discernitur quid sit Dei; quæ proinde appellari potest fictio, seu fabula, quæ nihil habet veri præter apparentiam. De quo jam querebatur Naz. [n] *Novum quoddam politices genus à foro ad sancta translata, & à theatro ad sacrarium, vulgi oculis minimè spectandum, ita ut si audacter dicere oporteat, duæ jam scenæ sint.* Si ergo prædicatio scena est, & fabula; quid operabitur in audientibus, nisi quod scena, aut fabula theatralis? sanè ex utraque scena idem fructus promanabit: quia cùm utraque sit repræsentatio, & fabula nihil habens veri, præter apparentiam, ut benè Tertul. [o] *Tantum veritati obstrepit adulter sensus, quantum corruptor stylus.* Stylus prædicandi sæpè ostendit nihil in dictis veri contineri, sed fabulam compositam, comœdiam, & solam repræsentationem.

m Theod. ibi.

n Naz. orat. de se ipso.

o De præscrip. adversus hæretic. c. 16.

123 Advertant isti prædicatores verbum Dei, quod ipsis proponere incumbit, esse granum purum, ipsos verò seminatores: [p] *Semen est verbum Dei.* [q] *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus.* Quid seminator tritici cum paleis occupatur? Quid verbum Dei ad animarum salutem necessarium, cum paleis verborum, dicteriorum, & salium? D. Hieron. [r] *Pulchrè hæc cum paleis comparantur, quæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos.* Tu verò, imprudens prædicator, si aliquod granum seminas, illud tot paleis involvis, ut nec discerni queat, nec radices agere in cordibus audientium, quia à paleis suffocatur.

p Luc. 8. 11.

q Ierem. 23. 28.

r Hieron. ibi.

124 Dicent esse malitiam temporum, hosque, quos nos paleas vocamus, esse flores, quibus populus delectatur, & quibus involutum Dei verbum melius recipit. Itaque, bone Pastor, accommodas te palato vulgi levis, & ignari indigentis ferro, quo vitia ejus feriantur: tu verò flores quæris, qui delectent: [s] *Et cùm sermo Dei sit vivus, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Tu cum floribus, & ad summum cum gladio recondito in vagina florum, qui nec videtur, nec scindere potest, curare intendis. Et faxit Deus, ne sola vagina utaris sine gladio. Velazque: [t] *Isti doctores non tam gladium spiritus, quod est verbum Dei, quàm vaginam sine gladio, qua aerem verberent, habere videntur.* Fingis te prædicare, bellumque vitiis inferre gladio, sed certè solam habes vaginam, qua aerem verberas, vitiis sine vulnere intactis.

s Heb. 4. 12.

t Velazq. ad locum Apost.

125 Dicunt eloquentiam esse propriam prædicatoris, hanc autem magna ex parte consistere in verbis compositis, cultis & politis, quæ tamquam flores orationem ornant. Si hoc tamen eloquentiam credunt, fructum ex suo labore

re non reportabunt. Quia, ut benè Amb. [u] *Quod luxuriat in flore sermonis, tenuatur & hebetatur in fructu.* Quinimò ego non capio quomodo stylus, de quo est sermo, possit eloquentia appellari. Quia si legantur, qui nomen eloquentium adepti sunt, invenientur non usos fuisse hoc stylo. Eloquentem putarem ego, qui discursum gravem, ornatum, ac plenum conficeret, aptum ad persuadendum, & commovendum auditores, propter dispositionem argumentorum, & claritatem, qua ita dilucidè proponit res etiam obscuras, & difficiles, ut ab omnibus capi possint. Et ita illum definivit Pelusiota: [x] *Eloquentem ego hunc esse statuerim, qui idem, quod animo concepit, perspicua oratione demonstrare potest, non qui doctissimis, & sublimibus verbis, etiam quæ clara, & dilucida sunt, obscurat.* Vera eloquentia declarat, quæ sunt abdita, stylus verò, quem damnamus, obscurat, quæ de se sunt clara. Unde eloquentiæ nomen non meretur.

u Amb. in Ps. 118. n. 15.

x Lib. 5. Epist. 42.

CAPUT XIII.

Parochus pauperum, & miserabilium personarum curam gerat.

126 TRident. post munera Parochialia, quæ lib. 2. enumeravimus, & in sequentibus explicamus: addit [a] debere Parochum pauperum, & aliarum miserabilium personarum paternam curam gerere, hanc autem obligationem esse de jure divino asserit in principio capitis, communemque omnibus animarum curam gerentibus. Unde primò convenit Episcopis, quibus incumbit prima animarum cura, deinde aliis inferioribus animarum Rectoribus, quales sunt Parochi, qui hanc paternam curam non solùm habere debent in iis ministeriis pastoralibus aliis personis communibus, sed speciatim in tribus, quod si præstent, suum implebunt officium, & Reipub. Christianæ nobile præbebunt exemplum, de quo hoc libro agimus.

a Sess. 25. c. 1 de ref.

127 Primò in miseriis corporalibus sublevandis per eleemosynas, quas Pastor debet suis pauperibus, ita ut si eas neget, dare potens, lupus potius dicendus sit, quàm Pastor. Cur enim sancti Patres unanimi voce conclamant, Pastores Ecclesiæ, imò & beneficiarios quoslibet non esse dominos, sed dispensatores bonorum ecclesiasticorum, nisi ut hanc obligationem subveniendi pauperibus persuadeant? Audiant omnes ecclesiastici attentè quæ breviter dicam in hac parte, in qua quidem hallucinantur, vel se hallucinari simulant, dum ita operantur, ac si crederent bona ecclesiastica sibi esse concessa ad luxum, aut ad consanguineos ditandos, non autem ad miserias pauperum sublevandas.

128 Legant Concil. Trid. cujus hæc sunt verba: [b] *Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm jubet, ut modesta suppellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat. Omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve suos augere studeant; cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa. Imò quàm maximè potest, eos sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquosque carnis affectum, unde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitùs deponant.* Hactenus Concilium. Ubi licèt expressè loquatur de Episcopis, ea in fine capitis declarat intelligenda esse de quibuscumque aliis beneficiariis. Cui doctrinę consonant alia Concilia, & variæ decisiones juris canonici.

b Sess. 25. c. 1. de ref.

129 Non est igitur dubium, quòd Parochi, & omnes habentes beneficium ecclesiasticum, teneantur expendere cum pauperibus redditus suorum beneficiorum sibi remanentes post honestam, & competentem sustentationem. In quo etiam conveniunt omnes Doctores tam Canonistæ, quàm Theologi, inter quos ea sola est differentia, quòd Canonistæ, [c] communiter docent teneri ex justitia, quia bona illa non sunt sub eorum dominio, ac proinde ex justitia deberi pauperibus. [d] Theologi verò dicunt bona illa esse sub dominio beneficiariorum, qui proinde solùm tenentur ex charitate, arctius tamen, quàm laici, quia laici tenentur ex jure naturali, quando necessitas est extrema, aut saltem gravis: ecclesiastici verò ex naturali, & canonico non solùm

c Navar. de reddit. Eccles.

d Azor. 2. p. lib 12 c. 11. q. 1 & 7 L. ff. lib. 2 c 4. dub. 6.

Digitized by Google

solùm in necessitatibus extremis, aut gravibus, sed etiam in communibus, & ordinariis. De quo latè Doctores.

130 Sancti verò Patres videntur inclinare in primam sententiam, quam ex ipsis Canonistæ fortè acceperunt, quamvis ad inculcandam prædictam obligationem & rigorem illius, ita fortè loquantur. Greg. de Pastoribus: e *Incassum se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatim vindicant, qui cùm accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur, quia quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cùm qualibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur: justitia debitum potius solvimus, quàm misericordiæ opus implemus. Unde & ipsa Veritas, cùm de misericordia cautè exhibenda loqueretur, ait: Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus. Cui quoque sententiæ etiam Psalmista concinens dicit: Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in æternum. Cùm enim largitorem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit, quia quod à communi Domino tribuitur, justum profectò est, ut qui accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait: Qui justus est, tribuit, & non cessabit.*

e 3. p. Past. admon. 21.

131 Chrysost. f *Non opes accepisti ad hoc, ut in delicias absumeres, sed ut in eleemosynas erogares. Numquid enim tua possides? Res pauperum tibi sunt creditæ. Numquid non potuit Deus ista auferre? non tibi hoc non fecit, in potestate tua ponens liberam in pauperes liberalitatem.* Infinita id genus alia habent sancti Patres, quæ si laicis meritò conveniunt, quid erit sentiendum de ecclesiasticis, nedum de Pastoribus, qui Christi & pauperum patrimonio ditantur, ea quidem lege, ut præter sibi præcisè necessaria, quod superest, in pauperum usus erogare teneantur. Nam ut ait Amb. g *Ecclesia aurum habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat necessitatibus.*

f Hom. 51. ad popul.

g 1. Offic. c. 28.

132 Et qui contrà faciunt, fures bonorum pauperum, ipsorumque interfectores appellantur: contra quos Bern. h ita clamantes pauperes inducit: *Nobis frigore & fame laborantibus, quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditur: vita nostra cedit in superfluas copias vestras: nostris necessitatibus subtrahitur, quidquid accedit vestris vanitatibus. Duo denique mala ex una prodeunt radice cupiditatis, dum vos vanitate peritis, & nos spoliando perimitis. Huc accedit, quòd hæc omnia non negotiationis studio, non proprio manuum exercitio elaborastis, sed nec jure hæreditatis possidetis, nisi fortè in corde vestro dixeritis: Hæreditate possideamus nobis sanctuarium Dei. Hi omnes in futuro stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, stante pro eis patre orphanorum, & judice viduarum.* Hæc Bern. de ecclesiasticis. Et Ambros. arcam avari sacerdotis pauperum sepulturam dixit, quia in ea recondit illa, quibus pauperes erant sustentandi, ne præ fame perirent. i *Cave ne intra loculos tuos includas salutem inopum, & tamquam in tumulis sepelias vitam pauperum.*

h Ep. 42.

i Ambr. offic. c. 2.

133 Si verò Parochi redditus tenues sint, ut vix sufficiant pro ejus ac familiæ sustentatione, adhuc tamquam pater aliquid de proprio victu, & vestitu subtrahat, ut charissimorum filiorum miserias aliqua ratione sublevet, exemplo S. Tobiæ, qui morti proximus filio sic dicebat: l *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum, etiam ex illo libenter impertiri stude.* Quod etiam commendabat Aug. m *Mementote quid pauperem vitam sacerdos gerere debeat, ut quod superest, pauperibus dare non differat, quia omnia, quæ habet, sunt pauperum.* Et Chrys. n *Si duo minuta contuleris, dummodo id ex facultate facias, tunc præclarum facinus fecisti; si panis frustum, quia nihil aliud habes, dedisti, ad hujus artis fastigium ascendisti.*

l Tob. 4. 9.

m Ser. ad frat.

n Hom. de Pœnit.

134 Potest autem Parochus se ad hanc charitatem excitare ex officii sui memoria, cùm enim sit pauperum pater, hujus nominis recordetur, quia si patres carnales, ut filiis subveniant, panem ex ore subtrahunt, natura ad id impellente, quid non faciet gratia in patre spirituali? maximè quia pro suis ovibus vitam profundere debet, cùm se occasio obtulerit. o *Bonus enim Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Quantò ergo magis panem, & vestem? Quomodo credendo est amare tamquam pater Pastor ille, qui videns filiorum indigentiam, illis non subvenit, prout potest? dicit enim S. Joan. p *Si quis viderit fratrem suum necessitatem pati, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo?* Nam amare aliquem

o Joa. 10. 11.

p 1. Joa. 3. 17.

con-

convincitur, qui cum eo in necessitatibus suis, etiam quæ sibi sunt necessaria, partitur, quia probatio dilectionis exhibitio est operis. Si hoc autem non faciat, timeat illam Dei comminationem: q *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges à Pastoribus pascuntur?* Accedit, quia hæc misericordia Parochum maximè commendabilem reddit apud suum populum, conciliat enim amorem, & benevolentiam subditorum. Unde facilius vocem ejus audiunt, consilia exequuntur, exhortationibus obediunt: auget bonam existimationem, quæ spernenda non est, sed procuranda, ut Deus honoretur, & populus ædificetur.

q Ezech. 34.2.

135 r Parochus igitur pauper, qui non habet unde tribuat, si indigentia sit ordinaria, & communis eorum, qui ostiatim petunt, & accipiunt si non ab uno, saltem ab alio, nihil agat, nisi commendare fidelibus, ut sint misericordes in pauperes. Si indigentia sit insolita, commendet necessitatem divitibus, ut ab eis indigentes accipiant. Si hoc fieri non possit: ipse curet accipere ab aliis, quibus necessitates exponat, & data porrigat, & videat populus ab ipso dari, quæ danda accipit, quia sic libentius dabunt. Bonum foret, si institueret aliquam sodalitatem, quæ miserabilium personarum curam gerat, vel si hoc non potest, notificet populo indigentiam commendans, ut eleemosynas faciant personis fidelibus ab ipso destinatis, vel electis à principalibus populi, & ipse cum duobus electis distribuat necessitatem patientibus, habeatque præcipuam curam illorum, qui secreta paupertate premuntur, & maximè eorum, qui sunt honestæ conditionis, bonisque moribus prædicti: Hæc Possevinus. Adderem ego, ut Parochus Episcopum suum moneret de magna populi oppressione, ut tamquam communis pater succurreret.

r Possev. c.12. n.55.

136 Secundò, exercenda est hæc paterna cura erga personas miserabiles in eo, ut opera, consilio, & patrocinio pauperibus viduis, & orphanis subveniat. Si enim Parochus, qui miserabilibus pro patre est, miseros filios deserat, ad quem confugient? quapropter talium personarum advocatus sit, & defensor, de hocque titulo glorietur, ut Deum, cujus vices gerit, imitetur, de quo dicitur: s *Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor.* Unde Greg. t *Officii sacerdotalis est, ut maritali regimine desolatis impertiri solatia debeatis, unde in hoc mundo, humana consolatione privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire.* Quare sui officii memor miseris faciles aures præbeat, benignè audiat, ipsorum necessitates, & afflictiones, cum omni affabilitate consoletur, seque non tantùm verbis, sed re ipsa patrem exhibeat. Studeat, quantùm potest, pauperes omnes suæ Parœciæ agnoscere, ut illorum miseria magis perspecta facilius patrocinetur, in quo etiam aliarum piarum personarum opera, & charitate utatur, quas ad hoc charitatis opus excitabit, sicut dictum est de eleemosyna.

s Ps. 9. 14.
t 1. Reg. c.13.

137 u Lessius existimat Parochum solùm teneri defendere suos in ordine ad spiritualia; v. c. ne Parochiani doctrina prava inficiantur, ne Sacramenta eis denegentur &c. Verùm loquitur de obligatione justitiæ, ex qua ad hoc solùm tenetur ex probabiliori sententia contra Nav. qui putat ex justitia teneri in omni materia. Tenetur ergo Parochus, si non ex justitia, saltem ex charitate arctius quidem, quàm alii fideles, pauperum, & miserabilium personarum curam paternam gerere, ut benè monet Concilium in principio capitis relatum. Quare sciat se positum in refugium, & spem omnium suorum auxilio indigentium, ne miseri omni spe destituti desperent. In hoc tamen sit prudens, & cautus, ne dum vult miserabiles defendere, transeat in sinistram opinionem populi. Si v.c. personæ defendendæ sint tales, de quibus haberi possit suspicio, ut fœminæ capaces malæ opinionis. Ideò cum his ita se gerat, ut auxilium præstet, si petatur; vel si videat omni alio adjutorio carere, cum omni tamen cautela, & possibili circumspectione, ut charitas locum habeat, & omnis suspicionis umbra evitetur.

u Lib.2.c. 9.n.94.

138 Tertiò exercenda est hæc paterna cura cum personis miserabilibus suæ Parœciæ etiam post mortem, adjuvando illas cum suis orationibus, sacrificiis, & piis operibus; hoc enim debet officio Pastoris, & patris spiritualis, si eam charitatem attendamus, quæ est digna vero Pastore, quæ etiam ad mortuos se extendere debet. Quare

estò

Digitized by Google

estò nulla sit mercedis obligatio, quæ ferè non est in his personis, à pœnis purgatorii eas sublevare debet Parochus meliori modo, quo possit: nam si pro illis solùm offerat sacrificium, pro quibus stipendium accipit, alios verò deserat, non Pastorem, sed mercenarium se exhibebit.

139 Si enim pauperi esurienti succurrere tenetur, ne corporali fame afflictetur, cur non animæ, quæ gravissimis pœnis cruciatur, ne in illis multo tempore detineatur? Accedit, quia si omnes Christi fideles Defunctorum animas, ob eam, quæ inter ipsos est fidei, & charitatis conjunctionem, omni ope juvare debent, quid dicendum de Pastore, qui præter commune vinculum, peculiari quodam nexu suis ovibus obligatur? ad quem proinde è purgatorio credendum est clamare, non solùm tamquam ad amicum
x Iob. 19. 21. illis verbis Jobi: x *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Sed tamquam ad patrem. Numquid non filii tui sumus? numquid non tuis nos uberibus lactasti? Cur ergo non commoventur viscera Patris tanta filiorum inspecta necessitate? quare filiorum patrem carpit oblivio?

140 Certè non desunt Parochi, sicut nec alii fideles, qui in hac parte magna florent laude, quibus nulla major cura, quàm animarum memoria in suis orationibus, sacrificiis, & satisfactionibus, qui proinde se veros patres, & fratres ostendunt, quibus animæ vicem rependunt: cùm enim sanctæ sint, & Deo per gratiam, & charitatem unitæ ex ipsis etiam flammis, in quibus sunt, magno affectu Deum precantur pro suis benefactoribus, id postea perfectius acturæ, cùm ad regnum fuerint introductæ, ad quod certum jus habent, & certissimè consequentur, satisfacta prius divina justitia. Unde si bonus Parochus Missæ sacrificio, & orationibus suis illarum reatus abstergat, ipsasque in Dei conspectu collocet eo fruituras, ultra quod Deo rem gratissimam faciet, & sibi valde meritoriam; hoc tam insigni beneficio sibi devinctas habebit animas in regno Dei, ut cumulatissimè gratiam acceptam rependant. Sed de hoc latius l. 12.

LIBER

Digitized by Google

LIBER SEPTIMUS, *DE* DOCTRINA CHRISTIANA A PAROCHO Tradenda, & explicanda.

LIb. 2. cap. 5. oſtendimus teneri Parochum ratione officii docere plebem ſuam doctrinam Chriſtianam, hoc eſt, rudimenta fidei; quæ omnes Chriſtiani ſcire tenentur. Cùm autem univerſi Chriſti fideles ad tria teneantur, nempe ad credendum, orandum, & operandum, hæc tria Parochus docere debet. Primum implebit, docendo Symbolum Apoſtolorum, in quo continentur articuli fidei noſtræ. Secundum præſtabit, docendo orationem Dominicam nobis à Chriſto traditam ad orandum, cui addenda eſt ſalutatio Angelica, licèt non ex eadem neceſſitate. Tertium explebit docendo mandata decalogi, quibus jungenda ſunt quinque præcepta Eccleſiæ omnibus communia, & ſeptem vitia capitalia. Quia verò ſatis non eſt iſta docere, ut ſolùm in memoria teneantur, ſed ut percipiatur eorum ſenſus, ut perfectè, & pro dignitate Parochus hæc docere poſſit; poſt aliqua de hoc munere docendi doctrinam Chriſtianam, tradam in hoc lib. luculentam Symboli expoſitionem, deinde orationis Dominicæ, & ſalutationis Angelicæ declarationes. Lib. verò ſequenti explicabo decem præcepta decalogi, & quinque mandata Eccleſiæ; ſeptemque vitia capitalia; unde poterit ſumere quidquid viſum fuerit ad illorum declarationem. Nam quæ ibi dicenda ſunt, majori ex parte inſervient ad ſacras Confeſſiones audiendas cum debita ſcientia doctrinæ moralis.

Digitized by Google

CAPUT PRIMUM.

Omnes fideles tenentur scire doctrinam Christianam.

NEmo potest Christianè vivere, nisi sciat Christi doctrinam; sicut non potest aliquam artem profiteri, si regulas illius ignoret. Cùm igitur vita Christiana sit via ad æternam comparandam, opus est scire quibus mediis hæc obtinenda sit: hæc autem media, in genere loquendo, sunt tria; nempe credere, orare, & benè operari.

2 Debemus igitur credere quidquid continetur in Symbolo, videlicet Deum esse unum in substantia, & trinum in personis, nimirum Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Filium Dei, qui est secunda persona Trinitatis, factum fuisse hominem virtute Spiritus sancti, natum de beata Maria virgine, quæ virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit: Passum, crucifixum, mortuum, ac sepultum. A mortuis resurrexisse, & in Cœlum ascendisse. In Ecclesia esse Sacramenta gratiam conferentia. Sine Baptismo neminem salvari posse. Deum esse datorem gloriæ bonis, & justis tribuendæ. Improbos in inferno in æternum puniendos, & per consequens animam nostram esse immortalem. In Sacramento altaris esse verè Christi corpus. Esse Ecclesiam, communicationem Sanctorum, remissionem peccatorum, futuram resurrectionem carnis, & vitam æternam.

3 Debemus item scire orationem Dominicam, in qua continentur illa, quibus indigemus, & à Deo petenda sunt tamquam à supremo Domino, cui, orando, & petendo, cultum exhibemus. Est enim oratio actus religionis, quæ Deo cultum, ac honorem præstat. Ut autem benè oremus, oportet sufficienter intelligere petitiones ibi contentas. Quamvis autem salutatio Angelica non sit in præcepto, sicut oratio Dominica; est tamen valde conveniens Christianæ pietati, ut fideles per eam implorent auxilium, ac intercessionem sanctissimæ Matris Dei.

4 Debemus denique benè operari, quod quidem consistit in faciendo bonum, & fugiendo malum; ad quod opus est scire Dei mandata, in quibus præcipiuntur bona necessariò facienda ad morum honestatem, & prohibentur mala, quæ ad eamdem conservandam fugere tenemur. Unde necessarium est scire decem præcepta decalogi, eaque sufficienter intelligere, ut sciamus quid in ipsis præcipiatur, & prohibeatur. Opus etiam est scire mandata generalia Ecclesiæ omnibus communia, eaque satis percipere. Multum etiam juvabit scire generalia vitia, & virtutes oppositas. Quæ omnia in hoc, & sequenti lib. explicabuntur.

5 An verò omnes Christiani teneantur memoriter scire doctrinæ Christianæ rudimenta, quæ in prædictis continentur? Conveniunt [a] Doctores illa esse memoriter addiscenda. An verò sub peccato ad id teneantur? Alii affirmant, alii negant: omnes tamen conveniunt teneri singulos de necessitate scire eorum substantiam, v. c. Deum esse unum, & tres personas, Deum esse colendum, non pejerandum &c. Deum esse orandum, ab eoque petenda, quæ in oratione Dominica continentur, quamvis seriatim, ordinatimque non teneantur in memoria, prout scripta sunt, illa habere.

[a] Azor 1. p. l. 8. c. 7. q. 5. & 6. Possev. c. 4. n. 11.

6 Sed quid agendum cum persona rudi, quæ non potest omnes articulos Symboli capere, sufficiet ne, ut credat implicitè quidquid credit Ecclesia? In primis [b] satis est, si credat explicitè articulos Symboli, in quibus implicitè continentur omnia alia credenda. Si verò persona sit adeò obtusa, ut omnes capere non possit; sufficiet, si capiat clariores, & principaliores, reliquos verò credat, ut credit Ecclesia. Credere verò explicitè, est credere ut verba sonant.

[b] D. Thom. 2. 2 q. 25. a. 5. Azor. c. 8. q. 6. Toler. l. 4. c. 2. n. 8.

7 Quæres autem primò, an ignorantia ista excuset à peccato? Resp. 1. [c] Si quis ignoret omnes articulos, & quoad verba, & quoad sensum; excusari, quando ignorantia fuit invincibilis: quia v. c. à pueritia quis fuit malè educatus, absque ulla cura docendi illum res fidei, vel quia parentes non habuit, à quibus doceretur; vel quia isti fuerunt negligentes, vel quia in silvis more bestiæ fuit educatus; vel quia fuit enutritus inter infideles Deum ignorantes. Inter Christianos verò difficile est inveniri eam omnimodam ignorantiam omnium articulorum fidei. Tenetur autem talem igno-

[c] Azor. q. 7

ignorantiam depellere, & Parochus de illa conscius tenetur hujusmodi instruere, vel per se, vel per alios.

dAzor.q.8 8 Respond. secundò. [d] Si ignoret tantùm aliquos articulos, sciat verò principaliores saltem quoad sensum, si per eum non stetit, quominus omnes necessarios sciret, excusabitur à peccato, sicut etiam si credat aliqua falsa, quia de illis fuit edoctus: nam per illum non stetit, quominus veritatem sciret, sicut excusabitur, si putans credere vera, credat falsa, v. c. Deum habere corpus, & similia. Tenetur verò, quando adverterit, vel admonitus fuerit se nescire credenda, aut falsa credere, facere diligentiam, ut addiscat necessaria, & Parochus de hoc conscius tenebitur instruere per se, vel per alios.

9 Quæres secundò, an ignorantia decalogi excusetur à peccato? Respond. [e] primò circa principia juris naturalis, quæ explicitè continentur in decalogo, qualia sunt illa: *Bonum est faciendum, malum fugiendum: quod tibi non vis, alteri ne facias*. Non posse esse ignorantiam inculpabilem; quia ista principia sunt per se nota humanæ naturæ & secundùm se, & quoad nos.

e Sanch.3. decal.c.16 n. 33. Layr.lib.2. c. 9. n. 17.

10 Respond. secundò, [f] præcepta decalogi circa actus externos, quæ facilè deducuntur ex principiis adductis, regulariter, & per se loquendo, non posse inculpabiliter ignorari. Quia Deum esse colendum, parentes honorandos, vitam, famam, & bona externa non esse contra justitiam à proximo auferenda; sunt adeò proxima primis principiis, ut non videantur posse ignorari ab illis, qui talia principia penetrant. Dixi: *Circa actus externos*. Quia nonum, & decimum præceptum, quæ prohibent actus merè internos, fortassè poterunt aliquando invincibiliter ignorari. Idem aliqui dicunt de fornicatione simplici, & pollutione voluntaria. Quare Parochus invigilet, & si fuerint istæ, aut similes ignorantiæ saltem in pueris, & rudibus, ab eis liberet, docendo veritatem.

f DD.proximè.

11 Quæres tertiò, an Parochus teneatur arcere à Sacramentis nescientes prædicta? Respond. primò, si talis ignorantia fuerit inculpabilis, vel quia nescierunt se teneri hæc scire, vel si de ea admoniti caruerunt magistro, vel quia curis distenti non potuerunt vacare illis addiscendis, non fore arcendos, quia inculpatè ignorarunt. Et idem est, si semel, aut iterum fuerunt admoniti, licèt id non præstiterint, dummodo sint parati ad addiscendum. Ita sumitur ex cap. Deus, qui, de pœn. & remis. docentque Doctores. [g]

gAzor.q.5

12 Si verò sæpè admoniti neglexerunt addiscere, non sunt admittendi, donec addiscant. Quod si id fieri nequeat, Parochus modo aptiori instruat, & Sacramenta conferat. Bonum autem erit, si imponat in pœnitentiam, ut addiscant, sicut etiam videre, an pueri, & puellæ, quando accedunt ad confessionem, hæc sciant. Et si deprehendat ignorantiam, instruere, & facere, ut instruantur per parentes, & alias personas accommodatas: & qui memoria pollent, cogantur memoriter addiscere in forma ordinaria: qui verò rudes sunt, compellantur addiscere saltem quoad substantiam. Insuper benè faciet, ut monet Possev. [h] si ad matrimonium non admittat ista ignorantes, nec ad compaternitatem, ut hoc stimulo ea memoriæ commendent.

hCap.4.n. 12.

CAPUT SECUNDUM.

Quomodo Parochus docere debeat doctrinam Christianam.

Lib. 2. cap. 5. dictum est teneri Parochum ad docendam doctrinam Christianam, quia ipsius est instruere ignorantes de rebus ad salutem necessariis, & ita decernit Trident. ibi relatum. Et Parochus peccabit mortaliter, si in hoc munere negligens fuerit, ut etiam ibi dictum est, & Episcopus, constando sibi de hac negligentia, potest ex fructibus illius assignare congruam portionem alteri, qui hoc ministerium adimpleat. Et Riccius ait fuisse suspensum ab officio curæ Parochum, qui rudimenta fidei non docebat, quod etiam refert Barbosa. [a] 13

a1.p.c.15

14 Hæc autem sunt intelligenda, si aliter provisum non sit huic ministerio. Quia si aliter sit provisum ex Episcopi constitutione, vel aliunde, id observari poterit. Semper tamen laudabile erit, quòd Parochus hoc munus omninò non prætermittat, ut monet Possev. [b] In civitatibus autem, & grandioribus locis, ubi sunt magistri, qui pueros docent legere, & scribere, solent rudi-

bCap.4.n. 5.

Digitized by Google

rudimenta fidei ab ipsis inculcari: debet tamen Parochus invigilare, ut id fideliter, ac diligenter præstent, & scire, an pueri proficiant. Si autem velit, quòd proficiant, præmiola diligentioribus assignet, magistrosque laudet, & muneribus afficiat, ut alliciantur, & diligentius se gerant in negotio proprio Parochi agendo, quos proinde sæpius visitabit in scholis, ut videat quomodo doceant, illosque dirigat, si opus fuerit. In locis autem, in quibus est Societas nostra, quæ huic ministerio ex instituto vacat, satis erit cogere pueros, & personas rudes Parochiæ, ut diebus consuetis ad doctrinam accedant. Et tunc satis erit Parocho rudes, & agrestes, si fortè sint, instruere, aut curare, ut instruantur, & diebus festis exponat aliqua mysteria, quorum explicatione etiam indigent personæ grandiores, & urbaniores.

15 Major difficultas est in oppidulis, & parœciis ruralibus, ubi neque sunt magistri scholæ, neque aliqua commoditas ex supradictis, quia solent homines à primis annis labori rurali vacare, excolendo agros, vel pecora custodiendo. In primis curabit Parochus in qualibet domo patrisfamilias, qui multos habet servos, aliquem deligere satis instructum, qui alios doceat. Et commendet parentibus, ut filios instruant, & patribusfamilias, ut rudiores servos per se, vel per aliquem domesticum doceat.

16 Ipse verò Parochus per se diebus Dominicis, & festis, juxta Concilium, quando populus ad Missam convenit, ante eam convocet pueros, & rudes, eosque doceat; & si aliquando sit impeditus, id committat capellano, si illum habet, vel alteri personæ, admoneatque parentes, & patresfamilias, ut hora competenti pueros, & servos rudes mittant, ut ante Missam doceri possint. Et si hoc saltem semper fieri non possit; ipse ante Offertorium aliqua doceat de rudimentis fidei. Et quia eisdem diebus tenetur prædicare, ut lib. 5. dictum est: erit optima, & fructuosa prædicatio, si per quadrantem aliquid dicat in ordine ad mores, & per alium aliquid exponat de rudimentis fidei, v. c. uno die exponat unum, vel alterum articulum Symboli, juxta declarationem tradendam cap. sequenti, & altero alios, usque dum finiat. Postea idem faciat circa præcepta decalogi, & mandata Ecclesiæ; deinde percurrat petitiones orationis Dominicæ. Et postquam omnia finierit, iterum incipiat, & ita populus instruetur, & qui audierunt, poterunt instruere eos, qui in servitio remanserunt, & ipse semper habebit materiam exhortandi absque labore.

17 Tenetur autem Parochus juxta c Concilium, non solùm docere rudimenta fidei, sed etiam obedien- c Sess. 24. c. 4. de ref.
tiam erga Deum & parentes. Hanc autem obedientiam sufficienter docebit, si doceat decalogum explicitè, secundùm illius declarationem tradendam lib. sequenti, quia in ipso continetur prædicta obedientia. Ut autem benè d doceat, non solùm curet, ut pueri, ac rudes addiscant d Possev. c. 40. 5.
Symbolum, decalogum, & reliqua Fidei rudimenta, sed faciat varias interrogationes in qualibet materia, ut intelligant quæ didicerunt, ne recitent tamquam psitaci sine intelligentia: ad hoc autem habeat libellum aureum doctrinæ Christianæ, quo utuntur Patres nostræ Societatis, in quo clarè, & breviter explicantur per interrogationes accommodatas, quibus pueri, & rudes, imò & politiores facilè possunt instrui. Optimum autem erit, si pueros, aut etiam grandiores piis munusculis alliciat, & omnibus se benevolum, facilem, & lenem præbeat in hoc tam necessario ministerio, quia omnes attrahet, ut ametur tamquam Pater, ipsumque amanter audient.

18 Nec despiciat hoc ministerium quasi vile, estò sit doctissimus, quia vile non est, sed altissimum, & magni meriti, & laudis, ex quo pendet maxima pars profectus spiritualis. Nam nullum violentum est durabile; quæ autem instillantur à pueritia, fiunt quasi naturalia, & transeunt in eam firmitatem, quam habet natura. Et sæpè pueri, & majores addiscunt in hoc ministerio, quæ nec grandiores audiunt à prædicatoribus. Unde si benè imbuantur in tenera ætate, postea cùm filios susceperint, eos benè instruent; & ita quasi jure hæreditario transibit in posteros doctrina fidei, & timor Domini. Ut autem æstimet hoc do-

cendi munus, legat quæ diximus lib. 2. cap. 5.

e Cap.4. n. 14. 19 Hinc ait Possev. [e] optimum esse consilium, si Parochus in sua Parochia se personaliter intromittat in hoc exercitium, etiam si per alios rectè administretur. Quia sicut dominus familiæ bonum judicat totam ejus familiam secundùm suum genium esse instructam, ita bonum erit populum ad genium sui Pastoris instrui. Et ita multa cum facilitate perficiet, quæ alias majori cura absolvenda erunt, præcipuè cùm hac occasione possit docere modum confessionis faciendæ, & abstinendi à multis abusibus, de quibus nullus melius potest instruere, quàm ipse Parochus. Et addit: Videbit, qui hoc consilium secutus fuerit, brevi tempore multa bona præcipuè contra blasphemias, juramenta consuetudinaria, superstitiones, & alios pravos mores: contra quos procurabit, ut pueri addiscant cantilenas sacras, & modestas, quæ sunt in libello, de quo suprà, quia profanæ valde Deo displicent, & nocent juventuti, imò & majoribus.

CAPUT TERTIUM.

Exponitur Symbolum Apostolorum, ut Parochus congruè ejus mysteria declarare possit.

20 SYmbolum Apostolorum dicitur epilogus ille mysteriorum fidei, quem dicimus, *Credo*. Quia ab Apostolis compositus fuit, ut fideles docerentur de fidei mysteriis. Hoc Symbolum explicandum nobis est, & omnes articuli declarandi, qui in eo continentur, ut Parochus juxta hanc explicationem populum suum instruat, eique declaret mysteria fidei ad salutem necessaria. Placuit autem tradere explicationem illam, quæ scripta fuit à Cardinale Bellarm. ad Parochos suæ diœcesis instruendos, quia propter insignem tanti viri doctrinam, & sanctitatem, erit magis in pretio. Unde ad litteram eam transferam ex Italico; Italicè enim typis data fuit, reddendo eam fideliter Latinam, ut omnibus prodesse queat.

SECTIO I.

Proœmium ad Symbolum Apostolorum:

UNa ex magis necessariis rebus ad æternam salutem, est cognitio Dei & Christi Redemptoris, ut Redemptor ipse docuit verbis illis: [a] *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti, Iesum Christum*. Deus est finis ultimus & summum bonum hominis; Christus verò est medium unicum ad Deum obtinendum: [b] *Nemo venit ad Patrem, nisi per me*. Non potest autem amari, & desiderari id, quod non cognoscitur. Unde principium salutis, ac totius nostri boni consistit in cognitione Dei, & Christi saltem per fidem, nam perfecta scientia, & clara visio non est hujus vitæ. Volo igitur cum Dei gratia, ad juvandum populum mihi commissum, cum majori facilitate, & claritate mihi possibili, declarare omnia mysteria nostræ fidei accommodando me ad capacitatem simplicium, mulierum, & puerorum, ut omnes sciant quid credere debeant, ut purgati, & illuminati per fidem accingantur ad viam veræ & æternæ felicitatis. Dicam igitur quid sit Symbolum Apostolorum, quare hoc vocetur nomine, quæ sit ejus necessitas & utilitas, & tandem declarabo singulas ejus partes, & verba. 21

a Ioa.17.3.

b Ioa.6.44.

22 Symbolum ergo Apostolorum est quædam brevis summa, seu epilogus omnium rerum, quas Deus revelavit in sacris Scripturis per Prophetas, & Apostolos. Quia verò non omnes fideles poterant legere, & intelligere Scripturas sacras, Apostoli mundi magistri reduxerunt ad breve compendium continens duodecim sententias, quidquid erat necessarium, ut omnes intelligerent, & crederent. Hoc autem compendium vocatur Symbolum, idest signum, quia hoc est signum discernens fideles ab infidelibus, Paganis, Judæis, & Mahometanis. Hæretici non confitentur integram fidem, sed alii unam partem, alii aliam: solùm veri fideles Christiani, & Catholici integram fidem confitentur, sicut eam sancti Apostoli docuerunt, & ideo habent pro signo hoc Symbolum, quod dicitur Apostolicum, quia ab Apostolis compositum fuit, & dividitur in duodecim partes

Digitized by Google

epist. 13 tes juxta numerum Apostolorum, ut scribit c sanctus Leo ad imperatricem Pulcheriam.

23 Partes hujus Symboli dicuntur articuli, quia sunt brevissimæ: articulus enim significat parvulum membrum corporis; v. c. manus est membrum principale, digiti verò sunt articuli, quia sunt partes & membra parvula ejusdem manus. Itaque duodecim articuli Symboli Apostolici sunt duodecim parvulæ, seu breves sententiæ, in quibus continetur confessio fidei Christianæ, quam scire, & intelligere saltem sufficienter necessarium est omni Christiano. Nec satis est dicere: *Credo, quod credit sancta Ecclesia*. Quia fides ita generalis solùm sufficit in illis rebus, quas non omnes tenentur scire: at sententiæ Symboli in particulari necessariò sciendæ sunt, & credendæ expresse. Quare sicut nemo adultus admittitur ad Baptismum, qui nesciat recitare hoc Symbolum; & si est parvulus, recitatur à patrino: ita nemo deberet admitti ad aliud Sacramentum, qui nesciret Symbolum.

24 Et ratio est manifesta, quia omnia Sacramenta instituta sunt ad gratiam conferendam, gratia autem requirit dispositionem suam, quæ consistit in actibus credendi, sperandi, & amandi. Quomodo ergo potest credere, qui nescit quid sit credendum? Quomodo potest sperare in Deo, & in meritis Christi, qui caret notitia Dei, & Christi? Quomodo potest Deum, gratiamque ejus desiderare, qui non habet Dei cognitionem, & mysteriorum ipsius? Et ideo imposita est strictissima obligatio Episcopis, Parochis, parentibus, & compatribus docendi pueros de rebus istis, ut si unus desit, alius suppleat, & nullus sit nec grandis, nec parvulus; nec homo, nec mulier, qui possit se excusare, quòd non habuerit, à quo doceretur de rebus ad salutem necessariis.

25 Utilitas autem sciendi benè Symbolum, magna est, quamvis alioqui illius scientia necessaria non foret, ut reverà est. Nam in primis qui scit, & intelligit Symbolum, est doctior, & sapientior omnibus Ethnicis. Unde verè dici potest pueros Christianos plus scire de rebus altissimis Dei, quàm omnes doctores Ethnicos, Judæos, Turcas, & Hæreticos. Præterea qui scit, & intelligit Symbolum, habet arma contra omnes hæreses, contra omnes tentationes, & peccata: quia si aliquis vult docere res contrarias Symbolo Apostolorum, est certissimum illum esse hæreticum, & Dei inimicum, & ut talis fugi potest: qui autem Symbolum nescit, quomodo fugiet hos lupos inferni?

26 Similiter Symbolum est armamentum contra omnes tentationes. Nam qui firmiter credit Deum esse, ejusque omnipotentiam, non audet illum offendere. Et qui credit Salvatorem mundi mortuum fuisse pro nobis, ne sit tanto benefactori ingratus, animatur ad fugiendum quidquid ei displicere potest. Qui credit esse vitam æternam, & carnis resurrectionem, omnesque bonos futuros esse beatos in anima, & corpore sine fine, omnesque malos fore miseros in æternum, contemnit bona præsentia, & mala non timet, omnesque vincit tentationes. Unde dixit S. Petrus: d *Cui resistite fortes in fide*. Et Paulus: e *In omnibus sumentes scutum fidei*. Et Joan. f *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra*. Denique utilissimum est scire Symbolum, quia præbet materiam latissimam contemplandi res divinas, & conversandi cum Deo per earum contemplationem, elevandique mentem in altum, ita ut longè à mundi tumultibus incipiamus gaudere ea pace, & consolatione, quæ viget in patria.

d 1. Petri 5. 9.
e Ephes. 6. 11.
f 1 Joa. 5. 4.

c *Institutio Parochi.*

SECTIO II.

Explicatio primi articuli: Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

Primum verbum, *Credo*, est commune omnibus aliis articulis, & debet intelligi, & præsupponi omnibus. Credere autem est habere rem aliquam pro certa, propter authoritatem illius, qui eam affirmavit. Unde distinguitur à *videre*, quod fundatur in evidentia; & à scire quod fundatur in ratione clara. Si à te quæram: Credis nunc esse diem? Respondebis: Non credo, sed video. Si quæram: Credis tria, & tria facere sex? Respondebis: Non credo, sed scio, quia tria est pars sex; ergo tria, & tria faciunt sex. Si quæram: Credis Regem Angliæ fuisse occisum? Respondebis: Credo, non tamen vi-

deo, neque scio, quia id affirmant tot homines, ut temeritas foret id negare. Igitur mysteria Symboli nec videntur, nec sciuntur, sed creduntur ob authoritatem Dei, qui ea revelavit sanctis Prophetis, & Apostolis. Et quia Dei authoritas est firmior nostro intuitu & ratione, ideo certiora habentur mysteria Symboli rebus ipsis, quæ videntur: nam nostri oculi possunt decipi, & ratio errare: Deus verò nec potest ullo modo falli, nec fallere, quia aliàs Deus non esset.

28 Sæpè homines anteponunt authoritatem alterius hominis rationi suæ, imò & aliquando ipsi etiam sensuum experientiæ. Si enim Philosophus dicit solem esse majorem tota terra, tu credis, licèt tibi talis non appareat, & plus credis scientiæ philosophi, quàm tuis oculis. Et si medicus dicit te laborare febri maligna, exhorteturque ad confessionem, quia brevì morieris: tu ei credis, & confiteris, quamvis judices te benè valere, & tamen scis illum hominem tibi posse mentiri. Quantùm ergo debemus esse securi, credendo cum omni certitudine id, quod Deus dicit, quamvis nec ratio, nec sensus id percipiat, quia sumus certi Deum non posse mentiri. [a] *Est enim Deus verax, & omnis homo mendax.* a Rom. 3. 4

29 Quia verò mysteria fidei sunt altissima, & supra rationem, Deus non solùm nobis loquitur per Scripturas, ac per vivas Prælatorum, & Prædicatorum voces, sed ipse interius illuminat, loquitur, & persuadet ad credendum, & sine isto interno lumine non inducimur ad credendum modo necessario. Propterea dixit Paulus: [b] *Ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei.* Et alibi dixit fidem esse donum Dei. Et Christus: [c] *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus, qui misit me, traxerit illum.* Et hoc est magnum beneficium, quòd Deus non solùm fecerit prædicari nobis fidem, sed etiam quòd ita nos illuminaverit, ut crediderimus tam alta mysteria, quod multis aliis non est concessum.

b 2. Cor. 4. 6.
c Ioa. 6. 44.

30 *In Deum.* Hoc verbum tria declarat. Primò, esse in mundo Deum. Secundò, hunc Deum esse unum solùm. Tertiò, esse Deum nostrum: sed antequam ista tria explicentur, opus est declarare quid intelligamus per Deum. Per Deum igitur significatur res quædam, qua alia major nec concipi, nec imaginari, nec intelligi potest. Hoc est, res altior, perfectior, & nobilior omnibus. Unde colligere possumus Deum non esse rem inanimatam, & consequenter non esse terram, solem, lunam, aut stellas, quæ omnia sunt inanimata, & inferiora rebus animatis. Unde Scriptura dicit Deum esse vivum: [d] *Vivo ego, dicit Dominus.* [e] *In ipso vita erat.* Ulterius scimus Deum non esse rem vivam, corpoream, & visibilem, quia nobiliores sunt res spirituales, & invisibiles, qualis est anima nostra. Unde de Deo dicitur: [f] *Regi sæculorum immortali, & invisibili.* Et alibi: [g] *Omnia in sapientia fecisti:* Et [h] *Qui fecit cœlos in intellectu.* Tandem concludimus Deum non esse intellectum mutabilem, sicut est noster, qui modò est ignorans, modò sapiens, modò scit multa, modò pauca, modò habet unam opinionem, modò alteram. Nam intellectus immutabilis est perfectior. Et ideò dicit Deus de se: [i] *Ego Deus, & non mutor.* [l] *Tu autem idem ipse es.*

d Isai. 49. 18.
e Ioa. 1. 4.
f 1. Tim. 1. 17.
g Ps. 103. 24.
h Ps. 135. 4.
i Malac. 3. 6.
l Ps. 101. 28

31 Est ergo Deus substantia quædam intellectualis infinitæ perfectionis, æterna, altissima, simplicissima, perfectissima, quæ locum non occupat, & omnia implet, seu ubique præsens est, omnia movet, & ipse immobilis perstat, quæ nulla re indiget, & omnia illa egent. Quòd igitur sit in mundo unus Deus talis, vivus, & verus, confitemur in principio hujus Symboli: estque veritas ista tam patens, ut etiam cognita fuerit ab Ethnicis, & non fuit negata, nisi à quodam sine judicio, ut dicitur in Ps. [m] *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus.* Et hoc dixit in corde, quia non est ausus ore proferre, sciens se ab omnibus fuisse reprehendendum. Habemus exemplum in anima nostra, quæ est invisibilis, quia spiritualis, & à nemine unquam visa fuit, & nihilominus sumus certissimi illam esse in corpore humano. Unde ergo habemus hanc certitudinem? Quia videmus hominem loqui, & operari cum ratione, & intellectu, quod aliæ animantes non faciunt. m Ps. 13. 1.

32 Qui invenisset in silvis palatium nobilissimum exquisitæ structuræ, proportionatum in altitudine, longitudine, cum ordine fenestrarum, atriis, amplissimis domibus, & aliis communibus, viridariis, fontibus, & similibus, & non reperisset nisi mures in pavimentis, hirundi-

rundines in laqueariis, avesque per tecta: existimaret ne palatium illud fuisse factum in silva illa à se ipso, vel à muribus, hirundinibus, aut avibus? Non quidem, sed potius crederet factum fuisse ab aliquo insigni architecto, quamvis pro tunc non compareret. Ita videntes nos fabricam hujus mundi tam benè ordinatam, & proportionatam, videntes cursus stellarum, germina terræ, varietatem temporum, estò non videamus à quo sit facta, certi tamen sumus, à se natam non fuisse, nec ab hominibus factam, qui in ea habitant, sed opus esse, quòd sit mens aliqua invisibilis, plena sapientia ac potentia, à qua facta fuerit, quæ ad nostram fidem in hoc mundo exercendam, non se permittit videri, videbitur autem in
n Matth. 5. 8. vita futura clarè ab oculis animæ. n *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* o *Videbimus eum sicuti est.*

o 1. Ioa. 3. 2.

33 Quòd hic Deus sit unus solus in sua essentia, & substantia, confitemur in Symbolo, dicentes: *In Deum.* Et clarius in Nicæno, quod legitur in Missa: *Credo in unum Deum.* Estque Scriptura plena hujus veritatis: p *Deus tuus, Deus unus est.* q *Tu es Deus solus.* r *Extra me non est Deus.* s *Vt cognoscant te solum Deum verum.* Et est conforme cum ratione ipsa, confessique fuerunt doctiores Philosophi. Nam si essent plures Dei, vel essent æquales, vel inæquales: si inæquales, major solus esset verus Deus, quia non est Deus, qui habet aliquid se majus. Si inæquales, nullus esset perfectissimus, quia cuilibet deesset alterius perfectio: unde nullus eorum esset verus Deus, quia Deo vero deesse non potest perfectio aliqua.

p Deut. 6. 4. q Ps. 85. 10. r Isai. 45. 5. s Ioa. 17. 3.

34 Quòd autem sit Deus noster, ostendit illud *In*. Non enim dicimus: *Credo Deum*, sed *Credo in Deum*: quod significat non solùm nos credere esse Deum, esseque unum, ut credimus multas res, quæ ad nos non pertinent, sed credimus Deum esse, esseque unum, & credendo in eum, in eo confidimus, illum amamus, desideramus, ejusque protectionem optamus.

35 *Patrem*. Hìc declaratur magnum mysterium nobis utilissimum, nempè quòd hic Deus sit fons, & causa rerum omnium, idque duobus modis. Primò, quòd sit principium intra semetipsum Filii sui unici, & naturalis, unde dicitur propriè *Pater*. De quo dicetur inferius in secundo artic. Secundò, quòd sit fons, & principium omnium creaturarum, quia omnes habent esse ab illo, & ex se nihil sunt: quare dicitur etiam *Pater* respectu creaturarum. f *Nonne ipse est Pater tuus, qui creavit te?* Nam sicut pater postquam produxit filium, illum non deserit, ut deserit faber cæmentarius domum à se factam, sed illum nutrit, fovet, instruit, & tandem hæreditatem donat: ita Deus tamquam Pater omnium creaturarum non solùm illas fecit, sed sustentat, conservat, & perficit, & secundùm earum naturas ad proprium finem conducit, & in particulari hominem ad æternam perducit hæreditatem. Ubi considerandum, quantùm Deo obligemur, quantumque ab ejus manu pendeamus. Si aliquis cæcus à medico visum recuperaret, quantùm eidem obligatus redderetur? Quantùm ergo obligamur Deo, à quo habemus visum, auditum, loquelam, & vitam ipsam? Et si quis esset in periculo perdendi oculum, vel manum, & ab alio ei conservarentur, quantùm ei fuisset debitor? Quantùm omnes debemus Deo, qui per singula momenta nobis conservat visum, manus, & omnes sensus? Et idem dici potest de bonis fortunæ, & gratiæ, & omnium aliarum rerum, quas, si Deus non daret, non haberemus; & si non conservaret, subitò perderentur: t *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Hoc est, qui nobis dat esse, conservat in vita, & movet ad operandum. Si autem Deus est fons totius bonitatis, pulchritudinis, nobilitatis, abundantiæ, & totius perfectionis, quàm erit ipse bonus, pulcher, nobilis, dives, & perfectus? Et quid ipsum possidere?

f Deut. 32. 2.

t Act. 17. 28.

36 *Omnipotentem*. Ne autem tibi videatur difficile Deum esse fontem, & causam omnium rerum, easque conservare, & gubernare per tot annorum millia, sine ullo labore, tibi dicitur in Symbolo istum Deum Patrem esse omnipotentem, neque esse instar hominis habentis plures filios, quos vellet sustentare secundùm gradum suum, sed non potest, quia Deus est omnipotens. Et quare est omnipotens? quia potest quidquid vult: u *Omnia, quæcumque voluit, fecit in cœlo & in terra.* x *Subest tibi, cùm volueris, posse, &c.* z *Nemo potest resistere voluntati tuæ.* Sed advertendum est non omnem illum, qui potest, quod

u Ps. 113. 3. x Sap. 12. 18. z Esth. 13. 9.

vult, esse absolutè omnipotentem, quia velle dependet ex cognitione: unde qui parum cognoscit, parum etiam vult, & ideò quamvis possit, quidquid vult, parum potest. At Deus, qui omnia cognoscit, potest velle res magnas, & semper majores in infinitum, & cùm possit quidquid vult, potest facere res maximas, & semper majores, ac majores in infinitum. Et hæc est vera omnipotentia, quæ soli Deo convenit.

37 Si mihi dicas: Deus non solùm est potentissimus, sed etiam sapientissimus, quia ad res producendas non solùm requiritur potentia, sed etiam sapientia. Quare ergo non fit mentio in hoc art. de sapientia, sicut de potentia? Resp. in potentia includi sapientiam, licèt in sapientia non includatur potentia; quia multi sciunt facere, qui verissimè facere non possunt: nullus tamen potest facere, qui non sciat facere. Unde dum Symbolum dicit Deum esse Patrem omnipotentem, simul dicit esse sapientissimum, quia sicut potest quidquid vult, ita scit facere quidquid vult. Nec dicas Deum non posse facere omnia, quia non potest peccare, errare, vel mori. Nam magna potentia est, non posse aliqua facere, & magna impotentia, ac debilitas posse illa facere: quando enim dicitur de aliquo duce, esse tam fortem, ut à nemine vinci possit: *Non posse vinci*. Est potentia, non impotentia. Ita similiter quando dicimus Deum non posse peccare, errare, vel mori: significare volumus esse tam bonum, ut à malitia vinci nequeat; esse tam sapientem, ut ab ignorantia vinci non possit; esse tam viventem, ut vinci à morte non valeat.

38 Ex his duobus verbis, *Patrem omnipotentem*, colligunt boni consolationem maximam. Quis enim potest nocere illis, qui Patrem habent omnipotentem, qui illis dare vult omne bonum, quia Pater est; & potest suam voluntatem implere, quia est omnipotens? Econtrà verò mali deberent infinitum timorem concipere: quia si Deus est illorum Pater, potest illos justè punire; & si est omnipotens, non est, qui eos possit à suis flagellis liberare? Ut autem credas Deum esse omnipotentem, ponitur ob oculos opus ejus, quod à solo omnipotente fieri poterat.

39 *Creatorem cœli & terræ*. Hæc cœli terræque creatio est clarus effectus omnipotentiæ Dei: [a] *Omnes dii gentium dæmonia, Dominus autem cœlos fecit*. In hoc cognoscitur omnes deos gentium non esse veros deos, sed dæmonia; Dominum autem nostrum esse solum verum Deum, quia solus ipse creavit cœlum. Adverte Deum fecisse totum hunc mundum sine sociis, sine instrumentis, sine temporis dilatione, labore, ac materia, qua ratione nos nec folium herbæ facere possumus, quamvis omnes simul creaturæ ad id vellent concurrere. Qualis ergo erit Dei potentia, quæ sine ulla materia, instrumento, aut labore, solùm volendo fecit non solùm herbas, sed cœlum creaturam immensam, & infinitam aliarum multitudinem? Nam & si duæ tantùm nominentur, cœlum nempe, & terra: in his omnes aliæ comprehenduntur. Cœlum enim comprehendit creaturas omnes incorruptibiles; terra autem omnes corruptibiles: quia aqua est in terra ad usum piscium: aer est super terram ad usum aliorum animalium. Nominantur autem hæ duæ partes principales, quia sunt domicilium duarum creaturarum, propter quas factæ sunt omnes aliæ: nam cœlum est palatium Angelorum, terra verò hominum habitatio.

40 Ut autem Dei omnipotentia magis distinctè cognosceretur, noluit Deus omnia facere in eodem momento, sed in sex diebus. [b] In primo, qui modò dicitur dies Dominica, fecit materiam totius mundi, sed sine distinctione, & ornatu instar pictoris, qui primò facit totam figuram sine coloribus, & membrorum distinctione; & postea paulatim eam perficit. Totam hanc materiam fecit Deus ex nihilo in momento, & sine alterius adjutorio, quia non erat alius præter illum: & hic fuit primus effectus omnipotentiæ Dei, & hinc dicitur propriè Creator, quia creare aliud non est, quàm facere aliquid ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto.

41 Postea fecit lucem. [c] Et fuit secundus effectus omnipotentiæ; fecit enim splendescere lucem, cùm adhuc non esset aliquod corpus lucidum, nec sol, nec cerei, nec lucernæ, ac si in hoc mundo inferiori media in nocte splenderet in aere lux magna, quin videretur unde procederet. In eodem puncto

[a] Ps. 95. 5.
[b] Gen. 1. 1.
[c] Gen. 1. 3.

Digitized by Google

cto existimatur Deus creasse Angelos, qui sunt lumina spiritualia, spiritusque nobilissimi, pleni sapientia, & virtute. Et hic fuit tertius effectus omnipotentiæ super omnes magnus, à nobis tamen parum cognitus. Hoc tantùm scimus esse in Cœlo exercitus innumerabiles Angelorum diversorum ordinum, nominum, dignitatum, officiorum in majori numero, & nobilitate, quàm sint homines. Et omnia ista fecit Deus in prima die.

42 In secunda cœpit operari in ordine ad partem superiorem illius magni mundi corporei, & formavit cœlum, [d] quod dicimus firmamentum, illudque distinxit à rebus inferioribus, de quo pauca scimus, quia valde distat ab oculis nostris. Dubitare tamen non possumus esse corpus nobilissimum, quia corpora quò sunt altiora, eò sunt nobiliora, esseque multò grandius, quàm possimus concipere, siquidem quælibet stella firmamenti, licèt minima, est major tota terra; videmus autem quòd sint in eo stellæ innumeræ, ex quibus cœli magnitudinem conjectari possumus.

[d] Gen. 1.7.

43 Die tertia cœpit operari in mundo hoc inferiori. Et primò separavit aquam à terra: [e] nam in prima creatione aqua operiebat terram ex omni parte; sed die tertia fecit Deus in ipsa cavernas magnas, & profunditates, ad quas reduxit omnes aquas maris, & fecit aliquos sulcos per terram, quibus flumina inclusit, unde remansit terra discooperta in magna parte, & aere circumdata. Et hic fuit etiam effectus magnus omnipotentiæ Dei; nam homines magnis cum expensis, labore, tempore, & instrumentis vix sufficiunt ad exsiccandam parvam paludem, & ad parvulum flumen declinandum. In eadem die eadem sola voluntate, & mandato fecit in momento, ut terra vestiretur herbis, floribus, & arboribus omnis generis, quæ fructibus maturis scatebant; adhuc enim non fuerat, qui terram excoleret, nec pluvia, qua irrigaretur, nec sol, qui calefaceret, sed omnia ista supplevit omnipotens voluntas Creatoris.

[e] Gen. 1.9.

44 Quarta die reversus est Deus ad operationes mundi superioris, & fecit in puncto solem, lunam, [f] & exercitum stellarum, quas posuit in Cœlo, & mandavit, ut in circuitu perpetuò moverentur ad distinguendum diem, & noctem, temporumque stationes, ut ita calefacerent res inferiores jam magis, jam minus. Quæ potentia requiritur ad faciendam tantam luminum multitudinem ita grandium, ac permanentium, ut in spatio quinque millium annorum nec sint extincta, nec imminuta, sed semper circumvolvantur admirabili velocitate?

[f] Gen. 1.15

45 Quinta die reversus ad terram similiter in puncto cum solo mandato produxit omne genus [g] piscium, & avium, quæ sunt quasi sine numero, quibus mandavit, ut crescerent, & multiplicarentur; & ita videmus observari hoc mandatum omnipotentis Creatoris, ut estò nullus homo sit, qui curet de conservatione piscium, aut avium, & non solùm homines perpetuò capiant, & ipsæ se ad invicem devorent, semper tamen conserventur in maximo numero. Eadem die eodem mandato produxit in puncto omne genus animalium terrestrium, silvestrium, & domesticorum, quibus etiam mandavit, ut multiplicarentur; & ita fecerunt, faciunt, facientque usque ad finem mundi. Et quamvis nemini sit cura sustentandi aliquas eorum species, v. c. lupos, serpentes, vulpes, & similes, & quilibet conetur occidere, & extinguere; nihilominus semper sunt in magna copia & semper erunt, quia opus est obedire mandato Creatoris.

[g] Gen. 1.20

46 Sexta denique die voluit Deus facere compendium omnium suorum operum, & fecit hominem, [h] in quo posuit qualitates omnium elementorum, vitam plantarum, sensus animalium, intellectum & liberum arbitrium Angelorum; & ita fecit creaturam cœlestem simul & terrestrem, compositam ex carne & spiritu, voluitque ut tamquam res facta ad imaginem Creatoris præesset creaturis omnibus inferioribus. Fecit illum ex terra, ne superbiret; dedit animam rationalem, ne vilis haberetur; postea fecit mulierem ex costa hominis.

[h] Gen. 1.27

47 Hic fuit ultimus effectus omnipotentiæ Dei in operibus creationis, & fuit maximus, & plenus mysteriorum, quia fuit sine hominis dolore; & ex illo parvulo osse fecit subitò corpus mulieris in magnitudine apta ad matrimonium. Fecit mulierem ex homine, ut origo generis humani non esset mulier, sed

ſed homo, ut mulieres non litigarent cum hominibus de primatu, ſed agnoſcerent ſe inferiores. Fecit illam ex coſta, non ex capite, nec ex pedibus, ut mulier nec ſit domina, nec ſerva, ſed ſocia mariti; ſubdita quidem, ſed non ut ſerva, ſed tamquam comes inferior, ac debilior marito in viribus corporis, & animi. Unde digni ſunt magna reprehenſione, qui ſinunt ſe adduci, & gubernari à mulieribus; ſicut & illi, qui eas verberant, & malè tractant i Ephes.5. 25. tamquam ſervas. Paulus [i] præcipit, ut viri diligant uxores, ſicut Chriſtus amavit Eccleſiam, amore conjugali, pleno tamen gravitatis, & modeſtiæ, ut magis quærant in uxoribus illarum ſalutem, ac utile conſortium, quàm propriam delectationem.

SECTIO III.

Explicatio ſecundi articuli: Et in Jeſum Chriſtum, Filium ejus unicum, Dominum noſtrum.

48 POſtquam ſancti Apoſtoli in primo art. dederunt qualemcumque notitiam Dei. In ſecundo procedunt ad dandam notitiam Chriſti, ut ſi infidelis à te quærat, quid ſit Chriſtus, à quo diceris Chriſtianus? Tu ſcias reſpondere, & non ſis ex numero eorum, qui neſciunt, quare dicantur Chriſtiani. In hoc ergo art. docent nos quatuor, nempe Chriſtum eſſe Salvatorem, Meſſiam, Filium unicum Dei, & Dominum noſtrum.

49 *Et in Ieſum*. Hoc primum verbum ſignificat Chriſtum eſſe Salvatorem, quod demonſtrat interpretatio huic nomini data ab Angelo Gabriele: a Luc.1.31 Matth. 1.21. [a] *Vocabis nomen ejus Ieſum: ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum*. Et ab alio Angelo, qui in nocte nativitatis Paſtoribus dixit: b Luc.2.10 [b] *Annuntio vobis gaudium magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator*. Sed quid propriè ſignificat ſalvator? ſignificat illum, qui liberat à periculo imminenti, ut ſi quis eſſet in periculo mortis, & peritiſſimus medicus illum ſanaret; hic diceretur hominem ſalvaſſe. Ita dixit Petrus, quando c Matth. 14. 30. erat in periculo ſubmerſionis: [c] *Domine ſalvum me fac*. Et alibi: d Matth.8. 12. [d] *Salva nos, perimus*. Dicitur ergo Chriſtus, *Ieſus*. Hoc eſt Salvator. Quia liberavit nos à morte æterna, cui eramus deſtinati per peccatum, & non erat alius, qui poſſet ſalvare: [e] *Non eſt aliud ſub Cœlo nomen, in quo oporteat nos ſalvos fieri*. e Act.4. 12. Ideò eſt Salvator univerſalis, & ſolus ille. Et nemo poteſt ſalvari, niſi per illum. Unde antiqui Patres ſalvati ſunt per merita futura ipſius Chriſti. Et qui non credit in illum, non poteſt habere ſpem ſalutis: [f] *Qui non credit, jam judicatus eſt* ad damnationem æternam. f Ioa.3.18. Ut autem cognoſcatur, quàm magna res ſit eſſe liberum à pœnis inferni, conſideret quantum malum ſit mors corporalis; & qua diligentia, anxietate, & expenſis procuratur ejus fuga. Et ſi aliquis dixiſſet: Quare ſic fatigaris ad mortem evadendam? Reſponderes, quia mors eſt majus malum, quod evenire poteſt. [g] *Pellem pro pelle dabit homo, & cuncta quæ habet pro anima ſua*. g Iob. 2. 4. Si ergo ita gravis æſtimatur mors temporalis, ad illamque differendam tanta fiunt, quid deberet fieri ad fugiendam æternam? Certum eſt faciendas res incredibiles, ſi benè cognoſceretur ejus ſuprema miſeria.

50 A periculo ergo evidenti, & à morte æterna, quæ omnibus imminebat, nos Chriſtus ſalvavit per ſuam ſanctam paſſionem: modus autem, quo ſalvavit à morte æterna, fuit liberando à peccato, quod affert debitum mortis æternæ: [h] *Stipendium peccati mors*. h Rom. 6. 23. Joan. [i] vocat peccatum mortem primam; i Apoc. 2. 11. infernum autem mortem ſecundam. Et ait illum, qui fuerit liber à prima morte, non ruiturum in ſecundam. A peccato nos liberat Chriſtus per Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, quæ virtutem habent ab ejus ſanguine; quia per ſuam paſſionem ſatisfecit pro noſtris peccatis; hæc autem ſatisfactio nobis applicatur per illa Sacramenta. Nos denique ſalvabit à morte corporali, quando nos reſuſcitabit: [l] *Salvatorem noſtrum expectamus, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ*. l Philip 3. 20. Unde hæc mors dicitur ſomnus, quia ab illo ſuſcitabimur per Chriſti virtutem, ut poſtea vivamus in æternum. [m] *Sicut per Adam omnes moriuntur, ita per Chriſtum omnes vivificabuntur*. m 1. Cor. 15. 22. Ex hoc nomine, quod ſignificat Salvatorem, intelligimus infinitè nos Chriſto obligari; quia nos liberavit à morte æterna, à morte peccati, & à morte corporis, non cum auro, & argento, nec per ſanguinem animalium, ſed per proprium ſanguinem.

Ideo-

Digitized by Google

Ideoque tantum honorem huic nomini exhibemus, caput discooperiendo, genua flectendo in memoriam, quòd Dominus, ut nos salvaret, se humiliavit usque ad mortem crucis.

51 *Christum*. Secundò docent Apostoli in hoc artic. hunc Salvatorem esse verum Messiam promissum ab omnibus Prophetis, unde dicitur Christus, qui in Hebreo vocatur Messias, & Latinè Unctus. Hæc autem nomina, *Messias, Christus, & Unctus*, significant tres maximas Domini dignitates. Nempe quòd sit summus, & æternus sacerdos: summus Rex, & orbis Monarcha, & summus Propheta. Quia ista tria genera personarum solebant consecrari cum unctione. Itaque significat Sacerdotem super omnes Sacerdotes, Regem super omnes Reges, & Prophetam super omnes Prophetas.

52 Est autem Christus Sacerdos supra omnes Sacerdotes, quia omnes alii Sacerdotes sunt ministri sacri, per quorum manus ipse Christus offert omnia sacrificia; unde dicitur Sacerdos æter-
n Ps. 109. 5. nus: [n] *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech*. Alii sacerdotes ministrant per aliquos annos, & postea cessant; Christus verò nunquam cessat. Quare quando videmus Sacerdotem celebrare Missam, debemus per fidem videre invisibiliter Christum offerentem sacrificium illud per manus sui ministri; idemque considerare debemus, quando Sacerdos baptizat, communicat, absolvit à peccatis &c. Omnia enim ista fiunt à Christo mediante suo ministro. Unde oritur, quòd quamvis mortalis Sacerdos sit malus, sacrificium tamen Missæ, & Sacramenta sunt bona, ac utilia, quia principalis sacerdos Christus est sanctissimus.

53 Similiter Christus est Rex supra
o Apoc. 1. 5 omnes reges: [o] *Princeps regum terræ*. Quia omnes reges & principes tam spirituales, quàm temporales, sunt ejus ministri, ab eoque habent authoritatem, eique reddituri sunt rationem. Ille dedit leges, quibus gubernant: ille est supremus Judex, qui judicaturus est omnes vivos, & mortuos: ille est, qui nos defendit ab inimicis infernalibus, ac defendet. Est denique Propheta supra omnes prophetas; quia novit omnia futura: estque mandatus à Deo ad docendum mundum universum: [p] *Ipsum audite*. Has autem tres excellentes
p Matth. 2.6.
dignitates non habet Christus per electionem hominum, nec fuit consecratus oleo materiali, sicut alii sacerdotes, & reges; sed fuit factus Sacerdos, Rex, & Propheta ab æterno Patre: [q] q Ps. 109. 4.
Iuravit Dominus, & non pænitebit eum: tu es Sacerdos in æternum. Hoc est, Deus fecit, ut Christus esset Sacerdos æternus; & juravit se id nunquam mutaturum. Et alibi dixit David in persona Christi: [r] *Ego autem constitutus sum rex ab eo*. [s] *Et Prophetam ex gente tua suscitabit tibi Dominus, ipsum audies*. Fuit autem unctus non oleo visibili, sed cum oleo invisibili, hoc est, gratia, ac virtute abundantissima Spiritus sancti: [t] *Unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute*.
r Ps. 2. 6.
s Deut. 15. 18.
t Act. 10. 38.

54 *Filium ejus unicum*. Declarant Apostoli tertiò Christum non esse solùm hominem, ut sunt omnes alii principes, sed esse simul Deum verum. Et quamvis sit verus Dei Filius, & verus Deus, non proinde sunt plures Dei, sed unus. Quia Deus Pater generando Filium, dat illi eamdemmet substantiam, quam habet, quare sunt duæ personæ, sed unus solus Deus. Ad hunc autem artic. benè intelligendum, opus est scire in Christo duas reperiri naturas integras, & perfectas, nempe humanam, & divinam. Secundùm humanam nobis est similis, quia habet corpus, & animam, sicut & nos. Secundùm divinam est similis Patri, quia est Deus omnipotens, sicut ille. Secundùm humanam est visibilis, secundùm divinam invisibilis. Unde qui videbant Christum in hac vita, videbant hominem, non tamen videbant esse Deum; & ideo necessaria illis erat fides ad credendum. Secundùm naturam humanam est Filius unicus Virginis, & non habet patrem. Secundùm naturam divinam est Filius unicus Dei Patris, & non habet matrem. Secundùm naturam humanam est temporalis, quia natus fuit in tempore, & modò numerantur ab ejus nativitate 1664. anni. Secundùm divinam naturam est æternus, sicut Pater: secundùm humanam natus fuit corporaliter, cùm priùs fuisset per novem menses in visceribus Virginis: secundùm verò naturam divinam natus est spiritualiter per intellectum Patris.

55 Scriptura sacra duo nobis suppeditat exempla ad intelligendam Filii Dei nativitatem. Dicit enim Paulus: [u] u Heb. 1. 3.
Cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.

ejus. Primum exemplum est de sole, qui producit splendorem. Nam sicut sol sine concupiscentia, & absque fœminæ adjutorio naturaliter, & cum summa puritate producit splendorem, estque tam antiquus, quàm ejus splendor. Ita Deus Pater per suum intellectum increatum producit Filium tamquam veram lucem sine concupiscentia, & impuritate, ac sine matris consortio, ita ut semper fuerit Pater, & Filius. Secundum exemplum est de imagine, quæ producitur in speculo ex solo visu, estque simillima, ac perfectissima, producitur in momento, non potestque esse, nisi una, quamvis quis se videat per mille, & plures annos: sic Deus videndo se ipsum tamquam speculum sine macula per oculum sui intellectus producit quamdam imaginem unicam perfectissimam, & simillimam subitò, & ab æterno. Verum tamen est quòd quando intuemur in speculo nos ipsos, non communicamus nostram substantiam illi imagini; Deus verò illam communicat. Unde Filius Dei est imago viva Patris, & Deus, sicut ipse Pater, imò & idem Deus, quamvis sint duæ personæ distinctæ.

56 *Dominum nostrum*. Ultimò in hoc art. docent nos sancti Apostoli Jesum Christum esse absolutè Dominum nostrum, quod verissimum est, ob duas rationes. Prima est, quia cùm Filius Dei sit verus, ac naturalis Filius; ipse creavit nos simul cum Patre: [x] *Omnia per ipsum facta sunt. Et mundus per ipsum factus est*. Ille autem, qui facit rem aliquam ex sua materia cum arte, & instrumentis suis, sine dubio est dominus absolutus illius; & potest illam donare, vendere, destruere, & facere de illa quidquid placuerit: quia hoc est esse verum dominum rei. Hanc ergo potestatem habet Christus super nos omnes, non tantùm quoad corpora, sicut domini hujus mundi, sed etiam quoad animam. Secunda est, quia est Salvator, & Redemptor, qui nos emit proprio sanguine: [z] *Empti pretio magno*. Unde meritò ei subjicimur tamquam vero Domino servi ab ipso empti.

x Ioa. 1.3. & 10.

z 1. Cor. 6. 20.

SECTIO IV.

Explicatio tertii articuli: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

In secundo artic. monstrarunt nobis sancti Apostoli Christum esse Deum & hominem, in hoc verò tertio nobis declarant modum, quo Dei Filius factus est homo, dicentes ejus conceptionem fuisse de Spiritu sancto, ejusque nativitatem ex muliere virgine. Conceptio Christi fuit similis nostræ in re una, sed in multis valde dissimilis. Fuit similis quantùm ad materiam, & locum; quia sicut nos concipimur in visceribus matrum nostrarum, sumusque formati ex sanguine ipsarum; ita Christus fuit conceptus in visceribus matris suæ, & formatus ex illius sanguine, fuitque verus, & proprius filius ejus. Fuit verò dissimilis quoad causam efficientem; quia nos generamur à nostris communibus parentibus, illique sunt causa activa, & efficiens nostrorum corporum: at Christus non fuit generatus ab ullo homine, nec habuit patrem in terra; & causa activa, & efficiens sui corporis non fuit alia, quàm Deus immediate. Hocque significat verbum illud: *De Spiritu sancto*. Nec est difficile Deo supplere causas efficientes. Ita enim in mundi principio, ut jam dictum est, fecit Deus herbas, & arbores, quin terra fuisset arata, sata, pluviis irrigata, aut sole calefacta; ita etiam fecit omnia animalia, quin ab aliis gignerentur, & primum hominem sine patre, & sine matre, supplente terra vices matris, & Dei mandato vicem patris. 57

58 Ex hac prima differentia, quæ est inter conceptionem Christi, & nostram, oriuntur multæ aliæ. Quia nos concipimur in peccato, quod contrahimus ex Adamo, mediante patre nostro carnali; & Christus, qui non habuit patrem carnalem fuit conceptus absque ullo peccato. Unde dixit Angelus ad Virginem: [a] *Quod nascetur ex te Sanctum*. Præterea nos concipimur cum diversis imperfectionibus; quidam enim sunt nimis grandes, alii nimis parvuli; alii cæci, alii surdi; hi gibbosi, illi malè sani &c. Christus verò non habuit in corpore suo genus aliquod imperfectionis, quia Dei perfecta sunt opera. Unde

a Luc. 1. 35.

Digitized by Google

de habuit justam staturam, & bellissimam formam: [b] *Speciosus forma præ filiis hominum*. Optimam complexionem, & consequenter nunquam doluit capite, aut stomacho, nec habuit febrim, aut aliam infirmitatem. Ita enim sunt res omnes, quas Deus facit per se solum, ut fuerunt Adam, & Heva, visus cæci nati à Deo restituti, vinum factum ex aqua in nuptiis, de quo scriptum est: [c] *Servasti bonum vinum usque adhuc*.

b Ps. 44. 3.
c Io. 2. 10.

59 Deinde corpora nostra formantur spatio 40. dierum, quia natura paulatim operatur; corpus autem Christi Domini fuit formatum in instanti, quia Deus non indiget tempore ad operandum: *Ipse dixit, & facta sunt*. Præterea nostra corpora sunt per 40. dies sine anima rationali, quæ post illos eis infunditur nuda omni scientia, & virtute, imò & ipso rationis usu: corpus autem Christi in eodem instanti, in quo formatum fuit, animatum est ab anima nobilissima, quæ eodem momento plena fuit omni scientia, omni virtute, & gratia. Et non solùm habuit subitò usum rationis, sed etiam claram Dei visionem, ita ut, dum corpus adhuc esset inclusum in ventre virginali, anima gauderet gloria beatorum.

60 Hoc idem significavit Isai. [d] *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus*. Hoc est, orietur ex radice Jesse, qui fuit pater Davidis, quædam virga, quæ fuit beatissima Virgo, & virga ista producet florem, qui fuit Christus, & supra ipsum quiescet Spiritus sanctus, spiritus sapientiæ, intellectus &c. Christus fuit flos in conceptione, antequam nasceretur: fructus in nativitate. Unde dicens Isai. Supra illum florem sessurum spiritum sapientiæ & intellectus, dicere voluit Christum conceptum, antequam nasceretur, futurum plenum sapientiæ, & omnium aliorum donorum, ac virtutum.

d Isai. 11. 1.

61 Denique nos omnes, quando fuimus concepti, evadimus homines: at Christus conceptus subitò fuit homo & Deus, vel Deus humanatus; quia in eodem instanti, quo fuit formatum corpus, illi anima unita fuit, & tam corpus, quàm anima fuerunt unita personæ æterni & unici Filii Dei. [e] *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Ob tot has novitates vocatus est Christus à Paulo. Homo novus: [f] *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est*. Et hæc est maxima Dei gratia digna laude infinita, quòd Deus factus sit homo, & Dominus universorum factus sit frater noster; non propter aliquam utilitatem, aut necessitatem suam, sed propter nostram utilitatem, & necessitatem. Et quòd hoc modo nostra natura exaltata sit, & nobilitata supra res omnes creatas, etiam supra Angelos; siquidem est quidam homo, qui verè est Angelorum Dominus. Nos autem malè correspondemus Deo, nam tanti beneficii obliti ad nihil aliud attendimus, quàm ad ipsum offendendum.

e Io. 1. 14.
f Eph. 4. 24.

62 Tria tamen dubia occurrunt circa hoc mysterium. Primum, cur dicatur Christus fuisse conceptus de Spiritu sancto, cùm verum sit ad omnes operationes Dei concurrere Patrem, Filium, & Spiritum sanctum? Respond. verissimum esse ad formationem corporis Christi, & ad creationem animæ, ad unionemque corporis & animæ cum persona Verbi concurrisse totam Trinitatem; attribui nihilominus Spiritui sancto, quia fuit opus summi amoris. Quia autem opera potentiæ, v. c. creatio cœli, & terræ, tribuuntur Patri: opera verò sapientiæ, v. c. providentia, tribuuntur Filio; opera autem amoris, & pietatis tribuuntur Spiritui sancto, ideo opus incarnationis eidem tribuitur, utpote opus maximi amoris, & pietatis.

63 Secundum dubium, supposito quòd omnes personæ concurrerunt ad incarnationem, an dici possit, quòd omnes tres fuerint incarnatæ? Respond. solam secundam fuisse incarnatam, licèt ipsa simul cum aliis duabus opus incarnationis operata sit: sicut quando duæ personæ adjuvant tertiam ad vestes induendas; tres sunt quæ vestiunt, una tamen sola est vestita. Sic omnes personæ operatæ sunt activè incarnationem, sola autem secunda unita est carni: [g] *Verbum caro factum est*.

g Io. 1. 14.

64 Tertium dubium. An Spiritus sanctus possit dici Pater Christi, siquidem dicimus Christum conceptum fuisse de Spiritu sancto? Respond. non posse dici Patrem Christi, quia non omnis ille, qui rem aliquam producit, est pater illius, sed solùm ille, qui eam producit generando de sua substantia, facien-

Digitized by Google

faciendo eam sibi similem in natura. Unde artifices, qui faciunt vasa, & similia, non sunt patres suorum operum, quia illa faciunt è terra, aut alia materia, & non de sua substantia; unde sunt valde dissimilia sibi. Ita Spiritus sanctus non est Pater Christi, quamvis formaverit Christi corpus, quia non illum ex sua substantia Divina, sed ex solo purissimo sanguine Virginis, nec illum fecit similem sibi in natura Divina, sed similem Virgini matri. Non est igitur Spiritus sanctus Pater Christi, sed formator corporis ipsius.

65 *Natus ex Maria virgine*. In hac secunda parte artic. declaratur nativitas temporalis Christi, quæ fuit similis nostris nativitatibus in uno, in multis verò dissimilis, sicut de conceptione dictum est. Fuit similis in hoc, quia sicut nos nascimur ex visceribus matrum post novem menses, ita Christus, quà homo, natus est ex Matris suæ visceribus post nonum mensem. Fuit enim conceptus 25. Martii, & natus 25. Decembris. Fuit verò partus Virginis dissimilis in multis.

66 Primò in eo, quòd cæteræ mulieres parturiendo, non remanent Virgines: at sanctissima Virgo, sicut fuit Virgo in conceptione, ita & in partu; quia sanctum Dei Filii corpus egressum est ex matris visceribus absque violentia, aut claustri virginalis ruptione, non aliter ac fuit egressum è sepulchro sine lapidis ruptione, vel elevatione, & sicut intravit ad discipulos jannis clausis, & sicut sol ingreditur per fenestras vitreas: quod fuerat prædictum per Ezech. [h] dicentem futuram quamdam portam semper clausam, per quam solus Dominus erat transiturus.

h Cap. 44. 2

67 Secundò, omnes aliæ mulieres parturiunt cum magno dolore: Virgo autem beata non solùm absque omni dolore, sed cum maxima delectatione spirituali, unde obstetrice non eguit, à qua juvaretur, nec decubuit in lecto, sicut aliæ; verùm cùm primùm parturivit, ut refert Euangelista, [i] ipsa filium accepit, ipsa pannis involvit, ipsa reclinavit in præsepio.

i Luc. 2. 7.

68 Tertiò, nemo nostrùm potest eligere tempus, aut locum nascendi: Christus tamen utrumque elegit plenum mysteriis, elegit enim diem Dominicam in mense Decembris, in medio noctis, in corde temporis hiberni, & tempus peregrinationis. Elegit quoad locum Bethlehem, & ibi antrum vile, & præsepe, in quo animalia comedunt. Elegit diem Dominicam, quia in eadem datum fuit principium mundo, ut in eadem daret principium renovationi ipsius mundi. Elegit mensem, quo sol incipit ad nos revertere, ut significaret in sua nativitate verum justitiæ solem se nobis approximare, à quibus recesserat per peccatum primi hominis. Elegit tempus magis frigidum, & obscurum totius anni, ad ostendendum invenire se mundum in majoribus ignorantiæ tenebris, & majori carentia amoris Dei, quàm unquam fuerat, venire tamen ad mentes illuminandas, & corda inflammanda. Unde postea dixit: [l] *Ego lux veni in mundum.* [m] *Ignem veni mittere in terram.* Elegit tempus peregrinationis, ut ostenderet non venire ad persistendum, sed ad transeundum, & quòd idem nobis erat faciendum. Elegit Bethlehem, quæ erat civitas David, ut se verum filium Davidis secundùm carnem declararet. Elegit antrum, ac præsepe pro regio palatio, & lecto pretioso, quia veniebat ad docendum mundi contemptum, & humilitatem, & quòd mundus hic non erat patria nostra, qui proinde amandus non erat ut patria dulcis, quam omnes regulariter amant, & quam suspirant, cùm ab ea elongantur, sed relinquendus, odioque habendus, ut domus exilii, domusque carceris, ac ergastuli durissimi, in quo detinemur in via ad patriam.

l Joa. 12. 46
m Luc. 12. 49.

69 Sed quare in Symbolo nominatur Maria virgo? Quia satis non fuerat dici: Natus ex muliere Virgine, sed voluerunt sancti Apostoli exprimere nomen matris Domini. Primò, ob majorem veritatis certitudinem, quia non omnes poterant antiquas historias quærere, in quibus invenirent eo in tempore verè fuisse mulierem ex stirpe David, filiam Joachimi & Annæ, sponsam Josephi ejusdem stirpis Mariam dictam, sicut ob eamdem rationem [n] Euangelista narrans prædicationem Baptistæ scribit fuisse tempore Tiberii imperatoris, & Pontii Pilati præsidis Judææ, & Herodis principis Galilææ, ac Caiphæ summi sacerdotis. Secundò, ut laudarent in hoc sanctissimam Matrem, quia nominare illam in hoc brevi Symbolo, signum fuit; quòd fuerit digna Mater Filii Dei, & consequenter purissima,

n Luc. 3.

& san-

& sanctissima, plenaque omni gratia, & virtute. Tertiò ut docerent oportere nos esse devotissimos hujus sanctissimæ Virginis tamquam potentissimæ advocatæ apud Filium suum Deum, & Dominum nostrum.

SECTIO V.

Expositio quarti articuli: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

70 DEclarato in tertio artic. mysterio Incarnationis Domini nostri, procedunt sancti Apostoli ad declarandum in quarto mysterium passionis, per quam completa fuit redemptio generis humani; non autem curarunt de inferenda in Symbolo vita Domini à nativitate usque ad passionem, tum quia foret nimis longa narratio, tum quia res, quas Dominus operatus est toto illo tempore intermedio, non erant difficiles creditu illis, qui mysterium Incarnationis credidissent: passio autem habebat novam difficultatem, & ideo specialiter posita fuit in Symbolo, quia tempore etiam Apostolorum multi non poterant induci ad credendum Christum fuisse verè crucifixum. Unde Paulus [a] dixit passionem Domini esse Judæis scandalum, Gentibus autem stultitiam. Et hodie Turci credunt Christum fuisse Filium Virginis, non possunt autem credere fuisse crucifixum.

a 1. Cor. 1. 23.

71 Docent nos ergo Apostoli in hoc artic. debere nos firmiter credere Christum passum fuisse sub Pontio Pilato, fuisse crucifixum, mortuum, & sepultum. Fit autem mentio Pontii Pilati ad majorem certitudinem, quatenus affirmatur hanc passionem contigisse, quando Pontius Pilatus gubernabat Judæam missus ab Imperatore Tiberio. Et iste Pilatus fuit ille, qui tamquam judex adjudicavit Christum ad illud genus mortis. Unde verba illa, *Passus sub Pontio Pilato*, significant Christum passum fuisse tempore Pilati, ex vi sententiæ ejusdem.

72 Qualis autem fuerit hæc passio, declarant Apostoli verbis sequentibus: *Crucifixum, mortuum, & sepultum*. Nam quamvis fuerint multæ aliæ passiones, v. c. flagella, spinæ, sputa, alapæ, verba injuriosa, falsa testimonia, & similia, nihilominus omnium major fuit crux, in qua fuit tormentum maximum, & ignominia, & quia ad crucem fuit Dominus damnatus, in eaque fuit tormentum mortale, & quia aliæ passiones fuerunt dispositiones ad istam; nam ordinariè, qui erant crucifigendi, primò flagellabantur, & crucem humeris portabant. Unde Paulus, [b] quando meminit passionis, solùm nominat mortem crucis.

b Philip. 2. 8.

73 Additur in artic. Christum fuisse mortuum, ut sciamus non descendisse è cruce vivum, sed complevisse opus suum, perseverando in cruce usque ad mortem, quod est summum malum, quod in hoc mundo ferri potest, ad quod evadendum patiuntur homines omnem aliam pœnam. Et quamvis in moriendo non esset dolor, qui sanè non est in senibus, qui moriuntur per resolutionem, nihilominus separatio animæ à corpore est amarissima, & durissima cuilibet viventi: voluit ergo Dominus non solùm pati acerbissimos dolores in cruce, sed etiam gustare amarissimum illum mortis calicem per veram separationem animæ à corpore.

74 Additur in artic. sepultura tamquam testimonium veræ mortis, quia mortui regulariter sepeliuntur. Additur etiam tamquam probatio veræ resurrectionis. Voluit enim Divina providentia Christum fuisse sepultum in sepulchro novo, in quo nemo unquam sepultus fuerat, fuisseque obsignatum publico sigillo Pilati, & à militibus custoditum; ut omnes redderentur certi illum ipsum, qui fuerat crucifixus, & non alium resurrexisse. Unde diligentia præstita ab inimicis, ne aliquis furaretur corpus Domini, nos ipsos juvavit, ut crederemus veram ipsius resurrectionem.

75 Circa hoc ergo mysterium humilitatis, & passionis Christi, utilissimum erit considerare à quo passio ista causata fuerit, & ad quem finem ordinata. Multæ fuerunt causæ passionis Domini, & ob diversos fines. Prima omnium fuit Deus Pater, [c] *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Non quòd Pater occiderit illum, vel mandaverit occidi, sed quia id permisit. Secunda fuit ipsemet Christus, qui non fuit coactus ad patiendum, sed voluntariè passus est: [d] *Oblatus est, quia ipse voluit*. Et alibi: [e] *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam*.

c Rom. 8. 32.

d Isai. 53. 7.

e Joan. 10. 18

zed by Go

eam. Estque hoc manifestum, quia ille sciebat se à Juda tradendum, Judæosque venturos ad ipsum comprehendendum in tali loco, & hora; unde poterat subterfugere, & non mori, si vellet. Ulterius quando illum invenerunt, non eum agnoscebant: ille autem dixit eis: [f] *Ego sum*. Et quando audierunt hanc vocem, omnes ceciderunt in terram tamquam mortui, ille verò voluntariè sinit se tangi, & permisit apprehendi. Et quando jam erat apprehensus, non ei difficile fuerat eorum manus evadere, si voluisset, cùm esset omnipotens. Non solùm autem passus est, sed etiam mortuus est voluntariè, quia mortuus fuit clamando ostendens se habuisse virtutem, & vires ad vivendum, quandiu ei placuisset. Unde [g] *Centurio videns, quia sic clamans expirasset, glorificavit Deum dicens: Verè Filius Dei erat iste*. Idem colligitur ex actu inclinandi caput ante mortem, quia alii, qui moriuntur contra voluntatem, prius expirant, & postea caput à spiritu relictum inclinatur. Tertia causa passionis fuit Judas, qui illum tradidit. Quarta Judæi, qui eum tradiderunt in manus Pilati instantes, ut eum occideret. Quinta fuit Pilatus, qui per sententiam illum morti adjudicavit. Sexta fuerunt milites, & ministri, qui mortem executi fuerunt.

f Ioa. 18. 5.

g Luc. 23. 47.

76 Omnes istæ causæ habuerunt diversos fines, & secundùm illos fuerunt opera digna laudis, vel vituperii: ut autem incipiamus ab ultimis. Ministri habuerunt pro fine partim complacere Judæis, partim satiare crudelitatem, & feritatem suam, ideo non contenti exequi judicis sententiam ex propria malitia addiderunt tormentum coronæ spineæ, & multa vituperia, ac injurias, quas Domino intulerunt, & commiserunt horrendum peccatum. Ultra quod, cùm Christi innocentia esset notoria, & clara injustitia sententiæ, non debuerunt obedire judici, quia nunquam est obediendum homini, contra obedientiam Deo debitam: [h] *Obedire enim oportet magis Deo, quàm hominibus*. Quod intelligitur, quando injustitia est notoria; quia si fuisset dubia, subditus sequi debet judicium sui superioris.

h Act. 5. 29.

77 Pilatus motus fuit ex timore humano, quia sciens Christum innocentem, ut sæpè confessus, & protestatus est, timens tamen calumniam apud Cæsarem, deliberavit facere injustitiam adeò notoriam. Unde gravissimè peccavit non observando illud: [i] *Noli fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates*. Et quia Deus in hoc etiam mundo sæpissimè punit injustitias, miser Pilatus tandem perdidit gratiam Imperatoris, amandatusque fuit in exilium, & in fine se ipsum interfecit, ut scribitur. Quare opus est Deum non offendere, præ timore hominum, quia Deus est supra omnes, & non possumus effugere manus ejus. Et hinc est quòd prudens, & sanctus Joseph, [l] & sapiens, ac sancta Susanna [m] in periculo committendi adulterium, vel perdendi vitam, & honorem, voluerunt potius exponi qualicumque periculo, quàm Deum offendere, & uterque liberatus fuit ab omni periculo cum ipsorum gloria non vulgari.

i Eccl. 7. 9.

l Gen. 39. 9.

m Dan. 13. 22.

78 Judæi fuerunt causa passionis Domini ob invidiam: invidebant enim gloriæ Christi, & timebant perdere regnum. Sciebat Pilatus, [n] *Quòd per invidiam tradidissent eum*. [o] *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem*. Unde etiam peccarunt, & gravius, quàm Pilatus, & quia induxerunt falsa testimonia, & quia hæc non sufficiebant, constrinxerunt Pilatum minis, & clamoribus, ut contra innocentissimum Salvatorem procederet, unde gravissimè puniti fuerunt in hoc mundo, & in futuro.

n Matth. 27. 18.

o Io. 11. 48.

79 Judas tradidit Dominum, & fuit causa passionis ex avaritia. Utilitas autem, quam inde reportavit, fuit funis ad se suspendendum. Hic solet esse finis latronum, & illorum, qui bona malis artibus comparant. Bona malè parta vel perduntur, vel restituuntur: at peccatum manet, & pœna illius, nempe mors æterna, si homo verè non pœniteat, ad minus restat pœna temporalis in hoc mundo, & in futuro. Si hoc benè consideraretur, non esset qui bona alterius usurparet. Ecclesia ait de Juda: *Mercator pessimus*. Hoc est, stultus, ac imprudentissimus, quia nihil lucratus est, & perdidit omnia, seque ipsum in æternum.

80 Christus, & Pater æternus fuerunt causæ passionis ob fines valde diversos, nempe ob Dei honorem, & hominum salutem. Quia peccatum primi hominis, quod totum mundum infecerat, duo mala grandia operatum fuerat, læserat Dei honorem, & salutem

Digitized by Google

tem hominum impediverat, quibus malis satisfieri non poterat, nisi per justitiam perfectam infiniti valoris, quia offensa crescit juxta magnitudinem personæ offensæ, & è contra satisfactio ex magnitudine satisfacientis. Quapropter Deus æterno suo decreto statuit, ut unicus ejus Filius factus homo fieret obediens usque ad mortem crucis: & ipse Filius elegit, & voluit esse obediens usque ad ipsam crucem, & uterque permisit Judæis, ac Pilato Dominum cruci affigere, ut hac infinita obedientia Christi satisfaceret inobedientiæ Adæ, & nostræ. Itaque Pater in eo, quòd fuerit causa passionis Filii, non solùm non peccavit, sed fecit actum infinitæ charitatis: *p Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Et Christus permittens se occidi, non solùm non peccavit, sed fecit actum infinitæ obedientiæ, & amoris: *q Factus obediens usque ad mortem. r Ecce qui tollit peccata mundi. Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.*

p Joa. 3. 16.
q Philip. 2. 8.
r Joa. 1. 29. & 15. 13.

81 Hinc colligitur primam, ac principalem causam mortis Christi fuisse peccatum nostrum, quia si non fuisset peccatum, Deus non permisisset Filium suum passum, ac mortuum fuisse. Et si Deus non permisisset, Christus non fineret se occidi; nec Judæi, aut Pilatus aliquid facere potuissent, sed potius flagella, & clavi in ipsos ministros verterentur, vel in pulverem converterentur potius, quàm percuterent carnem Filii Dei.

82 Quare quando consideras passionem Filii Dei, cogitare debes te fuisse occasionem illius. Unde ita debes Christo compati, ut simul doleas de peccato, & statuas illum amare in futurum, à quo sic amatus fuisti, perdereque potius facultates, honorem, & vitam, quàm Deum offendere, ac simul addiscere ex Domino tuo crucifixo perfectam obedientiam, charitatem, patientiam, & humilitatem, quæ quatuor virtutes splendent tamquam stellæ in quatuor brachiis sanctæ Crucis, suntque veræ animarum gemmæ, quæ illas reddunt Deo gratas & gratiosas, ac similes Christo, suntque quasi quatuor gradus, quibus in hoc mundo ascenditur ad vitam perfectam, & in futuro ad æternam felicitatem, & vitam beatam, quam sperare, & procurare debemus.

SECTIO VI.

Explicatio quinti articuli: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

CONfessi sumus in quarto art. Salvatoris corpus, post ejus mortem, fuisse reconditum in sepulchro. In quinto declarant sancti Apostoli, quid factum fuerit de anima à corpore separata. Et in summa dicunt animam Domini separatam à corpore ad infernum descendisse, ibique fuisse tribus diebus, postea verò remeasse ad corpus suum, eique reunitam, & cœpisse de novo vivere, sicut prius, ac melius, quam primò. Ad declarationem hujus mysterii opus erit primò ostendere, quodnam sit infernum, ad quod anima Christi descendit. Secundò quomodo descenderit. Tertiò quid ibi fecerit. Quartò quanto tempore ibi commorata fuerit. Quintò quomodo remeaverit ad corpus?

84 Quoad primum, infernus ad quem descendit anima Christi, non fuit infernus damnatorum, sed limbus sanctorum Patrum, qui dicitur infernus, quia est locus infernus sub terra existens, sed valde distinctus, & separatus à carcere in quo damnati cruciantur. Theologi docent in terræ profunditate esse quatuor locos. Primus, & magis profundus est infernus damnatorum, qui in Scriptura dicitur infernus inferior, & abyssus, estque locus magis obscurus, quàm omnia alia mundi loca, sicut paradisus Beatorum est locus altior & clarior, & ita erat conveniens, ut dæmones, qui volebant esse in alto, sicut Deus ipse, fuissent demersi infra omnes alias creaturas. Secundus locus est purgatorium, ubi purificantur animæ illorum, qui moriuntur in Dei gratia, non tamen in hac vita plenè satisfecerunt divinæ justitiæ per pœnitentias. Hic autem locus parùm distat in pœnis à primo, excepto, quòd ibi non erunt animæ in æternum. Tertius locus est ille, in quo sunt pueri, qui moriuntur sine Baptismo, qui etiam dicitur infernus, estque locus subterraneus, & obscurus, in quo tamen non est pœna ignis, sicut est in aliis duobus.

85 Quartus locus est ille, in quo erant animæ Sanctorum hominum, antequam Christus moreretur, & per crucem suam, tamquam per clavem aperiret regnum cœlorum. Erat autem locus ille subterraneus, ac obscurus, & dicebatur infernus, non tamen ibi erat genus aliquod pœnæ, sed quædam quies dulcis cum certa promissione, quòd citò venturus esset Salvator, qui eos è carcere illo eriperet. Ad hunc locum deducta fuit anima Lazari mendici, ut legitur in Euangelio. [a] Et dicebatur sinus Abrahæ, eratque subterraneus, plenus tamen consolationum. Ad hunc ergo locum, seu infernum propriè descendit anima Christi unita divinæ personæ Dei Filii, quæ numquam separata fuit nec à corpore, nec ab anima. Modus autem descendendi non fuit per gressus, vel transeundo per varia loca, sed ita, ut in eo momento, in quo separata fuit à corpore, fuerit in limbo sanctorum Patrum, quia substantiæ spirituales, quales sunt Angeli, & animæ non indigent tempore, aut spatio ad transeundum de uno ad alium locum. Sed ad quid anima Christi descendit ad infernum?

a Luc. 16.

86 Descendit principaliter ad liberandos sanctos Patres, ad illisque conferenda præmia suorum meritorum. Unde in eo puncto, in quo ibi comparuit anima Christi gloriosa, reddidit gloriosas omnes animas sanctorum Patrum, communicando illis visionem essentiæ divinæ, ita ut per illud tempus locus ille infernus fuerit paradisus; & hoc ipsum voluit Dominus significare, quando respondens bono latroni, dixit: [b] *Hodie mecum eris in paradiso*. Et hic fuit primus effectus passionis Domini. Descendit etiam anima Christi ad infernum, ut possessionem caperet illius partis mundi, sicut post capturus erat possessionem cœli. Non descendit ergo tamquam carceri addicenda, sed tamquam carceris Domina, & est credibile ex illo loco ostensam fuisse inferno damnatorum in reprehensionem, ac terrorem, imò & Purgatorio in consolationem, & fortè liberãdo vel omnes, vel partem animarũ.

b Luc. 23. 43.

87 Demorata est anima Christi in limbo tribus diebus. Primò, ut ostenderet mortem sui corporis non fuisse fictam, sed veram. Secundò, quia cùm fuerit super terra 33. annos, visum est ei rationabile esse sub terra saltem 33. horis. Tot enim fuerunt, quia moriendo hora tertia post meridiem Veneris diei, stetit per novem horas illius diei, nempe usque ad mediam noctem, & per vigintiquatuor horas Sabbati, usque ad mediam noctem, in qua incipiebat dies Dominica, quando complebantur 33. horæ à mortis puncto. Quamvis enim nesciamus præcisè horam resurrectionis; scimus tamen noctu contigisse, & prope auroram. Unde certò saltem constat fuisse animam in eo loco 33. horis, quia resurrectio fuit post mediam noctem diei Dominicæ. Hi autem sunt tres dies, quorum toties meminit Scriptura, quamvis non fuerint dies integri. Unde in hoc artic. non dicitur fuisse Christum in sepulchro, vel inferno tribus diebus integris, sed usque ad tertiam diem, in dieque tertia resurrexisse, quod est verissimum, quia die Veneris, in qua Christus Dominus in cruce expiravit, ejus Corpus sanctissimum sepultum fuit, & anima descendit ad infernum, & die Dominica totus gloria circumvestitus ab inferis resurrexit, multis animarum milliaribus comitantibus, quæ ejus adventum expectabant.

88 Veniendo ergo ad resurrectionem, in qua est præcipua difficultas nostræ fidei. Qui enim credit Domini resurrectionem, facilè credit alia mysteria, hoc est, conceptionem, nativitatem, mortem, ascensionem, & omnia miracula, quia si est quid magnum suscitare alterum mortuum, majus est se ipsum suscitare à mortuis, imò suscitare se ipsum indicat verum Deum, quia anima, quæ non est unita divinitati, non potest ex se ipsa corpori reuniri: sed Christus suscitavit se ipsum, quia divinitas, quæ erat unita animæ, & corpori in persona Verbi, per suam infinitam potentiam, ac sapientiam reunivit unam partem alteri. Unde est, quòd [c] Apostoli dicebant se esse à Christo missos in testimonium resurrectionis ejusdem. Et sanctus August. [d] dixit fidem Christianorum esse Christi resurrectionem. Ideo voluit Dominus hanc suam resurrectionem probare multis modis, ad idque commoratus fuit in terra per 40. dies post resurrectionem, ut veritas ista imprimeretur, & radicaretur, ut ita dicam, in cordibus Apostolorum, ut ipsi eam prædicarent sine ti-

c Act. 1. 22.

d In Ps. 120.

Digitized by Google

ne timore in mundo universo.

89 Quòd fuerit verum corpus illud, quod Apostoli videbant resuscitatum, probavit faciendo, ut tangeretur dicens: [a] *Palpate, & videte: quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*. Quòd fuerit idem corpus, probavit ostendendo signa clavorum, & lanceæ, & per diligentiam præstitam ab inimicis ad sepulchrum. Quòd fuerit corpus vivum, probavit manducando, bibendo, ambulando, videndo, loquendo, audiendo, & per similes actiones varias sæpè repetitas. Quòd fuerit eademmet anima in eodem corpore, probavit per testimonia Angelorum, qui vident res etiam invisibiles, & spirituales. Quòd fuerit idemmet Christus Deus & homo, probavit renovando miraculum post resurrectionem, faciendo, ut caperetur magna piscium multitudo, ut aliàs ante mortem fecerat, quod fuit majus primo, quia cùm capti essent 153. pisces grandes in rete subtili, hoc non rumpebatur, ut contigit in primo miraculo, de quo Luc. cap. 5.

a Luc. 24. 39.

Ioa. 21. 11

90 Quòd denique resurrexit ad vitam immortalem, ac gloriosam, probavit exeundo è sepulchro sine lapidis revolutione, intrando in cœnaculum januis clausis, in velocitate, qua veniebat, & recedebat; neque enim videbatur venire per gressus, sed subitò apparebat, & quando recedebat, non videbatur discedere gradiendo, sed subitò disparebat, quia præ imperio animæ gloriosæ supra corpus glorificatum, non indigebat gressibus pedum, sed subitò reperiebatur corpus, ubi anima volebat. Probavit denique habere gloriosum corpus minimè subjectum fami, siti, frigori, calori, passioni, vel motui, quando ascendit in cœlum, ubi non sunt, nisi res æternæ, & superiores corpori, omnique mutationi temporali non obnoxiæ.

91 Via perveniendi ad gloriosam resurrectionem, est Christi imitatio. Unde sicut Christus voluit habere tres dies, nempe Veneris diem crucis, Sabbatum quietis, & Dominicam gloriæ, ita nobis expedit habere in hac vita unam diem Veneris acerbæ passionis, & post mortem quoddam Sabbatum dulcis quietis, & in fine mundi diem Dominicam gloriosæ resurrectionis. Quare nemo mirari debet, si in hac vita sibi offeratur occasio patiendi paupertatem, falsa testimonia, injurias, calumnias, infirmitates, & similes adversitates, quia nunc est tempus rerum istarum, sicut nemo miratur, quòd tempore hiemis sint pluviæ, & frigora. Et quando quis non haberet, nisi prosperitates, deberet timere maximè, ac existimare suspectam felicitatem illam, quia non est hoc tempus felicitatis, sicut si tempus hibernum est sine aquis, calidum, & serenum, est signum sterilitatis in æstate. Itaque si habes tribulationes, dic intra te ipsum. Non miror, quia hic est meus dies Veneris; & mihi charum est habere hic diem Veneris brevem, ne illum habeam in futuro sine fine.

SECTIO VII.

Explicatio sexti articuli: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

Dicimus in præced. artic. Christum propria virtute operatum fuisse miraculum illud omnium maximum redeundi de morte ad vitam, vitamque gloriosam, & immortalem. Quia verò decens non erat corpus sole clarius, & liberum ab omni humana miseria habitare in hac valle calamitatum, docent nos sancti Apostoli debere nos credere Christum ascendisse in cœlum, sedereque ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Circa quod mysterium opus est declarare primò verbum illud, *Ascendit*; deinde illud, *In cœlum*; postea illud, *Sedet*; ac tandem illud, *Ad dexteram Dei Patris*. 92

93 Quoad primum, historia ascensionis scribitur à S. Luc. [a] in hunc modum. Quadragesimo die post resurrectionem, Redemptor noster jussit, ut omnes discipuli irent in montem Olivetum, & fuerunt ferè quingenti, ut colligitur ex D. Paulo. [b] Congregatisque omnibus eo in loco, apparuit in medio eorum ipse Dominus, & postquam eis locutus fuit, & plenè instruxit, exhortatusque est, cœpit extolli, & pro aliquo tempore elevabatur paulatim ad consolationem discipulorum, & simul eos benedicebat signo crucis, ut creditur. Et hinc cœpit usus Prælatorum, qui sunt in loco Christi, benedicendi populum eodem crucis signo. Postquam autem Salvator fuit in loco tam alto, ut vix discerni posset, nubes candida se posuit

a Act. 1.

b 1. Cor. 15. 6.

Digitized by Google

sub pedibus ejus, ita ut non potuerit amplius videri, & postea non ascendit paulatim, sed tempore brevissimo incredibili velocitate pervenit ad locum, ad quem tendebat. Cujus rei habemus signum certissimum; quia stantibus discipulis aspicientibus in cœlum comparuerunt in alto duo Angeli in forma humana albis vestibus induti, renuntiantes Christum jam cœlum ascendisse, & eo modo, quo viderant ascendentem, venturum eum magna majestate ad mundum judicandum.

94 Nec Christus cœlum ascendit solus, sed comitantibus multis Angelorum millibus, & omnibus Sanctis animabus, quæ fuerunt à mundi principio: [c] *In baculo meo transivi Iordanem, & nunc cum duabus turmis regredior.* In signum hujus verissimæ ascensionis voluit Deus, ut permanerent in terra duo illustria miracula. Primum, quia permanserunt impressæ in terra plantæ pedum, ubi fuerunt ultimò pedes Domini: & quamvis devoti peregrini semper secum ferrent pulverem, semper remanent integræ plantarum effigies. Secundum. Cùm in eodem loco fabricaretur ecclesia, possibile non fuit, ut clauderetur, & cooperiretur ea in parte, qua Dominus transiit ad cœlum ascendens.

c Gen. 32. 10.

95 Sed quid significat, quòd de Christo dicitur ascendisse in cœlum; de B. verò Virgine, quòd in cœlum assumpta fuerit, & de nobis dicit Paulus, quòd [d] *rapiemur in nubibus obviàm Christo in aera?* Omnes homines; qui habebunt corpus gloriosum, poterunt ascendere in cœlum per se ipsos, nec indigebunt adjutorio currus, ut Elias; [e] nec Angelorum manibus, ut Habacuc, & Philippus. Unde sicut de Virgine dicitur: *Assumpta est*. Sic dicitur: *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi.* [f] Nihilominus benè, & convenienter dicitur Christum ascendisse, & Virginem fuisse assumptam: quia licèt B. Virgo ascenderit per se ipsam, per virtutem, & vim ad ascendendum, quam in se habebat; illam tamen virtutem ex sua natura non habebat, sed à Deo, qui eam glorificaverat. Ideo dicitur fuisse assumpta à Deo. Christus verò non solùm habebat in se virtutem, & vim ascendendi; sed illam habebat à se ipso, quia erat Deus. Habemus exemplum in vaporibus humidis; sol enim illos calefaciendo in altum evehit, qui calefacti ascendunt in altum ex se, & dicuntur propriè ascendere; sed quia calorem: qui eos ascendere facit, ex se non habent, sed à sole, dicuntur attrahi à sole. At vapores sicci, v.c. fumus: quia natura sua sunt calidi, non evehuntur à sole, sed ex se ascendunt: sicut etiam aves volant in altum ex se ipsis, quia habent ex sua natura alas ad volandum.

d 1. Thess. 4. 17.

e 4. Reg. 2. 11. Dan. 14. 25. Act. 8. 39. f Cant. 3. 6.

96 *In cœlum.* Tres sunt cœli juxta Scripturam; cœlum aereum, stellatum, & Empyreum. Ad quod cœlum Christus ascenderit, nos docet Apostolus dicens: [g] *Ascendit supra omnes cœlos.* Ascendit igitur supra omnes cœlos, ad locum mundi altiorem, & ita conveniens erat, cùm corpus Domini sit lucidius, purius, perfectius, & nobilius omnibus corporibus, quia personaliter unitum est ipsi Deo. Magnum certè donum fuit hoc naturæ nostræ, quòd sit exaltata super omnes stellas, & supra Angelos omnes, & quòd terra sit supra cœlum, & corpus supra spiritus beatos: majus donum, quòd ibi etiam sit Virgo beatissima: maximum, quòd quilibet nostrùm eodem pervenire valeat.

g Ephes. 4. 9.

97 Quanta consideratione dignus sit locus ille, conjectare possumus ex illo; quod videmus: quia cœlum stellatum est pavimentum domus Dei externum, hoc est, convexum: si ergo est tot pretiosis gemmis, quales sunt stellæ, cœlatū, quale erit pavimentum internum? Benè dixit Isai. [h] *Oculus non vidit, nec auris audivit, in cor hominis non ascendit.* Nihilominus tanta est nostra ignorantia, & in Deum ingratitudo, ut quò magis nobis benefacit, eò magis ipsum offendamus; quò magis nos exaltat, plus eum contemnamus. Consideremus præsentem vitam Christianorum, & videbimus eos pejores infidelibus. Non est Dei cognitio, nec desiderium vitæ æternæ: non est timor sacerdotum. Olim major pœna erat privari quemlibet communione, Missa, vel ingressu Ecclesiæ: hodie opus est constringere Christianos ad communionem, ad Missam, ad Ecclesiam.

h Isai. 64. 4.

98 *Sedet.* Non significat, quòd Christus propriè sedeat; quia sedere est illius, qui est fatigatus, sicut jacere est infirmorum, ac dormientium: in cœlo autem non est lassitudo, somnus, aut infirmitas, & ideò statur, quia hic est situs, naturalis hominis. Dicitur autem Christus in cœlo sedere ob duas rationes. Primò, quia sessio significat quietem, & in cœlo est perfecta, ac perpetua quies. Magnum bonum

Digitized by Google

num hoc est, quis illud capere posset? Quid in hoc mundo pejus est, quàm inquietudo perpetua, quæ nascitur ex dolore, spe, invidia, timore, suspicione, odio, ira, & aliis passionibus, ac mortis timore, qui omnes nostras lætitias, & jucunditates perturbat: sumus instar maris, quod semper movetur, & nunquam ex toto quiescit. Quòd ergo bonum erit illud, in quo erimus in possessione boni perfecti, securi de illius perpetuitate, seu de illo non perdendo. Hoc significat sedere alterius vitæ. Et ita sedet Deus, Christus Dominus, beata Virgo, omnes Angeli, & Sancti, qui sunt in paradiso. Secundò, quia sedere dicitur qui gubernat, qui judicat, qui potestatem habet super omnes alios. Et quia Christus est rex summus, & omnium judex, dicitur sedere. Sic etiam omnes Sancti sunt reges, & judices cum Christo, & ideo sedent, quia sunt conformes cum Dei voluntate.

99 *Ad dexteram Patris*. Hoc est proprium Christi, nec convenit alicui Sanctorum, aut Angelorum, nec etiam Matri sanctissimæ. Nam esse ad dexteram Dei in cœlo, significat esse parem
Heb. 1.13 Deo, æqualem Deo: [k] *Cui dixit aliquando Angelorum: Sede à dextris meis?* Non debemus concipere Deum Patrem esse ad sinistram Christi, nec quòd sit in medio Filii, & Spiritus sancti, quia tres personæ sunt eademmet essentia, quæ est infinita, & ubique. Unde in Ps. dicitur Filium esse ad dexteram Pa-
l Ps. 109. 1. tris: [l] *Sede à dextris meis*; & paulò pòst,
m Ps. 109. 5. Patrem esse ad dexteram Filii: [m] *Dominus à dextris tuis*. Esse ergo ad dexteram Patris non est aliud, quàm esse supra omnes creaturas in æquali majestate cum Patre: quia licèt natura humana sit valde inferior Divina; quia tamen in Christo non est, nisi una persona, & ista est Deus, & homo; non potest esse ad dexteram Patris Christus Deus, quin etiam sit Christus homo, sicut vestis regia est in eodem loco, in quo est rex, supposito quòd illa est indutus.

SECTIO VIII.

Expositio septimi articuli: Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

100 AD quid hoc judicium universale, si quilibet judicatur tempore mortis? Ob varias rationes. Primò, ob Dei honorem. Quia hodie multi existimant Deum non gubernare hunc mundum, aut benè non gubernare, quia vident multos malos exaltatos, & multos bonos depressos. Fiet ergo judicium, ut unusquisque videat Dei justitiam. Secundò, ob gloriam Christi, qui cùm fuerit in hoc mundo injustissimè condemnatus, videatur tunc, quantùm fuerit à Deo glorificatus. Tertiò, ob honorem multorum Sanctorum, qui mortui sunt quasi infames, quibus fama restituetur in præsentia totius mundi. Quartò, ob confusionem malorum, qui sæpè moriuntur cum opinione virtutis; bonum autem est, quòd hæc veritas compareat. Quintò, ut corpus, quod fuit animæ socium, habeat præmium, vel pœnam simul cum anima. Sextò, quia processus multorum adhuc non est finitus: nam multi Sancti per libros, & alia bona opera, quæ durant post mortem, fructificant in proximis, unde crescit debitum gloriæ ipsorum; sicut etiam multi scelerati per libros lascivos, hæreticos, vel impios, aliaque prava opera, v. c. picturas inhonestas, aut malè partas divitias nocent continuò proximis. Unde crescit debitum majoris illorum pœnæ. Itaque in die judicii, quando erunt completa omnia merita, & demerita, finietur processus omnis, & proferetur ultima sententia.

101 Hic est ultimus artic. pertinens ad Christi personam, & in substantia continet Christum è cœlo venturum ad judicandos vivos & mortuos, quæ est veritas utilissima revelata fidelibus ob maximum illorum bonum, quia qui frequenter cogitat hanc veritatem, eamque credit, & intelligit, ut par est; concipit sanctum timorem, quo liberatur ab innumeris peccatis. Considerabimus igitur singula verba artic. quia illorum quodlibet suam habet peculiarem utilitatem.

102 Ex verbo, *Inde*, discimus nemini credendum esse, qui dixerit se esse Christum, ut dicet Antechristus, & ut jam aliqui ignorantes dixerunt; quia sumus certi, quando Christus venerit, venturum ex summo cœlo cum tanta gloria, & majestate, ut nullus possit dubitare an ipse sit, vel non: sicut quando sol nascitur, quilibet cognoscit illum esse solem, quia non est in mundo lux alia similis. At in quo veniet

Dominus? Veniet in aere. Ita Paulus: [a] *Rapiemur in nubibus obviàm Christo in aera*. Et Christus ipse: [b] *Videbitis Filium hominis in nubibus cœli*. Itaque Christus, & omnes Sancti erunt in aere in corporibus gloriosis; damnati verò in corporibus immortalibus, sed non gloriosis. Et creditur proprium locum futurum supra Jerusalem, ut dicit Propheta: [c] *Deducam eos in vallem Iosaphat, & ibi disceptabo cum eis*. Ut videatur locus redemptionis, & obvient sibi misericordia, & justitia, ob quam causam apparebit etiam in aere signum crucis: [d] *Apparebit signum Filii hominis*.

a 1. Thess. 4. 16.
b Matth. 24. 30.
c Ioel. 3. 2.
d Matth. 24. 30.

103 Ex alio verbo, *Venturus est*: Discimus Christum venturum ad judicandum in forma humana. Quamvis enim tota suprema authoritas sit sanctissimæ Trinitatis, nihilominus exercitium judicandi erit Christi, quatenus homo est, ut eum possimus videre, & audire: [e] *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, suscitans eum à mortuis*. [f] *Dedit ei potestatem judicium facere, quia Filius hominis est*.

e Act. 17. 30.
f Ioa. 5. 27.

104 Quando futurus sit hic adventus, nemo scit, quia vult Deus, ut semper vigilemus, & simus parati. Dicit tamen Paulus: [g] *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet*. Et idem sæpè nos admonuit Dominus ipse dicens futurum, [h] ut fuit diluvium tempore Noe, quod venit ex improviso, quando de illo non cogitabatur. Hoc scimus hunc fore ultimum diem hujus mundi, quia postea non erit amplius mutatio diei, & noctis: sed erit semper dies bonis, nox autem malis. Idem dicitur dies Domini, & dies magna. Dicitur *dies Domini* ad differentiam aliorum dierum, qui sunt dies nostri, tempus enim præsens est dies noster, quia facimus quidquid volumus, & Deus videtur dormire; ille autem dies ultimus non erit noster, quia Deus faciet in illo, quod volet, & mali constringentur pati. Dicitur *dies magna*: quia in illa dabitur ratio de omnibus diebus transactis. Illa erit dies prælii, & conflictus generalis, omniumque pœnarum contra omnes culpas non deletas per pœnitentiam. S. Clemens Papa dicit decretum à Deo diem peculiarem ad hunc adventum, quæ dicitur *amara valde*. Quia nunc fames, pestilentiæ, bella, & similia mala sunt tamquam breves quædam, & faciles excursiones, in illa verò die erit campale prælium. O miser peccator! Qualis eris, quando videbis Deum venientem contra te, ira & furore armatum, & omnes creaturas contra te pugnantes: [i] *Pugnabit cum eo orbis terræ contra insensatos*.

g 1. Thessal. 5. 2.
h Matth. 24. 37.
i Sap. 5. 21.

105 Tertium verbum, *Iudicare*, ostendit in die illa reddendas Christo rationes de omnibus operibus, verbis, & cogitationibus etiam occultissimis. Rationes istæ continebunt examen, & sententiam. Examen fiet brevissimè, quia non poterunt adduci excusationes, aut defensiones, nec appellationes interponi. Subitò proferetur, & dabitur executioni sententia. Ratio autem est, quia Deus propalabit omnium conscientias, ut ait Paulus: [l] *Tunc revelabuntur abscondita tenebrarum, & manifestabuntur consilia cordium*. Hi sunt libri, de quibus Dan. 7. qui aperiendi sunt in die judicii. Non solùm autem manifestabitur conscientia illarum rerum, quarum homo recordatur, sed divinum illud lumen, quod libros conscientiarum aperiet, in memoriam adducet omnia etiam oblita, & quæ homo cognoscere noluit. Unde quilibet hærebit mutus, quia non erit quid respondeat: si enim confessio propria delicti, maximè sine tormento, valet plus ad convincendum reum, quàm plura testimonia, quantùm valebit confessio cordis, & conscientia propalata, & manifesta toti mundo? Quàm frigidum sudorem, quale animæ deliquium patietur peccator, quando se viderit omnibus manifestum, deque tot iniquitatibus convictum, quin valeat remedium aliquod invenire? non enim erit jam locus pœnitentiæ.

l 1. Cor. 4. 5.

106 Sententia erit illa, quæ scribitur in Euangelio: [m] *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*. Continet autem sententia hæc tres partes. *Venite* tamquam amici, domestici, & filii ad videndam faciem meam, & Divinitatem. *Possidete regnum*: Intrate in possessionem regni æterni, quod habent omnes illi, qui Deum vident. *Benedicti Patris mei*: Hoc est, in medio sententiæ tamquam fons, & causa totius gloriæ, & felicitatis æternæ. Eodem modo sententia iniquorum continebit tres partes: [n] *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Per illud *discedite* intelligitur pœna damni, quæ consistit in æterna caren-

m Matth. 25. 34.
n Matth. 25. 41.

Digitized by Google

carentia visionis Dei, estque pœna formidabilis, quia privat summo bono. Et licèt hodie parùm cognoscatur, & parùm affligat; tunc perfectè cognoscetur, eritque pœna mœstissima videre in æternum se tanto bono privatum. Per illud *In ignem æternum* intelligitur pœna sensus, quæ erit vehementissima, quia acutissima sine ulla consolatione, & absque fine. Per illud *Maledicti*, quod est in medio, intelligitur radix, & causa, ac fons utriusque pœnæ, quæ est æterna Dei maledictio. Hæc erit excommunicatio quædam æterna privans hominem omni gratia, & favore. Et sicut ficus à Christo maledicta subitò aruit usque ad radices; ita miseri illi, qui erunt in illa die à Deo maledicti, subitò perdent omne bonum, nec poterunt amplius facere, loqui, aut cogitare bonum aliquod.

107 Finito autem horrendo judicio, boni ascendent in cœlum cum jubilo maximo, mali verò præcipitabuntur in profundum inferni cum magnis gemitibus. Hæc autem non sunt fabulæ, aut res, quæ ad nos non pertineant, sed sunt res verissimæ, quæ non multò pòst contingent, & quilibet nostrùm ibi erit præsens, & altera ex duabus sententiis propria erit uniuscujusque. De quo si plura velis, vide quæ dicta sunt lib. 5. cap. 13.

SECTIO IX.

Expositio articuli octavi: Credo in Spiritum sanctum.

108 Absoluta doctrina de Patre, & Filio: accedunt sancti Apostoli ad doctrinam de Spiritu sancto. Articulus est brevissimus quoad verba; sed plenus mysteriis, & utilitatibus. Quatuor sunt necessariò scienda. Primum, Spiritum sanctum esse personam Divinam, distinctam à Patre, & Filio. Secundum, esse verum Deum, & eumdem, ac Patrem, & Filium. Tertium, cur dicatur Spiritus sanctus. Quartum, quare depingatur in forma columbæ, ignis, ac nubis lucidæ, ubi aliquid dicetur de donis ejus.

109 Quoad tertium, licet hoc nomen *Spiritus sanctus* conveniat animabus beatis, Angelis, & magis propriè Deo, ac cuilibet personarum Divinarum. Quando tamen absolutè dicitur, *Spiritus sanctus*; nec intelligitur anima, nec Angelus, nec etiam Pater, aut Filius; sed hæc Divina persona, cujus nomen proprium est *Spiritus sanctus*. Causa, ob quam non intelligitur anima, nec Angelus, est quia hoc nomen per excellentiam convenit Deo, qui est spiritus simplissimus, & fons sanctitatis. Sicut quando absolutè dicitur Pater sanctus, intelligitur Papa, qui est pater in terra omnium Patrum, habetque officium magnæ sanctitatis, quia est Vicarius Christi: & tamen multi alii sunt Patres, & Sancti. Causa verò, cur hoc nomen sit magis proprium tertiæ personæ, quàm Patris, vel Filii, non est per excellentiam, siquidem personæ Divinæ sunt in omnibus æquales, sed quia aliæ duæ personæ habent sua propria nomina. Tertiæ verò, quia non habet nomen proprium, datum est nomen commune pro proprio.

110 Unde verò nascatur, quòd aliæ duæ personæ habeant nomen proprium; tertia autem illud non habeat; non provenit ex aliquo defectu Spiritus sancti, sed ex defectu nostro; quia nomina à nobis data Deo, sunt accepta ex nomiminibus datis creaturis; neque enim possumus, aut scimus loqui de Deo, nisi per verba quibus loquimur de creaturis. Quia verò inter nos ille, qui generat, dicitur pater, & qui generatur dicitur filius: ideo Prophetæ, & Apostoli cognoscentes per Divinam revelationem primam personam generare secundam; vocaverunt primam Patrem, & secundam Filium. Et quia tertia persona est producta substantialiter à prima, & secunda persona; nec tamen est genita, creata, aut facta; & inter nos non est aliqua similis productio substantialis, ideò non invenerunt nomen proprium, sed vocarunt *Spiritum sanctum*, attribuendo ei tamquam nomen proprium, quod aliàs esset commune Patri, & Filio.

111 Advertere autem oportet, quando sermo est de tertia persona, nomen *Spiritus sanctus* esse unum solum nomen. Quando verò dicitur Patrem esse quemdam Spiritum sanctum, vel Gabrielem esse Spiritum sanctum, non esse unum nomen, sed duo; quia *Spiritus* significat naturam spiritualem, *Sanctus* verò significat sanctitatem illius naturæ. Sicut quando aliquis in Baptismo dicitur

Joannes Baptista; illa duo verba sunt unum tantùm nomen: quando dicimus: Joannes Baptista fuit magnus prædicator: tunc Joannes Baptista sunt duo nomina, quorum primum significat personam illius Sancti; secundum significat officium baptizandi, quod exercuit.

112 Quoad primum, Spiritus sanctus est quædam persona Divina distincta à Patre, & à Filio: [a] *Alium Paraclitum dabit vobis.* Hæc autem persona procedit à Patre, & Filio. Quòd procedat à Patre, dixit Christus: [b] *Spiritus sanctus, qui à Patre procedit.* [c] *Et Spiritus Patris vestri. Et quem mittet Pater.* Quòd procedat à Filio, testatur idem: [d] *De meo accipiet.* [d] *Et quem ego mittam vobis.* Et Paulus dixit: [f] *Misit Spiritum Filii sui.* Nec possunt esse plures personæ, quàm istæ tres. Quia Pater non procedit: Filius procedit à Patre per actum intellectus: Spiritus sanctus procedit ab utroque per actum voluntatis, & amoris: in Deo autem solùm sunt isti duo modi processionum ad intra.

a Ioa. 15. 26
b Ioan. 14. 26.
c Matth. 10. 20.
d Ioan. 16. 14. 15.
e Ioan. 15. 26.
f Galat. 4. 6.

113 Quoad secundum, dubitari non potest Spiritum sanctum esse verum Deum, sicut est Pater, & Filius, quia habet eamdem Divinitatem utriusque. Clarè id dixit sanctus Petrus: [g] *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Deinde Spiritus sanctus est ubique: [h] *Quò ibo à Spiritu tuo?* Scit omnia: [i] *Scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* Potest omnia: [l] *Continet omnia.* Habet templum: [m] *Membra vestra templum sunt Spiritus sancti.* Propterea Salvator illum nominavit simul cum Patre, & Filio in forma Baptismi: [n] *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Non enim Baptismus potest conferri in nomine alicujus creaturæ, sed solùm in nomine Dei, qui potest gratiam dare, & remittere peccata authoritate propria. Unde sicut in Symbolo dicitur: *Credo in Deum Patrem, & in Filium,* ita dicitur: *Credo in Spiritum sanctum.* Ut doceremur Spiritum sanctum esse Deum, ut est Pater, & Filius. Quare non solùm opus est credere Spiritum sanctum esse, sed credere in illum, confidere in illo, eumque amare tamquam summum bonum. Illud enim significat particula *In*, quæ proinde non ponitur in articulis sequentibus, neque enim dicimus: Credo in Ecclesiam, vel in remissionem peccatorum, sed Credo sanctam Ecclesiam, Credo remissionem peccatorum, &c.

g Act. 5. 3. & 5.
h Ps. 138. 7.
i 1. Cor. 2. 10.
l Sap. 1. 7.
m 1. Cor. 6.
n Matth. 28. 19.

114 Quoad quartum Spiritus sanctus apparuit in forma columbæ [o] supra Christum, quando baptizatus fuit à Joanne: apparuit etiam in forma nubis lucidæ in die transfigurationis, [p] & tandem in figura linguarum ignearum in die Pentecostes. [q] His tribus modis potest, & solet depingi. Sciendum tamen est illas tres figuras non fuisse Spiritum sanctum, sed creaturas factas Angelorum opera, vel ipsius Dei, quæ paulò pòst evanuerunt: unde non fuerunt unitæ personæ Spiritus sancti, sicut fuit unita caro, & anima hominis personæ Filii; sed solùm apparuerunt ad ostendendos effectus admirabiles Spiritus sancti.

o Matth. 10. 16.
p Matth. 17. 5.
q Act. 2. 3.

115 In forma columbæ apparuit in Baptismo Christi, ut significaret remanere nos in Baptismo per Spiritus sancti gratiam innocentes, ac fecundos ad opera meritoria exercenda, & cum alis columbæ ad volandum usque ad cœlum. Linguæ igneæ significant Spiritum sanctum dedisse Apostolis tria maxima dona, nempe sapientiam, eloquentiam, & charitatem. Sapientia significabatur per splendorem ignis, charitas per ardorem, eloquentia per figuram linguarum. Idem nobiscum agit in confirmatione dando, ut sciamus, velimus, & possimus confiteri Christi nomen coram persecutoribus. Nubes lucida, quæ obumbravit Apostolos in transfiguratione, significabat, quando ad paradisi montem ascenderimus, & fuerimus transfigurati per resurrectionem, tunc gloriam nos omni ex parte complexuram. Pro nunc habemus parùm gloriæ in anima, corpus autem circumdatum est miseriis; tunc circumdabimur gloria quoad corpus, & animam: [r] *Intra in gaudium Domini tui.*

r Matth. 25. 21.

116 Ultra hæc dona docet Isai. [f] solere Spiritum sanctum communicare ipsum recipientibus dona septem, quæ sunt timor, pietas, scientia, fortitudo, consilium, intellectus, & sapientia. Suntque tamquam septem gradus, quibus receditur à vita peccatrice usque ad summum perfectionis. Dum autem hæc dona declaramus, quilibet consideret se ipsum, & videat in quo gradu sit, & quid sibi faciendum.

f Isai. 11.

117 Primus gradus est timor Dei, qui

qui nobis datur quando incipimus timere Divina judicia, Dei potentiam, ejusque justitiam, ignem æternum sceleratis præparatum, incertitudinem mortis, & similia, quæ faciunt, ut homo verè statuat relinquere peccatum, facere pœnitentiam de commissis. Secundum est pietas. Quia ubi primùm homo pœnituit peccatorum; conceditur ei bona voluntas amandi Deum tamquam Patrem, & servandi ejus mandata non solùm ex timore, sed præcipuè ex amore, qui affectus dicitur pietas.

118 Cùm autem huc pervenitur, concedit Spiritus sanctus donum scientię; quia cùm primùm quis incipit amare Deum, statim desiderat scire, quomodo possit ei placere, quidque illi placeat, vel displiceat; legit pios libros, & si nescit legere, interrogat alios, & Deus per ista media illum docet, & reddit magistrum. Unde solicitudo ista sciendi res Dei, est clarum signum amoris Dei. De sancto Francisco legitur, quòd in principio suæ conversionis non faciebat quasi aliam orationem, quàm sciendi Dei voluntatem, & cognoscendi ab illo, quomodo vellet, ut ei serviretur.

119 Post hanc scientiam, est necessaria fortitudo, quia qui didicit quod faciendum est ad placendum Deo, idque incipit exequi, invenit multas difficultates ex humana imbecillitate, ex malo usu, ac dæmonis pugna: nemo enim concipere potest, quot sint difficultates ad benè operandum, nisi qui se ad opus accingit, incipitque benè operari cum resolutione ad vigilandum, & Divina mandata observanda. Deus tamen hominem non relinquit, sed dat fortitudinem ad superandas difficultates: quæ fortitudo consistit principaliter in augmento fidei, spei, & charitatis, nam omnia possibilia sunt credenti, & multò plus amanti: [r] *Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.*

r Rom. 8. 37.

120 Quia verò diabolus, quando videt hominem ita benè armatum, & quòd vinci nequeat per vim, vertitur ad dolos, tegnas, & stratagemata implens animam scrupulis, aut proponens malum sub boni specie: Spiritus sanctus dat donum consilii, quod est spiritus discretionis, seu discernendi cum claritate verum bonum ab apparenti, & verum peccatum ab eo, quod tale apparet. Quando autem quis jam ascendit per hos quinque gradus, & pervenit ad perfectionem vitæ activæ; tunc datur donum intellectus, faciendo ut intelligantur Divina mysteria, homoque evehatur ad altitudinem contemplationis, ut factum est cum multis sanctis simplicibus, & idiotis fœminis, ut sancta Clara, Catharina Senensi, &c.

121 Tandem conceditur donum sapientiæ, quod est summum perfectionis, quia includit perfectam charitatem, perfectamque scientiam rerum altissimarum, quia ille est sapiens, qui cognoscit primam veritatem, & secundùm illam ordinat actiones suas. Hæc sunt dona, quæ non venduntur, sed donantur, neque enim est pretium æquivalens, & sunt dona Spiritus sancti, quia non est alius artifex, qui sciat facere res ita plenas pietate.

SECTIO X.

Expositio articuli noni: Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem.

Declaravimus articulos pertinentes ad Deum, modò declarandi sunt 122
illi, qui pertinent ad Ecclesiam ejus sponsam. Sicut autem Deus est una essentia, & tres personæ, ita Ecclesia est una habens tria magna bona, nempe remissionem peccatorum, quod est bonum animæ; resurrectionem carnis, quod est bonum corporis; & vitam æternam, quod est bonum utriusque, quæ omnia continentur in quatuor ultimis articulis.

123 In hoc ergo artic. docemur debere nos credere esse unam Ecclesiam sanctam, & Catholicam, in qua invenitur communicatio Sanctorum. Tria declarare oportet circa hunc artic. Primum, quid sit Ecclesia, & quomodo credi debeat Ecclesia. Secundum, quomodo sit una, Sancta, & Catholica. Tertium, quomodo in ea sit communicatio Sanctorum.

124 Quoad primum, Ecclesia duo significat, nempe congregationem, vel convocationem hominum, & locum, ubi solent congregari, & convenire. Quando dicimus Ecclesiam Romanam esse caput omnium Ecclesiarum, intelligi-

ligimus congregationem omnium fidelium, qui sunt Romæ, hoc est clerum, & populum Romanum esse caput omnium aliarum congregationum, quæ sunt in mundo. Quando verò dicimus Ecclesiam sancti Petri esse pulchriorem omnibus, quæ sunt in Italia, intelligimus de ea fabrica materiali, quæ dicata est sancto Petro in Vaticano.

125 In artic. sermo tantùm est de Ecclesia in primo significatu. Unde per Ecclesiam intelligimus multitudinem fidelium Christianorum, quæ multitudo dicitur Ecclesia, idest, congregatio, & convocatio. Dicitur congregatio, non quia omnes fideles congregati sint in uno loco, sed quia sunt uniti sub eodem Pastore, qui est Christus, & ejus Vicarius in terra, qui est Papa: & dicitur convocatio, quia Christiani non nascuntur tales, sed vocantur à Deo, ut uniantur sicut Dei populus.

126 Tria autem requiruntur, ut quis sit ex hoc Dei populo. Primum, Baptismus, qui est quasi janua, per quam intratur. Secundum, professio fidei. Tertium, unio cum capite, qui est Pontifex Romanus. Unde Pagani sunt extra Ecclesiam, quia non intrarunt: Hæretici sunt extra, quia exierunt amittentes professionem fidei: Schimatici etiam sunt extra, quia etiam exierunt nolentes esse uniti cum capite Ecclesiæ: Excommunicati, qui fuerunt expulsi tamquam membra scabiosa.

127 Omnes alii, licèt peccatores, sunt intra Ecclesiam, in qua erunt usque ad finem mundi, quando fiet separatio bonorum, & malorum, & soli boni permanebunt in Ecclesia. Quod Dominus significavit in parabola [a] areæ, quæ habet granum simul permixtum cum paleis usquequo fiat separatio, & granum inferatur in horreum, paleæ verò comburantur. Et in parabola [b] retis capientis pisces bonos & malos, usque dum in terra fiat separatio. Nos autem credimus hanc Ecclesiam, quia licèt homines videantur, tamen quòd isti sint verus Dei populus, non videtur, sed creditur à fidelibus, & negatur ab Hæreticis. Idem dici poterat de Christo, quando erat in terra: quilibet enim videbat esse hominem, quòd autem esset verus Dei Filius, ac Deus incarnatus, non videbatur, sed credebatur à veris fidelibus, ab aliis negabatur.

a Matth. 3.12.

b Matth. 13.57.

128 Quoad secundum, Ecclesia Dei habet tres proprietates, quia est una, Sancta, & Catholica, & potest adjungi quarta, hoc est, Apostolica, quæ adjungitur in Symbolo Nicæno, quod legitur in Missa. *Ecclesia est una:* Et ideò dicitur Ecclesia, non Ecclesiæ, quia licèt fideles sint sparsi per totum mundum, sintque diversarum provinciarum, linguarum, morum, ac rituum, & sub diversis principibus sæcularibus; nihilominus omnes sunt una & eadem Ecclesia, quia habent idem caput Christum, & in loco ipsius Papam: sicut exercitus continens milliaria personarum, dicitur unus, quia est sub uno duce generali. Habet unam & eamdem fidem, unum & idem Euangelium, unum & idem baptisma: [c] *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Quando autem dicimus Ecclesiam Romanam, Eborensem &c. intelligimus esse Ecclesias particulares, at Ecclesia universalis est una sola.

c Ephes. 4. 5.

129 *Est sancta*, quia ejus caput est sanctissimum, nempe Christus, sicut enim homo, qui habet pulchram faciem, dicitur pulcher, quamvis habeat quamcumque deformitatem in alia parte corporis, ita corpus Ecclesiæ dicitur Sanctum, quia ejus caput est Sanctum, quamvis aliqua membra sint plena peccatis. Est denique sancta, quia semper habet intra se multos homines justos, & sanctos. Et hæc est differentia inter Ecclesiam Christi, & sectas Gentilium, Judæorum, Turcarum, & Hæreticorum, quia in Ecclesia sunt boni & mali, in prædictis sectis nullus est bonus.

130 *Est Catholica.* Idest, universalis, quia non restringitur ad unum locum aut tempus, sed complectitur omnia loca & tempora, & non solùm invenitur in omnibus partibus terræ, sed etiam in purgatorio, & in cœlo: omnes autem sectæ limitantur ad locum, & brevì finiuntur. Unde comparantur à sanctis Patribus torrentibus, qui tempore hiemis cum furia fluunt, & videntur magna flumina, at postea in æstate exsiccantur. Est denique *Apostolica.* Quia Apostoli missi fuerunt à Christo, ut eam fundarent, & ab eorum tempore nunquam defecit, durante semper successione D. Petri usque ad præsentem Pontificem Romanum; omnes autem congregationes hæreticorum

inco-

Digitized by Google

inceperunt post tempus Apostolorum, & majori ex parte sunt finitæ.

131 Quoad tertium *communicatio Sanctorum*, significat Ecclesiam esse instar corporis humani, in quo omnia membra sunt conjuncta, & ita unita, ut bonum unius membri redundet in bonum omnium membrorum. Bona autem Ecclesiæ sunt præcipuè Sacramenta, quæ omnibus sunt communia, nisi aliquis fiat indignus: sunt deinde sacrificia, indulgentiæ, orationes, officia Divina, & omnia ista sunt utilia omnibus illis, qui sunt in Ecclesia. Præterea prædicationes, miracula, potestas ecclesiastica sunt media à Christo data Ecclesiæ in communem utilitatem. Nec membra Ecclesiæ solùm se simul juvant in terra, sed etiam vivi juvant animas Purgatorii; & Sancti in cœlo orant, & intercedunt pro nobis. Tandem charitas facit, ut quilibet lætetur de bono alterius, ac si esset proprium.

132 Hinc colligi potest, quàm grande malum sit excommunicatio, quia expellit hominem ab Ecclesia, privatque omnibus supradictis bonis, & ecclesiastica sepultura. Unde notat S. Bern. rem consideratione dignam, nempe Ecclesiam in Venere sancto facere specialem orationem pro Paganis, Judæis, Hæreticis, & Schismaticis, non tamen pro excommunicatis. Verum quidem est Ecclesiam non excommunicare filios suos inobedientes, ut eos faciat in æternum mori, sed ut erubescentes expelli se à consortio fidelium, pœniteant & revertantur ad gremium matris Ecclesiæ.

SECTIO XI.

Expositio articuli decimi: Remissionem peccatorum.

133 Artic. hic docet nos credere posse peccata remitti, verèque remitti à ministris Ecclesiæ. Qui cognoscit gravitatem peccati, videt esse tam difficilem remissionem peccatorum, ut si fides non esset, posset judicare impossibilem eorum remissionem. Duæ difficultates occurrunt in remissione peccati. Prima est ex parte personæ offensæ, quæ est Deus supremus Dominus noster, & creator, à quo dependemus in fieri, & conservari: Secunda est ex parte ipsius peccatoris, qui est creatura vilissima, qua Deus ad nihilum indiget.

134 Quoad primam. Peccatum est offensa divinæ majestatis, unde meretur pœnam infinitam. Si quis à rege furetur maximam summam, vel ejus monetam falsificet, aut ei sit infidelis, tradendo inimicis arcem aliquam, non sperat veniam, nisi fortè rex sit inscius criminis, aut nequeat ipsum capere, aut aliàs valde indigeat ejus valore, aut scientia. At Deus est Rex supra omnes reges, omnia novit, & nemo est, qui manus ejus possit effugere & non indiget valore, aut scientia alicujus. Qui ergo offendit talem majestatem, poterit spem veniæ concipere? Et si majestas hæc non indulsit tot Angelorum multitudini, sed omnes, nullo excepto, addixit æternis flammis, quis cogitabit illam velle indulgere hominibus, & sibi in particulari, maximè post tot peccata, ac toties repetita?

135 Hic ergo intrat fides, quæ nos facit credere ob divinam revelationem velle Deum nobis indulgere, & condonare quodlibet peccatum, quamvis enorme, illudque condonaturum, quoties peccabimus, dummodo verè pœniteamus. Omnia ista sunt revelata Prophetis, & Apostolis in sacris litteris: [a] *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas.* [b] *Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, & rubra sicut vermiculus, sicut lana alba erunt.* [c] *Cùm averterit se impius ab impietate sua, animam suam vivificabit.* Et hoc non quia Deus nobis indigeat, sed propter suam bonitatem, & misericordiam. Præterea adjungitur in fide Testamenti novi, Deum dedisse veram authoritatem sacerdotibus ejus ministris ad remittenda peccata quæcumque hominum: [d] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quæ gratia non erat in terra ante Christi adventum. Hoc ergo significat, *Remissio peccatorum.*

a Isai. 43.25
b Isai. 1.18.
c Ezech. 18.27.
d Joa. 20.23

136 Quoad alteram difficultatem sciendum est, quamvis Deus remittat peccata, requirere tamen veram pœnitentiam, aliàs non remittit, sed punit cum summo rigore: [e] *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Quòd ergo homo relinquat verè peccata, & pœniteat ex corde, est res difficillima, ideo dixit Aug. majus opus esse justificare peccatorem, quàm creare cœlum & terram, quia peccati dulcedo est præsens, & manibus tangitur; magnitudo

e Luc. 13.3.

autem

autem Dei, gloria suorum amicorum, pœna inferni, pulchritudo gratiæ, nec videntur, nec cognoscuntur, nisi à paucis; est autem satis difficile relinquere bonum, quod videtur, propter illud, quod non videtur; sicut & subire malum, quod videtur, ad fugiendum malum futurum, quod non videtur.

137 In hoc mundo qui regem offendit, non habet magnam difficultatem pœnitendi, quia videt regis magnitudinem, potentiam suorum ministrorum, furcas, secures, & similia instrumenta suppliciorum. Fides nihilominus nos docet posse hominem ex Dei gratia converti ad veram pœnitentiam, quia potentior est gratia, quàm peccatum. Et ideo desperare non debent prædicatores, aut ii, qui attendunt animarum conversioni. Et ipsi peccatores, quando illuminari incipiunt, & desiderare pœnitentiam suam, licèt sentiant difficultatem tentationum, & pravæ suæ consuetudinis, sperare debent, & ad Deum recurrere, qui dat majorem gratiam fundatis in hac veritate Symboli: *Credo remissionem peccatorum*.

138 Quàm dives thesaurus sit hæc peccatorum remissio, ex eo cognosci potest, quòd peccatum sit majus malum omnibus aliis, quæ sunt in mundo, ut deprehendi potest ex multis rationibus, sed præcipuè, quia est causa multorum aliorum malorum. Si enim non fuisset peccatum, non esset mors. [f] *Stipendium peccati mors*: [g] *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*. Si non esset peccatum, non esset Infernus, nec Purgatorium: & in hoc mundo non essent infirmitates, fames, pestes, bella, furcæ, secures, nec alia tormenta; unde Christus Paralytico: [h] *Iam noli peccare, ne tibi deterius aliquid contingat*. [i] Et Deus Davidi obtulit, ut pro pœna peccati sui eligeret pestem, famem, aut bellum. Unde in paradiso, ubi peccatum non erit, nullum erit genus mali. In hoc verò mundo, ubi peccata regnant, regnant etiam flagella, & omnia mala.

f Rom. 6. 23.
g Gen. 2. 17
h Ioa. 5. 14
i 2. Reg. 24

SECTIO XII.

Expositio undecimi articuli: Carnis resurrectionem.

IN hoc art. docemur de veritate quàm utilissima, quòd nempe caro nostra post mortem iterum victura sit, non amplius moritura. Prudenter satis voluit Spiritus sanctus, ut hic diceretur resurrectio carnis, non autem hominis, vel corporis, quamvis unum, & alterum sit verum. Voluit enim ut diceretur resurrectio carnis, non hominis, ne putaremus totum hominem mori, quantùm ad animam, & quantùm ad corpus. Quia homo habet duas partes, alteram communem cum bestiis, nempe carnem, & sensum; alteram communem cum Angelis, intellectum nempe, & liberum arbitrium, secundùm quod est Dei imago. Prima pars moritur, secunda mori non potest. Itaque credendo carnis resurrectionem, obiter confitemur animam esse immortalem, & non indigere resurrectione, & sicut homo moritur quoad corpus, & non quoad animam. 139

140 Dicitur deinde *Carnis*, non corporis resurrectio, ne aliquis putaret in resurrectione, futurum corpus verum quidem, sed non carneum, in quem errorem aliqui inciderunt, credentes corpus resuscitatum futurum aereum, non propriè carneum, quod est falsissimum, ut monstravit D. Gregor. contra Eutychium in præsentia Imperatoris, dicente Jobo: [a] *In carne mea videbo Deum meum*. Prævidens igitur Spiritus sanctus hunc errorem voluit apponi in Symbolo: *Carnis resurrectionem*. Itaque corpus resuscitatum erit verè corpus carneum, & osseum, non aereum, aut ventosum.

a Iob. 19 26.

141 Deinde verbum illud, *Resurrectio*, nos docet non solùm resuscitandum corpus carneum, sed idem quod modò habemus, & quod paulò pòst morietur: quia si corpus resuscitatum foret alterum, non foret resurrectio, sed nova productio, non potest enim resurgere, nisi illud, quod est mortuum; erit ergo idemmet corpus, quod nunc habemus, sed alterius gloriæ, ut dicetur.

142 Neque erit solùm idemmet quoad substantiam, sed etiam quoad sexum, quia

quia mulieres habebunt corpora mulierum, & homines corpora hominum, aliàs non essent eademmet corpora. Et licèt post resurrectionem non sint futuræ nuptiæ, & matrimonia, erunt tamen eadem corpora, ut in illomet, in quo dæmonem superarunt, triumphent. Sicut enim erit gloria martyrum, & confessorum, quòd videantur eorum merita in corpore proprio, ita erit gloria virginum, quòd reluceat tanta virtus in earum corporibus. Et insuper quomodo cognosceretur gloria Matris Dei, si non haberet in cœlo corpus mulieris.

143 Occurrit tamen difficultas, quia videtur incredibile, quòd illi, qui mortui sunt ante multos annos, quorum jam non reperientur nec ossa, nec pulveres, nec aliquid aliud, possint iterum esse iidemmet, qui prius fuerant, maximè quia multi fuerunt mortui in matris visceribus, alii valde pueri, alii senes; & si suscitentur in ea forma, in qua nati sunt, videtur inconveniens; si in altera, non erunt illimet, qui fuerunt mortui, sed alii diversi. Respond. illum, qui credit Deum esse omnipotentem, non habere difficultatem credendi resurrectionem, & qui credit Deum fecisse mundum ex nihilo, facilius credet posset restaurare rem prius factam: maximè quia Deus, qui omnia novit, optimè scit, ubi sint pulveres corporum omnium mortuorum, quamvis sint in profundo maris, aut in loco deserto.

144 Nec est periculum, quòd non sint eadem corpora, licèt non sint in forma parvulorum, aut valde senum, quia ut docet Paulus, [b] omnes resurgent in statura ætatis Christi: idest, in illa statura, quam habuerunt, vel habituri essent in ætate 33. annorum, si ad eam pervenissent, v. c. moritur quis in ætate trium annorum; resurget in illa magnitudine, quam habuisset in ætate 33. annorum, & tamen erit idemmet homo, sicut idem est, quando habet unum tantùm annum, & quando habet tres, aut 33. aut etiam 50. annos, vel plures. Unde etiam sciendum est, sicut omnes resurgent in flore ætatis, ita resurrecturos absque ullo defectu naturali, hoc est, nullus erit cæcus, surdus, mutus, claudus, grandis, vel parvulus cum excessu, quia hi sunt defectus naturæ, qui omnes emendabuntur ab authore naturæ in illa operatione, quæ tota sua erit, quin partem habeant causæ naturales, opera enim Dei perfecta sunt.

[b] Eph. 4. 3

145 Quia verò hæc resurrectio est mysterium tam necessarium ad salutem, ideò Deus voluit, ut semper in mundo fuerit illius fides. In lege naturæ fuit sanctus Job, qui verbis clarissimis dixit in ultimo die se resurrecturum, futurumque illum eumdem, qui prius fuerat, & cum eisdemmet oculis visurum Salvatorem. Addiditque: [c] *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*. Hoc est, quòd spes certissima resurrectionis esset in sinu suæ memoriæ adeò radicata, & custodita, ut nemo eam posset auferre, & hæc ipsum consolabatur in suis tribulationibus. In lege scripta habemus Danielem [d] expresè dicentem illos, qui dormiunt in pulvere terræ, in fine suscitandos, alios quidem ad gloriam, alios ad opprobrium sempiternum. Dicit autem suscitandos, ut doceret Deo esse tam facilè resuscitare hominem in pulverem jam redactum, quàm nobis suscitare dormientem in lecto. Sancti Machabæi, [e] eorumque pia mater in suis acerbissimis tormentis, aliam consolationem non habebant, quàm considerare Deum illis redditurum membra omnia, quæ pro ejus amore perdebant. In Euangelio, & epistolis Pauli non est res magis expressa, quàm carnis resurrectio. Unde Martha, quando audivit à Christo: [f] *Resurget frater tuus*. Subitò respondit: *Scio, quia resurget in resurrectione in novissimo die*. Et non solis verbis, sed etiam exemplis voluit Deus nobis persuadere istum articulum adeò necessarium. Quia, ut credatur hominem mortuum vivere, Elias, & Eliseus in veteri testamento mortuos suscitarunt, idem fecit in novo Christus, Apostoli, & alii Sancti. Sed quia omnes isti resuscitati postea mortui sunt, Christo excepto, quia amplius mortuus non fuit, nec potest mori, id autem quod in se fecit, promisit se facturum in omnibus nobis.

[c] Job. 19. 27.

[d] Dan 12. 2.

[e] 2 Machab. 7.

[f] Joa. 11. 24

146 Et ne tibi videatur difficile, quòd homo carneus semper vivet sine senectute, aut defectione, transtulit Henoch, & Eliam, quos conservat à tot millibus annis in ea ætate, in qua translati fuerunt: si autem Deus potest illos conservare adhuc mortales absque senectute, aut defectione, cur non poterit conservare corpora immortalia post resurrectionem communem? Omnibus istis probationibus additur resurrectionem non esse rationi contrariam, sed potius con-

Digitized by Google

conformem, quia cùm anima rationalis sit immortalis, sitque forma naturalis corporis, est valde rationabile, quòd habeat corpus immortale. Unde quando Deus fecit hominem, illum talem fecit, ut posset non mori: quia verò per peccatum meritus fuit mortem, ideò Dei sapientia invenit modum, quo satisfieret justitiæ moriendo, & nihilominus ad vitam remearet, ut haberet societatem cum anima immortali.

147 Et quis credere posset Deum justissimum judicem voliturum tot homines pati in corporibus suis tot labores, ac dolores usque ad mortem, si non esset resurrectio corporum, per quam possent etiam quoad corpus glorificari? Et similiter quis posset credere Deum justum judicem permissurum tot homines sceleratos gaudere usque ad finem vitæ tot deliciis corporalibus, si non foret carnis resurrectio, qua mediante possent etiam corporaliter puniri? Ratio ista non solùm nobis persuadet corpora fore resuscitanda, sed etiam adjuvat ad intelligendum id, quod Dominus dixit in Euangelio: g *Qui bona egerunt, resurgent in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii*. Hoc est, boni resurgent, ut habeant præmium vitæ æternæ, & mali, ut judicentur, & condemnentur ad mortem æternam, de qua plura artic. sequenti, in quo de vita æterna dicendum est.

g Ioa. 5. 29.

SECTIO XIII.

Expositio articuli duodecimi: Et vitam æternam.

148 IN hoc ultimo artic. declaratur finis, ob quem sumus Christiani, ad quem ordinantur leges omnes, Sacramenta, virtutes, & omnia alia. Debemus igitur firmissimè credere, & firmissimè cogitare post carnis resurrectionem futuros duos status, alterum felicissimum, infelicissimum alterum, utrumque autem æternum, quorum alter ad unumquemque nostrùm pertinebit. Nunc autem est tempus procurandi felicissimum, quia finita hac brevi vita non erit amplius tempus. Duo nobis declaranda sunt. Primum, cur status beatorum dicatur vita æterna, status verò damnatorum mors æterna, cùm omnes homines sint resurrecturi, ut amplius non moriantur? Secundum, quàm magna sint bona vitæ æternæ, & è contra quàm magna sint mala mortis æternæ.

149 Quoad primum, nomen vitæ duo significat, essentiam rei vivæ, & exercitium vivendi. Quando aliquis dormit, vel opprimitur à malo caduco, vel ab alio accidenti, quod impedit usum sensuum & motus, dicitur habere vitam, quia non est mortuus, est enim anima in corpore: potest tamen dici non vivere, quia deest illi exercitium vitæ, vivit itaque quoad essentiam, & est mortuus quoad exercitium. Sed quid est vitæ exercitium? Est movere se ipsum, v.c. movere oculos videndo, aures audiendo, linguam loquendo, pedes ambulando, intellectum discurrendo, voluntatem desiderando, & amando. Unde etiam per similitudinem dicimus aquam fluminis esse vivam, quia movetur, aquam paludum esse mortuam, quia non movetur, sed stat quasi mortua, sine motu, ac sine fluxu.

150 Beati habebunt vitam æternam, quia non solùm habebunt corpora viva quoad essentiam, sed summam libertatem ad se movendos, & operandum quidquid voluerint, absque impedimento; & præterea habebunt Dei gratiam, quæ est vita supernaturalis. Damnati dicuntur esse in morte æterna, quia licèt futuri sint vivi quoad essentiam vitæ naturalis, quia habebunt corpus anima informatum: nihilominus erunt mortui quoad gratiam, quæ est vita super naturalis, quam nunquam poterunt comparare. Ulterius possunt dici mortui quoad motum ad eorum beneplacitum, quia non poterunt videre, audire, loqui, operari, aut moveri, quando vellent, nec quomodo vellent, sed erunt constricti ad carceres obscurissimos inferni, & alligati ad ignem ardentem, ex quo loco se movere non poterunt, nec videre, audire, loqui, vel cogitare aliquid, quod eos delectet, sed cogentur videre, audire, & cogitare res contrarias proprio gustui. Unde desiderabunt privari sensibus, & vita, neque hoc poterunt obtinere. Hoc significat Euangelium a dicens damnatos ligatis manibus, & pedibus mittendos fore in tenebras exteriores; ubi semper erunt sine ulla spe aliquando evadendi. O qui benè caperet, quanta sit hæc miseria, subitò quidem vitam in melius mutaret.

a Matth. 22. 13.

151 Vt-

Digitized by Google

151 Veniendo ad secundum magnum bonum vitæ æternæ, potest declarari per similitudines bonorum, quæ in hoc mundo desiderantur. Quantùm ad corpus desiderantur sanitas, pulchritudo, agilitas, & fortitudo: quantùm ad animam sapientia, bonitas in voluntate, & complementum desideriorum. Quantùm ad res externas, divitiæ, honores, voluptates, potentia, societas verorum amicorum, & securitas, ne ab ullo inimico offensa inferatur.

152 Omnia ista habebunt boni post resurrectionem absque timore perdendi. Pro sanitate habebunt impassibilitatem, & immortalitatem: [b] *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Et quamvis immortalitas erit omnibus communis, impassibilitas erit propria bonorum. Pro pulchritudine habebunt claritatem instar solis: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria.* [c] *Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.* De qua pulchritudine nihil habebunt damnati, & beati eam habebunt inæqualem, quia secundùm merita erit unus beatior alio, & signum majoris beatitudinis animæ erit major claritas corporis: omnes tamen erunt satisfacti, sicut plures filii ejusdem patris satisfacti sunt de vestibus sibi proportionatis, licèt major majorem vestem induat. Pro agilitate habebunt admirabilem quamdam virtutem, qua possint se transferre quocumque eis placuerit ad nutum voluntatis, ac si fuissent spiritus puri: *Seminatur corpus animale, surget spirituale.* Non quia non sit verum corpus, sed propter subjectionem ad spiritum. Pro fortitudine habebunt potentiam vivendi absque cibo, potu, & somno, & resistendi omni contrario: *Seminatur in infirmitate, surget in virtute.*

b 1. Cor. 15.42.

c Matth 13.43.

153 Quoad animam habebunt scientiam rerum omnium creatarum, & quod est majus, videbunt divinam essentiam, unde evadent altissima sapientia pleni: habebunt animam ornatam gratia & justitia, voluntatem bonitate & charitate, ita ut nequeant minimum etiam peccatum admittere, eruntque plenè satisfacti videntes omnia desideria sua completa. Quoad bona externa, erunt infinitè divites, quia omnia in Deo habebunt, & erit Deus omnia in omnibus. Deus erit illis domus, vestis, cibus, ac omne bonum, nec in æternum re aliqua indigebunt, quod est esse verè divitem, sic enim Deus dives est. Quoad honores erunt filii Dei, æquales Angelis, reges, & sacerdotes: [d] *Fecisti nos Deo nostro regnum, & regnabimus super terram.* Quoad delectationes, omnibus sensibus objicientur objecta convenientissima, magis verò intellectui, & voluntati: unde tanta erit delectatio & gaudium, ut cuique dictum sit: [e] *Intra in gaudium Domini tui.* Potestas certo quodam modo erit omnipotentia, quia poterunt quidquid vellent, uniti semper, & conformes divinæ voluntati. Habebunt denique societatem tot bonorum, & fidelium amicorum, quot fuerint angeli, & homines beati: eruntque in æternum securi de omnibus suis inimicis, quia omnes scelerati, tam angeli, quàm homines erunt in inferni carcere reclusi clave illius: [f] *Qui claudit, & nemo aperit.*

d Apoc. 5.10.

e Matth. 25.21.

f Apoc. 3.7

154 Post hæc omnia considerare oportet omnem mundi gloriam, omne bonum, & omnia alia negotia nihil esse comparatione hujus summi boni, quod proinde debet anteponi omnibus aliis bonis, quamvis appareant summæ utilitatis. [g] *Porrò unum est necessarium.* Et tamen à majori parte hominum hoc summum bonum postponitur omnibus aliis rebus, nec magnum æstimatur committi tot peccata scientibus per quodcumque illorum deperdi hoc summum bonum. Unde mirandum non est, si paucissimi salventur, quia ad salutem necessarium est velle salvari, qui autem rem aliquam verè vult, de alia nec cogitat, nec loquitur, omniaque operatur ut eam obtineat, & patitur omnem laborem, ut eam tandem assequatur. Quis autem nostrùm est, qui hoc faciat pro vita æterna, & pro illa laboret, quantùm pro temporali? O cæcitatem, ò hominum stupiditatem! Si proponitur bonum aliquod satis exiguum, v.c. tantillum lucri, honoris, aut delectationis; facimus quidquid possumus ad obtinendum: si proponitur bonum æternum & maximum, nec cogitare dignamur. Quis enim cogitat, sicut oportet? Certum est, quòd si cum fide cogitaretur, foret impossibile non mutasse vitam: quis est, qui loquatur, & verè quærat viam salutis? Quis est, qui operetur nocte, ac die, & fatigetur, ut salvetur? Quis est ille, qui velit pati jejunan-

g Luc. 10.42.

junando, orando, affligendo carnem suam, remittendo injurias &c?

155 Recogitemus quid fecerit Christus, ut intraret in gloriam suam, quid fecerint Apostoli, Martyres, & omnes Sancti, ut salvarentur; & non judicabimus facere nos satis, sed parùm, imò
b Rom. 8. 18. & nihil. Dicebat enim Paulus: [b] *Non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam*. Quomodo salvabimur nos, qui facimus omnia contraria illis, quæ ad salutem necessaria sunt? Hactenus Bellarm. ad oves suas per Parochos instruendas.

CAPUT QUARTUM.

Exponitur oratio Dominica, ut Parochus eam congruè explicare valeat.

156 IN principio hujus lib. diximus non solùm teneri fideles ad credendum, sed etiam ad orandum, & petendum. Quid credere debeant, docebit Parochus ex dictis pro expositione Symboli; quid orare & petere, ex sequentibus pro explicatione orationis Dominicæ; quam Dominus Apostolos suos
a Luc. 11. 1 docuit petentes, [a] ut docerentur orare; qui postea docuerunt eos, qui ad fidem convertebantur: & Parochus docere debet populum suum, explicando petitiones in ea contentas, ut sciens quid petat, Deum oret majori cum devotione, & spe impetrandi.

157 Quòd autem oratio sit in præcepto, multa suadent. 1. quia Christus
b Luc. 18. 1 dixit oportere semper orare. [b] Quæ verba necessitatem indicant, & præceptum. 2. quia Ecclesia in Missa ante orationem Dominicam præmittit verba illa: *Præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati, audemus dicere: Pater noster, &c.* 3. quia sancti Apostoli Petrus, Paulus, & Joannes in suis epistolis canonicis fideles frequenter admonent de necessitate, & utilitate orandi. 4. quia cùm simus miseri, qui nihil boni ex nobis habemus, multisque indigeamus, quæ à solo Deo provenire debent, Deus autem nihil nobis debeat, ad orationem confugere debemus, tamquam ad medium, per quod obtinentur. 5. quia vita nostra est tentatio continua, tentationes autem vincuntur per
c Matth. 26. 41. orationem: [c] *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*. 6. Quia tenemur Deo cultum exhibere, in recognitionem suæ excellentiæ, & supremi dominii, ut dicetur lib. 8. in expositione primi præcepti decalogi: hic autem cultus, licèt exhiberi queat per varios actus virtutis Religionis, communiter exhibetur per orationem, quæ non dependet à loco, & tempore, sed semper, & ubique fieri potest.

158 Porrò orationis fructus sunt uberrimi. Ait enim Dominus: [d] *Petite, & accipietis; pulsate, & aperietur vobis*. d Matth. 7. 7.
Vult ergo, ut ad Deum recurramus in nostris miseriis, & necessitatibus, illasque Patri exponamus tamquam filii indigentes, simusque in hoc quasi importuni, quia Deus hanc importunitatem amat, indeque movetur ad concedendum; ut probat [e] parabola petentis e Luc. 11. 5.
ab amico tres panes nocte intempesta. *Ascendit enim precatio, & descendit Dei miseratio*, ut ait Aug. & Deus per Isai.
[f] *Invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum*. Et alibi: [g] f Isai. 58. 9. g Isai. 65. 24.
Antequam clament, ego exaudiam; adhuc illis loquentibus, ego audiam. Et per David: [h] *Invoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me*. Ac si nihil aliud h Ps. 49. 15.
velit, quàm ut ipsum invocemus, idque habeat pro cultu, & honore. David: [i] *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Quasi Deus petentibus occurrat, voce nondum emissa. Cùm ergo necessitates nostræ continuæ sint, maximè ad vincendas tentationes, ad quas superandas vires non habemus, nisi à Deo misericorditer concedantur, illas frequenter petere debemus, ut non intremus in tentationem. i Ps. 10. 16.

159 Cùm ergo Deus sit adeò liberalis, & facilis ad concedendum; duæ causæ esse possunt, cur interdum non impetremus, quod petimus. Prima, quia nec necessarium, nec utile nobis est, sed fortè nocivum: non solet autem pater concedere filio ignoranti cultellum, quo se ferire potest, estò anxiè petatur. Hæc autem causa non militat in petitionibus contentis in oratione Dominica, quæ omnes sunt juxta Dei voluntatem, & nostram necessitatem, ac utilitatem. Unde quoties hanc orationem fecerimus cum reverentia, & fiducia, exaudiemur.

160 Secunda causa est; quia frequenter ita remissè, ac negligenter oramus, ut non attendamus ad id, quod dicimus. Cùm autem oratio sit ascensus mentis in Deum; si in orando animus, qui

qui ad Deum ascendere deberet, peregrinatur, & per alia divagatur, nulloque studio, advertentia, & pietate verba orationis fundantur, inanis erit oratio. Unde non est mirandum, quòd Deus nihil concedat, cùm nos ipsi probemus nolle id, quod petimus, quia oramus sine animo, & attentione ad Deum, quem oramus, & ad id, quod petimus. Certè quando ab homine petimus, non ita negligenter, & oscitanter petimus. Unde licèt Deus [l] debito modo petentibus plura tribuat, quàm petantur, ut docet Apostolus, [m] & satis declarat parabola Prodigi; qui petens esse unum de mercenariis in domo patris, in filium acceptus est; nos frequenter nihil accipimus, quia orationes inanes fundimus. Quare Parochus docere debet, quomodo facienda sit oratio, ut fructuosa evadat, & declarare, quæ in ea petantur, juxta expositionem tradendam.

l Ephes. 3. 20.
m Luc. 15.

SECTIO I.

Expositio verborum: Pater noster, qui es in cœlis.

161 Antequam Christus ad petitiones deveniat, procemium brevissimum, si verba spectentur, si verò res æstimetur, gravissimum, mysteriique plenum præmittit. Notandum est autem licèt potuerit præmittere nomen aliud, quod plus majestatis significaret, v. c. Creator, Omnipotens, Dominus, Rex, aut simile; omisit tamen, quæ timorem afferre possent, & solùm apposuit, *Pater*. Quod nomen amorem, fiduciamque impetrandi conciliat. Quid enim dulcius Patris nomine, quodnam magis redolet pietatem?

162 Est autem Deus Pater, & naturalis, & supernaturalis. Naturalis ratione creationis, & gubernationis, quia nos creavit ad imaginem suam, nosque gubernat, & præcipua quadam cura, ac providentia patriam nobis charitatem impendit conservando, sustentando, pædagogos Angelos, in quorum tutela sumus, tribuendo. Sicut enim parentes nobiles, & potentes filiis pædagogos, & custodes adhibent; sic Pater cœlestis in via, qua ad cœlestem patriam tendimus, nobis Angelos præposuit, quorum ope, ac diligentia tecti pericula, & hostium incursus repellamus. Quantùm autem hæc nobis Angelorum custodia prosit, Tobiæ Junioris exemplum satis ostendit. Considerare autem oportet, quòd licèt infinitis Deum peccatis quotidie offendamus, hanc paternam erga nos curam non deponit; imò gravissimè conqueritur, si aliquando cogitemus nostri oblivisci. Isai. [a] *Dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei.* Cui Dominus: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit; ego tamen non obliviscar tui.*

a Isai. 49. 14.

163 Est Pater supernaturalis, qui nos ad finem supernaturalem elevavit, & filios constituit in ordine gratiæ hæreditatem supernaturalem suo tempore collaturus: [b] *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Ex Deo nati sunt.* Unde baptismus dicitur Sacramentum regenerationis, quia in eo regeneramur in novam creaturam, & assumimur in altiorem filiationem: [c] *Quod natum est ex spiritu, spiritus est, oportet vos nasci denuo.* [d] *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.* Ibi enim Spiritum sanctum accipimus, Dei ornamur gratia, ejusque munere in filios adoptamur. Unde Paulus: [e] *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum; in quo clamamus: Abba, Pater.* Et Joa. [f] *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Hinc conjicere potest fidelis Populus, qua spe, & fiducia Deum invocare possit, & beneficia petere incipiendo orationem, *Pater*. Quod nomen Deum provocat ad omnia profutura concedenda.

b Joan. 1. 12.
c Joan. 3. 6.
d 1 Petr. 1. 23.
e Rom. 8. 15.
f 1 Joan. 3. 1.

164 Si autem aliquando tangit nos manus Domini, si castigat, & flagellat, id non hostiliter facit, sed tamquam Pater amantissimus, cujus percussio medicina est, & ut talis sanat; castigat enim peccantes, ut meliores efficiat, & præsenti animadversione redimat ab exitio æterno: [g] *Visitat in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra: misericordiam autem suam non aufert à nobis.* [h] *Castigasti me, & eruditus sum.* [i] *Quos amat, arguit, & castigat.* [l] *Quem diligit Deus, castigat; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Quis filius, quem non corripit Pater? Quod si extra disciplinam estis, cujus participes facti sunt omnes: ergo adulteri, & non filii estis.* [m] *Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, dum ab eo argueris.*

g Psal. 88. 33.
h Ierem. 31. 18.
i Apoc. 3. 19.
l Heb. 12. 6.
m Prov. 3. 11.

165 Secundum verbum, *Noster*, docet

cet nos ex dono creationis, & divinæ adoptionis sequi fideles omnes fratres esse. Unde Christus: *Omnes vos fratres estis; unus est enim Pater vester, qui in cœlis est*. Et Apostoli in suis epistolis fideles fratres vocant. Et quod magis est, cùm Deum Patrem nostrum appellamus, Christum ejus Filium unicum, naturalem fratrem nostrum agnoscimus: n *Neque ipse confunditur fratres nos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis*. Imò expressè nos fratres vocat: o *Ite, nuntiate fratribus meis*. Unde Apost. nos Christi cohæredes vocat: p *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi*. Est enim Christus primogenitus inter multos fratres; nos verò secundogeniti, cohæredes ejus pro nostra capacitate ex meritis fratris primogeniti.

n Heb. 2. 12.
o Matth. 23.10.
p Rom. 8. 17.

166 Hinc discere debemus fraternam erga omnes dilectionem, ita ut nemo se insolenter aliis præferat; quia licèt in Ecclesia sint diversi gradus, hæc diversitas non tollit conjunctionem fraternam, sicut in corpore humano membrorum varietas non tollit, quòd omnia sint membra ejusdem corporis. Nam unus est Deus, & Pater, ac Dominus omnium. Unde una spiritualis nobilitas omnium, una dignitas, & splendor generis, cùm omnes ex eodem spiritu, ex eodemque fidei Sacramento nati simus filii Dei, & hæreditatis ejusdem participes. Neque enim alium Deum, aut Salvatorem habent copiosi, & potentes; alium tenues, & infimi; non alia Sacramenta, nec aliam hæreditatem in cœlo expectant. Fratres omnes sumus, & ut ait Paulus: q *Membra sumus corporis Christi de carne, & ossibus ejus*. Et alibi: r *Omnes filii Dei estis per fidem in Christo Iesu. Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, nec Græcus, non est servus, neque liber: non est masculus, neque fœmina; omnes enim vos unum estis in Christo Iesu*. Pronomen igitur, *noster*, excitare debet inopes, & abjectos, & coercere divites, ac potentes, & utrosque ad mutuam charitatem inflammare.

q Ephes. 5. 30.
r Galat. 3. 26.

167 *Qui est in cœlis*. Quamvis Deus ubique locorum sit: s *Numquid non cœlum, & terram ego impleo?* In divinis tamen litteris habere domicilium in cœlo dicitur, quia cœlum est nobilissima mundi pars, in qua electos suos glorificat, quamque elegit ad regnandum cum filiis suis in æternum. Ut ergo Christus Dominus nostros animos excitaret ad desiderium bonorum æternorum, quibus ibi fruemur, quando nos instruxit ad Patrem nostrum orandum, voluit in memoriam reduci cœleste illud domicilium, in quo cum ipso regnabimus, ut obiter doceremur omnes nostras petitiones, etiam si ad hujus mundi usum pertineant, ad cœlestia, & æterna bona dirigendas, quia aliàs erunt indignæ homine Christiano, ut sumitur ex Apostolo: t *Quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram*. Non quòd res hujus vitæ à Deo petendæ non sint, sed quia, ut benè petantur, ad bona cœlestia, & æterna ordinari debeant, tamquam ad finem nostrum, ad quem omnia sunt dirigenda.

s Ier. 23. 24.
t Colloss. 3. 1.

SECTIO II.

Exponitur prima petitio: Sanctificetur nomen tuum.

Ut oratio ordinata foret, Christus hanc petitionem de sanctificatione divini nominis caput constituit cæterarum, docens nos priusquam postulemus ea, quæ nobis, aut proximis necessaria sunt; postulanda esse, quæ ad gloriam Dei pertinent, ipsique nostrum de ejus gloria, ac honore desiderium exponendum, ne deficiamus officio ordinatæ charitatis, quæ postulat, ut plus Deum, quàm nos ipsos diligamus, utque prius petamus, quæ Deo cupimus, quàm quæ nobis, aut proximis. 168

169 Cùm autem Deus in se perfectissimus sit, nulliusque ope indigeat; sciendum est ea, quæ ipsi ab eo petimus, esse extra ipsum, pertinereque ad externam ejus gloriam. Petimus igitur in hac prima petitione, ut Dei nomen notum sit omnibus hominibus; ut ejus regnum, hoc est, Ecclesia amplificetur; ut plures quotidie obediant Dei volũtati; quę omnia Deo extrinseca sunt. Bona verò Deo intrinseca non sunt materia petitionis, quia sunt bona Deo necessaria, quę ei de novo advenire non possunt: unde solùm sunt materia laudis, gaudii, & cõplacentiæ, quòd in Deo sint, illaque possideat, non autem desiderii, aut petitionis.

170 Cùm ergo petimus, ut sanctificetur nomẽ Dei, petimus, ut augeatur gloria, & sanctitas divini nominis in terris, ubi longè minore afficitur, quàm par est; sæpè enim maledictis, blasphemiis,

jura-

Digitized by Google

juramentis, ac nefariis actibus violatur, ac pravis moribus inhonoratur: propterea petimus, ut laude, honore, cultu & modo nostro vivendi celebretur. Hoc est, ut ejus honor, cultus, & laus in corde, ore, & actionibus vertetur, ut omni veneratione interna, & externa prosequamur Dominum Deum nostrum, sanctumque nomen ejus; ut omnes gentes Deum agnoscant, colant, venerentur, & ament; ut omnes in eum credant recipiendo Christianam Religionem, & Christianè vivant, quæ vita, quando est perfecta, sanctum Dei nomen in terris sanctificatur.

171 Petimus deinde, ut eis, qui Baptismi sanctitatem amiserunt, ad cor redeant, ut in ipsis quoque nomen Dei sanctificetur, & in Sacramento pœnitentiæ pristinam sanctitatem recuperent, seque ipsos sanctum, ac immaculatum templum Deo præbeant. Petimus etiam, ut Deus lumen suum omnium mentibus infundat, quo videant [a] *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum esse, descendens à Patre luminum*. Ut ei omnia bona accepta referant, à quo bona cuncta procedunt, tam gratiæ, quàm naturæ. In hoc enim nomen Dei sanctificatur, si ipsum omnium bonorum fontem agnoscamus, & pro illis gratias referamus.

a Jacob. 1. 17.

172 Petimus etiam, ut omnes agnoscant, & venerentur sanctam Christi sponsam, & matrem nostram Ecclesiam, in qua sola est fons purissimus Sanguinis Christi patentissimus, & perpetuus ad eluendas peccatorum sordes, & animas sanctificandas: ad quam solam, eosque, quos suo gremio complectitur, pertinet cultus, & imploratio sanctissimi nominis Dei, & nominis sanctissimi Jesu veneratio, [b] *quod unum datum est hominibus, in quo oporteat salvos fieri*, per quos Dei nomen sanctificatur in terris. Unde petentes, ut Dei nomen sanctificetur, petimus ut augeatur Ecclesia credentium numero, ad majorem nominis ejus sanctificationem.

b Act. 4. 12.

173 Oportet autem, ut bonus filius non solùm bonum Patrem Deum oret, sed re, & actione eluceat in ipso sanctificatio divini nominis. Si enim nomen Dei honoratur verbis, multò magis actionibus, & vita. Si autem multi, qui frequenter recitantes orationem Dominicam, hanc nominis Dei sanctificationem postulant, factis autem illud dehonestant, & quantùm in ipsis est, contaminant, quorum culpa nomen Dei in terris blasphematur, dicente Apostolo de malis Christianis: [c] *Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes*. De quo etiam Propheta: [d] *Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, & polluerunt nomen sanctum meum, cùm diceretur de eis: Populus Domini iste est*. Nam qualis est vita, & mores eorum, qui Religionem profitentur, sic de religione ipsa, & de ejus authore gens imperita judicare solet.

c Rom. 2. 24.

d Ezech. 36. 20.

174 Quare qui in Christiana Religione vivunt, & ex ipsius præscripto actiones suas dirigunt, magnam perhibent aliis occasionem laudandi nomen Patris cœlestis, illudque honorandi, & glorificandi. Unde id nobis Christus maximè commendavit: [e] *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*. Et S. Petrus: [f] *Conversationem inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos considerantes glorificent Deum*. Curet igitur Christi fidelis, dum Deum orat, ut ejus nomen sanctificetur; illud factis propriis sanctificare, & glorificare; ut a Deo exaudiatur.

e Matth. 5. 16.

f 1. Pet. 2. 12.

SECTIO III.

Exponitur secunda petitio: Adveniat regnum tuum.

Per regnum Dei, quod hac petitione petimus, multa intelliguntur. Primò intelligitur regnum, quo regnat in justis. Hoc autem ex Apostolo est justitia: [a] *Regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto*. Justitia autem complectitur gratiam sanctificantem, fidem, spem, charitatem, & reliquas virtutes, per quas Deus in nobis regnat, & nos regnamus cum ipso, quatenus ipsi peculiari quadam ratione subjicimur, & ad ejus amorem consecramur. De hoc regno loquitur Christus, quando dicit: [b] *Regnum Dei intra vos est*. Nam & si Deus per fidem regnet in omnibus fidelibus, præcipuo tamen modo regnat per gratiam, & charitatem, quæ homines viva Dei membra constituunt. In his Dei gratia regnum esse dicitur, hoc est, regnum gloriæ in spe, & semine, seu gloria inchoata. Hoc ergo regnum primò petimus, nempe Dei gratiam, & virtutes illi annexas, per quas hic regnamus, postea perfectius regnaturi in æterna patria, ad quam tendimus. 175

a Rom. 14. 17.

b Luc. 17. 21.

176 Secundò, intelligitur regnum illud, quo Deus regnat in beatis, de quo Christus electis suis dicet in die judicii: [c] *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*. Hoc ergo etiam petimus, quod certè nobis dabitur, si in primo gratiæ, de quo dictum est, permanserimus. Ideò enim dicimus, *Adveniat*. Quasi sponte, & ex natura rei sequatur. Necesse est autem prius curare de regno gratiæ; quia fieri non potest, ut in aliquo regnet Deus per gloriam, in quo non regnaverit per gratiam. Est enim gratia ipsius Salvatoris sententia, [d] *fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam*. Hoc autem regnum gloriæ omnes optamus, non ita regnum gratiæ, qui cum labore conjunctum est. Nam justitia, & gratia per pœnitentiam comparatur, & conservatur per exercitium virtutum, quæ sensibus, & carni repugnant. Qui tamen illud efficaciter petit, de primo debet esse efficaciter solicitus, ut consequenter, & rationabiliter petat, quia hoc secundum sine primo non dabitur.

c Matth. 25.34.
d Ioa. 4.15

177 Tertiò, intelligitur regnum illud consummatum, & ex omni parte perfectum, cùm Deus erit omnia in omnibus, in resurrectione mortuorum, quod expectant animæ beatæ. Non tamen sufficit petere, ut nobis adveniat regnum Dei; illud enim postulabant Virgines fatuæ dicentes: [e] *Domine, Domine aperi nobis*. Sed non habebant oleum gratiæ in vasis suis, & ideò audierunt: *Nescio vos*. [f] *Non enim omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum*, ut Christus ipse nos monuit. Sed qui gratiam, & oleum charitatis secum asportaverit.

e Matth. 25.11.
f Matth. 7. 21.

178 Regnum Dei, quod petimus, in triplici sensu exposito, est ille thesaurus, de quo loquitur Christus: [g] *Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro, quem, qui invenit homo, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum*. Nam qui noverit divitias regni, quod petit, præ illis omnia contemnet, quia nihil est, quod pro illo non sit relinquendum; nihil, quod comparatione illius aliquid valeat. Unde qui id cognoscunt, exclamant cum Paulo: [h] *Omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Hæc est illa pretiosa margarita Euangelii, pro qua comparanda bona danda sunt: felices, qui ejus valorem agnoscunt; hi enim omnia sua & se ipsos vendere non dubitant, ut emant, & semel emptam totis viribus tueantur, ne deperdatur.

g Matth. 13.44.
h Philip. 3.8.

179 Proderit autem ad tantum bonum impetrandum, si cogitemus, qui sumus, nempe filios Adæ jure è paradiso ejectos, quorum indignitas Dei odium, & sempiternas pœnas meretur. Unde nostra oratio humilis esse debet, ut erat illa [i] publicani, qui ad solam Dei misericordiam confugiebat, totum Dei adscribens bonitati, ipsique gratias agens ex toto cordis affectu. Qui sibi & nobis suum spiritum elargitus est, quo freti clamare valeamus: *Adveniat regnum tuum*; illudque impetremus. Recogitabimus insuper quid agendum, & quid vitandum, ut cœleste regnum, quod petimus, consequi possimus. Non enim ad otium, & inertiam vocati sumus. Nam regnum illud [l] *vim patitur, & violenti rapiunt illud*. Et alibi: [m] *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Quare non satis est petere regnum Dei, sed studium, & operam adhibere.

i Luc. 18.13
l Matth. 11 12.
m Matth. 19.17.

SECTIO IV.

Exponitur tertia petitio: Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra.

Cum Dominus dixerit: [a] *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui est in cœlis; ipse intrabit in regnum cœlorum*. Qui ad hoc regnum pervenire cupit, à Deo petere debet, ut ejus voluntas fiat, est enim divinæ voluntatis executio medium necessarium ad regnum obtinendum; ideò post regni petitionem, hanc facimus, in qua postulamus medium ad finem. 180

a Matth. 7. 21.

181 Ob primi parentis peccatum lapsi sumus in miserias, quorum maxima est, quòd cùm Deus fecerit omnia valde bona, indideritque singulis rebus creatis sui finis appetitum, à quo non deflectunt: solus homo peccando à suo fine defecit. Amissa enim justitia originali, studium virtutis animæ insitum, extinctum est: [c] *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum*. Nam [d] *sensus, & cogitatio cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua*. Et quod est pejus, ita omnes tendimus in malum, ut etiam, quæ

b Gen. 1. 31.
c Psal. 52. 4.
d Gen. 8.21

Digitized by Google

quæ mala sunt, bona existimemus; & à bonis, quæ verè talia sunt, nempè honesta, abhorreamus, ut est apud Prophetam: [e] *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum*. Unde in sacris Litteris comparamur iis, qui gustandi sensum amiserunt. Indeque oritur, ut quæ Deo sunt grata, sine ipsius gratia exercere non valeamus. Quòd si aliqua sic affecti exercemus, levia illa sunt, & quæ ad regnum assequendum parùm, vel nihil conducunt. Deum verò, ut par est, amare, colere, & alia id genus altiora, ac difficilia sine gratia neutiquam possumus: [f] *Sine me nihil potestis facere*.

e Isai. 5. 20.

f Ioa. 15. 5.

182 Dicimur etiam similes pueris, qui suo relicti arbitrio ad omnia temerè moventur. Pueri enim sumus, & imprudentes ludicris rebus dediti: [g] *Vsquequò parvuli diligitis infantiam?* [h] *Nolite pueri effici sensibus*. Illi certè feliciores, qui aliquando ad prudentiam humanam perveniunt; ad divinam autem, quæ ad salutem est necessaria; sine Deo venire non possumus, quia relictis iis, quæ verè sunt bona, ad interitum ruimus.

g Prov. 1. 22.

h 1. Cor. 14. 20.

183 Cùm igitur cognoscamus nos esse à natura ad malum pronos, omnes actiones nostræ ad divinæ voluntatis regulam, contra naturæ impetum, conformandæ sunt: hoc autem petimus, cùm dicimus: *Fiat voluntas tua*. Nam abjecta Dei voluntate in tot miserias natura duce incidimus, ut opus sit actiones nostras per eam regulam metiri, ne iterum in easdem incidamus. Orandum igitur nobis est, ut fiat voluntas Dei, quia licèt spiritus aliquando promptus videatur, caro est infirma; non enim est in hominis potestate etiam justificati per gratiam, & virtutibus conspicui, ita domitos habere carnis affectus, ut numquam postea excitentur; licèt enim gratia sanet mentem, carnem non sanat, dicente Paulo: [i] *Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum. Nam velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio: jam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum*. Nam, ut homo semel justitiam originalem amisit, quæ tamquam frænum carnem continebat in officio, & obedientia spiritus, eam postea ratio continere non potuit, ne ea appeteret, quæ rationi repugnant; unde habitat in omnibus, & non commoratur ad tempus peccatum, seu peccati fomes. Quare confugere debemus ad Dei auxilium, petendumque ut fiat ejus voluntas.

i Rom. 7. 18.

184 Voluntas ergo Dei, quam petimus fieri, continetur in ejus præceptis, consiliis, & sanctis inspirationibus, & jussis eorum, qui nomine Dei præsunt; ad quæ exequenda sufficit, quòd sit voluntas Dei, & quòd vita nostra in voluntate ejus sita sit, ut si eam faciamus, vivamus, aliàs perituri. Fiat igitur voluntas tua, non mea, quæ perversa est; non carnis, quæ contraria est spiritui, & Deo; non mundi, quæ vana; non diaboli, quæ iniqua est; sed tua, quæ est regula totius rectitudinis. Voluntatis igitur nomine comprehenduntur omnia, quæ nobis ad cœleste regnum obtinendum proponuntur: omnia, quæ Christus vel per se, vel per Ecclesiam præcepit, aut prohibuit, de qua voluntate Paulus: [l] *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei*. l Ephes. 6. 17.

185 Cùm igitur dicimus: *Fiat voluntas tua*. Petimus in primis, ut Pater cœlestis nobis vires concedat, ad obediendum ei in sanctitate, & justitia omnibus diebus nostris, ut ad voluntatem ejus omnia faciamus, ut ea colamus officia, de quibus in sacris Litteris admonemur; ut eo authore omnia præstemus, quæ decent illos, [m] *qui non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*. m Ioan. 1. 13.
Christi exemplum secuti, qui factus est obediens Patri usque ad mortem crucis, ut parati simus omnia potius perpeti, quàm vel in minimo à voluntate ejus discedere.

186 Considerandа autem est dignitas eorum, qui voluntatem Dei faciunt: [n] *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, & soror, & mater est*. Id est, cum eo sum omnibus amoris, ac benevolentiæ vinculis conjunctissimus. Unde David: [o] *Dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum. Da mihi intellectum, ut discam mandata tua. Iudicia tua doce me. Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Viam justificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis*.

n Matth. 12. 50.

o Ps. 118.

187 Petimus etiam modum faciendi Dei voluntatem, sicut fit in cœlo à Beatis,

tis, ita integrè, promptè, fortiter, amanter, & exultanter. Unde opportunè præmisit: *Adveniat regnum tuum*; ut quando illuc aspiramus, ita nunc agamus, ut agunt, qui jam in cœlo sunt, eaque faciamus magis amore, quàm mercede præmii invitati; quia hæc est perfectissima operandi ratio, qua Beati in cœlo ducuntur.

188 Petimus denique ut in simplici, & absoluta Dei voluntate quiescamus, ita ut unusquisque ferat æquo animo conditionem suam. Qui sibi in inferiori loco esse videtur, quàm dignitas, & merita postulent, ne deserat ordinem suum, sed in ea vocatione maneat, in qua vocatus est; proprium judicium subjiciat Dei voluntati, qui nobis melius consulit, quàm ipsi optare possimus. Si angustia rei familiaris, si corporis infirmitate, si persecutionibus, si aliis molestiis, & angoribus premimur; certò statuendum est, nihil horum sine Dei voluntate evenire; unde non debemus gravius commoveri, sed bono animo ferre, illud in ore habentes: *Fiat voluntas tua*. [p] *Sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*.

p Job. 1. 21.

SECTIO V.

Exponitur quarta petitio: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

189 IN hac petitione petimus animæ, corporisque subsidia ad vitam præsenté tam corporis, quàm spiritus tuendam, & conservandam, ut his adminiculis adjuti finem nostrum consequamur. In petendis autem iis, quæ ad usum corporis pertinent, à Dei voluntate declinandum non est. Cùm enim nesciamus, quid prout oportet, orandum sit, ut ait Paulus, [a] maximè deficere possumus in postulandis rebus terrenis: quare postulandæ sunt, ut oportet ad salutem, & Dei gloriam, ne aliquid perperam postulantes audiamus: [b] *Nescitis quid petatis*. Non enim petimus temporalia ut bona nostra, hoc est, non tamquam bona propter se expetibilia, sed tamquam media ad Dei gloriam, & salutem nostram. Unde Paulus: [c] *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliquid facitis, omnia in Dei gloriam facite*. Hic esse debet finis hujus petitionis.

a Rom. 8. 26.

b Matth. 20. 22.

c 1. Cor. 10. 31.

190 Est autem hæc petitio necessaria, quia pluribus indigemus tam ad vitam corporis, quàm ad vitam animæ sustentandam. Quare ad Deum est confugiendum, ut fecit Prodigus, [d] qui ad se reversus, intellexit malorum, quibus premebatur, à solo Patre remedium expectandum fuisse, qui tamquam pater misericors fami, ac nuditati filii licèt indigni mederi poterat, & solebat. Petent autem fideles cum majori fiducia, recordentur paternas Dei aures patere miserorum filiorum vocibus, qui dum nos hortatur, ut ab eo panem petamus, illum rectè petentibus abundè dabit, non autem scorpionem, ut Christus [e] nos docuit, certè sic hortando, in spem impetrationis inducit.

d Luc. 15. 18.

e Luc. 11. 12.

191 Panis verò nomine multa significantur, sed duo præcipuè, nempe quæ ad vitam corporis tuendam necessaria sunt, & quæ ad animæ salutem. Petimus igitur hujus vitæ subsidia tam corporis, quàm animæ, ut Patres exponunt. Unde errant, qui dicunt non licere homini Christiano petere à Deo bona hujus vitæ. Contrarium enim constat ex Patribus, & Scripturis. [f] Nam Jacob omnia ad vitam necessaria à Deo postulavit. Salomon idem petiit: [g] *Tribue victui meo necessaria*. [h] Paulus precabatur fideles, ut Deum orarent, ut ipsum liberaret ab infidelibus.

f Gen. 28. 20.

g Prov. 30. 8.

h Rom. 15. 31.

192 Petimus ergo panem quotidianum, hoc est, ad vitam necessaria. Panis enim nomine in Scriptura significantur tam panis, quàm vestitus, & similia, quibus indigemus. Panis autem nomine non abundantiam, ac exquisitam ciborum ac vestium copiam, sed simplicem, ac necessariam intelligimus, ut loquebatur Apostolus: [i] *Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus*. Frugalitatem enim, ac parcimoniam significat verbum illud *Nostrum*. Quia dum petimus panem nostrum, oramus quod satis est ad necessitatem sublevandam, non ad fovendam luxuriam. Neque nostrum dicimus, quia opera nostra sine Deo illum parare possimus: [l] *Nam omnia à te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate*. Et alibi: [m] *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione*. Apellamus etiam nostrum, quia justè est nobis acquirendus, non per injuriam, fraudem, aut furtum; quia

i Tim. 6. 8.

l Ps. 103. 27

m Ps. 144. 15.

quia quod sic acquiritur, nostrum non est, sed alienum.

193 *Quotidianum*. Significat etiam præter parcimoniam, quòd non simus de pane nimis soliciti, sed tamquam parvuli ad Deum Patrem confugiamus pro illo, qui nobis est necessarius. Ubi taxantur illi, de quibus dicitur: [a] *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis usque ad terminum loci: numquid habitabitis vos soli in medio terræ?* Significat etiam panem, qui nobis singulis diebus necessarius est ad famem expellendam, & reficiendum humidum radicale, quod quotidie consumitur; & ideo assiduè petendus est, ut clementissimus Pater subveniat filiis indigentibus & clamantibus.

[a Isai. 5. 8.]

194 *Da nobis*. His verbis infinitam Dei potentiam piè colimus, in cujus manu sunt omnia. Neque solis pauperibus, sed etiam divitibus petendus est panis quotidianus, non ut detur eis, qui per Dei bonitatem abundant, sed ne illum perdant. Nam ut ait Apost. [o] *Divitibus ... non sublimia sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum*. Dicimus etiam: *Da nobis* in numero plurali, non autem mihi, quia proprium est Christianæ charitatis non esse quem de se solo solicitum, sed etiam de proximis, pro quibus etiam petimus. Unde quando Deus alicui tribuit abundanter, non tribuit, ut solus possideat, sed ut cum aliis dividat, quæ propriæ necessitati superfuerint. Nam ut dixit Amb. [p] *Esurientium panis est, quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis: miserorum redemptio est, & absolutio, quam tu in terram defodis*.

[o 1. Tim. 6. 17.]
[p Ser. 81.]

195 *Hodie*. Hac voce admonemur primò communis infirmitatis. Quis enim est, qui si sua unius opera providere se posse non speret in longum tempus necessarios vitæ sumptus, saltem in diem victus subsidia paraturum non confidat? At nec hujus quidem fiduciæ facultas nobis à Deo permittitur, qui nos singulorum dierum cibum à se petere jubet. Igitur quotidiano pane egemus omnes, & quotidie petendus est à Deo. Admonemur secundò, quotidie oratione Dominica omnes uti debere, à nobisque quotidie Patri nostro hunc cultum, & subjectionem præstandam.

196 Petimus secundò panem spiritualem, quo significantur omnia, quæcumque in hac vita ad spiritus, & animæ salutem requiruntur. Sicut enim multiplex est cibus, quo corpus alitur; sic multiplex est cibus, qui spiritus & animæ vitam sustentat. Nam primò verbum Dei cibus est animæ, quem Deus propter peccata aliquando negat, ut minatur per Prophetam: [q] *Emittam famem super terram. Non famem panis, sed audiendi verbum Dei*. Ut enim est certum propinquæ mortis indicium, cùm non possumus vel cibum sumere, vel sumptum retinere; sic est desperatæ salutis argumentum, si vel non quærimus verbum Dei, vel si illud non sustinemus. Hunc igitur panem petimus, & aviditatem illius. Secundò, Eucharistia panis est supersubstantialis, qui spiritum nutrit, & roborat: [r] *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Petimus ergo ut digni reddamur illo cibo. Tertiò, alia gratiæ auxilia, sine quibus vita spiritualis nec producitur, nec conservatur, panis sunt animæ, qui in hac petitione comprehenditur, & ad animæ vitam conservandam à Deo petitur. Dicitur autem panis in hoc sensu noster, quia nobis necessarius; quotidianus, quia singulis diebus, ac horis illo indigemus. Eucharistia verò dicitur panis quotidianus, vel quia quotidie Deo offertur in sacrificio Missæ, vel quia quotidie est sumendus, aut saltem quia ita est vivendum, ut quotidie sumi possit. Amb. [ſ] *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis?*

[q Amos 8. 11.]
[r Joa. 6. 58.]
[ſ 5. De Sacram. 4.]

SECTIO VI.

Exponitur quinta petitio: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

197 HActenus non sola æterna, & spiritualia bona, sed etiam caduca ad hanc vitam pertinentia petivimus; deinceps mala deprecemur. Et in hac petitione petimus peccatorum veniam, ac remissionem, ut nobis contingat illud Davidis: [a] *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates*: & consequamur præcipuum fructum passionis Christi, de quo Isai. [b] *Dimittetur iniquitas domui Jacob, & iste omnis fructus, ut auferatur peccatum ejus*.

[a Ps. 31. 1.]
[b Isai. 27. 9.]

198 Debita igitur, quæ nobis dimitti petimus, sunt peccata, ac pœnæ eis debitæ. Petimus autem dimitti per media à Deo instituta, & per nostram coopera-

rationem. Quamvis autem aliquis sit justus, & Dei filius per gratiam, adhuc eget hac dimissione ob quotidiana venialia; quia nemo est, qui illa non habeat: [c] *Non est homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* [d] *Quis potest dicere: Mundum est cor meum, purus sum à peccato?* [e] *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* [f] *Septies in die cadit justus.*

c Eccl. 7.21. d Prov. 20. 9. e 1. Ioa. 1. 8. f Prov. 24. 16.

199 Quare opus est, ut qui hanc petitionem facit, suum peccatum agnoscat, ejusque dolore commoveatur, sibique persuadeat Deum in hac esse voluntate, ut beneaffectis velit ignoscere; ideò confugiendum ut ad Patrem, non ut ad judicem, precandumque, ut non ex justitia, sed ex misericordia nobiscum agat. Hæc autem recognitio debet esse acerba, ut cor pungat, & dolorem excitet propter illorum fœditatem, & offensam divinæ majestatis. Debent etiam nos movere calamitates, in quas per peccatum incidimus, quæ sunt innumeræ. [g] *Ira & indignatio, tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum.* [h] *Non est sanitas in carne mea, non est pax ossibus meis.*

g Rom. 2. 8. h Ps. 37. 4.

200 His compunctus oret credens Christum Dominum Ecclesiæ potestatem dedisse remittendi peccata, qui hac petitione docuit quanta esset Dei bonitas, & misericordia erga nos: si enim promptus non esset ad condonanda peccata pœnitentibus, non dedisset nobis hanc orandi formulam, quæ satis declarat sic esse affectum, ut libenter ignoscat tamquam Pater filiis.

201 Debita autem, quæ postulamus dimitti, sunt peccata, ut patet ex Luc. [i] qui peccata pro debitis posuit. Dicuntur verò debita, quia peccando rei efficimur Deo, ac pœnæ debitores. Hæc erant debita, quæ Propheta [l] ait Christum exolvisse. Hæc erant decem millia talenta, quæ servus debebat domino suo, quæ solvere non poterat; quia peccator per se Deo satisfacere non potest. Unde confugiendum est ad Patrem, & ad Christi Sanguinem, in quo est omnis nostra satisfactio, & justitia. Dicuntur verò debita nostra, quia illorum culpa in nobis residet, eò quòd voluntate nostra fuit admissa. Dicimus autem: *Dimitte nobis:* Non mihi, quia fraterna charitas fidelium mutuusque, ac reciprocus Christianorum amor postulat, ut de communi proximorum salute, cùm pro nobis oramus, soliciti simus.

i Luc. 11. 4. l Ps. 68. 5. Matth. 18. 24.

202 *Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Illud *sicut* dupliciter potest intelligi. Primò, quasi per similitudinem & exemplum, ut quemadmodum nos injurias, & contumelias dimittimus, sic ipse Deus nobis peccata dimittat. Secundò, quasi sit conditio. Et in hoc sensu Dominus eam formam interpretatur apud Matth. [m] *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cœlestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus; nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Uterque tamen sensus infert eandem necessitatem, quòd si volumus ut Deus nobis concedat veniam peccatorum, ignoscamus illis, à quibus injurias accepimus.

m Matth. 6. 14.

203 Præterea naturæ lege cautum est, ut tales nos aliis præbeamus, quales eos in nos esse cupimus. Unde impudens est, qui veniam à Deo petit, quam ipse proximo denegat. Quæ enim major impudentia, quàm velle Dominum infinitæ majestatis à servo nequam, ac vili offensum placari erga se, ipsum verò nolle placari erga sibi similem, cujus offensa levissima est, & nihil respectu divinæ offensæ, quæ est infinita. Unde Christus apud Marcum: [n] *Cùm stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis adversus aliquem: ut & Pater vester qui in cœlis est, dimittat vobis peccata vestra.* Et apud Matth. [o] *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quòd frater tuus habet aliquid adversum te: relinque ibi munus tuum, & vade reconciliare prius fratri tuo.* Quare qui orat, ut sibi dimittantur peccata, nolens dimittere fratribus suis, contra se profert sententiam, & petit, quòd non dimittantur; quia non ponit conditionem, sine qua Deus non dimittit, & sub qua ille dimissionem petit.

n Marc. 11. 25. o Matth. 5. 23.

204 Non est tamen desperandum, quamvis quis sentiat in se pugnam, & contraria studia carnis & spiritus, quòd sensus sit ad vindictam proclivis, ratio verò ad ignoscendum propensa, dummodo spiritus perstet in officio, & voluntate remittendi injurias, & proximum diligendi. Nec quis cessare debet ab orando ex eo, quòd non sentiat se adeò propensum ad ignoscendum inimicis, timens ne Deum orando sibi magis reddat offensum. Iste enim monen-

nendus est se orare nomine totius Ecclesiæ, in qua sunt justi, & pii, qui offensas facilè remittunt. Deinde sic orans petit à Deo quidquid sibi necessarium est ad impetrandum id, quod in ea petitione continetur, nimirum veniam peccatorum, & donum veræ pœnitentiæ, dolorem intimum, odium peccati, utque in illo mutetur illa inordinata voluntas non dimittendi proximis suis receptas injurias.

SECTIO VII.

Exponitur sexta petitio: Et ne nos inducas in tentationem.

205 NOn petimus ne tentemur, quia id sæpè expedit, & à Deo sapientissimè permittitur; sed petimus, ne in tẽtatione vincamur, aut etiam ne tentemur, quando Deus prævidet nos in tentatione lapsuros. Ut tamen vis petionis melius innotescat, videnda est primò necessitas illius, quæ facilè concipietur, si considerentur pericula provenientia ex fortissimis inimicis, à quibus frequenter impetimur. Habemus enim adversarium dæmonem, [a] *qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret*, & omnia audet ad nos perdendos. Aggressus est primos parentes in paradiso: invasit Apostolos, [b] *ut cribraret tamquam triticum*. Nec Christum ipsum erubuit. Quem igitur non tentabit? Neque unus tantùm tentat, sed multi, ut indicavit ille, qui dixit: [c] *Legio mihi nomen est*. Habemus præterea hostes domesticos, nempe carnem nostram, quæ nobis continuum, ac periculosum bellum gerit; habemus mundum, ejusque vanitates, pravorum hominum consilia, & exempla. Unde tentatio est vita nostra.

[a 1 Petr. 5. 8.] [b Luc. 22. 31.] [c Marc. 5. 9.]

206 Cùm ergo fragiles simus, miserabiles, viresque ex nobis non habeamus ad tam fortes, ac potentes inimicos debellandos, eorumque insidias, & astutias declinandas, opus est recurrere ad Patrem nostrum cœlestem, ut nos defendat, & adjuvet. Quia nisi [d] Dominus custodierit civitatem animæ nostræ, *frustrà vigilat, qui custodit eam*. Unde Christus nos docuit, ut petamus à Patre: *Ne nos inducas in tentationem*, ut etiam docuit Apostolos in pervigilio passionis, quando tempus tentationis imminebat: [e] *Orate, ut non intretis in tentationem*. Nam si Apostoli ceciderunt, & eorum Princeps turpissimè, primi parentes in paradiso, sanctissimus David, & sapientissimus Salomon, & tot illustres, ac sancti viri, de quorum casibus sunt plenæ historiæ; quid nobis miseris non est timendum?

[d Ps. 126. 1.] [e Luc. 22. 40.]

207 Videndum est secundò, quid hic tentatio significet. Tentare enim aliquando significat periculum facere de aliquo, ut ab ipso elicientes quod cupimus, verum cognoscamus. Hic verò tentandi modus in Deum non cadit; quia nostra omnia nuda sunt & aperta oculis ejus, & ideo tentare non potest faciendo periculum, ut verum cognoscat. Aliquando tentare est, cùm longius progrediendo aliud quæri solet in bonam, vel in malam partem. In bonam, ut cùm tentatur alicujus virtus, ut ea perspecta exemplum cæteris proponatur imitandum, ut habetur in Deut. [f] *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat utrùm diligatis eum, an non*. Qua ratione dicitur tentare suos, cùm eos premit inopia, morbis, & aliis calamitatibus, quod probandæ eorum patientiæ causa facit, ut aliis fint documento. Sic tentavit Deus Abraham, Job, & Tobiam: [g] *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit ut tentatio probaret te*. In malum, ut cùm quis ad peccatum impellitur, quod est proprium diaboli, qui in Scriptura [h] tentator dicitur, & variis utitur ad tentandum adminiculis, & ministris, jam per passiones internas, jam per res externas, tam prosperas, quàm adversas, jam per homines tam amicos, quàm inimicos, &c.

[f Deut. 13. 3.] [g Tob. 12. 14.] [h Matth. 4. 3.]

208 Videndum est tertiò, quid sit induci in tentationem. Nihil est aliud, quàm solicitari, ut succumbamus; tunc enim inducimur, cùm tentationibus succumbimus. Inducimur autem in tentationem primò, cùm ruimus in illud malum, in quod nos aliquis impellit ex intentione, ut ruamus, qua ratione nemo à Deo in tentationem inducitur, quia Deus neminem vult peccare, sed potius [i] *odis omnes qui operantur iniquitatem*; unde intentator [l] malorum dicitur. Secundò, dicitur nos inducere in tentationem ille, qui etiam si non tentet ipse, quia tamen poterat prohibere, ne id accideret, aut ne tentationibus superaremur, & non impedit, tentare dicitur. Et hoc modo Deus bonos, & pios tentare permittit, sua tamen gratia sustentat ne ruant; aliquando autem justo ejus judicio,

[i Ps. 5. 7.] [l Iacob. 1. 13.]

cio, id nostris peccatis postulātibus, nos relinquit, quin gratia sua efficaci protegat, & quia eam concedere non tenetur, permittit nos induci in tentationé, quā permissionem Scriptura aliquando explicat per modum actionis, ut quando dicit: [m] *Ego indurabo cor Pharaonis*. [n] *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum*; quæ loca, & similia de permissione explicanda sunt.

m Exod. 4. 21.
n Rom. 1. 24.

209 Ex quibus constat quid in hac petitione petamus. Non petimus, ut jam notavimus, ne tentemur omnino, quia tentatio est vita hominis, estque nobis utilis, ut vires nostras agnoscamus, & sic humiliemur sub potenti manu Dei, viriliterque decertantes expectemus coronam, qua [o] *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*. Unde dicitur, [p] *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ*. Petimus igitur ne divino præsidio deseramur in tentationibus, ne illis decepti assentiamur, vel afflicti cedamus; ut præstò nobis sit Dei gratia ad illas superandas. Quare in omnibus Dei gratiam implorare debemus; & cum illis affligimur, ad orationem confugere oportet. Petimus ergo ne morem geramus cupiditatibus appetitus nostri, ne defatigemur in tentationibus sustinendis, ita ut declinemus de via Domini, ut tam in rebus prosperis, quàm in adversis æquitatem animi, & constantiam servemus, ut Deus diabolum conterat sub pedibus nostris, ejusque ope conculcemus leonem, & draconem.

o 2. Tim. 2. 5.
p Iacob. 1. 12.

210 Quare nemo suis viribus confidat, illæ enim dantur à Deo, [q] *qui ponit ut arcum æreum brachia nostra*. Cujus beneficio *arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore*; qui dat nobis protectionem salutis, cujus nos dextera suscipit; [r] *qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum*. Unde de victoria tentationis Deo gratiæ sunt agendæ, [s] *qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*. Est autem parata corona vincentibus. [t] *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*. [u] *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus*. Quæ promissiones, & similes, quæ habentur in Scriptura sancta, debent nos animare ad recurrendum ad Deum pro tentationum victoria.

q 1. Reg. 2. 4.
r Ps. 17. 36.
s 1. Cor. 15. 57.
t Apoc. 2. 11.
u Apoc. 3. 5.

SECTIO VIII.

Exponitur petitio septima: Sed libera nos à malo.

HAEc ultima Petitio generalissima est, quam etiam Christus morti proximus pro nobis fecit: [a] *Rogo ut serves eos à malo*. Petimus ergo, ut ab omni omninò malo nos liberet, sicut subjungit Ecclesia in Missa: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris*. Nempe æternis, & temporalibus animæ & corporis, prout nobis expedit. Præterita autem mala sunt peccata, quorum adhuc rei sumus vel ratione pœnæ, vel etiam culpæ. Deinde à malis, hoc est, à dæmone, ne supra nos potestatem habeat, aut ejus efficiamur servi peccando; quamvis sexta petitio hoc in specie contineat, quæ in eo videtur ab ista differre, quia illa culpæ futuræ vitationem petit; hæc præsentiarum, & pœnarum, quæ illis correspondere possunt. 211

a Ioan. 17. 16.

212 Mala autem, à quibus petimus liberari, sunt innumera: in omnibus Deo fidendum est; qui enim docuit, ut peteremus ab illis liberari, tamquam Pater nobis in illis constitutis ope sua aderit, si ad ipsum confugiamus. [b] *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos*. Non tamen petimus absolutè liberari ab omnibus malis, quia multa sunt nobis fructuosa, quæ etiam si mala putantur, non tamen sunt, ut fuit stimulus carnis datus [c] Apostolo, ut Dei gratia adjuvante virtus in infirmitate perficeretur. Unde ab illis tantùm malis liberari petimus, quæ nullam animæ utilitatem afferre possunt; vel ut illa ita patienter feramus, ut animæ prosint.

b Ps. 33. 18.
c 2. Cor. 12. 7.

213 Omninò autem petimus à peccato liberari, à tentationis periculo, ab aqua, ab igne, à fulgure, ne grando noceat frugibus, ne annonæ caritate, seditionibus, aut bello laboremus, ut pestem, & morbos arceat; ut vincula, carceres, exilium, proditiones, cæteraque omnia incommoda prohibeat, quibus maximè terreri, ac premi solet vita hominum; omnes denique flagitiorum, ac facinorum, causas avertat; ne morte opprimamur repentina; ne

in

Digitized by Google

in nos iram Dei concitemus. Hæc autem omnia, & similia petimus à nobis averti, prout nobis expedit ad salutem animæ nostræ.

214 Additur in fine, *Amen*. Et significat, Fiat, fiat. Quod proinde magno affectu pronuntiandum est; [d] *quia desiderium pauperum exaudivit Dominus*; & cum magna fiducia, quia ea petimus, quæ petenda Salvator noster præscripsit. Nam, ut ait sanctus Joan. [e] *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audiet nos; & scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo*. Eas nimirum, quæ in hac oratione Dominica continentur, quas Christus Dominus voluit, ut Patri nostro cœlesti repræsentaremus; quas propterea nos docuit ad eumdem finem.

d Psl. 9. 39.

e 1. Joa 5. 14.

215 Cùm autem fructus orationis sit impetratio, illud est advertendum; si preces nostræ non exaudiuntur, nec per illas liberamur à malis; debere nos illa patienter ferre, cognoscentes placere Deo, ut ea cum patientia, ac tolerantia patiamur. Unde nec debemus indignari, nec dolere, quòd oratio nostra non exaudiatur, sed omnia ad Dei voluntatem referre oportet, credendo id nobis utile, & salutare esse, quod Deo placet, non autem quod nobis videtur: [f] *Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Quare nostra oratio debet esse, qualis oratio Christi in horto: [g] *Non mea, sed tua voluntas fiat: non sicut ego volo, sed sicut tu*.

f Act. 14. 21

g Matth. 19.

CAPUT V.

Exponitur salutatio Angelica.

216 Quamvis solus Deus in rigore orandus sit, ejusque solius nomen invocandum, quia solus ille est, qui bona cuncta potest concedere, & mala avertere. Unde ipse ait: [a] *Invoca me in die tribulationis*. Nomine autem Dei quælibet Divina persona intelligitur, unde invocandus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quia quælibet est Deus, habetque eamdem divinitatem, potentiam, voluntatem, & beneficentiam. Nihilominus ad sanctos etiam, qui sunt in cœlo, & maximè ad beatam Virginem confugiendum est, non quidem eodem modo, quo ad Deum confugimus: nam Deum oramus, ut ipse bona concedat, & mala avertat tamquam Dominus supremus, à quo bona cuncta procedunt.

a Psl. 49. 15.

217 A Virgine autem, & à Sanctis, quia Deo sunt gratiosi, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant; & nobis à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Unde in Litaniis duas habemus formulas precandi differentes. Quando enim cum Deo loquimur, cum qualibet Divina persona, aut cum Christo Domino, dicimus: *miserere nobis, parce nobis, exaudi nos*. Quando cum Virgine, Sancto, aut Sancta, dicimus: *Ora pro nobis, intercede pro nobis*.

218 Alia tamen ratione benè possumus dicere, ut nobis misereantur, & nos exaudiant, quia nempe sunt valdè misericordes, ac benevoli. Unde possumus eos precari, ut nostra miseria permoti, sua nos apud Deum gratia, & intercessione juvent, & hoc debemus intelligere per talem precationem. Illud autem advertendum, quando beatæ Virgini, aut alicui sancto orationem Dominicam offerimus, sensum esse, petere nos, ut nobiscum Deum orent, nobisque postulent ea à Deo, quæ in oratione Dominica continentur, quod Sanctos facere docet sanctus Joan. in sua Apoc. [b]

b Apoc. 8. 3.

219 Præterea habemus specialem precationem, qua beatam Virginem Dei matrem salutamus, ac precamur, ut pro nobis oret apud Deum, nempe salutationem Angelicam, quam breviter explicabimus, ut eam cum majori affectu sæpius proferamus, intelligentes mysteria, quæ in ipsa continentur. Et postea trademus devotionem Virgini gratissimam tam Rosarii, quàm Coronæ, quam ex variis salutationibus tamquam ex rosis componere debent fideles Virgini matri, ut par est, addictissimi, ut eam sibi propitiam reddant, Patronam, & advocatam, imò & matrem, qualis esse voluit omnium nostrùm.

SECTIO I.

Exponitur salutatio Angelica quoad verba Angeli.

Angelica salutatio, qua Virginem salutamus, componitur ex verbis, quibus Archangelus Gabriel sanctissimam 220

mam

Digitized by Google

cio, id nostris peccatis postulantibus, nos relinquit, quin gratia sua efficaci protegat, & quia eam concedere non tenetur, permittit nos induci in tentationé, quã permissionem Scriptura aliquando explicat per modum actionis, ut quando dicit: [m] *Ego indurabo cor Pharaonis.* [n] *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum;* quæ loca, & similia de permissione explicanda sunt.

m Exod. 4. 21.
n Rom. 1. 24.

209 Ex quibus constat quid in hac petitione petamus. Non petimus, ut jam notavimus, ne tentemur omnino, quia tentatio est vita hominis, estque nobis utilis, ut vires nostras agnoscamus, & sic humiliemur sub potenti manu Dei, viriliterque decertantes expectemus coronam, qua [o] *non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.* Unde dicitur, [p] *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.* Petimus igitur ne divino præsidio deseramur in tentationibus, ne illis decepti assentiamur, vel afflicti cedamus; ut præstò nobis sit Dei gratia ad illas superandas. Quare in omnibus Dei gratiam implorare debemus; & cum illis affligimur, ad orationem confugere oportet. Petimus ergo ne morem geramus cupiditatibus appetitus nostri, ne defatigemur in tentationibus sustinendis, ita ut declinemus de via Domini, ut tam in rebus prosperis, quàm in adversis æquitatem animi, & constantiam servemus, ut Deus diabolum conterat sub pedibus nostris, ejusque ope conculcemus leonem, & draconem.

o 2. Tim. 2. 5.
p Iacob. 1. 12.

210 Quare nemo suis viribus confidat, illæ enim dantur à Deo, [q] *qui ponit ut arcum æreum brachia nostra.* Cujus beneficio *arcus fortium superatus est, & infirmi accincti sunt robore;* qui dat nobis protectionem salutis, cujus nos dextera suscipit; [r] *qui docet manus nostras ad prælium, & digitos nostros ad bellum.* Unde de victoria tentationis Deo gratiæ sunt agendæ, [s] *qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Est autem parata corona vincentibus. [t] *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda.* [u] *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* Quæ promissiones, & similes, quæ habentur in Scriptura sancta, debent nos animare ad recurrendum ad Deum pro tentationum victoria.

q 1. Reg. 2. 4.
r Ps. 17. 36.
s 1. Cor. 15. 57.
t Apoc. 2. 11.
u Apoc. 3. 5

SECTIO VIII.

Exponitur petitio septima: Sed libera nos à malo.

HAEc ultima Petitio generalissima est, quam etiam Christus morti proximus pro nobis fecit: [a] *Rogo ut serves eos à malo.* Petimus ergo, ut ab omni omninò malo nos liberet, sicut subjungit Ecclesia in Missa: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris.* Nempe æternis, & temporalibus animæ & corporis, prout nobis expedit. Præterita autem mala sunt peccata, quorum adhuc rei sumus vel ratione pœnæ, vel etiam culpæ. Deinde à malis, hoc est, à dæmone, ne supra nos potestatem habeat, aut ejus efficiamur servi peccando; quamvis sexta petitio hoc in specie contineat, quæ in eo videtur ab ista differre, quia illa culpæ futuræ vitationem petit; hæc præsentiarum, & pœnarum, quæ illis correspondere possunt. 211

a Ioan. 17. 15.

212 Mala autem, à quibus petimus liberari, sunt innumera: in omnibus Deo fidendum est; qui enim docuit, ut peteremus ab illis liberari, tamquam Pater nobis in illis constitutis ope sua aderit, si ad ipsum confugiamus. [b] *Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.* Non tamen petimus absolutè liberari ab omnibus malis, quia multa sunt nobis fructuosa, quæ etiam si mala putantur, non tamen sunt, ut fuit stimulus carnis datus [c] Apostolo, ut Dei gratia adjuvante virtus in infirmitate perficeretur. Unde ab illis tantùm malis liberari petimus, quæ nullam animæ utilitatem afferre possunt; vel ut illa ita patienter feramus, ut animæ prosint.

b Ps. 33. 18.
c 2. Cor. 12. 7.

213 Omninò autem petimus à peccato liberari, à tentationis periculo, ab aqua, ab igne, à fulgure, ne grando noceat frugibus, ne annonæ caritate, seditionibus, aut bello laboremus, ut pestem, & morbos arceat; ut vincula, carceres, exilium, proditiones, cæteraque omnia incommoda prohibeat, quibus maximè terreri, ac premi solet vita hominum; omnes denique flagitiorum, ac facinorum, causas avertat; ne morte opprimamur repentina; ne

In

in nos iram Dei concitemus. Hæc autem omnia, & similia petimus à nobis averti, prout nobis expedit ad salutem animæ nostræ.

214 Additur in fine, *Amen*. Et significat, Fiat, fiat. Quod proinde magno affectu pronunciandum est; [d] *quia desiderium pauperum exaudivit Dominus*; & cum magna fiducia, quia ea petimus, quæ petenda Salvator noster præscripsit. Nam, ut ait sanctus Joan. [e] *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem ejus, audiet nos; & scimus quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo.* Eas nimirum, quæ in hac oratione Dominica continentur, quas Christus Dominus voluit, ut Patri nostro cœlesti repræsentaremus; quas propterea nos docuit ad eumdem finem.

d Psl. 9. 17.

e 1. Joa 5. 14.

215 Cùm autem fructus orationis sit impetratio, illud est advertendum; si preces nostræ non exaudiuntur, nec per illas liberamur à malis; debere nos illa patienter ferre, cognoscentes placere Deo, ut ea cum patientia, ac tolerantia patiamur. Unde nec debemus indignari, nec dolere, quòd oratio nostra non exaudiatur, sed omnia ad Dei voluntatem referre oportet, credendo id nobis utile, & salutare esse, quod Deo placet, non autem quod nobis videtur: [f] *Per multas enim tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Quare nostra oratio debet esse, qualis oratio Christi in horto: [g] *Non mea, sed tua voluntas fiat: non sicut ego volo, sed sicut tu.*

f Act. 14. 21

g Matth. 26. 39.

CAPUT V.

Exponitur salutatio Angelica.

216 QUamvis solus Deus in rigore orandus sit, ejusque solius nomen invocandum, quia solus ille est, qui bona cuncta potest concedere, & mala avertere. Unde ipse ait: [a] *Invoca me in die tribulationis*. Nomine autem Dei quælibet Divina persona intelligitur, unde invocandus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quia quælibet est Deus, habetque eamdem divinitatem, potentiam, voluntatem, & beneficentiam. Nihilominus ad sanctos etiam, qui sunt in cœlo, & maximè ad beatam Virginem confugiendum est, non quidem eodem modo, quo ad Deum confugimus: nam Deum oramus, ut ipse bona concedat, & mala avertat tamquam Dominus supremus, à quo bona cuncta procedunt.

a Psl. 49. 15.

217 A Virgine autem, & à Sanctis, siquia Deo sunt gratiosi, petimus, ut nostri patrocinium suscipiant; & nobis à Deo impetrent ea, quorum indigemus. Unde in Litaniis duas habemus formulas precandi differentes. Quando enim cum Deo loquimur, cum qualibet Divina persona, aut cum Christo Domino, dicimus: *miserere nobis, parce nobis, exaudi nos*. Quando cum Virgine, Sancto, aut Sancta, dicimus: *Ora pro nobis, intercede pro nobis*.

218 Alia tamen ratione benè possumus dicere, ut nobis misereantur, & nos exaudiant, quia nempe sunt valdè misericordes, ac benevoli. Unde possumus eos precari, ut nostra miseria permoti, sua nos apud Deum gratia, & intercessione juvent, & hoc debemus intelligere per talem precationem. Illud autem advertendum, quando beatæ Virgini, aut alicui sancto orationem Dominicam offerimus, sensum esse, petere nos, ut nobiscum Deum orent, nobisque postulent ea à Deo, quæ in oratione Dominica continentur, quod Sanctos facere docet sanctus Joan. in sua Apoc. [b]

b Apoc. 8. 1.

219 Præterea habemus specialem precationem, qua beatam Virginem Dei matrem salutamus, ac precamur, ut pro nobis oret apud Deum, nempe salutationem Angelicam, quam breviter explicabimus, ut eam cum majori affectu sæpius proferamus, intelligentes mysteria, quæ in ipsa continentur. Et postea trademus devotionem Virgini gratissimam tam Rosarii, quàm Coronæ, quam ex variis salutationibus tamquam ex rosis componere debent fideles Virgini matri, ut par est, addictissimi, ut eam sibi propitiam reddant, Patronam, & advocatam, imò & matrem, qualis esse voluit omnium nostrùm.

SECTIO I.

Exponitur salutatio Angelica quoad verba Angeli.

ANgelica salutatio, qua Virginem salutamus, componitur ex verbis, quibus Archangelus Gabriel sanctissimam 220

mam Virginem salutavit, quando ad eã missus felicissimum nuntium attulit de incarnatione Filii Dei virtute Altissimi in ejus visceribus peragenda: & ex aliis sanctæ Elisabeth, quibus Virginem excepit domum suam ingressam causa visitationis, & ex aliis paucis ab Ecclesia additis, quibus illam precamur, ut pro nobis oret, & intercedat apud Deum. Qua salutatione renovamus eas, quibus ab Angelo, & ab Elisabeth fuit salutata. Quo nihil jucundius potest esse, & nihil gratius sanctissimæ Dei Matri. Unde ab ore, & corde nostro recedere non debet hæc salutatio.

221 Ingressus Angelus domum Virginis, eam salutavit verbis, quæ Deus illi suggerens quasi posuit in ore, dicens: [a] *Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*. Hæc salutandi forma nova fuit, à sanctissima Trinitate inventa ad honorandam Virginem, & manifestandam ejus eximiam sanctitatem, & novam dignitatem, ad quam elevabatur. Sicut enim Christus novus homo erat veteri Adæ contrarius, ita Virgo, quæ illum concepit, nova erat mulier opposita antiquæ Hevæ, unde salutatio nova esse debuit. Hoc ergo spiritu, & æstimatione recitanda est hæc salutatio singulorum verborum excellenti, quam continet, significatione perpensa, gaudii gratitudinisque affectibus adhibitis, & animo exultanti, ob tantam Virginis excellentiam, Deo etiam gratias agendo, qui eam gratiosè illi impertitus est.

a L. c. 1. 28

222 *Ave*. Ut Angelus gaudium suum, nuntiumque lætissimum, quod afferebat, aperiret, Virginemque securam redderet, in primo ingressu dixit: *Ave*. Quod idem est, ac salvet te Deus: pax tecum, gaude, esto secura, nuntium enim pacis, & prosperitatis tibi affero, ò Virgo sanctissima, toto cordis affectu te saluto, & dico: *Ave*. Quia per te nostra salus cœpit, dum ejus authorem concepisti. Tu Hevæ nomen commutasti, ejus calamitates dissolvisti, nos misericordiis replevisti: Heva illa culpæ initium dedit, tu gratiæ exordium: illa nos serpenti subjecit, tu ejus caput contrivisti: gaude, ò Virgo beatissima, ob felicem sortem, quæ tibi obtigit: innova cor meum, ut novum hoc laudum tuarum canticum novo quotidie spiritu, novo fervore tibi decantem.

223 *Gratia plena*. Idest, plena gratia omnibus modis plenitudinis. Fuit enim virgo in primis plena gratia justificante, charitate, fide, & spe, humilitate, obedientia, patientia, cæterisque virtutibus, plena sapientia, scientia, pietate, timore Dei, reliquisque Spiritus sancti donis: memoria ejus sanctis plena cogitationibus, intellectus insignibus Dei illustrationibus, voluntas ferventibus amoris, zelique actibus, ac affectibus vehementibus divinæ gloriæ, Messiæ adventus, & redemptionis mundi desideriis. Totam autem hanc plenitudinem re ipsa habebat ad ingressum Angeli. Erat enim & tunc, & ferè semper intenta horum mysteriorum contemplationi. Gratia prætereà plena erat in omnibus suis actionibus, quia ejus opera erant plena, integra, & solida omni perfectionis plenitudine.

224 Eminentia hujus plenitudinis fuit instar capacitatis, quia licèt multa vasa plena sint liquore pretioso, plus continet, quod est capacius. Unde etiam si multi sanctorum gratia pleni fuerint, Virgo tamen, teste D. Thom. [b] eo quòd fuerit capacior, præ aliis plena fuit ea plenitudine, quæ matris Dei dignitati erat consentanea, quæ quidem dignitas quasi infinitè superat aliorum Sanctorum dignitates, & officia. Ipso autem gratiarum usu vas illud capacissimum magis quotidie dilatabatur, ampliorumque gratiarum in dies capacius reddebatur. O Virgo beata, quis sufficiat dicere quantùm tua plenitudo aliorum Sanctorum plenitudinem antecellat? Illi enim ut fluvii gratia fortè pleni fuerunt: tu autem juxta nominis tui Etymon, plena es ut mare. Gaudeo vehementer, quòd te Gabriel gratia plenam per excellentiam compellaverit, certus neminem tibi in plenitudine parem esse, imò omnes ad te collatos vacuos videri posse. Gratias tibi ago, Trinitas beatissima, ob tantam gratiarum plenitudinem Virgini collatam, ob cujus merita te supplex oro, ut ejus mihi partem donare digneris, qua animæ meæ vas, etsi parvulum, repleatur pro sua capacitate. O misericordiæ mater, & immensum gratiarum pelagus, si flumina ex mare exeunt, exeat ex te gratiarum rivulus aliquis, quo animæ meæ vacuitas repleatur, & opera mea coram Deo plena sint, ne audiam quod Episcopus Ecclesiæ Sardis audivit: [c] *Non inve-*

b 3. p. q. 27. a. 5.

c Apoc. 3. 2

invenio opera tua plena coram Deo meo.

225 *Dominus tecum.* Hoc verbo salutationem suam supra modum extulit Angelus, dicens enim: *Dominus tecum.* Indicavit omnes rationes, quibus Deus in puris creaturis esse potest, in Virgine reperiri. Tecum igitur est, non tantùm per essentiam, & præsentiam, ut in cæteris hominibus, nec per solam gratiam, ut in justis, sed eminentissima gratia, & specialissima amicitia, arctissimaque familiaritate Deus in te est. Tecum est, omnes animæ tuæ facultates mirabiliter sibi conjungens. Est in memoria, eam ad se rapiens, ut semper de ipso cogites, est in intellectu, illum illustrans, ut continuò ipsum cognoscas: est in voluntate, eam inflammans, ut ipsum perpetuò ames. Tecum est, rebus tuis omnibus speciali providentia, & protectione assistens, inspirationibus te suis gubernans, & in omnibus, quæ agis, te dirigens. Tecum est, ut in cœlo suo, in thalamo suo, in deliciarum suarum horto, & mox ut filius tuus erit in utero tuo, quare eminenter, & pleno ore tibi dico: *Dominus tecum.*

226 Non autem dixit Angelus: Dominus est tecum, fuit, aut erit, sed absolutè: *Dominus tecum.* Ut fuisse, esse, semperque cum illa futurum significaret: ac si distinctius diceret. A creatione tua fuit tecum, & nunc est, & in æternum erit, non commovebitur, nec mutationem à te faciet, aut mutatio unquam in te erit, quæ divinæ obstet providentiæ. O Virgo beata congratulor tibi tantum bonum, ipsumque Deum, ejusque tam dulcem societatem, ora, quæso, ut mecum per gratiam suam esse non dedignetur, meque tali amore possideat, ut nec ipse à me unquam, nec ego ab ipso in æternum avellar.

227 *Benedicta tu in mulieribus.* Et quia nullo virginitatis tuæ detrimento eris à maledicto sterilitatis immunis, & ab altero illo in dolore pariendi, quia sine voluptate concipies: eris in universis mulieribus benedicta, quia ut fœmina una omnibus maledictis, quæ omnes homines comprehenderunt, initium dedit, ita tu benedictionibus omnibus cœlestibus, quæ eisdem supervenient, benedicto fructu ventris tui initium dabis, per quem conterens serpentis caput eos à maledictis omnibus, quæ execranda illius suggestio attulit, eripies. Unde benedicta eris, & inter omnes mulieres laudaberis, milleque benedictionibus ab Angelis, & hominibus repleberis: [d] *Beatam enim te dicent omnes generationes*, quia ad omnes copiosæ tuę benedictionis fructus descendet. Ego, licèt indignus servus tuus, te laudo, benedico, & glorifico animo exultans, quòd idem ac omnibus præstari videam, & supplex oro, ut benedictiones dulcissimi Filii tui capitis nostri, quas per te collum suum Ecclesiæ suę corpori communicat, me participem facias: libera me, quæso, Domina, à culpæ maledictis, & pœnæ, cujus sum reus, ut benedicere, servireque possim eidem Filio tuo, & tibi per sæculorum sæcula. Amen.

d Luc. 1. 48

SECTIO II.

Exponitur salutatio Angelica quoad alia verba.

ET [a] *benedictus fructus ventris tui Iesus.* His verbis, quæ adjunguntur Angeli salutationi, excepit Elisabeth Virginem. Ac si distinctius dixisset: Verè te Angelus benedictam inter mulieres appellavit, cui ego addo benedictum quoque esse fructum ventris tui Filium, quem utero gestas: imò quia ille benedictus est, tu etiam es benedicta, ab eo enim tamquam à fonte cœlestes fluunt benedictiones. Ex quo intelligimus proprium esse Spiritus sancti nos ad Christum, ejusque matrem fervore magno glorificandum excitare, sicut excitavit Elisabeth. 228

a Luc. 1. 42

229 *Sancta Maria, mater Dei.* Hoc excellentissimum sanctissimæ Virginis nomen, quod sit mater Dei, primò ab Elisabeth Spiritu sancto afflata pronuntiatum fuit, quodque ipsa eximia humilitate quidem, sed admirabili gaudio simul, & animi jubilo audivit, quo proinde meritò eam salutamus, eique congratulamur de tanto honore, ac dignitate, eum simul laudantes, à quo impositum fuit, nempe Spiritum sanctum, à quo inspiratum est, ac hominibus manifestatum. Hic est supremus beatæ Virginis honor, & suprema excellentia, & dignitas, quæ infinitatem quamdam habet, si enim esse verum Dei servum laus est incomparabilis justorum, quid esse matrem Dei? dicamus igitur: Sancta Maria, mater Dei, dicamus: [b] *Beatus ven-*

b Luc. 11. 28.

venter, qui te portavit; & ubera, quæ suxisti, & spe magna concepta de meritis tantæ matris, ac Dominæ nostræ dicamus.

230 *Ora pro nobis peccatoribus*. In quibus verbis additis ab Ecclesia Virginis Matris Dei favorem, & intercessionem imploramus. Quomodo non favebit, & non intercedet sanctissima Mater, quæ cùm primùm Deum concepit, Mater est facta omnium hominum, quorum Filius ejus & Dei, frater factus erat per assumptionem humanæ naturæ, ad quos redimendos, & salvandos venerat? Quomodo rogata negabit patrocinium, quæ statim ac Mater Dei facta fuit, à Spiritu sancto impulsa [c] *abiit cum festinatione in montana, ut salutaret Elisabeth*, & cooperatur ad sanctificationem Præcursoris? Quomodo non aderit peccatoribus mater misericordiæ, quæ optimè novit Deum pro ipsis hominem factum, crucifixum, & mortuum; eamque propter eos ad dignitatem matris elevatam super omnes creaturas? Peccatoribus Virgo sanctissima quodammodo debes hanc tuam matris excellentiam, quia si illi non essent, neque Filius tuus homo fieret, neque tu ejus Mater esses. Condole ergo, Virgo mater, nobis peccatoribus, ora pro nobis, ut peccata dimittat, & gratia sua protegat, ne ulterius alia committamus. Non autem dicimus: *Ora pro me, sed pro nobis*. Quia communis charitas Christianorum, & communis matris nomen intercessionem pro omnibus omninò peccatoribus, qui Christiano nomine censentur, persuadet.

c Luc. 1. 39.

231 *Nunc, & in hora mortis nostræ, Amen*. Id est, ora pro nobis peccatoribus nunc in præsenti, & præcipuè in hora mortis nostræ, in qua erit extrema necessitas. Nunc, ut Deo Filio tuo fideliter serviamus, ejusque offensas evitemus; ut omnia animæ, ac corporis bona necessaria habeamus; ut peccata præterita per pœnitentiam deleamus: in hora verò mortis, ut vitam feliciter claudamus per gratiam, seu in gratia; ut tentationes, quæ tunc maximè urgent, vincamus: ut à Filio tuo in illa hora audire mereamur: [d] *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum*, ut cum ipso, ac tecum, Virgo sanctissima, quæ es Mater nostra, perpetuò vivamus. Amen. Fiat, fiat, beatissima Dei Mater, obtineamus hanc à te gratiam, ut protectione tua securè vivamus, ut tua intercessione feliciter moriamur, ut tecum in perpetuas æternitates Filium tuum laudemus, & glorificemus.

d Matth. 25. 34.

SECTIO III.

De Rosario Virginis sanctissimæ.

Post explicationem orationis Dominicæ, & salutationis Angelicæ, procedet bonus Parochus ad inculcandam populo suo devotionem Rosarii, quod ex oratione Dominica, & salutatione Angelica repetitis componitur. Continet autem quindecim orationes Dominicas, & centum quinquaginta salutationes Angelicas; & dividitur in tres partes, quarum quælibet continet quinque *Pater*, & quinquaginta *Ave*. Incipitur à *Pater*, & statim dicuntur decem *Ave*. Et sic deinceps. Prima pars est in memoriam gaudiorum Virginis circa mysteria incarnationis Filii sui. Secunda in memoriam dolorum de Filii passione. Tertia in memoriam resurrectionis ejusdem Filii, & aliorum mysteriorum, quæ post eam sequuta fuerunt. 232

233 Hic autem orandi modus triplex habet nomen, Coronæ nimirum, Psalterii, & Rosarii. Dicitur Corona, quia isto orandi modo texunt fideles pii gratissimas coronas sanctissimæ Virgini, quibus jucundissimè coronatur, quamvis in communi usurpatione alia sit corona Virginis, de qua sect. sequenti. Dicitur Psalterium, quia sicut Psalterium, quo sanctus David Deum laudabat, & gratias agebat pro acceptis beneficiis, continet 150. Psalmos; ita hoc, quo beata Virgo laudatur, & fit memoria beneficiorum incarnationis, passionis, & resurrectionis Christi, continet 150. salutationes Angelicas, & sicut Psalterium erat instrumentum quoddam musicum, quo David [a] diabolum fugabat à Saule, & mitigabat pœnas, ac molestias, quas ei inimicus inferebat, ita hoc Virginis Psalterio fugatur à nobis dæmon, & compescitur illius furia, ne noceat animabus nostris. Dicitur Rosarium, quia sicut in rosario sunt multæ rosæ pulchræ, & odoriferæ, ita in hoc Virginis Rosario sunt plures rosæ multò pulchriores, & suaviores; ex quibus beatæ Virgini serta, & corrollæ gra-

a 1 Reg. 16. 23.

Digitized by Google

tissimæ intexuntur. Et quia sicut rosarium viridario pro sepe est, à quo custoditur, ita hoc Virginis Rosarium est tamquam sepes & murus, qui nos defendit à peccato. Denique quia sicut in rosario habemus frondes, & spinas, & flores, ita in Virginis Rosario sunt frondes amœnissimę in recordatione mysteriorum incarnationis, spinæ in consideratione mysteriorum passionis, & suavissimi flores in memoria mysteriorum resurrectionis.

234 Igitur ut fructuosè decantetur hoc psalterium, componatur hæc corona, & Rosarium Virgini offeratur, antequam incipias, pete à Deo veniam de peccatis tuis, & elice actum contritionis, quo peccata tua detesteris, & dicto *Pater*, & decem *Ave*, erige mentem in Deum, & considera breviter magnum illud beneficium nobis impensum, quando Dei Filius factus est homo in purissimis visceribus Virginis matris, ut nos liberaret ab æterna morte, & hoste infernali, & simul considera immensum beatæ Virginis gaudium, quo ejus anima fuit perfusa, quando facta est Dei Mater, offerque illi hanc primam decadem in memoriam hujus mysterii, & gaudii animæ suæ sanctissimæ.

235 Posteà dicto secundo *Pater*, & decem *Ave*, contemplare paulisper beatam Virginem visitantem S. Elisabeth gravidam Joanne præcursore, ad cujus ingressum Elisabeth fuit impleta Spiritu sancto, & filius sanctificatus in ejus utero, ubi considera immensam Virginis lætitiam audiendo se nominari Dei Matrem, & reliqua mysteria, quæ ibi filius ejus cœpit operari, & offer secundam decadem in memoriam talis gaudii.

236 Deinde dicto *Pater*, & decem *Ave*, considera stabulum Bethlemicum, ubi beata Virgo perfusa divina dulcedine peperit suum & Dei Filium, considera noctem illam die clariorem, Angelos cantantes, Pastores se Deo offerentes, Reges salutantes Virginem flexis genibus ante suum Filium, Deum simul & hominem, gaudium Virginis hæc videntis. In cujus mysterii memoriam hanc tertiam decadem Virgini matri offer.

237 Posteà dicto *Pater*, & decem *Ave*, comitare spiritualiter humilitatem Virginis, quæ licèt non obligaretur lege Purificationis, voluit tamen pro humilitate purificari, & præsentare Patri se & Filium suum. Occurre obviàm tamquam alter Simeon, excipe puerum in ulnis mentis, & affectus tui, & offer hanc quartam decadem in memoriam hujus mysterii, & gaudii Virginis videntis Filium à Simeone, & Anna Salvatorem cognitum.

238 Dicto subinde *Pater*, & decem *Ave*, sequere mente, & affectu afflictam Virginem quærentem Filium in Jerusalem, & simul cum illa inveni illum in medio Doctorum, & lætare cum beata Matre, & satage illum amplius non perdere, & in memoriam hujus gaudii offer quintam decadem, qua concluditur prima pars Rosarii, qua completa dic devotè: Virgo sanctissima, quæ digna inventa es, ut esses Dei Mater, per gaudium horum mysteriorum te oro, ut mihi faveas apud dilectum Filium tuum, ut mihi misero peccatori concedat veniam peccatorum meorum, & vires ad vincendas carnis tentationes, ut purus mente & corpore, Filio tuo, & tibi purissimæ Dei Matri perpetuò inserviam.

239 Postea cum eadem præparatione procedas ad secundam partem, & dicto *Pater*, & decem *Ave*, invise mente hortum, ubi Dominum invenies in tanta agonia, ut sanguineum sudorem emittat, eumque contemplans sic afflictum, à Juda traditum, à militibus comprehensum, dolorem concipe, maximè considerando pro tuis peccatis in ea fuisse afflictione positum, & in memoriam hujus mysterii, & doloris Christi, & Matris offer primam decadem.

240 Dicto deinde *Pater*, & decem *Ave*, considera Dominum tuum ad columnam crudeliter flagellatum à planta pedis usque ad verticem capitis, ad omnes tuas plagas sanandas. Concipe dolorem, & ignominiam, in quibus pro te est Dominus tuus, & dolores afflictæ Matris, quæ corde præsens erat, & offer ei, in memoriam hujus doloris, secundam decadem.

241 Subinde dicto *Pater*, & decem *Ave*, contemplare Regem cœli coronatum spinis sacrum caput perforantibus, quæ simul cor Matris spiritualiter transfigebant, & in memoriam tantæ acerbitatis offer Virgini peccatorum dolore transfixus hanc tertiam decadem.

242 Mox dicto *Pater*, & decem *Ave*, seque-

ſequere ſpiritu Dominum tuum ad crucem damnatum cum duobus latronibus ſub pondere crucis, in qua erat affigendus, laborantem uſque ad montem Calvarium, contemplare dolores Matris Filium ſequentis, & in memoriam hujus doloris vehementiſſimi, offer Virgini quartam decadem.

243 Poſtea dicto *Pater*, & decem *Ave*, lacrymis ſuffuſus accede ad Calvarium, ubi videbis Dominum tuum cruci clavis affixum in medio latronum totum ſanguinem effundentem, ut tibi paradiſum emat, ac cruce ſua aperiat: ibi invenies Virginem corde cum Filio crucifixam, & in memoriam tanti myſterii, quintam offer decadem. Finita verò hac parte dices magno cordis dolore: Afflicta Mater Domini Jeſu, Domina mea, per gladium doloris, qui transfixit cor tuum, quando vidiſti Filium tuum à Judæis comprehenſum, flagellatum ad columnam, ſpinis coronatum, gradientem ad Calvarium ſub crucis pondere, ac tandem crucifixum, ac verè virum dolorum, rogo te ut pungas cor meum, ut fugiendo peccata omnia,& patienter tolerando vitæ præſentis tribulationes, per merita paſſionis Filii tui, & per tuam interceſſionem perveniam ad gaudia patriæ cœleſtis, quam ille mihi promeruit per ſuam ſanctam paſſionem.

244 Poſt hæc, cum eadem præparatione incipies tertiam partem. Et dicto *Pater*, & decem *Ave*, conſidera glorioſam Chriſti Domini tui reſurrectionem, ejuſque triumphum à morte, ab inferno, & à diabolo. Lætare in corde tuo de ejus gloria, ac de matris lætitia incomparabili, procura à peccatorum affectibus reſurgere, & in memoriam tantæ gloriæ offer primam decadem Virgini matri.

245 Dicto deinde *Pater*, & decem *Ave*, contemplare pauliſper Chriſtum glorioſè ad Cœlum aſcendentem, ut illud tibi aperiat, & locum præparet. Lætare cum Virgine matre de admirabili Filii ſui triumpho, & in ejus memoriam offer Virgini ſanctiſſimæ ſecundam decadem.

246 Mox dicto *Pater*, & decem *Ave*, ingredere ſpiritualiter ſanctum cœnaculum, ubi invenies Apoſtolos cum beata Virgine perſeverantes in oratione, expectantes Spiritum ſanctum à Chriſto promiſſum, qui ſuper eos deſcendit in linguis igneis, ad concedenda dona linguarum, & corda charitatis igne inflammanda, & in memoriam hujus myſterii, & Virginis exultationis pro tanto beneficio, offer eidem Virgini tertiam decadem.

247 Dicto deinde *Pater*, & decem *Ave*, contemplare glorioſam, ac ſolemnem Virginis aſſumptionem in cœleſtem curiam circumdatæ infinita Angelorum multitudine à Filio ſupremo Rege exceptæ cum ea gloria, & lætitia, quæ tantam ejus Matrem decebat. Ubi eam habes advocatam in tuis neceſſitatibus. Et in memoriam ineffabilis gloriæ ejus offer quartam decadem.

248 Dicto tandem *Pater*, & decem *Ave*, conſidera ſolium Virginis ad dexteram Filii conſtitutum, & omnes Divinas perſonas occupatas in coronandis Dominæ tuæ meritis. Attende Virginem ſole veſtitam, luna calceatam, ſtellis coronatam, benedictam non ſolùm inter mulieres, ſed ſupra creaturas omnes elevatam, ubi videbis omnes Angelorum choros plaudentes, omnes Dei electos laudes ſine fine canentes. Et in memoriam tantæ Dominæ gloriæ, quæ eſt ſpes tua, & refugium tuum, offer ei quintam decadem.

249 Abſoluta verò hac tertia parte, dic cum omni affectu: Sereniſſima Regina cœli, rogo te per immenſa gaudia, quibus ſuaviſſimè affluis, ut mihi impetres vires gratiæ ad tolerandas hujus miſeriæ peregrinationis adverſitates, ad fugiendas fallacias, & vanitates hujus mundi, donec mihi per tuam interceſſionem concedatur te videre in patria cœleſti, in throno gloriæ tuæ, de qua maximè lætatur, ſemperque lætabitur anima mea.

250 Hic eſt modus magis perfectus recitandi Roſarium Virginis. Qui tamen ob occupationes non potuerit ad ſingulam decadem ſuum myſterium conſiderare, poterit in fine cujuſque partis, totam ſimul offerre dicendo. Iſtam tertiam partem Roſarii offerro in memoriam myſteriorum ad gaudium Virginis pertinentium, ut ſuprà dictum eſt. Et ſic de aliis. Qui autem non poteſt totum Roſarium dicere ſimul; dicat illud diviſum per tres partes. Saltem nullus eſſe debet fidelis, qui Virginem matrem, & advocatam habere velit, qui ad minus ſingulis diebus non dicat tertiam partem Roſarii, aut coronam,

Digitized by Google

nam, de qua posteà. Est enim Rosarium Virgini valde gratum, multis & illustrissimis miraculis confirmatum, ut videbimus cap. sequenti sect. 3. §. 2. à variis Pontificibus indulgentiis commendatū, ut videre est apud Authores, qui de Rosario varios libros ediderunt. Quā devotionē Parochus suo populo assiduè commendabit, & totis viribus persuadebit.

SECTIO IV.

De Corona sanctissimæ Virginis.

251 Ex iisdem salutationibus Angelicis, & aliquibus orationibus Dominicis componitur B. Virgini alia corona, quæ vulgari nomine corona Virginis dicitur, de cujus initio non satis constat, invenitur tamen anno salutis 854. fuisse in usu. Quia Leo IV. Pontifex maximus eo anno præcepit militibus contra infideles pugnaturis, ut una manu arma ferrea, altera coronam Virginis gestarent. Postea anno 1418. cœpit hujus coronæ major usus, & devotio in Religione Minorum propter insigne miraculum, quod attingam.

252 Quidam bonus sacerdos solebat componere coronas ex floribus, quibus caput Virginis redimibat. Hic ingressus Religionem Minorum, cùm non posset continuare in sua illa devotione erga Dei Matrem, cogitavit de Religione deserenda, cui semel oranti apparuit Virgo sanctissima, & in vocatione confirmavit, docens eum devotionem hujus coronæ, affirmando sibi fore jucundiorem omnibus aliis, quas ex floribus texere consueverat. In qua devotione, de qua à Virgine edoctus fuerat, perseveravit eam singulis diebus recitando. Accidit autem ut dicente illo coronam, novitiorum magister adierit ejus cellam, videritque Angelum pulcherrimum in filo aureo rosas inferentem inserto aliquando lilio aureo; finita autem oratione Angelum filum ligasse, imposuisseque sertum, seu coronam ex rosis, ac liliis à se contextam capiti novitii, & disparuisse. Magister avidus sciendi quid hoc esset, mandavit in virtute obedientiæ, ut rem sibi aperiret: re autem cognita, exhortatus est illum, ut in sua illa devotione perseveraret; indeque incepit devotio coronæ Virginis, cū magno fervore in toto Ordine, indeque ad alios Christi fideles dimanavit.

253 Continet autem hæc Corona tot salutationes Angelicas, quot fuerunt anni, quibus sanctissima Dei Mater vixit in hoc mundo. Quia verò circa hos annos est diversitas inter Authores, ut videre est in annalibus Ecclesiasticis, & duæ sunt opiniones communiores; prima quòd anni illi fuerint 63. juxta quam coronæ ordinariæ continent sexaginta tres salutationes Angelicas, & septem orationes Dominicas per suas decades. Altera verò est hos annos fuisse 72. juxta quam corona Virginis continet septuaginta & tres salutationes Angelicas, & octo orationes Dominicas, addita una salutatione in reverentiam Trinitatis. Virgo sanctissima novitio, de quo suprà, nullam, quòd sciamus, mentionem fecit de istis vitæ suæ annis, sed solùm, quòd diceret sexaginta & tres salutationes Angelicas, & septem orationes Dominicas in memoriam septem gaudiorum ipsius Virginis.

254 Itaque corona B. Virginis incipienda est *à Pater*, & posteà decem *Ave*, ut Dei mater dicebat novitio, in memoriam gaudii, quod habui, quando cooperante Spiritu sancto concepi Dei Filium in visceribus meis, & gratias ages Deo Patri, quia me fecit matrem talis Filii, & per illum misertus est mundo. Posteà *Pater*, & decem *Ave*, in memoriam gaudii, & lætitiæ inennarrabilis, qua anima mea perfusa fuit, quando visitavi Elisabeth, eique revelata fuit incarnatio Verbi. Deinde *Pater*, & decem *Ave*, in memoriam gaudii, & exultationis, qua anima mea exultavit in sacro partu, quando peperi Salvatorem sine dolore, & absque corruptione. Subinde *Pater*, & decem *Ave*, in memoriam gaudii à me concepti, quando vidi Magos Filium meum pro Deo venerantes, & adorantes. Deinde *Pater*, & decem *Ave*, in memoriam gaudii, quod habui inveniens Filium meum in templo in medio doctorum. Posteà *Pater*, & decem *Ave*, in memoriam gaudii, quod concepi, quando Filius meus post suam resurrectionem me visitavit, & salutavit. Posteà dices *Pater*, & tres salutationes Angelicas in memoriam gaudii, quo fui delibuta, quando assumpta fui in cœlum, & à Filio meo, Patre, & Spiritu sancto ineffabili gloria vestita, & coronata.

255 Sunt præterea alii modi recitandi coronam. Nam aliqui dicunt 63. vel 73. tres salutationes Angelicas secun-

dùm varios titulos, qui ex sacra Scriptura colliguntur, & Virgini attribuuntur. Alii secundùm tot Virginis privilegia, de quibus titulis, & privilegiis agunt, qui speciales libellos de hac Virginis corona scripserunt, quæ longum foret recensere. Alii secundùm diversa ejusdem Virginis gaudia, quibus eam Dominus in hac vita cumulavit. Melius tamen erit illam offerre modo à Virgine novitio, utpote à tanta magistra præscripto.

256 Quomodocumque ergo corona hæc dicatur, certum est esse Virgini Matri gratissimam, multis miraculis, ac favoribus confirmatam, à variisque Pontificibus indulgentiis commendatam, ut probant Authores, qui de ea scribunt; de quibus nos aliqua referemus cap. sequenti. Sect.3. §.3. Quam proinde devotionem bonus Parochus debet inculcare, & intimare fidelibus suæ Parochiæ, persuadendo, quoad poterit, ut nemo in ea sit, qui, si Rosarium singulis diebus non dicat, omittat saltem coronam, ut Virginem sibi propitiam habeat, & advocatam apud Deum; de cujus favore, ac patrocinio multum sibi unusquisque debet promittere, & sperare.

257 Et per hæc docebit Parochus quid Populus suus credere debeat, & quomodò orare oratione saltem communi omnibus fidelibus. Quia verò ad doctrinam Christianam, de qua in hoc libro agimus, non solùm pertinet credere, & orare; sed etiam operari, ut initio libri notavimus; idem præstabit Parochus docendo decem præcepta decalogi, & quinque mandata Ecclesiæ generalia, & septem vitia capitalia, totidemque virtutes oppositas, cum sufficienti istorum omnium explicatione. Sed quia in explicatione, quam dabimus, multa continentur, de quibus non oportet docere populum, utpote quæ magis inserviunt ad resolvendos casus conscientiæ, & animas dirigendas in sacris confessionibus, id præstabimus lib. sequenti; indeque Parochus decerpet ea, quæ sibi necessaria videbuntur, ad docendum populum in ea parte doctrinæ Christianæ, quæ ad benè operandum dirigitur.

258 Igitur postquam declaraverit symbolum, ejusque mysteria, orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, devotionem Rosarii, & coronæ, declarabit decem præcepta decalogi, quinque mandata Ecclesiæ, septem vitia capitalia, & virtutes oppositas, pro capacitate audientium, ad quæ omnia habebit copiosam materiam ex hactenus dictis, & ex dicendis lib. sequenti, & per hæc implebit munus suum de inculcanda, & docenda doctrina Christiana, quæ continet rudimenta fidei nostræ. Quia verò populus multum movetur exemplis, & casibus miraculosis, quæ contigerunt; afferam cap. sequenti aliqua ex multis, quæ referuntur à probatis Authoribus scribentibus catechismos historiales. Unde habebit copiam, ut sine multo studio, & labore possit exhortari plebem sibi commissam ad benè vivendum, secundùm præcipuam partem officii sui.

CAPUT VI.

Exempla, quibus Parochus uti potest in doctrina fidei inculcanda.

Diximus de illis, quæ pertinent ad credendum, & orandum plura dicturi lib. sequenti de illis, quæ ad operandum attinent. Quia verò populus maximè movetur exemplis, visum est in hoc cap. aliqua seligere ex iis, quæ referunt probati DD. ut Parochus noster confirmare valeat res, quas docuerit. Quæ etiam inserviens, ut facilius plebem suam ad benè vivendum exhortetur, & munus prædicandi adimpleat. Cùm enim prædicatio Parochi facilis esse debeat, ut lib.5. cap.7. dictum est, & nihil sit facilius, quàm narrato aliquo bono exemplo, super illud discurrere, indeque eruere aliqua motiva, quibus populus doceatur, & moveatur tum ad sanctum Dei timorem concipiendum, tum ad benè operandum, discurram per materias præcipuas doctrinæ Christianæ, de quibus jam egimus, & agemus in sequentibus, adducendo probata exempla, quibus scatent libri, qui fortè ad manus Parochi nostri non perveniunt, ut nihil desit in hoc opere ad ejus instructionem necessarium. Vellem enim in hoc nostro opere ita Parochum perfectè instruere, ut de aliis libris, licèt alioquin optimis, non nimium sit solicitus, idcirco quod per alios sparsum est ad parochiale munus potens inservire, in hoc nostro, qua potuimus diligentia, comprehendere curavimus. 259

S E-

SECTIO I.

Exempla circa mysteria symboli.

260 CAp.3. declaravimus mysteria fidei contenta in symbolo Apostolorum, quæ licèt sint qualibet certitudine humana certiora, utpote fundata in divina authoritate, & veracitate, illustranda tamen sunt aliquibus casibus, & exemplis miraculosis, quibus Deus eorum veritatem in nostram utilitatē confirmare dignatus est. Et prius adducenda sunt aliqua circa fidem in generali.

§. I.

Exempla circa fidem.

261 COgitanti [a] D. Augustino de scribendo circa ineffabile mysterium sanctissimæ Trinitatis nostræ fidei fundamentum, apparuit in maris litore puerulus totus occupatus, in implenda ex aqua maris fossa, quam in arena excavaverat, utens ad id conchula. Rogat sanctus doctor puellum, quid intenderet in illa sua occupatione? & cùm responderet, velle se totum mare in illa fossula includere. Subridens Aug. ait, non vides impossibile esse vastissimum mare tam parva fossa circumscribi. Cui puer: Magis impossibile est, quòd mysterium sanctissimæ Trinitatis, quod tu cogitas, à tuo intellectu capiatur. Quo dicto disparuit. Et Aug. ita ab Angelo edoctus intellexit, quantum illud mysterium, & reliqua fidei nostræ superent captum nostrum.

a l. 1. vita Aug.

262 Sacerdos [b] quidam Arianus juxta suam sectam non credebat aliqua nostræ fidei mysteria. Cùm verò disputasset cum quodam catholico, & minimè convenirent, conclusum est, ut utriusque fides miraculo comprobaretur, illiusque fides vera haberetur, qui annulum è cacabo ferventi aqua pleno innocuus extraheret. Adveniens tunc temporis diaconus nomine Hyacinthus, sciensque de quo esset controversia, & pactum initum, vehementi fide armatus brachium nudat, immittitque in ferventem caldariam: cùm verò annulus esset parvulus, illum invenire non potuit, nisi post tempus considerabile; inventum tandem extrahit omnino illæsus. Arianus satis confusus idem tentare conatur in suæ falsæ sectæ confirmationem: sed brachium vix immissum subitò extrahit usque ad ossa combustum.

b Greg. Turō lib. 1.c.32.

263 Cirola [c] Episcopus Arianus ab Eugenio Episcopo catholico convictus in publica disputatione coram Honorio Vvandalorum Rege sciens plurima ab Eugenio miracula patrari, reputationis magis, quàm veritatis cupidus, pactum iniit cum quodam homine suæ sectæ, dando ei quinquaginta scuta, ut se fingens cæcum importunis precibus ab ipso transeunte per locum publicum precaretur sibi visum restitui in suæ sectæ confirmationem: cùm verò Cirola cum Eugenio, Vindimiali, & Longino Episcopis catholicis prætериret, exclamavit ad illum Arianus, juxta conventionem factam, Cirola serve Dei, summus Pontifex nostræ Religionis, miserere mei, & in illius testimonium restitue mihi visum oculorum. Quo audito Cirola arrogantia, & superbia plenus oculos manu tangit dicens: secundùm nostram veram fidem aperiantur tibi oculi, ut prius. Ecce miser homo de repentè factus cæcus tam acerbum oculorum dolorem expertus est, ut sibi erui viderentur, inclamat contra Cirolam, propalat fraudem, pactumque initum, supplicatque Episcopos catholicos, ut sui misereantur, cui Episcopi: Si credis, omnia possibilia sunt credenti. Quibus ille: Patiatur, quæ ego patior, qui non crediderit Dominum Jesum Christum, & Spiritum sanctum esse eumdem Deum, ac substantiam cum Patre, ut ego credo. Audita hac confessione Vindimalis, & Longinus imponunt manus super caput cæci, & Eugenius facit signum crucis super ejus oculos, dicens: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, quem confitemur unum Deum, unam substantiam, & æqualitatem, aperiantur oculi tui. Et subitò sublato dolore visus est restitutus cum Cirolæ confusione, & hæreticorum. Simile [d] omnino exemplum accidit in Hispania alteri Episcopo Ariano tempore Leovigildi Regis Ariani.

c Baron. tom.2 ad annum 484.

d Ioan. Boni lib. 3.c.11.

264 Quidam [e] adolescens ingressus Religionem Eremitarum D. Aug. à dæmone tentatus dubitare cœpit de fide, & Religione catholica, & totus suspensus hærebat, quænam foret melior Religio, Paganorum ne, Judæorum, vel Christianorum. His dubiis implicatus decrevit deserere monasterium, cui jam egredienti obviàm se præbuit Virgo Mater, dicitque: Ne dubita, fili, de vera fide dilecti Filii mei,

e Cantip. lib.

S 2 om-

omnes enim, qui eam non sequuntur, decipiuntur, & pereunt. Ego sum Mater Christi patrona hujus ordinis, à quo non patior te discedere in principio tuæ conversionis. Quo dicto disparuit, manente adolescente lætissimo, & in fide ita forti, ut deinceps ea tentatione neutiquam pulsaretur, nec alia simili circa mysteria fidei.

§. 2.

Exempla primi articuli: Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

265 SAnctus [f] Tiburtius sancti Sebastiani opera Christianus, cùm ob eam causam ad judicem adductus esset, multaque apud illum de fide Christi prædicaret, excandescens judex pavimentum candentibus carbonibus sterni jubet, & ait: Mox, Tiburti, vel diis nostris sacrificare oportet, vel per istos carbones nudis pedibus incedere. At ille crucis signo se muniens, fidenterque ambulans per prunas. Disce, inquit, solum esse Deum, quem Christiani colunt, unum creatorem cœli & terræ, tam potentem, ut prunas has mihi in flores convertat. Quòd autem hic Deus sit trinus in personis, probant exempla suprà.

f In ejus vita.

266 Cùm Julianus [g] Orientis Præfectus jussu Juliani Apostatæ cum aliis templum Christianorum, sacra vasa direpturus esset ingressus, ante sacram aram minxit, & cuidam eum prohibere conanti colaphum impegit, dicens: Res Christianorum divina cura, ac providentia prorsus esse destitutas. At is subitò in gravem morbum incidens visceribus putredine exesis pœnas meritas luit: stercora enim non per naturales vias egerebat, sed per sceleratum os blasphemiæ instrumentum. Cui uxor Christiana: Debes meritò mi vir, inquit, Deum unum laude prædicare, qui tibi hac castigatione suam potentiam ostenderit, & peremisset, nisi consueta sua lenitate usus has plagas tibi inflixisset. Miser igitur partim conjugis oratione, partim cruciatu morbi causam agnoscens orat Imperatorem, ut Ecclesiæ ablata redderet. Quod non persuasit, & ipse infelicem animam exhalavit.

g Theodoret. lib. 3. hist. c. 11. & 12.

§. 3.

Exempla secundi articuli: Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.

CHristi Domini divinitatem probant omnia miracula à S. Euangelistis scripta. Prætereà. [h] Cùm in Nicæna Synodo fides de Christi divinitate, & consubstantialitate cum Patre definita esset à 318. Episcopis: eam subscripserunt duo sancti Episcopi Chrysanthus & Mussonius, qui antè è vita excesserant. Invenerunt enim alii Episcopi hanc subscriptionem: *Chrysanthus & Mussonius, qui cum Patribus omnibus in sancta prima Synodo œcumenica, qua definivit Filium Patri consubstantialem, consensimus; quamvis corpore translati, manu tamen propria nos quoque libello subscripsimus.* 267

h Niceph. l. 8. c. 23.

268 Cùm [i] Dioscori, & Eutychetis sectatores Christi divinitatem, & æqualitatem cum Patre denegarent; Anatolius Patriarcha, & reliqui catholici cum hæreticis conveniunt, ut utrique fidem suam in libello scriptam collocent in sepulchro gloriosæ Virginis, & martyris Euphemiæ, & ab ea expectent veritatis sententiam. Ita factum, obsignato sigillo lapide sepulchrali; & post tres dies, quibus à Deo supplicatum est, conveniunt ad sepulchrum virginis, & inveniunt libellum hæreticorum ad pedes virginis, & libellum Catholicorum in manu ejus dextera, qua extensâ ad Patriarcham, & Imperatorem libellum eis porrexit, recedentibus Hæreticis præ pudore confusis.

i Niceph. l. 15. c. 5.

§. 4.

Exempla tertii articuli: Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

MOrtua [l] B. Margarita à Castello, apertoque ejus corpore, inventa est prope cor unio insigni magnitudine, & pulchritudine conspicuus, in quo velut in tabula Dominicæ nativitatis imago insculpta erat, eademque virgo genibus flexis ibidem ante Domini præsepe collocata; qui unio adhuc perseverat, volens Deus significare, quàm gratum sibi fuerit hujus virginis obsequium in continua meditatione Christi nati ex Matre virgine in antro Bethlehemico. 269

l Ioannis. lib. 2. hist.

270 Re-

Digitized by Google

m Hist. Min. 1. p. l. 9. c. 16. 270 Religiosus m quidam ordinis Prædicatorum magnus prædicator graviter molestabatur circa virginitatem perpetuam sanctissimæ Virginis; repræsentabat ei diabolus impossibile, quòd Mater sanctissima potuerit post partum virgo permanere. His imaginationibus afflictus Religiosus verè Catholicus desiderabat invenire virum Deo plenum, cui tenebras cordis sui patefaceret: cùm verò multa audiret de venerabili Fr. AEgidio Franciscano, illum adit. Cùm verò revelatus fuisset AEgidio adventus P. Prædicatoris, & causa illius, obvium se illi præbuit, & ante habitam salutationem, percussa leviter terra baculo, dixit: *Pater Prædicator! Mater Dei virgo ante partum*. Et subitò lilium nive candidus è terra percussa pullulavit. Percussa secundò terra ait: *Pater Prædicator! Mater Dei virgo in partu*; & illicò lilium aliud similis pulchritudinis germinavit. Percussa tertiò terra inquit: *Pater Prædicator! Mater Dei virgo post partum*. Et statim tertium lilium è terra erupit. Quo facto Pater Prædicator liber fuit à sua molesta tentatione.

n In vita Ildefons. 271 Huic n exemplo addi potest singularis favor à sanctissima Virgine factus sanctissimo Ildefonso Archiepiscopo Toletano; quem donavit cœlesti dono induens eum casula è cœlo lapsa, qua indutus celebraret in Christi festivitatibus, & suis, quia ejus perpetuam virginitatem contra Helvidianos in libro à se scripto defendisset, ut habetur in ejus vita.

§. 5.

Exempla quarti articuli: Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & sepultus.

272 Matth. 27. PEndente in cruce Domino, sol passus est insolitam eclipsim, velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, terra mota est, petræ scissæ sunt, & monumenta aperta, ita ut Centurio, & qui cum eo erant, timuerint valde, & dixerint: Verè Filius Dei erat iste, ut scribunt Euangelistæ. o Pilatus verò, qui injustè Christum ad mortem crucis damnavit, perpetuo exilio Viennæ recluditur, tantisque ibi, irrogante Cajo, languoribus coarctatus est, ut sua se manu interfecerit.

o Euseb. & alii apud Baron. ad ann. 41.

273 Cùm p Christiani solemni processione in occursum Episcoporum pervenissent ad locum, in quo erat statua marmorea Veneris supra aram marmoream, non valens dæmon, qui in statua morabatur, videre crucem Domini, quæ præibat, turpiter egressus de marmore statuam in multa fragmenta confregit; & pagani, qui erat prope aram subsanans Christianis, caput in duas partes divisit: & alterius socii humerum, & brachium fractum dejecit. In corde Claræ virginis de Monte Falco, insculptus est Christus cruci affixus ex eadem carne; flagra, quibus est cæsus; columna, cui alligatus, omniaque alia passionis Christi instrumenta. Sunt præterea sanctæ crucis infinita miracula, quæ librum integrum postularent. p Bar. 10. tom. 5.

274 Cosmiana uxor Germani Patricii voluit quadam nocte adorare sanctum Christi Domini sepulchrum, cui intrare conante apparet Dei Mater multis comitata virginibus, aitque: *Quomodo cùm nostra non sis, huc audes ingredi*. Et prohibebat eam; illa verò multum rogabat, ut permitteretur intrare; ad quam Virgo sanctissima: Crede mulier, non ingredieris huc, nisi nobiscum communicaveris: erat enim mulier affecta hæresi; cognoscens autem, quòd ingredi prohibebatur, quia esset hæretica, continuò hæresim detestata est, & ita absque prohibitione digna est adorare sanctum Christi Domini sepulchrum. q Niceph. c. 48.

§. 6.

Exempla quinti articuli: Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

PAlæstinæ dux venit adorare sanctam Christi Domini resurrectionem, & cùm cœpisset ingredi sanctum monumentum, aspexit arietem cum impetu supra se venientem, cornibusque impetentem. Custos verò, & qui adstabant, dicunt ei: Quid est, quod habes domine? Cur non Ingredieris? Quibus ille: Ut quid intulistis arietem istum? Qui stupefacti inspexerunt sanctum monumentum, nihilque videntes ajunt ad illum: Ingredere, nihil tale intus est: at ille rursus ingredi tentans ab ariete prohibetur. Tunc custos: Crede mihi domine, aliquid habes in anima tua, quod te prohibet adorare 275 r So. moc. c. 49.

vivificum monumentum, ex quo Dominus à mortuis resurrexit. Cui ille cum lacrymis dixit: Verè multis, magnisque sceleribus obnoxius sum, & se ipsum in terram prosternens per multas horas permansit flens, & confitens Domino. Inde surgens ingredi tentat, sed iterum ab ariete prohibetur. Tunc ait illi custos: Verè aliud est, quod te ingredi vetat. Dixit autem ille totus lacrymis perfusus, acerboque cordis dolore, ac vera pœnitentia permotus: Numquid fortasse ideò, quia non sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, sed Severo communico, introire prohibeor? Et illicò hæresim detestatus petiit, ut vivifica Christi Domini mysteria sibi afferrentur, & allato sancto calice communicavit; & ita ingressus est, & adoravit, nihil ultrà impedimenti passus, nihilque ulterius cernens, quod se deterreret.

f Baron. tom 12. ad annum. 1111.

276 Quidam f Religiosus admirabatur sępius, quomodo verum Christi corpus potuerit clauso monumento resurgere. Dum autem in matutino Sabbati sancti cantaretur illa antiphona: *Mulieres sedentes ad monumentum*; repente ante pedes videt projectum cingulum, quo firmiter substrictus erat. Ille suspicatus solutum fuisse, & cecidisse, quod tamen mirum fuisset, quia non delapsum fuerat, neque circum crura, pedesve descenderat; sed ante pedes quasi projectum exilierat, inclinavit se, ut illud tollens rursus se se accingeret, invenit nodum, quo erat adstrictum non cedere: & admiratus quomodo id fieri potuerit, audivit vocem dicentem: *Sic potuit clauso Christus prodire sepulchro.*

§. 7.

Exempla sexti articuli: Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

277 t Hieron. de locis Heb.

CHristus t Dominus ad cœlos ascensurus in monte Oliveto ultima vestigia sacrorum pedum humi impressa reliquit, quæ usque ad suum tempus monstrabantur, ut ait D. Hieron. cùmque terra eadem quotidie à credentibus hauriretur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuò servabant. Quod prodigium usque ad nostrum tempus durare videtur. Quia illa vidit beatus Pater noster Ignatius, qui eò loci iterum remeavit, ut notaret ad quam partem mundi sacra vestigia tenderent, ut scribitur in ejus vita.

278 Cùm u verò Ecclesia, in cujus medio erant sacra vestigia, rotundo schemate, & pulcherrimo opere conderetur, summum cacumen propter Dominici corporis meatum, nullo modo contegi, & concamerari potuit, sed transitus ejus è terra usque ad cœlum patebat aspectus. u Hieron. proximè.

279 Invisit x Christianus quidam nobilem paganum paralyticum in lectulo decumbentem à multis annis, sine ullo remedio, cui promisit fore, si spem poneret in Christo, ejusque nomen supplex imploraret; ut sanitatem desperatam reciperet, eique proinde reliquit effigiem pictam Christi ad cœlum ascendentis. Ægrotus spe confirmatus oculos in imaginem defigens Christi nomen imploravit. Mirum dictu multis aspicientibus, repentè sanus è lecto surrexit, & Christo nomen dedit. x Bosius de signis Eccles. lib. 5. c. 2.

280 z Cùm sanctus Stephanus Protomartyr à fidei Christianæ adversariis pro Christi nomine lapidaretur, plenus Spiritu sancto intendens in cœlum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem à dextris virtutis Dei. z Act. 7.

§. 8.

Ad septimum articulum: Inde venturus est judicare vivos & mortuos.

QUidam a adolescens per somnium sibi visus est adstare Christo judicanti, & interrogari de peccatis suis, & tanto timore perculsus est, ut subitò totus incanuerit, quem è somno evigilantem canum omnes viderunt canitie inculta horridum. 281 a S Vincent. Fer. ser. 3.

282 Duo b Monachi Carthusiani se adinvicem valde diligebant, quorum alter moritur, & paulò pòst amico oranti comparet habitu vili indutus, & vultu valde subtristi. Vivo causam percunctanti respondet ter repetens hanc vocem: *Nemo credit, nemo credit, nemo credit*. Admiratus vivus interrogat. Quid est hoc, quod nemo credit? Respondet: *Quàm strictè Deus judicat, & quàm severè castigat*. Quo dicto disparuit, relicto vivo amico ferè exanimi præ pavore. b Granatus.

283 Bogaris c Bulgarorum rex, constructa nova domo, vocat pictorem, qui c Bar. tom. 10. ad annum. 845.

qui domum picturis ornaret, petens ut talia essent, quæ pingerentur, ut metum, & terrorem spectantibus incuterent. Pictor, qui Monachus erat, nihil terribilius agnoscens tremendo Christi judicio, universale judicium depingit. Cùm jam pictura absoluta fuisset, conspicatus Princeps ex altera parte justorum cœtum coronari; ex altera impios ad infernum puniendos præcipitari, edoctus de mente picturæ, tanto fuit terrore perculsus, ut statim paganismum abjuraverit, & sacro Fonte ablutus Christo nomen dederit.

§ 9.

Ad octavum articulum: Credo in Spiritum sanctum.

284 SPiritum sanctum esse Deum, eumdemque cum Patre, & Filio declaravimus cap. 5. sect. 9. explicando hunc artic. In cujus testimonium in corpore d B. Claræ de Monte Falco inventi sunt tres lapilli ejusdem formæ, & magnitudinis, qui in bilance positi non habebant majus pondus omnes tres, quàm eorum unus, nec quilibet habebat minus, quàm tres: quo miraculo Deus significare voluit eamdem substantiam, & æqualitatem Divinarum personarum, quam fides docet.

d In ejus vita.

285 In Synodo e celebrata Lugduni de mandato Victoris II. Papæ accusatus fuit quidam Archiepiscopus vir doctus, & eloquens de crimine simoniæ, qui corrumpens pecunia omnes accusatores, illos provocabat, sed tacentibus omnibus, Legatus, qui præerat, ad illum conversus ait: Credis ne, ò Archiepiscope, Spiritum sanctum cum Patre, & Filio unam esse substantiam Deitatis? Quo respondente: Credo. Addit Legatus, dic ergo Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Tunc ille: Gloria Patri, & Filio expressè dicebat, sed Spiritum sanctum nullatenus proferre poterat. Cùm autem frequenter inchoaret, & nihil proficeret, videns se per divinum judicium omninò confusum, procidens ad pedes Legati confessus est proprio ore esse simoniacum. Postquam verò à Sacerdotali, & Episcopali officio fuit depositus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto liberè decantavit. Quod factum in tantum simoniacos perterruit, ut plures se esse simoniacos confessi sint ad pœnitentiam.

e Baron. tom 11 ad annum 1055.

286 Duo f nobiles fratres Parisiis studebant. Minor studio & Deo vacabat, senior solis vitiis, & carni cum scandalo, & offensione aliorum, & à fratre sæpius correptus de emendatione non curans, sed in dies deterior factus in gravem labitur infirmitatem: reducens verò in memoriam peccatorum suorum multitudinem, de salute quasi desperatus nocte intempesta videt senem valde venerandum, qui oculos adeò terribiles in eum conjecit, ut turbatus vix potuerit inquirere quis esset. Cui senex: Ego sum Pater cœlestis, qui te creavi, & omnia propter te, ut abjurata vita præterita pœnitentiam ageres: sed quia in tua perseveras obstinatione, condemnaberis, quia ita vis. Ille totus turbatus finem expectabat, & condemnationem. At sequenti nocte apparet ei adolescens pulcherrimus, nudus, spinis coronatus, crucem humeris portans, multum sanguinis è latere fundens, qui ait: Ego sum Christus Dei Filius, qui pro mundo passus sum; venio autem, ut tibi dicam te in æternum moriturum meis meritis destitutum, quibus uti non vis ad salutem tuam; & sanguinem à latere manu colligens in vultum infirmi conjecit, accipe, inquiens, in tuam condemnationem, & disparuit. Ægrotus penè diffisus vocat fratrem suum, omnia exponit, ab illo verò confortatus, & animatus, ut pœniteret, & confiteretur, & fiduciam poneret in Spiritu sancto, qui est Dei benignitas, obedivit, confessus est, Eucharistiam, & extremam unctionem suscepit: ecce nocte sequenti apparet ei alia persona duabus simillima, vestibus candidissimis induta, in cujus dextera erat columba nive candidior, & infirmum intuetur oculis benignis, vultuque placidissimo, rogata verò quisnam esset? Respondet: Ego sum Spiritus sanctus, qui à Patre, Filioque procedo, & venio, ut tibi dicam peccata tua esse condonata, & portam cœli tibi apertam, viamque ad illud securam. Quo audito lacrymis profusus, ac fiducia plenus intra tres dies feliciter expiravit.

f Grantus Bellarm.

Digitized by Google

§. 10.

Ad nonum artic. Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem.

287 g Sophrô in prat. c. 176. QUidam g bonus senex, simplex tamen circa res fidei cum hæreticis communicabat in divinis, quem Angelus ei apparens rogat: Dic senex, si mortuus fueris, quomodo vis, sepeliamus te, ut AEgyptii faciunt, an ut Jerosolymitæ? cùm autem respondisset se nescire, ait Angelus: Cogita per tres hebdomadas, & postea dices mihi. Narrat senex, quæ sibi cum Angelo contingerant, viro Deo pleno, qui à Domino inspiratus rogat senem, ubi sumeret Sacramenta? qui respondit: Ubicumque invenio. Tunc ait illi: Ne tibi ulterius contingat, ut extra sanctam, catholicam, & Apostolicam Ecclesiam communices, & Angelo ad te venienti dic, velle te sepeliri ut sepeliunt Jerosolymitæ, & ita respondit Angelo post tres hebdomadas venienti. Cui Angelus: *Benè, benè*. Et continuò senex mortuus est. Hoc autem factum est, ut bonus senex intra gremium Ecclesiæ moreretur.

288 Sanctus Petrus Alexandriæ Episcopus Arium schismati Meletiano faventem à fidelium communione sejunxit, & pro Ario intercedentibus respondit, sibi Christum Dominum apparuisse veste discisa, ac dilacerata, sibique causam sciscitanti dixisse: *Arius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit*. Quo significavit veram Christi Ecclesiam esse unam, absque ulla divisione in fide, quam profitetur.

§. 11.

Ad decimum articulum: Peccatorum remissionem.

289 i Sophro. c. 143. QUidam i famosus latro, & dux latronum nomine David per multos annos furtis, & homicidiis deditus, à Deo tactus monasterium in Thebaide adivit, ut fieret monachus, quod cum multa difficultate obtinuit: receptus tandem ita se Deo tradit, pœnitentiis, orationibus, & reliquis vitæ religiosæ exercitiis, ut ei missus fuerit Angelus, à quo audivit: *David, David, remisit tibi Deus peccata tua, & eris ex nunc signa faciens*. David autem respondens, ait: Credere non possum, quòd omnia peccata mea plura arena maris, tam brevi tempore, mihi Deus remiserit. Tunc Angelus: Si Zachariæ sacerdoti non credenti mihi haud peperci, nec tibi parcam: idcirco eris non loquens: cui David humi prostratus ait: Cùm eram in sæculo nefaria committens loquebar, nunc autem, cùm servire Deo volo, eique laudes offerre, linguam meam ligas? Cui Angelus: Cùm horæ persolvendæ erunt, loqueris, postea verò mutus eris. Ita factum; psallebat igitur psalmos, nullum tamen verbum aliud loqui poterat. Ut intelligeret esse in Ecclesia Christi remissionem peccatorum pœnitentibus ex corde.

290 Pyamus l Presbyter vir humilis, dum Sacrificium offerret, vidit Angelum Dei prope altare, qui nomina scribebat monachorum accedentium ad communicandum, sed aliquorum nomina præteribat. Cùm verò observasset eos, quorum nomina non scribebantur, post completa mysteria, unumquemque seorsum vocans perscrutatur causam, & reperit ex confessione eorum unumquemque fuisse peccati mortalis obnoxium. Tunc hortatus ad pœnitentiam ipse in lacrymis, orationibus, ac jejuniis ad Dominum flebat, & tandiu permansit cum illis in luctu, donec iterum videret eumdem Angelum scribentem accedentium nomina, & vidit ab Angelo nominatim vocari illos, qui flentes pœnituerant. Unde intellexit acceptam Domino eorum pœnitentiam, & peccata illis dimissa. l 1. p. vit. PP.

§. 12.

Ad undecimum articulum: Carnis resurrectionem.

HIstoriam septem fratrum dormientium scribit Niceph. m Hi per 372. annos dormierunt nullo sumpto cibo, nec vestibus consumptis à tempore Decii imperatoris ad tempus Theodosii. Quo exemplo misericors Deus voluit sedare contentiones eo tempore ortas multorum, qui cum Sadducæis carnis resurrectionem negabant, perturbantes Ecclesiæ pacem, & fidem. Theodosius imperator audito nuntio de septem fratribus, quàm potuit celerrimè Ephesum contendit, atque ibi illorum conspectu se oblectavit, & cum eis collocutus, ad satietatem consuetudine eorum usus est. Ubi verò longiori rursus somno, & obitu sancto in Christo obdormierunt, debito eos prosecu- 291 m. Lib. 14. c. 45.

Digitized by Google

secutus est honore, & præclaro ea de causâ triumpho acto, magnificèque rursus eis in antro, in quo dormierunt, repositis Constantipolim est reversus, & quæstio præterita sopita est.

292 Fuerunt præterea mirabiles multorum resurrectiones factæ Sanctorum precibus. Tres mortuos Christus Dominus suscitavit, ut legimus in Euangelio. De multis aliis legimus in historiis, & prope nostra tempora S. Franciscus Xaverius 25. mortuos ad vitam revocavit. Adde multa Sanctorum corpora luce cœlesti claruisse in signum claritatis, quam post resurrectionem habebunt. Imò multos Deus impassibiles reddit, & multis ignis nocere non potuit, in signum impassibilitatis futuræ post resurrectionem.

§. 13.

Exempla duodecimi art. Vitam æternam.

293 CUm [n] Tiburtius & Valerianus ad martyrium ducerentur, flebat præ compassione Maximus Præfecti cubicularius. Cui Tiburtius: Si non sciremus esse vitam æternam, præsentem non ita hilares despiceremus. Cui Maximus: Despicerem & ego, si certum esset, quod loqueris. Cui Valerianus: Si promittis te pœnitere, faciet te Deus certissimum de æterna vita in hora nostri martyrii. Promisit ille, & in illo vidit Maximus Angelos Dei fulgentissimos, & animas martyrum è corporibus egressas mira perfusas pulchritudine ad cœlum deducentes. Quò Maximus erectus Christum confessus pro illo libenter martyriū perpessus est.

n Sur. in eorum vita.

294 Quidam [o] nobilis miles oppidi sui dominus certa die facturus convivium invitaverat amicum, ut in illo adjuvaret: at cùm ante illam statutam diem moreretur, non desiit tamen convivio, in quo inservivit, ut promiserat. Illo finito, ait mortuus, tali die faciam & ego convivium, cui præsens eris. Cui vivus: Quomodo hæc erunt, si tu es mortuus. Cui mortuus: Dominica sequenti confitere peccata tua, & audi Missam, & mittam, qui te deducat ad locum mei convivii. Fecit vivus, & rediens ab Ecclesia invenit equum album benè paratum, quem ascendit, & præeuntibus duobus canibus nivei coloris, illum velocissimè perduxit per vastam solitudinem, in qua cellulam invenit Eremitæ, cui confessus aliqua leviora oblita, equum iterum conscendens brevì pervenit ad nobile palatium; & obvius defunctus ait illi: Serò nimis venis, sed adhuc superest ultimum edulium, quo vesci poteris. Ingressus palatium invenit innumerabilem multitudinem discumbentium, cùm autem vix gustasset ultimum edulium omni nectare suavius, ait illi defunctus: Finitum est convivium, redi in domum tuam. Ille autem rogabat, ut sibi liceret aliquātulum ibi commorari, sed coactus ascendit iterum equum, qui per eamdem viam illum deduxit, præviis duobus canibus, cellulam tamen non invenit, nec Eremitam, sed levia tantùm vestigia, perveniens autem ad oppidum suum notavit mirabilem mutationem circa arboreta, villas, & domos rurales: in domo verò sua invenit monasterium, & admiratus dixit Janitori se esse dominum illius oppidi, & illius domus. Concurrit populus, & venit Abbas, quem miles rogabat: quomodo tam brevi tempore domus ejus versa esset in monasterium? Abbas affirmabat monasterium ædificatum à ducentis annis, & ultrà; miles verò asserebat se eadem die è domo sua recessisse: quo audito, senex antiquissimus retulit se audivisse ab avo Patris sui olim ex illo loco discessisse dominum illius in equo albo duobus canibus albis præeuntibus, qui dixerat se statim reversurū, numquā tamen comparuisse, & re perpensa, inventum est fuisse absentem ultra 240. annos, quāvis ille crederet eadē die discessisse. Quo casu de vita æterna satis edocemur.

o Henric. Theotonic. d. 9. c. 64.

295 Simile [p] huic exemplum legimus de quodam devoto monacho, qui canēs in officio illud Davidis: *Mille anni ante oculos tuos tamquam dies hesterna, quæ præteriit.* A Deo petiit, ut ei ostenderet, quomodo id esse posset. Ecce apparet pulcherrima avicula tam suaviter cantans, ut sui oblitus eam secutus fuerit usque ad silvam, quæ non multum distabat à conventu, ibique fuit captus suavitate melodiæ, dum ipsa cantavit. Cùm autem evanuit domum reversus omnia ferè mutata reperit, neminem agnovit, nec ab aliquo cognitus; cùm instaret se esse monachum illius monasterii, qui horis matutinis discesserat causâ audiēdæ aviculæ, & revertere ad horam Tertiæ. Facta diligentia per libros, & Abbates, quos ille nominabat, inventum est ante annos 360. exiisse à choro, & toto illo tempore fuisse absorptum in dulcedine avi-

p Granetus. d. 9. c. 65.

aviculæ cantantis; quo satis intellexit quomodo mille anni in vita æterna videri possint dies, quæ jam præteriit.

SECTIO II.

Exempla circa orationem Dominicam.

296 ORationem Dominicam nobis à Christo Domino traditam ad orandum, & singulas petitiones in ea contentas declaravimus cap. 4. nunc ad ejus valorem cognoscendum, adducenda erunt aliqua probata exempla. Quidam [a] Episcopus vidit in somnis puerum supra puteum positum expiscantem cum hamo aureo, indeque extrahentem mulierem pulcherrimam. Inscius quid visio significaret, manè Ecclesiam ingressus invenit puerum genibus flexis orantem supra sepulturam, rogat eum, quid ibi faceret? respondet dicere orationem Dominicam pro anima matris suæ. Hinc intellexit bonus Episcopus per orationem illius pueri animam matris à Purgatorio fuisse liberam, orationem verò Dominicam, quam dicebat, fuisse hamum aureum, quo illam extrahebat. Unde agnovit talis orationis valorem.

a Crantzius d. 9 c. 153.

297 Tolossæ [b] vir quidam quamvis inimicitias foveret, à frequentandis templis, & solitis precationibus non cessabat, sed unam precationem Dominicam, cùm aliàs posset, septem circiter mensium spatio, recitare nullatenus poterat. Re autem cum sacerdote communicata, de ejus sententia convenit inimicum, ab eoque, à quo offensus fuerat, veniam postulat, factaque reconciliatione, ad orationem Dominicam dicendam, ad quam antea mutus erat, lingua soluta est. Quod satis monstratum est diligendos proximos tamquam ejusdem Dei Patris filios, & fratres nostros ab iis, qui hanc orationem debitè recitamus.

b Lit. annuæ anno 1584.

§. 1.

Ad illa verba: Qui es in cœlis.

298 HAEc verba denotant præsentiam Dei, qui ubique præsens est, licèt in cœlis regnet cum suis electis; quæ Dei præsentia nos in officio continere debet. Ad S. Ephrem, [c] quem nemo unquam vidit iratum, accessit meretrix, quæ eum ad turpem coitum, vel saltem ad indignationem pertrahere conabatur. Qui dixit ad illam, sequere me. Cùm autem appropinquasset ad locum magnæ civitatis turba frequentem, ait ad illam. In isto loco faciamus, ut cupis. Illa verò quomodo, inquit, poterimus istud hìc agere in tanta hominum præsentia? nonne nos pudebit? Ad quam Ephrem, si homines erubescis, quantò magis oportet erubescere Deum abscondita tenebrarum videntem, & redarguentem? Quæ confusa abiit re infecta nihil cum illo perficere valens, nec ad iram concitare.

c Metaphr. in ejus vita.

299 Simili [d] modo Paphnutius Abbas Thaidem celeberrimam meretricem ad pœnitentiam traxit. Fingens enim se velle cum illa peccare, rogabat, an aliquis posset eos videre? Cùm illa responderet, à solo Deo, qui omnia videt, ibi videri posse. Ergo, inquit Abbas, credis Deum nihil latere, & coram ipso peccare audes? subiit Thaidis animum verbum Abbatis, obortisque lacrymis illico ad pœnitentiam ducitur, & cellula inclusa pane, & aqua sustentatur, Deique nomen proferre non audens in hunc modum orabat: *Qui plasmasti me, miserere mei.* In hac vita triennium ducente, Paulus magni Antonii discipulus videt parari in cœlo cubile gemmis, & auro fulgens, cùmque rogasset an pararetur Antonio Patri suo? audivit non Antonio, sed Thaidi meretrici. Educta ergo de cellulæ carcere decimoquinto die migravit ad Dominum.

d Marul. lib. 4. c. 10.

§. 2.

Ad primam petitionem. Sanctificetur nomen tuum.

QUidam [e] bonus Parochus valde zelosus de bono spirituali ovium suarum, exemplo vitæ suæ, doctrina, & solicitudine satagens, ut sanctum Dei nomen sanctificaretur, ac laudaretur, omnes curabat in viam salutis promovere, omnibus omnia factus exhortabatur frequenter ad benè vivendum, docebat mysteria fidei diligentissimè, nullique obligationi sui officii deerat. Hic plenus dierum & meritorum ad mortem veniens illam habuit non solùm felicissimam, sed ut pateret quàm Deo placuisset, via, qua ejus anima ad cœlum vehebatur, luce & claritate eximia splenduit à lecto suo usque in cœlum, à multis visa in præmium lucis, qua ipse præluxerat exem- 300

e Cantip.

Digitized by Google

exemplo, ac doctrina salutari.

[f] Cæsar. lib. 5. 301 Fuit [f] alter exemplo destitutus, & vitę sensualis, officiique sui tam oblitus, ut cùm esset in ludo vocatus ad confessionem mulieris infirmæ, responderit, se iterum, ludo finito, & cùm ille, qui vocabat, fleret dicens matrem suam esse in extremis, verbis malè tractatus recessit, ille verò non ivit, nisi ludo finito, quando mulier mortua jam erat sine sacramentis. Incidit hic indignus sacerdos in morbum, & simul in desperationem: videns autem consanguinea, quæ ei assistebat statum infirmi, rogabat eum, ut veniam suorum peccatorum à Deo peteret, utereturque mediis ad salutem. Ille verò nihil aliud respondit, nisi tot circa se esse dæmones, quot erant grana in horreo. Et hæc dicens mortis agonem ingressus, animam tradidit in manus eorum. Justum fuit Dei judicium, ut tali morte moreretur, qui vivendo nomen Dei non sanctificavit, nec curavit, ut sanctificaretur ab illis, qui suæ curæ commissi fuerant.

§. 3.

Ad secundam petitionem: Adveniat regnum tuum.

302 [g] Sur. in ejus vita. Sanctus [g] Nicolaus Tolentinas nihil aliud optabat, quàm dissolvi, & esse cum Christo in regno suo, idque sæpissimè precabatur repetendo verba illa: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Unde totis sex ante obitum mensibus, paulò ante nocturnas preces, singulis noctibus suavissimum Angelorum concentum audivit, ut jam quasi prægustaret regni Dei dulcedinem. Instante verò morte voces fundere cœpit lætantis, ac gestientis. Cujus causam fratres pręsentes cùm quærerent? ille respondit: Dominus meus Jesus, ejusque Mater sanctissima, & P. Augustinus me invitant, ut intrem in gaudium Domini mei, cujus regnum semper desideravi, & à Christo edoctus semper precatus sum.

[h] Granetus. 303 Quidam [h] miles appetens valde regnum illud beatum, in quo Christus regnat cum suis electis, visitando sancta loca, perveniens ad illum unde Christus ad cœlum ascenderat, tam vehementi amore, ac desiderio incensus à Domino petiit, ut carne exutus sibi liceret ex eodem loco regnum cœleste intrare, ut, ibi anima ejus præ amore soluta, cœlum inde ascendere meritus sit; stupefacti præ novitate socii putantes deliquium, vocant medicum, qui re benè inspecta affirmavit hominem verè mortuum, non ex infirmitate, sed ex vi amoris.

§. 4.

Ad tertiam petitionem: Fiat voluntas tua.

Monachus [i] quidam tanta edebat miracula, ut tactis solùm ejus vestibus, aut cingulo infirmi sanarentur. Videns autem Abbas nihil in ipso fuisse speciale virtutis, rogat ab illo causam, ob quam Deus per ipsum tot miracula operaretur. Ille respondet se id nescire. Quia, inquit, ego nihil facio, quod alii non faciant. Quod de me dicere possum, unum tantùm est, neque res prosperas me extollere, neque adversas deprimere: nihil enim, quod contingat, me perturbat, quia omnia pono in Dei manibus, & omnia veneror tamquam ab eo volita, nihil aliud volens, quàm quod ipse vult. Cognovit ergo Abbas hanc unam fuisse virtutem miraculorum operativam, nempe perfectam conformitatem cum Dei voluntate, quam petimus cùm dicimus: *Fiat voluntas tua.* 304. [i] Cæsar. lib. 10. c. 6.

305 Fuit [l] quidam vir agricola, cujus agri, atque vineæ abundantes semper reddebant fructus. Rogatus hic à vicinis, qui agros, & vineas conterminas habebant, unde hoc proveniret? Respondit vir probus, id mirandum non fuisse. Quia, inquit, semper habeo tempora tam accommodata, ut meliora desiderare non possim. Rogatus deinde quomodo id verum esse potuerit, si tempora commoda, & incommoda suis etiam agris erant communia? Respondit se nunquam voluisse, nec velle alia tempora, quàm ea, quæ Deus volebat, ideoque semper se habere tempora juxta suam voluntatem, quia semper volebat, ut Dei voluntas fieret, & impleretur. [l] In vit. PP.

§. 5.

Ad quartam petitionem: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Sanctus [m] Paulus Eremitarum primus, cùm viveret in antro vastæ solitudinis ab omni hominum commer- 306 [m] Hieron. in vita Pauli.

cio

cio alienus, per sexaginta annos à corvo dimidiatum panem afferente pastus est, Deo ita ordinante, cujus est panem quotidianum suppeditare. Ut autem certior ejus providentia eluceret, superveniente semel S. Antonio novo hospite, corvus integrum panem traxit. Paulus tunc cum gratiarum actione, eja, inquit, Dominus nobis prandium mittit verè pius, & misericors. Sexaginta jam anni sunt, cùm accipio quotidie dimidii panis fragmentum, nunc ad adventum tuum militibus suis Christus duplicavit annonam.

n D.Greg. lib.2.dial. c.21.

307 Tempore sancti Benedicti [n] fame extraordinaria grassante, cùm omnia, quæ erant in monasterio, consumpta fuissent, ad horam refectionis quinque tantùm panes inveniri potuerunt. Cùm verò sanctus Pater monachos subtristes animadverteret, eorum pusillanimitatem modesta correptione correxit, ac spe concepta sublevavit dicens: Quare panis inopia vester animus contristatur? hodie quidem deest, sed die crastina abundanter Dominus suppeditabit: sequenti verò die ducenti farinæ modii ante fores monasterii in saccis inventi sunt, quin sciretur à quibus fuerint deportati. Quod à monachis visum, & cognitum fuit. Unde gratias Domino referentes didicerunt panem à Deo expectare, qui præcepit illum à cœlesti Patre postulare, dicendo: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

o Sophr. in prato spirituali.

308 Vixit [o] Constantinopoli vir nobilis, & valde locuples, misericordiis pauperum affectus. Hic unico filio ait: Elige, fili mi, vel esse hæredem omnium meorum bonorum, vel habere Christum pro tuo tutore, & curatore? Eligente bono filio hoc secundum, cœpit Pater ita abundanter pauperibus bona sua distribuere, ut nihil post ejus mortem superfuerit Filio, qui licèt se pauperem videret, & humiliatum, spem firmam in suo tutore Christo collocabat. Erant in eadem urbe duo nobiles, & multùm divites conjuges unicam habentes filiam multorum bonorum hæredem, cùm autem agerent de illa maritanda, dixit mater ad virum suum: Domine mi, filia nostra habet tanta bona, ut aliis non egeat: si ei damus maritum æquè divitem, eam forsan nec amabit, nec æstimabit: quæramus illi virum nobilem, & bonum, licèt pauperem, à quo & ametur, & æstimetur. Placuit Patri consilium, & à Deo motus ait uxori suæ: Vade ad Ecclesiam, & pete à Deo maritum, qualem optamus filiæ nostræ, & crede primum, quem videris intrare Ecclesiam, esse quem Deus elegit in generum nostrum. Fecit bona mulier juxta viri sui mandatum. Primus autem, qui Ecclesiam intravit, fuit nobilis adolescens, de quo suprà, quem mulier vocatum rogat: Quisnam, atque unde sit? Cùm verò agnosceret filium relati nobilis viri, & audiret ab eo, quòd inter ipsum, & patrem transactum fuerat, ideoque nihil habere divitiarum, præter Christum curatorem, ait illi: Scito, fili mi, quòd curator tuus tibi procuravit & uxorem, & divitias, quibus fruaris in Dei timore, & servitio; & ducens illum domum suam, tradidit ei filiam in uxorem, & tantas divitias, ut superaverint illas multas, quas multas, ex Patre suo habere potuerat; cujus ille vestigia, & exempla secutus expertus est illud Davidicum: [p] *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* p Ps. 36.

§. 6.

Ad quintam petitionem: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Monachus, [q] qui negligentissimè, & per summum otium vitam egerat, morti vicinus, cùm jam ultimum spiritum duceret, mortem nequaquam perhorrescens summa cum voluntate, & gratiarum actione moriebatur. Ad quem adstantium Patrum unus, frater, inquit, persuasum tibi habeto vidisse nos summa negligentia, animique remissione vixisse te ad hoc usque tempus: unde ergo nunc tanta tibi fiducia? Ad quem infirmus. Ita omninò est, Patres, sed Angeli Dei hac ipsa hora peccatorum meorum ad me chirographum attulerunt, cùmque legissent peccata, quæ in Religione commiseram, rogaverunt an agnoscerem? quibus ego respondi agnoscere quidem, sed neminem me unquam judicasse, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse voluisse. Igitur dixi illis: Verba Domini ad me pertinere volo, & oro. Qui dixit: [r] *Nolite judicare, & non judicabimini: dimittite, & dimittetur vobis.* Quæ postquam audierunt,

309 q Baron. tom. 8. ad annū 599.

r Match. 7. 1.

runt, chirographum peccatorum meorum consciderunt. Unde summa cum lætitia, & securitate proficiscor ad Dominum, & his vix dictis, in Domino mortuus est.

f Baculum Past.

310 Homo f quidam occidit fratrem nobilis civis, cùm verò effugere nô posset manus ejus ipsum quærentis ad vindictam, crimen suum confessus sponte se illi præsentavit die Veneris sancto, & provolutus ad pedes ejus, fune è collo suspenso, veniam rogat propter Dominum Jesum Christum, qui eo die passus fuerat pro nobis. Compunctus civis ille, pro Christi amore vitam roganti concessit, eumque amplexatus est, ac osculatus. Sequenti nocte Christus in visione apparens ait ei: Quia heri amore mei condonasti inimico tuo, noveris me animam fratris tui occisi hac hora è purgatorio liberasse, & insuper animam Patris tui prius mortui ex eadem pœna eximisse, amboſque mecum duxisse in cœlestem gloriam; teque in eandem invito ad octavumdiem. Ita factum; nam octavo pòst die benè præparatus in Domino sanctè requievit.

t M. Avila epist. 2.

311 Elisabeth t Hungariæ Regis filia semel Dominum oravit, ut singulos, qui eam injuria affecissent, afficeret singulari aliquo beneficio, ut injuriæ beneficium responderet: divinitus ad eam responsum factum est, nunquam orationibus suis sic Deo placuisse, ac tunc; pro eaque oratione universorum peccatorum ei remissionem concedi. Alia duo exempla habes in hac materia l. 13. c. 9.

§. 7.

Ad 6. Petitionem: Et ne nos inducas in tentationem.

312

u S. Ephrê. Syr. inej. s vita.

CUm u B. Abrahamus variis tétationibus impeteretur, ut viam perfectionis desereret, & nihil prævalerent; media in nocte, cùm horas persolveret, lux eximia in cella ejus refulsit, & vox audita, quæ ipsum super omnes laudabat: dignoscens vir Dei dolum inimici, elevans vocem ait: Homo sum peccator & miser, sed quia in Deum meum spero; te, tuasque insidias non pertimesco, siquidem pro muro tutissimo mihi est nomen Domini Jesu Christi. Quæ cùm diabolus audisset, disparuit tamquam fumus, & lux ejus evanuit. Cùm verò altera die psalleret horas, stora, super quam pedes habebat, cœpit vehementi flamma comburi; ipse verò ignem pedibus calcans, intrepidus ait: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*; omnemque potentiam inimici in nomine Domini mihi auxiliantis superabo. Quibus dictis dæmon aufugit, & flamma succensa disparuit.

x Sur. in ejus vita.

313 Cùm x B. Vincentius Ferr. Dei Matrem obsecraret, ut virginitatem ejus custodiret illæsam, audit vocem: Non omnes possumus esse virgines. Qua audita vir Dei ab ipsa Virgine cum lacrymis petit, ut ostendat quid significent verba illa terrifica. Cui Dei Mater visibiliter apparens, postquam eum est consolata, declaravit verba audita fuisse diaboli, qui ei proponebat bonorum operum difficultatem. Tu verò, inqnit, ne diffidas, sed spera semper in Domino, quia ipse erit clypeus tuus, & in illo superabis omnes inimici tentationes.

§. 8.

Ad 7. Petitionem: Sed libera nos à malo.

314

z In ejus vita 2[?]. septemb.

DEperibat z quidam virginem Justinam, quam cùm flectere non posset, rogavit Cyprianum magum, pretium pollicendo, ut arte sua dæmones invocaret, qui eam ad amorem suum excitarent. Dæmones verò semel, bis, & tertiò ad Virginem venientes, nihil contra illam valuerunt. Quod admiratus Cyprianus dixit diabolo: Quare non prævaluistis contra virginem Justinam? Cui diabolus: Vidimus signum crucifixi, & extimuimus. Tunc Cyprianus: Ergo crucifixus major est vobis? Respondet diabolus: Ita quidem nobis & omnibus major est. Quod audiens Cyprianus diaboli potentiam contempsit, in Christum credidit, & baptizatus, martyrium pro illo libenter unà cum Justina passus est.

z In ejus vita a; u 1 Sur. to. 6.

315 Videns z S. Columbanus in vasta solitudine duodecim lupos in se irruentes, & dextera, lævaque ipsum medium cingere. In Deo cnnfidens immotus hæret, dicens: *Deus in adjutorium meum intende &c.* Accedunt lupi propiùs, oraque sua ad ejus vestimenta adjungunt, cùm verò ille constans permaneret, imperterritum relinquunt, & per saltum pervagantur. Quasi dæmones, qui ad tentandum sanctum Virum pellem induerunt lupinam, invocato Dei nomine, furorem vel inviti deposuerint.

SE-

SECTIO III.

Exempla circa salutationem Angelicam.

316 CAp. 5. declaravimus salutationem Angelicam, Rosarium Virginis, & Coronam, quæ ex ea sæpius repetita componitur. Nunc adducenda sunt aliqua ex multis exemplis, quibus sanctissima Dei Mater hæc omnia comprobavit ad ostendendum quàm sibi grata sit eorum devotio.

§. 1.

Exempla Salutationis Angelicæ.

317 DE B. [a] Metilde scribitur, quòd cùm quadam die flagraret vehementi desiderio salutandi Dei Matrem salutatione solita, quæ ei maximè placeret; rapta in spiritu vidit cœli Reginam, in cujus pectore insculpta erat litteris aureis salutatio Angelica, quæ eam allocuta ait: Non est possibilis dignior salutatio, nec alia quæ mihi magis placeat. Hac enim me salutavit æternus Pater, confirmando me, ut nunquam laberer in peccatum. Filius Dei sapienter me sic illustravit, ut totius mundi essem stella fulgentissima. Spiritus sanctus me tanta implevit gratia, meque sibi tam gratiosam fecit, ut omnes, qui per me gratiam quærunt, abundanter inveniant. Id significat, *Gratia plena*. Quando verò dicitur: *Dominus tecum*. Memoriæ meæ objicitur opus illud ineffabile super omnia divinæ potentiæ, quando Dei Filius carne se mea induit. Gaudium, lætitiam, & dulcedinem, quam ego in illa hora concepi, nullus mortalium declarare sufficit. Verba illa: *Benedicta tu in mulieribus*. Innuunt mihi, quomodo omnes creaturæ me agnoscant beatiorem, & feliciorem omnibus, quas omnipotens creavit. In illis: *Benedictus fructus ventris tui*. Laudatur, & glorificatur fructus benedictus ventris mei, qui mundum totum vivificavit, sanctificavit, & benedixit. Quibus dictis Virgo mater disparuit. Et Metildes agnovit nihil B. Virgini esse hac salutatione gratiosius.

a In ejus vita.

318 Cùm diabolus virginem Euphemiam de Religioso statu cogitantem variis tentationibus ab eo divertere conaretur, & non posset; illam ex fenestra cubiculi, in quo Virgo erat, sævissimè præcipitare tentat. Territa Euphemia pronuntiat salutationem Angelicam; qua audita diabolus Virginem è manibus dimittit, dicens: Si te ad monasterium contuleris, ero tibi semper infessus; & nunc quidem sine dubio periissem, nisi mulierem illam mihi inimicissimam invocasses, quæ mea frangit consilia, & infirmat potentiam.

b Cæsar. lib. 5. c. 44.

319 Fuit [c] vir quidam suæ salutis valde immemor, qui post innumera scelera latronum dux factus habitabat in castello in montibus constituto; unde ad deprædandum, & occidendum, & similia patranda cum suis exibat, id solum boni habens, quod singulis diebus dicebat salutationem Angelicam. Duravit in hoc officio per annos 14. in cujus initio venit ad ipsum adolescens aptus ad similia ministeria, quem ipse libenter in famulum accepit. Quadam autem die captus fuit à cōmilitonibus vir quidam religiosus & sanctus, à quibus ipsum spoliare volentibus petiit, ut deduceretur ad eorum ducem, cum quo habebat negotium grave ei valde conducens. Delatus in castellum ait, oportere alloqui omnes illius societatis homines. Qui jussu ducis conveniunt. Vir tamen sanctus ait adhuc aliquem deesse. Respondet dux solùm deesse famulum, qui equos curabat. Qui vocatus comparere recusabat, trahitur tamen invitus, & multum renitens. Cui vir sanctus mandat ex parte Dei, ut aperiat quis esset, & quid intenderet. Ille Dei potentia constrictus fatetur publicè se esse diabolum, qui per 14. annos erat in illo castello expectans, si fortè dux ille aliquo die non recitasset salutationem Angelicam, ut eum occideret, & in infernum detruderet; iisque dictis disparuit cum adstantium admiratione, & pavore. Dux verò considerans Dei, ejusque Matris circa beneficium, vitam emendavit, ac pœnitentiam egit.

c S. Vicēt. Fer. ser. ... rogat.

320 Quidam [d] magnus peccator salutis suæ immemor, nihil boni exercens, præter salutationem Angelicam, quam singulis diebus recitabat, mortuus est sine confessione. Subitò accurrunt dæmones, ut animam tamquam sibi debitam in inferno sepeliant, quibus occurrens sanctus Angelus jubet, ut desistant, veniantque ad judicium. Ita factum. Ponunt dæmones in bilance

d S. Vicēt. Fer. ser. de nuptiis.

by Google

ce omnia ejus peccata, quæ subitò immum petiit, quo valde lætati sunt. At Virgo sanctissima ponit ex altera parte salutationes Angelicas, quas in ejus honorem recitaverat, & impetravit à judice, ut anima illa ad corpus rediret, ut confiteretur. Ita factum. Revixit homo, & facta confessione, & susceptis aliis sacramentis, iterum in Domino mortuus est, & salvatus.

e Cantip. lib. 2.

321 Miles [e] quidam veteranus intravit ordinem Cistertiensem. Hic erat ingenii tam rudis, ut numquam potuerit addiscere orationem Dominicam, nec salutationem Angelicam, nec jam in monasterio potuit aliud capere, quàm illa priora verba: *Ave Maria, gratia plena*. Quo viso mandat ei Magister novitiorum, ut ea saltem verba cogitet & continuò repetat. Obedivit novitius, & cum tanta delectatione verba illa repetebat, ut ab illis repetendis non cessaret, unde erat in continua salutatione B. Virginis. Post aliquot annos mortuus, inter alios sepultus est. Intra paucos dies nascitur super caput ejus arbor pulcherrima, in cujus foliis erant scripta verba illa: *Ave Maria, gratia plena*. Pervulgato miraculo venit loci Episcopus ad videndum, apertaque de mandato illius sepultura, inveniunt arborem illam miraculosam habuisse radices in ore illius Religiosi. Unde gratiis Deo actis cognoverunt omnes, quàm grata sit Matri Dei salutatio ista, siquidem sic honoravit rusticum monachum eam etiam imperfectè salutantem.

f Cæsar li. 12. c. 50.

322 Coloniæ [f] fuit vir quidam, qui continuò salutabat Dei Matrem hac sua salutatione. Fuit autem tam gratum Virgini hoc pium exercitium, ut post ejus mortem apparuerit vir ille veste fulgentissima indutus, in qua per omnes ejus partes erat intertextus versus ille: *Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum*. Ut daretur intelligi se in omnibus locis, & occasionibus nunquam cessasse à Virgine Dei Matre hac sibi gratissima salutatione honoranda, & invocanda.

g Rebel. dial. 3.

323 Quidam Miles, qui nihil aliud sciebat, præter orationem Dominicam, & Angelicam salutationem, factus Religiosus toto tempore, quo vacabat ab operibus obedientiæ, illas, qua poterat devotione, recitabat. Hic desperans de majori scientia orandi, decrevit deserere Religionem, in qua sibi videbatur non proficere. Ecce nocte, qua exire volebat, apparet ei Virgo sanctissima induta veste ditissima variegata litteris aureis continentibus verba hæc: *Ave Maria*. Et ait: Fili mi, hanc mihi pretiosam vestem incepisti, quæ adhuc est imperfecta. Persiste in Religione, ut eam perficias, & in hora mortis tuæ ego pretium laboris persolvam deducendo te in paradisum.

324 Quidam [h] devotus Virginis illam continuò salutabat his verbis: *Ave Maria*. Ita ut hæc una videretur ejus occupatio. Hic à latronibus captus, & occisus prope viam sepultus est posito baculo ejus ad caput in signum. Post dies paucos egit baculus radices, & excrevit in proceram arborem, in cujus foliis legebatur: *Ave Maria*. Admiratus sacerdos, qui fortè præteribat, novitatem, agnovit illius causam, faciensque aperire sepulturam, inventum est corpus integrum, ex cujus ore arbor illa germinabat. Unde conjectarunt hominem ibi sepultum non potuisse non fuisse Virginis sanctissimæ devotissimum.

h Rebel. dialog. 4.

325 Pro cujus devotione commendanda satis sit, quod evenit non multos ante annos Venetiis [i] Joanni Antonio, qui satis licentiosè vivens, specialiter tamen affectus, & devotus Virgini incidit in gravissimam infirmitatem, in qua cùm doloribus vexaretur, visus sibi est deduci ante Christi tribunal, ubi dæmones omnia sua peccata objicientes expostulabant animam, in quam jus habebant. Obmutuit Joannes non habens quid responderet, maximè videns Judicem sibi iratum, sententiam æternæ damnationis contra ipsum fulminantem: non tamen diffisus lacrymis profusis, & dolore afflictus cœpit rogare Judicem, ut secum misericordia uteretur, vitam concedendo, ut posset agere pœnitentiam. Quo tempore ab illa ecstasi, in qua erat, quasi à gravi somno excitatus pavore, ac tremore plenus confugit ad B. Virginem promittens se domum ejus Lauretanam aditurum, si à Filio impetret tempus pœnitentiæ. Vix votum emiserat, cùm ei se visibilem præbet Dei Mater Angelicis choris circumdata, quam ut vidit, ut potuit, genibus flexis adoravit, eamque lacrymis obortis rogat, ut à Filio impetret suæ petitionis effectum.

i In doctr. Bellar.

Tunc

Tunc virgo sanctissima Mater Domini solita sua pietate, ac misericordia permota eum consolans confortat, certumque reddit de concessione petitionis ob ipsius intercessionem, aitque se tunc non moriturum, oportereque se vitam emendare; quod promittens clamat ad omnes domesticos, ut Matrem Dei adoraturi accurrant. Occurrunt omnes, vident splendorem insolitum, Virginemque jam ad cœlos redeuntem. Brevi autem tempore sanus Joannes domum Lauretanam adit, ibique confessus fatetur Virginem, quam hactenus non viderat, fuisse, quæ sibi apparuerat. Et vitam posteà emendavit.

§. 2.

Circa Rosarii devotionem varia exempla.

326 CAp. præcedente sect. 2. dictum est, quid sit Rosarium Virginis, quomodo cum majori devotione, & fructu dicendum sit. Nunc exempla adducenda sunt, quibus appareat, quàm grata sit B. Virgini hæc ipsius Rosarii devotio. Anno enim [l] 1472. senescente Rosarii devotione, Coloniæ PP. Dominicani, jubente Deipara, renovandam curabant. Procedente jam benè re tam sancta, duo Prædicatores illius urbis se opposuerunt; cùm verò eloquentia clarerent, ad eorum conciones totus populus confluebat; & cùm multa dicerent contra Rosarium, ejus devotionem impediebant. Cùm autem eorum alter divideret paucos adhuc Rosarii sancti tenaces, indixit concionem in proximam Dominicam, promittens ostensurum se quàm futilis, & inanis devotio esset. Advenerat Dominica, & populus templum compleverat, cùm verò concionis tempore concionator non appareret, quæsitus à suis, inventus est mortuus; cùm enim nocte proxima sanus decubuisset concionem manè habiturus, justo Dei judicio repente mortuus fuit. Alter concionator Rosarii osor id naturaliter evenisse credens, in eumdem finem populum ad concionem invitat, dumque suggestum ascendit, tota urbe inspectante, paralysi repentina correptus in terram subitò concidit sine voce, ac mutus omninò: cùm igitur agnosceret se meritas pœnas dare, cœli Dominam, cùm voce non posset, corde compellat linguæ usum postulans, qua ejus Rosarium laudare, ac prædicare posset, quod furiis exagitatus impugnaverat. Vix sponsionem, votumque fecerat, cùm vox illi, linguaque redditur, & valitudo pristina reparatur. Unde ad suggestum lætus ascendens in illa maxima populi frequentia Rosarii laudes, & fructus suavissimè, & verissimè prosecutus est.

l Ioan. Lopez l. de Rosario.

327 Cùm [m] filia Japponis Christiani conjux gentilis gravi morbo corriperetur, videbatur à dæmone potius correpta, quàm ægrota. Occurrunt Bonzii, qui superstitionibus suis nihil proficiunt. Vocatur Pater ejus, qui solus Christianus erat, & pius, qui illico mandat submoveri Bonzios, aliosque Ethnicos lectum stipantes: ipse verò dicto ter *Pater*, & *Ave*, & accepto Rosario, quod gerebat, fœmina horribiliores gestus, quàm prius, edit, ita ut à multis teneri vix posset. Pater redit ad præsidium Virginis, & Rosarii, eoque verberat tergum filiæ, dicens: Tu videre mihi dæmon: recede ergo ab hoc corpore. Respondet dæmon: Non recedam. Pater verò Rosarium ad collum ligat, dicens velis, nolis recedes. Tunc dæmon: Tollite, inquit, Rosarium, quia mihi collum abscindit, & tunc recedam. Minimè tollam, ait pater, sed ejus virtute invitus recedes. Ita factum, evanuit inimicus; & mulier ab eo libera integram recipit sanitatem cum admiratione gentilium.

m Littera. Iappon.

328 Blanca [n] Regina rogavit sanctum Dominicum, ut suis orationibus à Deo sibi filium impetraret. Recita, inquit sanctus Pater Rosarium B. Virginis, & compara Rosaria multa, & distribue volentibus recitare. Et si hoc feceris, Dominus per Virginis preces dabit tibi filium sibi charum, virumque sanctum. Fecit devota Regina, & tempore statuto peperit filium, qui fuit sanctus Ludovicus Rex Galliæ, qui tot sanctitatis Ecclesiæ præbuit documenta.

n Alanus, lib. de Rosario.

329 Vir quidam [o] nobilis multas divitias reliquit filio, qui eas magna ex parte consumpsit vivendo perditè, licèt non luxuriosè. Videns ejus Patruus vitam dissolutam nepotis, suadet ei, ut per integrum annum dicat tertiam partem Rosarii, quod adolescens invitus fecit. In fine anni rogat Patruus quomodo se habeat? Respondet benè, & aliqualiter emendatum. Suadet, ut sequenti anno duas dicat partes Rosarii.

o Speculum d. 5.

Fa-

Facit, & in fine ait Patruo se jam ex toto decrevisse vitam mutare, & Deo vacare. Lætus Patruus suadet, ut anno sequenti dicat totum Rosarium, ut vita ex toto mutata ei uxorem dignam quærat. Uterque præstitit, quod promiserat. Cùm autem nuptiarum die adolescens cum cognatis, & amicis mensæ accumberet, recordatus est non dixisse ea die Rosarium; & fingens negotium, quoddam secretum cubile ingressus dicit Rosarium: illo finito videt Virginem sanctissimam pulcherrimam solis instar, quæ ei afferebat pretiosam vestem, in qua intertexta videbantur hæc verba: *Ave Maria*; quam ei dedit in præmium Rosarii, addens subitò se febri correptum iri, & intra tres dies in cœlum evehendum, quibus dictis disparuit. Adolescens verò ad mensam rediens ait invitatis: Comedite amici, nam ego malè habeo, & hic persistere non possum. Et lecto decumbens vocat Patruum, sponsam, & amicos, narrat eis visionem, & tertia die moritur.

p Albert. Castel-Ian. mirac. 10.

330 Tolossæ [p] fuit vir quidam nobilis nomine Marcus Antonius, quem magnum peccatorem appellabant, vitæ tam deperditæ, ut ad confessionem per annos multos non accesserit, numquam tamen omisit Rosarium. Volens autem Deus illum per Virginis intercessionem ad viam salutis reducere, ostendit ei horribilem visionem; vidit enim infernum, variaque tormenta parata damnatis maximè verò illis, qui confessionem fugiebant, quorum rigorem ipse ex parte sibi visus est experiri. Cùm autem valde afflictus esset, apparet ei Dei Mater dicens: Antoni, quia meum Rosarium dicis, volo te ab his pœnis liberare: vade ad servum meum Dominicum, & confitere illi peccata tua, narraque ei, quæ vidisti. Fecit ille, & vitam emendavit, factusque dux contra hereticos Virginis Rosarium depinxit in suis vexillis, & multa prælia aggressus, victor semper evasit. [q] Vir unus nobilis, sed pauperrimus de sua paupertate maximè tristabatur, cui diabolus apparens promittit se eum divitem facturum, si Deum abneget, & baptismum, fiatque sibi vassalus perpetuus per scripturam suo sanguine exaratam. Facit miser quidquid diabolus petit, ille verò thesaurum docet, quo lautè deinde vixit: audiens autem concionem de Rosarii excellentiis, & emolumentis, se confratrem illius adscri-

q Alan. de Rosar. ☙ Reb. dial. 7.

psit, illudque diebus singulis recitabat. Diabolus verò illi illudens sæpè ei dicebat, nihil sibi profuturum. Homo autem facti sui pertæsus, & valde contritus Ecclesiam ingressus ante Virginis aram lacrymis profusis cœpit orare Dei Matrem, ut sibi opitularetur; promittens se inde non recessurum, donec intelligeret sibi peccatum dimissum; id autem tunc se intellecturum, quando ad manus ejus rediret scriptura illa, quam diabolo tradiderat. Ecce perseveranti in oratione, & flectu è manu Virginis cadit scriptura, quam petebat; accipit illam, & recognoscit eandem; qua fuit tanta lætitia spirituali delibutus, ut illicò omnia peccata sua confessus perseveraverit in Dei Matris devotione, donec in Dei servitio mortuus fuit.

331 Nobilis [r] Virgo virginitatē amittens concepit, & peperit. Ut verò infamiam occultaret, filium occidit, & sepelivit. Cùm verò audisset devotos Rosarii in suis tribulationibus à Dei Matre adjuvari, fecit se Rosarii consororem, illudque recitabat quotidie. Volens autem pius Dominus manifestare gloriam Rosarii Matris suæ, permisit ut tam enorme crimen manifestaretur, & castigaretur. Igitur Mater juxta leges Hungariæ, ubi crimen fuit commissum, damnata fuit, ut viva sepeliretur. Post multas verò horas ab imo sepulturæ vox auditur. Educite me hinc, quia adhuc vivo. Excavantes autem, eam inveniunt vivam, & sanam; rogantque quomodo vivat? Resp. Quia devota fuerat Matris Dei, & Rosarii ipsius, & non integrè confessa fuerat, Virginem ei demonstrasse pœnas, quas in inferno patiebantur, qui ex hac vita malè confessi decedebant, & mortem impedivisse, ut confiteri posset. Unde benè confessa, donata sibi vita, diu vixit in servitio Dei, Matris ejus, & sanctissimi Rosarii. Cujus quoad vixit, non solùm devotissima fuit, sed suo modo perpetua buccinatrix, ac commendatrix, quam omnes audiebant, & admirabantur redivivam.

r Rebel. dial. 9.

332 Vir [s] quidam illustrissimus sancti Dominici consanguineus vitæ tam deperditæ, ut de salute sua jam omninò desperaverit. Voluit hic semel audire sanctum prædicantem, ut experiretur, an essent vera, quæ de illo dicebantur. Intrante autem Ecclesiam cum famulorum turba, revelatum est Dominico, qui tunc prædicabat, hominem à tot

s Rebel. dial. 10.

dæmoniis concatenatum trahi, quot erant peccata ejus. Oravit pro illo Dominum, & concionem prosequens multa dixit de periculo eorum, qui erant in peccato: quamvis autem peccatori metum incusserit, non tamen pœnitentiam persuasit. Ingreditur die altera Ecclesiam, dum iterum prædicaret cum Rosario in manu, & cognoscens hominis obstinationem, orat Dominum voce alta, ut omnes, qui aderant, viderent periculum peccatoris ingredientis. Ecce omnes adstantes vident dæmones multos trahentes hominem catenis ligatum. Quo viso totus populus cœpit perturbari, & fugere, sicut & ipsius famuli, ipsa etiam uxor, quæ aderat, illiusque fœminæ vociferantes fugiebant. Homo attonitus rogat famulum fugientem, cur ille, & reliqui ab illo fugiant? Respondet: Quia tu homo non es, sed aliqua ex furiis infernalibus, quem infiniti dæmones concatenatum trahunt. Sanctus Dominicus, qui hominis salutem sitiebat, ut populum sedaret, misit illi per socium Rosarium, qui diceret: Accipe Rosarium Virginis, recita illud, & confitere peccata tua, antequam te infernus absorbeat. Accipiens Rosarium totus turbatus respondet: Dic servo Dei magni me facere Rosarium, supposito autem quòd ille melius me videt, perditionemque meam, ro me juvare dignetur. Acceptum verò Rosarium coram Deipara dixit, ut potuit, & confessus est cum sancto Patre, qui Virginem deprecans, ut animam illam illuminaret, audivit Virginem sibi dicentem: Fac, ut singulis diebus dicat Rosarium in pœnitentiam suorum peccatorum. Hoc autem facto ad suam antiquam formam remeavit, & dæmonibus fugatis, visus fuit à populo Angelis stipatus.

t Granat. d. 9. c. 118. Rebel. dialog. 13.

333 Virgo t quædam paupercula pascebat oves patris sui: erat autem romitorium Matris Dei, in quo per multos annos perseverabat dicens in eo Rosarium cum devotione, dum pecora locum dabant. Die antecedente ejus mortem duo fratres Dominicani transeuntes per illum locum, ibi quieverunt, cùm verò alter somno corriperetur, alter oraret; vidit Virginum processionem, quæ comitabantur Reginam admirabilis pulchritudinis, & majestatis. Quærens autem quænam esset, audivit esse Reginam cœli, quæ properabat ad invisendam servam suam morti vicinam, à qua insigne obsequium acceperat, recitando per multos annos quotidie Rosarium. Quo audito excitat socium, qui in somno idem viderat, & remeant ad locum proximum, ut viderent illam Virginis servam; inveniunt autem tugurium ex paleis, & ramis, & infirmam decumbentem in fœno, & pellibus; quorum adventum gratulata petit, ut venerentur cœli Reginam, quam oravit, ut aperiret oculos servorum suorum, ut Dominam suam videre possent; quam viderunt multis stipatam Angelis, & sanctis Virginibus suavissimè canentibus. Mater autem Dei habebat in manibus coronam ex pulcherrimis rosis contextam, qua Virginem, cùm primum expiravit, coronavit, & sic coronata cum illa felici pompa, ad paradisum deducta est. Religiosi verò iter suum peragentes Deum laudarunt, & devotionem Rosarii ubique prædicarunt.

§. 3.

Circa coronam Virginis exempla varia.

Cap. præcedente sect. 3. diximus quæ sit corona Virginis, quomodo fructuosè recitanda, narravimus historiam Religiosi sancti Francisci, ex qua devotio coronæ cœpit increbrescere apud fideles; nunc alia exempla adducenda sunt, ad hanc devotionem suadendam. Primum sit, quod contigit eidem u Religioso, de quo loco citato diximus fuisse à Virgine edoctum de devotione coronæ, qui agens aliquando iter cum suo socio, & coronam Virginis uterque simul recitaret, capti sunt à latronibus, qui eos urgere cœperunt, ut dicerent, quænam esset mulier illa speciosissima, quæ inter illos gradiebatur. Religiosi admirati de quæstione respondent, secum nullam esse, nec fuisse mulierem, nec illam vidisse. Illi verò non credentes, parant crudelem torturam, in quo periculo boni Religiosi invocant B. Virginis auxilium, quę subitò apparens Angelicis comitata cohortibus reprehendit latrones de audacia contra suos devotos, qui metu perterriti veniam precantur, & compuncti pœnitentia de peccatis acta, Religionem ingressi, in ea piè vixerunt, & mortui sunt: Religiosi verò conjectarunt mulie-

334

u Historia Min. 1. p. c. 35.

Digitized by Google

mulierem illam, de qua latrones, fuisse Matrem Dei, quæ aderat ejus coronam dicentibus.

a Vbi sup. c. 36. 335 Fuit a quidam Religiosus tam devotus coronæ Virginis, ut eam quotidie ante cibum recitaret. Cùm verò quadam die esset jam in refectorio ad prandium, recordatus se eo die coronam Virgini non obtulisse, inde afflictus petiit à Prelato licentiam abeundi, quasi urgens haberet negotium: qua obtenta, cùm non rediret ad prandium, missus est frater exploraturus, quidnam Religiosus faceret, qui illum invenit in Ecclesia dicentem coronam, Virginemque adstantem cum multis Angelis, qui ab ore Religiosi rosas carpebant, ex quibus coronam componebant, qua Religiosum coronabant.

z Ibi c. 36. 336 Quidam z guardianus præceperat novitio, ut singulis diebus diceret coronam Virginis ante cibum. Quadam autem die ob nimias occupationes obedientiæ eam non dixerat: cùm verò jam esset in mensa rogatus à guardiano, an coronam persolvisset, respondit adhuc non potuisse: jubetur igitur à mensa surgere, ut coronam dicat. Novitius illicò ad Ecclesiam convolat, & genibus flexis devotè suam Virgini dicebat coronam. Jubet guardianus unum ex iis, qui mensæ inserviebant, ut novitium exploret. Hic videt Angelum imponenti novitii capiti decem rosas, & lilium aureum filo insertas, captus autem explorator visione non redit ad guardianum, qui mittit alios duos, unum post alium, & cùm nullus rediret, ivit ipse, & vidit eandem visionem, sicut & tres, quos miserat, & viderunt ulterius post absolutam à novitio coronam, Angelum omnes rosas, & lilia, quæ collegerat, ligasse in uno filo aureo, & ex omnibus sertum à se compositum capiti novitii imposuisse, qui hoc facto disparuit. Experti sunt autem omnes eo in loco diu perseverasse fragrantissimum rosarum, & liliorum odorem. Novitius verò in sua devotione perseverans in Religione sanctè obdormivit in Domino.

a Vbi sup. 337 Fuit in eodem a ordine Religiosus laicus adolescens Virgini addictissimus, qui singulis diebus ejus coronam devotè recitabat. Quadam autem die occupatus in inserviendo hospitibus, qui ad monasterium convenerant, se in cellam recipit satis fatigatus, & valde serò; recordatus verò se coronam Virgini non dixisse, cœpit illam recitare, sed somno correptus fuit impeditus. Ecce Virgo sanctissima cum duobus Angelis eum suaviter arripiens in suo lectulo reclinat, ut quiescat. Expergefactus Religiosus videt gloriosam Dei Matrem, & Angelos, volens autem continuare coronam, quam somnus interruperat, audit Virginem sibi dicentem: Dormi, fili, mihi satis est charitas, quam cum hospitibus die integra exercuisti.

338 Fuit b quidam frater Franciscanus nomine Fr. Jacobus à Coronis, sic dictus, quia omnibus persuadere conabatur devotionem coronæ, & neminem dimittebat, quin priùs promitteret coronam Virgini singulis diebus dicturum. Hic autem bonus Religiosus tot gratias à Deo accepit, ut habuerit spiritum prophetiæ, multaque miracula ediderit ob hanc devotionem sanctissimæ Virginis, ut creditur. b Vbi supra c. 38.

339 Alter c Religiosus ejusdem ordinis coronæ Virginis valde devotus iter faciens Vincentiam die, qua pluvia fuit extraordinaria, non habens mantellum, quo se operiret, nec locum, ubi se reciperet, posuit coronam Virginis super caput suum dixitque Matri Dei: Sanctissima Domina mea, in necessitatibus amici comprobari solent, adjuva igitur me in hac necessitate. Res mirabilis! Nec minima gutta ingruentis tempestatis supra ipsum cecidit, pervenientibus autem, qui equis iter agebant, aqua madefactis usque ad pellem, Religiosus primus ad diversorium pervenit ab aqua minimè tactus. Videntes socii miraculum, Deum laudarunt, & coronæ Virginis devotionem amplexati sunt. c Ibi c. 37.

340 Paulæ d fuit nobilis fœmina multos habens filios, quos piè educabat: inter alia verò pietatis opera illis præcipiebat, ut diebus singulis, cùm primùm è lecto surgerent, ante imaginem Virginis, quam in suo oratorio habebat, genibus flexis coronam Virgini recitarent. Accidit die quadam post factam devotionem, ut minimus filiorum à ponte fluminis illius civitatis præceps in flumen rueris. Quod ubi Mater agnovit, Virginem adit, dicens: Virgo sanctissima Domina, & advocata mea, commendo tibi filium meum: si dignaris, trade illum huic afflictæ matri, sin minus, fiat voluntas tua, & dicta *Ave* d Ibi c. 37.

Maria, ad flumen properat, ubi jam erant multi, qui cymbis puerum extrahere conabantur. Perveniente Matre ad pontem, puer apparet super aquam, vocansque Matrem suam, illa respondet: Voca, fili mi, Virginem sanctissimam, illicò accipiunt puellum in cymba, illum deferunt ad Matrem suam, quæ inter amplexus dicebat puero: Fili, sanctissima Virgo te salvavit. Puer verò Matri: Mater Domina illa, cui quotidie coronam dico, me ab undis liberavit. Ob quod miraculum in ea urbe devotio coronæ multùm increbruit.

341 Quidam [e] sanctus Eremita media in die vidit B. Virginem, instar Reginæ excelso in throno sedentem, duasque sanctas Virgines ad ejus pedes provolutas, de Theodorico comite, qui earum Ecclesias combusserat, ultionem postulantes, cùmque vehementer conquerentes justitiam expeterent. Virgo sanctissima respondebat: Parcite, quæso, mihique nolite esse molestæ, non debeo enim pro nunc eum gravare, quia uxor ejus D. Ada servitium mihi præstat, quo me sibi sic familiarem adstringit, ut nec ipsi, nec marito ejus pati possim aliquid inferre gravaminis. Cùm verò sanctæ Virgines rogarent, quodnam esset illud servitium. Respondet Dei Mater: Angelicam illam salutationem, quæ in terris principium mihi lætitiæ extitit, singulis diebus mihi sexagies replicat. Cùm verò illæ adhuc instarent pro vindictâ. Beata Dei genitrix sic eis respondit: Rogo, ut mihi ad præsens de hac ultione inducias detis, & ego promitto vobis, quòd veniet tempus, quando de eo justitiam vobis faciam, & contra D. Adam nihil delinquam. Ecce consanguinei prædicti Theodorici contristati, quòd de conjuge sua prolem non haberet, quarto consanguinitatis gradu D. Adam esse cum viro suo coram Odone Episcopo accusant, & juramento confirmant. Unde ecclesiastico judicio separantur, cùm plusquam 20. annis simul cohabitassent. Facta vix separatione præfactus Theodoricus in silvam pergens venationis causa insidiis circumventus occiditur. Et tunc vulgatum est veram fuisse Eremitæ visionem, qui dixerat se audivisse B. Virginem promittentem fore, ut vindictam sumeret de Theodorico, quando contra D. Adam non delinqueret; nam occisus fuit ab ea jam separatus.

[e] Aunen. tom. 3.c.1

342 Quidam [f] adolescens diebus singulis coronam Virgini offerebat, turpiter tamen vivebat. Cùm verò aliquando iter faciens fame premeretur: Virgo sanctissima ei obvia adest duabus aliis associata Virginibus, quæ edulium suavissimum deferebat in catinis valde sordidis, invitat Dei Mater adolescentem ad comedendum, qui respondet: Edulium quidem optimum est, non possum tamen ex illo edere, quia nauseam mihi movet immunditia catini, in quo est. Tunc beata Virgo: Etiam orationes, & laudes, quibus me quotidie salutas, bonæ sunt, sed quia cor tuum est immundum, mihi placere non possunt. Quibus dictis disparuit. Adolescens verò ad se reversus vitam emendavit, & facta pœnitentia castè, ac sanctè in posterum vixit.

[f] Albert. Castellan. lib. de Rosario.

343 Diabolus [g] conatus adolescentem irretire, illum primò oblata eximia mulieris specie illexit, blanditiisque captum extra urbem in locum secretum multa jam nocte seduxit. Ibi hominem rogare cœpit primò, deinde imperare, ut Virginis coronam, quam cingulo suspensam ferebat, statim abjiceret, si sua forma frui vellet. Suspicatus adolescens id, quod erat, diabolum esse, negat se id facturum. Videns autem diabolus se nihil proficere, abjecta mulieris forma, se in horribilem bestiam convertit, adolescentique excidium minatur. Furor tamen ultra minas progressus non est, Virgine Matre belluæ impetum prohibente. Ille autem præ metu exanguis, incolumis tamen se se inde eripit, & rem confessario pandens de ejus consilio Sacramentis munitus omnes adversarii conatus, quibus eum perdere conabatur, deinceps illusit.

[g] Literæ Maxicanæ anni 1593.

SECTIO IV.

Exempla circa Præcepta decalogi.

PRæcepta decalogi lib. sequenti latè explicanda sunt, hic singulorum 344
exempla aliqua afferenda, quibus Parochus eorum religionem, & observantiam suadere valeat, quando ea declaraverit docendo Christianam catechesim, aut populum ad benè vivendum exhortando.

§. 1.

§. 1.
Circa primum Præceptum de Deo colendo, & amando.

345 a Granctus d. 9. exempl. 74. Fuit a Virgo quædam nobilis Deiparæ devotissima, à qua affectuosè precabatur, ut ei ostenderet benedictum fructum ventris sui. Apparet ei Virgo sanctissima in pervigilio nativitatis puerum Jesum portans in ulnis, quem devotæ tradidit, ut eum in suis habens spiritualiter jucundaretur. Amplexatus est eam divinus puer, & post alia sui amoris indicia rogat eam, an se diligeret? Quæ respondet: Multum. Rursus puer, quantùm? Respondet: Sicut corpus meum. Iterum puer, an se amaret plusquam corpus suum? Respondet, amare illum tamquam cor suum. Rursus puer: Non me amas, inquit, plusquam cor tuum? Respondet illa dicat id cor meum. Vix hæc dixerat, cùm pectus Virginis apertum est, & cor scissum, & anima è corporis ergastulo exiens præ vehementia amoris à Virgine matre, ac Filio ejus benedicto ad cœlum deducitur cum suavissimo Angelorum comitantium concentu, quo audito attoniti omnes domestici accurrunt, inveniuntque Virginem, quæ 14. ætatis annum non superabat, mortuam, & in corde hæc verba litteris aureis scripta: *Diligo te plusquam me, quia tu creasti, redemisti, & dotasti me.* Hoc de amore, jam de adoratione.

b Paratũ spiritu.c.45 346 In monte b Oliveto vixit per multos annos pius Eremita in oratione, & pœnitentia continua, semper tamen à dæmone impetitus carnis tentationibus, quarum semper, Deo protegente, victor extitit. Cùm autem quadam die molestissimè tentaretur, gemens ait: Relinque me, ò diabole, satis tibi sit, quod usque ad senium me sis persecutus. Quibus dictis apparens ei diabolus ait: Jura mihi nemini dicturum, quod tibi dicam, & te deinceps non tentabo. Juravit bonus vir; cui diabolus: Volo, inquit, ut non adores imaginem, quam apud te habes. Habebat autem imaginem Deiparæ cum puero Jesu in ulnis. Petiit Eremita tempus ad deliberandum, & primo manè adit Theodorum virum religiosum non multum distantem, & omnia exponit. Cui Theodorus: Te illusit inimicus faciens te jurare, quod non deberes. Minus malum foret consentire tentationibus, quibus impeteris, quàm non adorare Deum, ejusque Matrem. Confortatus Eremita redit ad locum suum, cui dæmon apparens ait: O senex nequam! Violasti juramentum, ego te perjurii accusabo: cui senex: Ego juravi: sed malè egissem, si juramentum implerem. Ego adorabo Dominum meum Jesum Christum, imaginem ejus, & Matris suæ, tibi non obediam.

§. 2.
Circa 2. Præceptum de non jurando.

Anno c 1603. Duaci in Belgio duo scholastici juramentis, & blasphemiis assueti cœperunt inter se ludere, & more suo jurare. Ecce eorum alter cadit repente mortuus coram omnibus præsentibus, tam horribilis in forma, ut dæmon magis, quàm homo videretur, videbatur insuper vultus, & corpus vulneribus scatens, ac si ense fuisset occisus. Socius totus compunctus se recipit in domum suam, & totus turbatus Dominum orat, & vovet se Religionem ingressurum, si eum liberat à pœna, quam meretur pro eadem culpa, pro qua socius ejus tam severè castigatus fuerat. Ecce domum intrat socius miserè paulò antè defunctus, quem benè agnoscens rogat, in quo sit statu? Respondet defunctus se ad æternas inferni pœnas fuisse damnatum ob sua juramenta, eamdemque sententiam contra ipsum fuisse proferendam, nisi eam effugisset per votum Religionis à se emissum. 347 c Bellarm. in 2. præcepto.

348 Duo d fratres litigabant coram Carolo Magno de quadam hæreditate. Cùm autem veritas declarari non posset, datum est alteri juramentum, qui jurans falsum, subitò crepuit medius, ita ut viscera comparuerint. Quidam miser homo negavit sacerdoti debitum non magnæ quantitatis sub juramento, cujus oculi eruti subitò in terram ceciderunt cum admiratione adstantium. d Nider in 2. præcepto. c. 1.

349 Duo f mercatores confessi prudenti sacerdoti multa juramenta, & mendacia, sine quibus dicebant se vendere non posse. Quibus confessor optimè dixit esse incapaces absolutionis, nisi promitterent emendationem, in cujus signum petiit, ut per annum abstinerent ab omni mendacio, & perjurio e Cæsar. l. 6. c. 38.

rio in vendendo. Promiserunt, & præstiterunt. Elapso verò anno adeunt eumdem confessorem, dicuntque se præstitisse, quod promiserant, nihil tamen in toto illo anno lucratos fuisse. Quibus confessor, id fuisse dæmonis tentationem, ut ab incepto desisterent, ideoque oportere abstinere quoque anno sequenti. Ita factum, & Deo favente brevi tempore tam bonam famam apud omnes compararunt, ut non solùm honorem, sed magnam etiam copiam divitiarum acquisierint, quia omnes ad emendum ab ipsis concurrebant. Qui gratias confessori egerunt, quia per ejus consilium & conscientiis, & fortunis provisum fuerat.

§. 3.

Circa 3. præceptum sanctificandi festa.

350 g Sur. in vita S. Ioa. Eleemo. IN g eodem oppido erant duo artifices ejusdem officii, alter habebat uxorem, & filios, & nunquam laborabat in festis, imò singulis diebus etiam profestis Missam primo manè audiebat, cui omnia necessaria ad familiam alendam suppetebant. Alter solùm habebat uxorem, & laborando etiam in festis, & raro Missam audiendo, non poterat se & uxorem sustentare sufficienter. Considerans hic bonam sortem alterius, rogat illum, unde sibi tanta occasio lucrandi? Respondet die sequenti se eam illi ostensurum. Sequenti verò die venit ad ipsum artifex ille amicus, & lucri cupidus, & deductus fuit ab eo in Ecclesiam; unde audita Missa remearunt in domos suas. Et sic factum est bis. Tertiò verò volens eumdem ad Ecclesiam comitari, ait illi: Amice, ego benè scio ubi est Ecclesia, si velim illuc ire, non indigeo ope tua: quod, ait, volo, ut mihi ostendas, ubi commoditatem acquirendi invenisti? cui amicus: Ego, inquit, non habeo locum alium meorum lucrorum, nisi Ecclesiam, quam frequento, audiendo Missam; quia Dominus noster Jesus Christus promisit quærentes primò regnum Dei, omnia habituros: ideò te deducebam ad Ecclesiam, in qua omnia invenio. Tunc alter mysterium agnoscens, vitam emendavit, observando festa Ecclesiæ cessando ab operibus servilibus, & audiendo singulis diebus Missam. Et statim cœpit experiri Dei misericordiam, & habere unde abundantius sustentaretur.

351 In h quodã Brabantiæ oppido fuit mulier dedita saltationibus impudicis, & cantionibus lascivis, in quibus dies festos transigebat cum aliis, quas ad id invitabat, ludebant verò ad pilam quadam die varii adolescentes non longè à loco, in quo hæc saltabat, cùm autem unus pilam percuteret, excussa è manibus pala mulierem illam occidit. Sublato inde corpore, & venientibus clericis, ut ad sepulturam efferretur, apparet taurus nigerrimus & horribilis, qui terrificè mugiens corpus irruit, illudque cornibus, manibus, & pedibus in frusta comminuit, ex quo fœtor pestilens exhalavit, quo offensi clerici & populus, qui convenerat, corpus deseruerunt. Sequenti die consanguinei tradunt sepulturæ asini corpus, cujus animam damnatam tot signa ostendebant. h Cantip.

§. 4.

Circa 4. Præceptum de honorandis Parentibus.

IN i Burgundia fuit adolescens filius Matris viduæ, cujus bona non solùm dissipabat in comessationibus per tabernas, sed Matri suæ injuriosus erat. Huic Mater offensa semel imprecata est, ut ense confossus domum rediret. Erat in pago vicino alius similis parentibus inobediens, qui patri suo alapam impegerat, cui pater imprecatus à Deo petiit, ut talem manum videret abscisam, ipsumque intra tres dies furca suspensum. Accidit autem, ut isti duo postquam de more in taberna abundè comederunt, & biberunt, rixarentur inter se, & iste primum occideret. Cùm autem occisor se defenderet ab illis, qui eum ob patratum homicidium capere conabantur, quidam ministrorum gladio manum amputavit, & tandem captus intra tres dies suspensus fuit, ut pater fuerat imprecatus. Primus verò ad Matrem delatus est ense confossus, ut illa precata fuerat. Hic finis filiorum inobedientium. 352 i Granet. d.9.c.156.

353 Quidam l ex paupere dives factus, omnia bona sua dedit unico filio, qui ab uxore motus patrem odisse cœpit. Laborabat pater fame, & veniens aliquando domum filii, ut ejus famem levaret, ab illo accepit frustulum panis, & scutelam fabarum, abscondito interim capone, quem paratum habebat ad suum prandium. Ecce, patre è domo l D. Bonav. tom. 1. opusc.

mo ejecto, volens cum uxore caponem comedere, invenit illum conversum in bufonem, qui subitò in ejus faciem insiliens manibus ita fronti hæsit, & pedibus barbæ, ut divelli numquam potuerit. Volens autem quidam forcipe eum evellere, oculis venenosis in ipsum defixis in terram subitò cecidit quasi mortuus, & nullus unquam fuit, qui opitulari posset.

m Flor. lib. 17.

354 Fuit m Romæ adolescens filius Lucretii viri nobilis licentiosè admodum vivens, quem pater non castigabat, sed ad mortem sæpiùs damnatum liberabat. Tandem tot crimina commisit, ut à patre non potuerit liberari. Hic, antequam ad supplicium duceretur, rogat Patrem, ut illum videat: fingensque velle patrem amplexari, ut ultimum vale daret, nasum dentibus ita momordit, ut à facie extraxerit, dicens se ita cum patre suo in ultimo discessu egisse, quia se non castigaverat, nec reprehenderat, dum peccaret.

n Doct. Bellarm. ad 4. præceptum.

355 Quidam n duos habens filios morti vicinus, ne filii pauperes manerent, noluit restituere malè parta. Illo mortuo ait minor ad majorem, ne quæso, frater, imitemur Patrem nostrum, quæ enim nobis reliquit, lucratus est per usuras, restituamus illa, & consulamus conscientiis nostris. Non acquievit major bono consilio minoris, qui partem suam restituens ingressus est ordinem Cistertiensem: non multa post tempora mortuus est frater major. Desiderabat autem minor Religiosus in virtute perseverans scire statum Patris, & fratris, cùm autem oraret, terra usque ad profundum aperitur, & videt Patrem suum in mediis inferni flammis, & fratrem supra patrem. Hic maledicebat filio, quia ejus amore ductus, ea tormenta patiebatur, ille maledicebat patri, quia ei malè parta reliquerat, ob quæ ad eadem tormenta devenerat.

§. 5.
Circa 5. Præceptum de non occidendo.

356 o Doct. Bellarm. ad 5. præceptum.

Vivebant o duo simul in quadam communitate, qui se in certa occasione invicem impetiverunt convitiis, & contumeliis, unde odium ad invicem fovebant, negata mutua conversatione, & salutatione. Post duos menses alter ægrotavit ad mortem, antequam autem Sacramenta reciperet, fecit ad se vocari inimicum, & cum illo se reconciliavit coram omnibus aliis. Exiens verò sanus è cubiculo infirmi, ait aliquibus amicis metum ostendisse infirmum, qui à se veniam postulaverat. Audiens hoc infirmus, odio pristino revocato, respondet: Si hoc dicis, nec tibi condono, nec volo, ut mihi injuriam remittas, quibus dictis loquelam amittit, & intra mortis agonem, admonitus seriò de suo periculo, noluit resilire, & sic mortuus est. Dato sepulturæ corpore, cùm omnes mensæ accumberent, intrat defunctus refectorium damnati speciem gerens, & voce horribili ait: Propter odium, de quo admonitus nolui pœnitere, damnatus sum ad æternas inferni flammas: verùm qui mihi damnationis causa fuit, ab eadem pœna non erit immunis. Surge, inquit, ad inimicum, homo maligne tot malorum causa, quia contra te eadem sententia prolata est, arripiensque illum per violentiam, cùm se invicem morderent tamquam canes, terra hiscens utrumque absorbuit in conspectu omnium, qui aderant.

357 Iter p facientibus homine Christiano, & Judæo satis pecuniæ secum deferente, voluit Christianus Judæum deprædari, illumque occidere ad securitatem. Rogat Judæus, ut capiat pecunias, & vitæ parcat. Non acquievit malus Christianus dicens, se illum occisurum tutò, quia à nemine videbatur. Quæ cùm diceret, volarunt duæ perdices, ait autem Judæus: Illæ perdices te vident, & immanitatem tuam propalabunt. Occiso autem Judæo contigit non multos post dies, ut esset Christianus occisor ad ignem, quo duę perdices assabantur, quæ cœperunt talem strepitum edere, ac si volarent, unde recordatus verbi Judæi intravit in talem agoniam, & perturbationem, ut fuerit comprehensus ob suspicionem alicujus criminis: cùm verò contriterit de furto, & homicidio, brevì suspensus fuit.

p Speculum verbo homicid. exépl. 1.

§. 6.
Circa 6. Præceptum de non mœchando.

Quidam q sanctus Monachus deductus per Angelum ad portas inferni, vidit multos dæmones, qui intrabant cum tripudio deportãtes adolescentem luxuriosum, quem præsentarunt tenebrarum Principi, qui jussit eum collocari in sede tam incensa, ut à 358

q Granatus.

Digitized by Google

meditatus est in cubili suo, astitit omni via non bonæ: malitiam autem non odivit. Quibus verbis voluerunt dæmones innuere vitam perditam, opera, verba, & cogitationes iniquas illius hominis, qui proptereà ad eos pertinebat. At subitò apparent quatuor Angeli, & primus dicit: *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua, usque ad nubes.* Secundus: *Iustitia tua sicut montes Dei, & judicia tua abyssus multa.* Tertius: *Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt.* Quartus: *Homines, & jumenta salvabis Domine, quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.* Hic declararunt sancti Angeli non pertinere ad dæmones corpus, cujus anima ob nimiam, & ferventem peccatorum contritionem salva erat.

§. 8.
Circa 8. Præceptum non dicendi falsum testimonium.

362 Alter ᵘ è duobus sociis, continuis murmurationibus, & detractionibus assuetus in morbum incidit. Cui alter consuluit pœnitentiam, ad quam numquam se disposuit, & sine illa moritur. Paucos post dies apparet socio tantis flammis circumdatus, ut vivus præ nimio terrore consternatus occubuerit, ad se tamen reversus audit illum dicentem: Ego sum infelix socius tuus, pro quo frustra Deum rogas, quia in æternum damnatus sum. Rogat vivus quomodo se habuerit in ultimo mortis agone? Respondet fuisse se præsentatum ante supremum judicem, & totum tremebundum vidisse se multas animas clarissima luce perfusas, quæ extensis manibus clamabant contra se ad judicem dicentes: *Vindica Domine honorem nostrum ab hoc mendaci murmuratore, & detractore, qui nos lingua sua maligna infamavit.* Quibus auditis judex oculos in me posuit adeò iratos, ac terribiles, ut ego confusus, & damnatus à mea conscientia, mei oblitus, & Dei misericordiæ, de illa desperatus impœnitens mortuus fuerim, & condemnatus.

u Granatus.

363 Alius ˣ murmurator, & detractor ita infeliciter mortuus est, ut non potuerit enormia peccata sua confiteri, permittente justissimo Deo, ut lingua, quæ proximos suos denigrabat, venenum cordis non evomeret per confessionem. Hic apparuit amico quondam suo, & præter infernalem figuram, quam gerebat, trahebat linguam extra os quasi fornacem accensam, & tam longam, ut ad terram usque pertingeret, quam miser dentibus mordens dilacerabat, quæ iterum videbatur renasci, & iterum morsibus dilaniari. Rogatus à vivo cur eam pœnam pateretur? Respondet: Quia dum vixi, mordebam aliorum vitas, famam, & bonum nomen, & in inferno, in quo sum, quisque punitur maximè in ea parte, qua deliquit.

x Granatus.

§. 9.
Circa 9. Præceptum de non concupiscenda muliere.

Fuit ᶻ quædam illustris fœmina dedita omnibus pietatis operibus, cujus confessiones ejus Episcopus excipiebat, à quo sancta reputabatur. Hæc oculos semel posuit in famulum suum, & consensit in malum desiderium; cùm autem ad opus non pervenisset, non curavit confiteri culpam illam suam, quæ sæpius in memoriam veniebat, ut etiam venit in mortis articulo, sed prævaluit verecundia, unde sine illius confessione mortua fuit. Episcopus eam honorificè sepelivit in quadā capella propria, nocte autē sequenti Ecclesiam ingressus ante alios ad horas matutinas, capellam illam intravit, quæ tota videbatur igne æstuare instar fornacis accensæ, & invenit supra sepulturam corpus jacens, sub quo ignis vehemens, & dæmones illud tridentibus versantes, admiratus agnovit corpus suæ pœnitentis, conjurans autem illam ex parte Dei, & Christi, ut diceret, quænam esset, & cur tam severè cruciaretur? declarat illa se, & causam suæ condemnationis fuisse, quia non fuerat confessa illam turpem cogitationem, ac desiderium. 364

z Bellar. ex Kantim.

365 Quædam ᵃ bona Religiosa habebat secum in monasterio quamdam neptem suam, quam valde amabat, quæ cœpit adamare turpiter juvenem, & præbuit consensum malo desiderio, quamvis ad opus non pervenerit; accedens ad mortis horam illud desiderii peccatum confessa non fuit. Commendabat amita viva animam neptis defunctæ Domino assiduè: ecce oranti duo dæmones horribiles defunctam repræsentant, à qua audit: Ne me miseram Deo

a Gumm. d.. .. 11.

Digitized by Google

Deo commendes, quia damnata sum ad æternas inferni pœnas, quia confessa non sum peccatum unum cogitationis turpis, in qua voluntariè consensi. Quo audito visio disparuit.

§. 5.

Ad 10. Præceptum non concupiscendi res alienas.

366 [b Lib. 1. vit. PP.] POlybius [b] Ethnicus scripsit Antiochum illustrem punitum severè fuisse ob solam voluntatem diripiendi templum Dianæ, quam animo destinaverat. Quam sententiam irridet Josephus vir alioqui eruditus, quia cùm Judæus esset, credebat cum Judæis non esse peccatum, quod opere non complebatur, contra id, quod Deus expresè statuit in hoc decimo præcepto. In qua re melius locutus fuit Ethnicus, quàm Judæus, ratione naturali sola ductus.

367 Zenon Abbas, cùm fatigatus ex itinere, & sole sederet aliquando sub arbore, prope quam erant cucumeres, decrevit unum decerpere, quo posset aliquatenus refrigerari? quia quamvis essent alieni, res sibi videbatur tenuis, ut revera erat. Ad se tamen reversus credens se peccasse in desiderio rei alienæ, tamquam si eam furatus esset, se tamquam furem damnavit, exponendo se per quinque dies integros ad solis ardentissimi æstum, ut hac pœna suam culpam deleret.

SECTIO V.

Exempla circa Præcepta Ecclesiæ.

368 QUinque Præcepta Ecclesiæ explicanda sunt lib. 8. c. 14. Interim singula illustranda sunt aliquibus exemplis, quibus Parochus noster uti possit, cùm de illis sermo fuerit ad plebem; quæ exemplis maximè movetur.

§. 1.

Circa Præceptum audiendi Missam.

369 [c D. Antonin.] DUo juvenes [c] amici die quodam festo exierunt in campum venationis causa. Alter audierat prius Missam: alter de ea non curaverat. E civitate vix egressi erant, cùm super illos irruit tempestas horrida, & audiunt vocem in aere dicentem: *Feri, occide*. Ad quam fulmen descendens occidit illum, qui Missam non audierat. Manet alter perterritus, & audit aliam similem: *Feri, feri*. Sed illicò audit aliam: *Non possum. Quia audivit hodie: Verbum caro factum est*, quo significabatur Missam, in cujus fine legitur Euangelium sancti Joannis, in quo verba illa habentur, ab illo auditam fuisse, quæ obsistebat nocumento inferendo. Unde periculum evasit credens Missæ virtutem se à repentina morte liberasse.

370 Regina [d] sancta habebat famulum benè moratum, cujus opera utebatur ad eleemosynas pauperibus distribuendas; cui alius invidens significavit Regi Dionysio juvenem illum amari à Regina amore minus honesto. Quo audito decernit Rex occidere probum Reginæ servum, ad idque secretò mandat hominibus, qui prope urbem calcem in fornace coquebant, ut die sequenti famulum ad ipsos mittendum rogaturum, an peregissent, quod Rex imperaverat, in fornacem comburendum præcipitent. Die verò sequenti primo manè mittit Rex ad illos famulum Reginæ, ut eos modo prædicto interrogaret. Properans bonus adolescens audit in quadam Ecclesia signum, quod dari solet ad levandam sacram Hostiam, intrat, & audit illam Missam usque ad finem, eaque vix finita, incipit alia, quam etiam audit, & post istam audit tertiam. Interim Rex cupiens scire, an ille adolescens jam esset combustus, mittit servum illum, qui sibi de sancta Regina & probo famulo sinistrè locutus fuerat, ut rogaret, an datum jam fuerit executioni, quod Rex mandaverat, quem illicò, qui fornaci præerant, ligatis manibus & pedibus, in illam projiciunt. Postea bonus famulus Reginæ, qui interim in Missis audiendis detentus fuerat, pervenit ad fornacem, & rogat, an factum jam sit, quod Rex imperaverat, respondent jam factum esse. Hoc responso accepto revertitur ad Regem referens, quod ab hominibus acceperat. Attonitus rogat Rex, ubi tandiu commoratus fuerat? Narrat quid sibi contigerat circa Missas audiendas, addens patrem suum sibi pro benedictione reliquisse, ut audiret Missas omnes, quas vidisset incipere. Tunc Rex agnovit justum Dei judicium circa malum servum, ac innocentiam sanctæ conjugis, & boni illius servi.

[d In ejus vita ex histo in Minor.]

§. 2.

§. 2.

Circa 2. Præceptum jejunandi.

371 Quædam [e] Christiana nomine Maria serva hominis idolatræ ita dabatur jejuniis, & orationibus, ut ab illis separari non posset. Volenti autem dominæ ejus, quadam die cogere ad comedendum contra ejus consuetudinem, respondet Maria se Christianam esse, Christianos verò solere Deum colere per orationes, & jejunia. Audiens autem hæc dominus ejus, fecit eam virgis cædi, & sic cæsam clausit in cubiculo, ubi eam fame affligebat. Cùm autem perseverasset constanter in fidei confessione, tradit eam præsidi, ut eam castigaret juxta Imperatorum edicta. Præses eam de novo cædi jubet, & cùm à Christo eam dimovere non posset, jubet unguibus ferreis excruciari, in quibus& aliis tormentis coronam martyrii adepta est, cujus memoriam facit martyrologium 1. Novemb. Passa est autem ista bona ancilla mortem, ne jejunium violaret, multi verò mali Christiani illud sine causa ulla violant, & parvi pendunt.

e In doctrina Bellarm.

372 Monachus [f] quidam ad horam Primæ tanta fame laborabat, ut viribus penè deficere videretur; nihilominus abstinebat usque ad horam Nonæ, secundùm consuetudinem Eremitarum, ad quod agendum se ipsum quasi fallebat, dicebat enim, quamvis videar præ fame deficere, expectabo tamen usque ad horam Tertiæ. In hora Tertiæ dicebat, faciam mihi vim saltem ad horam Sextæ. Adventante jam hora Sextæ, mittebat panem in aquam, & dicebat. Dum panis mollescit, expectabo ad horam Nonæ. Cùm verò adesset hora Nonæ, recitabat psalterium, & alias orationes regulæ, & postea comedebat. Hoc fecit per multos dies, quodam autem, cùm sederet ad se reficiendum post Nonam, vidit ex sportula, in qua habebat panes, teterrimum fumum exilire, exeuntemque per fenestram cellulæ, quem fumum interpretatus est spiritum gulæ, à quo tentabatur, quia ex eo die fame tentatus non fuit, ut prius.

f Granetus d. 2. exemplo. 28.

373 Quidam [g] monachus discipulus sancti Odilonis venit in domum consanguineorum, & subitò petivit escas. Cùm verò ei diceretur, nondum esse horam, quia erat dies jejunii, ille moræ impatiens expectare noluit, sed occidit gallinam dicens jocando: Hunc ego piscem manducabo. Dicentibus id eo die non licere, respondit aves non esse carnes, sed pisces, quia Deus eas ex aqua creaverat, & sicut pisces: incipiens autem comedere pernam galinæ, illa suffocatus interiit in pœnam fracti jejunii, & comestionis carnis in die prohibito.

g Anton. 2. p. tit. 15. §. 2.

§. 3.

Circa 3. Præceptum confessionis annuæ.

Quidam [h] adolescens, qui Patrem, & fratrem occiderat, aliaque multa peccata commiserat, audiens prædicatorem ponderantem illud Ezechielis: *Si impius egerit pœnitentiam de omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Dixit intra se: Malo confusionem in hac vita, quàm in futura, & confessus est peccata cum magno dolore, & contritione, factaque confessione genibus flexis coram imagine Virginis habentis puerum in ulnis, lacrymis fusis precatus est, ut ob ejus vulnera, & merita matris sanctissimæ condonaret sibi peccata sua. Hoc autem toties repetivit, & cum tanto cordis dolore, ut ibi ante altare mortuus sit. Sacerdos, qui eum audierat, & plures, qui aderant, orabant pro anima defuncti: ecce apparet columba candidissima volans per Ecclesiam portans cedulam in rostro, quam dimittens ad pedes sacerdotis disparet. Accipit cedulam sacerdos, ut illam legat populo, in qua hæc erat scriptura: Prædica omnibus peccatoribus summam Dei clementiam, quia qui ex corde doluerit de peccatis suis, & verè de illis fuerit confessus, Dominus ea condonabit, sicut condonavit, & misertus est hujus peccatoris, cujus anima inter Angelos Deo fruitur. 374

h In vitis PP.

375 Florentiæ [i] fuit vir dives confessionis valde incurius, qui etiam in quadragesima ad illam difficilè trahebatur. Hujus graviter infirmantis periculum advertens uxor, vocat guardianum sancti Francisci, qui eam audiebat, ut marito confessionem persuadeat. Dum autem guardianus expectatur, intrant duo fratres dicentes velle se visitare infirmum, eorumque alterum illius confessio-

i Bustus 2. p. Rosarii.

§. 5.
Circa 5. Praeceptum solvendi decimas.

379 Vir [o] quidam nomine Galibus, collectis fructibus, noluit decimas solvere. Cùm autem D. Anselmus eum semel inviseret, voluit videre horrea sua, ut fecerat aliis annis. Cùm autem intraret, vidit illa plus solito vacua, & in angulo diabolum sedentem super acervum tritici. Rogavit Galibum unde provenisset tanta penuria? Sciens verò ab ipso decimas illo anno solutas non fuisse, jussit omne granum extrahi, ut ex illo debitae decimae solverentur. Quibus solutis triticum per horrea dispositum ita crevit, ut horrea antea vacua plena viderentur, multiplicato tritico miraculosè.

o In vita S. Anselm.

380 Quidam [p] bonus miles decimas suo tempore perfectè solvebat sine dolo, & fraude. Habebat autem vineam, ex qua solebat colligere decem uvarum sarcinas, cùm verò uno anno unam tantùm collegisset, dicit famulo: Amice, dominus me voluit defraudare parte mea, ego verò non defraudabo illum parte sua, defer igitur has uvas ad Ecclesiam. Eodem tempore sacerdos militis frater casu praeteriens videt eamdem vineam uvarum pendentium plenam, & dixit ad fratrem suum, quae tua est negligentia, quare non vindemias vineam? Cùm verò respondisset jam se vindemiasse. Non potest esse, inquit sacerdos, nam ego eam hodie vidi uvarum satis abundantem. Adit miles vineam, & reperit verum dixisse fratrem. Vindemiat iterum, & nunquam tantas uvas ex ea collegit in praemium bonae voluntatis, qua dederat Ecclesiae quidquid ex ea collegerat.

p Caesar. l.10.c.13.

SECTIO VI.

Exempla circa vitia capitalia.

381 Septem vitia capitalia explicanda à nobis sunt lib. sequenti cap. 15. hic singula illustrabimus paucis exemplis, ut Parochus, cùm de illis egerit, possit docere plebem suam illorum fugam, & odium.

§. 1.
Circa vitium superbiae.

Fuit [a] virgo quaedam religiosa, quae puritatem mentis, & corporis perfectè custodiebat, & multa pietatis opera devotè satis exercebat. Haec superbire coepit, & se aliquid magnum existimare, ita ut cùm aliquando aliae virgines inter se conversando de sancta Maria Magdalena mirificè loquerentur, ut par erat, illa dixerit se Magdalenam non magni facere, quia virgo non fuerat, ut illa erat. Haec, in poenam hujus superbiae, non multò pòst ab statu virginali cecidit tradendo se vili famulo, unde pristinam perdidit reputationem. 382

a Granet.

383 Quidam [b] Monachus Deo tam charus, ut singulis diebus panem à Deo acciperet, coepit se aestimare, & aliis in corde suo anteferre. Hic jam senex deficiendo paulatim à fervore pristino, cogitavit de vita eremitica deserenda, & de reditu ad saeculum. Tandem relinquens cellulam, & pergens ad civitatem, fatigatus quiescit paululum in quodam coenobio, quod viae erat vicinum. Ibi propter ejus famam cum charitate tractatur, & rogatus facit exhortationem fratribus de perfectione procuranda, & in ea perseverando. Inde verò satis tristis profectus est, quia alios exhortatus, se verò perditum ibat, & à Deo tactus remeavit in cellulam. Ubi se diu poenitentiis, & orationibus exercuit, donec Angelus eum certum fecit poenitentiam suam Deo fuisse acceptam. Quò non perducit spiritus superbiae incautos homines?

b Palad. c. 46.

§. 2.
Circa vitium avaritiae.

In regno [c] Sueviae fuit vir nobilis valdè dives, & tam avarus, ut omnibus viis divitias augere studuerit. Hic praevidens annonae penuriam, horrea sua multo replevit frumento, adventante autem caritate, coepit tam carò vendere, ut ementes cogerentur suorum bonorum jacturam facere. Venit ad eum pauper homo multos habens filios, cum sex scutis petens certam frumenti mensuram, spondens se brevì reliquam pecuniam daturum, quem malè exceptum vacuum dimisit, abiit pauper tristis, mala illi imprecando. Paulò pòst mittit dives famulum, qui horrea invisat: hic remeat affirmando in hor- 384

c Delrius.

Digitized by Google

horreis esse boves nigerrimos triticum comedentes: hoc audito mittit alium, ut videat, an res ita se habeat, qui reversus ait, boves & equos triticum comedentes invenisse. Abiit tandem ipse, ut per se ipsum exploraret, quæ audierat, & per rimulas intuetur omne genus animalium triticum depascentium, quod jam penè consumpserant. Quod ita doluit, ut in amentiam incidens talia fecerit, ut oportuerit eum catenis ligari. Qui casus admirationem, & timorem universo populo conliavit.

d Granet. 385 Alter [d] avarus, qui per usuras, & malas artes multas sibi divitias comparaverat, erat morti vicinus, quem præsentes cum charitate monebant, ut de æterna salute cogitaret, ac divitias tandem perituras contemneret: ille verò hæc salutaria monita injucundè audiebat, & ad aliam partem versus cœpit dolere amarè divitias, quas tanto cum labore conquisierat, sibi fore relinquendas, & loquens cum ipsis tamquam cum idolo, ac deo suo expiravit, divitiis tandem relictis, & anima in æternum damnata propter illas.

e Cæsar. l. 1. c. 39. 386 Alius [e] huic non dissimilis moribundus dixit uxori, ut in sepultura sub ejus capite bursam pecuniis refertam supponeret, ut qui vivens pecuniarum avidus fuerat, ostenderet in morte eas amasse. Ita factum, sed repente apparent duo bufones horridi, quorum alter pecunias è bursa auferens alteri porrigebat, qui eas deglutiebat, quo satis ostendebatur avaritia, quæ in corde illius avari semper regnavit. Alios casus avaritiæ notabiles habes sect. 4. §. 7.

§. 3.

Circa vitium luxuriæ.

387 f D. Lius. IN Belgio non multos ante annos tres adolescentes luxuriosi postquà abunde cœnarunt cum amasiis suis, dicente uno, ut aliquam dicerent orationem pro gratiarum actione; respondit alius, gratias ego referam diabolo, in cujus servitio sumus. Quo dicto vix eorum quilibet cum sua amica lecto decubuit, cùm porta aperitur, & intrat diabolus in horrenda forma tamquam venator cum arcu, & sagittis, quem præibant alii duo portantes accensas faculas, hic furentibus, ac flammantibus oculis lectulos singulos lustrat, & recognoscit decumbentes nimio jam terrore perterritos. Posteà verò positus media in aula voce horribili ait: Ubi est, qui mihi nuper gratias egit? quem ferro infixum assari jubet clamantem miserè præ dolore & ferri, & ignis: socios deinde quasi mortuos aspiciens ait: Vos eadem pœna digni estis, & eadem vos plectere cupiebam, sed magnus Deus me prohibet, discedo non libenter, & disparet ferens secum infelicem animam illam, relicto ejus corpore assato, & sociis quasi mortuis, qui primo manè ad se reversi inveniunt socii corpus mortuum, & assatum, in testimonium, quòd non fuerit somnium.

388 Homo [g] luxuriosus uxore sua involuntariè consentiente abutebatur. Hæc quadam nocte ei in memoriam afferebat Dei omnipotentis iram, & pœnas inferni, ipse verò à nefario crimine non desistens, morte repentina correptus pœnas dedit, manente corpore quasi igne combusto, in exemplum tam fœdi criminis. Alia exempla luxuriæ habes sect. 4. §. 6. g Cantip.

§. 4.

Circa vitium iræ.

QUidam ex Patribus eremi, quia opus manuale, quod faciebat, ad voluntatem non succedebat, contra se ipsum iratus est. Cùm autem esset ira plenus, ingreditur cellam adolescens, promittitque se opus illud emendaturum, ne detrimentum in eo pateretur. Cui Eremita iratus: Vade, inquit, malis avibus, & quisquis te huc introduxit. Cui adolescens: Tu me huc introduxisti; quia tribus Dominicis communicasti habens iram contra vicinum tuum. Mentiris, ait Eremita. Non mentior, respondet juvenis, quia propter lenticulas contra illum iratus fuisti, & ego præsideo peccato iræ, propter quod meus es. Audiens autem Eremita hæc, novit se cum dæmone loqui, exiensque è cella abiit ad vicinum, & cum illo reconciliatus est, reversusque in cellam juvenem non invenit, sed opus suum, & storam, super quam orabat, scissam in multas partes à diabolo, quia se reconciliaverat cum fratre suo de ira contra ipsum concepta. 389 h Prat. spirit. lib. 1. c. 2.

390 Quæ-

i Cæsar. 390 Quædam nobilis virgo iracunda nimis domi, foris, & ubique cum omnibus rixabatur adeò, ut felix haberetur, qui ejus iram, & linguam ab ea motam effugeret. Hæc cùm mortua esset, & sepulta ad fores Ecclesiæ, die sequenti venientes clerici ad Ecclesiam viderunt sepulturam fumigantem instar furni. Et admirati volentes causam scire, mandant aperiri sepulturam, & inveniunt corpus à pectore, & infrà integrum, & sanum, solum verò combustum quoad superiores partes, ut significaretur servasse virginitatem illæsam; sed iram, qua semper æstuaverat, partes superiores, in quibus ea regnat, combussisse.

§. 5.
Circa vitium gulæ.

391 l Beda in vita S. Burg. VIrgo quædam nobilis monasterium ingressa à dæmone tentata gulæ inserviebat, & quidquid poterat, furabatur, ut secretò comederet; in qua consuetudine per annos perseveravit. Hanc pius Dominus corripere voluit pœna congrua culpæ suæ, nempe nausea quadam insolita omnium, quibus homines vesci solent, unde solùm appetebat furfura, herbas, & radices, quibus bestiæ vescuntur. Cùm autem per dies aliquot his tantùm ad vescendum uteretur, quadam die cùm furfur ederet, vidit suem horridum secum pariter comedentem, qui gruniendo furfur pedibus conculcabat, & spargebat. Admirata monialis rogat, quid hoc esset? Respondet sus: Ego sum, qui tecum comedebam, quidquid tu furabaris ad satisfaciendum gulæ tuæ: veni autem, ut tibi dicam, fore ut per integrum annum non vescaris alio cibo, quàm isto, quo nunc vesceris in pœnam gulæ, à qua tamquam bestia victa fuisti. Et ita factum est, perseverante aliorum ciborum nausea per annum integrum.

m Cassian. col. lat. 1. Abbat. Moyses. 392 Abbas m Serapion hæc de se narrabat. Cùm essem novitius, à gula valde tentatus fui, singulis enim diebus, postquam comedebam cum Abbate Theona magistro meo, suffurabar panem, quem in sinu abscondens ad vesperam comedebam; & quamvis conscientia me pungeret, & sæpius proponerem me id non facturum, quotidie me gula vincebat, & panem usurpabam. Casu venerunt Monachi ad magistrum meum Theonam, & post prandium cœperunt loqui de rebus spiritualibus, & multa dixerunt de vitio gulæ, & de damno tentationum, quæ Patri spirituali non aperiuntur. Ego verò, cùm me conscientia morderet, cogitavi omnia illa dici propter me, credens Deum revelasse sancto Abbati peccatum meum, & motus corde cœpi lacrymas fundere, & crescente motione extraxi e sinu panem, quem eo etiam die furatus fueram, & procidens in terram coram omnibus, cum lacrymis petii veniam, & pœnitentiam. Tunc sanctus Senex me consolatus est, & declaravit vim tentationis occultæ. Et vix dixerat, cùm è sinu meo flamma quædam exiit instar fulguris, quæ domum totam implevit fœtore infernali, qui supportari non poterat. Tunc sanctus Abbas, ecce fili mi, inquit, vidisti oculis tuis diabolum à te exiisse, qui prius te per gulæ tentationem miserè subegerat. Disce, quantum valeat humiliter declarare vitium occultum, & quantum noceat illud occultare. Aliud exemplum habetur sect. præcedente. §. 2. fine.

§. 6.
Circa vitium invidiæ.

ERat n quidam energumenus, per quem diabolus respondebat ad omnia interrogata. A quo quidam quæsivit quid eligeret, si sibi possibile foret redire ad gratiam Dei, quam perdiderat? Respondet: Si hoc esset in mea potestate, eligerem potius decipere unam animam, & cum illa ire ad infernum, quàm redire ad gratiam Dei, & cœlo frui. Tanta enim in me regnat invidia, ut nullum mihi sit tormentum acerbius, quàm unam animam salvari. Est igitur invidia vitium proprium diaboli, quem omnes invidi imitantur. o Erant in quadam civitate duo homines, alter avarus, invidus alter, quos dominus illius ad se vocat, ut genia illorum experiretur, quibus ait: Petat unusquisque vestrùm, quidquid libuerit, quia certè dabo, ea tamen conditione, ut duplum alteri sim daturus. Invidus, ne aliquid boni alter acciperet, petiit, ut sibi unum oculum erueret, ut socii uterque erueretur. Quid aliud postulasset diabolus? 393 n Cæsar. lib. 4. c. 9. o Lyr. in c. 3. Gen.

394 Qui-

p In doctrina Bellarm. 394 Quidam p Monachus vanus, & ambitiosus invidens Abbati suo, maximè cruciabatur, quia ipse Abbas non erat. Cùm verò illo vivente eligi non poterat in Abbatem, dedit pulveres venenosos cuidam puero viventi in monasterio, quem Abbas corripiebat, & frequenter castigabat, spondens si eos in jure porrigeret Abbati, fore, ut ab ipso amaretur deinceps, ac ulterius non castigaretur. Puer autem mediam partem pulverum Abbati propinavit, quibus ille mortuus est, & Monachus invidus electus est Abbas, qui cùm etiam puerum increparet, & corrigeret, puer intendens ab illo amari, & non ita corrigi, mediam partem pulverum, quam reservaverat, novo Abbati porrexit, quibus similiter mortuus est, incidens in foveam, quam fecerat, quo dedit pœnas invidiæ suæ.

§. 7.

Circa vitium acedia.

395 q In vitis PP. QUidam Abbas, dum esset in choro, vidit Angelum benedicentem fratribus cantantibus laudes matutinas: postea benedicebat etiam sedes vacuas, sed non omnes, rogatus verò ab Abbate cur benediceret sedes, in quibus non erant Religiosi canentes, & cur non omnes? Resp. Angelus se benedixisse sedes illorum, qui aberant ex legitimo impedimento, vel ex obedientia Abbatis, quia tales in spiritu aderant; illos verò, qui aberant ex desidia, & negligentia sua, dignos non esse Dei benedictione, ideoque eorum sedibus negatam fuisse benedictionem, ut viderat.

r Cæs. l. 4. c. 28. 396 Quidam r Religiosus deses, & negligens in exercitiis spiritualibus, qui manè rarò surgebat tempore debito ad horas matutinas, semel voluit è lecto surgere dato signo, quo tempore audivit vocem sub lecto dicentem sibi: Ne surgas, ne somnum perdas, quia nocebit valetudini tuæ. Ex quo intellexit arte dæmonis se illuc usque fuisse desidem, socordem, ac negligentem; & ideo surrexit alacriter, & vitam desidem mutavit in diligentem.

SECTIO VII.

Exempla circa misericordiam erga pauperes.

397 QUia in sacris litteris nihil magis fortè commendatur, quàm misericordia in pauperes, congruum est, ut illam Parochus sæpius commendet, ut populus suus misericordiæ fructibus non defraudetur, ut autem ad illam efficacius moveat, præter multa, quæ ex scripturis afferre potest, his exemplis sequentibus uti potest.

§. 1.

Christus è regno suo expellit eos, qui in pauperes misericordiam non exercent.

LOcutus Christus Dominus de judicio universali, causam admittendi Prædestinatos in regnum suum assignat misericordiam in pauperes. *Venite*, a inquit, *benedicti Patris mei, possidete regnum. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Causam autem ejiciendi reprobos ab illo regno felicissimo, & detrudendi in infernum assignat defectum hujus misericordiæ, dicens: *Recedite à me maledicti in ignem æternum. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Et statim declarat eam misericordiam, quam cum pauperibus exercemus, cum ipso Christo exerceri: sibique factum bonum illud, quod facimus pauperi. Quod in sequenti exemplo declaratur. 398 a Matth. 25.

399 Nobilis b quidam Senator, & dives ædificavit in campo domum amplam, & sumptuosam nimis, & supra principalem portam posuit marmor, in quo insculpta ferro hæc verba legebantur: *Decretum detur, ne dormiat, aut epuletur hic gens villana, sed Achilles, Plato, Diana.* Quibus significabat in domo illa sua, quæ prope viam regiam erat, neminem recipiendum ad epulandum, aut pernoctandum, nisi aliquem insignem ducem, aut equitem, qualis fuit Achilles, aut Philosophum, ut fuit Plato, vel etiam illustrem fœminam significatam in Diana. Ecce post aliquod tempus Senator hic rapitur in spiritu, & ducitur ad judicium, sistiturque ante Christi tribunal. Cui iratus Judex ait: Siquidem me, meosque excludis è domo tua; ego te excludam è domo mea, quæ est cœlum. Audiens autem Senator verba hæc admiratus, & confusus non inveniens, qui sibi favorem præstaret, oculos direxit suos ad Matrem misericordiæ Virginem sanctissimam, à qua, licèt nullum mereretur, favorem implorat. Virgo verò sanctissima misericordia mota pro eo intercedit; & veniam obtinet, b Granet. d. 9. exemplo 3.

Digitized by Google

tinet, admonetque illum ut, ut pauperes & peregrinos in domo illa recipiat, & sublatis verbis, quę erant supra portam, hæc eorum loco substituat: *Muta decretum, Sanctorum recipe cœtum, nudum Martinum, Lazarum, & Iacobum peregrinum*, quibus ei significavit colligendos in domo illa sua pauperes nudos, qui significabantur in Martino; debiles, & infirmos significatos in Lazaro; peregrinos, & exules adumbratos in Jacobo, si vellet in Christi judicio benè excipi, & à cœlorum regno non excludi.

§. 2.

Non deest panis, nec pecunia expendentibus cum pauperibus bona sua.

400 c Greg. Turon. Lib.2.c.24 FUit [c] fames extraordinaria, & generalis in Burgundia, in qua multi sine remedio peribant. Vir autem quidam valde nobilis, & dives nomine Edicius misericordia motus statuit, quoad posset, tantæ miseriæ subvenire, ad idque misit varios servos domus suæ cum curribus, & equis multis, ut ad se traherent ex civitatibus, & oppidis circumvicinis omnes pauperes, & miseros; traxerunt autem ultra quatuor millia, quos per diversas domus distributos aluit toto famis tempore; adveniente verò abundantia illos eodem modo jussit deferri in domos suas. Non multos post dies audivit è cœlo vocem dicentem sibi: *Edici, quia fecisti rem hanc, non deerit in æternum tibi, nec semini tuo panis, siquidem obediendo verbis meis mea fami providisti saturando pauperes meos.*

d Greg. Turon. Lib.2.c.11 401 Electus [d] Tiberius in Imperatorem cœpit abundè distribuere thesauros imperii in pauperes, ac personas miserabiles. Quod malè accipiens Sophia objiciebat thesauros à se congregatos multis annis in bonum Reipub. ab eo brevì in pauperes expendi. Tiberius verò in Deo confisus respondebat nihil defuturum imperio, dummodo pauperes alerentur, & captivi redimerentur, quia Dominus mandaverat thesaurizare nobis thesauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, neque fures effodiunt. Ita verò contigit, ambulans enim aliquando in aula palatii videt crucem in lapide, quo pavimentum sternebatur, insculptam, credens autem indecens crucem esse in pavimento, ubi pedibus calcari posset, jussit, ut inde extraheretur; extracta prima, inventa est secunda post illam; qua similiter extracta, inventa est tertia; illa etiam sublata inventus est post illam thesaurus copiosus, quo Tiberius magna ex parte usus est in pauperes. Quæ liberalitas ei majorem thesaurum acquisivit. Cùm enim dux ipsius nomine Narcetes insignes victorias reportasset, victorque rediens copiosos secum thesauros exportasset, quos in cisterna profunda quasi sepelivit, quod, ut esset incognitum, occidit barbarè omnes, qui eos illuc introduxerant, reservando unum tantùm, quem custodem constituit. Hic videns profusam manum Tiberii erga pauperes, à Deo motus denuntiat illi thesaurum occultatum; quem Imperator ad se transferri jubens invenit multos milliones auri, & argenti. Parat igitur liberalitas in pauperes non solùm thesauros in cœlo, sed etiam in terra copiosos.

§. 3.

Misericordia in pauperes data multiplicat, & viam ad cœlum parat.

FUerunt [e] Nisibe duo conjuges pauperes, vir gentilis, uxor Christiana, ad quorum manus semel devenerunt quinquaginta scuta; cogitanti autem marito dare illa ad lucrum, re cum uxore communicata, ait illa: Demus quidem ad lucrum, sed Deo, quem Christiani colimus, qui absque dubio redditus tibi dabit copiosiores, & capitale duplicabit. Quærentem autem quomodo danda essent Deo Christianorum, bona mulier virum secum deducit ad Ecclesiam, ad cujus valvas erant multi pauperes. Da, inquit, istis; quia Deus noster per istos recipit quidquid illi accipiunt, quod ille lætus fecit. Post tres autem menses cœperunt bonis conjuges egere, aitque vir ad uxorem: Sumus in necessitate, & Deus tuus nullos nobis redditus suppeditat. Ne dubita, in- 402 e Sophr. pat.spirit. c.165.

quit uxor, vade ad illum, & ille succurret inopiæ nostræ. Ivit vir ad Ecclesiam, cùm autem in ea huc, illuc discurreret, & nemo illi aliquid daret, cogitabundus discedens videt ad pedes suos in terra scutum unum ex illis, que pauperibus erogaverat, illudque accipiens redit ad uxorem, & ait: Ivi ad Ecclesiam, nemo tamen fuit, qui mihi aliquid daret, cùm jam discederem, inveni hoc scutum. Cui illa: Deus meus, qui operatur manu invisibili, tibi hoc scutum porrexit. Eme ex illo quid hodie manducemus, quia postea ille nobis providebit. Emit ipse inter alia piscem, quem dedit uxori præparandum, in cujus visceribus invenit lapillum satis pellucidum, cujus tamen pretium non agnoscens dedit marito, ut post cibum videret, an esset, qui aliquid pro eo daret. Abiit ille ad lapidarium; da mihi, inquit, pro hoc lapillo, quod volueris. Cui lapidarius promisit pro eo quinque scuta. Ille admiratus respondet: tantum mihi pro illo das? Lapidarius autem existimans hominem irridere, quia parum promiserat, promittit decem. Tacet gentilis magis admiratus credens lapidarium sibi illudere. Lapidarius verò credit illum tacuisse, quia valorem lapilli agnoscebat, promittit quinquaginta. Quod videns gentilis cœpit æstimare valorem lapilli. Tandem ventum est ad 300. scuta, quæ pro illo accepit, & traxit ad uxorem; illa, quia putabat decem, vel duodecim regales ad summum pro illo accepturum, Dei clementiam admirata ait ad maritum: Vides quàm bonus, & nobilis est Deus Christianorum, qui non solùm dedit tibi quinquaginta, quæ tu ei dedisti, sed paucis diebus sex pro uno retulit, ut scias neque in cœlo, neque in terra esse alium Deum præter ipsum. Tunc maritus à Deo tactus ex beneficio, quod viderat, baptizatus dedit gloriam Deo, qui illum illuminaverat, & grates bonæ uxori, cujus industria creverat in bonis anima positus in via salutis, & in bonis corporis multiplicatis septuplùm pecuniis, quas dederat Christi pauperibus.

§. 4.

Misericordia in pauperes Peccatori contritionem, & salutem mirabiliter impetrat.

PEccata f tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum. 403
Consulebat sanctus Daniel Nabuchodonosori Regi barbaro. In cujus sententiæ confirmationem accipe notabile exemplum. Ad g Castellum hominis crudelis, & inhumani, ac totius misericordiæ expertis pervenerunt duo fratres Minores, nocte aquosa irruente, famelici, frigore algentes, & aqua consopiti. Non ausa bona uxor illos præ timore mariti domi recipere, jubet ut deducantur in palearium expectans occasionem, ut inscio marito illis succurrat per aliquam eleemosynam. Posita verò mensa marito venienti satis lauta, & abundanti epularum, cœpit bona uxor amarè flere. Admiratus vir lacrymas uxoris, rogat illarum causam? Respondet: Fleo, domine mi, quia cùm simus peccatores, abundamus epulis, habemus ignem ad injurias frigoris depellendas, & tot delicias ad nostram sensualitatem fovendam; duo autem fratres Minores, qui huc casu pervenerunt aqua, & frigore algentes, nec habent ignem, quo calefiant, & habitus exsiccent, nec panem ad comedendum, nec lectum ad dormiendum. Audiens vir feritatis antiquæ oblitus, rogat ubi sint, è mensa surgens quærit, domum trahit, cibat ad mensam suam, lavat pedes, habitus exsiccat, ignem incendit, ut calefiant; postea introducit in cameram lectulis optimè stratis curiosam. Tunc ei Religiosi modestè dicunt: Nos, domine, solemus dormire in tabulis, vel paleis, si tibi placet, dormiemus in paleario, unde nos extraxisti. Non patiar hoc, inquit ille, sed potius faciam afferri huc paleas, in quibus quiescatis. Et ipse manibus attulit paleas, in quibus possent dormire.

404 In præmium hujus misericordiæ, tangit Deus cor hominis, & ita alloquitur illos Dei servos: Patres, si esset homo tam malus, qui intra 30. annos peccata sua non sit confessus, qui in hoc intermedio tempore commiserit centum homicidia, & ultrà, & centum millia scuta, & plura à diversis usurpaverit, aliaque innumera peccata ad-

f Dan. 4. 24.

g Fr. Marc. l. 10. hist. Min. c. 7.

Digitized by Google

ta admiserit. Si iste homo pœniteat de omnibus his peccatis, & veniam à Deo petat cum proposito non peccandi de cætero, parcet ne Dominus Deus huic peccatori? Respondet Religiosus senior certissimum esse, quamvis ille, vel alius homo tot peccata mortalia commisisset, quot sunt arenæ in litore maris, Deum omnia dimissurum, cùm primùm illum ex toto corde illorum pœnituerit. Quo audito prolapsus homo ille ad pedes Religiosi, tactus dolore vehemente, percutiendo pectus lacrymas abundantes fundendo. Ego, inquit, sum peccator ille, qui toties peccavi, ut sit impossibile omnia peccata mea in confessione declarare, fretus tamen Dei misericordia, veniam ab illo spero, & peto, ut statim audias meam confessionem, quia timeo non habiturum me tempus aliud, ad illam faciendam.

405 Respondet prudens Religiosus. Cùm peccata tua tot sint, & tanti temporis, opus est, ut illa recogites, ut integrè, & benè confitearis. Nos hìc permanebimus, donec confessionem tuam pro tua majori consolatione facere possis. Et si antè mortuus fueris, Deus, qui videt contritionem cordis tui, miserebitur tibi, dabitque sine dubio regnum suum. His verbis animatus abiit ad lectum suum, Religiosi verò remanentes in suo diversorio orabant Dominum, pro salute illius peccatoris. Cùm autem in oratione perseverarent, visum est Religioso, qui promiserat confessionem auditurum, adstare se ante Christi tribunal, in quo præsentabatur anima hominis illius, quam demones accusabant de omnibus peccatis suis, condemnationem ejus instanter postulantes: cui in eo agone positæ consulebat Angelus, ut quæreret in cœlo aliquem sanctum, cui obsequium aliquod præstitisset, qui pro eo intercederet; cùm videt prope Judicem Seraphicum Franciscum, à quo petiit, ut sibi in eo labore patrocinaretur, qui à Judice postulabat, ut poneretur ex una parte tota vita illius hominis, & ex altera misericordia, qua usus fuerat cum suis fratribus, & vinceret pars, quæ præponderaret. Cùm autem admisisset Judex petitionem, visum est fratri oranti D. Franciscum posuisse ex una parte paleas, quas homo ille traxerat, ut ipse & socius dormirent, dæmones verò omnia peccata ex alia, paleas verò lacrymis madefactas magis ponderasse; tunc verò Judicem pro ea misericordia, veroque dolore, & contritione omnia peccata condonasse; tradidisseque animam illam S. Francisco, ut eam ad cœlum deduceret collocandam in loco sibi convenienti, in quo posita Deo in æternum frueretur, dæmonesque ea sententia prolata confusos abiisse. Reversus autem in se Religiosus à Deo motus, subitò cum socio intrat cubiculum, in quo homo ille dormiebat, quem mortuum invenit manibus supra pectus compositis ad modum crucis, cujus vultus tam pulcher apparebat, ut sanctum potius repræsentare videretur, quàm peccatorem.

SECTIO VIII.

Exempla misericordiæ erga animas Purgatorii.

SI misericordia erga pauperes vivos tantum Deo placet, ut vidimus, multò magis placebit erga defunctos, qui magis indigentes sunt, utpote in durissimo Purgatorii carcere constituti, in quo pœnas patiuntur, quæ superant captum nostrum. Ut igitur bonus Parochus plebem suam excitet ad hanc misericordiam cum animabus Purgatorii exercendam, ex multis exemplis adductis à P. Roa in suo libello aureo de Purgatorio pauca decerpo. 406

§. I.

Quantum prosint animabus Purgatorii suffragia, quæ vivi pro illis Deo offerunt.

FR. Joannes [a] de Alvernia ex Minorum familia Missam celebrans in die commemorationis omnium defunctorum pro omnibus animabus Purgatorii, vidit, dum sacram Hostiam elevaret, multas animas exeuntes è Purgatorio tamquam scintillas fulgentissimas ex fornace cœlum ascendere à tormentis liberas, ob suffragia eo die pro ipsis oblata. 407

a S. Anton. 3. p. tit. 24.

408 Oranti [b] Fr. Ivoni apparuit Religiosus paulò antè defunctus, dicens se damnatum ad quindecim annos Purgatorii, petensque ut per suas orationes, & suffragia adjuvaretur. Die sequenti obtulit Ivo sacrificium Missæ

b In vitis fratrum Præd. 3. p. c. 4.

 pro

Digitized by Google

pro illo, oravitque Dominum cum lacrymis, ut illius misereretur. Cùm verò tertia die similiter oraret, apparet ei defunctus gratias referens, quia Missam pro illo obtulerat, ob quam Deus ei remiserat quindecim annos Purgatorii, ex quo jam ad cœlum volabat.

c Granel. 409 Quidam [c] Religiosus adolescens apostatavit, & factus latronum socius per multos annos perditè vixit; hic incidens in gravem morbum sacerdoti ad se vocato peccata sua confessus non fuit absolutus, quia sacerdos idiota multitudine & gravitate peccatorum attonitus imprudenter dixit, se illum absolvere non posse. Quo viso ægrotus verè contritus cum Deo loquens, dixit: Verè merentur peccata mea hanc sacerdotis sententiam; si tamen consueta misericordia tua mecum uti digneris, ego me condemno ad duos mille annos Purgatorii, & mortuus est. Postea apparuit cuidam bono Episcopo patruo suo, cui dixit Deum sui misertum fuisse, & acceptasse pœnam, ad quam se damnaverat. Hac visione motus Episcopus singulis diebus per annum integrum pro illo celebravit, & fecit quòd alii celebrarent, obtulitque eleemosynas, orationes, & alia pia opera. Ecce celebranti Episcopo post annum apparet ei defunctus ad cornu altaris subtristis gratias referens, quia per illas Missas, & pia opera in illo anno facta Deus sibi remiserat mille annos Purgatorii. Hac visione confortatus Episcopus perseveravit toto secundo anno in eisdem sanctis operibus, in cujus fine apparet secundò defunctus vestibus albis, & splendentibus indutus dicens, se jam à Purgatorio liberum ad gloriam deduci, quia Deus opera pro illo oblata in illis duobus annis pro pœna duorum millium annorum acceptaverat. Aliud exemplum hujus rei habes sect. 2. in principio.

§. 2.

Quantùm intersit viventium adjuvare animas fidelium existentes in Purgatorio.

410 d Speculū d.9.c.184. EUsebius dux Cerdeniæ decimam partem suorum reddituum impendebat in Missas, orationes, & eleemosynas pro animabus Purgatorii, & insuper deputaverat unam ex primariis civitatibus ad eumdem effectum, cujus redditus in eadem opera impendebantur, unde civitas Dei communiter dicebatur. Ostergius verò dux Siciliæ Eusebio potentior propter controversias, aggressus Cerdeniam civitatem illam occupavit. AEgrè hoc ferens Eusebius congregato milite obviàm venit adversario, volens autem manum conserere cum hoste, timensque ejus superiorem potentiam, videt ad se venientem exercitum numerosum, cujus vexilla, & vestimenta erant nivei coloris. Mittens verò paucos, qui gentem recognoscerent, exeunt quatuor equites, dicuntque venisse se in adjutorium Eusebii, cui appropinquantes dicunt omnia, quę in Dei obsequium, & favorem animarum Purgatorii faciebat, cumulatissimum præmium habitura in cœlo, civitatemque Dei subitò recuperandam, Ostergiumque captum in manus ejus tradendum. Agmine ergo facto ad civitatem captam properant. Turbatus Ostergius videns multitudinem, quam non cogitaverat, & habitum, mittit legatos, ut rogent, qui sint,& quid velint? Resp. esse milites de domo Dei omnipotentis, venireque ad satisfaciendam injuriam factam Eusebio. Quod audiens Ostergius obvius exercitui civitatem tradit, & quidquid ab ea usurpaverat, duplicatum, posituśque in manibus Eusebii pacem init ad ejus voluntatem. Quo facto quærunt milites ab Eusebio, an sit satisfactus, vellet ne eorum obsequio uti in re alia, qui gratias referens quærit ab ipsis, quinam essent. Respondent, sumus animæ illæ, quæ per tuam industriam & misericordiam pœnas Purgatorii evasimus, Deoque jam fruimur. Ne cesses benefacere animabus, quę pro te orabunt semper, & pro tuo statu, quibus dictis abierunt.

411 Quidam [e] miles præter alia, quę faciebat pro animabus Purgatorii, quoties transibat per cœmeteria defunctorum subsistens orabat pro illis: accidit aliquando, ut fugiens inimicos cum insequentes ad mortem inferendam, transiret per cœmeterium, memor autem suæ devotionis, & periculi, in quo erat, elegit periculo potius præsenti se exponere, quàm omittere devotionem suam orandi pro defunctis: substitit igitur, & oravit de more suo. Videntes inimici illum subsistere occurrunt celerius ad ejus mortem, & videntes multos milites armatos in ejus defensionem minitantes sibi mor- e Speculū d.3. c. 63.

mortem, fugiunt. Finita verò oratione sequitur miles viam suam admiratus, quòd illum liberum dimisissent. Post aliquot dies amici facti quærunt ab illo, quid fecerit, quando in cœmeterio substitit? Respondet orasse pro defunctis de more suo: illi verò dixerunt, quod viderant, & omnes crediderunt animas, pro quibus orabat, venisse armatas in ejus defensionem.

f Granat. d.9. c.181.

412 Quidam [f] bonus sacerdos accusatus apud suum Episcopum, quia quotidie dicebat Missam defunctorum, suspensus ab eo fuit. Cùm autem Episcopus iret ad Ecclesiam, & transiret per cœmeterium, vidit defunctos exire de sepulturis contra se armatos instrumentis officiorum, quæ viventes exercuerant, mortem minantes Episcopo, & dicentes: Hic est Episcopus, qui pro nobis nihil boni agit, & suspendit sacerdotem nostrum, qui pro nobis Missam quotidie offerebat. Nisi resipiscat, erit citò nobiscum. Quo viso, & audito statim concessit sacerdoti suspenso, ut devotionem suam prosequeretur, & ipse fuit in posterum devotissimus animarum Purgatorii, offerendo frequenter Missas pro illis, & alia pietatis opera.

g Cantip. lib.2.

413 Homo [g] quidam pius animarum Purgatorii devotissimus, decumbens ad mortem petiit sacram Eucharistiam, quæ sibi ad mediam noctem delata est, quam ille devotè suscepit: cùm autem rediret ad Ecclesiam, qui eam detulerat, videt Ecclesiæ portas, quas obseratas reliquerat, patentes, non potens autem intrare, nec revertere, audivit hanc vocem: Mortuus est noster devotus, surgant omnes, qui in hoc cœmeterio jacemus, & oremus pro eo, qui pro nobis Dominum oravit. Qua voce audita vidit multos è sepulturis surgentes ingredi Ecclesiam, quæ tota luminaribus splendebat, ubi solemniter cantarunt officium defunctorum pro illo defuncto, quo finito potuit Ecclesiam intrare, & à Deo motus factus est Religiosus in Monasterio ædificato à sancto Martino prope Turonem.

§. 3.

Quantum noceat vivis oblivio animarum, quæ in Purgatorio detinentur.

Miles [h] quidam exercitus Caroli Magni morti vicinus, vocans ad se nepotem, petit ab illo, ut vendat equum, quem solum habebat, cujus pretium insumat in Missis, ac eleemosynis pro anima sua. Nepos, mortuo patruo, videns equum bonum, illum deduxit in domum suam, illoque usus, nihil fecit pro anima defuncti. Cui defunctus apparens intra paucos dies ait: In pœnam tuæ erga me oblivionis crastina die hac eadem hora miserè morieris. Quod condicta die, & hora prorsus evenit. 414

h Specul. d.5.c.121.

415 Quidam [i] sacerdos, quia non fecit, quæ promiserat, ac debebat, pro anima cujusdam peregrini, à quo habitum acceperat, ut suffragia pro ejus anima offerret, crudelissimè à dæmonibus vexatus pœnas dedit, quas dabunt omnes, qui suffragia defunctis debita non persolvunt. Permittet enim justus judex, ut quando omnino non pereant, in Purgatorio patiantur pœnas, quas sanctæ animæ sua ipsorum culpa, & negligentia perpessæ fuerunt. Justus enim Dominus, qui meritas pœnas infligit pro damnis proximis nostris illatis, non dissimulabit, quas incurrimus, dum proximis in Purgatorio existentibus debita suffragia denegamus, quibus gravius multò, quàm vivis nocemus.

i Idem d. c.98.

416 Palmæ [l] in conventu conceptionis beatæ Virginis anno 1541. obiit admirandæ religionis Pater Joannes de Via, cujus perdevotus quidam frater novitius nomine Ascentius curam gesserat. Cùmque is novitius, post aliquot dies à præfati Patris Joan. transitu orationi ferventius instaret, maxima se claritate circumdari, atque fratrem quemdam summoperè resplendentem sibi approximare prospexit. Quod cùm sibi tertiò accidisset, reassumptis utcumque viribus, in prima siquidem, & secunda visione, tanto fuit terrore correptus, ut nec verbum proferre potuerit, ab hujusmodi fratre, quid sibi vellet, & quisnam esset, petiit. Cui ille: Frater, inquit, Joannes de Via ego sum, qui ex maxima Dei

l Gonzag. p.4.

misericordia cœlicolis deputatus existo: verumtamen ne id statim assequar, impedimento sunt quædam defunctorum officia à me oblivioni tradita. Quamobrem à te obnixè precor, ut ea quamprimùm ex charitate persolvenda cures; statimque hujusmodi visio evanuit. Cùm igitur Fr. Ascentius visionem guardiano retulisset, illeque præfata defunctorum officia à fratribus dicenda curasset, apparuit denuo eidem fratri Ascentio præfatus P. Joannes de Via multò majori claritate præfulgidus, sibique maximas, ob præstitum beneficium, gratias egit.

m Hist. Mir. p. 1. lib 9.

417 Quidam [m] Religiosus ordinis Minorum in orando pro defunctis, prout regula eorum exigebat, perquàm negligens, ac remissus fuerat. Moritur dictus Religiosus, & postea cuidam confratrum suorum apparens aperuit, quantas in Purgatorio pœnas negligentiæ suæ in orationibus pro defunctis persolvendis commissæ lueret, subjungens se precibus, ac sacrificiis fratrum pro liberatione, & satisfactione sua oblatis nihil juvari, eò quòd Deus animabus aliis in negligentiæ suæ pœnam illa applicuisset, quia scilicet æquum est, eos nullam ab aliis impetrare misericordiam, qui nullam animabus Proximorum exhibuere, juxta illud: [n] *Iudicium sine misericordia ei, qui non facit misericordiam*. Et illud: [o] *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*. Unde prudentia est unumquemque facere in hac vita pro animabus Purgatorii, quod post mortem ab aliis sibi fieri exoptat: decet enim ut quod nobis volumus, aliis faciamus.

n Iacob. 2. 15.

o Matth. 5. 7.

§. 4.
Quanta sit efficacia Missa sacrificium pro animabus purgatorii?

p Beio in vita Malac.

418 MOrtua [p] est sancti Malachiæ soror, cujus vir sanctus carnalem exhorruerat vitam, adeò ut decreverit non visurum eam in carne viventem; cùm autem carne soluta foret, solutum est votum, & cœpit videre in spiritu, quam in carne videre noluerat. Quadam nocte audivit per somnium vocem sibi dicentis sororem ejus stare foris in atrio, & per totos triginta dies nihil gustasse. Qui evigilans intellexit, cujus escæ inedia marceret, & diligenter discusso numero dierum, quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de cœlo vivum non obtulisset. Tunc ille, qui sororis animam non oderat, sed peccatum; beneficentiam, quam intermiserat, rursum adoritur. Neque id frustra. Non multò pòst visa est illi pervenisse ad limen Ecclesiæ, nec dum tamen posse intrare, apparere etiam in veste pulla. Cùmque ille perseveraret, curans ne quotidie solita stipe frustraretur, secundò videt eam in veste subcandida, admissam quidem intra Ecclesiam, sed ad Altare contingere non permitti: tertiò tandem visa est aggregari cœtui candidatorum, & in veste candida. Peccatrix igitur mulier fraternis obtinuit sacrificiis, quod suis meritis negabatur. Dum [q] beatus Vincentius Fer. fuit in Britanniis, mortuus est quidam è sociis ejus, ad cujus exequias multi convenere sacerdotes, à quibus vir Sanctus petiit, ut singuli pro illius anima ter Missas celebrarent, dicens revelatione divina se didicisse illum Purgatorii pœnas luere. Offeruntur ab illis Missarum sacrificia, & à Vincentio eis gratiæ aguntur, indicavitque Missarum, & precum suffragiis animam illam à pœnis ereptam ad cœlos evolasse.

q Sur. in ejus vita.

419 Huc pertinet casus ille, quem refert D. Greg. Quidam [r] homo captus ab hostibus ductus fuit in terras longinquas. Ubi fuit per multum tempus catenis ferreis constrictus in carcere obscuro, quin de eo in terra sua aliqua esset notitia. Uxor ejus credens ipsum mortuum, singulis hebdomadis Missas, & sacrificia pro ejus anima offerri faciebat. Contingebat autem, quòd quoties Missæ pro eo offerebantur, ille se videbat liberum, & solutum à catenis, quibus tenebatur. Postea homo hic à sua illa captivitate liber remeavit in domum suam; cùm verò narraret uxori suæ determinatis quidem diebus, & horis in suo carcere positum mansisse se liberum à catenis, & ligaminibus, quibus vinctus tenebatur, computans uxor dies, & horas deprehendit fuisse eosdem dies, & horas, in quibus pro eo Missæ sacrificia offerebantur. Ex quo exemplo infert sanctus Gregorius, quanta sit vis, & efficacia in sacrosancto Missæ sacrificio oblato pro animabus Purgatorii, ad eas à suis pœnis liberandas.

r Lib. 4. dial. c. 57.

420 Si-

Digitized by Google

420 Simile exemplum refert Petrus Cluniac. [f] Cùm plures homines excavarent terram in quibusdam fodinis argenti, obruti à magna montis mole, quę super ipsos cecidit, miserè ibi mortui, & consepulti fuerunt: illorum quidam sorte valde impari manens in quodam vacuo inter lapides terram detinentes, mortuus non est, mansit tamen ita impeditus, ut inde exire nullo modo potuerit. Credens autem hujus hominis uxor illum cum aliis simul obiisse, jussit ut singulis diebus pro ejus anima una Missa diceretur, quam illa audiebat, & in fine offerebat panem, vas quoddam vini, & candelam. Invidus autem dæmon volens hoc pietatis opus impedire, semel, bis, & tertiò bonæ mulieri apparuit, dum ad Ecclesiam properaret, persuadens, ut ad domum suam remearet, quia jam non erat tempus celebrandi. Accidit autem, ut post multos dies, venerint alii fossores ad illas fodinas, qui excavantes audierunt vocem dicentem: Excavate cum cautela, ita ut non tangatis talem locum, quia cadens obruere potest illum, qui vos alloquitur. Quam vocem cùm secundò audirent, excavantes ex alia parte, tandem devenerunt ad illud vacuum, in quo homo ille detinebatur, quem integrum, & sanum invenientes rogarunt, quomodo tanto tempore ibi vixerit absque cibo, & potu. Respondit toto illo tempore, exceptis tantùm tribus diebus, habuisse panem, vas vini, & candelam accensam nesciens, unde hæc sibi deferrentur. Tunc bona uxor intellexit oblationem à se singulis diebus factam, cùm Missa pro viro suo offerretur, ad virum suum delatam fuisse. Unde etiam omnes conjectarunt, quantum sit levaminis animabus, quæ in Purgatorio detinentur, quando Missæ, orationes, ac oblationes pro ipsis offeruntur.

[f] Lib. 1. misac. c. 1.

421 Frater [t] Bertrandus ordinis Prædicatorum vir sanctus fuit, solebatque ferè quotidie Missam pro peccatis celebrare; sciscitante autem ex eo Fr. Benedicto viro prudente, cur raro pro defunctis, sæpissimè pro peccatis celebraret? Respondit: Vita functi de sua salute certi sunt, nos autem in periculis fluctuamus: cui F. Benedictus: Si sint duo mendici, alter sanis membris, alter iis carens, utri potissimùm opitulaberis? Respondit: Sane illi, qui se minus juvare potest. Tunc Benedictus: Nimirum, inquit, ii sunt defuncti, quibus nec os est ad confitendum, nec manus ad operandum, sed opem nostram postulant. Vivi autem peccatores & os & manus habent, & iis possunt sibi consulere. At cùm à sententia non deduceretur Bertrandus, sequenti nocte terribilis quidam defunctus apparuit ei, & fasce lignorum mirè eum compressit, atque decies, & eò amplius illa nocte eum excitans perterruit, & vexavit. Igitur prodeunte aurora Fr. Benedictum ad se vocat, narrat totius noctis historiam; inde religiosè, & lacrymabundus ad aram accedens, pro defunctis sacrificium obtulit, idemque multùm, & sæpius in posterum iteravit.

[t] Theodoric. in vita S. Dominici. l. 3. c. 10.

Digitized by Google

LIBER OCTAVUS.

Explicantur

DECALOGUS, QUINQUALOGUS, ET VITIA CAPITALIA,

UT

PAROCHUS

Dirigatur in doctrina declaranda, & sacris Confessionibus audiendis.

Decalogus continet decem Præcepta omnibus nota. Primum est de cultu unius veri Dei. Secundum de non jurando falsum. Tertium de sanctificatione festorum. Et hæc tria pertinent ad Deum, & dicuntur præcepta primæ tabulæ. Quartum est de honore exhibendo parentibus. Quintum de non occidendo. Sextum de non mœchando. Septimum de non furando. Octavum de non ferendo falso testimonio. Nonum de non concupiscenda uxore proximi. Decimum de non desideranda re aliena. Hæc posteriora septem dicuntur præcepta secundæ tabulæ. Nam licèt omnia decem sint naturalia, fuerunt tamen à Deo specialiter data per Moysen *a* populo suo in duabus tabulis lapideis, & posteà à Christo Domino inculcata, & declarata, prout ab omnibus observari debent. Quia verò omnia hæc præcepta ordinantur ad amorem Dei, & proximi, quem qui habuerit, legem implebit, dicente Apostolo *b* de præceptis secundæ tabulæ, quæ ad dilectionem Proximi diriguntur: *Qui diligit Proximum, legem implevit. Nam: Non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Dilectio proximi malum non operatur. Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et Christus interrogatus de præcipuo legis præcepto, respondit: *c Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.* Ubi Christus allusit ad locum Deut. *d* In quo præceptum de Dei dilectione sub iisdem terminis inculcatur. Quia autem Deum diligere non possumus, neque proximum pro-

a Exod. 20. Deut. 5.

b Rom. 13. 9.

c Matth. 22. 36.

d Deut. 6. 5

Digitized by Google

propter Deum, absque Dei cognitione, quæ habetur per fidem; de qua habemus præceptum, sicut & de spe: debemus enim credere Deum esse, & quòd sit remunerator, ut docet Apostolus. [e] Ideò explicandum prius est præceptum fidei. Secundò præceptum spei. Tertiò præceptum charitatis, indeque procedendum ad præcepta Decalogi, & mandata Ecclesiæ, quæ hanc doctrinam supponunt. e Heb. c. 11. 6.

CAPUT PRIMUM.

De fide, ejusque præcepto.

1 Fides est una ex tribus virtutibus Theologicis, quarum principale objectum est Deus secundùm se, vel secundùm aliquod attributum illi proprium. Unde virtus Theologica dicitur illa, quæ Deum immediatè respicit tanquam objectum materiale, & formale præcipuum. Dicitur autem *Præcipuum*, quia non repugnat, ut admittat aliquid creatum, ut complementum sui objecti formalis, ut fides admittit revelationem, spes visionem beatam, & charitas proximum ut partiale objectum materiale.

SECTIO I.

De fide, & necessitate illius.

2 Fides est assensus [a] verus eorum, quæ per Spiritum sanctum Ecclesiæ revelata sunt, quatenus ab Spiritu sancto sunt. Per hanc definitionem declaratur illa Apostoli: [b] *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*. *Assensus* autem est actus intellectus, quo assentimur rebus propositis. *Eorum, quæ per Spiritum sanctum*; significat fidem Theologicam esse tantùm earum rerum, quæ per Spiritum sanctum revelata sunt. *Ecclesiæ*, denotat ea, quæ fide Catholica creduntur, esse illa, quæ Deus revelat Ecclesiæ per sanctas Scripturas, traditiones Apostolicas, Concilia, & Pontificum determinationes, quæ sunt quatuor regulæ fidei. Unde illa, quæ Deus particulari personæ revelaret, crederentur ab illa per fidem Divinam, sed non Catholicam, seu universalem, quia Ecclesiæ proposita non sunt: ab aliis verò per fidem humanam, quia de illis non constat, nisi per authoritatem humanam, sic credimus revelata Sanctis. *Quatenus ab Spiritu sancto sunt*, innuit motivum fidei esse solam divinam veracitatem, ejusque revelationem. Ideò enim credimus, quia Deus dixit, estque verax in dicendo, non ob aliam rationem, nec per aliud medium.

a Soar. d. 6. de fide.

b Heb. 11. 1.

3 Materia fidei, seu objectum primarium, & principale est [c] Deus; totale verò, & adæquatum est quidquid cadit sub divina revelatione, hoc est, quidquid in scripturis Canonicis revelatum continetur, & quæ per traditiones Apostolicas conservantur, vel quæ in Conciliis generalibus, aut etiam particularibus à sede Apostolica confirmatis determinantur, & quæ à Romano Pontifice definiuntur. Objectum verò formale est idem Deus sub ratione primæ [d] Veritatis. Illud enim est objectum formale fidei, quo intellectus movetur, credimus enim, quia Deus revelavit: ergo Deus est objectum formale fidei secundùm eam perfectionem, per quam movet intellectum, ut firmiter assentiamur rebus revelatis. Hoc autem habet, quatenus est summa & prima Veritas, quæ nec falli, nec fallere potest. Unde Deus, ut revelans, & testificans pertinet ad objectum formale fidei. Quia sicut non credimus homini veraci, nisi nobis loquatur, ita nec Deo. Quare sicut motivum credendi homini veraci, est testimonium, quod nobis perhibet de re aliqua; ita motivum credendi Deo ex illius attestatione partialiter sumi debet, adeò ut verum sit, nos credere mysteria fidei, non modò quia Deus summe verax est, sed etiam quia ipse revelavit.

c Soar. d. 6.

d Soar. d. 3.

4 Fides est medium ad salutem necessarium. Sumitur ex Apost. [e] *Sine fide impossibile est placere Deo*. Et ex Trid. [f] definiente vocationem ad fidem esse exordium justificationis, & baptismum Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam

e Heb. 11. 6

f Sess. 6. c. 7. & 8.

Digitized by Google

quam contigit justificatio. Ad salutem autem multa sunt credenda de Deo, quæ ratione naturali probari possunt. Sumitur ex Apostolo: [g] *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*. Sed Deum esse ratione naturali probatur, ut suppono: ergo. Deinde per fidem credimus Deum esse æternum, omnipotentem, & id genus alia, quæ de Deo naturali lumine cognoscuntur. Accedit, quia fides est sperandarum substantia rerum, quod autem speramus, est beatitudo æterna, quæ à solo Deo conferri potest: ergo eo ipso, quòd habemus fidem, debemus credere Deum esse. Tandem, quia aliàs in philosopho, qui ad fidem convertitur, initium salutis esset ex naturali Dei cognitione, quod solus diceet Pelagianus. Patet sequela. Quia cognitio existentiæ Dei, & attributorum ejus necessaria est, ut iste Deum diligat, & ad Deum convertatur: ergo si non est necesse, ut cognitio illa habeatur per fidem, sequitur cognitionem Dei naturalem per se in tali homine ad justificationem, ac salutem conducere, esseque totius Religionis fundamentum, de quo latè [h] doctores.

g Heb. 11. 1.

h Soar. d. 2. sect. 3. n. 5. & d. 12. sect. 3.

5 Ad salutem necessarium est credere de Deo aliqua, quæ lumen naturale superant. Patet, quia ultra quod opus sit credere mysterium Trinitatis, & Incarnationis, quæ superant nostrum captum. [i] *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*: Sed res, quas speramus, sunt supra naturam, unde dicuntur non apparentes, quia humanam rationem excedunt, & solo supernaturali lumine attinguntur. Ideò Apost. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit;* quod de remuneratione æternæ gloriæ intelligitur. Quia verò non possumus gloriam obtinere, nisi à peccatis mundemur, & gratiam justificantem habeamus; remissio autem peccatorum, & collatio gratię est opus divinæ bonitatis, & misericordiæ, necessarium est credere Deum hujusmodi bonorum, quæ supra naturam sunt, esse datorem, de quo etiam [l] doctores.

i Heb. 11. 6.

l Soar. supra Sanch. 2. decal. c. 2. n. 3. & 5.

6 Semper fuit necessarium necessitate medii fides in Christum mediatorem. Sumitur ex verbis Christi: [m] *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*. Ergo sicut nemo in deserto sanabatur à morsu serpentium, nisi qui serpentem æneum aspiciebat, ita nemo sanatur à peccato, nisi per fidem Christi crucifixi. Neque enim [n] *Est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri*. Ante tamen Christi adventum non fuit necessaria ad salutem explicita fides Christi venturi, qui futurus esset Deus & homo, per cujus mortem homines essent salvandi, sed satis erat implicita. Tempore verò Euangelii necessaria est fides Christi explicita, imò & omnium articulorum Symboli saltem quoad substantiam, ut dictum est lib. 7. De tota hac doctrina latè [o] doctores,

m Ioan. 3. 14.

n Act. 4. 12

o Soar. d. 2. sect. 5. à n. 12. Sanch. n. 5

SECTIO II.

De Præcepto fidei.

Præceptum fidei satis colligitur ex necessitate, de qua suprà. Hoc [a] autem aliquando per se, & directè obligat ad eliciendum actum fidei. Prob. quoad infideles, qui si fidem respuant, quando ejus mysteria sibi sufficienter sunt exposita, peccatum infidelitatis committunt, aguntque contra præceptum fidei, quia nulla est ratio, cur assensum diutius differre debeant, cùm sufficienter cognoscant res sibi propositas esse à Deo revelatas, Deumque non posse mentiri, & quod ab ipso revelatum est, verissimum esse: ergo si non assentiantur, gravem primæ Veritati injuriam irrogant contra præceptum credendi. 7

a Soar. d. 13. sect. 5. Sanch l. 2. c. 1.

8 Probatur quoad infantes, [b] qui per baptismum fidei habitum receperunt, hi enim tenentur actum fidei elicere, cùm primùm ipsis illucet rationis usus, & de rebus fidei sufficienter instruuntur. Unde licèt infideles, qui in falsa Religione nutriti sunt, non teneantur amplecti fidem ipsis propositam, donec variis rationibus, & signis illius credibilitas evidenter demonstretur, quia aliàs temerè procederent: fideles verò, per se loquendo, tenentur assentiri mysteriis fidei statim ac à Pastore, vel pio, & docto viro ipsis sunt proposita tamquam fide credenda; cùm justa causa differendi assensum in ipsis locum non habeat, quæ datur in infidelibus. Quia cùm jam ordinati sint ad finem supernaturalem, æquum est, ut per actum fidei se in suum finem referant, cùm id facere possunt.

b Doctores supra.

9 Ad-

Digitized by Google

c Soar. s. 5. Sanch. n. 5

9 Addendum [c] non sine probabilitate præceptum fidei obligare per se, & directè ad actum internum ipsius, quando quis de fide graviter tentatur; quia id est medium potissimum ad talem tentationem vincendam. Si tamen hujusmodi tentationes ex scrupulis oriantur, utilius erit cogitationem aliò divertere. Hoc autem est intelligendum de tentationibus internis, quia si tyrannus tentaret ad fidem abnegandam; deberet sic tentatus fidem exterius constanter profiteri, & consequenter internum actum fidei elicere, sine quo externa confessio languida foret, & parum firma.

d Soar. proximè. Sanch. n. 5

10 Aliquando [d] præceptum fidei obligat indirectè, & per accidens. Prob. quia aliquando fideles tenentur orare, conteri de peccatis, elicere actum spei, & charitatis accedere ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ: quæ omnia non possunt rectè fieri sine actu fidei: ergo per accidens, & indirectè obligat præceptum fidei ad eliciendos ejus actus internos.

e Math 10. 33.

f Soar. d. 14 sect. 1. Sanch. c. 4 n. 2.

11 Datur præceptum negativum fidei obligans ad fidem numquam negandam neque interius, neque exterius. Sumitur ex verbis Christi: [e] *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Ubi licèt sermo sit de negatione externa, à fortiori est verum de interna, [f] Nam negare fidem internè, perinde est ac affirmare articulos fidei esse falsos, & consequenter Deum, qui eos revelavit, esse mendacem, quod stare non potest sine gravi injuria primæ Veritatis, quæ nec falli, nec fallere potest. Unde utraque negatio est gravissimum peccatum mortale; gravius tamen negatio interna, quia per eam fides omnino deperditur, & destruitur totum fundamentum salutis.

g Soar. proximè. Sanch. n. 7 & 9.

12 Obligat [g] igitur hoc præceptum negativum pro semper, & consequenter quilibet fidelis tenetur potius mortem subire, quàm fidem etiam exterius negare, estò interius conservetur. Quod non solùm est intelligendum de negatione directa, cùm quis expressè fidem catholicam, aut aliquem ejus articulum neget: sed etiam de indirecta, quæ contingeret, si aliquis negaret se esse Christianum, aut profiteri fidem Romanam; vel affirmaret se esse Lutheranum, Calvinistam, Mahometanum, aut Paganum.

h Soar. s. 3. & 4. Sanch. n. 14. & 15.

13 Obligat [h] etiam hoc præceptum ad non ita simulandam exterius negationem fidei, ut adstantes ex verbis, aut factis judicent te seriò agere, & fidem abnegare. Quia nihil aliud re ipsa foret, quàm retenta interius fide, eam exterius coram hominibus negare, quod per se malum, & illicitum est; aliàs potuissent Martyres absque peccato mortale coram tyranno fidem apparenter negare ad vitanda tormenta, quod planè repugnat sensui Ecclesiæ, quæ semper judicavit eos peccare mortaliter, qui sive metu mortis, sive alia de causa fingunt modo prædicto se non esse Christianos. Dico: *Prædicto modo.* Quia non est contra fidem joco simulare ejus negationem, aut eam repræsentare, ut fit in theatris; quia adstantes satis capiunt negantem tali modo fidem, non agere seriò, sed simulatè, & apparenter.

14 Dices: Si in aliis materiis simulatio interdum licita est, cur non in materia fidei, & Religionis? Respond. causam discriminis esse, quia quando dicis te aliquid non fecisse cum restrictione mentali; verum dicis, quia verum est te illud non fecisse, juxta tuam mentem, quidquid sit de mente audientis, cui non semper teneris conformari: quando verò verbis, vel factis testaris te non esse fidelem, falsum profiteris, cùm verè fidelis sis. Unde in re gravi mentiris.

i Soar. sect. 5. Sanch. à n. 16.

15 Instabis. Ad vitandam mortem, licet uti vestibus infidelium, quamvis alii inde judicent te esse infidelem: ergo similiter licebit verbis, & factis simulare falsam sectam, & veram fidem occultare. [i] Respond. primò antecedens esse valde dubium, quia licèt verum sit de vestibus, quæ ob finem politicum nationes distingunt; valdè dubitatur de illis, quæ institutæ sunt ad distinguendam unam sectam ab alia ob finem Religionis, & multi negant licere ob periculum etiam mortis uti talibus vestibus, quia esset facto ipso exterius profiteri sectam illam, ad quam specialiter significandam, & distinguendam hujusmodi vestes sunt institutæ, quod non minus illicitum videtur, quàm verbis eamdem sectam simulatè profiteri, eò vel maximè, quia illicitum est induere eas vestes, quæ specialiter ab aliqua falsa secta institutæ sunt ad cultum falsæ Religionis, ut ferè omnes

Digitized by Google

nes fatentur: sed vestes, quæ distinguunt unam sectam ab alia, cùm sint deputatæ ad professionem illius, non possunt non ordinari ad cultum falsæ Religionis, cùm non nisi in gratiam illius discretio illa vestium facta sit: ergo illicitum erit illis uti ad fidem occultandam.

l Soar. proximè. 16 Respond. [l] secundò esse discrimen inter vestes, & verba; nam qui aliàs norunt te esse Christianum, judicant te saltem metu mortis fidem abnegare, si id verbis affirmes; quamvis autem te videant inter infideles versantem indutum eorum vestibus, quæ alium usum habere possunt, non propterea determinatè judicant te fidem abnegasse, sed illis vestibus uti, vel ut fidem occultes; quia quamvis nunquam liceat fidem negare, eam tamen occultare non semper est illicitum, sed tunc solùm, quando ex præcepto tenemur fidem exterius profiteri, quod præceptum non urget in casu, de quo loquimur, ut supponitur.

17 Dices. Interdum licet ex gravi causa comedere cum infidelibus carnes vetitas, adire eorum templa, eorumque precibus, & concionibus interesse: sed hoc non est aliud, quàm factis fidem simulare: ergo hæc simulatio licet.

m Sanch. n.15. Respond. [m] Quando dicimus non licere verbis, aut factis simulare falsam fidem, id intelligendum de factis, quæ, spectatis circumstantiis, non habent alium usum, quàm professionem falsæ Religionis, qualia sunt genuflectere coram idolo, ei incensum offerre &c. Actiones verò, de quibus in argumento, alium usum habere possunt, neque spectatis circumstantiis sunt determinatæ, ut significent professionem falsæ Religionis, aut veræ negationem. Unde ad vitandam mortem, aut grave damnum, per se loquendo, usurpari possunt. Dico autem: *Per se loquendo*. Quia si magnum inde scandalum pusillorum oriretur, vel si quis in contemptum fidei, aut Ecclesiæ ad eas, aut similes actiones adigeretur, sub peccato mortali ab iis esset abstinendum, ut omnes docent.

n Soar. f.2. Sanch. c.4. 18 Datur præterea præceptum affirmativum [n] confitendi exterius fidem, non tamen semper. Prob. quia præcepta affirmativa non obligant pro semper, sed pro loco, & tempore: ergo hoc præceptum non obligat pro semper, & ubique fidem exterius profiteri, sed tantùm pro aliquo loco, & tempore, quando nempe per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, aut utilitas proximis impendenda, v.c. quando aliquis interrogatus de fide, taceret, ex quo alii à fide averterentur, in quo casu, & similibus obligat hoc præceptum ad fidem exterius profitendam,

SECTIO III.

De Infidelitate, & peccatis contra fidem.

INfidelitas vel est negativa, quando quis merè negativè se habet, fidem non habendo; vel est positiva, quando quis se habet per contrarietatem ad fidem, repugnando illius auditui, vel illam contemnendo. Prima, quæ est pura carentia fidei, potest vocari privativa, si attendamus ad fidei necessitatem, quia est privatio formæ debitæ in esse; cùm enim fides sit medium ad salutem necessarium, tenentur omnes sub gravi culpa eam habere, licèt ab ea excusentur, qui de fide nihil audierunt; non tamen excusantur, qui rebus fidei sufficienter propositis merè negativè se habent circa illas, suspendendo omnem assensum; & dicuntur infideles privativè, & culpabiliter. Si autem rebus fidei sufficienter propositis aliquis contradicat, vel positivè credendo non esse veras, vel de earum veritate dubitando; aut etiam positivè nolit dare assensum, quamvis positivè non dissentiat, nec dubitet, dicitur infidelis positivè. 19 a Soar. d. 16. sect.1.

20 Dico [b] ergo primò. Infidelitas positiva est peccatum contra fidem, negativa verò aliquando est peccatum, aliquando non est. Prob.1. pars. Quia fides est necessaria ad salutem: sed quilibet tenetur sub gravi obligatione media ad salutem necessaria non respuere: ergo qui positivè se opponit fidei, graviter peccat, ultra quod positivè repugnat primæ Veritati, quod grave peccatum est. Prob. secunda pars. Quia multi, qui fidem non habent, nihil de ea audierunt; ergo inculpabiliter eam non habent, qui proinde non damnabuntur ob carentiam fidei, sed ob peccata, quæ contra legem naturalem commiserunt. Tertia pars constat ex dictis, quia qui notitiam habent fidei, eam b D. Tho. 2.2.q.10.a.1. Soar. supra & d. 17.

Digitized by Google

eam accipere tenentur; ergo si non accipiant, culpabiliter fide carent.

c D. Tho. art. 2. Soar. s. 3.

21 Dico secundò: [c] Infidelitas est in intellectu, ut in subjecto. Prob. quia sicut fides est in intellectu, ita & infidelitas, nam opposita in eodem subjecto reperiuntur. Cum quo tamen stat, quòd infidelitas, quoad ejus malitiam formalem sit in voluntate, quia omnis malitia, seu culpa est voluntaria. Unde infidelitas quoad actum externum est in intellectu, quoad internum in voluntate: seu malitia objectiva infidelitatis est in intellectu, formalis in voluntate, quatenus dissentire rebus fidei, aut non consentire pertinet ad intellectum; velle verò dissentire, & nolle consentire ad voluntatem. Quare infidelitas nunquam committitur per solam voluntatem, sed semper consummatur in intellectu, quia cùm intellectus obediat voluntati in rebus obscuris, non potest esse voluntas efficax dissentiendi, vel non credendi, seu dubitandi, quin statim sequatur dissensus, vel omissio assensus, aut dubium circa fidem.

d D. Tho. a. 1. 5. Soar. s. 4.

22 Dico tertiò: [d] Tres sunt species infidelitatis, nempe Paganismus, Judaismus, & Hæresis. Prob. quia cùm peccatum infidelitatis consistat in resistentia facta fidei; potest hæc fieri fidei nullo modo susceptæ, & est infidelitas Paganorum: vel fidei Christi susceptæ in solis figuris, & promissionibus, & est infidelitas Judæorum: vel fidei Christi in re crediti, & est infidelitas Hæreticorum. Potest addi Mahometanismus, seu infidelitas eorum, qui non idola, sed verum Deum colunt; cùm verò Christum verum Deum negent, & quę ad Christum pertinent, ad Paganismum eorum infidelitas reduci solet. Nec Apostasia à fide est species à tribus distincta. Quia nemo fidem Catholicam deserit, nisi ut transeat vel ad Hæreticos, vel ad Judæos, vel ad Paganos, sub quibus Mahometanos comprehendimus. Est tamen Apostasia à fide circumstantia aggravans infidelitatem, juxta illud: [e] *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti.* Illi enim dicuntur Apostatæ, qui professionem fidei Catholicæ, quam semel fecerunt, abjiciunt, ut Paganismum, Judaismum, vel Hæresim amplectantur.

e 1. Pet. 2. 21.

f Soar. d. 19. s. 5.

23 Dico quartò: [f] Ut quis dicatur hæreticus, non opus est, quod aliquando veram fidem habuerit, eamque abjecerit. Unde illi, qui ab infantia fuerunt in hæresi educati, verè sunt hæretici, licèt nunquam fuerint baptizati, aut baptismus ipsis cum errore substantiali collatus fuerit, adeoque fidem infusam non acceperint. Prob. quia tales fidem Christianam exterius profitentur, & aliquos illius articulos negant: ergo dicuntur hæretici, quamvis non Apostatæ, licèt id neget Sanch. [g]

g Sanch. c. 7. n. 36.

24 Dico quintò: Ad hæresim non satis est error positivus contra doctrinam fidei, sed requiritur pertinacia. Sumitur ex jure Canonico, [h] ex quo constat requiri pertinaciam, illumque esse hæreticum, qui non vult dimoveri à sua sententia sciens oppositam teneri ab Ecclesia Catholica; non verò illum, qui id ignorat etiam vincibiliter, & culpabiliter. Ratio autem est. Quia qui nescit errorem suum repugnare fidei Catholicæ, non est pertinax, quoniam non obstante ignorantia illa etiam culpabili, potest esse ita affectus, ut errorem suum deponat, si sciat eum non probari ab Ecclesia. Confirmatur. Quia non est hæreticus, qui habet fidem: sed qui errat modo prædicto habet fidem, etsi enim ex errore putet aliquem articulum esse falsum, cùm tamen aliunde generatim credat quidquid ab Ecclesia credendum proponitur, implicitè etiam credit articulum illum, circa quem errat. Unde quamvis ignorantia culpabilis illum à peccato non excuset, impedit tamen ne sit hæreticus, quia tollit pertinaciam. Et ita docent communiter [i] Doctores.

h Clem. unica de sum. Trinit.

i D. Tho. q. 11. a. 1. ad 3. Soar. d. 19. s. 3. Sanch. c. 7

25 Dices: Qui inter hæreticos fuerunt educati, censentur hæretici; & tamen non errant, nisi ex prædicta ignorantia; ergo hæc non excusat ab hæresi. Resp. eos, qui tali ignorantia laborant, non esse verè hæreticos: paucos tamen esse, qui in adulta ætate ignorent se habere fidem ab Ecclesia Catholica alienam; & tunc erunt hæretici, si pertinaciter perstiterint in suo errore. Neque obstat, quòd non putent se esse extra verā Ecclesiam; quia satis est, quòd repugnent veritatibus fidei traditis ab ea Ecclesia, quam scire tenentur esse veram, aliàs vix ullus unquam foret hæreticus, cùm nemo adeò desipiat, ut directè, & expressè judicet esse falsum, quod à vera Ecclesia credendum proponitur tamquam

quam

Digitized by Google

quam à Deo revelatum; quia hoc nihil aliud esset, quàm authoritatem Dei expressè contemnere, Deumque mendacem directè judicare.

m Soar. s. 4. San. h. n. 11. & 12.

26 Dico sextò: [m] Ad hæresim non requiritur assensus positivus, quo quis judicet falsum esse, quod Ecclesia Catholica credit ut verum, & à Deo revelatum; sed sufficit actuale dubium de veritate rei revelatæ; seu judicium, quo quis veluti pendulus manens inter assensum & dissensum judicet rem, de qua agitur, esse dubiam, & incertam: quod dubium, si sit voluntarium, sufficit ad hæresim. Prob. quia fides Catholica docet articulos ad credendum propositos non solùm esse veros, sed etiam certos: ergo fidei repugnat, estque hæreticus non solùm, qui credit illos esse falsos, sed etiam qui de eorum veritate dubitat. [n] Conf. 1. quia in jure dicitur dubius in fide esse infidelis: ergo est hæreticus, si pertinaciter dubitet. 2. quia injuriam facit primæ Veritati, qui dubitat de veritate rei, quæ ab ea ut vera proponitur; perinde enim est, ac si dubitaret, num Deus posset mentiri, nec ne. De pœnis hæreticorum latè Doctores, [o] quas omittimus, quia non pertinent ad nostrum institutum.

n Cap. 1. de Hæret.

o Soar. à d. 21. Sanch. à c. 9.

CAPUT SECUNDUM.

De spe Theologica.

27 INter virtutes theologicas post fidem ordine generationis sequitur spes, de cujus natura, præcepto, ac de peccatis, quæ contra ipsam committi possunt, breviter dicendum est.

SECTIO I.

De spe ejusque præcepto.

28 DIco primò: [a] Spes non solùm est virtus, sed est virtus theologica. Prob. quia virtus bonum facit habentem, inclinando illum ad operationes bonas, quod est proprium virtutis: spes autem inclinat ad sperandam æternam beatitudinem, quæ consistit in ipso Deo possesso per visionem claram, unde ejus principale objectum est Deus: cùm ergo virtus theologica sit illa, quæ Deum habet pro objecto; sequitur spem non solùm esse virtutem, sed theologicam, quæ attingit ipsum Deum in se.

a D. Tho. 2. 2. q. 17.

29 Dico secundò: [b] Spes est virtus ab aliis theologicis distincta. Prob. quia virtus dicitur theologica ex eo, quòd habeat Deum pro objecto: sed charitas tendit in Deum propter se ipsum, hoc est, propter ipsius bonitatem, & amabilitatem; fides tendit in Deum, prout est principium totius veritatis cognoscendo ipsius existentiam, & alia, quæ ab ipso nobis revelantur, quia ipse revelavit, estque verax in dicendo: spes verò tendit in Deum, prout est supremum bonum nostrum à nobis obtinendum, & possidendum: ergo spes est distincta à fide, & charitate, quæ, præter spem, solæ sunt virtutes Theologicæ.

b Soar. de spe d. 1.

30 Dico tertiò: [c] Principale objectum materiale spei est æterna beatitudo tam objectiva, quæ est ipse Deus, quàm formalis, quæ in ejus visione consistit. Prob. quia Deus est summum bonum nostrum, nobis summè amabile amore concupiscentiæ; præmium enim virtutis erit ipse, qui virtutem dedit, ut dixit Aug. [d] & Deus ipse testatus est, dicens: [e] *Ego merces tua magna nimis*: ergo Deus ipse est principale objectum materiale spei. Quia verò non speramus Deum ut à nobis separatum, sed ut bonum nostrum, ut à nobis possidendum per visionem beatam, sequitur, ut ipsam etiam visionem, & possessionem speremus. Et quia possessio rei non constituit objectum diversum à re possessa, sperare visionem Dei, nihil est aliud, quàm sperare Deum visum, seu Deum per visionem possidendum. Dixi Deum esse objectum materiale principale spei, quia secundaria objecta spei sunt auxilia gratiæ, & alia media conducentia ad beatitudinem, quæ etiam à Deo speramus.

c Soar. proximè.

d 22. de civit.

e Gen. 15. 1.

31 Dico quartò: [f] Objectum formale spei est Dei bonitas non in se spectata, sed ut nobis bona, & conveniens. Prob. quia Deus eo modo spectatus est appetibilis: ergo sub eo respectu est sperabilis. Patet consequentia, quia spes est quædam appetitio: sed illud est objectum formale appetitionis, quod movet ad appetendum: ergo bonitas Dei ut nobis conveniens, est objectum formale spei, desiderii, & amoris concupiscentiæ; ejus verò possi-

f Soar. s. 3.

Digitized by Google

possibilitas est conditio, sine qua non appeteretur.

g D. Thom. q. 18. Soar. s. 2. 32 Dico quintò: g Proximum subjectum spei est voluntas. Prob. quia habitus per actus cognoscuntur: sed actus spei est motus potentiæ appetitivæ, cùm ejus objectum sit bonum; ergo spes est in voluntate tanquam in proximo subjecto. Neque enim potest esse in appetitu sensitivo, quia hic solùm fertur in bonum sensibile, quale non est Deus clarè videndus.

h D. Thom. q. 22. Soar. d. 2. sect. 1. Sanch c. 33. n. 1. 33 Dico sextò: h Datur præceptum affirmativum, ex quo tenemur sperare in Deo, seu à Deo beatitudinem æternam, remissionem peccatorum, aliaque ad salutem necessaria. Prob. quia omnis actus ad salutem necessarius cadit sub præcepto: sed actus spei est medium ad salutem necessarium: ergo est sub præcepto. Accedit: Quia spes post fidem est quasi fundamentum vitæ Christianæ, & spiritualis, seu potius principium: ergo præceptum spei est quodammodo præambulum ad legem Christi, & fundamentum aliorum præceptorum. Quia verò præcepta i affirmativa non obligant pro semper; tempus, quo hoc præceptum per se obligat, non potest designari positivè, & omninò determinatè, sed quasi confusè; tenetur enim homo aliquando in vita spem exercere: quòd autem sit modò, vel postea, arbitrio prudentis relinquitur. Addo teneri hominem non diu differre actus spei; quia cùm ad illos teneatur, ut per eos disponatur ad benè operandum, & vitanda peccata; istæ autem occasiones non differantur, nec illa obligatio differri debet.

i Soar. s. 1. n. 3. Sanch. n. 3

34 Addo primò obligare, quando occurrit præceptum eliciendi actum fidei. Cùm enim accedens ad Deum credere debeat, quia est, & quòd se inquirentibus remunerator sit, tenetur tunc sperare præmia æterna, ut eo affectu stimulatus efficaciter statuat divinam legem cum divino auxilio observare, & peccata cavere. Secundò in fine vitæ, ut spe divinæ misericordiæ possit roborari contra tentationes tunc pulsantes. Tertiò quando quis graviter tentatur, ut de Dei misericordia desperet. Tunc enim ad superandam talem tentationem necessarium videtur elicere actum spei. Addunt aliqui etiam obligare, quando quis tenetur dolere de peccatis, orare, accedere ad Sacramenta &c. Verùm hæc obligatio non oritur tunc ex præcepto spei secundùm se; sed ex præceptis actuum tunc obligantium, qui sine spe elici non possunt. Unde si actus spei tunc omitteretur; non peccaretur contra præceptum affirmativum spei, sed contra alia, quæ defectu spei violarentur.

35 Dico septimò: l Datur præceptum negativum obligans semper, & pro semper ad non exercendum actum contrarium spei. Prob. quia omnes actus contrarii spei sunt intrinsecè mali malitia opposita spei: ergo sunt prohibiti per præceptum negativum spei, quod obligat ad numquam desperandum de divina misericordia, ac pietate. l D. Thomas. Soar. n. 7. Sanch. n. 2

SECTIO II.

De peccatis contra spem.

Non est quæstio de peccatis contra præceptum affirmativum spei, quæ sunt omissiones actuum, quos spes elicere præcipit. De peccatis ergo contra præceptum negativum dico primò: 36
a Desperatio est actus directè oppositus spei, & ab illa graviter prohibitus. a Soar. d. 2. sect. 1. Sanch. n. 5
Conclusio est nota ex terminis; gravissima enim inordinatio est contra virtutem spei, hominem creatum ad vitam æternam velle per actum suum positivum, & liberum omittere quidquid necessarium est ad illius assecutionem quandiu vixerit: ergo est graviter prohibitum, & peccatum mortale gravissimum.

37 Ut autem hoc intelligatur, adverte desperationem non consistere in nolitione beatitudinis. Nam ultra quod beatitudo non possit apprehendi sub aliqua ratione mali, sub qua nolitionem terminet; desperatio non est, nisi de bono, quod optatur. Unde non potest versari circa beatitudinem, si eam ut nobis malam ex aliquo errore aversemur. Neque consistit in judicio aliquo; quia cùm opponatur spei, debet esse in voluntate, ubi est spes. Declaratur, quia non potest consistere in judicio, quo quis judicat salutem sibi esse impossibilem; quia tale judicium est hæreticum, atque adeò continet peccatum à desperatione distinctum. Neque in judicio, quo judicat, etsi sal- b Soar. sect. 2. n. 2.

Digitized by Google

salvari possit, de facto non salvandum; quia non obstante eo judicio, posset absolutè non desperare. Et quia voluntas non necessitatur à judicio; ut certum suppono ex vera philosophia; & quia posset adhuc dicere: Quod possum facere, faciam. Quare ad desperationem semper supponitur aliquod ex dictis judiciis, vel simile, ex quo sequitur actus voluntatis, quo quis statuit abjicere omnem curam acquirendæ salutis, & media ad illam necessaria omninò negligere, qui actus est desperatio.

c D. Tho. a.1. Soar. f. 2. Sanch. n.6

38 Dico secundò: [c] Desperatio potest esse cum hæresi, & sine illa. Prob. prima pars. Quia si desperatio oriatur ex illo judicio: *Deus mihi non remittet peccata, neque salvabit quidquid ego faciam*. Judicium erit hæreticum, & duo peccata hæresis, & desperationis. Prob. secunda: Quia si desperatio oriatur ex eo judicio: *Ego de facto non salvabor*. Dari potest sine hæresi. Nam habens rectam fidem in universali, deficit sæpius in motu voluntatis circa particularia, corrupta circa particulare ejus æstimatione, sicut ille, qui eligit fornicationem ut sibi bonam hic, & nunc, habet æstimationem corruptam in particulari, cùm tamen retineat universalem veram secundùm fidem, quòd nempe fornicatio sit mala, & mortalis: ergo similiter aliquis retinendo in universali veram estimationem fidei, quòd scilicet sit in Ecclesia remissio peccatorum; potest tamen pati motum desperationis, quòd videlicet sibi in tali statu existenti non sit sperandum de venia, nec de salute, corrupta æstimatione circa particulare.

d D. Tho. a.2. & 3. Soar. f. 1. Sanch. n.3

39 Dico tertiò: [d] Præsumptio est grave peccatum repugnans virtuti spei. Prob. quia omnis motus appetitus habens se conformiter ad intellectum falsum, secundùm se malus est, & peccatum: sed præsumptio est talis motus conformis intellectui falso, quòd scilicet Deus perseverantibus in peccato veniam concedat, quòd cessantibus à benè operando gloriam tribuat: ergo. Quod autem opponatur spei, prob. quia duo vitia opposita contrariantur eidem virtuti, ut timiditas, & audacia fortitudini: sed presumptio contrariatur desperationi, quæ directè opponitur spei: ergo eidem directè opponitur præsumptio; nam spes, & præsumptio respiciunt idem objectum, illa ordinatè, hæc autem inordinatè.

40 Quod ut melius intelligas, nota variis modis posse contingere præsumptionem. Primò, si quis speret beatitudinem, vel remissionem peccatorum propriis viribus; quæ præsumptio hæretica est, & Pelagiana. Secundò, si veniam speret sine pœnitentia, & gloriam sine meritis, quæ est præsumptio Lutherana, fidei ac spei repugnans, ad quam spectat digna, & dignè de Deo sperare. Tertiò, si quis speret à Deo speciale auxilium ad res illicitas. Quartò, si speret bona supernaturalia, præter ordinem divinæ providentiæ, ut gloriam æqualem gloriæ beatæ Virginis, agit enim contra spem, quæ nititur potentia Dei ordinata, ejusque promissionibus. Quintò, qui diu perseverans in peccatis tam facilem speraret veniam, & tam certam, ac si nihil peccaret. Quod etiam est contra debitum ordinem spei, quia occasionem sumeret perseverandi in peccato ob veniæ spem, quod est quoddam genus præsumptionis.

41 Dico quartò: [e] Sub peccatis contra spem continetur odium, & tristitia contraria actibus spei. Prob. quia omni virtuti, ad quam spectat amare, desiderare, & gaudere, assignantur actus contrarii: ergo amori concupiscentiæ, quem elicit spes, contrariatur odium, quo quis Deum à se avertat nolens in illa constituere suam felicitatem, & sic de tristitia contraria gaudio.

e Soar. f. 2. n. 3.

CAPUT TERTIUM.

De charitate Theologica, ejusque effectibus.

Charitas est virtus, quæ hominem Deo summo bono conjungit, & ad illum amandum inclinat, ad idque vires præbet; cujus naturam, præceptum, ac vitia, peccataque ipsi opposita in hoc capite explicabimus. 42

SECTIO I.

De natura charitatis theologica.

Dico primò: [a] Charitas theologica est omnium virtutum præstantissima. Prob. quia virtutes theologicæ, quæ Deum immediatè attingunt; excedunt 43

a Soar. de char. d. 3. sect. 1.

cedunt omnes morales, quæ ad honestatem rationis terminantur: sed inter theologicas major est charitas, teste Apostolo. [b] Et ratio est, quia Deum magis attingit, quàm fides, & spes, quæ Deum attingunt secundùm quod ex ipso nobis provenit vel cognitio veri, vel adeptio boni: charitas verò attingit Deum in ipso sistendo; ergo est præstantior fide, & spe, & consequenter omnibus aliis virtutibus.

b 1.Cor.13 13.

c Soar.s.3.

44 Dico secundò: [c] Charitas est amicitia supernaturalis hominis ad Deum. Quod ut intelligas, adverte ad amicitiam hominis cum Deo requiri. Primò, amorem Dei; quia ubi nullus amatur, nulla est amicitia. Secundò, amorem benevolentiæ, quo Deo bonum velit; nam velle sibi bonum, est se amare amore benevolentiæ, unde non est amicitia rei amatæ. Tertiò, amorem mutuum; amor enim, qui solus est, & redamantem non habet, non est amicitia. Quartò, ut sit communicatio inter se mutuò amantes; quia sine communicatione non constat amicitia: sed omnia ista inveniuntur in charitate; nam homo per illam Deum diligit amore benevolentiæ, volendo illi bona intrinseca, ac perfectiones, quæ in eo sunt, & bona extrinseca gloriæ, honoris, & exaltationis. Est amor mutuus: [d] *Quia Deus diligentes se diligit*. Imò [e] *ipse prior dilexit nos*, ejusque amor est nostri amoris causa. Est denique mutua communicatio: quia Deus est finis noster, nos autem ad ipsum tendimus, ipse se nobis manifestavit, suamque voluntatem declaravit, quam charitas implet; ergo est amicitia hominis ad Deum, seu amor amicitiæ. Est autem amicitia supernaturalis. Quia licèt Deus sit finis naturalis hominis, sicut & omnium creaturarum, & ex hac parte debeat Deo amorem naturalem; est specialiter finis supernaturalis creaturæ rationalis habendus per supernaturalem visionem. Unde amare ipsum sub ratione sic elevata, amicitia supernaturalis est, quæ habetur per auxilium supernaturale divinæ gratiæ.

d Prov.8. 17.
e 1.Ioan.4 19.

f Soar.d.1. sect. 1.

45 Dico tertiò: [f] Primarium objectum materiale charitatis est Deus, secundarium verò proximus. Prob. quia illud est primarium objectum materiale alicujus virtutis, in quo maximè locum habet objectum formale ipsius: sed objectum formale charitatis, nempe divina bonitas, propter quam amantur omnia diligibilia ex charitate, maximè locum habet in Deo, in quo est per essentiam, in aliis solùm per participationem: ergo Deus est primarium objectum charitatis; proximus verò secundarium. Dicitur autem proximus omnis ille, qui nobiscum potest esse particeps ejusdem finis, & beatitudinis, qualis est omnis homo in hac vita degens, licèt infidelis, peccator, aut inimicus. Imò & Angeli beati, & animæ, quæ finem jam obtinent. Unde ab amore charitatis solùm sunt excludendi damnati, qui jam sunt incapaces beatitudinis, ad quam tendimus.

46 Est autem proximus diligendus primò, quantum ad finem ultimum, ita ut omnibus velimus æternam beatitudinem, neminem ab hac voluntate excludentes, esset enim talis voluntas mortaliter peccaminosa. Secundò, quantum ad bonum spirituale fidei, & gratiæ, ita ut omnibus hæc velimus, & salutem ipsorum spiritualem curemus, quantum in nobis fuerit. Tertiò, quantum ad vitam temporalem, ut non solùm illam omnibus velimus, sed eam procuremus conservare, quoad poterimus. Quartò, quantum ad officia communia, quæ aliis hominibus exhibentur: quod dicitur propter inimicos, quibus non sunt subtrahenda beneficia communia, de quo latius sect. 5.

47 Dico quartò: Charitas est virtus omninò necessaria. Primò, quia est illa vestis nuptialis, sine qua nemo potest intrare in regnum cœleste: [g] *Qui enim non diligit, manet in morte*. Secundò, quia sine charitate nullum est opus ita bonum, ut mereatur vitam æternam, dicente Paulo: [h] *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Unde charitas dicitur forma omnium virtutum, quatenus illarum operationes dirigit ad ultimum finem, easque reddit meritorias vitæ æternæ; quod nulla alia virtus præstare potest; nam quod in moralibus dat ordinem ad finem, formam dare censetur, ut cum D. Thom. docent alii Theologi.

g 1.Ioa.3. 14.

h 1. Cor. 13.3.

SECTIO II.

De Præcepto charitatis.

a Soar.d.5. f.1.n.8. Sanch. 1. decal. c. 35.n.2. b Deut 6.5 c Matth. 22 36.

48 DIco primò: [a] Præceptum charitatis obligat ad diligendum Deum, & proximum. Probatur ex Deut. [b] *Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Quod præceptum Christus [c] Dominus renovavit, dicens: *Hoc est primum & maximum mandatum, secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut te ipsum: in his duobus mandatis tota lex pendet*. Cùm verò præcepta affirmativa non obligent pro omni tempore, idem de hoc est dicendum, quatenus est affirmativum. Quatenus verò est negativum, & prohibet odium Dei, & proximi; sequitur naturam aliorum præceptorum negativorum, & semper, ac ubique obligat.

d Soar.d.5. f.3. Sanch.n.9

49 Assignare verò tempus, quo præceptum de Deo diligendo obliget per se ad actum amoris eliciendum, prudentiæ relinquitur. Solùm dicere possumus teneri hominem in vita Deum aliquoties amare, seque per actum amoris in Deum referre; tenerique post usum rationis non multùm differre amoris actum, maximè postquam cognovit Deum esse ultimum finem, esseque sic diligendum: post primum verò actum teneri non prorsus cessare ab hoc amore, sed illum aliquando iterare, id enim postulat amicitia Deo debita. Unde qui per multos annos non exercet hunc amorem, delinquit contra hoc præceptum.

50 Per accidens verò sæpè obligare potest, nempe in articulo mortis ad salutis periculum evitandum. Quando necesse est ministrare ex officio, vel recipere sacramentum eum, qui conscientiam habet peccati mortalis, & non confitetur, vel quia non potest, vel quia non vult. Et idem est si occurrat gravissima tentatio, vel alia occasio, in qua judicetur necessarium uti divino amore tamquam convenienti dispositione ad finem obtinendum. Dixi: *Ad actum amoris eliciendum*. Quia si sermo sit de amore, qui exercetur in ipsa operatione, & impletione præceptorum juxta illud: [e] *Diligamus opere, & veritate*. Obligabit, quando præcepta alia obligant.

e 1. Ioan. 3.18.

f Soar. f.4.

51 Præceptum [f] de diligendo proximo non obligat per se ad actum amoris, sistendo in illo. Ratio est, quia amor internus per se non patet proximo, sicut patet Deo. Unde amor Dei per se est quidam cultus Deo debitus, non sic amor proximi. Quare amor internus proximi solùm est in præcepto, vel quando necessarius est ad externum, & beneficium proximo præstandum, vel ad vitandum odium, & offensionem illius. Unde tunc obligabit, quando occurrerit necessitas misericordiæ, de qua infrà, vel necessitas vitandi odium, & periculum illius, & tunc tantùm obligabit ad actum amoris, quantùm ad hos fines fuerit necessarium.

g Soar.f.2. Sanch à n. 2. Tolet.l. 4.c.9.

52 Dico secundò: [g] Præceptum charitatis obligat ad Deum magis diligendum, quàm se ipsum, aut proximum. Prob. quia charitas obligat ad diligendum Deum propter se ipsum, seu propter suam bonitatem, & amabilitatem, se verò & proximum, propter Deum: sed propter quod unumquodque tale, & illud magis: ergo præceptum charitatis obligat ad Deum magis diligendum quàm se, aut proximum. Deinde, quia charitas obligat ad diligendum Deum super omnia: ergo supra se, & proximum, seu magis quàm se, & proximum. Debet igitur amor Dei esse major appretiativè, vel debet Deus magis æstimari, & anteponi omnibus aliis rebus, ita ut si contingat occasio, in qua vel Deus deserendus sit, vel vita ipsa, honor, commoditas, parentes, amici &c. omnia deserenda sint, ut Deus conservetur, ejusque voluntas fiat. Non tamen opus est, ut amor Dei sit major intensivè, sed solùm appretiativè, ut explicatum est; quamvis sanctissimum sit Deum etiam intensius diligere.

h Soar d.1. f.4.

53 Dico tertiò: [h] Præceptum charitatis obligat ad se magis diligendum, quàm proximum. Prob. quia charitas obligat secundùm propriam inclinationem: sed charitas magis inclinat ad se, hoc est, ad suum subjectum, quàm ad proximum diligendum; nam res omnes post inclinationem ad Deum, maximè inclinant ad proprium bonum: ergo charitas post Deum magis inclinat hominem ad dilectionem sui ipsius; nam ejus effectus formalis est inclinare illum, in quo est, ad Dei dilectio-

Digitized by Google

lectionem: ergo in primaria illius inclinatione includitur ordo ad ipsum diligentem. Unde debet quilibet se ipsum magis diligere amore appretiativo, quàm proximum, sibique potius velle gratiam, & gloriam, quàm aliis hominibus, non modò singulis, sed etiam omnibus: in his enim maximè bonis amor sui est regula dilectionis proximi. Juxta illud: [l] *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Idest ad tui imitationem, non verò quantum te. Quare nemo peccare debet, ut proximum liberet à peccato, aut ab alia miseria.

l Matth. 22. 36.

54 Obligat [m] tamen charitas ad magis diligendum proximum quoad salutem animæ, quàm se in corporalibus. Prob. quia illud est magis diligendum ex charitate, quod est magis amabile: secundùm autem rectam rationem magis diligibilis est anima proximi, quàm proprium corpus, ejusque bona, in qua magis potest glorificari Deus, quàm in corpore proprio; & consortium ejus in beatitudine est majus bonum, quàm sit bonum corporis; & aliunde ex corporis detrimento in nihilo imminuitur bonum spirituale animæ: ergo hic ordo pertinet ad ordinem charitatis, & subinde cadit sub præcepto illius. Unde in extrema necessitate proximi spirituali teneris non modò bona temporalia, sed etiam vitam exponere, si opus sit, ut illi opituleris, modò probabiliter speres te illi profuturum. Hinc si quis morti proximus petat confessionem, & alius non adsit, teneris eum audire, & absolvere etiam cum vitæ periculo. In gravi verò necessitate non teneris proximo succurrere cum probabili vitæ periculo, aut cum notabili jactura famæ, aut bonorum temporalium. Quia illa dicitur gravis necessitas, ex qua proximus aliunde, licèt non sine difficultate, potest se expedire: durum autem esset, quòd pro hujusmodi necessitate tenearis & bona temporalia, & vitam expendere. Obligaris tamen cum aliquo damno temporali. Quia gravis necessitas in rebus spiritualibus est gravis momenti: ergo secundùm ordinem charitatis præferenda est in proximo alicui gravi damno proprio. Quanta autem debeat esse necessitas, & gravitas damni, prudentiæ committendum est.

m Soar. d. 9. s. 2.

55 Dico quartò: [n] Charitas obligat unum proximum magis diligere appretiativè, quàm alium. Prob. quia cùm charitas obliget ad se magis diligendum, quàm alios, etiam obligat diligere conjunctiores. Unde si agatur de necessitate sive extrema, sive gravi tam spirituali, quàm temporali, & utrique auxiliari nequeas, teneris potius sanguine juncto, quàm extraneo, & inter consanguineos conjunctiori. Conjunctior habetur pater, qui est præcipuum filii principium. Deinde mater, à qua etiam habemus esse. Tertiò uxor, quæ cum intimo vinculo conjuncta sit, ratio exigit, ut filiis præferatur. Quartò filii. Quintò fratres, & sorores, & sic deinceps.

n Soar. d. 9. sect. 4.

SECTIO III.

De effectibus charitatis, maximè de eleemosyna.

56 Gaudium [a] de bono divino est actus internus charitatis, sicut & gaudium de bono proximi. Ratio est, quia ex amore procedit gaudium quidem propter præsentiam objecti amati, vel quia ipsi bonum inest; tristitia propter absentiam amati, vel quia ipse bono privatur, aut aliquo modo deprimitur: sed idem habitus plures actus ordinatos elicit, quorum unus sequatur ex alio, ergo gaudium de bono Dei, & proximi est actus ejusdem charitatis, sicut desiderium, & tristitia, quæ concipitur de carentia boni Deo extrinseci.

a D. Tho. 2. 2. q. 28.

57 Pax, [b] & concordia est actus charitatis. Prob. quia duplex unio est de ratione pacis, altera secundùm rationem propriorum appetituum in unum, quæ propriè dicitur pax; altera secundùm unionem appetitus proprii cum appetitu alterius; quæ propriè dicitur concordia: sed utramque efficit charitas, primam quidem, quia cùm per eam diligamus Deum, & in ipsum omnia referamus, omnes nostri appetitus feruntur in unum. Secundam, quia cùm diligimus proximum, sicut nos ipsos, volumus implere voluntatem illius, sicut & nostram: ergo pax, & concordia est effectus, & actus charitatis.

b D. Tho. q. 29.

58 Misericordia [c] impensa per eleemosynam sive corporalem, sive spiritualem non est proprius actus charitatis.

c D. Tho. q. 30.

tis. Quia licèt munus sit charitatis aversari malum proximi, ut bono ipsius opponitur, eò quòd ejusdem virtutis sit velle bonum, & aversari malum oppositum; non tamen ad eam propriè spectat sublevare malum proximi, qua miseria illius est; sed ponitur ad id specialis virtus misericordiæ: sicut ad impendendum bonum proximo, ponuntur aliæ virtutes à charitate distinctæ, v. c. justitia, gratitudo, & similes. Unde misereri non est actus à charitate elicitus, sed imperatus: dicitur verò effectus charitatis, quia hæc maximè movet voluntatem, ut utatur misericordia cum miseris.

59 Misericordia exercetur circa septem opera misericordiæ corporalia, & totidem spiritualia vulgaria, quæ eleemosynæ corporales, & spirituales dici possunt. Ut autem explicetur obligatio circa corporalia, notabis primò, indigentiam proximi posse esse vel extremam, quando ille est in periculo vitæ, aut probabiliter timetur mors, nisi subveniatur. Vel esse gravem, quando est grave periculum perdendi honorem, & decentiam status, aut peccandi præ indigentia. Vel esse communem, quæ nec est extrema, nec multum gravis. Secundò, bona expendenda posse esse necessaria ad vitæ propriæ, & familiæ conservationem, aut simpliciter ad status decentiam, aut solùm secundùm quid ad talem decentiam necessaria; vel superflua, quæ necessaria non sunt nec ad vitam, nec ad decentiam status.

d Tolet de 7. peccatis c. 34 Soar. d. 7. sect. 2.

60 Dico ergo primò: [d] Misericordia obligat graviter ad subveniendum proximo per eleemosynam corporalem. Prob. quia cùm dilectio proximi sit in præcepto, ut sect. 2. dictum est; ea omnia cadunt sub præcepto, sine quibus dilectio proximi non stat: sed ad proximi dilectionem pertinet non modò illi velle bonum, sed illud etiam operari, juxta illud: [e] *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate:* ergo cùm ad hujus boni operationem maximè requiratur proximi necessitatibus subvenire, eleemosyna corporalis erit sub gravi præcepto: [f] *Nam qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Accedit. Quia Christus in judicio damnabit ad ignem æternum ob neglecta opera eleemosynæ corporalis, ut constat ex Euangelio: [g] sed non damnabit, nisi ob culpam mortalem: ergo misericordia obligat sub mortali.

e 1. Ioa. 3. 18.

f 1. Ioan. 3. 17.

g Matth. 25. 42.

61 Dico secundò: [h] De iis, quæ sunt simpliciter necessaria ad propriam vitam, vel familiæ, nemo tenetur proximo dare etiam in extrema necessitate posito. Unde si duo sint in eadem extrema necessitate, & alter cibum tantùm necessarium habet, non tenetur alteri dare. Prob. quia ordo charitatis incipit à se, & a conjunctioribus, ut suprà dictum est: ergo. Non tamen tenetur homo in hoc casu ex præcisa ratione charitatis, vel misericordiæ, sibi potius subvenire, quàm patri, aut amico, aut cuilibet etiam proximo, ut latè ostendit Soar. saltem sub mortali. Quia ordo charitatis, quando non est magnus excessus, potest prætermitti sine mortali. Et licèt homo numquam se possit occidere, non tamen semper, & omni modo tenetur servare vitam. Imò si sit aliqua ratio honesta ad præferendam vitam proximi, ut major utilitas, gratitudo, aut amicitia, nullum erit peccatum, sed opus virtutis laudabilioris succurrere potiùs proximo, ne pereat, quàm sibi.

h Tolet. proximè. Soar. d. 9. s. 4.

62 Dico tertiò: [i] Ex simpliciter necessariis ad decentiam status, non tamen ad vitæ conservationem, tenetur quilibet dare proximo existenti in extrema necessitate. Prob. quia extremè indigens habet jus naturale utendi bonis alterius illi etiam necessariis ad statum, nec potest prohiberi sine injuria: ergo alius tenetur illi dare, & servare jus suum, maximè interveniente charitate, ex qua homo tenetur magis diligere proximi vitam, quàm statum suum.

i Tolet. sup. Soar. d. 7. s. 4. n. 3

63 Dico quartò: [l] Ex necessariis secundùm quid ad decentiam status, tenetur quilibet subvenire proximo non solùm extremè, sed etiam graviter indigenti. Prob. quia charitas postulat, ut si proximus est in gravi periculo infamiæ, aut similis injuriæ, carceris, aut captivitatis, aut in periculo peccandi, ego illum liberem, præferendo tantum malum proximi meo incommodo non magno, quale est, si meum statum aliqualiter restringam largiendo, quæ ad illius decentiam simpliciter,

l Tolet. sup. Soar. n. 5.

Digitized by Google

ter necessaria non sunt: ergo ex necessariis secundùm quid ad decentiam status, tenetur quilibet subvenire proximo non solùm extremè, sed graviter indigenti.

m Soar. n. 5. 64 Dico quintò: m Ex superfluis tenetur quis sub mortali facere eleemosynam non solùm in extrema, aut gravi necessitate, sed etiam in communibus. Prob. quoad communes necessitates, nam quoad alias constat ex dictis. Qui ex prædictis bonis non expenderet in talibus necessitatibus, ageret contra misericordiam: proximo suo debitam, sed materia talis inordinationis est gravis; quia licèt necessitates videantur leves, aggregatum illarum comparatum ad Rempub. est materia gravis, sicut furari centum à multis, à quolibet assem, materia est gravis ad furtum: ergo mortale est de his superfluis non expendere in communibus necessitatibus. Unde qui haberet propositum numquam in illis dandi, mortaliter peccaret. Qui verò tale propositum non haberet, & sæpè daret, licèt sæpè etiam non daret, & aliqua in vanos usus expenderet, non peccaret mortaliter, ut prosequitur Soar. n. 10.

n Tolet. c. 32. 65 Dico sextò: n Præceptum eleemosynæ magis obligat Ecclesiasticos, quàm laicos. Prob. quia cùm ex una parte æquè teneantur, ac laici ex bonis patrimonialibus, & quasi patrimonialibus provenientibus ex aliquo ministerio Ecclesiastico: aliunde major ipsis obligatio incumbit ex bonis beneficii, tenentur enim in eleemosynas, aliave pia opera impendere quidquid ex ipsis superfluum fuerit ex congrua sustentatione, ne piam fundatorum intentionem defraudent.

o Soar. d 7. sect. 2. Tolet. c. 28 29 & 30. 66 Dico septimò: o Eleemosyna non potest fieri, nisi ab habente dominium, & liberam administrationem rei dandæ. Prob. quia eleemosyna datur gratis, & transfert dominium in recipientem: ergo requirit in dante dominium, & administrationem. Hinc sequitur non posse illam facere famulos, aut servos ex bonis dominorum sine expresso, vel tacito illorum consensu, nisi sit in extrema necessitate. Neque filiosfamilias ex bonis Parentum, nisi in eisdem casibus; possunt tamen de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, in quibus habent dominium, & liberam administrationem. Neque pupillos, & minores sine consensu tutorum, & curatorum, quia bonorum suorum administrationem non habent. Uxores verò possunt eleemosynas facere de bonis paraphernalibus, quæ supra dotem attulerunt, quorum habent liberam administrationem; & ex iis, quæ à viris conceduntur, ut liberè possint disponere. Ex bonis verò communibus possunt juxta statum, & conditionem moderatas eleemosynas facere; cùm enim sint sociæ, & non servæ, ratio postulat, ut id possint, quia aliàs non satis consuleretur earum honori, & existimationi. Religiosi, qui non sunt superiores, non possunt de bonis monasterii aliquid pauperibus erogare absque consensu prælati, neque de iis, quæ ad victum, & vestitum conceduntur, quandiu sunt in monasterio: quando verò sunt extra, licet ex concessis ad viaticum, & congruam sustentationem aliquid erogare, quia prelati consentire videntur, & ita habet usus.

67 Dico octavò: p Eleemosyna non potest fieri ex rebus alienis, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo omnia sunt communia. Prob. quia non licet injustitia ex ulla causa. Unde non est facienda ex deposito, & commodato, quæ propriis dominis reservantur. Neque de acquisitis per injustitiam, ut per usuram, furtum, aut injustum contractum; quia hæc aliena sunt, & dominis restituenda. Potest tamen fieri ex turpi lucro, v. c. ex acquisitis per usum meretricium, vel ex præmio homicidii. Neque de rebus obnoxiis restitutioni. Unde habens debita, quibus vix potest satisfacere, non debet dare eleemosynas, & se impotentem reddere ad restitutionem, nisi debita essent incerta, quæ pauperibus sunt restituenda. p Soar. proxime à n. 6. Tolet. c. 32.

68 Dico nonò: q Aliquando satisfit præcepto eleemosynę per mutuum, aliquando non nisi per gratuitam donationem. Prima pars constat primò in eo, qui solùm indiget secundùm quid, quia alibi habet bona, huic enim satis est mutuare, vel credito vendere. Secundò in eo, qui viribus, & conditione aptus est ad laborandum. Tertiò in eo, cujus necessitati sufficienter subvenitur per usum rei, quæ non consumitur, cui satis est commodare, ut si in- q Soar. f. 5. Tolet. c. 37.

si indigeat equo ad fugiendum mortis periculum. Quartò in eo, qui extra casum extremæ necessitatis subvenit non ex superfluis simpliciter, sed aliquo modo necessariis ad statum, satis est si mutuet. Secunda pars constat quando eleemosyna fit in extrema necessitate per res usu consumptibiles; si enim hoc præceptum aliquando obligat ad liberam donationem, maximè in hoc casu. Secundò quando eleemosyna fit ex omninò superfluis etiam extra casum extremæ, aut gravis necessitatis. De quo Soar. n. 7.

69 Adde primò, [e] hoc præceptum, prout explicatum est, non solùm obligat fideles, sed etiam infideles, quia non solùm est divinum, sed etiam naturale. Secundò, non solùm obligat ad faciendum eleemosynam bonis, sed etiam malis, fidelibus, & infidelibus. Quia misericordia nascitur ex charitate, quæ nullum proximum excludit. Tertiò majori necessitati prius est succurrendum, quàm minus gravi, in quocumque subjecto ea fit. In æquali autem prius conjunctioribus eo ordine, quo sect. secunda numerati sunt. Quartò, Præceptum hoc obligat ad dandum ita abundanter, ut sufficiat toti necessitati indigentis, quando extrema, aut gravis est, nisi essent multi, qui simul conferrent. In communibus tamen necessitatibus, licèt bonum sit dare abundanter, non tamen est obligatio, quia plures sunt, qui possunt, & solent subvenire.

e Tolet. c. 31. 39. 40.

70 Id autem [f] advertendum, licèt quæ dicta sunt, peculiariter procedant de operibus misericordiæ, quæ fiunt per externa bona fortunæ, eodem modo esse applicanda ad ea opera, quæ fiunt per actiones humanas, qualia sunt visitare infirmum, incarceratum, sepelire mortuum. Plures autem sunt utilitates eleemosynæ, & misericordiæ corporalis. Est enim meritoria gloriæ, & augmenti gratiæ in homine justo. In injusto disponit ad pœnitentiam, mereturque de congruo auxilia ad illam. Secundò. Satisfactoria est pro pœnis debitis peccatis remissis, impetratque à Domino beneficia plurima. Unde in Scriptura maximè commendatur, & à sanctis PP. mirificè prædicatur, & extollitur.

f Soar. s. 6. n. 4.

SECTIO IV.

De Eleemosyna spirituali, maximè de correctione fraterna.

Circa opera [a] spiritualia misericordiæ dicendum in genere est, non minus esse in præcepto, quàm corporalia, quia sunt magis necessaria proximis. Primum verò de remittendis injuriis obligat ad deponendum odium internum; & quando qui injuriam intulit, veniam petit, obligat ad exhibenda signa amicitiæ, quæ sufficienter ostendant odii depositionem, quia ea omittere in illis circumstantiis, est morale signum odii, & causa scandali. Secundum de patienter ferendis aliorum molestiis ad primum spectat. De tertio orandi pro vivis, & defunctis dicetur cap. sequenti. Quare de sola correctione fraterna dicendum superest, ad quam revocari possunt duo alia dandi consilium, & docendi ignorantes, in quibus necessitas proximi, & facultas operantis maximè attendenda sunt. 71

a Soar. d. 5. s. 5. n. 9.

72 Correctio igitur fraterna est quoddam remedium contra peccatum proximi, quod dupliciter potest considerari. Primò, in quantùm nocet ei, qui peccat. Secundò, in quantùm vergit in nocumentum aliorum. Unde duplex est correctio; altera in remedium peccati primo modo spectati, & dicitur fraterna, estque actus misericordiæ spiritualis; altera in remedium peccati secundo modo considerati, estque actus justitiæ ad alterum, & pertinet ad superiores, & prælatos.

73 Dico ergo primò: [b] Correctio fraterna est in præcepto tam naturali, quàm divino obliganti ex genere suo sub mortali. Sumitur ex verbis Christi: *Si peccaverit in te frater tuus*, idest, te sciente, *corripe illum*. Et prob. quia cùm charitas, & misericordia obliget ad sublevandam miseriam proximi, nullaque sit major miseria, quàm spiritualis miseria peccati, utraque obligabit ad hanc impediendam, quod fit per correctionem fraternam: ergo hæc est in præcepto graviter obligante.

b D. Thom. q. 33. Soar. d. 8. s. 1. Matth. 18. 15.

74 Dico secundò: [c] Ut hoc præceptum obliget, aliquæ conditiones concurrere debent. Prima, ut sufficienter constet de peccato proximi, aliàs foret

c Soar. s. 3.

Digitized by Google

ret correctio temeraria, & non sine injuria. Secunda, probabilis spes fructus, & emendationis, sine qua actus esset otiosus, & cessaret obligatio. Tertia, ut Proximus indigeat correctione, quia timeo probabiliter nisi corrigam, similia peccata commissurum, vel in eodem cum gravi suo damno permansurum. Unde si sciam esse emendatum absque occasione reincidendi, non teneor corripere. Quarta, ut absit grave incommodum corripientis, quo stante cessat obligatio.

75 Dico tertiò: [d] Hoc præceptum obligat omnes personas aptas ad corripiendum. Prob. quia [e] *unicuique Deus mandavit de proximo suo*. Et nemo est, qui non teneatur Deum, & proximum diligere, & consequenter Dei injuriam, & proximi malum maximè spirituale impedire, si commodè potest: superiores tamen magis obligantur, quia ratione officii tenentur ex justitia salutem subditorum procurare: unde si correctionem omittant, dupliciter peccant & contra justitiam, & contra misericordiam. Hæc tamen sunt notanda inter superiores, & privatos.

[d] D. Thomas. q.33.a.3. Soar. s. 4
[e] Eccl.17. 12.

76 Primò, quia superior non tantùm tenetur corrigere, quæ novit à subditis patrari, sed etiam tenetur in eorum mores inquirere, & corrigere: privati verò non tenentur aliorum vitæ invigilare. Secundò, quòd licèt privatus non teneatur, nisi sub v. corrigere peccata vv. sæpè tamen superiores regulares tenentur sub mortali corgere peccata vv. quando manifestè vergunt in notabile damnum observantiæ regularis, quia tenentur ex officio procurare, ne hæc labefactetur. Tertiò, quòd licèt privati non teneantur corripere, quando non speratur fructus, superiores tenentur sine hac spe, ne si peccata dissimulent, ea approbare videantur, indeque subditi timore abjecto occasionem accipiant peccata cumulandi. Quartò, quòd licèt privatus non teneatur cum gravi suo damno corripere, extra casum extremæ necessitatis, superiores tenentur non modò in extrema, sed etiam in gravi necessitate subditos positos corripere etiam cum periculo propriæ vitæ, quia sunt Pastores, qui debent animas suas ponere pro ovibus suis.

77 Dico quartò: [e] Omnes indigentes sunt corripiendi. Primò peccantes ex ignorantia vincibili, quia hæc non excusat à peccato. Secundò, peccantes ex ignorantia invincibili, quia licèt non peccent formaliter, peccant materialiter, & honor Dei postulat, ut etiam materialia peccata, quoad fieri possit, caveantur, maximè quia hujusmodi ignorantia ex se grave malum est, privat enim scientia necessaria, ex eaque scandala aliaque mala oriuntur. Tertiò, superiores etiam corrigi debent, quia sunt proximi; debet tamen in eorum correctione modus congruus adhiberi, ne cum protervia, & duritie, sed cum mansuetudine, & reverentia corrigantur, ut monet Paulus: [f] *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem*.

[e] Soar. sect. 2. n.6. & 1. 5.
[f] 1. Tim. c. 5.

78 Dico quintò: [g] Non licet occultum peccatum deferre ad superiorem, quin secreta correctio præcesserit sine testibus, neque licet testes adhibere, nisi peccator correctionem privatam contempserit. Ita doctores ex verbis Christi: [h] *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*. Ratio verò est, quia cùm correctio fraterna oriatur ex præcepto charitatis, non debet repugnare charitati: sed charitas jubet, ut consulatur bono proximi absque læsione famæ illius, si fieri potest: ergo si privata correptio sufficiat, non sunt adhibendi testes, neque peccatum ad superiorem deferendum. Confirmatur quia correctio fraterna ex se tendit ad emendationem proximi: ergo si ille emendatur per simplicem monitionem, indebitè adhibentur remedia duriora, qualia sunt adhibitio testium, aut delatio ad superiorem.

[g] Soar s. 6
[h] Math. 18. 15.

79 Notandum [i] tamen primò, si crimen occultum tale sit, ut vergat in nocumentum sive corporale, sive spirituale multorum, prædictum ordinem non esse servandum, sed statim procedendum ad denuntiationem, ut tale nocumentum impediatur, nisi quis existimaret se posse statim illud per secretam monitionem impedire, quæ firmitas rarò dabitur. Ut si quis occultè tractet de prodendo regno, vel civitate, vel clam homines à fide avertat, aut ad alia peccata inducat; isti

[i] Soar. s. 6 à n. 5.

Digitized by Google

regulariter sunt statim deferendi, maximè hæretici contumaces, qui si monitiones Ecclesiæ respuunt, certius est contempturos privatas. Secundò, si Prælatus præcipiat subditis, ut si quæ peccata corrigenda norunt, sibi revelent, præceptum intelligendum est salvo ordine correctionis à Christo determinato, & si aliud prælatus intenderet, tam ipse, quàm ei obedientes peccarent. Tertiò post monitionem secretam semel, vel pluries factam, quandiu spes probabilis est de emendatione, per secretam monitionem procedendum est: ex quo autem cognoscitur secretam monitionem nihil proficere, procedendum ulterius est ad testium inductionem, quantumcumque peccatum occultum sit. Si verò sciatur ab uno vel altero, isti adhibendi sunt in testes. Non loquimur de Religionibus aliquibus, in quibus procedendum est juxta earum instituta, & praxim, quod ad nostrum institutum non pertinet.

SECTIO V.

De peccatis contra charitatem.

80 QUatuor [a] præcipuè peccata per se opponuntur charitati Deo debitæ. Primum est odium Dei omnium peccatorum gravissimum, utpotè charitati virtutum maximæ contrarium. Quamvis autem Deus sit in se incapax odii, quia infinitè bonus, ratione tamen alicujus effectus, quia videlicèt castigat, & mala infligit, objectum odii esse potest. Secundum, si Deus ametur non præcisè propter se, sed propter aliquid, quod ab ipso accipimus, & speramus. Quod ut intelligas, adverte Deum posse amari honestè, & laudabiliter propter retributionem, minus tamen principaliter, quod evenit, quando sic amatur ob eam, ut quamvis illa non esset, adhuc amaretur propter se. Unde si quis ita Deum amaret, ut tota causa amandi esset bonum acceptum, aut speratum, nec amaret, si non speraretur, peccatum esset contra charitatem.

[a] Soar. d. 6. s. 1. Sanch. 2. decal. c. 35. n. 16.

81 Tertium, cùm Deus non amatur, quantùm amari debet: debet autem amari super omnia ita, ut nihil pluris æstimetur: cùm igitur quis sic amat aliquid, ut plus velit illud, quàm Deum, vultque privari Deo potiùs, quàm re illa, quod facit, quando illam eligit contra Dei voluntatem graviter obligantem, peccat mortaliter etiam contra charitatem Deo debita, quæ postulat, ut Deus, ejusque voluntas rebus omnibus præferatur. Et hæc malitia contra charitatem includitur in quolibet peccato mortali, indeque habet, ut sit mortale, dissolvatque charitatem, & amicitiam cum Deo. Quartum, quando non diligimus Deum, quando diligendus est ex præcepto affirmativo, de quo dictum est sect. 2.

82 Charitati [b] proximo debitæ opponitur odium ipsius. Odium autem duplex est, nempè inimicitiæ, quod est velle alicui malum, ut malum ipsius est, apprehendendo illud ut bonum nostrum. Et abominationis, quando aliquem ut nobis noxium, ac repugnantem aversamur, & longè esse cupimus. Igitur odium inimicitiæ numquam licet, quia semper est contrà charitatem proximo debitam, cui amor debetur secundùm id, quod habet à Deo, id est, secundùm naturam, & gratiam, quæ bona sunt, & amore digna: ergo velle proximo mala naturæ, aut privationem gratiæ, quia mala ejus sunt, est contra charitatem. Cum hoc tamen stat, quòd aliquando licet velle, & desiderare proximo malum temporale ob bonum finem, v. c. ob spiritualem emendationem ipsius: ut si esset superbus, aut incorrigibilis, liceret illi desiderare infirmitatem, aut aliud malum temporale, ut corrigeretur. Item ob bonum spirituale aliorum: sic licet desiderare mortem illis, qui alios pervertunt, ne illos secum perdant. Item ob honestatem justitiæ: sic licet desiderare, ut homines nequam & nocivi à judice capiantur, & puniantur secundùm merita. Cavendum tamen ne talia mala desiderentur ob ipsam personam, quia esset odium inimicitiæ contra charitatem.

[b] Soar. s. 2.

83 Odium [c] abominationis sæpè licet. Possumus enim odisse homines peccatores & vitiosos ob ipsorum vitia, & peccata. Sic enim David [d] iniquos odio habebat, & interficiebat omnes peccatores terræ. Ratio verò est, quia licèt homo secundùm ea, quæ à Deo habet, bonus sit, & amore dignus; secundùm ea, quæ habet ex se, idest, secundùm vitia, & peccata malus est, & odio dignus; odio, inquam, abominationis, non autem inimicitiæ.

[c] Ps. 118. 113.

[d] Ps. 100. 8

84 Gau-

igitized by Google

e D.Tho. 2.2.q.35.

84 Gaudio [e] charitatis de bono divino opponitur acedia, quæ est tristitia de bono divino non intrinseco, quia tunc esset odium Dei, sed de extrinseco, non ut est bonum Dei, quia esset etiam Dei odium; sed ut est præstandum ab eo, qui acedia afficitur, quatenus illud apprehendit ut sibi onerosum. Seu, ut ait D.Thom. Est tristitia de bono spirituali proprio propter laborem corporalem adjunctum. Prob. quia gaudium charitatis delectatur non solùm de bono Dei in se, sed etiam de amicitia hominis cum Deo, & de mutuis officiis, quæ ex ea nascuntur: ergo acedia, seu tristitia de eadem amicitia, quatenus obligat ad obsequia Dei, est contraria charitati, ejusque præcepto, estque ex genere suo peccatum mortale. Potest tamen esse veniale vel ex indeliberatione, vel quia non pervenit ad tantam malitiam, ut absolutè fugiat affectu interiori omninò spiritualem communicationem cum Deo, sed sit leve tædium sine periculo transgrediendi grave præceptum. De hoc vitio latius cap. ultimo hujus libri.

f D. Tho. q. 36. Soar. l. 4.

85 Gaudio [f] charitatis de bono Proximi opponitur invidia, quæ est tristitia de bono proximi, quatenus apprehenditur, ut malum proprium, seu diminutivum propriæ excellentiæ. Estque peccatum ex genere suo mortale, & capitale contrarium charitati proximo debitæ. Prob. quia oritur ex inordinato appetitu excellentiæ, estque radix multorum peccatorum, & ex genere suo contrariatur præcepto charitatis, & facilè inducit ad directum odium proximi. Est & alia tristitia de bono proximi orta ex odio, alia ex appetitu vindictæ, quæ odii, & vindictæ malitiam induunt.

Soar.proximè.

86 Præter [f] has, duæ sunt adhuc tristitiæ de bono proximi. Prima, quando quis tristatur de bono illius, quia ipse illo caret, & appellatur æmulatio, & hæc non est intrinsecè mala, quia ejus ratio non est aliena commoditas, sed propria carentia. Secunda, est tristitia de bono alterius, quia est illo indignus, & dicitur nemesis. In qua si materiale objectum spectatur, potest de illo esse sub aliqua ratione honesta tristitia, ut si inde sequatur detrimentum proximorum, sicut & tristitia prava ex motivo extrinseco odii &c. Indignitas verò non est per se sufficiens ad dolendum de bono proximi. Prob. quia tristitia de aliquo bono non potest esse per se honesta, nisi sub ratione mali. Nam sicut nihil honestè amatur propter se, nisi honestum, ita nihil honestè fugitur, nisi malum: sed hominem indignum habere bona temporalia, non est per se malum; ergo non potest esse honesta tristitia de talibus bonis sub eo motivo. Nam si aliqua ratio honesti hìc esse posset, maximè ratio justitiæ vindicativæ, vel distributivæ: hæc autem ratio derogaret providentiæ Dei, poneretque in illo aliquam injustitiam: ergo non est ulla honesta ratio ad hanc tristitiam, quæ proinde participabit malitiam odii proximi. Si tamen non perveniat ad absolutum odium proximi, nec sit contra Dei providentiam, raro erit peccatum mortale.

87 Charitati opponitur [g] discordia, & contentio, quatenus opponuntur paci, quàm ipsa causat. Discordia est dissentio voluntatum circa bonum Dei, vel proximi, & tunc est mala, quando est irrationabilis, & potest esse contra varias virtutes, v. c. justitiam, obedientiam &c. Erit verò specialiter contra charitatem, quando obligatio consentiendi orta fuerit ex solo vinculo charitatis, ut si proximus velit aliquod bonum sibi necessarium, aut valde utile, & ego sine causa rationabili velim impedire, & regulariter orietur ex odio, vel invidia, quorum malitiam participabit. Unde D. Thom. dixit esse ex genere suo peccatum mortale. A quo poterit excusari, si discordans non intendat detrimentum proximi; quia licèt causa fortè esset irrationabilis, si proximus inde non constitueretur in aliqua necessitate, non esset speciale peccatum contra charitatem; sed foret juxta qualitatem, & modum intentionis, eò quòd immediatum objectum esset indifferens. Nam sicut non teneor benefacere proximo, nisi in necessitate, ita non teneor consentire, seu non discordare à voluntate ejus, nisi quando inde in aliqua necessitate constitueretur.

g D.Tho. q.37. Soar. d.11. Tolet. l.8. c.11.

88 Contentio [h] nascitur ex discordia, & specialiter significat contrarietatem in judiciis ore declaratam. Estque eatenus mala, quatenus oritur ex mala voluntate. Unde non erit mala, si fiat disputationis gratia, & modus servetur, nec fiat animo docendi contrarium ejus,

h D.Tho. q. 38. Soar à n.5 Tolet. c. 10.

quod

Digitized by Google

quod alter dicit, sed veritatem aperiendi. Erit verò mala, si impugnetur veritas cognita, & hæc est formalissima contentio primariò contra veritatem, & simul contra charitatem, quam D. Thom. ait esse peccatum mortale ex genere. Verùm si solùm consideretur repugnantia cum charitate, seu disjunctio animorum, quam potest efficere, raro erit mortalis: frequenter enim non lædit graviter charitatem. Quia verò ex se potest dissolvere amicitiam, & ferè semper videtur habere admixtam aliquam rationem injuriæ, ideò interdum erit mortalis, sed raro, ut dictum est.

89 Opponitur deinde charitati, quia, & paci, schisma, [i] qua parte pax est unio fidelium inter se in ordine ad unum caput. Est igitur schisma rebellis separatio ab unitate Ecclesiæ. Unde cùm quis non vult obedire Ecclesiæ, seu Pontifici Romano ejus capiti, dicitur schismaticus, ejusque peccatum dicitur schisma, quasi scindens hominem à communione pacis, & charitatis. Et idem est de eo, qui non vult communicare cum membris Ecclesiæ Papæ subjectis. Unde schisma est speciale peccatum gravissimum contra unionem charitatis. Illud tamen advertendum circa schisma, quòd schisma aliquando est cum hæresi, quando simul cum divisione est error contra fidem in intellectu, ut in eo, qui separat se ab obedientia Papæ, & à communione fidelium, qui ei obediunt, quia non credit ejus universalem potestatem, vel unitatem Ecclesiæ: quo casu subjacet pœnis hæreticorum. Aliquando est sine hæresi, cùm nimirum non est talis error in intellectu, ut qui credens potestatem Papæ ex malitia ab ejus obedientia se subtrahit, aut alium vult eligi. Iste est purè schismaticus, nam schisma per se est contra unitatem, non contra fidem. Unde colliges, licèt omnes hæretici sint schismatici, non tamen omnes schismaticos esse hæreticos, omnes tamen excommunicationi subjiciuntur.

i D. Tho. q. 38. Soar. d. 12. Tolet. l. 4 c. 11. Sanch. 2 decal. c. 36

SECTIO VI.

De bello paci, & charitati opposito.

90 BEllum [a] vel est defensivum, vel offensivum; & utrumque justè suscipi potest, quia neutrum est intrinsecè malum. Defensivum quidem, quia ex ipso jure naturæ licet cuilibet vim vi repellere, seque & sua armis defendere contra injustos invasores. Offensivum, seu aggressivum, quia tendit ad vindicandam injuriam acceptam, ad quam vindicandam Respub. habet jus, quia sæpè aliter non potest se incolumen servare, nisi bellum alteri inferendo. Ut autem bellum aggressivum licitè fiat, tria requiruntur. [b] Primum authoritas Principis supremi: privatæ enim personæ bellum movere non possunt, quia valent jus suum prosequi in judicio superioris. Secundum, causa justa, ut scilicet qui impugnandi sunt, id mereantur ob culpam considerabilem. Quæ ita est intelligenda, ut quamvis causa belli indicendi sit justa, non tamen liceat bellum aggredi, si adversarius condignam offerat satisfactionem. Tertium, recta intentio, qua qui bellum movet, intendat vel promovere bonum, ad quod habet jus, vel malum injustè illatum vitare.

a D. Tho. q. 40. Soar. d. 13. f. 1.

b Soar. f. 2.

91 Bellum [c] moveri non potest, quando causa est dubia, & agitur de re ab alio possessa, quia in dubiis melior est conditio possidentis, ita ut si res per sententiam definienda foret, possessori adjudicaretur. Unde qui jus habet tantùm dubium, aut probabile, non potest bellum possessori indicere, ut illum à possessione deturbet, quia justè possidens potest licitè suam possessionem defendere: ergo si licitè posset ab adversario impugnari, daretur bellum justum ex utraque parte, quod esse non potest, materialiter loquendo. Hoc autem est intelligendum, quando possessio fuit justa, quia si injustè possideas, quia nimirum per vim, & arma possessionem accepisti de re dubia, quæ per leges, & jura decernenda erat, ad quem pertineret, potest tibi justè bellum moveri maximè ab illo, qui habebat pro se jus certum, vel quasi certum, imò & probabilius, aut etiam probabile, si aliter non possit te ab injusta possessione removere, & ad debitam satisfactionem adducere.

c Soar. f. 6.

92 Milites [d] subditi possunt militare, & debent, quando apertè non constat de injustitia belli, quia præsumere debent ejus justitiam: & idem probabilius est de militibus extraneis & non sub-

d Soar. f. 6.

Digitized by Google

subditis, cùm enim bellum præsumatur justum, nulla est ratio, cur non possint licitè militare, præsertim cùm Princeps, qui bellum aggreditur, est Christianus & bonæ famæ, ad quem pertinet inquirere, an habeat justam causam movendi bellum, quod quidem movere potest, si de ejus justitia moraliter certus sit.

e Soar.f.3. 93 Quamvis e autem Episcopis, Clericis, & Religiosis militare non liceat ex jure Ecclesiæ, id tamen licet in aliquibus casibus, nempè quando id necessarium fuerit ad conservationem propriæ vitæ, vel ad defensionem patriæ; & quando ob militum paucitatem non potest in bello justo victoria obtineri; tunc enim bellare possunt, & exercitum ducere, maximè accedente imperio Principis. Ratio verò est, quia jus humanum nec intendit, nec potest abrogare jus naturale, quod tales personæ habent, ad se, suosque, ac patriam suam defendendam. Unde si in tali bello aliquos occiderint, non fient irregulares. Quia est bellum merè defensivum omninò necessarium ad justam sui, suorumque, ac patriæ defensionem. Si enim irregularitatem non incurrit, qui sui, aut innocentis injustum invasorem occidit, ut definitum est in jure Canonico, quia talis occisio est omninò inculpata, & quodammodo necessaria, & consequenter involuntaria, ut benè probat Less. de just. lib. 2. c. 9. dub. 13. Cùm ergo occisiones, quæ in dicto bello fiunt, sint etiam inculpatæ, ac necessariæ ad justam defensionem, non potest ob illas incurri irregularitas, quæ imponitur ob culpam mortalem homicidii. Et hæc est ferè communis sententia DD. f ut videre est apud citatos. Similiter quamvis bellum gerendum non sit in die festo, qui institutus est ad vacandum Deo, id tamen in necessitate illicitum non est, ut probat factum g Machab. & ratio est, quia observatio festorum non impedit ea, quæ ordinantur ad salutem etiam corporalem hominis, ergo minus impediet, quæ ordinantur ad salutem Reipub.

f Mol.t.2. d.111. Cov in clementina. si furiosus p.2. § 3. n.2. Bellan. d. 18. de irregul. dub. 9.

g 1 Machab. 2.41

94 Non est licitum hostes fallere dicendo eis falsum, vel non servando promissum. Nam fides data etiam hosti servanda est, nisi coactè data sit, vel postea constet in grave damnum commune vergere, vel hostis ipse fidem mutuò datam prius violet. Quia promissio inter duos alterum non obligat, quando alter promissionem non implet. Licet tamen indirectè fallere, occultando consilia, utendoque stratagematis, quia hoc pertinet ad insidias, quæ licitæ sunt in bello justo.

95 Post bellum inchoatum toto tempore ante partam victoriam, licitum h est inferre hostibus omnia damna, quæ vel ad satisfactionem, vel ad comparandam victoriam necessaria videbuntur. Nam quando licet finis, licent etiam media necessaria, vel convenientia ad illum. Post partam verò victoriam licitum est ea damna inferre Reipub. victæ, quæ sufficiant ad justam vindictam, satisfactionem, & restitutionem omnium damnorum. Si verò ad hæc sufficiant damna nocentibus illata, non possunt justè ad innocentes extendi; maximè verò si ad plenam satisfactionem necessaria sint. Nulla tamen ratione possunt innocentes per se occidi; possunt tamen per accidens, quando id fuerit necessarium ad victoriam comparandam. Potest denique Princeps, qui justam victoriam assecutus est, totum id facere in bonis hostium, salva vita, quod fuerit necessarium ad tranquillam pacem in posterum conservandam, quia bellum est medium ad pacem stabiliendam.

h So.r.f.7

96 Qui sine i justa causa bellum aggreditur, non solùm peccat contra charitatem, sed etiam contra justitiam, unde tenetur omnia damna illata restituere. Potest etiam contingere, quòd sit justa causa, & nihilominus bellum sit contra charitatem; quod maximè contingeret, si Princeps bellum inferens videret ex illo bello hostes fidei futuros potentiores; tunc enim peccaret contra charitatem Ecclesiæ debitam, bellum movendo.

i Soar.f.4. n.8. & 1.2. n.6.

SECTIO VII.

De Rixa, Duello, & Seditione paci, & charitati oppositis.

OPponitur etiam paci, & charitati a rixa, quæ importat quamdam contradictionem in factis, & semper est peccatum, quia est quoddam privatum bellum non ex publica authoritate, sed ex inordinata voluntate 97

a D.Tho. q.41.

tate privatorum peractum. Et quidem in eo, qui alterum invadit injustè, semper est mortale. In eo verò, qui se defendit, non est peccatum, si solo animo repellendi injuriam illatam, & cum debita moderatione, se defendat. Erit tamen veniale, si leve odium, aut spiritus vindictæ se immisceat: mortale verò, quando obfirmato animo insurgit ad occidendum, aut graviter lædendum, quando id necessarium non est ad propriam defensionem.

b Soar. d. 154 ult.

98 Ad rixam revocari potest[b] duellum, quod est pugna duorum cum periculo mortis, aut gravis vulneris ex aliquo fine illicito, & ex condicto assumpta, sive publicè, sive privatim fiat. Differt à simplici rixa, quia hæc non fit ex condicto, sed vel ex ira subita, vel ex alio subito casu. Dicitur: *Duorum*. Quia ita solet communiter fieri; quamvis eadem esset ratio, si plures ex una parte: & plures ex alia pugnarent ex condicto propter privatas inimicitias, & dissentiones, designando locum, & tempus. Dicitur: *Ex illicito fine*. Quia in bello justo licèt duellum inter aliquas privatas personas utriusque factionis publica authoritate susceptum, si nempe instituatur ex intentione, ut hostes terreantur videntes milites adversæ partis magno animo, & felici successu pugnare: aut si Princeps timens infelicem exitum, si pugna ineatur inter integros exercitus, vel ut plurium mortes evitentur, totum belli negotium singulari paucorum certamini prudenter committat. In utroque enim casu pauci vitam exponunt pro bono communi, quod juxta rectam rationem licitum videtur, ut omnes ferè concedunt.

69 Non licèt autem duellum ad vanam ostentationem virium, & dexteritatis, vel ad delectationem spectantium, ex quo titulo olim sæpius exercebatur: quia talis finis nimis vanus est, ut propterea licere possit vitam proximi discrimini objicere. Nec licet ad purgationem criminis, qua etiam ratione olim erat in usu. Quia tale medium non solùm est superstitiosum, sed etiam omninò ineptum ad illum finem, cùm sæpè contingat innocentem, aut qui partes innocentis suscipit, in duello superari, adeòque reum haberi pro purgato.

100 Neque etiam licèt ad vindicandam privatam injuriam: tum quia privata vindicta illicita est; tum quia duellum non est medium aptum ad hunc finem, cùm non rarò eveniat, ut offensus vincatur. Imò publica injuria per duellum vindicari non potest, quia qui injuriam vindicandam suscipit, debet viribus, ac dexteritate præstare ei, qui puniendus est, adeò ut saltem moraliter certam victoriæ spem concipere possit, quod locum in duello habere non potest, cùm in illo decertantes paribus armis utantur, & frequenter ex utraque parte dubia sit victoria.

101 Neque potest licitè duellum oblatum ab aliquo acceptari ad impediendum detrimentum honoris, qui lædi videtur in non acceptando, quia licèt qui duellum recusat, aliquam honoris jacturam pati videatur apud mundanos, & malè sensatos, non tamen apud cordatos, & Christianæ virtutis studiosos, qui laudi potius tribuunt nolle Deum offendere, aliàs liceret occasiones adulterii, & stupri non omittere, quia etiam à plerisque vitio vertitur, & dedecori. Cavebit igitur vir nobilis umbram dedecoris, & ignominiæ, si provocatus ad duellum respondeat se id non acceptare, quia lege divina, & humana prohibitum est; ne id tamen timori, & ignaviæ adscribatur, paratum se esse justa defensione sibi consulere, si à quolibet invadatur: caveat tamen ne dicat, si ad talem locum tali die, vel hora venias me impetiturus, quia hoc erit acceptare duellum oblatum, & de loco, ac tempore pacisci.

102 Dices licet occidere invasorem, qui nobis, & rebus nostris vim infert, quando aliter vitæ, & rebus consuli non potest: sed provocans ad duellum invadit honorem, qui apud nobiles vita pretiosior reputatur: ergo licet illum occidere, & à fortiori duellum oblatum acceptare. Confirm. quia vir nobilis potest invasorem occidere, licèt alioqui fugiendo possit saluti suæ consulere, quia cùm fuga sit ei ignominiosa, non tenetur illo medio uti, ut periculum evadat; poterit ergo duellum oblatum acceptare, cùm sine honoris dispendio illud recusare nequeat.

103 Re-

Digitized by Google

103 Respond. cùm ille dicatur invasor, qui nobis, & rebus nostris vim infert, qui verò provocat ad duellum, nec tibi, nec honori tuo vim inferat, sed solùm petat consensum tuum in rem lege divina, & humana prohibitam, quam sine ulla honoris jactura recusare potes, non sequitur licere tibi duelli acceptationem ex eo, quòd liceat occidere invasorem: aliàs qui te ad ebrietatem, vel libidinem invitaret, tuo honori vim inferret, adeòque liceret tibi inebriari, & libidini vacare, ne apud ebriosos, & libidinosos malè audires, quod est absurdum. Ad confirm. dico non esse parem rationem, quia invaso vis infertur, non autem ei, qui provocatur ad duellum. Si autem qui te provocat, talis sit, ut nisi acceptes mortem inferre velit, poteris pugnare; non erit tamen hoc duellum, sed invasio injusta; ex parte verò tua justa defensio propriæ vitæ.

104 Est igitur duellum, quod injustum diximus, non solùm prohibitum jure naturæ, sed etiam ecclesiastico: [c] Trident. Pii IV. Greg. XIII. & Clement. VIII. Cui præter alias pœnas imposita est excommunicatio latæ sententiæ. Excommunicantur autem in Trident. Primò omnes superiores temporales concedentes in suis terris locum ad duellum. Secundò duellum comittentes. Tertiò Patrini, consulentes, suadentes, & spectatores, qui tales non sunt casu, sed ex consilio tamquam socii, & comites, aut ex professo ad tale spectaculum accedentes. Quæ excommunicatio ex vi Trident. non est reservata, talis tamen est ex decretis Pontificum, in quibus extenditur excommunicatio ad duellum etiam privatum sine patrinis, ad principes permittentes, & non prohibentes, faventes, & non punientes, ad fautores, adhærentes, portantes chartas duelli, subscribentes, affigentes, publicantes, dictantes, componentes, mittentes, deferentes, divulgantes, imprimentes, vel etiam solo verbo denunciantes, consilium & favorem præbentes.

c Seff. 25. c. 19. de ref. Soar. supra.

105 Paci, & charitati opponitur etiam seditio, [d] quæ est bellum commune intra eamdem Rempub. & geri potest vel inter duas partes illius, vel inter Rempub. & principem. Prima semper est mala ex parte aggressoris, ex parte se defendentis potest esse justa. Prob. quia in parte Reipub. nulla est potestas ad inducendum bellum alteri; in ea verò, quæ injustè impetitur, est jus naturæ ad se defendendum. Secunda Reipub. contra principem est intrinsecè mala, quia deest causa justa, & potestas. Quia verò seditio opponitur speciali bono unitatis, est speciale peccatum, & quia opponitur bono communi, est ex genere suo peccatum mortalem tantò gravius, quantò bonum commune est majus bono particulari, quod impugnatur per rixam: estque non solùm contra charitatem, sed etiam contra justitiam, pertinetque primò ad seditionem procurantes; secundò, ad illos, qui eos sequuntur.

d D. Tho. q. 42. Soar. d. 13. s. 8.

SECTIO VIII.

De scandalo charitati opposito.

Misericordiæ spirituali, & consequenter charitati opponitur scandalum, [a] quod est occasio ruinæ spiritualis proximi, & datur quando proximus dicto, vel facto inducitur ad peccandum: est autem scandalum vel activum, vel passivum. Activum est, quod datur; passivum, quod accipitur, seu activum est ex parte scandalizantis, passivum ex parte scandalizati. Quod aliquando potest esse acceptum, & non datum, ac proinde separari potest ab activo, & dici solùm passivum. 106

a S... d. 10.

107 Dupliciter potest quis esse proximo occasio peccandi. Primò per se, & directè, quando dicto, vel facto directè intendit illum inducere ad peccandum. Et hoc ex omnium sententia est speciale peccatum scandali distinctum ab omnibus aliis peccatorum speciebus, & formaliter oppositum misericordiæ, & charitati, quatenus ex his virtutibus tenemur cavere peccatum proximi, quia malum illius est. Unde qui alteri directè suadet, ut committat homicidium, vel aliquid facit ex directa intentione, ut alius peccet, non tantùm contrahit malitiam homicidii, aut alterius peccati, cujus est causa; sed insuper specialem malitiam scandali, & utraque est in confessione explicanda tamquam specie distincta duplex peccatum constituens.

108 Et

Digitized by Google

b Sanch. 1. decal. c. 6. 108 Et licèt aliqui [b] doceant non esse speciale peccatum scandali, quando quis proximum inducit non directè intendens ejus ruinam spiritualem; sed suum commodum, vel aliquid aliud, ut ille, qui fœminam solicitat solùm intendens delectationem propriam, quem dicunt solùm esse reum proprii peccati, & fornicationis alienæ, & sic de aliis peccatis, quod vocant scandalum generale, non speciale. Probabilius [c] tamen est hunc etiam committere speciale peccatum scandali contra charitatem, & misericordiam, si ruinam proximi probabiliter secuturam prævidit ex suo dicto, vel facto malo, aut habente speciem mali. Quia saltem virtute, & interpretativè voluit specialem ruinam proximi, quàm non cavit, cùm posset, & teneretur. Unde etiam est reus peccati alieni sua occasione commissi, & specialis scandali contra charitatem.

c Soar. d. 10 s. 2. Lug. de pœ. d. 16. s. 4. Bellen. de charit. d. 16. dub. 3. n. 36.

d Soar. s. 1. 109 Scandalum purè passivum [d] est, cùm proximus præter rationem ex sua malitia sumit occasionem peccandi ex opere tuo aliàs licito, & honesto, aut licèt illicitum sit, non tamen habet sufficientem connexionem cum scandalo alterius. Circa quod observa; si opus tibi licitum, & honestum est, & tu non potes illo privari sine incommodo, & difficultate alicujus momenti, non teneris ab illo abstinere; quia tale scandalum non est datum, sed acceptum. Unde peccatum proximi ejus malitiæ imputatur. Quare licet tibi juramentum petere ab infideli, quem scis per falsos deos juraturum, & mutuum petere ab eo, quem scis usuras petiturum, si verò absque tuo incommodo facilè potes ab eo opere abstinere, charitas regulariter obligat, ut abstineas ad impediendum peccatum proximi, estò ille alioqui paratus esset.

e Soar. c. 14. Sanch. c. 7. 110 Sed quid de rebus ex se indifferentibus? Respond. interdum [e] esse peccatum illas ministrare ei, qui illis abusuris est, v. c. vendere res indifferentes, quibus homines malè uti solent, qualia sunt venena, claves falsæ &c. Nisi moraliter constet ementem non malè usurum. Quod ex conditione personæ, aliisque circumstantiis colligi potest. Non tamen erit peccatum vendere res indifferentes, quibus homines benè uti solent, qualia sunt arma, quando non constat ementem malè usurum. In priori enim casu censeris cooperari peccato alterius, non tamen in posteriore.

111 Si tamen constet re indifferenti aliquem abusurum, teneris ei non vendere, nec ministrare, ne illius peccato coopereris, materiam peccandi subministrando. Hinc non excusantur caupones, qui sine gravi causa tempore prohibito vendunt, aut præparant carnes hospitibus, & cibos indifferenter ministrant jejunium solventibus; qui agnum vendit Judæo ad sacrificium &c. Et parum refert, si tales res non vendas, non defuturos alios, qui id faciant. Nam ultra quod interdum non possit affirmari, quod alii sint facturi, id est per accidens respectu tuæ cooperationis, quæ non definit esse mala, licèt multi ad similem cooperationem parati sint.

112 Interdum excusantur [f] à peccato, qui res indifferentes ministrant. Sic excusantur, qui domos locant meretricibus, quia hoc est nimis remotum ad peccatum, & aliunde qui locat, utitur jure suo, nec est cur magis teneatur hac via meretricium impedire, quam Respub. id permittens. Excusatur etiam famulus domino ministrans in rebus ex se indifferentibus, quæ non nisi remotè malo usui subserviunt, quales sunt deferre munuscula concubinæ, lectum sternere. Imò ex gravi causa licèt exequi officia, quæ majorem habent propinquitatem cum peccato, v. c. hero per fenestram ascendenti scalam admovere; comitari euntem ad peccandum; custodire, ne ab alio invadatur; concubinæ advenienti portam aperire, eamque comitari. Erit autem gravis causa, si timeat ob inobedientiam debita mercede privandum, vel è domo expellendum, indeque in egestatem redigendum. Hæc enim sufficiens causa censetur, ut obsequia in dictis rebus honestari valeant. Damnant tamen communiter doctores famulum deferentem litteras provocantes ad turpem amorem, licèt aliqui excusare conentur; omnes verò fatentur non excusari, quando ministerium est in re ex se mala, qualis est, si ad turpem heri amorem fœminam invitet, si in homicidio injusto juvet. Vide de his Sanch. loco citato, ubi materiam copiosè, & eruditè prosequitur. Et hæc satis pro præambulis Decalogi.

f Soar. s. 4.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Expositio primi Præcepti Decalogi.

113 PRimum Decalogi præceptum præcipit cultum unius veri Dei, quem venerari, & colere tenemur juxta regulas virtutis Religionis, quæ est prima post theologales. Hoc autem præstamus offerendo sacrificium Missæ cum sacerdote, & utendo Sacramentis, Deum item laudando, & adorando adoratione latriæ, quæ est actus voluntatis, quo Deo, propter ejus supremam excellentiam creatoris, & dominii, nos ipsos subjicimus. Quare ad declarationem hujus præcepti aliquid dicendum est de virtute Religionis, de actibus ejus, & vitiis oppositis.

SECTIO I.

De virtute Religionis.

114 Religio [a] hìc non sumitur pro statu Religionis Christianæ, nec pro statu Religioso, qui dicit hominum congregationem per vota Deo specialiter servientium, sed pro quadam virtute inclinante nos ad cultum, & honorem Deo exhibendum. Et definitur virtus moralis, per quam debitus cultus, & honor Deo exhibetur tamquam supremo Domino, & Creatori propter ejus excellentiam. Unde constat Religionem [b] esse virtutem, quia inclinat ad operationes honestissimas.

a D. Tho. 2.2.q.81. Soar. c.1. de Relig.

b D. Tho. a. 2. Less. lib. 2 c. 36. dub. 1.

115 Dico ergo 1. [c] Religio est virtus moralis, non theologalis. Prob. quia virtutes theologales fides, spes, & charitas habent pro objecto ipsum Deum; morales verò non habent pro objecto Deum, sed ea, quæ ducunt ad Deum: sed Deus non est objectum Religionis, sed Dei cultus: ergo. Declaratur, quia licèt Religio exhibendo Deo cultum, Deum respicere videatur, non tamen respicit ut objectum *Quod*, sic enim solùm respicit actus, per quos Deus colitur, sed respicit Deum tamquam objectum, vel subjectum cui cultus, & honor exhibetur: virtus autem theologica respicit Deum tamquam objectum *Quod*. Nam per fidem credimus Deo, & Deum ipsum, per spem speramus à Deo, & Deum ipsum tamquam bonum, & finem nostrum, per charitatem amamus Deum in se propter ejus bonitatem: ergo Religio non est virtus theologica, sed moralis.

c D. Tho. a. 5. Less. lib. 1. c. 3. & lib. 3. c. 2. & 3. Less. dub. 2 n. 14.

116 Dico 2. Religio [d] est virtus præstantissima inter morales. Prob. quia ea, quæ sunt ad finem, sortiuntur bonitatem ex ordine ad illum, unde quò fini propinquiora sunt, eò sunt meliora: sed virtutes morales sunt circa ea, quæ ordinantur ad finem, qui est Deus, inter quas Religio magis accedit ad illum, quatenus operatur circa ea, quæ directè, & immediatè ordinantur in honorem Dei: ergo Religio præstantior est. Conf. quia virtutes theologales sunt præstantiores omnibus moralibus: sed Religio magis accedit ad theologales, quàm aliæ, cùm versetur circa Deum, cui cultus exhibetur, aliæ verò circa proximum, vel circa ipsum operantem. Et quamvis pœnitentia, & obedientia Deum etiam habeant pro objecto, cui obeditur, & jus redditur; suprema Dei excellentia videtur præstare motivis talium virtutum, ex quo Religio illis videtur præferenda.

d D. Tho. a. 6. Soar. lib. 3. c. 4. Less. dub. 2. n. 14.

117 Dico 3. Religio [e] est una virtus specifica. Prob. quia virtutes distinguntur secundùm diversas rationes objecti: sed Religio exhibet Deo cultum, & honorem secundùm rationem unam, nempè in quantùm est unicum principium excellentissimum creationis, & gubernationis: ergo est una virtus species. Neque obstat, quòd exerceat plures actus, ut postea videbimus, quia per omnes illos protestamur divinam excellentiam, & subjectionem nostram propter illam: cùm ergo habeat unum objectum formale, una erit virtus specifica.

e D. Tho. a. 3. Soar. lib. 3, c. 8.

118 Dico 4. Religio [f] est virtus ab aliis distincta. Prob. quia cùm virtus ordinetur ad bonum, ibi est specialis virtus, ubi est specialis ratio boni: sed bonum, ad quod ordinatur Religio, est honor, & cultus Deo debitus, qui specialis est, cùm Deo competat specialis excellentia ab omnibus aliarum rerum excellentiis diversissima: ergo Religio distinguitur ab aliis virtutibus. Conf. quia diversis excellentiis creatis diversus debetur honor, alius enim Patri, alius Prælato, alius nobili debetur: ergo alius Deo.

f D. Tho. a. 4. Soar. c. 8.

119 Hinc sequitur primò, Religio-

rali-

Soar. c. 4 nem g distingui ab aliis virtutibus moralibus; à Prudentia quidem, quia hæc est virtus intellectualis, quæ actus humanos dirigit: Religio verò est virtus voluntatis. A fortitudine, & temperantia, quia hæ moderantur passiones, & sunt virtutes ad se, Religio est virtus ad alterum, quæ non occupatur in passionibus moderandis. A justitia strictè sumpta, quia ad hanc, præter alia, requiritur ut reddat debitum ad æqualitatem, quod non habet locum in Religione, cùm homo non possit Deo reddere totum, quod illi debet ratione suæ infinitæ excellentiæ, & supremi dominii. Et ideò Religio dicitur pars potentialis justitiæ, non verò subjectiva, quia licèt justitiam imitetur, ejus perfectam rationem non habet.

120 Sequitur secundò, Religionem h distingui à dulia, qua sanctos colimus, & honoramus. Prob. quia utraque habet objectum formale distinctum; Religio enim respicit excellentiam Dei increatam, dulia verò excellentiam creatam Sanctorum. Neque valet, quòd eadem charitate Deum, & proximum diligamus, quia fundamentum charitatis est unitas, neminem enim amamus, nisi aliquo modo unum nobiscum reputemus; fundamentum autem honoris, reverentiæ, & cultus est distinctio, & diversitas; neque enim honoramus, nisi eos, qui nobis sunt superiores. Unde fit posse nos eadem virtute charitatis, qua Deum diligimus, diligere etiam proximos, & nos ipsos, quia eadem gratia, quæ facit nos unum cum Deo, unit nos cum proximis: at virtus, qua Deum colimus, est distincta ab ea, qua sanctos veneramur, quia excellentia Dei, ob quam illum colimus, eique subjicimur, est longè diversa ab excellentia, ob quam sanctis honorem exhibemus, & ab excellentia beatæ Virginis, quam veneramur per hyperduliam.

h Soar. c. 5. Less. dub. 3.

121 Sequitur tertiò, Religionem i distingui à pœnitentia. Prob. quia sicut inter homines observantia, qua alterum colimus propter ejus excellentiam, distinguitur à justitia stricta, qua jus illius conservamus, vel læsum restituimus, ita in ordine ad Deum, virtus, qua ei honorem exhibemus propter summam ejus excellentiam, distincta est ab ea, qua jus illæsum conservamus, vel læsum resarcimus, quantùm in nobis est, quod facimus per Pœnitentiam.

i Soar. lib. 3. c. 7.

122 Sequitur quartò Religionem l distingui ab obedientia. Prob. quia aliud est colere, aliud obedire: sed virtutes distinguntur ex actibus, & officiis: ergo. Declaratur, quia licèt obedire possit esse materia cultus, si ex intentione formali ad eum finem referatur, obedire tamen formaliter non est colere, formalis enim ratio, & intentio obediendi non respicit honorem, & reverentiam personæ, cui obeditur, propter excellentiam, ejus sed solam honestatem, quæ est in observantia præcepti, seu quæ est in conformitate voluntatis subditi cum voluntate superioris volentis, & potentis obligare: ergo Religio diversa virtus est ab obedientia.

l Soar. c. 6.

SECTIO II.

De actibus internis Religionis.

123 Actus interiores Religionis ponuntur à D. Thom. devotio, & oratio. Devotio autem dicitur à devovendo, & nihil est aliud, quàm voluntas quædam promptè se tradendi ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Unde devoti dicuntur, qui se ipsos quodammodo devovent Deo, ut ei promptè serviant, estque actus Religionis. Prob. quia ad eamdem virtutem pertinet facere aliquid, & promptam reddere voluntatem ad illud faciendum, utriusque enim actus idem est objectum: sed operari, quæ pertinent ad divinum famulatum, ad Religionem spectat: ergo & habere proptam voluntatem ad ea exequenda, quod est esse devotum.

a 2. 2. q. 82. a. 1. Soar. c. 4. de Relig. lib. 2. c. 7. Less. l. 2. c. 37. dub. 1.

124 Quamvis b autem ad charitatem pertineat, quòd homo se ipsum tradat Deo per spiritualem unionem, & affectum, quòd tamen se tradat ad opera divini cultus immediatè, pertinet ad Religionem, & mediatè ad charitatem, quæ est Religionis principium. Unde inter charitatem, & devotionem est velut mutua causalitas; quia charitas devotionem excitat, quatenus ex amore redditur quis promptus ad serviendum amico, & vicissim per devotionem charitas fovetur, sicut & amicitia per exercitium operum amicabilium. Devotio autem generatur ex duplici

b D. Thom. q. 82. a. 3. & 4. Soar. lib. 2. c. 8.

Digitized by Google

plici consideratione, nempe divinæ bonitatis, & beneficiorum ejus, ex qua excitatur dilectio, quæ est proxima causa devotionis, & cognitionis propriorum defectuum, quæ excludit præsumptionem impedientem, ne quis se Deo subjiciat, dum suæ virtuti, & viribus innititur. Causat verò devotio spiritualem mentis lætitiam, quia ex consideratione divinæ bonitatis, quæ est præcipua devotionis causa, sequitur per se delectatio, & jucunditas, juxta illud: [c] *Memor fui Dei, & delectatus sum.*

[c] Pf. 76. 4.

125 Oratio est [d] actus Religionis. Prob. quia ad Religionem pertinet reverentiam, & honorem Deo exhibere; exhibetur autem per orationem, quatenus homo se Deo subjicit, & orando profitetur se eo indigere, tamquam omnium bonorum authore. Quia verò [e] oratio non est actus voluntatis, sed rationis, cùm enim sit petitio, & deprecatio facta Deo, est locutio, & expressio propriæ miseriæ, & necessitatis; loqui autem, & exprimere pertinet ad intellectum, non ad voluntatem; sequitur quòd oratio inter actus externos, seu imperatos Religionis numerari debeat. Oratio autem non fit, ut divina dispositio immutetur, quia hæc est immutabilis, quamvis necessitatem rebus humanis non imponat; sed ut impetremus, quæ Deus disposuit per orationes obtinendum.

[d] D. Tho. q. 81. a. 1. 2. & 3. Soar. t. 4. l. 7. c. 3. 6. & 7.

[e] Less. dub. 6.

126 Oratio [f] dupliciter fit. Primò, quasi per ipsum, quem oramus, implenda sit, quomodo soli Deo fit oratio, quia solus Deus dat gratiam, gloriam, & reliqua bona. Secundò, quasi per ipsum impetranda, & hoc modo oramus Angelos, & Sanctos, ut precibus eorum impleatur quod petimus. Unde oratio Dominica est perfectissima, non solùm quia immediatè fit Deo, sed etiam quia continet omnia, quæ desiderare possumus, & eo ordine, quo desideranda sunt, ut constat ex lib. præcedenti.

[f] D. Tho. q. 83. a. 4. & 9. Soar. c. 9. & 10. Less. dub. 6.

127 Quia [g] verò charitas postulat, ut proximis bona optemus, postulat etiam, ut pro iis oremus. Unde pro peccatoribus orare debemus, ut convertantur; pro justis, ut perseverent, & proficiant; pro defunctis, ut à pœnis liberentur. Inimicos non possumus excludere à communibus orationibus, quas pro aliis facimus. Quòd verò pro illis specialiter oremus, perfectionis est, non necessitatis, nisi in aliquo speciali casu gravis necessitatis.

[g] D. Tho. a. 7. & 8. Soar. c. 13. & seq. Less. dub. 7.

128 Oratio [h] habet efficaciam merendi, satisfaciendi, & impetrandi, si procedat ex charitate, & fide. Probatur, quia est opus bonum, quod Religio Deo offert, fides dirigit, credendo posse nos à Deo obtinere, quod petimus, comitatur humilitas, faciens, ut nostram indigentiam agnoscamus; charitas dignificat, ut verè mereatur, & satisfaciat. Ut autem sit impetratoria, non requiritur charitas. Unde oratio peccatoris procedens ex fide exauditur non ex merito, quia peccator non meretur apud Deum, sed ex pura misericordia, si has habeat conditiones, ut pro se petat, & probabile est, quòd etiam pro aliis, si petat necessaria ad salutem: si piè, & perseveranter petat. Piè autem orat peccator, quia estò charitate careat, petit aliquid ad pietatem pertinens.

[h] D. Tho. a. 15 & 16. Soar. c. 21. & seq.

129 Ut autem oratio [i] sit meritoria, vel impetratoria, debet esse attenta; triplex autem attentio adhiberi potest, nempe ad verba, ad sensum, & finem orationis, scilicet ad Deum, & ad rem pro qua oratur, & hæc postrema est maximè necessaria, licèt simpliciter necessarium non sit, quòd sit attenta per totum, quia sufficit attentio, qua ad orandum acceditur, licèt ad melius esse continua attentio requiratur toto tempore, quo durat oratio.

[i] D. Tho. a. 13. Soar. c. 22.

130 Quatuor [l] sunt orationis partes, scilicet oratio, postulatio, obsecratio, & gratiarum actio. Prob. quia ad orationem tria requiruntur. Primum, ut orans accedat ad Deum, quem orat, quod significatur nomine orationis. Secundum, ut petat sive determinatè, quod vocant petitionem, sive indeterminatè, ut cùm quis petit juvari à Deo, quod dicunt supplicationem, sive solùm factum narrando, juxta illud: *Ecce quem amas, infirmatur*. Quod vocant insinuationem. Tertium, ratio impetrandi, quæ ex parte Dei est ejus sanctitas, bonitas, & misericordia, propter quas petimus exaudiri, & dicitur obsecratio. Ex parte verò petentis est gratiarum actio, quia dum pro acceptis gratias agimus, meremur potiora accipere.

[l] D. Tho. a. 7. Soar. t. 4. l. 2. c. 2. & 3

131 Oratio [m] vel est mentalis, vel voca-

[m] D. Tho. a. 12.

vocalis. Mentalis est, quæ fit loquendo cum Deo sola mente. Vocalis, quæ voce externa perficitur, & hæc est communis in Ecclesia. Docet autem D. Thom. orationem communem, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius populi offertur, debere esse vocalem, quia aliàs non posset innotescere populo, pro quo offertur; orationem verò particularem, quæ à persona particulari offertur, non debere esse ex necessitate vocalem, cui potest adjungi vox. Primò ad excitandum interiorem affectum. Secundò quasi ad redditionem debiti, ut nempe homo Deo serviat secundùm totum, quod ex Deo habet. Tertiò ex quadam redundantia ab anima in corpus per affectum vehementem juxta illud: [n] *Lætatum est cor meum, & exultavit lingua mea.*

n Ps. 15.9.

132 Oratio [o] est in præcepto divino, ut diximus lib. præcedenti. Est enim simpliciter necessaria ad salutem. Assignare autem tempus, quo tale præceptum obligat extra casus necessitatis, non est ita facilè, quia, cùm sit præceptum affirmativum, indeterminatè obligat, ut sæpè diximus de aliis præceptis affirmativis. [p] De oratione mentali non est præceptum in Ecclesia, maximè verò de vocali, hoc est, de horis Canonicis, de quibus proinde aliquid opus est dicere; quia maximè ad nostrum Parochum pertinet.

o D.Tho. a. 3. ad 2. Soar. c. 25, & 19. Less. dub. 3

p Soar. c. 4. & 2. c. 4.

SECTIO III.

De horis Canonicis.

133 HOræ Canonicæ sunt septem, scilicet matutinum cum laudibus, prima, tertia, sexta, nona, vesperæ, & completorium, prout continentur in Breviario Romano, vel in alio concesso, vel permisso à sede Apostolica. Omnes istæ horæ componunt officium integrum unius diei.

134 Dico ergo primò: [a] Ex triplici titulo obligatur quis ad hoc officium. Primò ratione ordinis sacri. Secundò ratione professionis religiosæ admissæ ab iis, qui ad chorum sunt destinati juxta instituta, vel consuetudines suarum Religionum, sub quibus moniales comprehenduntur. Tertiò ratione beneficii ecclesiastici tam simplicis, quàm curati. Et extenditur ad præstimonia, quæ sunt portiones quædam ex redditibus beneficiorum assignatæ ad sustentationem clericorum pro studiis. Item ad capellas collativas, quæ vera sunt beneficia ecclesiastica, cùm à superiore ecclesiastico conferantur personæ ecclesiasticæ ad officium ecclesiasticum. Non verò extenditur ad eos, qui habent pensiones, aut alios redditus ecclesiasticos, qui etiam sæcularibus conceduntur. Qui verò habent pensionem titulo clericali, tenentur quotidie ad officium beatæ Virginis.

a Tolet. l.2 c.12. Soar. l.4. à cap. 16. Less. l.2 c. 37. dub. 9.

135 Quæ [b] doctrina quoad beneficiarios, procedit etiam si fructus beneficii sint valde tenues, quia talis obligatio imposita est beneficio, sine ulla limitatione. Nec ista obligatio dura censeri debet, tum quia facilè se quis ab ea liberare potest dimittendo beneficium: tum quia talis obligatio est in subdiacono, qui nec tenues redditus habet: unde non est rationabile [c] fundamentum excusandi tales beneficiarios, quamvis non desint, qui eos solùm obligent pro Dominicis, & festis.

b Soa. c. 11.

c Less. c. 34 dub. 31.

136 Procedit [d] etiam in illo, qui sua culpa nullos fructus ex beneficio recipit, quia v. c. est excommunicatus, aut non vult residere. Et in eo, qui de præsenti nullos fructus percipit, sed aliàs est percepturus, quia hoc moraliter æquivalet actuali perceptioni; non tamen si injustè privetur omnibus fructibus, & spe eos percipiendi in futurum; quia obligatio officii ex titulo beneficii dicit necessarium ordinem ad fructus vel perceptos, vel percipiendos.

d Soar. c. 10. n. 12. Less. dub. 31. n. 175.

137 Probabilius [e] est beneficiarium non obligari ad officium ante possessionem acceptam, nisi per ipsum stet non habere illam. Ratio est, quia in jure non censetur quis perfectè habere beneficium, donec pacificam ejus habeat possessionem, vel saltem per illum non stet eam non habere, maximè quia nondum habet dominium utile: unde non obligatur qui ab extrinseco impeditur, ne possessionem habeat, quia cùm sine culpa eam non habeat, & fructus non percipiat, non est ratio, cur teneatur ad officium. Imò potiùs ad id videtur obligandus, qui injustè liti-

e Soar. c. 19 n. 7. & 9.

Digitized by Google

litigat, & impedit alium, quia talis Ecclesiæ injuriosus est, quam privat debito ministro: ergo videtur obligandus ad onus, quo aliquo modo Ecclesiæ incommodum recompenset. [f] Si verò uterque litigans putet se habere jus, & bona conscientia litiget, causa manet dubia: unde uterque videtur deobligandus, quia beneficium censetur quasi vacans. Si verò aliquis eorum possideat, & administret beneficium litigiosum, si moraliter certus sit, licèt à possessione deturbetur, fructus sibi adjudicandos pro rata administrationis, obligari videtur, quia illa moralis certitudo equiparatur actuali fructuum perceptioni.

f Soar. n. 10.

138 Post titulum, [g] & pacificam possessionem beneficii statim quis tenetur ad officium, licèt fructus non statim accipiat, si habet spem moraliter certam illos obtinendi. Imò etiam tenetur, qui beneficium, & administrationem acceptat cum onere solvendi alteri omnes fructus in pensionem; nam talis voluntariè recipit beneficium, & quasi ex pacto obligatur ad illius administrationem, & cedit juri suo quoad fructus in favorem alterius. Et idem est, estò non omninò voluntariè, sed ex Papæ obedientia beneficium acceptaret cum prædicto onere, quia semper haberet quotidianas distributiones, vel aliquid, quo sustentari posset, si inserviat. Si autem inservire noluerit, sibi imputet. Non autem tenetur ad officium, qui solùm titulum recipit, manentibus fructibus & administratione penes resignantem. Habens verò pacificam possessionem beneficii, cujus fructus non recipit pro certo tempore ex præscripta, & justa consuetudine, sicut pro eo tempore tenetur inservire, ita & recitare officium, de quo Soar. à n. 6.

g Soar. c. 10.

139 Beneficiarii [h] non recitantes officium post sex menses à beneficii possessione, nisi legitimè excusentur juxta dicenda concl. 4. tenentur ad restitutionem fructuum pro rata. Quare non recitantes intra primos sex menses, licèt mortaliter peccent, non tenentur ad restitutionem, postea verò tenentur pro rata horarum omissarum, ita ut qui officium totum omittit, teneatur restituere fructus respondentes illi diei, qui omittit matutinum cum laudibus, teneatur ad dimidiam partem, pro aliis verò horis aliam dimidiam, pro singulis verò ex illis horis ad sextam partem illius medietatis, ut [l] Pius V. expresè declaravit. Restitutio autem facienda est fabricæ, vel pauperibus. Probabile est Parochum, & Episcopum non teneri ad restitutionem omnium fructuum respondentium diei, quia his stipendium datur ob plura munia, quibus omnibus non defuerunt. Unde satis videtur, quòd restituant eam partem, quæ respondet officio omisso, retentis illis, quæ respondent officio curandi, & gubernandi. Tenentur autem omnes prædicti restituere modo prædicto ante sententiam, quia fructus suos non faciunt.

h Soar. c. 29. & 30. Less. c. 4 dub. 32.

l Const. ex proximo. 138.

140 [l] Dico 2. integrum officium est recitandum singulis diebus sub gravi obligatione, ita ut non solùm mortaliter peccet, qui totum officium omittit, sed etiam qui unam horam, aut partem notabilem illius, non tamen minimam, verbi causa, unum psalmum. Habere voluntatem non dicendi officium die aliqua, illudque totum omittere, unum peccatum est, quia omnes horæ præcipiuntur unico præcepto per modum unius officii; eò tamen erit gravius, quò plures horæ omissæ fuerint. Plures voluntates omittendi officium eadem die, unum sunt peccatum, quia omnes uniuntur in eadem omissione externa; erit tamen gravius ratione continuationis. A quo peccato interno non excusaberis, si postea voluntate mutata officium persolvas, quia voluntas mala fuit contra præceptum.

l Soar. c. 31 à n. 14. Less. dub. 9.

141 Integrè [m] recitat officium, qui sive in choro, sive extra alternatim recitat cum alio, vel aliis, dicendo unam partem, audiendo aliam. Item qui, dum alii recitant in choro, detinetur aliqua occupatione ad officium necessaria, ut prævidendo lectionem, thurificando &c. & idem est de eo, qui ex decentia verbum aliquod profert, aut è cujus naribus sanguis fluit; & similibus casibus sæpè contingentibus non opus est supplere, quod prætermissum est, saltem si non excedat quantitatem unius psalmi; quia cùm omnes unum chorum constituant, quod ab una parte cantatur, censetur recitari ab aliis. Neque pulsans organum, neque respondentes in choro tenen-

m Soar. c. 12. Less. dub. 9.

Digitized by Google

nentur ad recitandam illam partem officii, quam organum supplet, quia Ecclesia sonum organi approbat in partem officii.

a Soar. c. 24. à n. 8. Less. dub. 10.

142 Non est a contra integritatem officii quævis interruptio inter matutinum, & laudes, sicut nec inter alias horas. Si verò inter partes unius horæ fiat notabilis interruptio sine causa rationabili, erit culpa venialis. Inter nocturnos matutini potest fieri interruptio duarum, aut trium horarum sine ulla causa: cum causa verò potest hodie hora competenti dici unus, vel alter nocturnos, & manè alius cum laudibus. Culpa erit contra integritatem voluntariè verba omittere, vel truncare, gravior, vel levior juxta quantitatem sensus corrupti. Quæres autem, an qui non intersunt processioni litaniarum die S. Marci, aut in triduo Rogationum ante ascensionem Domini, teneantur sub gravi obligatione dicere privatim litanias, ut præscribitur in Breviariis? Partem negantem probabilem dicit Diana 2. p. Resolut. 42. pro qua citat Vasq. nullam tamen rationem assignat. Melius tamen Soar. o Gavantus, Bonac. Tanner. ut certum docent dicendas esse litanias cum suis precibus quatuor illis diebus. Quia verba Breviarii præceptum continent, & materia est gravis. Et hic est usus omnium timoratorum. Unde dici potest, quòd litaniæ sint pars officii illorum dierum.

o Soar. c. 25. n. 8. & 9.

143 Quamvis ex aliquorum sententia satisfiat præcepto mutando officium sine legitima causa, v. c. recitando de feria eo die, quo de Sancto erat recitandum, vel vice versa: oppositum est probabilius, & securius. o Quia non præcipitur solùm officium, sed etiam ejus varietas. Quare non satisfacis, nisi etiam varietatem observes, aliàs satisfaceres recitando toto anno officium Paschale, quod est absurdum. Si tamen mutatio foret ex inadvertentia, vel ex aliqua occasione rationabili, idque rarò, non esset peccatum mortale, ex parvitate materiæ, nec esset obligatio repetendi officium dici; imò nec esset culpa venialis. Et idem est, si ex aliqua justa causa ordo horarum perverteretur. Si autem sine causa fieret, à veniali non excusaretur.

o Soar. c. 13. à n. 12. Less. dub. 11. n. 77.

144 Dico tertiò: p Recitatio officii debet esse vocalis, ita ut voce verba exprimantur etiam si non audiantur ab aliis, quando privatim recitatur; nec opus est, ut recitans se ipsum audiat; quia aliàs si surdus esset, aut fieret notabilis strepitus, non posset officium persolvere. Sufficit ergo, ut posset se audire, si non esset externum impedimentum. Requiritur etiam aliqua interna attentio; quæ datur, quando animus præsens est ad ea, quæ dicuntur. Et potest esse triplex, nempe ad verba, ad sensum verborum, ad Deum, vel ad aliquod fidei mysterium. Quod autem aliqua requiratur constat ex jure, q ubi præcipitur, ut officium dicatur studiosè, & devotè. Quod stare non potest sine interna attentione; quia devotio, ut suprà dictum est, est actus internus Religionis. Accedit. Quia recitatio officii præcipitur tamquam vera oratio facta ad Deum: at sine interna attentione non est vera oratio, nec locutio cum Deo: ergo &c.

p Soar. c. 20 Less. dub. 1.

q Cap. dolentes de celebrat. Miss.

145 Notant r verò doctores primò, unam ex dictis attentionibus internis sufficere ad satisfaciendum; quia verba proferens cum tali attentione verè censetur orare. Unde attendens ad sola verba satisfacit, quia non tenetur orare meliori modo, quo potest. Secundò, satis esse attentionem virtualem, quæ datur in illo, qui officium incipit cum animo attendendi, licèt statim distrahatur, & distractio duret usque ad finem, dummodo distractio non sit directè, nec indirectè voluntaria. Unde si in fine psalmi, aut officii animo attendendi bona fide incepti quis advertat toto tempore fuisse distractum, non tenetur officium repetere, imò non benè aget repetendo, quia locum dabit scrupulis, quorum occasiones fugiendæ sunt, quod observent scrupulosi in hac materia.

r Less. à n. 79.

146 Dico quartò: s Tres causæ excusant à recitatione officii. Prima est impotentia, nemo enim tenetur ad impossibile. Unde tam cæcus, quàm carens Breviario, quàm ægrotus, qui sine gravi nocumento recitare non potest, excusantur. Qui totum officium recitare non potest, potest tamen majorem ejus partem, tenetur ad illam. Si non potest, nisi minorem, ad nihil tenetur; quia major pars videtur trahere ad se minorem, aliàs dabitur locus scrupulis, nullus enim ferè est ægrotus, qui dubitari non possit, an valeat sine

s Soa. c. 28. Less. dub. 9. n. 54.

Digitized by Google

ne gravi incommodo unam, vel alteram horam recitare. In dubio autem an possit sine notabili damno dicere majorem partem officii; standum est judicio medici. Si autem medicus dubius hæreat, aliqui putant ægrotum non excusari; quia obligatio est certa; excusatio dubia. Oppositum tamen probabilius est, quia probabile periculum damni, est causa certa excusationis. Defectu medici potest ægrotus stare judicio sui superioris, si adsit, vel prudentis viri. Et si uterque absit, dictamini propriæ conscientiæ. Qui non potest officium solus persolvere, tenetur illud recitare cum socio, cujus habet copiam, si eo modo sufficienter juvari possit, quia tunc cessat impotentia excusans.

t Soar. c. 28 a n. 31.

147 Secunda [t] causa est gravis occupatio occurrens, quæ non potest sine gravi damno, scandalo, aut admiratione prætermitti, vel differri, aut commodè præstari, si officium dicatur. Tunc enim omnium consensu adest causa rationabiliter excusans, quia præceptum humanum non obligat cum tanto rigore. Unde concionator, confessarius, & magister interdum excusari possunt, si non possint officium recitare, nisi conciones, confessiones, & lectiones omittendo cum populi offensione, vel cum nota Religionis, aut propriæ personæ. Et idem est de aliis occupationibus charitatis. Hoc autem intelligi debet de occupatione repentina, & non prævisa; quia si quis manè prævideat se reliqua die impediendum, tenetur officium anticipare, si ad id tempus supersit. Nam præceptum obligat pro tota die, & qualibet illius hora impleri potest.

u Soar. c. 28 à n. 37.

148 Tertia [u] causa est dispensatio, quam Papa dare potest, quia præceptum est de jure Ecclesiastico. Episcopus non potest absolutè dispensare, quia est lex superioris: potest tamen hic, & nunc ex causa justa in casibus occurrentibus, in quibus Papa adiri non potest; sicut quando est dubium, an clericus teneatur, potest declarare non teneri, si verè existimet causam excusationis. Et idem applicandum est Prælatis Regularibus in ordine ad suos subditos.

x Soar. c. 10. Less. dub. 29.

149 Dico quintò: [x] Ad lucrandas distributiones ordinarias assignatas recitantibus in choro, non sufficit recitatio horarum, sed requiritur assistentia in choro, nisi ex legitima causa ab ea excusetur, de qua postea. Constat ex jure [z] antiquo renovato in Trident. dicente: *Distributiones verò, qui statis horis interfuerint, recipiant; reliqui quavis collusione, aut remissione exclusa his careant juxta Bonifacii V. decretum.* Unde patet non posse absentibus licitè concedi. Intellige autem primò, illegitimè à choro absentem privandum distributionibus ante omnem judicis sententiam, cùm enim earum dominium non acquirat, eas retinere non potest etiam ante sententiam. Secundò, [a] qui primis sex mensibus à possessione beneficii choro non assistit, privatur distributionibus illius temporis, estò fructus beneficii acquirat juxta superius dicta. Tertiò, distributiones amitti etiam illis [b] tribus mensibus, quibus beneficiarius abesse potest singulis annis, juxta facultatem à Trid. concessam loco citato. Quartò, non facere distributiones suas, qui non canunt in choro, estò assistant, & voce submissa dicant. Distributiones autem propriè dictæ, quæ sumuntur ex communibus beneficiorum redditibus, accrescunt iis, qui choro intersunt, quando alii absunt, non verò iis, qui resident, quando divisio distributionum peragitur, neque iis, qui juris fictione censentur adesse, quatenus ex legitima causa absunt. Nam legitimè absentibus jura solùm concedunt distributiones proprias, quæ perderentur, si illegitimè abessent, & nulla fit mentio distributionum, quæ ab absentibus amittuntur: ergo privilegium ipsis concessum, maximè cùm sit odiosum, ad eas distributiones extendi non debet. Dixi: *Propriè dicta.* Quia distributiones impropriæ, & extraordinariæ, quæ non sumuntur ex communi massa, sed ex fructibus particularibus alicujus beneficii, quando amittentur, non accrescent iis, qui choro intersunt, sed arbitrio Ordinarii fabricæ Ecclesiæ, aut pio operi applicari possunt.

z Cap. de Cleric. non resid. in 6. Sess. 24. c. 12. de ref.

a Soar. c. 12 a n. 10. Less. dub. 33.

b Bar. lib. 3. de jure eccl. c. 18.

150 Dico sextò: Tres causæ [c] assignantur sufficientes, ut à choro absens distributiones lucretur. Prima est infirmitas, non quæcumque, sed gravis; qualis censetur non tantùm illa, quæ gravis est in se, sed etiam quæ judicio medici, aut prudentis ingravesceret, si choro interesset, dummodo ea sit causa absentiæ; quia infirmus, qui

c Cap. uni. de cleric. non residente.

ex suppositione, quòd non ægrotaret, choro non interesset, non abest ratione infirmitatis, & consequenter non habet jus ad distributiones; & si illas recipit fingendo se affuturum, si sanus esset, suum non recipit, ac proinde ad illarum restitutionem tenetur.

151 Secunda est justa, & rationabilis corporis necessitas, ut si cui ex assistentia chori immineat grave damnum sive in corpore, sive in honore, sive in bonis fortunæ. Quia non est credibile pœnam illam imponi iis, qui ex tam legitima causa à choro abesse coguntur, modò per ipsos non stet, quòd tale impedimentum tollatur. Unde distributiones non perdunt, qui ob timorem pestis grassantis in loco beneficii à choro absunt; neque qui se absentant, ne ab inimico, quem sedare non possunt, occidantur, aut vulnerentur; neque qui absunt ob excommunicationem injustam, vel etiam justam, si eis injustè negetur absolutio, tales enim habentur, ac injustè excommunicati.

Less. dub. 19. n. 164. 152 Tertia est evidens utilitas propriæ Ecclesiæ, ut si quis absit ad defendenda illius jura, aut deputetur à capitulo ad sumendas rationes bonorum, & redditüum, cui negotio tempore divini officii vacare teneatur, vel licèt in alio tempore vacare posset, officiorum tempore negotium illud peragat, utitur enim jure suo, & laborat pro sua Ecclesia eo tempore. Si tamen quod tempore officiorum exequi poterat, antea, vel postea perficiat, & à choro absit, non lucrabitur distributiones, quia jam non abest ob utilitatem Ecclesiæ.

153 Hinc sequitur primò canonicum, qui simul est vicarius capituli, lucrari distributiones, si absit à choro, ut munus Vicarii exequatur, quia id est in utilitatem Ecclesiæ. Aliter est de eo, qui simul esset Vicarius Episcopi, qui licèt quandiu Episcopo inservit, lucretur fructus Canonicatus, non tamen distributiones quotidianas chori assistentiæ respondentes: quia non censetur abesse ob specialem utilitatem Ecclesiæ, cujus est Canonicus, sed ob generalem totius diœcesis. Quod intellige, nisi sit consuetudo legitimè præscripta, vel totus redditus canonicatus consistat in distributionibus, quia tunc lucrabitur duas partes, ne privilegium illum excusans à choro, maneat inutile. Sequitur secundò, Canonicum pœnitentiarium lucrari distributiones, quando in propria Ecclesia confessiones audit, aut pœnitentes expectat, aut ante, vel post confessionem de rebus ad salutem pœnitentes instruit, quia hoc totum cedit in utilitatem, & honorem propriæ Ecclesiæ in re, ad quam canonicatus ille fuit institutus. Sequitur tertiò, Canonicum, qui simul est Parochus, lucrari quidem fructus canonicatus, quandiu Parochiæ servit, non verò distributiones, quia non abest à choro ob utilitatem Ecclesiæ, cujus est Canonicus; eas tamen lucratur Canonicus theologus, si à choro absit, ut legat, vel concionetur in propria Ecclesia, non autem si illa munia alibi peragat. Canonicus absens causa studii percipit fructus, non quidem distributiones, quia evidens non est tale studium cessurum in utilitatem propriæ Ecclesiæ.

SECTIO IV.

De Adoratione, Sacrificio, & oblationibus.

ADoratio, qua corpus submittimus ad Deum venerandum, est actus [a] externus Religionis. Prob. quia adoratio tendit in reverentiam, & honorem illius, qui adoratur: sed Religionis est reverentiam, ac honorem Deo exhibere: ergo. Quia verò adoratio debetur ob excellentiam Personę, quæ in Deo summa est, ideo adoratio Dei dicitur latria, hoc est, signum supremæ excellentiæ; quæ autem exhibetur excellentibus creaturis ob sanctitatem participatam, dicitur dulia. Adoratio [b] igitur importat actum corporalem, quia cùm homo constet corpore, & spiritu, duplicem adorationem Deo exhibet; spiritualem, quæ consistit in interna animæ submissione, & corpoream, quæ est in externa corporis humiliatione. Quia autem in omnibus actibus latriæ, id quod est externum, refertur ad id, quod est internum tamquam ad principale, à quo imperatur, & informatur, ideo externa adoratio procedit ab interna, inservitque, ut internus affectus magis excitetur ad subjiciendum se Deo, quia homini conna-

154

a D. Tho. q. 84. a. 1. Less. l. 2. c. 38. dub. 1. Soar. t. 2. lib. 1. c. 2

b D. Tho. art. 2.

Digitized by Google

naturale est, ut procedat per sensibilia ad intelligibilia.

c D. Tho. a. 3. 155 Aliquis locus [c] requiritur ad adorationem ex decentia, non ex necessitate. Prob. quia in adoratione principalior est interna mentis submissio, secundaria externa corporis: sed mens non comprehendit Deum certo loco addictum, sed ubique præsentem: ergo determinatio loci non requiritur principaliter, quasi sit de necessitate

c Ioan. 4. adorationis, ut Christus [c] declaravit Samaritanæ, sed secundùm aliquam decentiam. Unde certus locus eligitur ad adorationem non propter Deum, qui adoratur, sed propter ipsos adorantes, ut ex loci consecratione, vel deputatione specialem devotionem concipiamus; & propter mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur, obque concursum multorum adorantium, ex quo oratio redditur magis exaudibilis.

d D. Tho. q. 85. Soar. c. 3. 156 Sacrificium [d] est actus externus Religionis, quo res aliqua externa Deo offertur. Prob. quia Sacrificium est specialis actus factus in Dei reverentiam, & honorem; ergo est actus Religionis. Ubi notandum, interdum ea, quæ fiunt secundùm alias virtutes, in Dei reverentiam ordinari, ut cùm quis facit eleemosynam in Dei honorem, qui actus à Religione imperatur, & sacrificia impropriè dicuntur. Sunt tamen alii actus, qui non habent aliam laudem, nisi quia fiunt in Dei reverentiam, qui sunt propriè sacrificia, si habeant conditiones requisitas, de quibus lib. 4.

157 Est autem de lege naturæ sacrificium Deo offerre. Quia ratio naturalis dictat, ut ei, qui est supra hominem, homo subjectionem, ac honorem exhibeat secundùm suum modum. Modus autem homini conveniens est, ut signis sensibilibus utatur. Unde ex naturali ratione provenit, ut homo aliquibus rebus sensibilibus utatur, offerendo eas Deo in signum debitæ subjectionis, & honoris ad similitudinem eorum, qui domino aliqua offerunt in recognitionem dominii: hoc autem pertinet ad rationem sacrificii: ergo hujus oblatio in communi, est de lege naturæ: licèt determinatio sacrificiorum pendeat ex humana, vel divina institutione.

158 Porrò Sacrificium soli Deo est offerendum; quia illius externa oblatio significat Sacrificium spirituale, quo anima se Deo offert tamquam principio suæ creationis, & fini suo: sed solus Deus est creator, & nostra vera beatitudo, ac finis: ergo soli Deo debentur externa Sacrificia, sicut soli debetur Sacrificium spirituale. Sacrificium autem dicitur, quando circa rem Deo oblatam fit mutatio, ut quando animal in ejus honorem occidebatur, vel cremabatur, ut lib. 4. explicavimus. Oblatio verò dicitur, cùm Deo aliquid offertur, estò nulla circa rem fieret mutatio, ut si panes offerantur. Unde omne Sacrificium est oblatio, non tamen omnis oblatio est Sacrificium.

159 In Ecclesia Christi nullum est aliud Sacrificium, quàm quod in Missa offertur, ut dictum est lib. 4. cùm enim hoc habeat infinitam virtutem ratione rei oblatæ, quæ est corpus & sanguis Christi, sive ad placandum Deum, sive ad nova beneficia imploranda, sive ad gratias pro acceptis agendas, frustra Christus propter hos & similes effectus aliud instituisset.

160 Dico tertiò, [e] oblationes, & primitiæ sunt actus externi Religionis. e D. Thom. q. 86. Prob. quia offeruntur in honorem, & Soar. à c. 4. reverentiam Dei. Licèt autem oblationes non sint in præcepto; potest tamen contingere, quòd aliquis ad illas teneatur. Primò, ex præcedenti conventione, ut cùm alicui conceditur fundus Ecclesiæ, ut suis temporibus certas faciat oblationes, quod magis habet rationem census. Secundò, propter præcedentem promissionem, ut cùm ex voto quis aliquid offerre tenetur. Tertiò, propter Ecclesiæ necessitatem, ut si ministri illius non haberent unde sustentarentur. Quartò, ex consuetudine, ex qua fideles sæpè tenentur ad quasdam oblationes consuetas in aliquibus solemnitatibus. Qui autem debitas oblationes non reddunt, possunt puniri per subtractionem Sacramentorum, non per ipsum sacerdotem, cui cedunt oblationes, ne videatur pro Sacramentis aliquid exigere, sed per Episcopum. Illi verò, qui oblationes ex donatione, aut testamento debitas negant; juxta sacros Canones possunt, & debent excommunicari, si in contumacia perseverent.

161 Oblationes, quæ à populo Deo exhi-

Digitized by Google

exhibentur, ad sacerdotes pertinent, non solùm ut eas in suos usus convertant; sed etiam ut fideliter eas dispensent partim in iis, quæ pertinent ad cultum divinum, partim in usum pauperum, qui quantum fieri potest, de rebus Ecclesiæ sustentandi sunt. Oblationes, per se loquendo, fieri possunt de re qualibet licitè possessa, quamvis per accidens possit contingere, ut de re licitè possessa fieri non possint, si nimirum vergat in detrimentum alterius, ut si filius offerat Deo id, quo patrem sustentare debet; aut si inde possit oriri scandalum, ut si oblatio fieret de mercede prostibuli: hoc tamen debet intelligi de oblatione publicè facta, nam si privatè, & sine scandalo fiat, licitè acceptari potest.

f Soar. 3. c. 8. 162 Dico quartò: f Primitiæ, & decimæ pertinent ad actus externos Religionis, de quibus agendum est c. 14. in expositione quinti præcepti Ecclesiæ. Pertinet etiam observatio festorum, de qua cap. 6. sicut juramentum, & adjuratio, de quibus cap. 5. in expositione secundi præcepti, pertinet etiam votum, de quo jam dicam.

SECTIO V.

De voto, quo Deo aliquid promittitur.

163 a D. Tho q. 88. Sanch. l. 4. decal. Less. lib. 2 c. 40. Soar. c. 6. de Relig.

INter actus externos Religionis numeratur etiam a votum, per quod Deo aliquid promittimus. Est autem votum voluntaria, & deliberata promissio facta Deo de meliori bono. Nomine Dei veniunt etiam Sancti, quatenus peculiari modo sunt Deo conjuncti. Reliquæ definitionis partes ex dicendis perspicuæ erunt.

b Soar. l. c. 9. & 10 Less. dub. 3.

164 Quatuor b ad votum necessaria sunt. Primum est deliberatio, quæ supponit primò, usum rationis. Unde pueri ante septennium votum non emittunt, quia non pollent usu rationis. Secundò usum rationis expeditum. Et ideo ebrii, & amentes, quamvis adulti, voti capaces non sunt, quia pro tali statu ratione non utuntur. Idem dic de eo qui passione motus subitò, & tam inconsideratè voverit, ut id fecerit absque rationis usu. Tertiò, usum rationis debere esse tam perfectum, ut sufficeret ad peccandum mortaliter, si materia foret graviter prohibita. Quartò, deliberationem non debere esse coactam, seu extortam per metum gravem mortis, vel alterius gravis damni. Unde vota solemnia sic emissa irrita sunt jure Ecclesiastico, licèt jure naturali valeant juxta Soar. de aliis est inter DD. diversitas. Quia Soar. existimat valida esse, & solùm irritanda: Sanch. & Less. dicunt ipso jure esse irrita. Hoc autem intellige de metu gravi injustè incusso ad extorquendum votum, quia si justè incutiatur, vel ob aliam causam ad ultionem injuriæ, & tu votum facias, ut te Deus liberet, omnes ferè conveniunt vota esse valida tam solemnia, quàm simplicia in qualibet materia. c Soar. c. 3. Sanch. c. 1. Soar. c. 3. & 4. Less. dub. 1.

165 Secundum c est propositum voluntatis, seu determinatio ad verè promittendum. Unde qui exterius Deo aliquid promitteret, non habens interius propositum promittendi, votum non emitteret, quia deesset voluntas, ex qua votum deberet provenire. Quia verò duplex esse potest propositum; alterum verè promittendi, seu obligandi se ad rem promissam; alterum faciendi quod promittitur: qui habet primum propositum, verè vovit, quia illud solùm est necessarium ad votum. Si non haberet secundum; peccaret, quia haberet voluntatem non faciendi quod promittit, seu violandi votum. d Soa. c. 13.

166 Tertium est d promissio, quæ ita est necessaria, ut sine illa nullum sit votum. Unde licèt proponas ex corde aliquid facere in Dei obsequium, si non promittas, non teneris, quia in ipsa promissione consistit votum, ex eaque oritur obligatio, seu potius ipsam includit, parum enim refert quomodo loquaris. e Quartum est, ut promissio Deo fiat immediatè, vel mediatè in ejus Sanctis. Quare si unum ex istis quatuor deficiat, non erit votum. Illud tamen observa illas tres priores conditiones opus non esse, quòd tempore distinguantur, ita ut necessarium sit prius deliberare, postea proponere, ac tandem promittere; quia sufficit ista simul facere Deo, liberè promittendo, in quo alia includuntur. e Soa. c. 16.

§. 1.

Digitized by Google

§. 1.

De materia voti.

167 Materia voti quatuor conditiones requirit, nempe ut sit possibilis, non vana, bona, & meliori non contraria. Quacumque ex his deficiente, nullum erit votum ex defectu materiæ aptæ. Nam stultè quis promitteret rem impossibilem, quæ in ejus potestate non est, sicut & rem vanam, seu indifferentem, quæ in Dei honorem non cedit, in quem etiam non cedit res aliàs bona impeditiva melioris boni, quod Deo magis placet.

168 Quoad primam conditionem est impossibile [f] primò, quod respectu omnium tale est, ut per totam vitam abstinere ab omni peccato veniali, quod nullus viator potest absque speciali privilegio. Unde tale votum nullum est. Valet tamen de non peccando mortaliter; quia cum divina gratia possumus cavere omnia mortalia per totam vitam; sicut etiam valet de non mentiendo jocosè, vel cavenda distractione voluntaria, & similibus venialibus in specie, quæ ex Dei auxilio caveri possunt, licèt ob rei difficultatem, & periculum expediret talia vota non emittere, vel emissa commutare.

f Soar. l. 2. c. 1. 2. & 3. Less. dub. 7. Sanch c. 5

169 Secundò, est impossibile, quod à principio fuit quidem possibile, posteà verò redditum est impossibile; unde cessat votum pro tempore impossibilitatis, verbi causa, vovisti virginitatem, & postea illam amisisti; peccasti quidem contra votum, quod postea non obligat, quia jam materia est impossibilis; unde licèt postea forniceris, non peccas contra votum. Secùs erit, si vovisti castitatem, quia hæc adhuc servari potest. Si castitatem vovisti, & postea uxorem duxisti; peccasti mortaliter contra votum; postea tamen non teneris eam servare, si uxor debitum petat; tu verò teneris non petere, & mortua uxore iterum teneris ad omnimodam castitatem. Vovisti Religionem, & facta diligentia non reciperis, aut expelleris, non amplius teneris. Ubi nota. Si vovisti Religionem in determinato monasterio, si non reciperis in illo, non amplius teneris. Si verò vovisti Religionem aliquam absolutè, verbi causa, sancti Francisci; teneris adire plura monasteria illius ordinis, si fortè sint in illa civitate, vel prope. Si in nullo reciperis, non teneris amplius, quia jam ingressus est moraliter impossibilis; nec teneris peragrare totam Provinciam. Si verò Religionem universaliter vovisti, teneris adire plura monasteria diversorum ordinum illius civitatis; & si in nullo reciperis, non amplius teneris, quia ingressus factus est moraliter impossibilis. Idem est, si postquam receptus fuisti, expelleris, aut egrederis ante professionem, quia Religionem tibi inconvenientem experiris, nisi vovisti perseverantiam, quia tunc non poteris egredi ex tuo placito, nec facere aliquid, ob quod expellaris. Unde si tua culpa expulsus fuisti, vel egressus, teneris iterum procurare ingressum.

170 Tertiò, est [g] impossibile respectu determinatæ personæ. Unde subditus in eo, quod est subditus, non potest vovere, & idem est de filio, de servo, & de conjuge. Dicitur autem: *In eo, in quo est subditus.* Quia Religiosus potest vovere devotiones, quæ non impediunt obedientiam. Servus, filius, aut conjux vovere potest illas actiones, in quibus non læditur subjectio ad dominum, ad Patrem, & ad alterum conjugem.

g Soar. l. 3. c. 4.

171 Notabis [h] autem circa materiæ impossibilitatem. Si materia voti est individua, & tota est impossibilis, non obligaris ad partem possibilem, verbi causa, potes jejunare usque ad vesperam, non tamen deinceps, non teneris ad jejunium. Si verò materia est dividua, & pars impossibilis est certa, ut contingit, quando defectu Breviarii non potest integrum officium dici: tunc qualibet hora possibilis recitanda est: quia cùm obligatio sit dividua, & constet partem aliquam, quæ est in integra voti materia, posse commodè impleri, non est unde ab ea excuseris. Si autem pars, ad quam est impotentia,

h Soar. lib. 2 c. 1. Sanch. 1. decal. c. 19

tia, sit incerta; ut si integrum officium, vel rosarium dicere non possis, major pars trahit ad se minorem: unde si non possis dicere majorem partem, cessabit obligatio ad minorem, ad quam erat potentia. Si potentia sit ad majorem, illa dicenda est, omissa minori, ad quam est impotentia: si potentia sit ad æqualem partem, illa est dicenda, relicta alia æquali. Si substantia materiæ est possibilis, modus verò impossibilis, obligat votum ad substantiam, omisso modo, nisi modus ad minuendam difficultatem substantiæ additus sit. Unde si vovisti peregrinationem flexis genibus, ad illam teneris modo ordinario. Si illam vovisti in equo faciendam, & iste tibi sit impossibilis, ad nihil teneris. Si tandem materia sit impossibilis, modus verò possibilis, non teneris ad modum, quia modus non intenditur per se. Unde si vovisti peregrinationem sacco indutus, si tibi redditur peregrinatio impossibilis, cessat obligatio induendi saccum.

i Soar.c.4. Less.dub. 7. Sanch.c.7

172 Quoad secundam [i] conditionem, illa est materia vana, quæ nec ad Dei honorem, nec ad salutem animæ ordinatur; seu quæ de se est indifferens, hoc est, nec bona, nec mala. Circa quam nullum votum est validum, v. c. vovisti mare non intrare, quia passus fuisti nauseam, vel tempestatem; non ascensurum equum, quia semel cecidisti; non manducare caput animalis, quia caput sancti Joannis fuit abscisum. Hæc & similia non obligant, quia sunt de rebus vanis, & indifferentibus. Nota tamen aliquando rem esse ex se vanam, & indifferentem; reddi verò bonam ex aliquo adjuncto. Ut si voveas non transiturum per talem plateam, quia ibi est aliqua occasio peccandi, tunc res de se indifferens redditur bona ex fine, & votum obligat.

l Soar.c.4. & 5. Less.dub. 7. Sanch.c.7

173 Quoad tertiam conditionem, materia [l] voti debet esse bona, seu honesta. Unde votum de re mala non est votum, sed peccatum mortale, vel veniale juxta gravitatem materiæ. Similiter votum de re bona ob malum finem, non est votum, quia hoc debet esse actus bonus, malus autem finis actum reddit malum. Unde qui vovet eleemosynam, vel aliud opus bonum, ut occidat inimicum, aut rem illicitam obtineat, peccat, & votum est nullum: secùs si ista voveas, ut incolumis maneas in duello, ut non patiaris periculum intrando domum fœminæ ad rem turpem, ut filium habeas ex adultera, &c. Quia tales fines non sunt mali, & res alioqui est bona. Ubi adverte aliud esse vovere ob malum finem, aliud spe mali finis; potest enim quis vovere ex hac spe consequendi malum finem, non tamen vovere ob illum finem, & tunc votum obligabit. Nullum item est votum, sed peccatum, cùm rem bonam voves pro re mala, ut si voveas rosarium, quia consecutus fuisti adulterium pro gratiarium actione. Similiter si voveas sub mala conditione, si occidas adversarium, si turpem amicitiam obtineas. Omnia ista mala sunt, & non obligant.

174 Quoad quartam conditionem, materia [m] debet esse non opposita meliori, hoc est, non incompossibilis cum divinis consiliis. Unde votum de matrimonio non obligat absolutè, quia impedit statum religionis, & cœlibatus, qui sunt status perfectionis, & consilii. Dixi: *Absolutè*. Quia in aliquo casu esset votum, & obligaret, ut si tibi magis expediret matrimonium, quàm religio, vel cœlibatus, quia nempe valde incontinens es, tunc enim habet locum illud Apostoli: [n] *Melius est nubere, quàm uri*. Nota verò materiam bonam dici oppositam meliori, quando ex illa non potest fieri transitus ad meliorem, ut est matrimonium respectu castitatis, & religionis. Unde cùm potest fieri transitus, valet votum, ut si voveas perpetuò inservire xenodochio, quia non proinde privaris potestate ingrediendi religionem, vel cœlibatum amplectendi. Quare quoties res bona non est incompossibilis cum alia meliore, valet votum de illa bona, licèt non meliore; quia facilè tibi erit transire ad meliorem.

m Soar.c. 7. Less. dub. 7. Sanch.c.5.

n 1.Cor.7. 9.

§. 2.

De obligatione voti, ejusque divisione.

Posito voto cum conditionibus ex parte voventis, & materiæ; sequitur obligatio [o] juxta capacitatem materiæ, absolutè loquendo. Quia ve- 175

o Soar.l.4. c.1.& seq. Sanch. c. 11. & 12.

rò

Digitized by Google

rò votum non obligat ultra intentionem voventis, potest quis leviter obligari in materia gravi, si solam levem obligationem sibi imponat; non tamen se potest graviter obligare in materia levi. Si quis rationabiliter dubitet se vovisse, non tenetur ad votum, quia melior est conditio possidentis in dubio. Si verò scit se vovisse, & dubitet, an impleverit votum, tenetur implere; quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam. Si quis vovit religionem, non tenetur ad castitatem ex vi voti; unde si non ingrediatur, & nubat, in eoque peccet, potest petere debitum. Si autem vovit castitatem, & nubat contra votum, non potest petere debitum, licèt possit reddere, quia tenetur servare votum, quantùm in ipso est, quod fit non petendo: nam reddere tenetur ex justitia, supposito, quòd uxorem duxit, quæ acquisivit jus in redditionem. Et illa mortua tenetur ad integram castitatem.

p Soar. l. 1. c. 19. n. 19.

176 Votum dividitur primò p in simplex, & solemne. Simplex consistit in sola promissione ex parte voventis, & in simplici acceptatione Dei: solemne addit acceptationem ex parte Dei per aliquem superiorem publica authoritate factam, & solet fieri publicè cum aliqua solemnitate. Votum simplex comprehendit quamcumque materiam bonam; solemne solam castitatem in ordine sacro, & vota religiosa in professione. Votum simplex castitatis, & religionis impedit matrimonium contrahendum, non tamen dirimit, exceptis votis simplicibus societatis Jesu, quæ etiam dirimunt: solemne verò non solùm impedit, sed etiam dirimit, est enim nullum tale matrimonium.

q Soar. l. 1. c. 12. Less. dub. 6. Sanch. c. 15.

177 Dividitur secundò, q in personale, & reale. Personale est, quod pertinet ad personam voventis, ita ut per illam implendum sit, ut votum castitatis, jejunii, &c. Reale est, quod ad rem spectat, ut votum eleemosynæ; & ea quæ non fiunt absque rei dispendio. Inter utrumque est differentia, quia Personale non potest impleri, nisi per personam voventis; Reale verò potest impleri per alium, puta per hæredes, servos, & similes.

r Soar. lib. 1. c. 19. Less. dub. 6. Sách c. 12. & 13.

178 Dividitur tertiò, r in absolutum, conditionale, & pœnale. Absolutum est quod fit ex affectu simplici rei, quæ vovetur. Conditionale, quod fit sub aliqua conditione futura, ut si me Deus liberaverit à tali periculo, voveo castitatem, quod votum obligat posita conditione, & non antea. Pœnale est, quod fit in pœnam, ut si lusero, voveo eleemosynam, quod etiam obligat, si à ludo non abstinui.

§. 3.
De voti Relaxatione.

Voti obligatio auferri a potest per irritationem, commutationem, & dispensationem. Irritatio est annullatio voti, & vinculi illius. Hac ratione potest pater irritare vota filiorum, prælatus subditorum, dominus servorum, vir uxoris, & uxor vota viri. Circa quod nota, quando materia voti est subjecta personis, quæ irritare possunt, statim vota esse irrita, nisi approbentur à talibus personis, v. c. votum filii ante 14. annum circa mutationem status, votum religiosi de peregrinatione, & similia. Quando verò materia illis subjecta non est, non sunt irrita ipso facto, possunt tamen irritari. Ad irritandum autem non est necessaria causa, sed sufficit voluntas irritantis, quæ sine aliqua culpa pro libito irritare potest. Nam in quocumque homine fideli, extra Pontificem, possunt dari vota irritabilia ex parte materiæ; eò quòd omnes homines infra Pontificem habent superiorem in terris, à quo interdum prohiberi possunt, ne hoc, vel illud faciant: ergo ex hac parte potest esse in quocumque hominum aliquod, vel aliqua vota irritabilia. Dixi: *Aliqua*. Quia non omnia vota subditorum sunt irritabilia ex parte materiæ, neque enim omnia possunt pro libito præcipi, vel prohiberi, neque enim opera bona, & consiliorum generaliter prohiberi possunt etiam per Pontificem, quia non data est ei potestas in destructionem, sed in ædificationem, nec ad omnia privata facta hominum præcipienda. De quo Soar. n. 6.

179 a Soar. l. 6. c. 1. Less. dub. 11. & 12. Sanch. l. 4. c. 14.

180 Ut hæc melius intelligantur, circa vota filiorum adverte omnia b vota filiorum impuberum, hoc est, quæ emittentur à maribus usque ad 14. ætatis annum completum, & à fœminis

b Soar. c. 6.

nis usque ad 12. posse irritari à Patre post illud tempus, quamvis votum fuerit de re facienda post annos pubertatis. Idem est de tutore respectu pupilli, idque multi probabiliter extendunt ad herum pupilli, qui careat patre, & tutore. Mater verò non potest vota filiorum irritare, nisi mortuo patre sit loco tutoris, quia non habet patriam potestatem.

c Soar. c. 5. Less. dub. 14. Sanch. c. 35.

180 Vota [c] verò filiorum puberum emissa post prædictam ætatem expletam, non possunt irritari à Patre, nec ab aliis, nisi quatenus obsunt disciplinæ familiæ, & patriæ potestati, quia solùm subsunt patri ratione materiæ, non ratione dominii in voluntatem filiorum. Unde vota Religionis, Castitatis, sacrorum Ordinum, Confessionis, Rosarii, & similia irritari non possunt. Secùs est de voto multorum jejuniorum, peregrinationum, & similium, quæ gubernationem domesticam impediunt. Vota item realia irritari possunt usque ad 25. ætatis annum, quia filii usque ad illud tempus non habent administrationem bonorum, nisi circa bona castrensia, vel quasi castrensia, de quibus possunt disponere, & vovere, quin irritentur à Patre.

d Soar. c. 3. Sanch. c. 36.

181 Circa vota servorum [d] adverte posse à domino irritari, quatenus ejus obsequio impedimento esse possunt, ut votum recitandi officium, peregrinandi, serviendi hospitali, religionis, &c. Quæ si ante servitutem emissa fuerunt, non possunt propriè irritari, sed suspendi. Si verò obsequium domini non impediunt, ut est votum castitatis, commendandi se Deo, & similia, irritari non possunt, sicut nec illa, quæ referuntur ad tempus futuræ libertatis.

e Soar. c. 7 & 8. Less. dub. 13. Sanch. c. 33.

182 Circa vota Religiosorum [e] adverte omnia ab ipsis emissa de rebus etiam necessariis, v. c. de non peccando, posse à Prælato irritari; quia omnia habent imbibitam conditionem, nisi Prælatus contradixerit, ut docet D.Tho. excepto voto arctioris Religionis, quia jura concedunt hunc transitum, invito etiam superiore. Hæc autem irritatio potest fieri à Prælato, etiam postquam in votum consensit, esto posteà peccet, si id faciat absque legitima causa. Non tamen censetur consentire per taciturnitatem, & dissimulationem. Vota novitiorum tam emissa in sæculo, quàm in ipso novitiatu, irritari non possunt à Prælato, nisi emissa fuissent ante annos pubertatis; cùm enim succedat loco patris, potest irritare illa, quæ pater poterat. Potest tamen suspendere obligationem talium votorum, si eorum executio sit impedimento probationi, aliàs minimè. Unde vota realia suspendi non possunt. Poterunt tamen commutari in onera Religionis à Prælato, vel Confessario, aut etiam dispensari à Prælato, qui in novitios habet jurisdictionem quasi Episcopalem.

f Soar. c. 4. Less. dub. 15. Sanch. c. 34.

183 Circa vota conjugum [f] adverte duas esse opiniones probabiles. Prima est maritum posse irritare omnia omninò vota uxoris constante matrimonio emissa, vel eo tempore implenda, sicut Pater omnia vota filiæ impuberis. Secunda docet ea tantùm vota uxoris posse maritum irritare, quæ sibi, suæque familiæ, aut domesticæ gubernationi præjudicium afferunt, v. c. vota multorum jejuniorum, & afflictionum corporalium, quibus posset reddi ineptior ad usum matrimonii; vota peregrinationum, cubandi humi, habitus simplicioris, eleemosynarum extraordinariarum, &c. Utraque sententia est probabilis, ut etiam fatetur Less. qui secundam probabiliorem credit. Uxor verò non potest irritare vota viri, nisi quæ ejus juri officiunt, v. c. votum gestandi habitum beatorum, multorum jejuniorum, longarum peregrinationum, cubandi humi, quæ & similia potest uxor irritare, non tamen votum assumendi crucem in subsidium terræ sanctæ, vel contra hæreticos, & infideles, quia hoc excipitur in jure.

184 Vota uxoris emissa ante initum matrimonium non possunt propriè irritari à marito, sed solùm suspendi. Unde soluto matrimonio obligabunt; nisi esset impubes, quando votum emisit; tunc enim potest irritari à marito. Si maritus voverit non petere debitum; aliqui probabiliter putant posse irritari ab uxore, quia est in ejus præjudicium, quatenus ei onerosum, & verecundum est semper petere.

g Soar. c. 14. Sanch. à c. 49.

185 Commutatio [g] voti est mutatio unius materiæ in aliam æquivalentem. Hanc potest facere vovens ipse authoritate propria in aliam evidenter melio-

lio-

by Google

liorem; quia quò opus est melius, eò magis gratum, & acceptum est Deo, & sic melius obtinetur finis voti, nempe honor Dei. In dubio an opus sit melius, commutatio non est facienda propria authoritate; sicut nec in votis Papæ reservatis, de quibus postea, quia hujusmodi commutatio est specialiter prohibita, nisi quis velit commutare vota illa in vitam religiosam, hæc enim licita est ex jure. [h]

h Cap. scripturæ de voto.

186 Ut autem commutatio voti fiat in materiam æquivalentem, requiritur authoritas [i] superioris. Quia jura illam exigunt in votorum commutatione, quod maximè debet intelligi de commutatione in rem æquivalentem; nam ut mutetur in meliorem, non requiritur talis authoritas. Ut autem mutetur in minus, necessaria est quædam dispensatio saltem partialis, quæ requirit authoritatem Prælati: ergo ad puram commutationem non foret necessaria authoritas Prælati, si hæc non requireretur, quando commutatio fit in æquivalens. Accedit quia fidelitas exigit, ut quod promissum est, solvatur in propria specie; ergo commutatio in æquivalens indiget authoritate Prælati. Licèt non desint, qui oppositum sentiant, & non videtur improbabile.

i Soar. c. 19 Less. dub. 16. Sanch. c. 49.

187 Qui potest dispensare [l] in votis; potest illa commutare. Ad commutandum in melius non requiritur alia causa, quàm quod sit melius, & Deo gratius: commutatio in æquivalens causam exigit, quia in ea intervenit aliqua violatio fidelitatis, ad quam honestandam causa justa requiritur saltem levis, verbi causa spes, quòd vovens alacrius votum implebit in materia æquali, ad quam magis afficitur, vel quid simile. In hac commutatione in æquivalens confessarius, qui habuerit potestatem commutandi, non nimis scrupulosè agat, quia si bona fide fiat in id, quod spectatis circumstantiis æquè bonum apparet, id sufficiet, ut valida, ac licita censeatur commutatio.

l Soar. c. 12. & 19. Sach. c. 50.

188 Dispensatio [m] voti est omnimoda illius relaxatio, quæ fit ab Ecclesia nomine Dei. Hæc potestas est in Papa erga omnia vota, & juramenta. Ut autem hæc dispensatio licita, & valida sit, requiritur causa rationabilis, quæ varia esse potest, verbi causa levitas, metus, aut tenera ætas voventis, magna difficultas implendi votum, ut si qui votum castitatis emisit, graves tentationes, & lapsus patiatur, magnum bonum nobilis familiæ, ut si unicus hæres castitatem vovisset.

m Soa. c. 9. Less. dub. 17. Sach. c. 37

189 Episcopus [n] potest dispensare in omnibus votis, quæ solemnia non sunt, exceptis quinque Papæ reservatis, nempe Castitatis absolutæ & perpetuæ, Religionis, peregrinationis Jerosolymitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Probabile est votum pœnale, & conditionale non esse reservatum Papæ, estò sit ex illis quinque, & consequenter posse Episcopum in utroque dispensare ex justa causa, sicut potest in voto non nubendi, non fornicandi, non petendi debitum, servandi cœlibatum ad tempus, suscipiendi sacros ordines, ingrediendi strictiorem Religionem, ita ut minus strictam ingredi valeat. Imò si gravis causa urgeat, & non sit facilis aditus ad Papam, potest Episcopus in quinque etiam reservatis dispensare.

n Soa. c. 9 Less. dub. 17. Sach. c. 38.

190 Prælati [o] Regulares exemptorum possunt cum suis subditis dispensare in votis; quamvis talis dispensatio vix necessaria sit; quia vota, quæ in sæculo emiserunt, commutantur in professione in statum religiosum: quæ verò postea emissa sunt, possunt irritari, maximè si absque Prælati consensu emissa fuerunt; si de ejus consensu emissa sint, vel ab eo approbata, possunt dispensari ex justa causa; vel etiam irritari, ut suprà dictum est. Sed quid de aliis? Parochus, [p] & alii sacerdotes inferiores non habent potestatem dispensandi in votis, nisi ex speciali privilegio, aut facultate legitimi superioris, quæ aliquando delegatur per bullam, vel jubileum. Quamvis autem quis habeat generalem facultatem dispensandi in omnibus votis, non potest dispensare in quinque illis reservatis; quia quæ specialiter reservata sunt, specialem, & expressam concessionem requirunt.

o Soa. c. 10. Less. dub. 18. Sanch. c. 39. & 42.

p Soar. c. 10. n. 11.

Digitized by Google

SECTIO VI.

De peccatis Religioni oppositis pertinentibus ad superstitionem.

191 Superstitio [a] est vitium Religioni oppositum, quia Religio debitum cultum Deo exhibet; superstitio indebitum; estque quædam irreligiositas, seu vana, & falsa Religio. Hæc verò duplex est. Altera cùm cultus vero Deo exhibetur modo indebito. Altera, cùm exhibetur ei, cui non debetur, nempe creaturæ. Et hæc in varias species subdividitur secundùm diversos fines divini cultus. Nam hic ordinatur primò, ad reverentiam, & honorem Deo exhibendum. Et secundùm hoc prima species hujus irreligiositatis est idololatria, quæ divinum cultum exhibet creaturæ. Secundò ordinatur, ut homo instruatur à Deo, quem colit, & huic fini opponitur superstitio divinatoria, quæ consulit dæmonem per pacta expressa, vel tacita. Tertiò ordinatur ad quandam directionem humanarum actionum, secundùm instituta Dei, qui colitur. Et huic opponitur superstitio quarundam observationum. Unde quatuor sunt species superstitionis, ad quas reduci possunt superstitiones magiæ, & maleficii.

a D. Tho. 2. 2. q. 92. Soa. l. 3 de Rel. lit. c. 1. Less. l. 2. c. 43. Sar ch. 4. Decal. à c. 37.

§. 1.

De superstitione illegitimi cultus.

192 Illegitimus [b] Dei cultus duas habet species. Prima est, cùm Deo exhibetur cultus falsus, & perniciosus, ut si hodie offerantur Deo sacrificia legis veteris, quæ quidem nunc falsa sunt, quia instituta fuere ad significandam mortem Christi futuram, quæ jam non est futura. Unde qui illa modò offert, cultum Deo exhibet falsum, mendacem, & perniciosum. Huc reduci potest cultus, quem aliquis exhiberet per cæremonias alicujus sectæ infidelium, qui cultus non esset eo modo, quo debet; essetque perniciosus, & peccatum mortale. Ad quod peccatum pertinet etiam illud, quo quis fallas reliquias supponit pro veris decipiens alios, & qui falsò dicit talem imaginem fecisse miracula, ut eleemosynas obtineat.

b D. Tho. q. 93. Soar. c. 1. & 2. Less. dub. 1. Sanch. c. 37.

193 Secunda est: [c] Cùm Deo exhibetur cultus superfluus, qualis est ille, qui non ordinatur ad spiritum, additurque ultra consuetudines Ecclesiarum. Unde qui multiplicat, v. c. alleluja, additque alia super ea, quæ sunt in cæremoniali, cultum exhibet superfluum. Hæc verò superstitio mortalis non est, sed venialis, nisi fiat ex contemptu, aut animo introducendi novum ritum contra præceptum Ecclesiæ, aut receptum usum.

c Less. dub. 1. n. 5.

§. 2.

De superstitione Idololatria.

Idololatria [d] est cultus divinus exhibitus falso deo, nempe creaturæ. Colere enim pro Deo illum, qui Deus non est, laudando, invocando, sacrificando, aut adorando, idololatria est per se opposita Religioni, & concomitanter fidei: nam sicut vera adoratio non datur, nisi præcedat fides, qua Dei excellentiam recognoscimus, ut ei nos religiosè subjiciamus: ita adoratio falsa, seu idololatria non est sine errore contra fidem, quo falsus deus judicatur dignus cultu, & adoratione. Unde ad idololatriam propriè dictam tria requiruntur. Primum, ut creatura habeatur pro Deo, quod est contra fidem. Secundum, ut ea affectu interno colatur. Tertium, ut signum externum talis affectus, & submissionis internæ exhibeatur. Et hæc si fiat ab homine baptizato, habet annexam excommunicationem in cœna Domini. Nimirum si talis creatura pro Deo habeatur, eique honor, & cultus exhibeatur ex animo, ac affectu interiori illam colendi ut Deum: nam si hæc desint, pertinebit cultus ad idololatriam minus propriam, de qua statim dico. 194

d D. Tho. q. 94. Soar. c. 5. & seq. Less. dub. 2. Sanch. c. 37. à n. 22.

195 Deinde est secunda, idololatria minus propria, quando quis creaturæ, quam novit Deum non esse, divinum honorem exhibet. Sic aliqui dæmonem adorant scientes non esse Deum, estque peccatum gravissimum, & pejus, quàm primum; quia in prima idololatria homo ex ignorantia veri Dei tribuit honorem creaturæ: in secunda tribuit creaturæ, quam novit Deum non esse, illum honorem, quem scit soli vero Deo deberi. Qui modus ido-

Digitized by Google

idololatrandi pejor est, cùm dicat magnum divinitatis contemptum, qui in primo non includitur. Hæc similiter habet annexam excommunicationem in cœna Domini saltem in foro externo, quia vehementer suspectus est de hæresi, licèt in interno excommunicatio non incurratur, si defuit hæresis.

196 Est tertia idololatria magis impropria, quæ ficta, & externa vocari potest; & consistit in eo, ut quis exterius exhibeat divinos honores creaturæ non credens esse Deum, neque intendens eam colere ut Deum, qua ratione aliqui metu tyrannorum idolis sacrificant, vel incensum adolent. Et est peccatum grande, neque ex metu mortis excusari potest, quamvis fides interius conservetur. Cùm enim cultus externus sit signum interioris, sicut est perniciosum mendacium, si quis exterius asserat contrarium ejus, quod per veram fidem retinet in corde, ita est perniciosa falsitas, si cultus divinus exhibeatur alicui contra id, quod sentit in mente. Est tamen minus peccatum, quàm duo priora, quia cùm gravitas peccati pendeat ex voluntate, minus est tribuere creaturæ honorem divinum sine affectu interno, quàm cum illo. Et quamvis in foro externo talis idololatria sit subjecta excommunicationi, quia præsumitur error in fide, tamen in interno non contrahitur, quia fides retinetur, ut supponitur.

197 Cùm igitur solus cultus divinus creaturæ exhibitus tamquam Deo sit idololatria, sequitur contra Sectarios nullam esse in cultu, quem Catholici exhibemus Eucharistiæ, Sanctis, & eorum imaginibus, ac reliquiis. Nam ad idololatriam duo requiruntur, nempe ut cultus divinus creaturę exhibeatur, idque tamquam Deo: sed istæ conditiones non reperiuntur in cultu, quem prædictis rebus exhibemus; quia quando Eucharistiam adoramus, exhibemus honorem divinum Christo, qui verus est Deus, estò species sacramentales, quibus tegitur coadoremus ad eum modum, quo dum Regem honoramus, illius purpuram cohonoramus. Cùm verò Sanctos colimus, non exhibemus illis divinum cultum, sed longè inferiorem pertinentem ad duliam. Rogamus enim illos, ut pro nobis apud Deum intercedant: Deo in eorum honorem templa, & altaria extruimus. Quæ & similia honoris signa Deo convenire non possunt, cùm inferioritatem, & subjectionem arguant in illis, quos sic veneramur. Et quamvis cultus externus Sanctis exhibitus aliquando conveniat cum honore Deo dato, non intendimus eos honorare tamquam deos, sed tamquam Dei amicos, qui apud eum gratia valent. Unde etiam sequitur nullam esse idololatriam in adoratione imaginum, aut reliquiarum, ut à Catholicis usurpatur; cùm ista non honoremus in se, sed in ordine ad Sanctos, quos repræsentant.

§. 3.

De superstitione divinationis.

198 Divinatio [e] superstitiosa est, cùm quis ope dæmonis, aut arte illicita ab eo tradita vult scire occulta, quæ naturaliter scire non possunt, sive sint absolutè occulta, ut quæ à sola voluntate Dei pendent, vel à voluntate hominis, antequam eveniant, quæ sunt verè futura contingentia. Sive sint occulta hìc & nunc, quia absentia. In hac divinatione includitur pactum saltem implicitum cum dæmone, & ejus cultus.

[e] D. Tho. q. 95. Soar. c. 7. Less. dub. 5. Sanch. c. 38.

199 Quia verò hæc ars divinandi variis [f] modis, & veluti mediis exerceri solet, quibus dæmon rogatus solet respondere, ex diversitate illorum varia sortitur nomina. Nam respondere solet per fictas apparentias, & figuras, & dicitur Præstigium; vel per somnia, & dicitur divinatio per somnium. Vel per fictas mortuorum suscitationes, & dicitur Necromantia. Vel per viros aut mulieres vivas, & dicitur Pythonica. Vel per statuas, & dicitur Geomantia. Vel per figuras apparentes in aquis, & dicitur Hydormantia. Vel in aere, & dicitur Heromantia. Vel in igne, & dicitur Pyromantia. Vel per interiora animalium, & dicitur Aruspicium. His, & similibus modis velle scire res occultas peccatum mortale est continens pactum cum dæmone, & illius cultum contra virtutem Religionis.

[f] Soar. c. 8. & seq. Sa. h. à n. 13. & 29.

200 Ad hoc peccatum pertinet [g] cùm aliquis ex rebus merè naturalibus vult scire ea, quæ sciri non possunt ex talibus rebus. Unde etiam hìc intercedit aliquod implicitum pactum cum dæmo-

[g] Soa. c. 11. Less. dub. 6. Sanch. à n. 27.

Digitized by Google

dæmone. Ut si velit hæc scire, & prænuntiare ex situ astrorum. In triplici enim casu astrologia divinatrix est peccatum mortale, primò cùm sumitur ad cognoscenda mysteria gratiæ, seu ea, quę à sola divina voluntate pendent. Secundò, cùm sumitur ad cognoscenda ea, quæ ex libera hominis voluntate pendent, quasi certò sint eventura, quod quidem falsum est, quia nec complexio hominis, nec cœlum, nec ulla creatura cogit voluntatem, & contingentia multis modis possunt impedire. Tertiò, cùm quis in actionibus suis utitur judiciis astrologorum tamquam regula, nec quidquam vult facere, nisi astra consulendo, ac si essent regula certa. Si verò vellet cognoscere aliquid liberum, & contingens per talia media judicans esse incerta, & posse non evenire, non esset mortale, sed veniale, esset enim actus omnino otiosus; quia nihil prorsus certitudinis habet tale indicium. Similiter velle scire occulta ex garritu avium, aut animalium, ex volatu, ex verbis casu ab aliquo prolatis, ex signis, & lineis manus, & corporis, quæ dicuntur augurium, auspicium, omen &c.

h Soar. c. 11. Less. dub. 9. Sanch. à n. 56.

201 Quibus additur [h] sortilegium per sortes divinatorias ad divinandas res occultas. Nam sortes divisoriæ, quibus aliquæ res dividuntur in plures, non sunt per se illicitæ. Neque sortes consultivæ, quando subest causa rationabilis, & expectatur à Deo humiliter electio, quæ aliter commodè fieri nequit. Peccatum verò mortale erit, si judicium expectetur à dæmone.

§. 4.

De superstitione vana observantia.

202
i D. Thom. q. 96. Soar. c. 15. Less. dub. 10. Sanch. c. 40.

Vana observantia [i] consistit in eo, quòd speretur aliquis effectus alioqui etiam bonus per media, quæ videntur licita, & religiosa, non tamen ad talem effectum sufficientia. Unde saltem tacitè immiscetur commercium, & pactum cum dæmone, ejusque cultus. Dæmon enim per res etiam alioqui sanctas conatur homines decipere. Hujus observantiæ quatuor sunt species.

l Sanch. n. 10.

203 Prima [l] dicitur ars notoria, quæ continet quasdam determinatas orationes, aut jejunia ad consequendas scientias absque ullo labore, ad modum scientiarum infusarum. Quæ observantia peccatum mortale est, quia est uti arte à dæmone inventa, & tradita.

204 Secunda dicitur [m] observantia sanitatum, cùm quis ad sanitatem obtinendam, aut conservandam, vana & inutilia media assumit admixta rebus sacris, & orationibus non approbatis ab Ecclesia. Hac utuntur illi, qui certis orationibus, & verbis sanant dolorem capitis, sistunt sanguinis fluxum &c. In his frequenter accidunt vanæ quædam circumstantiæ, & verba ridicula, & non significantia, quæ tacitè continent dæmonis invocationem. Talis observantia potest esse venialis ex ignorantia: at postquam persona admonita est de vanitate, mortalis est, quia jam dæmonem scienter invocat. Cùm autem tales orationes puræ sunt ab omni mala circumstantia, & ex devotione, & pietate dicuntur, nullum erit peccatum; licèt melius sit ab illis abstinere. circa hoc ...

m Sanch. n. 22.

205 Tertia dicitur observantia futurorum eventuum; quando quis ex observatione quarumdam rerum impertinentium mala sibi, vel aliis futura conjicit, aut etiam bona, ut si quis lævo pede domo egressus sit, si statim lapidem offendat; si somniat in aliquo loco malum sibi eventurum; si postquam evigilavit, statim sternutavit; si tali die iter inchoetur. Si in nocte sancti Joannis hoc, vel illud contingat. Quo etiam pertinet decerptio herbarum certis diebus ante solis ortum. Hæc omnia, & similia vana sunt, & plerumque venialia, nisi quis pertinaciter illis adhæreat.

206 Quarta est vana [n] observantia circa reliquias, Euangelia, sacram Scripturam, & res sacramentales, quando illis admiscentur quædam determinatæ circumstantiæ inutiles, & vanæ, ut si scripta sint in tali charta, & cum certis cæremoniis, & adhibeantur ad effectus, ad quos non sunt à Deo, nec ab Ecclesia ordinata, ut quòd non morietur in bello, nec in peccato. Hujusmodi sunt mortalia, nisi grandis ignorantia excuset, quia nimis fiditur his rebus cum superstitione erga istos effectus; quo pacto dæmon etiam homines illudit, ut iis rebus confisi bonæ vitæ obliviscantur.

n Sanch. supra.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.
De superstitione magiæ.

207 o Soa. c. 14 Less. c. 44 dub. 1. & seq.

MAgia [o] est potestas inordinata faciendi effectus mirabiles supra naturam. Dicitur: *Inordinata*. Quia si fiant ex divino auxilio, ad potestatem miraculorum spectant: si fiant ope dæmonis, ad magiam pertinent. Licèt enim homo videatur mirabilia magica facere; verè non facit, sed dæmon ad ejus imperium ex pacto inito operatur.

p Soa. c. 16 Sanch. c. 40. n. 4.

208 Dæmon [p] nullam habet efficaciam faciendi effectus mirabiles, sed tribus modis illos operari solet. Primò, effectus per naturam, aut per artem factos transportando: sic facit apparere serpentes, & similia ex aliis locis ea portando. Secundò, aliquando ista de novo faciendo non per se, sed occultè applicando causas naturales, earumque actiones accelerando ex scientia, quam habet de rebus naturalibus. Unde sæpè facit arborem brevissimè nasci, & fructus, applicando semen, & alias causas: sæpè sanat, occulta medicamenta applicando, vel intra corpus se immiscendo, ac humores expellendo. Tertiò, etiam regulariter ista operatur deludendo sensus, vel illis proponendo vera objecta, non qualia apparent, sed ex aere condensato. Sic autem faciunt apparere serpentes, dracones, & similia conficta, quæ per ipsum moventur; vel ipsos videntium sensus impediendo, ne exteriora videant, & imaginationem movendo, ut existiment res illas sic esse, quæ verè non sunt, sicut contingit, quando homo somniat.

q Soa. c. 17. n. 4.

209 Frequenter [q] est pactum dæmonis cum mago, qui dæmoni promittit obedientiam, non curaturumque de divinis Præceptis, ac Sacramentis; ipse verò promittit omnia ista facturum. Fitque pactum aliquando cum dæmone visibiliter apparente; aliquando mediante alio mago, aliquando solemniter, aliquando privatim, aliquando sola tacita invocatione, cùm homo utitur illis mediis, quibus magi uti solent ad faciendos tales effectus. Et contingit primò, cùm verba dicuntur, in quibus sunt voces aliquæ non significativæ. Secundò, cùm characteres, & figuræ ovales, quadrangulæ, vel similes fiunt. Tertiò, cùm miscetur aliquid falsum, aut apocryphum. Quartò, cùm apponuntur conditiones inutiles ad tales effectus, ut cùm feruntur verba sacra scripta in tali charta, vel tales herbæ tali, vel tali die, & hora decerptæ, ac similes. Quintò, cùm effectus excedit virtutem illius medii, ut cùm quis promittit aliquem non fore lædendum ab inimicis. His modis est invocatio tacita dæmonis, & magia aliquando, licèt rarò, fit cum tali invocatione absque pacto.

210 Magia interdum est conjuncta hæresi, quando nempe est error in intellectu contra fidem cum pertinacia, si nimirum magus credat dæmones esse dignos aliquo honore, posse aliquid facere sine divina permissione, semper vera dicere, in alia vita se bonum ab eis recepturum &c. Et tunc magus est excommunicatus, quia hæreticus. Aliquando est sine hæresi, cùm talis error non est in intellectu, est tamen gravissimum peccatum mortale, cùm intercedit dæmonis pactum. Quando verò est magia cum sola tacita invocatione, etiam est mortale, nisi excuset ignorantia; quia homo nescit ibi invocari dæmonem. Si verò ab aliquo advertatur, vel per se tandem cognoscat ibi contineri dæmonis invocationem, non excusabitur à mortali.

§. 5.
De superstitione maleficii.

MAleficium [r] ad magiam reduci potest. Est enim ars nocendi artificio dæmonis. Unde differt à magia ratione finis, quia magus utitur artificio dæmonis ad effectus mirabiles; maleficus ad nocendum proximis. Maleficium duplex esse solet, alterum amatorium, quo maleficus utitur ad flectendos animos ad amorem turpem inclinando affectum ad certas personas, divertendo ab aliis. Alterum dicitur veneficium, quo solet nocere hominibus, vel in propria persona occidendo, aut infirmitates, & dolores causando, aut sterilitatem sexus inducendo; vel in rebus destruendo segetes, vineas, animalia, ad quod excitat ventos, grandines, tempestates, &c. 211 r Soa c. 16. & 17. Less. dub. 5. Sanch. c. 41.

212 Hæc autem non præstat maleficus per potestatem sibi insitam, sed

aut venena arte dæmonis conquisita ministrando; aut ipso dæmone ad vocem, & figmenta malefici operante. Et quidem dæmon hominis voluntatem non potest cogere ad amandum, sed solùm movet, turbando phantasmata, & imaginationem, & faciendo, ut objectum appareat amabilius, & incitando appetitum carnis, ut sic voluntas inclinetur ad amandum, semper tamen manet libera, nec excusatur à peccato, qui sic movetur, quamvis dicat se trahi invitum ad amorem: hoc enim falsum est, quia solùm tentatur, non verò cogitur.

213 Deinde permittente Deo dæmon inducit dolores, & infirmitates, quas nulla medicina sanat, applicando venena, aliasque causas naturales. Res irrationales destruit vel occidendo per se, vel grandines, tempestates, aliasque causas destructivas applicando. Unde quando maleficus facit imagines cereas, vel ex alia materia, quas pungit in certis partibus, & statim personę patiuntur in illa parte, quæ in imagine pungitur, illud imaginis nocumentum non pertingit ad personam, sed dæmon operatur in illam, dum maleficus erga imaginem agit. Et idem est, quando maleficus configit alia figmenta, & apponit in partibus illius, cui nocet, vel in aliis locis vel domus, vel quibuscumque.

214 Maleficium aliquando est conjunctum cum hæresi, multaque alia peccata gravissima involvit. Unde prudens Parochus inquirat primò pactum cum dæmone, quod ferè semper intercedit, in quo maleficus solet promittere se negaturum fidem, Sacramenta &c. An in isto pacto habuerit aliquem errorem circa fidem, quia tunc jam erit annexa hæresis. Quòd si hæresis non intercedat, sed sola malitia voluntatis, restat ipsum peccatum pacti, & invocationis dæmonis mortale, & gravissimum. Si intercedit adoratio dæmonis, inquirat, an putaverit dæmoni aliquam deberi reverentiam, & honorem? Si ista existimat, si ignorans est, & post admonitionem adhuc retinet existimationem, hæreticus est. Si autem nihil horum intercedit, vel si post admonitionem non credit, quæ antea credebat, cùm erat ignorans, remanet peccatum pacti, & invocationis mortale. Tertiò, inquirat de ipso maleficio, solent enim sæpè res sacras miscere in maleficiis, v. c. aquam benedictam, oleum sanctum, aram, ceram benedictam, & aliquando ipsum etiam altaris Sacramentum, & sæpè interponunt verba sacra, & verba ipsa consecrationis: faciunt etiam sacra dæmoni, & multa alia nefanda. Quare examinetur maleficus, an crediderit in istis rebus, & verbis sacris inesse virtutem ad effectus illos nefandos. Si enim id pertinaciter crediderit, hæreticus est. Si autem sola malitia voluntatis absque errore intercedat, quod vix fieri potest, peccatum est mortale gravissimum absque hæresi. Quartò, inquirat damna, quæ commissa sunt circa personas, & res; tenetur enim restituere, sicut alii damnificatores.

215 Ad hoc peccatum reducitur peccatum lamiarum, seu strigum, quæ carnalem potius delectationem quærunt, ad hoc enim feruntur à dæmone per aera corporaliter, & cum ipso corpus ex aere assumente rem veneream, & innumeras luxurias exercent, quamvis ad hoc non semper corporaliter ferantur, sed aliquando fallente imaginatione id credunt. In his intercedit pactum, & in multis nocere solent præsertim infantibus, multaque alia committunt peccata, quæ vix absque hæresi reperiuntur. Unde seriò sunt examinandæ.

216 Quamvis autem lamiæ istæ videantur corpora humana transmutare in bestias, id verè non fit, sed dæmone oculos inspicientium deludente, intrant domos clausas dæmone aperiente januas, & obstacula removente, quin ipsæ advertant; solent puellos occidere, & alia nocumenta inferre, quæ omnia sunt horrenda peccata.

§. 7.
An liceat rogare maleficum, ut maleficium solvat?

Certum *f* est non licere petere à malefico, ut unum maleficium per aliud solvat; numquam enim licet facere mala, ut veniant bona. Cùm enim maleficium non fiat sine invocatione, & auxilio dæmonis, per se ita ma- 217

f Sa. lib. 2 c. 18. Sanch. c. 41. Less. dub. 6.

malum est, ut ex nullo fine honestari queat: neque id licet, estò ille ad hoc paratus esset, quia ob nullum commodum petere licet ab aliquo quamtumvis parato, ut id efficiat, quod sine peccato præstare non potest. Imò neque licet ab eo generatim petere, ut maleficium tollat, etiam si non addas, ut tollat per aliud maleficium, quando constat à parte rei non posse maleficium ab ipso tolli fine alio maleficio, sive quia nullum datur medium, quo maleficium licitè tolli possit, sive quia etiam si detur medium aliquod licitum, illud à malefico ignoratur. Nam hoc esset petere ab eo id, quod fine peccato exequi non potest, vel absolutè, vel supposita medii liciti ignorantia.

a Soa c.17. Sanch. & Less. ut s. 218 Extra a prædictos casus si probabiliter constet maleficum nosse aliqua media licita ad tollendum maleficium, licet ab eo petere, ut illud tollat, estò moraliter scias illud non ablaturum, nisi per aliud maleficium. Prob. quia tunc petis rem per se licitam, nempe ablationem maleficii; ille verò potest, & debet exequi, quod petis, fine peccato: ergo si secùs faciat, non tibi petenti, sed illi soli illicitè operanti peccatum imputabitur, ad eum modum, quo tibi non imputatur peccatum usurarii, à quo mutuum petis, estò ille mutuando peccet; quia potest, mutuum absque usuris dando, vitare peccatum.

219 Inde à fortiori cuicumque licitum est tollere ligamina, annulos, globos capillorum sub limine domus defossos, & similiter signa, quibus maleficus utitur ad nocendum, si id fieri potest fine maleficio. Prob. quia hujusmodi signa destruere, non est invocare dæmonem, sed potius impedire, & rescindere invocationem illius, quæ veluti virtualiter continuatur, quandiu signa illa permanent. Neque id est dæmonem honorare, cùm ea signorum ablatio, per se loquendo, eo invito fiat. Hoc ergo nihil aliud est, quàm destruere illud, quo dæmon ad nocendum ex pacto allicitur, quod laudabile est.

220 Dices qui signum destruit, non tantùm intendit, ut dæmon nocere desinat, sed etiam ut sanitatem restituat: sed talis effectus non potest à dæmone expectari fine ejus invocatione: ergo. Respond. Eum, qui signum aufert, posse & debere tantùm intendere, ut auferatur id, quo dæmon quasi tenetur ad nocendum, ut nocere desinat, quod fine ullo pacto cum dæmone, vel invocatione fieri potest, ut patet. Quòd si dæmon ablato signo non solùm nocere desinat, sed etiam ad sanitatem reddendam positivè operetur, hoc faciet ex sua voluntate, vel ut servet fidem malefico datam, non autem ut inductus ab eo, qui signa abstulit, qui tantùm negativè, seu permissivè se habet ad illam dæmonis operationem, solùm intendens sanitatem positam in carentia damni, quod patiebatur maleficiatus.

221 Hinc sequitur primò, quando constat maleficium certis signis appositis alicui nocere, posse maleficum cogi ad ea tollenda, imò licet addere minas, & verbera. Quia hoc non tam est injuriam malefico inferre, quàm ab eo illatam repellere. Non licet tamen privata authoritate illum graviter plectere, quia hoc pertinet ad judicem. Unde quando maleficus confitetur se alicui nocuisse apponendo signum in aliquo loco, confessarius debet illum impellere, ut tale signum amoveat, imò ut reparet damnum, quoad possit.

222 Sequitur secundò, licitum esse apponere signa per se indifferentia, quibus positis destruitur pactum initum cum dæmone, & ille nocere desinit. Prob. quia si licet tollere signa malefica eo fine, ut pactum nocendi solvatur, & nocumentum cesset; cur non licebit alia signa apponere ad eumdem finem? Nam hoc non est dæmonem invocare, nec pacisci cum illo, sed potius præcedens pactum destruere, & ejus solutione impedire perseverantiam nocumenti. Nam positio talis signi in re nihil aliud est, quàm ablatio signi, quo dæmon movetur ad nocendum; sicut enim pactus fuit cum malefico se nociturum, quandiu annulus, v. c. in tali loco remanebit; ita & quandiu maleficio affectus corpus, v. c. non lavabit, non percusserit sagam, non recitaverit orationem Dominicam summo manè verso ad orientem vultu. Unde sicut in priori casu annulus in tali loco positus est signum, quo dæmon movetur ad nocendum; ita in posteriori defectus lotionis, & similium est signum ad continuandum maleficium.

Digitized by Google

Hoc autem ſignum, cùm in privatione conſiſtat, non poteſt tolli niſi per actionem oppoſitam, nempe lotionem, & ſimiles. Si ergo licet tollere primum ſignum, nulla eſt ratio, cur non liceat ponere eas actiones poſitivas ſine quibus ſigna illis oppoſita tolli non poſſunt, ſaltem quando ex ſe malæ non ſunt, ſed bonæ, aut indifferentes. Quare ſi conſtet ex relatione malefici pactum tale eſſe, ut dæmon nocere deſinat, ſi tres Miſſæ, v. c. celebrentur, totidem poſſunt celebrari, ut maleficium ceſſet. Neque in hoc ulla eſt ſuperſtitio, cùm celebrans non intendat invocare dæmonem, aut ex vi præcedentis pacti illum inducere ad tollendum maleficium; ſed ſolùm vult trium Miſſarum celebratione amovere, ut ſic dicam, celebrationis tot Miſſarum privationem, quæ privatio eſt ſignum, quo dæmon allicitur ad continuandum nocumentum, quia pactum illius erat, ut duraret nocumentum, quandiu illæ Miſſæ non celebrarentur.

223 Dices: uti re aliqua vana eſt ſuperſtitio, atque adeò illicitum, ut ſuprà dictum eſt: ſed lotio corporis, & ſimiles actiones, de quibus ſuprà, ſunt res vanæ, quæ nullam habent vim ad effectum intentum: ergo non licet ea ſigna apponere, maximè quia ille determinatus orationum, & Miſſarum numerus ſuperſtitionem ſapit. Reſp. non licere quidem uti re vana, ut ex vi illius, aut per poſitivam dæmonis operationem effectus aliquis poſitivus obtineatur; licere tamen re vana, ſeu indifferenti uti pro ſigno, quo poſito nihil fit, quo tamquam objecto dæmon moveatur ad malè agendum. Parùm autem refert ſive illud ſignum ſit una Miſſa, aut tres, cùm nihil aliud ſpectandum ſit, quàm quod celebratio tot Miſſarum ſit ſignum, quo poſito dæmon nocere deſinat; ſicut ablatio annuli, vel capillorum eſt ſignum, quo dæmon inducitur ad amplius non nocendum. Quare ſicut ablatio annuli, & capillorum nulla eſt ſuperſtitio, ita nec celebratio tot Miſſarum, aut recitatio tot orationum. &c.

224 Sequitur tertiò, ſi maleficus, qui ſignum appoſuit, eſt ignotus, aut inveniri non poteſt, licere rogare alium, qui novit, quo loco ſignum appoſitum ſit, ut illud tollat, ſive notitiam illam naturaliter adeptus ſit, eò quòd à malefico accepit, ſive dæmonis miniſterio. Si verò ſignum ignoret, non poteſt induci, ut arte ſua utatur ad inveſtigandum, quo loco poſitum ſit; quia hoc eſſet inducere ad peccandum, nempe ad invocandum dæmonem eo fine, ut ab eo certior fieret de loco, in quo jacet ſignum maleficii. Si autem arte dæmonis jam id novit, poteris illius ſcientia uti in tuum, vel proximi commodum, quia licèt ille peccaverit talem ſcientiam comparando, laudabiliter ea uti potes ad finem honeſtum, verbi cauſa, ad ablationem ſigni malefici.

SECTIO VII.

De vitiis Religioni oppoſitis ad irreligioſitatem ſpectantibus.

PEccatum contra Religionem univerſaliter dicitur irreligioſitas, ſed ſpeciali modo quæ ſuperſtitionem non ſapiunt, de quibus hìc dicendum, nempe de blaſphemia, tentatione Dei, perjurio, ſacrilegio, & ſimonia.

§. 1.
De blaſphemia.

BLaſphemia* opponitur laudi Dei, quæ eſt manifeſtatio alicujus excellentiæ divinæ cum voluntatis affectu. Cùm enim excellentias, & perfectiones alicujus notificamus, ipſum laudamus, & oſtendimus cordis affectum, qui nos provocat ad talem notificationem. Eſt autem duplex laus Dei, nempe interna, quæ ſolo corde fit, & externa, quæ voce profertur. Et contingit primò, per modum enuntiationis. Cùm dicimus: Deus magnus, Deus ſanctus. Secundò, per modum deprecationis, cùm dicimus: miſerere nobis, eſto nobis propitius, adjuva nos. Tertiò, per modum imperativi, cùm dicimus: Benedictus ſit Deus, gloria ſit Deo. Quartò, per modum admirationis, cùm dicimus: Quàm admirabile eſt nomen tuum! quàm magnus Dominus! quàm dignus gloria! &c. 225

*Soar. t. 3. lib. 1. c. 4. § & 6. Leſſ. lib. 2. c. 45. dub 5. Sanch. 2. Dec. c. 32.

226 Cùm igitur laudi opponatur blaſphemia; hæc eſt quædam Dei maledicentia ex malo voluntatis affectu.

Et

Et contingit cùm quis negat bonum aliquod Dei, vel affirmat malum, quod in eo non est. Ut si dicas: Deus non est bonus, non est justus, non est misericors, est injustus, crudelis, improvidus. Et fit vel per modum enuntiativum, ut in exemplis positis, vel per modum detestationis: ut sit Deus maledictus, pereat Deus; vel per modum irrisionis, ut qui dicebant: *Vah qui destruis templum Dei*. Huc pertinet maledictio Dei virtualis, cùm occultè malum Deo tribuitur, licèt verba id omninò non exprimant. Ut si dicas: Faciam ad despectum Dei: quo verè blasphemas, quia virtualiter facis Deum impotentem. Dicis enim te facturum, velit, nolit Deus. Vel si dicis: Per sanguinem, per corpus Dei, absque juramento. Vel si injuriosè nominas aliquas partes Dei per modum spernentis, ponens illas in Deo tamquam contemptibiles, & vituperatione dignas. Porrò sicut laus est vel solùm interna, vel etiam externa; ita & blasphemia, quæ si voce proferatur, dicitur consummata.

Matth. 27. 40.

227 Blasphemia aliquando est cum hæresi. Quando videlicet blasphemas negando Deo ea, quæ habet, vel affirmando, quæ non habet cum assensu intellectus. Aliquando est sine hæresi, quando non credis, quæ blasphemando dicis. Non enim idem est credere, ac dicere etiam in corde. Blasphemia, quæ est sine hæresi, aliquando dicitur hæreticalis, quando verba illius continent errorem contra fidem; quando verò talem errorem non continent, dicitur simplex blasphemia. Est autem blasphemia ex genere suo peccatum gravissimum, quando fit cum advertentia, & sufficiente deliberatione. Quæ si desint, quia ira aliqua, aut simili passione correptus non advertens ad verba prolata blasphemiam protulisti, potest non esse peccatum, vel solùm veniale. Nisi sis assuetus blasphemare, & non cures emendari, quia tunc potest esse mortalis ex culpa præcedenti, in qua fuit voluntaria. Blasphemia non solùm fit immediatè contra Deum, sed etiam contra Sanctos, quos laudare virtus est: illis verò malum dicere, blasphemia etiam est mortalis, & gravior contra B. Virginem. Et sicut latria, hyperdulia, & dulia sunt diversæ speciei intra virtutem Religionis; ita blasphemia in Deum, in Virginem, & in Sanctos diversam habent rationem specificam. Et ut ait [b] Soar. præter specialem malitiam blasphemiæ, prout redundat in Deum, habet malitiam contumeliæ in Sanctos.

b Soar. c. 6. n. 19.

228 Blasphemare etiam contingit [c] contra alias creaturas, eis maledicendo, vel imprecando. Et quidem si sunt rationales, vel solùm illis maledicimus interius desiderando malum, quod imprecamur; vel exterius volendo illas injuria afficere. Cùm verò malum est grave, mortale est. Ut si dicas: Suspendaris: combustus sis: si desideres hæc proximo evenire. Si autem non desideres, sed solùm exterius proferas, regulariter erit blasphemia venialis, nisi ratione contumeliæ mortalis evadat. Hæc tamen non est contra Religionem, nisi fortè maledicas, ut sunt Dei creaturæ, quia redundabit in Deum, quod raro evenit. Possumus autem etiam maledicere creaturis irrationalibus. Primò, considerando illas, ut sunt creaturæ Dei, qua ratione erit blasphemia mortalis. Secundò, ut sunt aliquid hominis, & tunc si interius eis malè desideremus, propter Dominum talis rei, mortale est. Tertiò, secundùm se; & tunc illis maledicere est actus otiosus, & venialis. Quartò, ratione mali ab ipsis illati, & sic maledictio illicita non erit, nisi ex iracundia, & impatientia procedat: hoc enim non tam erit creaturæ maledicere, quàm malo. Sic Job maledicebat diei suo, cap. 3. 1. Et David montibus Gelboe, 2. Reg. 1. 21. Peccato blasphemiæ accedit peccatum impietatis, quando facto ipso Deum, vel Sanctos inhonoramus, aut res sacras. Unde imagines, calices, vestes sacras conculcare, reliquias Sanctorum spernere, opera injuriosa in Deum facere, & similia huc spectant.

c Tolet. l. 4. c. 13.

§. 2.

De tentatione Dei.

229 Tentare hoc loco est aliquid dicere, vel facere ad capiendam alicujus experientiam. Unde ille dicitur tentare Deum, qui aliquid dicit, aut facit, ut Dei potentiam, sapientiam, bonitatem, aut aliud ejus attributum ex-

d D. Tho. 2. 2. q. 97. Soar. c. 2. & 3. Less. dub. 1. Sanch. c. 38.

by Goog

exploret, aut notum aliis faciat.

230 Tentatur Deus vel formaliter, & expresè; vel tacitè, & interpretativè. Expresè cùm dicis, aut facis aliquid ex intentione, ut experimentum facias de Deo sive pro te, sive pro alio; ut si petas miraculum, si subeas periculum, à quo non potest liberari, nisi à solo Deo, idque ex intentione, ut Deum explores. Tentare verò hoc modo Deum pro se, non licet, nisi ex divina inspiratione, ut fecit Abraham, qui Deo promittenti terram illam respondit: [e] *Domine Deus unde sciam, quòd possessurus sum eam?* In quo non peccavit, quia ex divina inspiratione fecit. Cùm autem talis inspiratio, aut Dei mandatum non est, non licet à Deo signa petere ipsum tentando pro se, quia tunc tentatio procedit ex dubio, aut ignorantia de divina potentia, sapientia, &c. Estque peccatum mortale, nisi dubium sit leve, seu non omnino deliberatum, & tunc erit veniale. Et sic creditur peccasse Zacharias dicens ad Angelum: [f] *Unde hoc sciam, ego enim sum senex?* Aut procedit ex curiositate, qua quis videre vult opera supra naturam, & tunc ex genere suo est peccatum mortale; quia est notabilis irreverentia illata divinæ majestati. Si materia esset levis, posset esse veniale.

e Gen. 15. 8.

f Luc. 1. 18.

231 Tentare autem Deum expresè pro aliis, etiam non licet, nisi cum duplici conditione. Prima est necessitas, quando v. c. non apparet facultas viam Dei aliter manifestandi, qua ratione Elias [g] Deum tentavit, ut populus incredulus Deum recognosceret. Secunda est utilitas, cùm v. c. speratur probabiliter fructus in iis, quibus Deum manifestare volumus. Cùm verò aliqua istarum conditionum deest grave peccatum mortale est, si materia gravis sit. Unde qui modò vellet miraculis uti ad confirmandam fidem habentium sufficientem illius notitiam, peteretque à Deo miracula coram hæreticis, graviter peccaret, cùm non sit necessitas: sufficit enim eis Ecclesiæ testimonium. Similiter si non esset utilitas. Unde qui apud gentes vellet in fidei confirmationem fornacem intrare, graviter peccaret, si inde nulla speraretur conversio, & sic de aliis.

g 3. Reg. 18.

232 Tentatur Deus tacitè, & interpretativè, cùm sine intentione probandi Deum aliquid fit, quod ex se tendit ad hoc, ut Deus exploretur, & probetur. Quod dupliciter contingit. Primò, cùm relictis mediis naturalibus à Deo ordinatis ad effectus proprios, quærimus tales effectus; ut si infirmus volens sanitatem, nolit naturalia remedia adhibere. Secundò, cùm quis sponte quærit periculum, à quo non nisi à Deo solo liberari, aut vix liberari aliter potest, ut qui relicta scala vellet a turri per aerem descendere, ut Christo diabolus suadebat. Cui Dominus: [h] *Non tentabis Dominum*. Tentare autem hoc modo Deum, peccatum est ex genere suo mortale. Unde qui per sortem vellet secretum alicujus cognoscere, vel per ignis probationem, peccaret; quamvis divinum judicium expectaret. Quia si mediis naturalibus id cognoscere potest; non est necessitas: si verò non potest: hoc modo velle id scire, injustum est; quia secreta ad tribunal tantùm Dei spectant. Liceret hoc ex aliqua divina inspiratione. Peccaret etiam qui absque ulla necessitate, & utilitate pericula mortis, vel mali gravis subiret; vel qui in malo gravi positus remedia naturalia sperneret: esset enim tacita Dei tentatio, quæ non licet.

h Matth. 4. 6.

233 Opponitur utraque Dei tentatio Religioni. Quia finis religionis est Deo reverentiam, & honorem exhibere. Unde omnia illa, quæ directè tendunt ad irreverentiam Dei, Religioni quidem opponuntur: sed tentare aliquem ad irreverentiam ejus pertinet; nullus enim præsumit tentare eum, de cujus excellentia certus est, aut de ea facit debitam æstimationem: ergo tentare Deum est peccatum religioni oppositum, quamvis in hoc excedat tentatio Dei formalis, & expressa. Quod verò in tacita, & interpretativa inveniatur irreverentia Dei, docet D. Thom. cujus doctrina sic declaratur. In eo opere intervenit saltem virtualis quædam divini auxilii imploratio; sed ista est indebita, & contra rationem, & in materia, quæ non pertinet ad honorem Dei, ergo est irreverentia contra religionem Deo debitam: nam sive expressè, & formaliter, sive interpretativè, & in actu exercito aliquis imploret Dei auxilium, debet id facere prudenter, & juxta beneplacitum ejus. Quod ibi non intervenit, quia intuitu Dei homo aggreditur opus, & sæpè cum periculo vitæ,

Digitized by Google

vitæ, quod moraliter vix aliter aggredi poterat. Quòd autem ille modus invocandi Deum sit indebitus, inde constat, quia est contra ordinem providentiæ ejus.

§. 3.
De Perjurio.

234 Perjurium [i] est mendacium juramento confirmatum, de cujus proinde ratione est falsitas. Cùm verò actus morales procedant à voluntate; si falsum existimetur verum, erit quidem ad voluntatem relatum materialiter falsum, formaliter autem verum. Si id, quod est falsum, tale existimetur, erit utroque modo falsum. Si verò id, quod est verum, existimetur falsum, erit verum materialiter, & falsum formaliter. Unde in quolibet istorum casuum est aliqua ratio perjurii propter aliquam falsitatem. Quia tamen in unoquoque potius est id, quod est formale; non ita est perjurus ille, qui falsum jurat, quod putat esse verum; sicut ille, qui falsum jurat, quod putat esse falsum, aut sicut ille, qui verum jurat, quod credit esse falsum.

i D. Tho. q. 98. S ar. l. 4. a c. 3. Less. c. 42. dub. 14.

235 Omne perjurium est peccatum, quia jurare est Deum testem invocare; pertinet autem ad Dei irreverentiam, quòd Deus testis falsitatis invocetur; quia per hoc indicatur vel quòd veritatem non cognoscat, vel quòd summa veritas falsitatem testificare velit. Unde perjurium non solùm est peccatum contra Religionem, ad quam pertinet reverentiam Deo exhibere; sed ex genere suo est mortale, de quo plura cap. sequenti.

§. 4.
De sacrilegio.

236 Sacrilegium [l] ad irreligiositatem etiam pertinet. Per illud enim rebus sacris ad divinum cultum destinatis irreverentia exhibetur. Sicut autem ex eo, quòd aliquid ordinatur in finem bonum, sortitur rationem boni; ita ex eo, quòd aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quid divinum, cui debetur reverentia, quæ in Deum refertur. Et consequenter omnis injuria illata rebus sacris ad irreverentiam Dei spectat, habetque rationem sacrilegii. Unde hoc est speciale peccatum contra Religionem, quia per illud specialiter violatur res sacra per aliquam irreverentiam, quam prohibet virtus Religionis.

l D. Tho. q. 99. Soar. c. 3. l 3. per 7. cap. Less. dub. 2. 3. & 4.

237 Distinguntur [m] autem sacrilegia secundùm sanctitatem rerum, quæ violantur, & consequenter tantò sacrilegium est gravius, quantò res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem. Tribuitur verò sanctitas personis, locis, & rebus. Unde tres, vel quatuor sunt species sacrilegii, non tamen omnes infimæ. m Soa. c. 5.

238 Ad primam [n] spectat violatio personæ Deo dicatæ per votum castitatis. Unde omnis actus venereus personę habentis votum castitatis, vel cum persona illud habente sacrilegium est. Utrùm verò consecratio sacerdotis, vel Religiosi per professionem addat novam malitiam sacrilegii supra malitiam contra votum? Utraque pars probabilis, communior tamen quæ negat. Ad secundam spectat violatio personæ sacræ per manus violentas violando ejus immunitatem, quæ canonis dicitur, occidendo, vulnerando, percutiendo, aut simili injuria afficiendo. Imò & immunitatem fori, cogendo personam Ecclesiasticam ad respondendum in foro sæculari, carcerando, cogendo ad tributa, vectigalia, & similes impositiones, à quibus tales personæ exemptæ sunt. n Soar. c. 3.

239 Ad tertiam attinet [o] violatio locorum sacrorum per actiones profanas in templo editas, v. c. nundinationem, judicia, peccata specialem fœditatem continentia, ut effusio sanguinis per homicidium, aut vulnus, effusio seminis per fornicationem, vel pollutionem, imò & per actum conjugalem, excepto casu gravis necessitatis: furtum, quando nempe aliquis furatur vel rem sacram de loco sacro, vel rem sacram de loco non sacro, vel rem non sacram de loco sacro, si sit veluti deposita, & sub custodia loci sacri; violenta personæ extractio è loco sacro, quæ ad illum confugerat, quando ejus gaudet immunitate, de quo Soar. qui materiam latè prosequitur. o Soa c. 1. lib. 3.

240 Ad quartam spectat abusus Sacramentorum, vasorum, & ornamentorum, profanatio imaginum, reliquiarum conculcatio, aut fractio in contemptum Religionis. [p] Nota verò ima- p Soar. c. 3. lib. 3. c. 6.

Digitized by Google

imagines, & reliquias posse considerari ut sunt instrumenta quædam divini cultus, qua ratione ponuntur inter res sacras ad Religionem pertinentes: Unde cùm, ut sic, ad Deum referantur, sicut honor iis exhibitus ad Religionem pertinet; ita earum profanatio est peccatum Religioni oppositum, nempe sacrilegium contra res sacras. Si tamen considerentur ut Sanctos referunt, vel ut sunt partes eorum, ibi sistendo, hoc modo, sicut reverentia ipsis exhibita pertinet ad duliam, quæ est virtus Religione inferior, sic earum profanatio sub eo respectu non est propriè sacrilegium contra Religionem, sed inferius contra duliam; sicut profanatio Eucharistiæ, quatenus terminatur ad species, est commune sacrilegium; quatenùs verò ad Christum sub eis contentum, est altioris rationis contra latriam Christo debitam.

§. 5.
De simonia.

241 SImonia [q] est gravis irreligiositas, qua res sacræ violantur, & ex probabili sententia pertinet ad sacrilegium. Definitur *studiosa voluntas emendi, vel vendendi, seu contrectandi aliquid spirituale, aut spirituali annexum*. Unde constat esse grave peccatum, & quia res spiritualis non potest temporali pretio compensari, & quia non est materia venditionis id, cujus venditor non est dominus: nemo autem in terris est dominus rerum spiritualium, sed solùm dispensator: ergo nec vendi, nec emi possunt res quocumque modo spirituales, de quibus postea.

[q] Soar. t. . lib. 4. c. 1 & 3. Less. c. 35. dub. 1

242 Dicitur autem simonia *voluntas*. Quia sicut Religio est actus voluntatis, ita ei opposita simonia. Dicitur *Studiosa*. Quia debet esse deliberata. Dicitur, *Vendendi, vel emendi, seu contrectandi*. Ut comprehendatur omnis contractus non gratiosus, quo res spiritualis venditur, aut commutatur cum re pretio æstimabili. Dicitur, *aliquid spirituale*. Sive tale sit essentialiter, sive causaliter, sive effectivè. Dicitur, *Vel spirituali annexum*. Ut comprehendantur omnia annexa rei spirituali; quod ex dicendis magis constabit.

243 Circa rem spiritualem [r] nota omnem illam rem in præsenti vocari spiritualem, quæ procedit à Deo, ut est author gratiæ, vel ad illum, ut sic, ordinatur. Inter res spirituales, quædam tales dicuntur essentialiter, ut virtutes, & dona supernaturalia, quæ vi naturæ obtineri non possunt. Aliæ dicuntur spirituales causaliter, quia causant res prædictas, ut Sacramenta, ad quæ reducuntur sacramentalia. Aliæ dicuntur spirituales effectivè; quia sunt operationes procedentes ex aliqua potestate spirituali; vel operationes ad Deum ordinatæ, ut concionare, cantare in choro, sepelire mortuos, dispensare, excommunicare, absolvere. &c. Aliæ dicuntur spirituales ex annexione; suntque in duplici differentia: Nam quędam ad officium spirituale ordinantur, ut beneficia Ecclesiastica. Jus enim percipiendi fructus annexum est ordini, & dignitati spirituali, & ad divinum officium ordinatur. Quædam verò sunt præparatoriæ ad spiritualia, ut vasa sacra, vestes, candelæ benedictæ, campanæ, templa, & hujusmodi; omnia ista vendere, aut contrectare pertinet ad simoniam.

[r] Soa. l. c. 9. Less. dub. 1. n. 5.

244 Circa [s] pretium nota hoc necessariò debere intercedere, ut sit simonia. Declaratur autem per illa vocabula: *Munus à manu*. Per quod intelligitur pecunia, vel quidquid aliud temporale pecunia æstimabile. *Munus à lingua*. Per quod intelliguntur laudes, vel vituperia, quæ aliquando sunt pretia, cùm æstimentur pecunia, ut si convenias cum aliquo te daturum beneficium, si te laudet, vel inimicum vituperet. *Munus ab obsequio*. Per quod intelligitur servitium temporale, aliquodve obsequium similiter temporale sicut & signa honoris. Quæ si sint loco pretii ex pacto, erit simonia, non verò aliter.

[s] Soa. c. 36. 37. Less. dub. 1. n. 4. & dub. 10.

245 Circa [t] *munus à manu* adverte non esse simoniam, si munus offeras collatori ad ineundam illius gratiam, ut postea ex amicitia, aut gratitudine beneficium tibi conferat. Quia ad simoniam requiritur, ut spirituale detur pro temporali tamquam pro pretio ex pacto, & obligatione. Est autem in praxi hoc valde periculosum tam ex parte dantis, quàm ex parte recipientis; & in foro externo facilè præsumi potest pactum tacitum, vel affectus simoniacus. Adverte deinde, quamvis non sit simonia ex gratitudine, & ad satis-

[t] Soa. c. 38. & 45.

satisfaciendum obligationi antidorali dare beneficium, aliudve donum spirituale ei, à quo munus temporale accepisti; non tamen posse sine simonia ejusmodi obligationem deduci in pactum, ita ut ex justitia obligeris ad conferendum ex gratitudine; quia à parte rei nihil aliud esset, quàm vera commutatio rei spiritualis pro temporali sub ficto nomine donationis gratuitæ.

u502.c.40. 246 Circa * *munus à lingua* adverte simoniam esse, si Prælatus promittat, vel conferat tibi beneficium, vel quid spirituale cum pacto, ut pro illo, vel re sua preces adhibeas apud Principem, vel Judicem per te, aut per amicum. Tunc enim preces, sicut & laudes sunt munus pretio æstimabile. Non tamen erit simonia, si roges Prælatum, ut tibi aut alteri conferat beneficium, quia id non impedit gratuitam collationem, cùm preces sic spectatæ non habeant rationem pretii: quia directæ quidem ad collatorem non sunt munus respectu illius, sed respectu ejus, in cujus gratiam beneficium petitur.

x502.c.39. 247 Circa *munus ab obsequio* * adverte simoniam esse dare beneficium, aut aliquid spirituale in compensationem obsequii exhibiti. Quia cùm tale obsequium sit pretio æstimabile, & mercedem temporalem mereatur ex justitia, foret dare beneficium pro remissione talis debiti. Neque opus est, ut obsequium sit temporale. Quia cùm ratione obsequii spiritualis debeatur justum sustentationis stipendium; simonia erit dare beneficium, ut hujusmodi debitum temporale remittatur. Non tamen erit simonia, excluso omni pacto, servire Episcopo ad consequendam ejus gratiam, & ex ea sperare beneficium, quamvis hoc in praxi non careat periculo. Neque etiam, si Episcopus soluta famulo justa mercede, quam illi debet ex justitia ob præstita obsequia, ei conferat beneficium, ad quod est idoneus, quia talis collatio amicitiæ, non mercedis titulo fiet. Neque est simonia conferre beneficium cum onere legendi Theologiam, vel Grammaticam, si onus illud annexum est beneficio; quia hoc non tam est dare beneficium pro onere, quàm cum onere. Si verò onus non est annexum beneficio, simonia erit; quia onus impositum pro futuro non minus habet rationem pretii, quàm obsequium ante exhibitum, pro quo beneficium dare non licet, maximè quia illud onus futurum compensationem meretur.

248 Dare verò beneficium pro obsequio z spirituali est simonia. Primò, quando tale obsequium resolvitur in temporale, quod contingit, quando exhibetur non quidem gratis, nec cum onere orto ex pacto, sed cum eo, quod ex ipso jure naturæ imponitur dandi sufficientem sustentationem obsequium exhibenti, jam enim debetur stipendium, quod beneficii collatione compensari non potest. Secundò, quando ante obsequium spirituale præstitum initum est pactum conferendi beneficium in compensationem talis obsequii; nam licèt commutatio rei spiritualis pro spirituali non sit jure naturæ simoniaca, talis tamen est jure ecclesiastico, juxta quod beneficia, aliaque spiritualia gratis conferri debent, non autem sub conditione alicujus obligationis personalis. Unde simonia est contra jus Ecclesiæ dare beneficium propter obsequium spirituale exhibendum, quod ipsi beneficio annexum non est, imposita ex pacto obligatione illud exhibendi, ut si conferens tibi beneficium, obliget te ad tot Missas celebrandas, vel quid simile. Secùs, si tale onus beneficio jam annexum sit, vel de novo à legitimo superiore ei annectatur, quandiu vacat. z502.c.31.

249 Porrò simonia a dividitur in mentalem, conventionalem, & realem, ad quas reducitur confidentialis, & ficta. Mentalis est non quidem nudum propositum committendi simoniam, sed vera traditio rei temporalis in pretium pro re spirituali, sed sine pacto, aut conventione explicita, aut implicita, sed sola mente concepta. Conventionalis est, in qua intercedit pactum explicitum, vel tacitum dandi temporale pro spirituali, quod adhuc executioni mandatum non est ex parte dantis, aut recipientis. Realis est, quæ non modò conventionem, sed etiam plenam illius executionem complectitur. Confidentialis est, quæ specialiter committitur in collationibus, & resignationibus beneficiorum; cùm scilicet confertur beneficium cum confidentia, vel quod resignandum sit alteri, vel a Soar. c. 41. L. II. dub. 6.

vel quod collatori, aut resignatori ejus pars danda sit. Et hæc potest esse mentalis, conventionalis, aut realis. Ficta est, cùm fictè fit conventio, & non animo exequendi.

b Soar. c. 9.

250 Circa res [b] spirituales primi generis, de quibus suprà, nota primò, simoniam esse vendere aut pretio contrectare usus, & operationes virtutum supernaturalium, v. c. dare pecuniam pro alterius jejunio, oratione, aut alio actu virtutis, licèt possit dari per modum eleemosynæ, spontaneæ donationis, aut sustentationis. Dixi: *Supernaturalium*. Quia pro usu, & operationibus virtutum naturalium, quæ naturaliter acquiruntur, licet pretium dare, & accipere sine simonia, v. c. pro lectione quarumcumque facultatum etiam sacræ Theologiæ, aut sacrorum Canonum. Nota secundò, commutare hujusmodi spiritualia inter se, non esse simoniam, ut orare pro uno, ut ille jejunet pro te, audire confessionem unius, ut ille audiat tuam. Hoc enim fieri potest sine ulla labe simoniç, & ita habet usus fidelium timoratorum, ac religione insignium non est jure divino, nec in humano invenitur prohibitum, nisi circa beneficia. Unde licita est talis commutatio.

c Cap. quæsitum de rerum permut.
d Soar. c. 9.

251 Circa res spirituales [d] secundi generis, hoc est, circa sacramenta Ecclesiæ, & sacramentalia nota primò, simoniam esse pretium exigere pro administratione Sacramentorum, & Sacramentalium, imò & pro labore concomitanti, qui per se conjunctus est cum tali administratione, & sine quo administrari non possunt. Aliter dicendum de labore antecedenti, qui non est per se conjunctus, ut si quis deberet conficere aliquod iter considerabile, aut aliquas expensas facere. Nota secundò, non esse simoniam pretium exigere pro obligatione administrandi Sacramenta, quia hoc non est vendere rem spiritualem, sed libertatem. Nota tertiò, non esse simoniam pro administratione Sacramentorum sustentationem exigere. Quamvis si habeas officium, ex quo ad id tenearis, habeasque redditus sufficientes, nihil possis ex isto titulo accipere, nisi per modum oblationis, aut spontaneæ gratitudinis. Nota quartò, esto sacerdos dives sit, habeatque redditus, si ex illis non obligatur ministrare, posse sine simonia pro administratione exigere sustentationem. Nota quintò, nullum Episcopum [e] posse pro ullius ordinis collatione, aut pro litteris dimissoriis, aut pro sigillo aliquid accipere, quocumque prætextu etiam sponte oblatum. Quod etiam intelligitur de Episcopo titulari, de quo vide [f] Less.

e Trid. sess. 21. c. 1. de refor.
f Less. dub. 10.
g Soa. c. 19. & 20. Less. dub. 9.

252 Circa res spirituales [g] tertii generis, hoc est, circa operationes ex officio, aut potestate spirituali procedentes observa primò, simoniam esse, si Episcopus pretium accipiat pro operationibus, quas facit per potestatem tam jurisdictionis, quàm ordinis; ut est dispensare, absolvere à censuris, consecrare templa &c. Nec etiam aliquid pro his potest accipere per modum sustentationis, si redditus habeat sufficientes. Papa verò, qui pro his pecuniam solet exigere, eam non accipit per modum pretii, sed per modum sustentationis, & aliquando per modum pœnæ, vel per modum compositionis & cujusdam commutationis. [h] Trident. decernit, ut Episcopus tempore visitationis nihil accipiat, neque etiam munera oblata, nisi tantùm pro victualibus suis, quæ sint moderata, & frugalia. Licèt verò etiam decernat, ut dispensationes matrimoniales gratis fiant; Papa non tenetur his legibus, licèt sanctissimum foret illas observare, ut monuit [i] Toletus.

h Sess. 24 c. 3. & 6. de reform.
i Lib. 5. c. 89.

253 Observa secundò, simoniam esse pretium accipere pro Missa; licèt simonia non sit aliquid accipere per modum sustentationis, aut eleemosynæ, de quo diximus lib. 4. cap. 19. Idem dic de funere, de concione, quæ operationes spirituales sunt, & absque pretio fieri debent, licèt possit aliquid accipi per modum sustentationis, eleemosynæ, aut oblationis. Pacisci autem de quantitate eleemosynæ, redolet pretium, ad minus scandalosum est. Unde [l] dixit D. Thom. iniquum esse exigere pretium pro funeris solemnitate, & sic de similibus operationibus.

l 2. 2. q. 100. a. 4.

254 Observa tertiò, simoniam esse dare, aut accipere pecuniam pro ingressu Religionis, ut habetur in jure. [m] Potest [n] tamen dari ad sustentationem, maximè si domus indigeat. Si verò monasterium dives sit, & habeat redditus sufficientes pro sustentatione mo-

m Cap. quod pio q. 2.
n Soa. c. 19 Less. dub. 11.

Digitized by Google

monialium; præſumitur quidem ſimonia, quia videtur potius pro ingreſſu dari, quàm pro victu. Si tamen verè pro victu detur, non erit ſimonia. Gratis oblatum accipere, nec erit, nec præſumetur ſimonia. Ex his poteſt de aliis operationibus ſpiritualibus judicium ferri. Officia muſicorum, cantorum, mundantium templa, altaria præparantium ſecundùm omnes vendi poſſunt, dummodo pro ipſa ſpiritualitate nihil accipiatur, ſed ſolùm pro labore.

o Tol. lib. 5. c. 90. Soar. c. 23. 24. 31. Leſſ. dub. 2.

255 Circa res ſpirituales quarti o generis nota primò, ſimoniam eſſe vendere, aut emere beneficium Eccleſiaſticum, imò & actiones, per quas illud habetur, quæ ex ſe ad illud ordinatæ ſunt, ut eſt reſignatio beneficii, electio, collatio, poſſeſſio, petitio, ſeu interceſſio. Unde qui pecuniam daret pro his actionibus, & qui eam reciperet, ſimoniacus eſſet. p Sicut qui venderet, aut emeret jus ad beneficium. Quod contingere poteſt, quando duo litigant de eodem beneficio, & alter cedit jure ſuo ob pecuniam. Simonia etiam eſt vendere præſtimonia, q aut jus patronatus, licèt quando hoc eſt annexum rei temporali, v. c. villæ, aut Caſtello, poſſit vendi cum illa re temporali, quia tunc non venditur res ſpiritualis, ſed temporalis, cui per accidens ſpiritualis annexa eſt, dummodo nihil plus detur, & accipiatur ratione talis juris.

p Soar. c. 25. & 28.

q Trid. ſeſſ. 25. c. 9. de ref.

256 Nota ſpecialiter ſecundò, in reſignatione r beneficii ſimoniam committi, quando quis beneficium renuntiat pro pecunia, vel re habente rationem pretii. Secundò, quando reſignatio fit in manibus Ordinarii in favorem tertii, adjecta conditione, ut non aliter fiat: hoc enim jure eccleſiaſtico prohibitum eſt tamquam redolens ſpeciem hæreditariæ ſucceſſionis. Unde hujuſmodi reſignatio ſolùm in manibus Papæ validè, & licitè fieri poteſt. Non erit tamen illicitum facta reſignatione ſine ulla conditione, & pacto in manibus Ordinarii, rogare illum, ut tali perſonæ beneficium conferat. Tertiò, quando ſub ſpecie permutationis reſignationes fiunt coram Ordinario, ut ſi renunties in favorem mei nepotis, & ego viciſſim in favorem tui. Hæc enim non eſt pura commutatio, ſed mixta cum reſignatione facta in favorem tertii, quam Ordinarius validare non poteſt. Quartò, quando reſignatio facta in favorem tertii fit cum regreſſu, acceſſu, aut ingreſſu. Fit autem cum regreſſu, quando reſignanti, qui habet titulum, & poſſeſſionem beneficii, datur poteſtas redeundi ad beneficium, ſi reſignatario ſupervixerit. Fit cum acceſſu, quando alicui, qui ob præſens impedimentum non eſt capax beneficii, datur facultas accedendi propria authoritate ad beneficium ſtatim, ac impedimentum ablatum fuerit. Fit cum ingreſſu, quando habens titulum beneficii, nondum tamen illud poſſidens, accipit facultatem redeundi ad beneficium, & poſſeſſionem obtinendi, ſi reſignatarius prius moriatur.

r Soar. c. 35. Leſſ. dub. 14.

257 Nota tertiò, in permutationibus ſ beneficiorum ſimoniam committi primò, quando permutatio fit ſine authoritate ſuperioris, qui non ſolùm eſt Papa, ſed etiam Epiſcopus, & alii habentes juriſdictionem Epiſcopalem, modò beneficia Papæ reſervata non ſint. Licitum tamen eſt tractare de tali permutatione facienda, & concludenda authoritate ſuperioris, aut etiam commutationem concludere ſub conditione, quòd ſuperior legitimus eam approbet. Secundò, t quando beneficium permutatur propria authoritate cum penſione, aut portione præſtimoniali: non tamen ſi talis permutatio fiat cum approbatione Ordinarii, & penſio ſit clericalis, quæ in titulum beneficii erecta ſit; quia cùm talis penſio ſic erecta verum ſit beneficium, poteſt Ordinarius illius permutationem cum beneficio approbare. Aliter dicendum, ſi penſio in beneficium erecta non ſit. Quia ex jure communi non poteſt Epiſcopus approbare beneficii reſignationem factam in favorem tertii, niſi ea tendat ad commutationem beneficii dimiſſi cum alio beneficio.

ſ Soar. c. 31. & 32. Leſſ. dub. 17.

t Soar. c. 33. Leſſ. dub. 15.

258 Tertiò, u quando in permutatione beneficii dignioris cum minus digno datur pecunia in compenſationem inæqualitatis. Quia hoc eſt dare pretium pro re ſpirituali. Imò ſimonia eſt, prius beneficia inæqualia quoad redditus purè, & ſimpliciter permutare abſque reſpectu ad eorum poſſeſſiones; deinde verò per alium contractum permutare ipſas poſſeſſiones, earumque inæqualitatem data pecunia ad æqualitatem reducere. Quia cùm poſ-

u Soar. c. 34. Leſſ. dub. 15.

possessiones, etsi temporales, titulo spirituali conjunctæ sint, qui eas vendit, censetur spirituale vendere. Unde cùm divisio possessionum à titulo spirituali jure Canonico prohibita sit, ea non, nisi authoritate Papæ fieri potest. Congruentius tamen est, ut compensatio fiat per impositionem pensionis in beneficio pinguiori, & sic in praxi fieri solet. Ubi adverte, licèt Episcopus ordinariè non possit beneficia conferre cum impositione pensionis, interdum tamen illi competere facultatem imponendi beneficio pensionem aliquam moderatam, v. c. ad fructus adæquandos in permutatione beneficiorum, & quando id necessarium est ad sustentationem resignantis, vel ad compositionem litis, modò talis pensio non imponatur, nisi ad vitam pensionarii. Quartò, [x] quando permutantes inter se paciscuntur propria authoritate, ut eorum alter omnes expensas faciat, quæ fiunt in expeditione bullarum utriusque beneficii. Hæc enim, & similia pacta onerosa sine consensu superioris reprobantur ut simoniaca.

x Soa. c. 34. n. 19.

259 Quintò, [z] quamvis illicitum non sit privata authoritate simpliciter renuntiare liti, quæ inter duos mota est ratione beneficiorum, quæ possident: erit tamen simonia, si litigantes transigant, ut vicissim alter alterius beneficium accipiat. Quia intervenit beneficiorum permutatio, quæ non nisi authoritate superioris fieri potest. Et idem est, quando lite orta super duo beneficia, litigantes paciscuntur inter se, ut unus unum possideat, & alter alterum. Item quando lite mota super uno beneficio, datur aliud beneficium litiganti, ut à lite abstineat. In his enim casibus intervenit quædam permutatio, aut renuntiatio, quæ superioris authoritatem exigit. Ubi [a] etiam adverte, quamcumque transactionem in materia beneficiali esse jure Canonico prohibitam, nisi fiat authoritate superioris. Ad transactionem tria requiruntur. 1. ut res, de qua agitur sit dubia, quia si jus est clarum ex una parte, censeretur potius vexationis redemptio, quàm transactio. 2. ut ex utraque parte onus imponatur, quia aliàs esset donatio, non transactio. 3. ut conventio fiat ad litem componendam.

z Soa. c. 41.

a Soa. c. 34. n. 19.

260 Nota quartò, [b] ad redimendam vexationem in jure acquisito, licere aliquid temporale dare, non tamen in jure acquirendo. Unde duplex est regula. 1. quando aliquis jus acquisivit in beneficium, aliamve rem spiritualem, non est simonia dare aliquid temporale ad redimendam injustam vexationem, quæ infertur ad tale jus tollendum; quia tunc temporale non datur pro spirituali, & quod jam habetur, ut supponitur, sed ut vitetur injusta vexatio, quæ est quid temporale, & pretio æstimabile. Ut tamen redemptio vexationis in jure acquisito licita sit, requiritur primò, ut jus sit certum, & indubitatum; quale censetur, quando à peritis tale judicatur. Secundò, ut sit plenum, & non tantùm inchoatum. Unde etiam sit qui ritè electus est, sed nondum confirmatus, possit redimere vexationem, qua in ipsa electione injustè vexatur; non tamen eam, qua futuræ confirmationi impedimentum apponitur. Quia in primo modo redemptionis non acquiritur aliquid spirituale, sed quod jam acquisitum est, conservatur: in posteriori verò paratur via ad novum jus spirituale per pecuniam obtinendum, quod planè est illicitum. Tertiò, ut vexatio sit injusta; quia si justa sit, sequitur eum, qui vexatur, non habere jus satis firmum, adeoque per pecuniam redimendo vexationem acquirere firmitatem juris dubii; quod sine simonia fieri non potest. Quartò, ut quod datur ad redimendam vexationem injustam sit quid temporale, quia si pro tali redemptione, quæ est temporalis, & pretio æstimabilis, detetur aliquid spirituale, esset simonia, ut si qui vexatur in beneficio pinguiori daret minus pingue.

b Ib.

261 Secunda regula est simoniam [c] esse, quando datur pecunia, aut aliquid æquivalens, ut quis ante jus acquisitum ad beneficium, aliamve rem spiritualem, redimat vexationem justam, qua impeditur, ne jus acquirat. Prob. quia ea non propria est vexatio, sed justum impedimentum, quod objicitur, ne beneficium acquirat. Quare dans pecuniam ad tollendum tale impedimentum, censetur emere beneficium, ad quod per pecuniam sibi viam parat. Si vexatio verò, qua jus acquirendum impeditur, sit injusta, & vexans

c Soa. c. 50. Less. dub. 18.

xans injustè obesse potest, non tamen prodesse, licet vexationem redimere: quia hoc nihil aliud est, quàm emere liberationem ab injuria, quod nullo jure illicitum est. Si verò non solùm obesse, sed etiam prodesse potest, ut si sit de numero electorum, non licet vexationem pecunia redimere, ut constat ex praxi, quæ tales redemptiones damnat ut simoniacas, quia eo modo paratur via ad consecutionem beneficii.

262 Unde non est illicitum subornare [d] subornatorem dando ei pecuniam eo fine, ut non amplius corrumpat electores; illicitum tamen est dare ea intentione, ut electores moveat ad electionem illius, qui dat pecuniam. Secundò, non licet ad redimendam vexationem dare pecuniam concurrentibus ad electionem, præsentationem, confirmationem, aut collationem, antequam obtineatur jus illis correspondens, quia per illas actiones confertur jus spirituale, quod sine simonia emi non potest. Quod etiam extendendum est ad eos, qui possunt prodesse quoad possessionem, si ipsum jus in dubium vocetur; quia sic daretur pecunia non tantùm pro possessione, sed etiam pro jure spirituali, cui possessio annexa est. Licet tamen redimere injustam vexationem, qua quis post plenum jus acquisitum injustè à possessione impeditur, & multò magis, si post justam, & pacificam alicujus temporis possessionem conetur aliquis injustè ab ea dejicere.

[d] Soa. c. 52.

263 Nota quintò [e] circa locationem, simoniam esse locare potestatem jurisdictionis, seu vices spirituales. Ut si Episcopus, vel Parochus suam potestatem locaret pro pecunia. Non est tamen simonia locare, aut vendere obventiones, & oblationes ecclesiasticas, neque fructus beneficiorum, si fiat ad concessum tempus, quod est triennium. Nota [f] sextò, pensiones datas laicis ex redditibus beneficiorum posse sine simonia redimi, & vendi: non ita pensiones datas clericis, & ut clerici sunt, maximè post Pium V. in Bulla. Ex proximo 138. Ubi eas spirituales constituit, quia dantur cum obligatione muneris spiritualis, nempe officii beatæ Virginis. Unde nec redimi possunt sine authoritate Pontificis. Et qui oppositum docent, loquuntur ex natura rei, & ante prædictum jus Pontificis Pii.

[e] Tolet. l. 5. c. 91.

[f] Soa. c. 26. Less. dub. 22.

264 Circa res spirituales [g] quinti generis, quæ plus habent de temporali, ut sunt vasa sacra, vestes sacræ, candelæ benedictæ, cymbala &c. Adverte posse sine simonia vendi, dummodo nihil pro consecratione, vel benedictione accipiatur. Imò in usus profanos vendi possunt, modò prius vasa frangantur, & vestium formæ auferantur.

[g] Soar. c. 14.

265 Duplex est [h] principalis pœna simoniaci. Prima excommunicatio Papalis ipso facto. Secunda privatio ipsius beneficii venditi, aut empti, & obligatio ad restituendam pecuniam acceptam. Istæ autem pœnæ non incurruntur ob simoniam mentalem, nec ob conventionalem, quæ ex neutra parte ad opus venit, sed solùm in pacto stetit; nec etiam ob conventionalem, qua unus accepit pretium, sed nondum tradidit beneficium, quia iste solùm tenetur ad pretium restituendum. Quando verò unus jam tradidit beneficium, alter verò promisit pretium, sed non dedit; juxta communem sententiam pœnas incurrit, quam approbat stylus curiæ, & varii textus juris Canonici, & ratio persuadet; quia tradere beneficium facta promissione pretii vera est emptio, & venditio realis. Unde constat à fortiori incurri ob simoniam realem, in qua ex utraque parte perfecta est per traditionem beneficii, & pretii. Tunc ergo beneficium est dimittendum in manus conferentis, & pretium restituendum non simoniaco, à quo acceptum est, sed pauperibus, aut Ecclesiæ. Potest tamen compositio fieri cum Papa. Illud denique adverte has pœnas non esse contra omnem simoniam, sed contra illam, quæ committitur in ordine, & beneficiis. Adverte tandem aliam esse simoniam jure divino prohibitam propter ejus malitiam, qualis est, qua venditur, & emitur res purè spiritualis; aliam juris humani, quæ est mala tantùm, quia prohibita, ut est emptio, & venditio aliarum rerum, quibus annexa est aliqua spiritualitas. Hæc satis de simonia pro loco. Videantur doctores citati pro majori declaratione difficultatum, quas pro nostra brevitate attigimus.

[h] Tolet. c. 95. Soar. c. 55. & seq. Less. dub. 24. & seq.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Expositio secundi Præcepti Decalogi.

266 IN hoc secundo Præcepto prohibetur juramentum non absolutè, sed ejus abusus. Sic enim traditur in Exod. ᵃ & Deut. *Non assumes nomen Dei tui in vanum. Non usurpabis nomen Dei tui frustrà.* Ut igitur sciatur quid circa hoc prohibeatur, videndum est quid, & quotuplex sit juramentum, quando liceat, & quando non liceat, quia quoties juramentum illicitum fuerit, toties peccabitur contra hoc præceptum. De juramento latè Doctores maximè ᵇ Soar. Sanch. & Less.

a Exod. 20. 7. Deut. 5. 11.

b Soar. t. 5. de relig. Sanch. l. 3. decal. Less. lib. 2. c. 42.

SECTIO I.

Quid sit juramentum.

267 JUramentum est Invocatio divini testimonii in dicti alicujus confirmationem. Cùm enim homines non semper fidem adhibeant aliorum dictis, & promissionibus, tum propter defectum veritatis humanæ, tum propter defectum cognitionis ejusdem, adducitur Deus in testem eorum, quæ affirmant, aut negant, & in fide jussorem eorum, quæ promittunt; quia cùm sit summa veritas, quæ nec mentiri potest, nec aliquid ignorare, nihil potuit ad veritatem confirmandam aptius inveniri.

268 Invocatur autem Deus in juramento vel explicitè, cùm nomine suo invocatur. Ut si dicas: Per Deum, per Christum, per summam veritatem, testor Deum; testis est, vel sit mihi Deus; vivit Deus, &c. Vel implicitè, cùm invocatur in creaturis, in quibus Dei sapientia, potentia, & bonitas splendet. Sic jurantes per Sanctos, per animam nostram, per cœlum, & per terram, per aliasque creaturas, Deum in illis relucentem invocamus. Ut sumitur ex verbis Christi: ᶜ *Non jurare omninò neque per cœlum, quia thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum est pedum ejus &c.* Ac si diceret perinde esse jurare per has, ac similes creaturas, ac per Deum, qui in ipsis est.

c Matth. 5. 34.

269 Notandum autem primò, tripliciter ᵈ posse jurari per creaturas. Primò, modo suprà dicto referendo illas in Deum, quatenus Deus in illis relucet, qui modus licitus est. Secundò, constituendo in illis finem juramenti, afferendo illas tamquam infallibiles testes veritatis; quod est blasphemia, & species idololatriæ, quia tribuitur creaturæ honor, qui est proprius Dei. Tertiò, secundùm dignitatem, quam in se habent, & tunc non est juramentum, de cujus ratione est invocatio divini testimonii tamquam infallibilis. Si tamen prædicto modo juretur per Angelos, & homines beatos, quamvis non sit juramentum, & actus religionis; erit tamen Sanctorum cultus pertinens ad duliam, quæ obligabit ad verum dicendum, ac standum promissis sub mortali. Aliter dicendum de aliis creaturis, quarum invocatio ad confirmandam assertionem nullam obligationem pariet.

d Soar. l. 1. c. 5. Sanch. c. 2. n. 9. Less. dub. 1. n. 1.

270 Ut autem intelligatur ᵉ quando creaturæ adducantur in testes, prout in illis Deus relucet, sitque verum juramentum religiosum, habenda est ratio creaturæ. Si enim talis dignitatis sit, ut peculiari quadam ratione Deus in ea reluceat, censetur adduci, ut in Deum relata. Sic juramus per Sanctos, per animam nostram, per cœlum, &c. Si verò in illis nihil divinæ bonitatis specialiter reluceat; censentur per se adduci ut non relatæ in Deum. Unde non erit juramentum, nisi ponatur Deus in obliquo. Ut cùm dicitur: Per hunc ignem Dei, per hanc aquam Dei, per hunc aerem Dei, &c. Dixi: *Per se.* Quia ex intentione jurantis possunt adduci in testes ut relatæ in Deum: ea verò intentio seclusa censebuntur adduci ad vitandum juramentum; neque enim existimandum est velle fideles idololatrare jurando per illas, tamquam per infallibiles testes veritatis.

e Soar. n. 11. Sanch. n. 10.

271 Notandum ᶠ secundò, non licere per quamcumque creaturam jurare etiam ut refertur in Deum, estque ipsius creatura, nempe per idola, per dæmones, per damnatos, v. c. per Mahometum, Lutherum, Calvinum, &c. Et quia non sunt convenientes creaturæ, ut in eis repræsentetur divina bonitas, cùm potius sint offendiculum divini honoris. Et quia jura-

f Soar. n. 9. Sanc. n. 12.

Digitized by Google

jurare per tales creaturas, est illas honorare. Unde mortale erit per eas jurare. Si tamen per eas jures, illas in Deum referendo, jurabis quidem, sed peccabis in tali juramento. Credo tamen fideles hujusmodi juramenta usurpantes, id facere irrisionis causa, & ut fugiant vera juramenta. Unde excusabuntur à mortali, imò & à veniali, si causa honesti joci id faciant.

272 Notandum tertiò, aliquas esse formas, quæ sine dubio continent juramentum, alias, quæ non [g] continent, alias verò esse dubias. Et quidem de juramentis factis per Deum, aut per res sacras, certum est primò, non requiri verbum, *Iuro*. Sed satis est dicere: Per Deum, per Christum, per fidem Christi, per Euangelia, per Sanctos cœli, per D. Petrum, &c. Secundò, nihil referre, si res adducta in testem invocetur per propositionem, *Per*, aut *In*. Quia idem est sensus, Per Deum, ac In Deo hoc affirmo. Tertiò, juramentum esse, quoties aliqua veritas fidei adducitur in testimonium, comparando nostram veritatem cum illa. Ut si dicas: Sicut Deus est veritas, sicut natus est ex Virgine, ita hoc est verum. Quia invocatur veritas divina in testem. Quartò, vivit Deus, quod ita est: adducitur enim vita Dei in testimonium. Quintò, per vitam Dei, vel Sanctorum; per quævis Dei, aut Sanctorum membra; quamvis aliqua nominare possit esse juramentum blasphemum. Sextò, per vestes, reliquias, & templa Sanctorum, aut per cœlum, in quibus Deus specialiter honoratur: perinde enim est, ac jurare per Deum in illis relucentem. Septimò, per habitum D. Petri, D. Francisci, &c. Et idem est, estò Sanctorum mentio non fiat. Ut si t clericus, aut religiosus dicat: Per hunc habitum, per vestes sacras, quibus celebro, per meos ordines, per has manus sacras, &c.

g Soa. c. 13. Sanch. c. 2.

273 Non continent [h] juramentum dicere: Affirmo ut Christianus, ut Sacerdos, ut Religiosus, ut vir bonus, quia solùm adducitur in testem fidelitas, & veritas humana, quam tales personæ profiteri solent. Nec dicere: Non credo in Deum, abnego Deum, non est potestas in Deo, si hoc ita est, vel non est. Quæ verba, licèt sint blasphema, juramentum non continent, quia per ea Deus non allegatur in testem. Nec dicere: Corpus Dei, aut fides Dei mecum, aut cum tali homine: nihil enim adducitur in testimonium, aut confirmationem. Nec si quis dicat: Hoc est de fide, est Euangelium, aut instar Euangelii, quia nihil divinum adducitur in testimonium. Nec cùm dicitur: Per totum id, aut per vitam ejus, per quod jurare possum: constat enim experientia eos, qui ita loquuntur, velle vitare juramentum, sensumque esse, cùm per nullam rem jurare liceat absque necessitate, per nihil juro. Nec *Iuro a tal, por vida de tal*, quia *tal*, nihil est. Unde verba illa usurpantur ad vitanda juramenta. Idem est de verbis à mulieribus usurpari solitis, quando e pue os terrere volentes posito digito in naso dicunt: *Por esta*, quia non intendunt facere crucem, nec per crucem jurare, sed est quidam modus loquendi ad terrendum. Idem dic de illis, qui dicunt per hanc crucem, nulla consultò facta cruce, quæ cùm facta non sit, per nihil juratur. Nec est juramentum, si qui rogatus per Deum, per vitam, aut animam tuam, res ita se habet? Absolutè respondeat rem ita se habere. Nec si rogans dicat: Juras mihi per Deum rem ita se habere, & rogatus respondeat: Ita se res habet: quia non annuit rogantis juramento, sed solùm interrogationi per simplicem assertionem.

h Soa. c. 11. Sanch. 2. a n. ibid.

274 Formæ [i] ambiguæ sunt verbum *Iuro*, absolutè prolatum, non exprimendo per quid juretur; licèt enim in rigore juramentum contineat, quia significat Deum in testem adduco, ex usu tamen ambiguum est. Unde ex animo proferentis, aliisque adjunctis discerni debet. Secundò, *Voveo Deo*. Vulgò, *Boto a Deos*. Ex se juramentum non continet, sed votum. Ex usu tamen juramentum continet. Et idem est de hac *Promitto tibi Deo*. Vulgò, *Eu vos prometo a Deos*. Quia eumdem sensum habet. Neque enim promissio dirigitur in Deum, sed in hominem, & Deus adducitur in testem. Tertiò, sicut credo in Deum, ita hoc est verum. Quamvis enim mihi certum non sit certitudine fidei, me credere in Deum; tamen ex usu fides Dei trahitur in testem. *Ita est coram Deo*.

i Soa. c. 11. Sanch. c. 2. L. ff. du. 2.

Deo. Deus scit ita esse. Sunt formæ ambiguæ, quæ possunt intelligi invocativè invocando Deum in confirmationem, quo sensu erunt juramenta: vel enuntiativè per modum simplicis enuntiationis, & tunc non continent juramentum; quia est narrare Deum id scire. Quare si non constat de animo proferentis, si est timoratus, & juramenta solet fugere, censenda sunt non juramenta; de aliis oppositum judicandum erit. Idem dicunt multi de hac forma: *Testis est mihi Deus.* Posse & invocativè, & enuntiativè usurpari, quasi dicatur: *Hujus rei spectator, & testis est Deus.* In dubio tamen videtur juramentum continere, & ita usurpari in communi usu. Hæc autem *testis sit mihi Deus, Deum testor, testem advoco.* Non patitur, nisi sensum invocativum, & juratorium.

[l] Soar. c. 13 Sanch. c. 2. à n. 19. Less. dub. 2.

275 De juramentis [l] factis per creaturas non sacras. Est juramentum: Per animam meam, vel tuam. Quia cùm in anima specialiter splendeat Deus tamquam in sua imagine, Deus ipse adducitur in testem. Et idem est, *In anima mea.* Quamvis hæc forma possit habere hunc sensum. Quod dico, est quod habeo in anima, seu quod sentio, & non erit juramentum, quia nihil adducitur in testimonium. Istæ formæ: *Vivit anima mea, vel tua. In periculo anima mea, super animam meam, per meam vel tuam vitam, aut salutem.* Et similes continent juramentum exe-cratorium, de quo sect. 5. Non est juramentum: *Ita est in mea conscientia, vel per meam conscientiam, seu testis est mihi conscientia mea.* Quia sensus est. Hoc est quod sentio in mea conscientia. Nec si dicatur: Juro per meam conscientiam. Quia verbum *juro*, per additum distrahitur à propria significatione: Sicut cùm dicitur, *Iuro nao a Deos.* Nec *juro per me, seu juro amy.* Quia sensus est, *juro aquem sou.* Idest, Per meam qualitatem. *Nec in fide mea, per fidem meam, per fidem Regis, nobilis, boni viri. Afee de quem sou.* Quia intelligitur fidelitas humana, qua uti solent tales personæ; nam veritas sermonis humani fidelitati innititur, non fidei Theologicæ. Et idem est, si dicatur: *In bona fide, per bonam fidem, in fide Christiani, aut boni Christiani. In fide, aut per fidem religiosi, sacerdotis.* Quia non intelligitur fides Christi. *In verbo sacerdotis.* Est juramentum ex usu, non ex forma jurandi. *Per fidem verò Dei, aut Christi, seu in fide Dei, Christi, vel Christiana, juramentum est.* Non autem si dicatur: In veritate: In rei veritate: Per veritatem: In omni veritate: Certè: profectò, sanè, verè, reverà. Quia hæc nihil aliud significant, quàm hoc ita est. Nec refert, si addatur verbum, *juro*, quia per additum distrahitur. Nec est juramentum: Per has barbas, per hos capillos, per has vestes, per has paleas, per lac, quod suxi, nec per similes creaturas viles, in quibus Deus specialiter non splendet. Secùs si addatur in obliquo nomen Dei.

276 Circa prædictas formas adverte primò, [m] si quis proferat formas illas quas diximus non continere juramentum, ex vera intentione jurandi, quia putabat esse juramenta, obligari ex juramento ob conscientiam erroneam, dum error durat, illo autem sublato deobligari. Ita Ethnicus jurans per falsos deos tenetur ex juramento, quia putabat jurare per verum Deum; conversus autem ad fidem non tenetur, quia sublatus fuit error. Si verò non intervenit error; verè jurat, quia si illa intentio jurandi est efficax, ut supponitur, necesse est, ut interponat res illas in formis contentas cum habitudine ad Deum, sive distinctè illam norit, sive tantùm confusè. Addit Sanch. quando proferens eas formas errat, credendo esse juratorias, & intendit jurare nec expressè excludens, aut includens relationem ad Deum, obligari ex juramento, etiam sublato errore; quia in tali jurandi intentione clauditur virtute relatio necessaria, & verba sunt impertinentia in ordine ad obligationem coram Deo, ut ipse [n] probat cum aliis.

[m] Soar. c. 11. n. 2 & c. 13. n. 15. & 16. Sach. c. 2. n. 7.

277 Adverte secundò. Quamvis formæ jurandi verum juramentum contineant, si deficiat intentio jurandi, nullum [o] esse verum juramentum, sed solùm externum, & fictum. Quia sine intentione interna sicut non est votum, neque, alius actus humanus, ita neque juramentum. Peccabit tamen ita jurando sine intentione mortaliter quidem, si id vergat in damnum tertii, vel si legitimè à superiore sub juramento interrogatus fuerit; aut si rem falsam externo juramento confirmari velit;

[n] Soar. c. 1 n. 4. Sanch. c. 1. n. 4.

[o] Soar. l. 3. c. 13. Sanch. c. 6. à n. 8. Less. dub. 8.

lit; venialiter autem, si rem veram confirmet, quia mentiris, dum te jurare protestaris. In re tamen non juras.

SECTIO II.

Quotuplex sit juramentum, & an liceat?

278 JUramenti [a] duæ sunt quasi species præcipuæ, nempe juramentum assertorium, & promissorium, quæ in sequentibus explicandæ sunt. Ad has duas omnia alia juramenta reducuntur, videlicet comminatorium, & execratorium, ut constabit ex dicendis sect. 5. Porrò, ut est manifestum, juramentum secundùm se [b] honestum, ac licitum est. Prob. quia introductum est ex fide, qua homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, & universalem rerum cognitionem. Estque actus externus religionis, & latriæ. Qui enim jurat, invocat divinum testimonium ad confirmanda ea, quæ dicit: nihil autem confirmatur, nisi per aliquid, quod certius, & potius est. Unde eo ipso, quòd homo per Deum jurat, profitetur illum esse potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis, & cognitio universalis certissima; & sic Deo honorem, & reverentiam exhibet, quod pertinet ad religionem, & latriam. Et hinc est quòd Deus per nomen suum jurare præcipiebat: [c] *Et per nomen illius jurabis*. Unde peccatum mortale est jurare per falsos deos, aut per aliquam creaturam in illa sistendo; quia est invocatio, & honor soli Deo debitus. Et ideo non licet Christiano inducere paganum ad jurandum, quia est illum inducere ad peccandum: licet tamen ex necessitate, & utilitate ab eo juramentum exigere, sicut ex eadem licet mutuum petere ab eo, qui non est daturus, nisi sub usuris.

a Soar.l.1. c.8. Less. dub. 2.

b Soa.l.1. c.2. & 4. Sanch. c. 3.n.1. Less. dub. 3.

c Deut. 6. 13.

279 Ut autem juramentum sit licitum, tres conditiones [d] intervenire debent, nempe veritas, judicium, & justitia. Ut sumitur ex Jerem. [e] *Jurabis: Vivit Dominus, In veritate, judicio, & justitia*. Per veritatem intelligitur, ut quod juramento confirmatur, sit verum saltem in prudenti existimatione jurantis, aliter adducetur summa veritas in testimonium falsitatis, quod est maxima Dei injuria, & irreligiositas. Per judicium intelligitur necessitas, aut utilitas, hoc est, ut non leviter, sed ex causa gravi, & necessaria, aut utili, adeoque ex judicio discretionis juretur. Qui enim jurat res nullius momenti, aut ea, quæ sine juramento facilè crederentur, absque judicio jurat. Per justitiam intelligitur, ut sit justum, seu licitum id, quod juratur. Potest enim esse verum, & tamen iniquum; ut si affirmes sub juramento crimen occultum proximi; verum quidem juras, sed illicitè, & injustè. Similiter si jures te facturum aliquod peccatum, verè jurabis, si habeas intentionem faciendi, sed illicitè, quia injustè.

d Soa.lib. 1.c.3. Sanch.c.3.

e Jerem. 4. 2.

SECTIO III.

De juramento Assertorio.

JUramentum [a] assertorium est illud, quo contestamur aliquid præsens, aut præteritum per affirmationem, aut negationem. Ut si jures rem ita esse, aut fuisse. Hoc autem, ut licitum sit, debent intervenire tres illæ conditiones suprà positæ, quæ comites juramenti dici solent, nempe veritas, justitia, & judicium. 280

a Soar. lib. 1.c.4 & 5. Sach c.4.

281 Veritas requisita ad juramentum assertorium, non tam est materialis, quàm formalis. Materialis est, cùm res ita se habet, sicut juratur. Formalis, cùm homo jurat, sicut habet in mente, licèt contingat non ita esse in re. Quando ergo res ita se habet, sicut juratur, & homo ita sentit in corde, juramentum habet veritatem materialem, & formalem. Quando ita sentit in corde sicut jurat, in re tamen aliter se res habet; veritatem habet formalem, caret verò materiali. Quando autem res ita se habet à parte rei, ut juratur, non tamen ita existimatur à jurante, habet veritatem materialem, caret tamen formali.

282 Unde similiter triplex est falsitas: prima, quando quod juratur, nec conformatur rei, nec menti, quia nec res ita se habet, ut juratur, nec ita existimatur à jurante. Et hæc est materialis simul, & formalis. Secunda, quando non conformatur menti, conformatur tamen rei, ut est. Et hæc est falsitas formalis mendacii, quia est difformitas cum mente, licèt adsit per accidens veritas materialis. Tertia, quando non conformatur rei, ut est, conformatur ta-

tamen menti. Et tunc sola est falsitas materialis. Veritas requisita ad juramentum assertorium est veritas [b] formalis; requiritur enim ut homo juret, sicut habet in corde; aliter juramentum erit falsum, estò contingat rem ita esse, sicut juratur. Unde affirmare, vel negare sub juramento rem aliter, quàm homo habet in corde, semper est peccatum mortale, quamvis materia sit levissima, jocosa, & nullius momenti. Nec excusatur ex quolibet fine, quia ex nullo licet jurare cum mendacio, nec ad vitam propriam defendendam, nec propter proximi, aut totius Reipub. utilitatem.

[b] Soa. lib. c. 1. Sanch. c. 4. n. 6. & 7. Less. dub. 2. n. 11.

283 Jurare verò materialiter [c] falsum, dummodo qui jurat, existimet ita esse, non est mortale, nec veniale, nisi in tribus casibus. Primò, cùm non fecit ullam diligentiam ad sciendum, an quod jurabat, esset verum, sed levi conjectura juravit credens ita esse. Hic enim peccat mortaliter, non tamen si convenientem diligentiam adhibuit. Secùndò, cùm dubius est de re, an ita sit, & ipse ut certam jurat, peccat mortaliter; quia non conformatur menti, sicut si juret ut dubium, quod certum credit. Tertiò, cùm homo paratus est jurare, quamvis sciret rem non ita esse, quo etiam casu mortaliter peccat ex dispositione illa. Nota verò non esse juramentum falsum, quod per hyperbolem juratur, quamvis verum non sit, ut sonat: quia locutio non efficit sensum, quem verba sonant, sed est quædam exaggeratio. Unde ne illud juramentum falsum sit, debet jurans ita rem cum ea exaggeratione æstimare; ut si juret calamum tanti æstimari, quanti equum; verax erit, si calamum valde bonum existimet, quia id solùm exaggeratio significat.

[c] Soar. c. 5. Sanch. à n. 8. Less. dub. 4.

284 Non solùm autem tenetur homo in juramento assertorio jurare secundùm propriam mentem, sed etiam aliquando secundùm mentem [d] aliorum, utendo communi verborum significatione, quam audiens concipit, licèt non semper ad id teneatur, sed possit sæpè uti æquivocatione, qua audiens decipiatur. Ut autem hæc constent, triplex regula tradi solet, ad quarum intelligentiam duo supponenda sunt. Primum quoties [e] verba sunt ambigua in sua significatione, pluresque sensus admittunt, non est mendacium ea proferre in sensu, quem proferens concipit, quamvis ille, cui juratur, in alio accipiat, estò nulla causa proferens ducatur: cùm enim verba omnes illos sensus admittant, non itur contra mentem, nec contra germanum illorum sensum illa in quovis usurpando. Et idem est, quamvis verba ambigua non sint, nec eum sensum habeant, si attentis circumstantiis loci, temporis, & personæ, ac modi interrogandi, verba eum sensum faciunt juxta interrogantis intentionem, quam respondens concipit. Ut si pœnitens rogatus à confessore an fornicationem commiserit, ipse neget; quia nullam commisit, quam jam confessus non fuerit. Vel si à me rogatus an Petrum, quem quæro, videris, respondeas te non vidisse, si de proximo non vidisti: quia tales interrogationes nihil aliud intendunt.

[d] Soar. c. 9. 10 & 11. Sanch. c. 6. 1 n. 12. Less. dub. 9.

[e] Soa. c. 11. n. 4. & 5. Sanch. n. 13. & 14 Less. n. 48.

285 Secundum, estò verba [f] ambigua non sint, potest quis sine mendacio ea usurpare, si verum sensum reddant aliquo addito in mente proferentis retento, quodcumque illud sit; ut si quis vel rogatus, vel sponte juret se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se. *Non feci tali die*, in qua non fecit. Hic enim re vera non mentitur, nec est perjurus, sed solùm non dicit determinatam veritatem, quam audientes concipiunt, sed aliam disparatam. Ratio verò est, quia cùm mentiri sit contra mentem ire, verba externa merè materialiter se habent ad rationem mendacii, & nihil prorsus refert, sive id significent, sive non: sed sola proferentis mens attendenda est, & in deformitate verborum ad ipsam formalis ratio mendacii consistit. Cùm ergo in hoc eventu mens non intendat aliud verbis asserere, aut negare, quàm quod ipsa concipit, verba non adversantur menti, ac proinde mendacium non continent, ut satis patet.

[f] Soa. n. 6. Sanc. n. 15 Less. n. 48.

286 Prima [g] igitur regula est. Quando quis jurat non petitus, sed sponte sua, non licet uti verbis quibuscumque ambiguis, nisi in eo sensu usurpentur, quem communiter audientes percipiunt, nec similiter licet uti æquivocatione conformando verba cum mentis restrictione, sed tenetur uti vocabulo secundùm communem significatio-

[g] Soa c. 10. n. 10. Sanch. n. 21. Less. n. 46.

Digitized by Google

tionem, ita ut oppositum sit culpa mortalis. Prob. quia licèt tale juramentum falsum non sit, ut constat ex dictis, decipiuntur tamen audientes sine necessitate, quod si liceret, magnus aditus multis incommodis patefieret in communi hominum commercio; tolleretur enim omnium sermonum certitudo, ac omne commercium, universaque dolis paterent. Addit Sanch. & benè. Si necessitas, aut utilitas cogat uti prædictis æquivocationibus, posse sine peccato illis uti etiam non rogatum, cui aliquando valde expedit se sponte ad sic jurandum invitare ad placandum proximum, vel ad restituendam famam injustè ablatam.

h Sanc. à n. 26. Tolet. l. 4. c. 21.

287 Secunda [h] regula. Qui jurat petitus à superiore juridicè, ac justè juramentum petente, tenetur jurare juxta mentem judicis, absque ambiguitate, & æquivocatione, quamvis inde malum proprium, aut proximi oriatur: si verò contra justitiam petat, potest uti æquivocatione, jurando secundùm propriam mentem contra judicis intentionem. Unde si judex habet unum testem criminis fide dignum, aut semiplenam probationem, aut reus est criminis infamatus, teneris verum jurare, juxta mentem judicis, quia justè juramentum petit. Si verò crimen est occultum, non debes jurare: si autem cogaris, potes uti æquivocatione, & jurare te nescire, vel te non fecisse, intelligendo ut illi aperias, vel non fecisse tali die, aut quid simile. Nisi esset crimen Reipub. valde perniciosum, ut hæresis, vel proditio. Quia tunc licèt crimen sit occultum, debes jurare secundùm mentem judicis de crimine alterius, non autem de tuo; quia non teneris te manifestare. Ex hac regula plura deducit Sanch. quæ apud ipsum videri possunt. Quamvis omnia ex dictis facilè capiantur.

i Soa. c. 10. Sanch. à n. 16. Less. n. 47.

288 Tertia [i] regula. Quando qui juramentum petit non est judex, nec superior, potes uti æquivocatione, maximè si petat cum violentia, & cautione injusta. Ut si vir petat ab uxore, an sit adultera; potest jurare non esse, intelligendo, ut tibi revelem. Si verò juramentum petatur sine violentia, & cum justitia, non licet uti æquivocatione. Ut si quis volens emere petat juramentum à vendente de veritate rei. Notant verò doctores, & benè posse rogatum respondere ad intentionem remotam petentis, hoc est, juxta id, quod primò intendit, verbi causa, cùm civitas non admittit cives alterius civitatis, quia putat peste infectos, & à te ex ea veniente juramentum petatur; si ea verè infecta non est, potes jurare, te ex ea non venire, intelligendo: *Non venio modò*. Quamvis verè ex ea venias. Et idem est, estò infecta sit, si tu infectus non es. Quia non juras contra præcipuam intentionem rogantis. Denique si petat rogando, poteris uti æquivocatione, maximè cùm res revelanda non sit, & importunus est, qui juramentum rogat. Et generaliter quoties fuerit causa justa occultandi veritatem. Erit autem justa, quoties id necessarium, aut utile fuerit ad salutem corporis, honorem, aut res familiares tuendas, vel ad quemlibet virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, ac studiosa.

289 Uti autem his amphibologiis absque necessitate in juramento, ex communi sententia DD. culpa mortalis est. Probabilius [l] tamen videtur non excedere venialem, quando non juratur in judicio judice legitimè interrogante, vel in materia præjudiciali, maximè si intentio jurantis non sit, ut audiens decipiatur, sed ut veritas occultetur. Cùm enim hîc non sit mendacium, ut constat ex dictis, nec adsit injustitia; sola deficit discretio, eò quòd divinum testimonium non debeat ambiguitatibus immisceri: quoties autem sola discretio deficit, est sola culpa venialis, ut postea dicetur: ergo non excedit culpam venialem.

l Sanch. n. 22. Less. n. 48.

290 Justitia [m] deest in juramento assertorio, cùm peccatum est revelare id, quod aliàs est verum. Unde si crimen occultum proximi jurando reveles, quamvis verum dicas, peccas contra justitiam juramenti. Et idem est, si peccatum tuum cum jactantia proferas jurando te illud commisisse. Erit autem juramentum mortale, si injustitia, aut jactantia mortalis sit; veniale verò, si injustitia, vel jactantia levis fuerit, ex communi sententia. Quamvis Sanch. [n] & Soar. putent juramentum ex hac parte esse solùm veniale.

m Tol. l. 4. c. 21.

n Sanch. c. 4 n. 33. Soar. c. 12. n. 7. & 8.

Digitized by Google

291 Deest denique juramento assertorio judicium, [a] quando id, quod juratur, licèt verum & justum sit, nulla tamen est necessitas, aut utilitas jurandi; quia res, vel est nullius momenti, vel sine juramento facilè crederetur. Unde sic jurans peccat, nomen Dei sine necessitate, ac proinde sine judicio discretionis inutiliter usurpando. Hoc tamen peccatum, per se loquendo, est solùm veniale, in quo omnes conveniunt.

a Sanch. n. 35. Soar. n. 3.

SECTIO IV.

De juramento Promissorio.

292 Juramentum promissorium est illud, quo aliquid juratur de futuro faciendum, vel non faciendum. Ut autem sit licitum, & honestum, debet habere tres illas conditiones comites juramenti, nempe veritatem, justitiam, & judicium, de quibus in præcedentibus.

293 Veritas [a] in hoc juramento reperitur, quando qui promittit de futuro, intendit implere id, quod sub juramento promittit. Unde si jures non intendens implere, eris perjurus contra veritatem de præsenti juramento debitam, & in omni casu, & materia etiam levissima peccabis mortaliter, sicut in juramento assertorio, quia adducis primam veritatem in testimonium mendacii, & falsitatis. Ex qua resolutione sequitur inde mortale [b] esse jurare cum dubio implendæ rei promissæ; quia deficit certa veritas de præsenti. Item qui credit fore, ut implere nequeat; & qui non habet probabilem causam credendi fore, ut adimplere possit, sed leviter id credit. Et similiter qui dubitat an possit, & debeat facere, quod jurejurando promittit.

a Sanch. c. 4. n. 16.

b Sanch. n. 17. & 17. Soar c. 18. fine.

294 Notabis [c] tamen juramentum hyperbolicum promissorium non esse mendax, nec peccatum, quamvis desit animus implendi juxta sensum hyperbolicum. Unde satis est ad juramentum, quo pater jurat filium, aut servum occisurum, aut in frusta secaturum, si habeat animum graviter puniendi, quia ille est sensus talis hyperboles. Hinc etiam advertes juramenta honore se prævenientium, quibus jurant se non prius altero per portam egressuros, vel quid simile, ut vera sint, non opus esse habere firmum ea implendi animum, sed satis esse animum conformem sensui, quem verba faciunt, nempe quod ad me attinet, seu quantum in me est, non prius egrediar; quia hic est legitimus sensus talium verborum.

c Sanch. n. 18. & 20.

295 Justitia [d] in hoc juramento datur quando id, quod sub illo promittitur, licitè impleri potest. Unde ille, qui jurat se facturum aliquod peccatum, peccat contra justitiam juramenti mortaliter, vel venialiter juxta gravitatem materiæ. Si jurat sine voluntate adimplendi; peccat mortaliter ex defectu veritatis de præsenti, de qua suprà. Si verò intendat adimplere; peccat dupliciter, & ex intentione peccandi, & ex juramenti injustitia. Nota [e] verò deesse justitiam juramento promissorio, quoties materia promissa est prohibita per quamcumque legem, sive naturalem, sive divinam positivam, sive Canonicam, sive etiam civilem, quando talis lex obligat ad culpam. Sed quid si jures te facturum rem indifferentem, vel contra consilia Euangelica, verbi causa, non ingressurum Religionem, non daturum eleemosynam, quando eam dare non teneris? Respond. [f] talia juramenta carere justitia, quia non sunt de materia apta ad juramentum, quæ cedere possit in Dei honorem, quem juramentum intendit. Unde sunt peccata venialia ex defectu justitiæ propter levem irreverentiam, quæ Deo irrogatur.

d Sanch. c. 4. n. 26. & 27. Soa. lib. 3. c. 19 à n. 9. Less. dub. 4. n. 18.

e Sanch. c. 9. n. 29.

f Sanc. c. 4. n. 30. & 31. Soa. c. 18. n. 6. Less. dub. 3. n. 13.

296 Judicium invenitur, quando est aliqua necessitas, vel utilitas jurandi promissoriè. Quare si absit necessitas, aut utilitas, peccatum erit tale juramentum ex defectu judicii, quia in vanum assumitur nomen Dei in testem. Erit autem peccatum veniale, si non desit veritas, & justitia, sed solùm judicium. In quo omnes conveniunt.

297 Post juramentum promissorium manet obligatio [g] implendi quidquid licitè sub eo promissum fuit cum intentione jurandi. Est autem satis controversum inter DD. an hæc obligatio semper sit gravis, & sub mortali, estò res promissa fuerit levis? Affirmant aliqui. Probabilius [h] tamen est hanc obligationem fore juxta capacitatem materiæ, & consequenter; si rem

g Tol. l. 4. c. 22. n. 1. Less. dub. 5. n. 23.

h Sanch. c. 4. n. 23. Soa. lib. 3. c. 17. Azor. 1. p. lib. 4. c 27. 1. 2. Henriq. l. 9. c. 20. n. 14.

rem gravem promisisti, teneris implere juramentum sub mortali; si levem, teneris implere sub veniali, de quo vide Doctores citatos, qui materiam latè, & eruditè pertractant. Quare si à latronibus in via captus, ut te dimittant, jures daturum postea centum ducatus; teneris dare ex vi juramenti. Potuisti tamen æquivocè [i] jurare ratione constrictionis injustæ, intelligendo intra te, *Dabo, si mihi placuerit.* Et tunc non teneberis, quia absolutè non jurasti daturum. Si in carcere detentus dimitteris sub juramento redeundi, teneris redire etiam cum periculo mortis. Si tamen carcer erat injustus, poteris æquivocè jurare, & tunc non teneberis. Si verò intendisti simpliciter jurare te rediturum, ad id teneberis, licèt aliqui negent, de quo potest videri Sanch.

i Sanch. c. 11. à n. 13. Soar. lib. 2 c. 9. & 10. Less. dub. 6.

298 Sunt verò aliqui casus, [l] in quibus absque peccato potest non impleri juramentum promissorium. Primò, quando materia non erat apta ad juramentum. Unde si quod jurasti facturum, erat peccatum mortale, aut veniale, non teneris adimplere. Imò peccabis adimplendo, & gravius, si ex religione juramenti velis implere, quod potest esse blasphemum, nisi ignorantia excuset. Similiter si jurasti non facturum aliquod bonum, v. c. non daturum eleemosynam, mutuum, &c. Peccasti venialiter in jurando, & non teneris implere. Item si jurasti aliquod bonum impeditivum majoris boni, peccasti venialiter, & non teneris implere. Et idem est, si jurasti rem indifferentem. Nota [m] verò quæ dicta sunt de juramento alicujus boni impeditivi majoris boni, aut rei indifferentis, intelligenda esse, quando juramentum est factum soli Deo: quia si sit factum homini, in ejus utilitatem, regula generalis est obligare, quoties res pro Missa, potest sine peccato aliquo impleri. Ex qua Sanch. varia deducit corollaria.

l Sanch. c. 9. à n. 11. Soar. lib. 2 à c. 14. Less. dub. 4.

m Sanch. c. 9. à n. 19 Soar. l. 2. à c. 14. Less. dub. 4.

299 Secundò, si accidat aliquis eventus, ex quo materia mutetur, ut si evenit aliquid, quod rem juratam reddit impossibilem, tunc enim non teneris implere, ut si jurasti tali die jejunaturum, eoque die malè habeas. Si jurasti tale die aditurum aliquem, eoque ægrotaris, vel detineris in carcere. Vel si quando promissum erat implendum, accidit aliquid, quod impletionem reddat peccaminosam. Ut si jurasti dare ensem alicui, & quando dandus erat, ille factus est amens, & furiosus. Si jurasti facturum, quod alter vellet, aut peteret, ille autem petit aliquod peccatum. Vel si evenit aliquid, quod sit inductivum alicujus mali temporalis notabilis. Ut si jurasti tali die iturum Eboram, & postea accidat, quòd in via sit exercitus inimicorum, aut latrones, qui transeuntes capiunt, aut occidunt. Vel si accidat aliquid, quod tunc omittere, malum esset, ut si jurasti tali die conventurum aliquem, & accidat tunc infirmum, aut carceratum indigere ope tua. Vel si auferatur ratio juramenti, ut si jurasti obedientiam domino, aut Episcopo tuo; & postea desinat esse dominus, aut Episcopus tuus.

300 Tertiò, quando modus ipse jurandi ostendit promissionem non fore implendam, ut patet in exemplo adducto de illis, qui honoris gratia se prævenientes jurant non prius egressuros, cùm tandem alter ab altero victus primò egrediatur, qui perjurus non est, quia ipse jurandi modus satis indicat sensum esse; *Quantum ex me est, non egrediar primus.* Et idem dici potest de juramentis vendentis, & ementis, quando ille jurat non venditurum viliori; iste verò, non empturum majori. Quia sensus idem ferè est, nempe *quoad potero.* Ultra quod talia juramenta sunt de re indifferenti, quæ nec ad Dei obsequium, nec ad hominis, cui fit, utilitatem pertinent. In his & similibus non teneris implere. Quartò, quando obligatio juramenti relaxatur ab eo, cui promissio facta est. Unde si jurasti daturum te pecunias Petro, & ille remittat, non teneris implere. Si jurasti nuptias Titiæ, illa autem remittat, non teneris illam ducere. Et sic de aliis.

SECTIO V.

De juramento comminatorio, & execratorio.

Juramentum comminatorium [a] est illud, in quo promittitur malum 301
pœnæ, & in re pertinet ad juramentum promissorium, quia est de malo in futurum inferendo. Hoc autem sæpissi-

a Sanch. c. 9. n. 16. Tol. l. 4 c. 22. n. 8.

pissimè non obligat, quia solet fieri ex ira, & passione, atque ex animo vindictæ, unde non est de actu virtutis, sed potius fit cum culpa: sæpè ex subita iracundia sine debita deliberatione: sæpe ad terrendum sine intentione jurandi, ut cùm comminaris mortem, strangulationem, secturum in frusta. Si tamen habuisti intentionem id jurandi; peccasti, quia jurasti rem, quæ sine peccato fieri non potest, & ideo implere non teneris. Quamvis talia juramenta sint hyperbolica, ad quorum veritatem satis est animus graviter puniendi, quem si non habuisti, peccasti defectu veritatis de præsenti requisitæ. Illud autem: *Si te arripuero, interficiam*. Non est mortale, quamvis desit animus graviter puniendi, quia juramentum non est arripiendi, sed puniendi data ea hypothesi. Si autem prędictum juramentum ad debitam correctionem ordinetur, obligabit. Sunt [b] tamen casus, in quibus postea implere non teneris. Primò, quando mutatur status rei. Ut si jures te castigaturum servum, aut filium, si hi postea veniam petant parati corrigi, non teneris adimplere, quia juramentum obligat servato eodem statu, in quo non erant correcti, seu emendati. Secundò, cùm malum inferendum inutile speratur. Et ideo si constat, aut timeatur post talem pœnam futuros inutiles aut deteriores, non obligat juramentum. Tertiò, si judicetur melius fore non punire, ne placata jam domus perturbetur, & rixæ oriantur cum uxore, & familia. Quartò, si amicus intercedat. Sic David abstinuit à morte Nabalis, quam juraverat, ad preces Abigail. Et generaliter quoties abest justa causa excusandi, non implere hoc juramentum, excusatur à culpa mortali ratione parvitatis materiæ.

b Sanch. & Tol. proximè.

302 Juramentum execratorium [c] est illud, quo quis vel sibi, vel alteri imprecatur aliquod malum, nisi fuerit, quod juratur. Formæ autem sunt, v. c. *Per vitam meam, per salutem, per caput meum, per filios, per uxorem, Deus me destruat, dæmon me arripiat, Deus mihi non parcat, non me salvet, me non tueatur, maledictus sim, mala morte moriar, non vivam in crastinum, non movear hinc, in inferno ardeam. Malum pascha mihi Deus impertiatur*. Sensus autem est: Ita Deum invoco, ut nisi hoc ita sit, vel nisi hoc faciam, me Deus vita privet, &c. Huc autem pertinet invocatio Dei ut bonorum largitoris. Ut cùm dicitur: *Ita me Deus adjuvet, me servet, benefaciat, ita mihi det gratiam, gloriam, &c.* In his enim formis & modo loquendi intelligitur contraria execratio, idest, non adjuvet, non servet, &c. Est tamen maximè notandum [d] non licere etiam execratoriè jurare per dæmonem, per damnatos, aut idola, v. c. per vitam dæmonis, Mahometis, aut Jovis. Deus dæmonem destruat, si hoc ita non est, aut nisi hoc faciam. Quia jurantes execratoriè solent exponere divinæ ultioni ea, quæ diligunt, & magni faciunt; unde sic jurare, esset dæmonem, Mahometum, aut Jovem revereri, aut magni habere, quod mortale esset, nisi fieret causà irrisionis, qua ratione fideles hæc usurpare solent. Unde excusantur à juramento, & à culpa saltem mortali.

c Sanch. c. 2. à n. 37. Soar. lib. 1. c. 15. n. 4. & c. 13. n. 17.

d Sanch. c. 2. n. 5.

303 Porrò juramentum [e] execratorium non consistit formaliter in ipsa execratione, tamquam ipsa per se sit divini nominis invocatio, quia solùm est quoddam signum ipsius juramenti. Unde officium Dei, seu Deus ut vindex, & judex est, imploratur in hoc juramento sub ratione testis; imploratur enim punitio divina ad hoc, ut veritatem testetur. Ad hujus autem execratorii juramenti [f] veritatem, aut falsitatem, nihil refert, sive jurans credat Deum sumpturum vindictam, cui se, aut sua offert, sive non credat; sive id velit, sive nolit: nam divinum testimonium non adducitur ad confirmationem credulitatis, aut voluntatis illius vindictæ, sed in confirmationem veritatis, quam per vindictæ imprecationem, seu per Deum vindicem confirmat.

e Sanch. c. 1. n. 5.

f Sāch. c. 6.

304 Nota [g] verò quando falsa est assertio, in cujus confirmationem execratione utimur, non admitti duplicem culpam; alteram perjurii, alteram imprecationis. Quia perjurus hic non ex animo id sibi, vel suis malum imprecatur. Si tamen ex animo imprecaretur, esset alia culpa mortalis contra sui ipsius, aut suorum charitatem, id grave malum desiderare. Advertere autem oportet, juramentum execratorium coincidere cum assertorio, & promissorio; hoc est, modò esse assertorium, modò promissorium. Est asser-

g Sāch. n. 7

Digitized by Google

assertorium, quando aliquid affirmatur, vel negatur de præsenti, vel præterito sibi pœnam imprecando, si hoc ita est, aut non est. Est promissorium, cùm juratur aliquid de futuro, imprecando malum, nisi hoc fecero.

SECTIO VI.

Notantur aliqua circa juramentum in ordine ad Confessionem sacramentalem.

305 EX dictis constat per hoc secundum Præceptum [a] prohiberi juramentum habens defectum alicujus ex tribus conditionibus requisitis ad honestatem juramenti. Nam eo ipso, quòd omnes necessariæ sint ad honestatem illius, cujuscumque defectus parit in juramento malitiam prohibitam per hoc præceptum. Quamvis autem, qualibet deficiente, juramentum dicatur latè perjurium; tamen strictè, & propriè solùm dicitur perjurium illud, cui veritas deest, quia hoc solùm adversatur proprio juramenti fini, qui est veritatem confirmare. Potest autem hæc ratio stricti perjurii inveniri tam in juramento assertorio, quàm in promissorio; quia in utroque potest deesse veritas, in assertorio quidem veritas in dicendo. In promissorio & in dicendo, si quis juret sine intentione implendi: & in faciendo, si postea non impleat, quod promisit, quando juramentum fuit licitum, & obligatorium, nec est causa excusans ab impletione juxta dicta sect. 4. & 5.

a Sanch. c. 4 n. 5. Soa. lib. 4. c. 2. n. 15.

306 Illud autem notandum. [b] Quocumque modo juramentum fiat, & quibuscumque verbis sive per execrationem, sive per simplicem contestationem, sive assertoriè, sive promissoriè, sive per Deum, sive per creaturas, sive tactis Euangeliis, sive non tactis, semper juramentum esse ejusdem speciei in ratione juramenti. Prob. quia cùm juramenti ratio formaliter consistat in invocatione Dei in testem; materialiter, & per accidens se habet hujus invocationis modus, ac proinde speciem non variat. Quare in confessione perjurii, aut fractæ promissionis juratæ non opus est declarare, quale juramentum fuerit, per Deum, per Sanctos, an per creaturas, quia, ut dictum est, speciem non mutant. Et quamvis gravius peccatum sit juramentum falsum per Deum expressè, & magis obliget, quàm per creaturas, ut docet D. Thom. [c] non tamen ita notabiliter augetur gravitas, ut sit in confessione necessariò exprimendum, cùm semper Deus ipse saltem tacitè in testem adducatur in quocumque juramento, quod verè tale sit.

b Sanch. c. 1. n. 9. Soa. lib. 1. c. 5. n. 41. & c. 9. n. 2. & c. 12. n. 10.

c 2. 2. q. 89. a. 10. ad 2. & q. 98. a. 1. ad 2.

307 Dixi: *In ratione juramenti*. Quia si juramentum fuit blasphemum, quolibet modo blasphemiam continente juxta dicta capite præcedente sect. 7. §. de blasphemia, tunc erit [d] alia malitia blasphemiæ specie distincta necessariò explicanda. Similiter si juramentum fuit judiciale, erit id aperiendum propter adjunctam malitiam injustitiæ specie diversam in non parendo judici justè interroganti, quia non solùm religio, sed etiam justitia obligabat ad jurandum cum veritate.

d Sanch. proximè. Azor. 1. p. lib. 11 c. 4 q. 10.

308 Curare debet Parochus, ne in sua Parochia vigeat consuetudo jurandi, quæ constituit hominem in statu [e] peccati mortalis, eumque facit reum multorum. Quod ut melius intelligat, notet primò, quadruplicem esse posse consuetudinem jurandi; prima est jurandi passim cum debita tamen advertentia, ut juretur verum. Secunda, jurandi falsum advertenter. Tertia, jurandi cum advertentia ad juramentum, non tamen ad veritatem, vel falsitatem rei juratæ. Quarta, cum inadvertentia tam ad juramentum, quàm ad veritatem, & falsitatem illius. Notet secundò, statum peccati mortalis tunc dari, quando quis versatur in proxima, & morali occasione peccandi mortaliter, ut qui domi retinet concubinam, vel restitutionem differt, commodè restituere potens. Unde quoties quis advertit se esse in tali statu, tenetur ab eo recedere, quia est quoddam quasi continuum peccatum externum, & dicitur status peccati, quia ex vi illius semper actu peccat, solùmque interdum non peccat, quia ad illum non advertit. Notet tertiò, quamvis consuetudo jurandi non sit per se peccatum distinctum ab ipsis actibus jurandi, ex quibus coalescit, posse nihilominus omissionem extirpandi talem consuetudinem esse culpam mortalem, ratione periculi moralis, & proximi, cui exponimur incidendi in perjuria.

e Sanch. c. 5. a n. 2. Soa. lib. 3. c. 6.

309 His notatis advertat. f Primò, consuetudinem jurandi cum debita advertentia ad veritatem rei juratæ, non constituere hominem in statu peccati mortalis, nec omissionem eam extirpandi esse mortalem. Ratio est, quia cùm habitus totam malitiam sumat ex actibus, ex quibus generatur, nequit graviorem habere, quàm ipsi actus jurandi, ex quibus habitus, & consuetudo consurgit: sed actus jurandi, ex quibus ea consuetudo consurgit, sunt veniales; cùm illis solùm desit necessitas jurandi, ut supponitur; ergo ea consuetudo solùm erit venialis, in solo statu venialis peccati constituens. Advertat g secundò, consuetudinem jurandi advertenter, & indiscriminatim sive verum, sive falsum; constituere hominem in statu peccati mortalis, omissionemque ejus extirpandæ esse mortalem. Prob. qui talis consuetudo pertrahit ad frequentissima perjuria mortalia, & ad juramenta inadvertenter prolata. Addunt aliqui sic assuetum peccare mortaliter, etsi verum juret, quod intelligi debet de juramentis inadvertenter prolatis; quia si advertenter verum juret, non peccabit mortaliter, quia tali juramento solùm deerit judicium, cujus defectus venialis est. Et quia ea consuetudo non inducit ad hunc actum, sed tantùm se habet concomitanter ad illum.

f Sanch. n. 9. Soar. c. 6. n. 4. & 5.

g Sanch. n. 11. Soar. n. 6. & 8.

310 Advertat h tertiò, consuetudinem jurandi inadvertenter circa veritatem rei juratæ constituere hominem in statu peccati mortalis, & obligare ad eam extirpandam. Prob. quia exponit hominem proximo, & morali periculo pejerandi. Cùm enim non soleat advertere utrùm verum, an falsum juret, sæpè falsum inadvertenter jurabit. Si autem id, quod sic jurat, verum esse contingat, id casu accidet, & præter jurantis intentionem, ut est manifestum. Advertat i quartò, id, quod proximè dictum est, similiter dicendum, quando est consuetudo jurandi absque advertentia, an juretur, nec ne. Prob. quia nihil discriminis est inter inadvertentiam ad juramentum, & ipsius veritatem, cùm utraque sit æquè voluntaria in sua causa, hoc est, in consuetudine jurandi inadvertenter, & utraque periculo incidendi in perjuria exponet, & utrique casui accidet veritas per accidens.

h Sanch. n. 3. Soar. n. 5.

i Sanch. n. 14. Soar. c. 8. n. 1.

311 Ex his colligat l primò, jurantem ex consuetudine, quam sub mortali emendare tenetur, illamque emendare non curat, peccare mortaliter peccato omissionis. Colligat secundò, negandam absolutionem affectis prædicta jurandi consuetudine, quando est mortalis, nec adest firmum propositum eam corrigendi, ut dici solet de consuetudine in aliis materiis, quod à fortiori procedit in ista, quia cùm sit circa peccata oris, facilius committuntur, & difficilius evitantur. Si verò adsit propositum, non est neganda absolutio, si etiam proponat externas occasiones evitare, quæ morale, & proximum periculum illius consuetudinis afferunt, ad quod tenetur, si absque magno incommodo potest, ut de aliis similibus occasionibus docent DD.

l Sanch. n. 16. Soar. c. 8. n. 7.

312 An verò hac consuetudine affectis differenda sit absolutio? m Aliqui affirmant, quando identidem confessus eam non corrigit. Alii dicunt interdum fore saluberrimum consilium, id tamen pendere ex prudentia confessoris. Si enim pœnitens id non multùm ægrè ferat, & speretur non ob id retrahendum à confessione, sed potius id fore medicinam, erit consilium bonum differre: si autem timeatur, non erit bonum, sed debet statim absolvi, si doleat de præteritis, & in posterum emendam firmiter proponat; nullam enim extrinsecam occasionem habet, ut necessariò impediatur absolutio, quam habet concubinarius, cum quo proinde acrius agendum est. Advertat quintò, si quælibet n consuetudo ex suprà enumeratis sit interrupta per efficax propositum emendæ, non aliter imputari culpæ juramenta deinceps inadvertenter emissa habenti prædictam consuetudinem, quàm illam non habenti. Prob. quia cùm causa jam sit interrupta, non censentur ea juramenta voluntaria in causa. Unde inadvertentia erit naturalis, ut est in carentibus consuetudine; ac proinde sicut in istis non sunt peccata, neque in illis talia erunt. Advertat sextò, licèt plures DD. existiment perjurium cum naturali inadvertentia prolatum esse peccatum mortale, ratione pravæ consuetudinis. o Probabilius tamen est, si absit formalis advertentia sufficiens ad peccatum mortale, non esse in se no-

m Sanc. l. 2. decal. c. 3. n. 41. Soar. proxime.

n Sanch. l. 3. c. 5. n. 19. Soar. c. 6. n. 8.

o Sanch. n. 18. Soar. c. 7. & n. 3.

Digitized by Google

novum, & proprium, ac speciale peccatum mortale, propter solam pejerandi consuetudinem, sed solùm esse peccatum in sua causa, hoc est, in consuetudine voluntaria, in qua indirectè volitum fuit. Vel quod mihi est probabilius, solùm est effectus peccati, ut probavi in materia de peccatis, cùm egi de actionibus pravis, quæ fiunt extra usum rationis.

p Sanch. n. 33. Soa. c. 8. n. 5.

313 Advertat ultimò: [p] Quando consuetudo jurandi est mortalis, esse in confessione explicandam, & tempus durationis illius, & quoties nova advertentia, & quasi repetita voluntate jurans in ea permanere decreverit; non tamen esse necessarium explicare juramenta indeliberata. Prob. quia licèt quando actus externus est in se volitus, ac proinde mortale peccatum, sit necessariò exprimendus; at quando non est in se voluntarius, sed solùm in sua causa, satis est causam exprimere. Tunc autem juramenta indeliberata censentur voluntaria in consuetudine, quando ex variis actibus jurandi inadvertenter eò homo progressus est, ut advertat illum pravum usum esse sibi proximam, & moralem occasionem incidendi in multa juramenta indeliberata; ergo &c.

SECTIO VII.

De Iuramenti relaxatione.

314 Relaxatio juramenti solùm potest cadere in juramentum promissorium, quod relinquit obligationem in futurum, habetque se tamquam votum. Quare sicut agendo de voto cap. præcedenti diximus votum posse irritari, commutari, & dispensari; ita de juramento pariter dicendum est, juxta ibi dicta. Igitur qui possunt irritare vota, possunt etiam irritare juramenta [a] promissoria in illis casibus, in quibus possent, si essent vota. Unde doctrina ibi tradita crica voti irritationem, applicanda est juramentis, dicendumque posse Patrem irritare ea juramenta filiorum, quæ posset, si essent Vota: & sic de domino respectu servi, de viro respectu uxoris, de uxore respectu viri, de tutore respectu pupilli, de superiore respectu subditi &c.

a Sanch. c. 29. n. 2. Soa. l. 2. c. 36.

b D. Tho. 2. 2. q. 89. ar. 9. Tolet. lib. 4. c. 23. Sanch. c. 22. n. 1. Soar. proximè n. 4.

315 Addo posse [b] Papam irritare juramenta clericorum de rebus Ecclesiasticis, quia habet se in his materiis tamquam dominus. Unde qui juravit collaturum se alicui beneficium, vel aliquid aliud Ecclesiasticum, habet se ad Papam tamquam servus ad dominum, qui potest irritare talia juramenta pro sua voluntate, absque ulla causa. Sed quid de commutatione, ac dispensatione? In qua quæstione dicendum est commutare, & dispensare juramenta pertinere ad prælatos Ecclesiæ, [c] verbi causa, ad Papam, ad Episcopos, & similes, de quibus loco citato diximus. Unde Papa potest commutare, & dispensare omnia omninò juramenta fidelium, sicut & vota; ex causa tamen justa. Episcopus illa tantùm, quæ posset, si essent vota. Quare illa quinque vota Papæ reservata, eidem etiam reservantur, si sint juramenta, in quibus nec Episcopus, nec alii dispensare possunt.

c Sanch. c. 21. Soar. c. 4.

316 Quando juramentum factum fuit in favorem, & utilitatem tertii, non potest commutari, nec dispensari etiam per Papam, absque voluntate [d] illius tertii, sicut nec per Papam potest auferri jus, aut res illius. Unde qui tertiò promisit sub juramento pecunias, nuptias &c. tenetur adimplere, nisi tertius ille obligationem relaxet; si verò ille cedat juri suo, [e] cessat juramentum. Duo tamen sunt [f] casus, in quibus juramentum factum in favorem tertii, potest commutari, & dispensari. Primò, in pœnam illius tertii, cui juramentum factum est. Sic relaxatur juramentum factum excommunicato in ejus pœnam. Cap. Nos sanctorum. Cap. Juratos 15. q. 6. Secundò, quando juramentum extortum fuit per vim, metum, fraudem, aut injustitiam. Et ideo possunt dispensari juramenta facta latroni, & usurario de dandis pecuniis, & usuris; & sic de aliis.

d Sanch. c. 21. Soar. c. 41.

e Soa. c. 19.

f Sanch. c. 21. à n. 6. Soar. c. 41.

317 Quando verò juramentum non est factum in utilitatem tertii, ille qui juravit, potest propria authoritate [g] commutare in id, quod evidenter melius sit; non autem cùm in utilitatem alterius emissum fuit, sed tenetur implere id, quod promisit, nisi ille alter aliquid æquivalens, vel etiam minus acceptet. Quod intelligendum est, si tertius novit promissionem factam per juramentum, eamque acceptavit.

g Sanch. c. 19. n. 10.

Quia

Quia si de illa nesciat, commutari, aut etiam dispensari potest. Advertat autem Parochus noster non posse se dispensare, commutare, nec etiam irritare juramenta plebis suæ, absque privilegio. Posse verò absolvere à peccatis factis contra juramenta, nisi Episcopo reservata sint, ut in aliquibus diœcesibus reservatur juramentum falsum in judicio. In quo omnes conveniunt.

SECTIO VIII.

De Adjuratione.

318 ADjuratio [a] est aliquem imperando, aut obsecrando inducere ad aliquid faciendum, vel omittendum, aut dicendum invocatione Dei, vel alicujus rei sacræ. Sic adjurabat Paulus Romanos: *Obsecro vos per misericordiam Dei*. Et Caiphas adjurabat Christum: [b] *Adjuro te, ut dicas nobis, si tu es Christus*. Duplex igitur est adjuratio, altera deprecativa, imperativa altera, ut magis ex dicendis constabit. Convenit adjuratio [c] cum juramento, quia sicut hoc adhibetur ad veritatis confirmationem, vel promissionis firmitatem, ita adjuratio adhibetur, ut postulatio, aut jussio sint efficaciora. Differt verò, quia in juramento adducitur Deus in testem, & fidejussorem promissionis: in adjuratione adducitur, ut objectum amoris, vel timoris ejus, qui adjuratur, ut inde ducatur ad rem postulatam, vel imperatam concedendam. Differt ab oratione, quia per hanc aliquid à Deo petitur: per adjurationem petitur, vel imperatur propter Deum. Unde si aliquid petatur à Deo propter ipsum, aut aliquod ejus attributum, seu mysterium, erit simul oratio, & adjuratio. Si petatur ab homine, vel imperetur dæmoni, vel etiam homini, erit adjuratio sine oratione.

a D. Thom. 2. 2. q. 90. Sanch. l. 3. decal. c. 41. Soa. l. 4 de juram.

b Matth. 26. 63.

c Sanc. n. 1. Soa. c. 1. n. 7. & 8.

319 Igitur in adjuratione [d] intervenit primò adjurans, qui debet esse persona intellectualis, cujus est posse rogare, & jubere, sive sit Deus ipse, Angeli, dæmones, vel homines. Secundò adjuratus, qui potest esse tam Deus, quàm Angeli boni, vel mali, quàm etiam homines. Tertiò res, per quam fit adjuratio, & potest esse non solus Deus, sed etiam Angeli boni, Sancti, & homines justi; quia cùm plurimum valeant apud Deum, potest per ipsos Deus etiam ipse adjurari, ut aliquod beneficium concedat; non autem inferiores creaturæ, aut peccatores, quia apud Deum nihil valent. Est autem adjuratio actus virtutis Religionis, [e] quando fit per Deum sive expressè, sive tacitè. Quia tribuitur Deo honor, eò quòd ejus authoritas tamquam plurimum apud omnes valens interponatur. Quando autem fit per Sanctos absque tacito respectu ad Deum, non est actus Religionis, sed duliæ.

d Sanch. n. 2. Soa. c. 2.

e Sanch. n. 3. Soa. c. 1. 6.

320 Exigit adjuratio [f] religiosa, de qua agimus, ad sui honestatem veritatem, justitiam, & judicium, sicut juramentum. Veritas tamen non exigitur eodem modo, ac in juramento. Quia in adjuratione nihil affirmatur, aut negatur; sed petitur, aut jubetur. Unde in ea tripliciter potest defectus veritatis inveniri. Primò, quando fit per falsum deum, & tunc est crimen mortale idololatriæ. Secundò, quando est fictio ex parte rei petendæ, quando nimirum deest animus impetrandi. Et hæc falsitas est venialis. Tertiò, quando est fictio ex parte causæ inducentis ad obtinendum, ut si quis ficta paupertate petat propter Deum. Et erit sola culpa venialis contra religionem adjurationis.

f Sanch. n. 5. Soa. c. 4. n. 6.

321 Justitia [g] in eo consistit, ut res petita, vel imperata sit licita. Si enim illicita sit, erit gravis Dei irreverentia contra religionem adjurationis, cùm Deus interponatur ut intercessor peccati. Unde sicut juramentum, & votum rei venialis, est veniale, rei verò mortalis est mortale; ita quando per adjurationem petitur, aut jubetur res similis. Si adjuratio fiat per Sanctos, quatenus in ipsis splendet Deus, perinde est, ac si per Deum fiat, ut diximus de juramento. Si verò respiciatur sola Sancti dignitas quoad propria merita; est specialis culpa mortalis, vel venialis, juxta capacitatem materiæ, licèt non tam gravis, quia Sancto fit injuria, illum interponendo ut patronum, & intercessorem ad culpam. Judicium tandem [h] in eo consistit, ut adjuratio fiat cum necessitate, & debita reverentia, & non temerè in quavis occasione, sicut judicium petitur in juramento; in utroque enim assumitur Dei nomen. Unde sicut in juramento hic defectus

g Sanch. n. 5. Soa. c. 4. n. 8.

h Sanch. n. 5. Soa. c. 4 n. 9.

fectus est venialis, ita in adjuratione.

i Sanch. n. 11. Soa. c. 4. n. 5.

322 Dico ergo primò: [i] Cuivis licita est adjuratio deprecativa erga Deum, Sanctos, & homines. Constat ex usu Ecclesiæ in omnibus orationibus deprecantis per Christum Dominum nostrum. Et Prob. quia honestum est ad quemcumque inducendum ad aliquod bonum, uti reverentia divini nominis, quæ obligationem non ponit homini adjurato propter Deum, vel Sanctos, quia est deprecativa.

l Sanch. n. 13. Soar. n. 10.

323 Dico secundò: [l] Adjuratio imperativa, seu coactiva solis licèt superioribus erga subditos in iis, in quibus subduntur, & causa justa adjurandi existit: possunt enim sua potestate uti divini nominis reverentia per adjurationem interposita, ut magis impellantur ad mandatum exequendum. Unde adjurans imperativè adjuratum obligat, qui proinde debet esse superior adjurati. Et ideo adjurare non subditum, erit culpa mortalis, si res sit notabilis; quia adjurans usurpat potestatem, qua caret, & peccat contra justitiam lædendo jus commune; estque specialis malitia contra Religionem, quia usurpat nomen Dei ad vim injustam inferendam. Quamvis autem non desint qui sentiant subditum contravenientem præcepto sibi per adjurationem imposito, non solùm transgressorem præcepti, sed etiam perjurum. [m] Probabilius est non esse perjurum, nec ex adjuratione induci aliquam Religionis obligationem, sicut testis juridicè rogatus negans veritatem, si non juravit, non peccat contra Religionem, sed solùm contra præceptum.

m Sanc. n. 14. Soar. n. 16.

n Sanch. n. 15. 16. & 18 Soar. c. 3 n. 7.

324 Dico tertiò: [n] Adjuratio imperativa, & coactiva ad dæmones expellendos, ne hominibus spiritualiter, aut corporaliter noceant, licita est. Prob. quia Ecclesia habet potestatem ad hoc à Christo datam, ut constat ex Evangelio: [o] *In nomine meo dæmonia ejicient*. Et ex exorcismis ad id ab Ecclesia institutis. Hæc autem potestas non innititur sanctitati ministri, licèt ea non parum juvet, sed divini nominis invocationi, fidei, & Ecclesiæ sanctitati, in cujus persona exorcismi ab ejus ministris dicuntur. Hæc autem potestas non est omnibus tradita, sed solis ministris ab ea ritè ordinatis, nempe exorcistis. Unde adjuratio solemnis, & publica solis Ecclesiæ ministris competit, licèt privata possit uti quilibet Christi fidelis.

o Marc. ult. 17.

325 Nemini [p] autem licet dæmones adjurare deprecativè, illos deprecando, ut ob Dei nomen exeant à corpore obsessi, quia tunc beneficium ab eis liberaliter conferendum expectaretur, quod esset quædam pacti, & societatis cum ipso inchoatio, ac proinde superstitio. Licet autem ab eis imperativè adjuratis interrogare ea, quæ ad expulsionem conducunt; quia hoc non est velle societatem cum ipsis inire, sed ab ea recedere. Unde sicut licèt adjurando imperare, ut exeant; ita licet interrogare per imperium, quæ conducunt ad exitum. Licet etiam interrogare coactivè aliquam veritatem ad peculiarem Dei gloriam, & adstantium utilitatem, quando adjurans prudenter judicaverit expedire. Ex levitate verò, & curiositate res vanas, & inutiles interrogare, erit veniale, nisi longi sermones de his misceantur. Licet quoque petere signum, quo testetur se è corpore exire, & fore, ut numquam redeat. Licet etiam flagellis, alapis, sputo, & similibus moderatè exagitare obsessum, non quòd credatur hæc habere vim ad dæmonem expellendum, sed ut despiciatur, & confundatur, sicut licet nomen dæmonis scriptum comburere ob eumdem finem.

p ne n. 19. Soar. c. 3. n. 8.

326 Dico quartò: [q] Adjurare creaturas irrationales fructibus temporalibus nocentes, ut locustas, tempestates, grandines &c. dirigendo sermonem ad ipsas, vanum est: licitum verò, quatenus ab alio moventur ad nocendum. Quando ergo moventur à Deo, adjurandæ sunt ipsum deprecando, ut malum id avertat. Quando à dæmone, imperando ne illas moveat, & ut nocere desistat. Quia autem nobis non constat utrùm à Deo, an à dæmone moveantur, utitur Ecclesia utrisque exorcismis, nempe orando Deum, & imperando dæmoni.

q Sanch. n. 17. Soa. c. 4. n. 12.

CAPUT VI.

Expositio tertii præcepti Decalogi.

327 HOc Præceptum traditum fuit à Deo per Moysen Judæis sub his verbis: [a] *Memento, ut diem Sabbati sanctifices*. Idque in memoriam beneficii creationis. Cùm enim Deus sex diebus cun-

a Exod. 20. 8. Deut. 5. 12.

cuncta operatus fuisset; die septima, hoc est, Sabbato [b] quievit ab omni opere, ut nomen ipsum significat. Idem enim est Sabbatum, ac quies. Hanc ergo diem sanctificandam præcepit Judæis, ut perpetuò tanti beneficii haberent memoriam. Et præterea in figuram Christi in lege promissi, qui integro Sabbato quieturus erat in sepulchro, ut sumitur ex Apostolo [c] dicente observationem Sabbatorum fuisse umbram futurorum adimplendorum per Christum. Tandem ad corporum quietem, cùm enim vires deficiant continuo labore, voluit Dominus, ut reficerentur ad futurum.

b Gen. 2. 2.

c Colos. 2. 16.

328 Hoc autem præceptum sanctificandi Sabbatum inter naturalia [d] Decalogi numeratur, quia ratio naturalis dictat aliquod tempus soli divino cultui tribuendum fore. Habebat verò aliquid positivi, nempe determinationem ad talem diem. Erat ergo partim morale, quatenus absolutè præcipiebat cultum Dei externum; partim positivum, & cæremoniale. Primò, quoad significationem beneficii creationis, & sepulturæ Christi. Secundò, quoad temporis determinationem, hoc est, quoad diem septimam cujuscumque hebdomadæ, & quoad spatium 24. horarum, juxta illud: *e A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*. Tertiò quoad determinationem otii, & cessationis ab operibus, quæ non erat per se, & ex sola ratione naturali necessaria ad divinum cultum; potuit tamen præcipi ex ratione morali congruenti, ut homines essent magis expediti, & dispositi ad divinum cultum.

d Soar. t. 2. de Relig. lib. 2. c. 1.

e Levit. 23. 32.

329 Quia verò hoc præceptum, quantùm ad totam illam determinationem, quam addebat supra obligationem moralem, & naturalem; cessavit, ut omnia alia purè positiva legis veteris, quæ non obligant in lege gratiæ; *f* sanctè instituit Ecclesia eo potius die jejunandum, seu abstinendum à carnibus in memoriam sepulturæ Christi, quàm ut festum colendum; & ejus loco determinavit diem Dominicam, in qua Christus resurrexit; quia in ea majus beneficium mundus accepit, nempe redemptionis, quæ tali die consummata fuit per Christi resurrectionem, quam voluit in memoria potius haberi, quàm beneficium creationis, quamvis hoc etiam dies illa in memoriam adducat, quia eadem die Deus creationem incepit. Et ideò de die Dominica canit Ecclesia: *Primo die, quo Trinitas beata mundum condidit, vel quo resurgens Conditor nos morte victa liberat*. Nomine igitur Sabbati ad quietem deputati in hoc tertio Præcepto, intelligitur hodie dies Dominica, & aliæ dies ab Ecclesia deputatæ ad eumdem finem; sicut nomine Sabbati apud Judæos non solùm intelligebatur septima dies cujuscumque hebdomadæ, sed etiam aliæ festivitates illius populi. Quare tria dicenda sunt circa hoc præceptum. Primum, quæ sint istæ dies, quas observare tenemur. Secundum, quid in illis præcipiatur, & prohibeatur. Tertium, quando contra illud peccetur.

f Soa. proximè.

SECTIO I.

Quæ dies sint observandæ ex vi hujus Præcepti?

Licèt omnes festivitates in Dei cultum, & venerationem primariò ordinentur; aliæ tamen sunt in solius Dei memoriam institutæ, aliæ in Christi Domini venerationem, aliæ simul cum Dei cultu conjungunt specialem beatæ Virginis, aut alicujus Sancti memoriam. Nota igitur dies festos vel esse institutos pro tota Ecclesia, vel pro aliqua tantùm Provincia, diœcesi, civitate, aut Parochia, qui vel sunt observandi ex Præcepto, vel ex sola devotione. 330

331 Dico primò: Dies Dominicæ totius anni ab Ecclesiæ exordio institutæ, & deputatæ sunt in cultum Dei, ut Deus est, tamquam præcipuæ, & ordinariæ festivitates ex Præcepto observandæ, quibus decursu temporis speciale festum sanctissimæ Trinitatis adjunctum est Dominica, quæ est octava Pentecostes. Deputata est autem dies Dominica prima dies hebdomadæ ob Christi resurrectionem, quæ ea die contigit, talisque appellatur à S. Joanne [a] dicente se die Dominica insignem visionem accepisse. Estque traditio antiquissima hanc diem semper fuisse in Ecclesia ab ipsius principio tamquam festivam observatam, de quo multa P. Soar. [a]

a Apoc. 1. 10.

a Lib. 2. de festis. c. 4.

332 Di-

332 Dico secundò: Aliquæ dies specialiter sunt deputatę in honorem Christi Domini, quarum aliæ sunt mobiles, aliæ immobiles. Inter mobiles numeratur primò festum Passionis, quod incipit à Dominica Palmarum usque ad Sabbatum sanctum. Non est tamen præceptum circa observantiam talium dierum, in quibus solùm prohibentur strepitus judiciales. [b] In hoc Regno observabatur quoad cessationem operum servilium ab officio Missæ feriæ quintæ usque ad finem officii feriæ sextæ; seu ab expositione Sanctissimi usque ad consumptionem factam feria sexta. Credit verò Soar. hanc consuetudinem magis fuisse ex pietate, & devotione, quàm ex obligatione; & si alicubi ex consuetudine fuit obligatio, videtur solùm fuisse quoad cessationem ab operibus servilibus in publico exercendis, non verò quoad obligationem audiendi Missam, aut officia illorum dierum. Addo hodie ubi receptum est diploma Urbani VIII. nullo modo obligare, nisi accedat præceptum Episcopi.

b Soa. c.5. à n.15.

333 Secundò numeratur festum [c] Paschatis cum duobus diebus sequentibus, qui sunt de præcepto universalis Ecclesiæ. In hoc regno observabatur dies etiam tertia; sed hæc per Urbanum VIII. sublata est. Unde si hodie observetur, erit ex devotione, non ex obligatione. Tertiò numeratur festum Ascensionis feria quinta die 40. post resurrectionem sub Præcepto. Quartò, [d] Festum Pentecostes die 50. post resurrectionem cum duobus sequentibus diebus sub Præcepto. Licèt autem hoc festum de Spiritu sancto potius, quàm de Christo videatur; quia tamen Christus Spiritum sanctum promiserat, & verbum suum illo die implevit dando Spiritum sanctum ex meritis suis, & quia illo die quasi cœpit regnare in Ecclesia militante, & publicè prædicari in universo mundo, non incongruè inter festa Christi annumeratur. Quintò, [e] Festum Corporis Christi feria quinta post octavam Pentecostes, in qua sub præcepto celebratur institutio divinissimæ Eucharistiæ.

c Soar. c.6.

d Soar. c.7.

e Soa. c.70. 4. & 5.

334 Inter festa [f] immobilia Christi Domini est primum festum Incarnationis 25. Martii, quod etiam B. Virgini commune est, & communiter Annuntiatio Virginis dicitur, estque de Præcepto. Secundum Nativitatis Christi 25. Decembris cum tribus sequentibus diebus sub Præcepto. Tertium, Circumcisio prima die Januarii, quod festum maxima ex parte pertinet ad Virginem, ut constat ex officio illius diei, estque sub Præcepto. Quartum, Epiphania sexta die Januarii sub Præcepto. Quintum, Præsentatio Christi in templo 2. die Februarii, quæ sub nomine Purificationis Virginis circumfertur, estque festum Virgini etiam commune sub Præcepto observandum. Sextum, Inventio Crucis 3. Maji sub Præcepto. Septimum Transfiguratio Christi 6. die Augusti, quod tamen hodie non observatur ex Præcepto, sed alicubi ex devotione, sicut & Exaltatio Crucis 14. die Septembris.

f Sanch. c. 5. & 7.

335 Dico tertiò: [g] Nonnullæ dies specialiter sunt deputatæ in honorem B. Virginis. Prima est dies ejus Conceptionis 8. Decembris. Quæ tamen non observatur ex Præcepto universali Ecclesiæ. Unde si alicubi observatur ex consuetudine, videndum qualis hęc sit. Certè post breve Urbani VIII. sublata est ea consuetudo quoad obligationem. Secunda est dies ejus Nativitatis die octava Septembris ubique observanda ex Præcepto consuetudine introducto. Tertia est dies Præsentationis ejus in templo 21. Novembris; quæ si alicubi observatur, est ex devotione. Quarta est dies Annuntiationis, de qua jam dictum est observari ex præcepto. Quinta est dies Visitationis 2. Julii, quæ etiam non est de Præcepto. Sexta Purificationis 2. Februarii, de qua jam dictum est observari sub Præcepto. Septima est dies Assumptionis 15. Augusti observanda de Præcepto. Octava est dies sanctæ Mariæ ad Nives 5. Augusti, quæ de præcepto non est; licèt autem in multis olim locis ex consuetudine observaretur, hodie sublatum est tale Præceptum per Urbanum VIII. & si hodie observatur, est ex sola devotione.

g Soa. c.8.

336 Dico quartò: [h] Aliquæ dies sunt specialiter deputatæ in honorem aliquorum Sanctorum. Prima 29. Septembris sub nomine sancti Michaelis observatur sub Præcepto. memoria omnium Angelorum. Similiter 24. Junii nativitas S. Joannis Baptistæ. Festa item Apostolorum, nempe S. Joannis 27. Decembris. S. Mathiæ 24. vel 25.

h Soar. c.9.

Fo-

Februarii. SS. Philippi & Jacobi minoris 1. Maji. Petri & Pauli 29. Junii. Jacobi majoris 25. Julii. Bartholomæi 24. Augusti, Romæ 25. Matthæi 21. Septembris. Simonis & Judæ 28. Octobris. Andreæ 30. Novembris. Thomæ 21. Decembris. Festum Omnium Sanctorum 1. die Novembris. S. Stephani 26. Decembris. Sanctorum Innocentium 28. ejusdem. S. Laurentii 10. Augusti. Sancti Silvestri 31. Decembris. Quod festum videtur olim fuisse de Præcepto, sed consuetudine fuerat abrogatum, hodie restitutum ab Urbano VIII. Festum S. Josephi 19. Martii pro tota Ecclesia inductum est, & festum S. Annæ 26. Julii.

337 Dico quintò: Præter dies festos universalis Ecclesiæ, de quibus hactenus, sunt [l] alii speciales aliquarum provinciarum, diœcesium, civitatum, imò & parochiarum observandi earum incolis. Hi possunt esse in Præcepto vel ex vi juris communis, ut si jus ipsum, aut Pontifex jubeat observari aliquod festum in tali provincia, diœcesi, vel civitate; cujus obligationis hodie nullum habemus exemplum. Vel ex vi alicujus Concilii provincialis. Sic obligabat festum expectationis Virginis in tota Hispania ex vi Concilii Toletani 18. Decembris; quod festum hodie sublatum est per Urbanum VIII. unde si adhuc observatur, est ex sola devotione. Vel ex vi Præcepti Episcopalis pro sua diœcesi, aut pro aliqua civitate ipsius. Sic Olysipone observabatur festum S. Antonii 13. Junii, & sancti Vincentii Martyris 22. Januarii, & ejusdem translatio 15. Septembris. Et alibi possunt esse similes festivitates ex simili Præcepto observandæ, de quibus mihi constare non potest. Vel etiam ex recepta consuetudine obligante ex tacito saltem consensu Episcoporum. Videndum tamen est an consuetudo sit introducta animo obligandi, an ex sola devotione. Si enim Parochi, quando festa populo denuntiant, semper dicant observari ex devotione, credendum est consuetudinem non obligare. Sunt aliqui dies, qui observantur solùm intra muros. Sic Eboræ observabatur festum S. Vincentii, & sororum 27. Octobris, alii usque ad meridiem, quando Episcopus ex aliqua justa causa ita præcipit. At hodie omnes istæ festivitates sublatæ sunt per Urbanum VIII. & si persistunt alicubi, est ex sola devotione, exceptis festis Patronorum, quorum Præceptum, si dabatur, adhuc perseverat.

[l] Soa. c. 11.

338 Circa hæc festa localia nota primò, non obligare incolas [l] illius loci, quando extra illum inveniuntur, v. c. incola Olysiponensis, qui Eboræ invenitur eo die, qui Olysipone observatur de Præcepto, non tenetur illum observare, quia tale Præceptum non obligat extra proprium territorium. Nota 2. licèt non omnes conveniant peregrinos [m] teneri ad observanda festa illius loci, in quo repeniuntur, probabilius esse ad id teneri. Unde Eborensis existens Olysipone tenetur observare festa illius, dum ibi commoratur, abstinendo ab operibus servilibus, & audiendo Missam. Quamvis quod attinet ad Missam, & jejunia, quando de Præceptis Ecclesiæ actum fuerit, dicemus quando ab iis Præceptis possint deobligari.

[l] Soa. c. 13.

[m] Soa. c. 14.

339 Dico sextò: Sunt etiam aliqui dies festi ex sola devotione populi in variis provinciis, diœcesibus, & civitatibus sine ulla obligatione. Ita observatur in hoc Regno festum S. Sebastiani 20. Januarii, festum gaudiorum Virginis feria secunda post Dominicam in Albis Eboræ, & alibi festum S. Blasii 3. Februarii. Romæ multæ festivitates hoc modo observantur; apud nos non paucæ maximè Olysipone. Post breve Urbani VIII. aliqua festa, quæ antea erant ex Præcepto, vel ex consuetudine, vel aliunde; ex sola devotione coluntur, v. c. festum Conceptionis, Visitationis, Expectationis, sanctæ Mariæ ad Nives, S. Antonii, & similes, de quibus suprà.

SECTIO II.

Quid in diebus festis præcipiatur, & prohibeatur?

AD festa sanctificanda unum præcipitur, nempe Missam audire, de quo infrà in explicatione præceptorum Ecclesiæ cap. 14. sect. 2. prohibentur verò aliqua opera exerceri, de quibus hic est dicendum. Dico ergo 1. in diebus [a] festis de Præcepto prohibentur opera servilia, seu opera propria servorum, quibus homo homini servit, v. c. arare, fodere terram, seminare, 340

[a] Soa. c. 17 & 2.

nare,

nare, metere, colere vineas, & generatim opera externa, & corporalia, non quidem omnia, sed quæ servilia & mechanica sunt: hæc enim exercere est contra sanctificationem festi, & ideo prohibita.

341 Ut autem hoc melius intelligatur, notabis primò, aliqua [b] opera dici propria animæ, quia opera ipsius sunt, v. c. intelligere, meditari, legere, studere; vel ad talia ordinantur, ut disputare, docere, scribere pertinentia ad studium. Hæc, cùm servilia non sint, sed maximè liberalia, & spiritualia, non prohibentur in die festo. Unde licèt in festis studere, legere etiam publicè, disputare, scribere, concionari &c. Et ideò licet advocato studere pro litibus, & quæ studet scribere, imò & informare judicem in scripto, idque pro pecunia. Nam, ut optimè probat Soar. [c] opus de se non servile, tale non redditur, nec prohibetur, quamvis sit mercenarium, & factum pro pretio. Quare neque scribere pro pecunia, nec transcribere opus est servile, aut prohibitum in die festo, ut idem Soar. [d] doctè, & copiosè probat. Nec sequitur idem esse dicendum de opere pingendi, quia ex se servile est, ac proinde prohibitum, sive pro pretio, sive gratis fiat, ut benè Soar. cap. 20. licèt plures ex Summistis oppositum doceant, sitque probabile.

b Soa.c.21

c Soa.c.19

d Soa c.24. 25. & 26.

342 Notabis secundò, præter opera liberalia, quæ in die festo non prohibentur, esse alia opera [e] corporis tam servis, quàm dominis communia, v. c. iter facere, saltare, pulsare instrumenta musica, venari, piscari, & similia, quæ etiam prohibita non sunt in die festo, absolutè loquendo, & ratione sui, quia servilia non sunt. Ut tamen res clarior evadat, aliqua ex prædictis operibus, quæ majus dubium habere possunt, attentius considerari debent.

e Soa.c.17.

343 Quòd ergo attinet ad iter, certum est [f] iter facere non esse opus servile, neque per se prohibitum in die festo. Dico: *Per se*. Quia si addantur circumstantiæ, quæ requirant, vel includant opera servilia, potest ex eo capite prohiberi, sicque prohibetur iter agere deferendo bestiam, aut currum onustum: quia hoc de se servile est, & non licet; estò possit excusari vel ex parvitate materiæ, vel ex necessitate. Distinguendum verò est inter inchoationem, & continuationem itineris. Si enim iter ante diem festum bona fide inchoatum sit cum his oneribus, excusatur continuatio, vel propter publicam utilitatem, vel propter vitandum grave nocumentum, quod paterentur iter agentes, & præsertim muliones, si cogerentur quiescere in omnibus diebus festis, & ideo consuetudo hanc excusationem approbavit. De inchoatione non est facilè admittenda consuetudo quoad hæc onera, quam Doctores abusum vocant. Secùs est quoad simplex iter: unde si isti muliones ducant mulos sine oneribus, non est illicitum ita progredi, vel ab uno loco in alium transferre animalia in die festo, quia id solum est iter agere: Deinde quando homines in lectica, vel curru deferuntur, licitum est omnia opera necessaria facere ad illos juvandos, quia ordinantur ad iter tantùm personarum; & eadem ratione licitum erit onera necessaria ad usus itineris deferre, vel quia hæc omnia censentur accessoria itineri, vel quia consuetudine recepta sunt.

f Soa.c.17.

344 Quod attinet ad venationem, [g] aliqui credunt non esse opus servile, ac proinde non prohiberi in die festo, estò fiat quæstus gratia. Soar. [h] verò multis probat esse opus servile; quia ars venatoria inter mechanicas computatur, ac proinde prohiberi in die festo sub generali prohibitione operis servilis; excusari tamen posse ex levitate materiæ, quando fit ad vitandum otium, aut opera pejora. Additque si venatio esset moderata à prandio per duas, vel tres horas, non sibi displicituram excusationem. Quia tamen difficile est damnare omnes illos, qui majorem licentiam sumunt, ait dici posse excusari consuetudine, quæ potest legem remittere, & videtur in hac parte prævaluisse, scientibus & tolerantibus Prælatis Ecclesiæ.

g Nav. c. 13. n. 11.

h Soa. c.18

345 Et idem dicit de piscatione, per se quidem esse opus servile, & ut servilem per se prohiberi in die festo, licere tamen ex consuetudine, quando fit in fluviis, maximè si sit moderata, & sine magno labore ministrantium: illam verò, quæ fit in mari non esse in consuetudine, nisi ob peculiarem necessitatem, de qua cap. Licèt de feriis.

Ubi

Ubi conceditur piscatio aletum, tynnorum, & aliorum piscium, qui non nisi certis temporibus capiuntur, in qua necessitate dispensatur in dicto cap. Addit deinde idem esse dicendum de actu bellandi, esse opus de se servile, quia etiam ars militaris inter mechanicas computatur, nec habet nobilitatem ex fine proximo, ex quo attenditur ratio operis servilis, sed ex remoto, quia ad Reipub. defensionem ordinatur. Unde per se prohibetur in die festo, licèt per accidens ex causa justa excusetur. Sic excusatur bellum defensivum ex necessitate; bellum verò aggressivum excusabitur, quando est justum, si se offerat bona occasio comparandi victoriam, quæ semel amissa non facilè redit, quod ad necessitatem reducitur.

346 Dico secundò: In diebus festis specialiter prohibentur aliquę actiones de se non serviles, [i] nempe mercatus, placitum, judicium ad mortem, judicium ad pœnam, & juramentum judiciale, quæ in aliis juris locis prohibentur sub nomine strepitus judicialis. Circa mercatum autem notabis alium [l] esse, qui bis, aut ter in anno fieri solet, & dicuntur nundinæ, quæ sanè prohibentur in diebus festis: consuetudo tamen jam obtinet licitè fieri. Quare ubi talis consuetudo viguerit, peccatum non erit, si Missa audiatur. Alium esse, qui singulis hebdomadis fit, & hic non licet in die festo, quia consuetudo contra illum prævaluit. Alium esse omne genus contractuum, emptionum, venditionum, locationum, & permutationum; quæ omnia ex vi juris prohibita sunt. Usus tamen jam obtinet, ut bona mortuorum voce præconis sub hasta vendantur in die festo, & similiter proventus Ecclesiarum, imò & principum publicè eisdem diebus proponi solent ad locandum. Operarii conducuntur die festo à prandio. Artifices etiam vendere solent merces, saltem post prandium videntibus, ac tacentibus Pastoribus Ecclesiæ. Quæ consuetudines, ubi vigent, excusant à culpa. Ubi non vigent, introducendæ non sunt. Nunquam tamen prohibitum fuit emere in die festo necessaria ad illius diei victum, & potum, maximè si antè commodè emi non possunt, aut moralis necessitas occurrat.

i Cap. 1. de feriis.

l Soa c. 29.

347 Circa placitum, [m] seu strepitum judicialem nota prohiberi omnes actiones, quæ propriè forenses, & publicæ sunt, & pertinent quasi intrinsecè ad acta judicii, quæ non solùm prohibentur in die festo, sed etiam annullantur. Unde prohibita est citatio, quæ est inchoatio judicii. Similiter prohibetur examinare testes, neque ab ipsis, neque à partibus potest exigi juridicum juramentum. Neque potest proferri sententia mortis, neque alia in causa criminali, vel etiam civili. Et generaliter omnis strepitus judicialis tam judicum, quàm scribarum, & aliorum in judicium concurrentium. Unde non licet scribere, nec transcribere processus. Et licèt aliqui dicant appellationem posse in die festo interponi, estò non liceat eam tunc prosequi; oppositum tamen est verius, quia appellatio est actus judicialis, & pars processus. Prohibetur etiam executio sententiæ. Non est tamen prohibita sententia excommunicationis; quia non tam est judicium, quàm præceptum: neque absolutio ejusdem, & generaliter non prohibentur actus jurisdictionis voluntariæ, quia non fiunt cum strepitu judiciali, v. c. dispensationes, absolutiones &c.

m Soar. c. 29. & 30.

348 Limitat autem jus [n] ipsum ea; quæ dicta sunt, per hæc verba: *Nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat*. Unde [o] si quæcumque ex his causis interveniat, potest licitè in die festo causa judicialis tractari, quia eo ipso cessat obligatio legis. Procedit autem limitatio in qualibet causa sive civili, sive criminali, sive temporali, sive spirituali. Unde ob necessitatem possunt testes examinari, si alio tempore commodè haberi non possunt, & sic de cæteris, de quibus vide Soar. ob pietatem verò possunt causę miserabilium personarum in die festo tractari, & expediri, ne graventur expensis ultra id, quod possunt.

n Cap. ult. de feriis.

o Soa. c. 30 à n. 18.

349 Dico tertiò: [p] Præter ea, de quibus dictum est, nihil aliud prohibetur in die festo. Unde sine fundamento aliqui dixerunt prohiberi in illo specialiter peccatum maximè mortale, & consequenter tali die commissum habere novam malitiam mortalem necessariò explicandam in confessione, quia prohibetur sub prohibitione operis servilis. Hoc autem falsum est primò, quia peccatum dicitur opus servile metapho-

p Soa. c. 28 Toler. lib. 4. c. 24. fine.

Digitized by Google

taphoricè, non verò propriè: opera autem quæ prohibentur in die festo, sunt ea quæ propriè servilia sunt. Secundò, quia finis festorum est sanctitas ipsa, ad finem verò nemo obligatur alia obligatione, quàm mediorum; non enim obligamur ad carnis macerationem, quæ est finis jejunii, sed ad ipsum jejunium: ergo similiter solùm obligamur ad cavenda opera illa prohibita, non autem ad finem illius prohibitionis.

350 Ex quibus sequitur ex vi præcepti affirmativi solùm nos teneri in die festo ad Missam audiendam, non autem ad alias orationes [q] distinctas ab illis, quæ in Missa dicuntur, quibus tenemur assistere, & attendere. Unde, per se loquendo, non tenemur sacram concionem audire; nullum enim de hoc extat præceptum, sicut nec de oblationibus offerendis, nec de amore Dei, aut contritione eliciendâ, quamvis optimum sit hæc omnia præstare, ut festa non solùm sanctificentur, sed benè sanctificentur. Sequitur deinde, ex vi præcepti negativi solùm obligari nos ad abstinendum ab operibus servilibus, & aliis suprà dictis speciali jure prohibitis.

q Soar. .1 6.

SECTIO III.

Quando peccetur contra hoc præceptum?

351 Dico primò, obligatio [a] sanctificandi festa per cessationem ab operibus servilibus, aliisque prohibitis, est gravis, & transgressio ex genere suo est peccatum mortale. Ita sentit Ecclesia ipsa, & Doctores. Potest tamen ex levitate materiæ excusari à mortali. A quo communiter excusantur tonsores unius, vel alterius barbæ, non multarum, ad quas longum tempus requiritur. Quantitas verò temporis prudentis arbitrio relinquitur: neque enim probatur, quod aliqui dicunt non esse materiam gravem, si non attingat tertiam partem diei; neque quod alii affirmant esse materiam gravem, si integram horam attingat, quia respectu 24. horarum, una non est grandis.

a Soar. c. 31. Tolet. c. 25.

352 Hæc autem obligatio ordinariè [b] durat pro toto tempore unius diei naturalis 24. horarum à media nocte ad mediam noctem: ita enim habet communis consuetudo, & traditio Ecclesiæ, licèt in aliqua Provincia aliud possit consuetudine introduci, quod ibi servandum erit. Dixi: *Ordinariè*. Quia in aliquo particulari casu potest Episcopus designare ad certam diei partem, ut cùm præcipit festum usque ad meridiem.

b Soa. c. 31. à n. 5. Tol. c. 24.

353 Dico secundò, aliqua opera [c] servilia non prohibentur in die festo, v. c. coquere cibos, & similia, quæ ad præparationem culinæ, & mensæ ordinariè fiunt: numquam enim Ecclesia has actiones prohibuit, nec fuit ejus intentio, ut fideles ab his abstinerent, ut Judæi abstinebant in sabbato, sed potius semper prohibuit servare festa judaicè. Hæc exceptio consuetudine aucta fuit ad omnes cibos artificiosos non necessarios, qui sine magno labore non fiunt. Imò interdum ampliatur ad actiones colligendi fructus eadem die, ut saniores sint, imò & ad actiones occidendi, & excoriandi animalia, & similes, quæ maximè fieri solent, quando ratio aliqua necessitatis intervenit: quæ omnia coarctanda sunt ad eas res, quæ die præcedenti convenienter præparari non possunt. Unde regulariter panem coquere non licet in die festo, quia potest commodissimè præveniri diebus antecedentibus. Ubi tamen id fieri non posset vel propter populi multitudinem, vel quia dies festi continui plures sunt, posset eodem die præparari, ut alii cibi. Similiter non prohibentur opera [d] servilia, quæ ob necessitatem cum infirmis exercentur, quia sicut non prohibetur præparatio ciborum, licèt servilis sit, ita non prohibentur remedia necessaria, vel convenientia ad salutem humani corporis, & conservationem ejusdem. Vel licèt dicamus hæc opera prohiberi, necessitas excusat, ut in aliis casibus, de quibus statim.

c Soar. c. 31. n. 5.

d Soar. c. 31. à n. 5.

354 Dico tertiò: [e] Multa sunt opera servilia, quæ licèt ex se prohibeantur in die festo, causa tamen justa occurrens obligationem suspendit, vel aufert pro tali casu. Est autem discrimen inter excusationem, & absolutam non obligationem, de qua in 2. Concl. quia quando est absoluta non obligatio, non tenemur anticipare opus, estò possimus: quando verò est excusatio, requiritur, ut opus non potuerit anticipatè fieri. Casus verò, in quibus excusantur aliqua opera servilia in die festo, varii sunt.

e Soar. c. 32. Tol. c. 25.

Digitized by Google

f Sot. c. 21. a. 8. Tol. l. 7. c. 25. 355 Primus, cùm opera servilia f immediatè ordinantur in Dei cultum, nec nisi in die festo fieri possunt, ut pulsare campanas, portare crucem, ornare altaria, vestes sacras extrahere, præparare, & similia, quæ valdè vicina sunt divino cultui, & ex modo suo determinata ad illum. Hæc enim vel non prohibentur in die festo, vel ob necessitatem excusantur. Dixi: *Quæ immediatè ordinantur*. Quia opera remota, ut colere agros Ecclesiæ, ædificare parietes, aut ipsos dealbare, non licet, nisi ex dispensatione, quæ facilè conceditur, quando Ecclesia est pauper. Dixi: *Nec nisi in die festo fieri possunt*. Quia Ecclesiam scopis mundare, ornare parietes, hostias coquere non licet in die festo, cùm fieri possunt ante illum. Secùs quando fieri non potuerunt. Quamvis ista facere, etiam quando antè potuerunt fieri, ex se non sit mortale, sed solùm veniale.

g Sot. c. 30. Tol. l. c. 25. 356 Secundus est: g Cùm necessitas imminet, quæ præveniri non potuit, vel quia est repentina, vel quia multis diebus durat, vel quia usus & conditio humana aliud non patitur. Unde primum caput hujus excusationis est necessitas propriæ conservationis, aut sustentationis propriæ vitæ, & familiæ. Quia intentio Ecclesiæ non est obligare cum tanto gravamine. Ex hoc capite licet pauperi, qui aliter non potest se, aut familiam alere, laborare in die festo, secretè tamen ratione scandali, ac Missa prius audita. Secundum est necessitas rei propriæ, vel proximi. Ex quo excusantur agricolæ, qui ingruente pluvia laborant, ut segetes tueantur, qui ob venti commoditatem triticum in area ventilant, timentes ne ventus deficiat. Et tanta potest esse necessitas, ut etiam liceat metere, & serere in die festo, vel quia defuit tempus aptum, vel quia timetur tempus non opportunum. In his verò casibus, & publicis actionibus non ita repentinis optimum est consensum saltem Parochi postulare. Licet etiam si domus proximi incendatur, vel seges, laborare, ut ignis extinguatur. Ex quo etiam capite excusantur operarii, quorum opera intermitti non possunt absque damno, ut qui vitrum fundunt, qui navigant, qui coquunt lateres, tegulas, calcem &c. In quo regula esse debet. Quando inchoatum opus non potest intermitti in die festo sine dispendio notabili, potest opus in die festo continuari, secùs quando non est hæc necessitas. Quando verò prædicta necessitas contingat, ad artifices spectat judicare, & illis credendum est. Tertium ad evitandum damnum corporis, ex quo licet tempore belli aggeres necessarios struere, muros reædificare, vel etiam ædificare, vallo oppidum circumdare, & fossis; militareque se defendendo. Quartum, cùm perditur occasio magni lucri, ut in piscatione alecum, tynnorum, sardiniarum, & aliorum piscium, qui nonnisi certis temporibus veniunt, tunc enim licet piscari in diebus festis, ut sect. præcedenti dictum est. Quintum, cùm famuli, & servi coguntur à dominis laborare in die festo, nec possunt non parere sine gravi incommodo, quia vel privarentur stipendio, vel alimento necessario, vel domo ejicerentur privati famulatu cum gravi jactura, quia non sperant aliud commodum invenire. Hoc autem est intelligendum dummodo non cogantur laborare in fidei, vel Religionis contemptum; quia tunc mors potius esset obeunda. Sextum, necessitas corporalis proximi, de qua concl. 2. hoc est, infirmitas, ratione cujus licet omnia opera ad hanc necessaria admovere, sive sint opera assistentium, sive medici, chirurgi, pharmacopolæ, scindentis venam, sive notarii testamentum conficientis, &c.

357 Tertius casus h est bonum Reipub. seu communitatis. Ex quo licet viatoribus publicis iter suum conficere, estò hoc opus foret ex se prohibitum. Item reficere pontes, vias communes, fontes, & alia, quæ sunt publici usus, & utilitatis, quando sine magno incommodo non potest remedium differri. Qua etiam ratione licet laborare in providenda Repub. de necessariis ad victum diei festi quoad eas res, quæ præveniri antea non possunt. Item, qui pro causa publica, honesta, & convenienti Reipub. aliquod opus faciunt, licèt utilitas non sit simpliciter necessaria, sed ad communem Reipub. lætitiam, vel splendorem in occasione moraliter necessaria, ut in publica solemnitate, vel in adventu Regis, aut ortu Principis. Tunc enim laborare solent artifices in festis, ut vestes, vel publica artificia, tabulata, & theatra vel perficiant, vel ornent, h Tolet. c. 25.

Digitized by Google

nent, ac similia, quæ ita sunt consuetudine recepta, ut ipsa sufficiat ad excusandum, maximè quando hæc præveniri non potuerunt, quia brevitas temporis id non permisit.

i Tolet. c. 25.

358 Quartus est in bonum, [i] & utilitatem proximi indigentis. Unde si salus, aut vita proximi periclitatur, licet pro illa tuenda, & defendenda laborare in die festo. Unde licet pro egeno laborare, ut sustentetur, dummodo sit in gravi necessitate, aliàs non. Quintus est licentia, seu dispensatio, [l] quam potest dare Papa, Episcopus; & prælati Regulares suis subditis, ad quam requiritur causa justa, non tamen evidens, quia satis est probabilis, aut etiam dubia.

l Soa. c. 13. Tolet. c. 25.

CAPUT VII.

Expositio quarti præcepti Decalogi.

359 HActenus de præceptis primæ tabulæ, quæ ad honorem Dei pertinent; jam de præceptis secundę, quæ ad proximum attinent. Circa quæ notandum est omnia præcepta Decalogi non solùm ordinari ad charitatem Dei, & proximi, sed etiam fundari in justitia, qua reddimus unicuique, quod suum est. Cujus quatuor sunt partes. Prima reddimus Deo, quod suum est, eique debemus, & dicitur Religio, quæ nos inclinat ad exhibendum Deo debitum cultum, & honorem, in qua virtute fundantur præcepta primæ tabulæ, de quibus hucusque. Secunda est, qua parentibus exhibemus, quod eis debemus, & dicitur Pietas. Tertia est, qua superioribus tam spiritualibus, quàm temporalibus impendimus, quod ipsis debemus ratione superioritatis, & dicitur Observantia. Quarta est, qua aliis proximis generaliter reddimus, quæ ipsis debentur; & hæc dicitur propriè justitia, in qua fundantur reliqua sex præcepta. Aliæ verò tres dicuntur partes potentiales justitiæ, quia vel excedunt rigorem justitiæ, vel ad illum non pertingunt.

360 Sicut igitur priora tria præcepta pertinent ad Religionem, ultima sex ad justitiam propriè dictam; hoc quartum pertinet ad pietatem, & observantiam. Licèt enim tradatur sub his terminis. [a] *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; quibus pietatem debemus. Sub parentum nomine quatuor personarum ordines intelliguntur, ut omnes advertunt. Primus est, eorum, qui nos secundùm carnem genuerunt, ubi etiam includuntur ascendentes. Secundus eorum, qui spiritualiter gubernant, ut sunt Episcopi, & alii curam animarum habentes. Tertius est gubernantium civiliter, ut reges, domini temporales, & magistratus. Quartus est eorum, qui tamquam patres nostri curam gerunt, ut tutores, curatores, magistri, heri respectu famulorum, & domini respectu servorum, mariti respectu uxorum, quibus omnibus observantia debetur tamquam superioribus.

a Exod. 20,12.

SECTIO I.

Quid filii debeant parentibus ex vi hujus præcepti?

FIlii tria debent parentibus ex vi hujus præcepti: nimirùm amorem non solùm in affectu; sed etiam re ipsa, & in affectu, obedientiam, & reverentiam, & in his tribus consistit honor, ad quem jus naturæ, & divinum præceptum filios obligat. 361

362 Quoad amorem obligantur filii primò ad amorem [a] internum; unde qui odio habet parentem desiderando ei aliquod notabile malum sive animæ, sive corporis, mortaliter peccat, non solùm contra charitatem omnibus debitam, sed etiam contra pietatem, adeò, ut in confessione sit declaranda ista circumstantia, quia mutat speciem odii. Nec sufficit amor internus, sed hic debet aliquando exterius manifestari. Et ideo qui exterius asperè tractat parentes, eos graviter contristando, mortaliter peccat, maximè si id sæpè faciat, & multo tempore.

a Tolet. l. 5. c. 1. Nav. c. 14. à n. 11.

363 Secundò obligantur, in quantùm possunt, subvenire necessitati spirituali parentum, v. c. suadendo meliorem vitam, si hæc fuerit dissoluta, cum reverentia tamen, & humilitate. Curando ut in periculo mortis Sacramentis muniantur, testamentum condant, mandentque restitui, si quid occultè debent. Hæc autem impedire grave peccatum erit. Post mortem tenentur suffragia, & pia parentum opera in testamento ordinata implere, cùm primùm possunt: ea autem differre absque justa, & gravi causa, peccatum mortale erit.

 364 Ter-

Digitized by Google

f Sot.c.21. a.n.8. Tol.l.1. c.25.

355 Primus, cùm opera servilia f immediatè ordinantur in Dei cultum, nec nisi in die festo fieri possunt, ut pulsare campanas, portare crucem, ornare altaria, vestes sacras extrahere, præparare, & similia, quæ valdè vicina sunt divino cultui, & ex modo suo determinata ad illum. Hæc enim vel non prohibentur in die festo, vel ob necessitatem excusantur. Dixi: *Quæ immediatè ordinantur*. Quia opera remota, ut colere agros Ecclesiæ, ædificare parietes, aut ipsos dealbare, non licet, nisi ex dispensatione, quæ facilè conceditur, quando Ecclesia est pauper. Dixi: *Nec nisi in die festo fieri possunt*. Quia Ecclesiam scopis mundare, ornare parietes, hostias coquere non licet in die festo, cùm fieri possunt ante illum. Secùs quando fieri non potuerunt. Quamvis ista facere, etiam quando antè potuerunt fieri, ex se non sit mortale, sed solùm veniale.

g Sot.c.30. Tol.l.c.25.

356 Secundus est: g Cùm necessitas imminet, quæ præveniri non potuit, vel quia est repentina, vel quia multis diebus durat, vel quia usus & conditio humana aliud non patitur. Unde primum caput hujus excusationis est necessitas propriæ conservationis, aut sustentationis propriæ vitæ, & familiæ. Quia intentio Ecclesiæ non est obligare cum tanto gravamine. Ex hoc capite licet pauperi, qui aliter non potest se, aut familiam alere, laborare in die festo, secretè tamen ratione scandali, ac Missa prius audita. Secundum est necessitas rei propriæ, vel proximi. Ex quo excusantur agricolæ, qui ingruente pluvia laborant, ut segetes tueantur, qui ob venti commoditatem triticum in area ventilant, timentes ne ventus deficiat. Et tanta potest esse necessitas, ut etiam liceat metere, & serere in die festo, vel quia defuit tempus aptum, vel quia timetur tempus non opportunum. In his verò casibus, & publicis actionibus non ita repentinis optimum est consensum saltem Parochi postulare. Licet etiam si domus proximi incendatur, vel seges, laborare, ut ignis extinguatur. Ex quo etiam capite excusantur operarii, quorum opera intermitti non possunt absque damno, ut qui vitrum fundunt, qui navigant, qui coquunt lateres, tegulas, calcem &c. In quo regula esse debet. Quando inchoatum opus non potest intermitti in die festo sine dispendio notabili, potest opus in die festo continuari, secùs quando non est hæc necessitas. Quando verò prædicta necessitas contingat, ad artifices spectat judicare, & illis credendum est. Tertium ad evitandum damnum corporis, ex quo licet tempore belli aggeres necessarios struere, muros reædificare, vel etiam ædificare, vallo oppidum circumdare, & fossis; militareque se defendendo. Quartum, cùm perditur occasio magni lucri, ut in piscatione alecum, tynnorum, sardiniarum, & aliorum piscium, qui nonnisi certis temporibus veniunt, tunc enim licet piscari in diebus festis, ut sect. præcedenti dictum est. Quintum, cùm famuli, & servi coguntur à dominis laborare in die festo, nec possunt non parere sine gravi incommodo, quia vel privarentur stipendio, vel alimento necessario, vel domo ejicerentur privati famulatu cum gravi jactura, quia non sperant aliud commodum invenire. Hoc autem est intelligendum dummodo non cogantur laborare in fidei, vel Religionis contemptum; quia tunc mors potius esset obeunda. Sextum, necessitas corporalis proximi, de qua concl. 2. hoc est, infirmitas, ratione cujus licet omnia opera ad hanc necessaria admovere, sive sint opera assistentium, sive medici, chirurgi, pharmacopolæ, scindentis venam, sive notarii testamentum conficientis, &c.

357 Tertius casus h est bonum Reipub. seu communitatis. Ex quo licet viatoribus publicis iter suum conficere, estò hoc opus foret ex se prohibitum. Item reficere pontes, vias communes, fontes, & alia, quæ sunt publici usus, & utilitatis, quando sine magno incommodo non potest remedium differri. Qua etiam ratione licet laborare in providenda Repub. de necessariis ad victum diei festi quoad eas res, quæ præveniri antea non possunt. Item, qui pro causa publica, honesta, & convenienti Reipub. aliquod opus faciunt, licèt utilitas non sit simpliciter necessaria, sed ad communem Reipub. lætitiam, vel splendorem in occasione moraliter necessaria, ut in publica solemnitate, vel in adventu Regis, aut ortu Principis. Tunc enim laborare solent artifices in festis, ut vestes, vel publica artificia, tabulata, & theatra vel perficiant, vel ornent, h Tol.l.1. c.25.

Digitized by Google

nem, ac similia, quæ ita sunt consuetudine recepta, ut ipsa sufficiat ad excusandum, maximè quando hæc præveniri non potuerunt, quia brevitas temporis id non permisit.

i Tolet.c. 25.

358 Quartus est in bonum, [i] & utilitatem proximi indigentis. Unde si salus, aut vita proximi periclitatur, licet pro illa tuenda, & defendenda laborare in die festo. Unde licet pro egeno laborare, ut sustentetur, dummodo sit in gravi necessitate, aliàs non. Quintus est licentia, seu dispensatio, [l] quam potest dare Papa, Episcopus; & prælati Regulares suis subditis, ad quam requiritur causa justa, non tamen evidens, quia satis est probabilis, aut etiam dubia.

l Soa.c. 13. Tolet. c. 25.

CAPUT VII.

Expositio quarti præcepti Decalogi.

359 HActenus de præceptis primæ tabulæ, quæ ad honorem Dei pertinent; jam de præceptis secundę, quæ ad proximum attinent. Circa quæ notandum est omnia præcepta Decalogi non solùm ordinari ad charitatem Dei, & proximi, sed etiam fundari in justitia, qua reddimus unicuique, quod suum est. Cujus quatuor sunt partes. Prima reddimus Deo, quod suum est, eique debemus, & dicitur Religio, quæ nos inclinat ad exhibendum Deo debitum cultum, & honorem, in qua virtute fundantur præcepta primæ tabulæ, de quibus hucusque. Secunda est, qua parentibus exhibemus, quod eis debemus, & dicitur Pietas. Tertia est, qua superioribus tam spiritualibus, quàm temporalibus impendimus, quod ipsis debemus ratione superioritatis, & dicitur Observantia. Quarta est, qua aliis proximis generaliter reddimus, quæ ipsis debentur; & hæc dicitur propriè justitia, in qua fundantur reliqua sex præcepta. Aliæ verò tres dicuntur partes potentiales justitiæ, quia vel excedunt rigorem justitiæ, vel ad illum non pertingunt.

360 Sicut igitur priora tria præcepta pertinent ad Religionem, ultima sex ad justitiam propriè dictam; hoc quartum pertinet ad pietatem, & observantiam. Licèt enim tradatur sub his terminis. [a] *Honora patrem tuum, & matrem tuam*; quibus pietatem debemus. Sub parentum nomine quatuor personarum ordines intelliguntur, ut omnes advertunt. Primus est, eorum, qui nos secundùm carnem genuerunt, ubi etiam includuntur ascendentes. Secundus eorum, qui spiritualiter gubernant, ut sunt Episcopi, & alii curam animarum habentes. Tertius est gubernantium civiliter, ut reges, domini temporales, & magistratus. Quartus est eorum, qui tamquam patres nostri curam gerunt, ut tutores, curatores, magistri, heri respectu famulorum, & domini respectu servorum, mariti respectu uxorum, quibus omnibus observantia debetur tamquam superioribus.

a Exod. 20, 12.

SECTIO I.

Quid filii debeant parentibus ex vi hujus præcepti?

FIlii tria debent parentibus ex vi hujus præcepti: nimirùm amorem non solùm in affectu; sed etiam re ipsa, & in affectu, obedientiam, & reverentiam, & in his tribus consistit honor, ad quem jus naturæ, & divinum præceptum filios obligat. 361

362 Quoad amorem obligantur filii primò ad amorem [a] internum; unde qui odio habet parentem desiderando ei aliquod notabile malum sive animæ, sive corporis, mortaliter peccat, non solùm contra charitatem omnibus debitam, sed etiam contra pietatem, adeò, ut in confessione sit declaranda ista circumstantia, quia mutat speciem odii. Nec sufficit amor internus, sed hic debet aliquando exterius manifestari. Et ideo qui exterius asperè tractat parentes, eos graviter contristando, mortaliter peccat, maximè si id sæpè faciat, & multo tempore.

a Tolet.l. 5.c.1. Nav.c.14. à n. 11.

363 Secundò obligantur, in quantùm possunt, subvenire necessitati spirituali parentum, v. c. suadendo meliorem vitam, si hæc fuerit dissoluta, cum reverentia tamen, & humilitate. Curando ut in periculo mortis Sacramentis muniantur, testamentum condant, mandentque restitui, si quid occultè debent. Hæc autem impedire grave peccatum erit. Post mortem tenentur suffragia, & pia parentum opera in testamento ordinata implere, cùm primùm possunt: ea autem differre absque justa, & gravi causa, peccatum mortale erit.

364 Tertiò obligantur corporalibus parentum necessitatibus subvenire, in quantùm possunt, visitando in infirmitatibus: attendendo ad id, quod deest, quantùm præstare possunt: adhibendo operam, ut liberentur, si in carcere detineantur: curando, ut redimantur, si sint in captivitate, suppeditando pretium, si habeant. Si sint mentecapti, cæci, vel aliunde inutiles præ senectute, procurando ut eis debitè provideatur; & si ipsi non habeant, providendo ex propriis, quoad possunt. Et generaliter [b] si sint in paupertate, aut alia necessitate non solùm extrema, aut gravi, sed etiam ordinaria, subveniendo, quantum possunt. In extrema autem, aut gravi filius potens juvare parentes, ipsos deserens etiam ingrediendo Religionem, mortaliter peccat, nec licet intrare, quamvis votum habeat, dum necessitas durat. Si filius jam sit professus, tenetur exire in extrema necessitate, si aliunde non succurratur. In gravi, non nisi quando pater jam erat in illa, cùm filius Religionem intravit; tunc enim tenetur egredi, quia injustè intravit. In utraque tamen licet exire petita prius facultate. Denique in extrema filiorum, & parentum, filius non valens utrisque subvenire, tenetur potius parentibus, quàm filiis, ut dictum est cap. 3. sect. 2.

b Tolet. c. 1. Nav. c. 14. n. 13. & 14. Sanch. 4. decal. c. 2.

365 Quoad obedientiam nota primò, non teneri filios obedire parentibus in rebus illicitis, quæ cum peccato fiunt, quia tenentur magis obedire Deo talia prohibenti. Nota secundò, non teneri obedire, quando sunt extra patris potestatem. Nota tertiò, etiam quando sunt sub patria potestate, non teneri obedire in iis, in quibus non subjiciuntur patri. Unde possunt liberè disponere contra patris voluntatem de peculio castrensi, vel quasi castrensi, nisi pater esset in necessitate, in qua filius ei deberet subvenire. Nota quartò, non teneri obedire patri quoad electionem status, quia hujus electio libera esse debet. Unde potest Religionem ingredi dissentiente patre, nisi pater opera filii indigeat, juxta proximè dicta. Potest similiter fieri Sacerdos, aut uxorem ducere, estò pater contradicat, dummodò dignam ducat. Nota quintò, loqui nos de obedientia debita patri, quia hæc non ita matri debetur, quia non habet patriam potestatem, nisi post obitum patris constituatur curatrix filiorum, semper tamen erit contra reverentiam matri debitam, ipsam non audire justa, & pia filio consulentem, & monentem.

366 Igitur filii, qui sunt sub patria potestate, in duobus tenentur obedire patri. Primò in his, quæ ad domus gubernationem pertinent, in quibus non obedire, cùm res est gravis, peccatum mortale est. Obligat enim præceptum paternum sub mortali filios æquè, ac subditos præceptum superioris, ut lex humana. Secundò in iis, quæ pertinent ad bonos mores. Unde non acquiescere patri conanti arcere filium à peccato mortali, aut illius occasionibus, v. c. à ludis prohibitis, à meretricibus, à noxiis contuberniis, & similibus, peccatum mortale est; quia facit contra obedientiam ei debitam. Addo. Licèt filius non teneatur obedire patri in electione status, si tamen velit uxorem ducere, peccabit id faciendo contra voluntatem patris. Primò, si nolente patre, cum familiæ ignominia indignam ducat. Secundò, licèt absolutè non peccet, si contra voluntatem patris uxorem dignam ducat; peccabit tamen, si patris & familiæ valde intersit, ut talem ducat, quam vult pater, ut si ex tali matrimonio penderet compositio inimicitiarum, aut aliud negotium magni momenti multum conducens ad bonum familiæ. Tertiò, si pater ante annos pubertatis desponsavit filio sponsam, & filius aliam ducat; licèt, si filius justam causam habeat, possit desponsatam rejicere.

367 Quoad reverentiam [c] peccat filius mortaliter, si vel leviter percutiat parentes, quando id non facit legitimè defendendo Rempub. Principem, aut se ipsum ab interitu. Peccat maledicendo, aut injuriosè minando, aut verba proferendo, quæ ex se sunt provocativa ad magnam iram. Peccat mortaliter opprobrium, & convitium objiciendo, vel contumeliam inferendo, detrahendo, aut contemnendo, vel non agnoscendo ut parentes, quia videlicet filius ad meliorem statum pervenit, præsertim si parentes ægrè ferant talem contemptum. Excusant aliqui à mortali, si filio, ex eo quòd parentes agnosceret, obveniret notabile damnum vel in vita, vel in honore, vel in bonis, dummodò in animo recognoscat, & sub-

c Tolet. c. 1. Nav. c. 14. n. 12.

& subveniat in necessariis. Similiter peccat filius mortaliter accusando criminaliter patrem, nec auditur extra crimen proditionis, aut hæresis. Licet tamen filio coram judice petere alimenta, quando injustè ei negantur à patre, imò permittitur lis forensis inter Patrem, & filium.

SECTIO II.

Quid parentes debeant filiis, uxor viro, & vir uxori, & frater fratribus ex vi hujus præcepti?

368 AD tria tenentur parentes filiis. Primò, ad subveniendum in temporalibus, [a] quæ eis negare non possunt. Unde peccant mortaliter non alendo filios, quoad possunt, & non subveniendo in aliis necessitatibus corporis. Et ideo peccatum mortale est filios parvulos exponere in nosocomiis, & templis, extra casum necessitatis: est enim obligatio alendi filios adeò naturæ consona, ut etiam à bestiis servetur. Hæc obligatio alendi filios, etiam spurios comprehendit, quos mater alere tenetur primo triennio, pater verò reliquo tempore. Si tamen alter parentum est impotens, tenetur is, qui potest: sive sit pater, sive mater, idque quovis tempore. Quare licèt adultera excusetur exponendo filium spurium, quem alere non potest pro suo triennio sine suspicione, ac periculo vitæ, aut famæ, tenetur tamen ad solvendas expensas hospitali, quantùm potest: si verò omninò non possit, ad id tenetur pater. Possunt tamen parentes aliquando negare alimenta filio, primò ad tempus in pœnam gravis peccati, dummodo non inde filius incurrat grave detrimentum. Secundò, si filius habeat patrimonium, aut artem, ex qua sine decore vivere posset. Tertiò, quando concurrunt causæ, quæ secundùm leges permittunt exhęredationem, quas recenset glossa in cap. Quintavallis de jurejurando. Istæ enim causæ permittunt etiam negationem alimentorum.

[a] Silv. verb. alimenta q.1 Tolet.c.1. fine. Nav c.14. à n.18.

369 Tenentur secundò, subvenire filiis in rebus spiritualibus, dando operam, ut abstineant à vitiis, ut bonos mores imbibant, ut doctrinam Christianam discant, ut servent præcepta Dei, & Ecclesiæ, ne sint sibi inobedientes, superbi, otiosi, &c. Tenentur tertiò, filios non retrahere à bono statu. Unde peccat mortaliter, qui filium à Religione extrahit sine justa causa, qui sine eadem impedit volentes intrare, qui impedit à confessione, à sacra concione, & similibus. Tenentur similiter non cogere ad statum, quem filii respuunt. Unde parentes, qui invitos filios, aut filias matrimonio jungunt, peccant mortaliter, sicut qui eos invitos ad monasteria trahunt, ibique profiteri compellunt. Contra impellentes fœminas ad monasteria est excommunicatio in [b] Trident.

[b] Sess.25. c. 18. de regular.

370 Quoad conjuges, tenentur in genere non tantùm se mutuò diligere, sed etiam honorare, & tolerare defectus. Uxor specialiter tenetur [c] primò obedire marito in iis, quæ ad bonos mores, & domus gubernationem spectant; quia vir est caput, cujus est utrumque dirigere. Unde mortale est velle uxorem, viro spreto, domum gubernare, aut illi esse notabiliter inobedientem in iis, quæ ad regimen domus, & familiæ, aut bonos mores pertinent. Et similiter si cognoscat ex sua ira, & rixa virum in blasphemias, aut aliam mortalem culpam provocari, tenetur se reprimere, quantùm potest, & non dare similes occasiones, aliter mortale esset velle sic perseverare. Tenetur secundò, sequi virum mutantem domicilium ad cohabitandum cum eo. Licèt ex quatuor causis possit sine peccato illum non sequi. Prima, si vir vagabundus est, & talis non erat, quando ei nupsit: nam si jam vagabundus erat, tenetur illum sequi. Secunda, si in matrimonii contractu intercessit pactum non mutandi locum. Si tamen nova necessitas cogeret virum ad loci mutationem, teneretur uxor illum sequi, quia pactum illud tacitam habuit conditionem, nisi justa necessitas ad aliud cogeret. Tertia, si ex tali mutatione illi immineret vitæ discrimen, saltem probabile. Quarta, si aliquod inde immineret periculum peccati mortalis. Nota [d] verò uxorem, quæ culpa sua à viro recedit, privandam esse alimentis. Si tamen recedat ob culpam, & sævitiam viri, danda illi esse alimenta. Si utrinque fuit culpa, & uxor recedens parata sit cum

[c] Nav. n. 19 & 20. Tol c.c.1.

[d] Sanch. 9. de matr. d.4. q.2. & d. 5.

justa cautione redire, debentur ei exinde alimenta.

371 De marito dicendum est primò, teneri uxorem graviter non percutere: nam levis percussio non erit peccatum mortale, cùm enim sit inferior viro, potest ob culpam ab eo castigari. At extra modum percutere non habita ratione personæ, quæ serva non est, sed socia, mortale est. Secundò, teneri non afficere injuria animo injuriandi, quamvis enim aliquando liceat verbum injuriosum proferre ob correctionem, illud tamen proferre animo injuriandi peccatum est juxta quantitatem injuriæ. Tertiò, teneri attendere ad domus gubernationem, quantùm ad rem, & mores. Unde si bonorum dissipator sit, nec velit laborare, cùm labor illius necessarius sit pro uxore, & familia sustentanda, graviter peccabit. Similiter, si permittat uxori peccare, nec ipsam corrigat, ut potest, & debet. Tenetur quartò, habitare cum uxore. Nolle enim habitare multo tempore absque causa, peccatum mortale est. Dicitur *Absque causa*. Quia aliquando datur causa legitima non cohabitandi ad tempus, verbi causa, cùm aliquot negotia in domus utilitatem tractat, vel cùm ad tempus exulat in servitium principis, & Reipub. vel ob inimicitias, quas sperat breviter componendas. Dicitur *ad tempus*. Quia cùm spes reditus ablata est; si potest, tenetur uxorem extrahere ab illo loco, ut secum cohabitet, maximè si illa consentiat. Tenetur quintò, non impedire uxorem ab impletione præceptorum Dei, & Ecclesiæ. Unde eam impedire absque justa causa, quæ à præceptis humanis aliquando excusare potest, peccatum est mortale. Ab iis verò operibus piis, quæ ex devotione fiunt, ut est audire Missam in diebus profestis, confiteri frequenter &c. Non erit mortale impedire, erit tamen veniale, si absque causa rationabili fiat, quando devotiones sunt moderatæ. Erit verò mortale, si uxori multùm conveniat confessio, idque viro constet, qui uxori in hac parte credere debet.

c Azor. 2. p. lib. 2. c. ult. 372 Quoad fratres. Præter [c] amorem fraternum, & mutuam benevolentiam, quam sibi invicem debent, tenetur frater fratri, vel sorori ad extremam, seu gravem egestatem adductis alimenta præstare, quia etiam extraneis pari necessitate oppressis charitatis, seu misericordiæ lege subvenire debemus, ut cap. 3. sect. 3. dictum est. Unde ulterius fratri bona non habenti, ex quibus convenienter vivat, frater alimenta debet, quibus honestè, ut par est, sustentetur, ad idque frater indigens implorare potest officium judicis. Ex quo fit, ut frater sorori indigenti dotem præstare debeat, quia dos loco alimentorum succedit. Similiter frater habens debet fratri indigenti alimenta, quibus commodè sustentetur, & impensas faciat in iis artibus addiscendis, quæ ad ipsius statum, & conditionem pertinent. De quo vide Azorium, qui varias quæstiones resolvit circa hanc obligationem de fratribus solùm uterinis, aut ex solo patre, de fratribus spuriis, & de fratribus beneficiariis quoad redditus beneficiorum, utrùm ex his teneantur fratres indigentes alere, dotare &c.

SECTIO III.

Quid debeant subditi superioribus spiritualibus ex vi hujus præcepti?

Post parentes, aliosque sanguine junctos, primo loco sunt Episcopi, quos ut parentes, pastores, ac Apostolorum successores agnoscere, & revereri oportet, eorumque jura ad utilitatem Ecclesiæ tueri. Nomine verò *Episcoporum* veniunt quilibet alii prælati Ecclesiastici, qui nos gubernant, imò & suo modo Parochus, & alii viri ecclesiastici: quos tamquam parentes colere debemus. Igitur sicut virtus pietatis inclinat ad honorem parentibus exhibendum, quia post Deum, sunt authores vitæ, & educationis nostræ. Ita [a] virtus observantiæ inclinat ad honorem, & reverentiam exhibendam prædictis superioribus; quia sunt authores nostræ directionis, & gubernationis. Qui enim nos aliqua ratione gubernat, dignus est honore, & reverentia, quæ à subditis debetur ratione suæ eminentiæ conjunctæ cum beneficio gubernandi. Docet autem D. Tho. [b] hanc observantiam deberi primariò iis, qui nos actu gubernant; secundariò illis, qui apti sunt nos gubernare. Unde etiam debemus honorem personis excellentibus, quæ virtute, sapientia, & authoritate sunt insignes, quamvis 373

a Less. l. 2. c. 45. dub. 2.

b 2. 2. q. 102. a. 2.

vis

vis actu nullam in nos jurisdictionem exerceant: quamvis debitum circa has personas non sit tantum, quantum erga illas, quæ actu gubernant, quibus præter honorem, & reverentiam, obedientiam debemus. Quare primus gradus observantiæ, sicut & pietatis, est propositum, quo statuimus majoribus honorem, & obsequium debitum impendere. Secundus est æquo animo ferre eorum molestias, asperitatem, imò & injurias, quin propterea ab officio debitæ subjectionis desistamus, juxta monitum Sapientis: [c] *Fili, suscipe senectam Patris tui, & non contristes eum in vita illius: & si defecerit sensu, veniam da, & ne spernas illum in virtute tua.* Quod etiam de superioribus maximè spiritualibus intellige.

c Eccl. 3. 14

374 Hæc observantia religiosa [d] est, quia ob dignitatem cum Religione conjunctam, vel Deum respicientem, reverentiam, ac honorem exhibet, non quia ejus actus procedat à virtute Religionis, sed quia ipsi affinis, & conjunctus est. Est etiam supernaturalis, quia ob ministerium supernaturale, & supernaturalem excellentiam, honorem defert Episcopis, Sacerdotibus, aliisque prælatis, & ministris Ecclesiæ, si eorum dignitas apprehendatur, & æstimetur, prout oportet. Cùm enim hæc politica non sit, sed ad Deum ut authorem gratiæ ordinem habeat, opus est, ut æstimatio interna, affectus reverentiæ, animique submissio sit alterius rationis, quàm in cultu politico, & consequenter externus quoque cultus, quo nostram submissionem, & illorum excellentiam testamur, induat alterius virtutis rationem, quia signum accipit speciem ex ordine ad rem significatam.

d Less. dub. 3.

375 Præter prædictum honorem, & reverentiam debemus etiam prælatis obedientiam, [e] qua faciamus, quidquid ab ipsis nobis præcipitur; ad hoc enim volendum, & faciendum obedientia per se, & directè inclinat, posito namque præcepto incipit esse debita res, quæ præcipitur, non quidem quasi in commodum, aut honorem superioris, nam plerumque in præcepto commodum inferioris spectatur; sed quia ratione præcepti ita sit necessaria, ut sine aliquo contemptu saltem interpretativo authoritatis superioris non possit ejus executio prætermitti. Unde quia subditi tenentur vitare illum superioris contemptum, tenentur non omittere, sed exequi præceptum. Et hoc debitum est ratio formalis obedientiæ, quæ vel est formalis, quando nempe subditus aliquid expresse facit, quia à superiore præceptum est, & hæc est specialis virtus, quia licèt se extendat ad materias omnium virtutum, sub speciali tamen ratione honesti operatur, nempe quatenus res debita est ratione præcepti. Hanc autem specialem non debet subditus, quia satis est obedientia materialis, qua fit id, quod præcipitur, ex quocumque honesto motivo fiat, quæ obedientia omnes virtutes complecti potest, quia potest res præcepta fieri ex motivis omnium virtutum.

e Less. dub. 4.

376 Ex quibus sequitur primò peccare subditos [f] contra hoc præceptum, quando notabiliter contemnunt superiores, vel illis honorem debitum denegant, estò alioqui dyscoli, & protervi sint, juxta illud Christi: [g] *Qui vos spernit, me spernit.* Secundò, peccare, qui superiores contumelia afficiunt, aut qualibet inhonoratione. Tertiò, qui justas superiorum leges, & præcepta non observant, quod peccatum erit secundùm gravitatem, vel levitatem materiæ præceptæ, nisi fortè violentur ex inobedientia formali, quia nimirum præcipitur, quia tunc erit peccatum [h] mortale, estò lex, aut præceptum ex se leviter obligaret; nam talis violatio non stat sine gravi contemptu superioris, & potestatis ejus, quod semper est mortale.

f H. c. 14. 112.

g Luc. 10. 17.

h Less. dub. 5. Soa 3. de Leg. c. ad.

377 Ex obedientia debita prælatis tenentur subditi ad denuntiandum, quę ab ipsis mandantur denuntiari; solent enim jubere sub excommunicatione, ut revelentur scripturæ, res deperditæ, aut furto ablatæ, juxta Trident. [i] & aliquando crimina nociva Reipub. quod frequenter faciunt Inquisitores in suis editalibus circa hæreticos, aut suspectos de hæresi, & similes. Dupliciter autem contingere potest, quòd prælatus sub excommunicatione præcipiat aliquid fieri. Primò, si ante tale præceptum jam subditus tenebatur sub mortali ad faciendum id, quod præcipitur, ut si præcipiatur restitui res, aut scriptura furto sublata, aut injustè detenta, quam qui detinet, tenebatur alioqui sub mortali restituere. Secundò,

i Sess. 24. c. 4. de ref.

 si id,

Digitized by Google

si id, quod præcipitur, solùm obliget sub mortali, posito præcepto, quia scilicet judicio prudentis Prælati res talis existimatur, ut possit cadere sub præcepto, estò ante præceptum non fuerit talis, aut non cognosceretur ut talis. Et in utroque casu tenentur subditi regulariter obedire. Ut autem sciatur in quibus casibus aliquis excusari possit, dicam primò de denuntiatione scripturæ, aut rei ablatæ, vel detentæ. Secundò, de denuntiatione criminis, quod ad fidem non pertinet. Tertiò de denuntiatione criminis contra fidem.

l Soar. d. 30 de cens. s. 3. Avil. 2. p. c. 5. d. 4.

378 Igitur in primo casu [l] excusat primò ignorantia præcepti. Si tamen postea de illo scias, teneris denuntiare intra tot dies, quot fuerunt assignati, qui incipiunt à puncto habitæ notitiæ. Secundò excusat impotentia non solùm physica, sed & moralis. Unde si non potes restituere rem alienam, non incurris excommunicationem. Et si scias furem esse in eadem impotentia, non teneris illum denuntiare. Tertiò, si præceptum supponit peccatum mortale ante commissum, qui illud non commisit, non tenetur obedire. Unde si res aliena accepta fuit per occultam compensationem, quando hæc licet, non teneris restituere, nec denuntiare alium, quia hìc non fuit peccatum, nec furtum, quod supponitur. Quartò excusantur ii, quos pars, ad cujus instantiam lata fuit excommunicatio, intendit excipere sive expressè, sive tacitè, ut sunt filii, & uxor. Quintò, si res, quæ jubetur denuntiari, sit nota sub secreto naturali, vel per secretam consultationem, aut tibi commissa ratione officii, quia es advocatus, procurator &c. Sextò, excusatur, qui per verba monitorii prudentis judicio eximitur, ut si jubeat tradere, vel manifestare scripturam, non teneris tradere transumptum, nec revelare, qui illum habeat; quia verba id non significant. Septimò excusatur, qui jubetur propria instrumenta, quæ apud se habet, & tamquam sua legitimè possidet, in favorem sui adversarii prodere, absque alia speciali causa. Octavò excusatur ille, cui præcipitur exhibere proprium instrumentum in alterius commodum, si id facere non possit sine magno detrimento vitæ, famæ, vel aliorum bonorum, excepto casu publicæ necessitatis boni communis.

m Soa. sup. Avil. sup.

379 In secundo casu [m] excusatur, qui præcipitur revelare rem omninò occultam, quæ cedit in infamiam, vel grave damnum alterius, contra quem nec semiplena probatio, nec publicus rumor, aut infamia præcessit. Secundò, qui jubetur denuntiare proximum etiam ante premissam correctionem fraternam, quando nec deest spes emendæ per illam viam, neque agitur de damno alterius, aut publico periculo vitando. Tertiò, qui præcipitur denuntiare delinquentem, etiam si emendatus sit, & in futurum non timeatur periculum, nec damnum commune, aut alterius personæ. In his enim casibus præceptum est injustum, & excedens potestatem humanam, nec prælati in illis obligare intendunt. Quartò, excusatur, qui crimen probare non potest, tunc enim nec tenetur, nec debet denuntiare, quia esset potius infamare, quàm denuntiare. Quintò, excusatur, si crimen est occultum, & jam emendatum per secretam correctionem, aut modo alio. Si tamen crimen fuit publicum, estò emendatum sit, debet denuntiari ad publicam satisfactionem. Sextò, excusatur, quando crimen est occultum, & per secretam correctionem speratur emendatio. Septimò, excusatur, si persona denuntianda est valdè conjuncta, nisi crimen esset proditionis patriæ, aut principis. Octavò, excusatur, qui sine periculo vitæ, aut alterius damni gravis sui, aut suorum denuntiare non potest. Nonò, non tenetur reus se ipsum denuntiare, nisi quando legitimè interrogatur à judice ut reus. Decimò, non tenetur socius criminis denuntiare socios, sicut nec se ipsum, nisi cùm legitimè interrogatur ut reus.

n Soa. d. 20 de fide s. 4.

380 In tertio [n] casu circa denuntiationes faciendas Inquisitoribus in causis fidei, solùm excusatur ipse criminosus, qui nec tenetur se revelare, nec socios criminis, nisi quando legitimè interrogatur ut reus. Potest etiam excusari, qui ex denuntiatione sibi timet periculum vitæ, aut gravis damni sui, aut suorum. Extra hos casus omnes tenentur denuntiare intra tempus præfixum, & ni faciant, incidunt in excommunicationem, à qua non possunt absolvi, nisi revelent. Si autem per ignorantiam, vel impotentiam non reve-

vela-

Digitized by Google

velaverint, tenentur denuntiare, sublata ignorantia, aut impotentia, ut suprà dictum est. Nemo excusatur ex eo, quòd non possit probare, quia de crimine solus unus scit; quia juxta praxim inquisitionis denuntiator adhibetur ut testis, & probare non tenetur. In hoc tamen casu non desunt, qui excusent, sed oppositum est tenendum. Similiter licèt aliqui doceant, quando hæresis est secreta, præmittendam correctionem secretam, & si sit spes emendæ, excusari quemlibet à denuntiando, & à fortiori si delinquens sit emendatus: oppositum est omninò tenendum, quia denuntiatio non respicit tantùm correctionem, sed etiam punitionem ad exemplum aliorum; & quia vix potest sperari emendatio per correctionem secretam, quæ sæpè in ea materia magis potest obesse, quàm prodesse.

381 Saltem posset illa sententia sustineri circa illum, qui incideret in errorem per ignorantiam sine pertinacia, quæ dicitur hæresis materialis, tunc enim si delinquens secretò monitus emendetur, non erit necessaria denuntiatio, quia in re non fuit hæresis. Aliter dicendum de hæresi formali, estò delinquens credatur emendatus, quia adhuc manet finis denuntiationis judicialis, nempe punitio ad exemplum. Et quia facilè timeri potest, quòd emendatio sit ficta, & simulata ad fugiendas pœnas. Similiter nemo excusatur ob aliquam conjunctionem cum delinquente, sive sit frater, sive filius, sive uxor. Quamvis non desint, qui filios velint excusare. Neque excusat aliquod secretum naturale etiam juramento firmatum, excepto secreto confessionis sacramentalis. De quo vide præceptum Dei Deut. 13. à numero 6.

SECTIO IV.

Quid prælati debeant subditis ex vi hujus præcepti?

382 PRælatus [a] debet primò subditis vitæ exemplum, quæ sit irreprehensibilis, ut monet Apostolus, [b] ita ut nullum peccatum saltem publicum committat, quod subditis scandalo esse possit. Nec satis est non peccare, sed debet subditis esse exemplar virtutis, est enim lux, [c] quæ sic splendere debet, ut subditi videant opera ejus bona, & Deum glorificent, ac ad imitationem accendantur. Sed de hoc latè dictum est toto lib. 6.

a Tolet. l. 5. c. 4.
b 1. Tim. 3. 2.
c Matth. 5. 16.

383 Debet secundò, in propria Ecclesia residere, ut declarat Concilium Trident. [d] De hac verò obligatione nihil hìc dicendum occurrit, quod dictum non sit lib. 3. agendo de simili obligatione Parochi, quæ Episcopo communis est, ut ibi tradit Concilium. Unde omnia ibi dicta de Parocho, de Episcopo, aliisque prælatis dicta accipiantur, est enim eadem de illis Concilii dispositio. Debet tertiò, mores sui populi diligenter considerare, vigilando supra populum, animadvertendo in peccata publica, maximè clericorum, & majori cum diligentia Parochorum, nam videre, & permittere gravissimum peccatum prælati est. Nec excusatur si illa nesciat, nisi omnem ad hoc adhibuerit diligentiam, & inquisitionem, quia ad ejus officium hoc maximè pertinet.

d Sess. 23. c. 1. de ref.

384 Debet quartò, bonos ministros constituere tam pro foro interiori, id est, bonos Parochos, à quorum bonitate, prudentia, & doctrina maximè dependet subditorum puritas, & diœcesis splendor, quàm pro foro exteriori, ut vicarios, visitatores, & similes. In hoc autem deficere ex negligentia crassa, aut ex malitia, mortale peccatum est, & gravissimum: per hos enim ministros conscientiam suam exonerat. Debet quintò, non conferre ordines, nisi dignis. Unde admittere ignorantes, aut homines malè moratos ad sacros ordines, nullamque in hoc, vel modicam diligentiam adhibere, peccatum mortale est. Debet sextò, conferre beneficia dignis, iisque, qui possint beneficiis inservire. Debet autem majorem idoneitatem quærere pro curatis, quàm pro simplicibus. Unde si, relicto digno, conferat indigno, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem faciendam Ecclesiæ, cujus est beneficium, secundùm omnes. Non solùm autem debet beneficium conferre digno, sed digniori. Unde si relinquat apertè digniorem in notabili excessu, mortaliter peccat. Quod intellige de curato, & de omnibus, quæ conferuntur per concursum, & oppositio-

Digitized by Google

fitionem: major verò dignitas ex multis coalescit.

385 Debet septimò, verbum Dei per se ipsum prædicare, ut dictum est de Parocho lib. 5. Est enim hoc munus proprium Episcopi, ut docet Trident. [e] Et ideo illud per se exercere debet, nisi legitimè impediatur. Si autem impediatur, debet providere viros doctos, probatos, ac sanæ doctrinæ, qui id faciant. Mirum autem est, quòd Episcopus perpetuò impediatur, & quòd rarò, vel nunquam illum videamus pabulum cœlestis doctrinæ ovibus suis per se ipsum præbere. Consideret hoc esse præcipuum munus officii sui, & saltem ad ædificationem, & consolationem populi, illo aliquando utatur: debet etiam attendere ne doctrina minus sana seminetur; eosque qui illam seminarent, à prædicationis officio removere, quamvis sint Regulares; qui in hac parte ei subduntur, quamvis aliàs exempti. Debet octavò, aliqua alia per se ipsum exercere, nempe ordines [f] conferre, & si non possit, debet suos prius probatos, & examinatos mittere ad alium Episcopum. Item sacramentum Confirmationis ministrare, cùm hoc à solo Episcopo ministretur, singulis item annis debet chrisma conficere, oleumque pro infirmis inungendis consecrare.

e Sess. 5. c. 2. de ref.

f Trid. Sess. 23. c. 1. de ref.

386 Debet nonò, singulis annis visitare [g] suam diœcesim, si non totam, saltem majorem partem, ita ut biennio totam visitet. Si autem justè fuerit impeditus, id faciat per probos, & zelosos vicarios. Debet tamen curare, ut id faciat per se, ut agnoscat oves suas, & ab eis agnoscatur, ut rectam, & orthodoxam doctrinam inducat, aut saltem tueatur, ut bonos mores plantet, pravos corrigat; populos exhortationibus, & admonitionibus ad religionem, pacem, ac innocentiam, ad morum probitatem, omnemque honestatem accendat. Debet decimò, habere curam specialem pauperum, & miserabilium personarum, maximè verò earum, quæ nobiles sunt, & in egestatem devenerunt. Memineritque subtractis iis, quæ ad decentem victum, & vestitum, ac domus congruum ornatum, & familiæ sustentationem pertinent, & iis, quæ causa pietatis potest in consanguineos indigentes, & famulos distribuere, teneri residuum dare pauperibus sub mortali, in quo omnes conveniunt. Quod, ut alacrius præstet, attendat ad decretum Trident. [h] *Exemplo patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm jubet, ut Episcopi modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint, verùm etiam in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.* Ubi etiam declarat non posse ex bonis Ecclesiasticis consanguineos ditare, quamvis possit, si pauperes sint, eis mediocriter providere tamquam pauperibus, ad quos bona Episcopi pertinent, eisque debentur.

g Trid. Sess. 24. c. 3. de ref.

h Sess. 25. c. 1. de ref.

387 Debet undecimò, oves suas non deserere in periculis tam animæ, quàm corporis. Unde si hæretica cum potentia ingrederentur ad fideles pervertendos, teneretur se opponere, cum periculo etiam vitæ: tunc autem recedere, non esset pastoris, [i] *qui animam dat pro ovibus suis*, sed mercenarii, *qui videns lupum venientem fugit, & dimittit oves*. Similiter tempore pestis, aut alterius mali contagiosi, tenetur providere de medicis spiritualibus, ne fideles sine sacramentis moriantur, & urgere magistratus, ut provideant de temporalibus, quando ipse omnes miserias indigentium levare non posset, ut re vera non potest quoad omnia temporalia, nisi adjuvetur. Debet denique non solùm laborare, ut vitia extirpentur, ut discordes in concordiam, & pacem redigantur, sed curare, ut ultimæ Defunctorum voluntates impleantur, & scire an sint testamenta impleta, & si invenerit, quòd impleta non sint, facere ut impleantur quamprimùm. Multa alia sunt, ad quæ Episcopus tenetur, quæ prosequi non sunt nostri instituti, solùm enim assignavimus obligationes principaliores, ad quas ex vi hujus quarti præcepti teneri possunt. Unum advertendum. Si Episcopus, vel quilibet alius prælatus videat se non posse munus suum implere, sed peccare non implendo, teneri relinquere officium, ut jus Canonicum [l] decernit, & naturale persuadet.

i Ioan. 10. 11.

l Cap. nisi cum pridem de renunt.

388 Quoad Parochum. Sicut tamquam patri spirituali debetur honor, & reverentia juxta doctrinam sect. 3.

& suo

Digitized by Google

& suo modo obedientia juxta illud : [m] *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*. Quod etiam de Parocho intelligi debet. Quamvis enim careat jurisdictione fori externi; illam habet pro foro interno, pro quo potest præcipere, quod ad salutem animæ expediens judicaverit, & sic præcepta exequi tenebuntur plebani; tamquam præcepta, seu monita salutis. Parochus [n] debet populo suo non pauca. Primò, residentiam juxta dicta lib. 3. Secundò, sacrificium Missæ secundùm doctrinam lib. 4. Tertiò, Sacramenta non solùm quando petuntur tempore obligationis, sed etiam quando ex devotione postulantur. Quartò, doctrinam Christianam, ut dictum est lib. 2. cap. 5. & lib. 7. Quintò, prædicationem verbi Dei, ut declaratum est lib. 5. Sextò, debet præesse exemplo vitæ, ut diximus lib. 6. Tenetur ulterius infirmos visitare, curam habere pauperum, corrigere publica peccata, deferendo ad Episcopum, si per se extirpare non valeat; pauperes gratis sepelire, & alia, de quibus in sequentibus dicendum erit.

m Heb. 13. 17.

n Tolet. l. 5. c. 5.

SECTIO V.

Quid debeamus iis, qui civiliter, & politicè gubernant, & quid nobis ipsi debeant ex vi hujus præcepti?

389 Sicut datur observantia religiosa, & supernaturalis, qua colimus, & reveremur personas ecclesiasticas, maximè quæ nos gubernant in ordine ad finem spiritualem, & supernaturalem, de qua sect. 3. dictum est. Ita datur observantia [a] politica ordinis naturalis, qua ob dignitatem politicam, & excellentiam humanam cultum, & honorem deferimus iis, qui nos temporaliter gubernant, vel gubernare possunt, quales sunt reges, principes, eorumque magistratus, & aliæ personæ dignitate, ac excellentia sæculari conspicuæ. Item domini heri, tutores, curatores, magistri & similes.

a Less. c. 46. dub. 3.

390 Igitur regibus, & aliis principibus temporalibus, qui nos gubernant, eorumque magistratibus debemus ex hac observantia honorem, reverentiam, submissionem, & obedientiam in iis, quæ justè præcipiunt, ut admonet S. Petrus: [b] *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei*. Et infrà: *Regem honorificate*. Quod latiùs prosequitur Paulus: [c] *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

b 1. Pet. 2. 13.

c Rom. 13. 1.

391 Ipsi verò debent subditis justitiam. Tenentur enim eos in justitia gubernare. Unde non debent abuti potestate sua, gravando nimis oneribus, contributionibus, & tributis. Tenentur conservare in pace, defendere ab injuriis, adhibere idoneos ministros pro tribunalibus, & regimine civitatum; prudentes consiliarios, qui cum prudentia deliberent de rebus communibus, castigare publica subditorum flagitia, præsertim Reipub. & religioni nociva, ut cæteri in officio contineantur. Præmiare benemerentes de Repub. non tribuere officia indignis, nec eos nominare ad officia ecclesiastica, præsertim ad Episcopatus; non facere bellum injustum; non dare impunitatem iis, qui ad mortem damnari debent. Potest tamen supremus princeps hanc impunitatem aliquando dare, maximè si reus valde utilis Reipub. judicetur, satisfacta tamen parte læsa. Et generaliter invigilare debet super ministros, ut justitiam administrent, ut pauperes, viduas, & orphanos tueantur contra potentes, qui opprimere, & vexare satagunt.

392 Servi, seu mancipia debent dominis suis honorem, reverentiam, subjectionem, ac timorem juxta illud Petri: [d] *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*. Debent etiam obedientiam in iis, quæ justè præcipiunt in ordine ad debitum obsequium, ac servitutem, & bonam familiæ administrationem, ac in ordine ad bonos mores.

d 1. Pet. 2. 18.

393 Domini verò debent servis specialem curam circa vitam benè instituendam, juxta illud Pauli Apostoli: [e] *Si quis servorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*. Unde graviter peccant, qui notabiliter negligunt ea, quæ per-

e 1. Tim. 5. 8.

pertinent ad servorum conscientiam, non curando, ut christianè vivant, ut Dei, & Ecclesiæ præcepta observent, ut confiteantur, communicent, & Missam audiant temporibus debitis. Qui notabiliter negligunt nosse peccata publica servorum, ut corrigant. Qui prohibent uxores ducere, maximè scientes in concubinatu vivere, ut habetur in jure Canonico. [f] Debent præterea curare, ut accipiant Sacramentum Confirmationis, ut graviter ægrotantes non priventur debitis Sacramentis; ut ignorantes res fidei instruantur; non tractare eos nimis asperè, & rigidè factis, aut verbis contumeliosis, non negare necessaria ad vitam maximè in ægritudine.

f Tit. de conjug. serv.

394 Idem ferè est de famulis liberis ab hero conductis. Hi enim debent hero suo obsequium, fidelitatem, honorem, & reverentiam, & simul obedientiam in rebus, quæ sunt muneris sui, vel quæ ad bonos mores pertinent. Herus verò famulis debet ea ferè omnia, quæ dominus servis, juxta proximè dicta, excepto [g] quòd non tenetur ad expensas ægritudinis, maximè quando hæc est longa. Si enim esset brevis, charitas oppositum postularet. Unde potest famulum mittere ad hospitalia, vel si habet, unde expensas solvat, cogere ut solvat. Potest præterea famulo, qui ægrotavit, subtrahere pro rata temporis mercedem constitutam; nisi aliter fuisset in pacto circa hæc omnia conventum: tunc enim pacto standum erit.

g Azor. 2. p. l. 2. c. 39.

395 De pupillis, & minoribus similiter, etiam dicendum est debere tutoribus, & curatoribus honorem, & reverentiam, quia curam illorum habent loco patrum Defunctorum, & consequenter proportionatam subjectionem, & obedientiam in ordine ad vitæ ipsorum institutionem, ac bonos mores imbibendos: porrò tutor est, qui datur ad curam habendam de minori impuberi usque ad 14. annum in masculis, & usque ad 12. in fœminis, postea usque ad 25. annum dicitur curator.

396 Tutores verò, & curatores debent non tantùm curare bona pupillorum, & minorum, sed etiam mores, & bonam institutionem personæ convenientem. Et circa mores tenentur ad omnia, ad quæ tenetur pater, cujus loco succedunt. Quoad bona tenentur, cùm primùm licebit, facere eorum inventarium, si antea factum non fuit, alioqui graviter peccabunt cum obligatione restituendi damnum secutum. Deinde curare debent, ut vendantur bona mobilia, quæ cum utilitate servari non possunt, & ex pecunia emere bona stabilia; unde non debent habere pecuniam pupilli otiosam, sed dare illam ad honestum lucrum, sed de his alibi.

397 Discipuli denique debent magistris honorem, reverentiam, & æstimationem. Magistri verò debent discipulis diligentiam in inculcanda sana, & solida doctrina, non docendo improbabilia, aut novitates ineptas non sufficienter fundatas: debent etiam promovere in morum probitate tam exemplo vitæ, quàm etiam monitis, & consiliis.

CAPUT VIII.

Expositio quinti præcepti Decalogi.

HOc Præceptum traditur in Exodo per hæc verba: [a] *Non occides*. 398
Et explicatur à Christo Domino in Euangelio, [b] intelligiturque de sola occisione hominis injusta, quæ fit indebitè contra naturalem rationem ex D. Thom. [c] unde homicidium definitur: *Injusta hominis occisio*. Seu, *Injusta occisio innocentis*. Ille autem dicitur innocens, qui occiditur non servata Juris dispositione, etiam si alioqui morte dignus sit. Unde qui occidit hominem etiam facinorosum, non servato Juris ordine, hoc est, antequam probabatur dignus morte, & sententia feratur, homicida est, estò sit minister justitiæ, qui occidit. Ut igitur homicidium non sit injustum, tria requiruntur, nempe potestas, causa legitima, & Juris ordo. De quibus postea. Prohibetur [d] autem per hoc præceptum non solùm homicidium externum, sed etiam internum, hoc est, voluntas injustè occidendi, quæ hominem facit reum judicii, ut dixit Christus, idest, reum mortis æternæ. Prohibetur etiam mutilatio, vulneratio, percussio, verberatio, & similia nocumenta corporis injusta, omnesque præparationes, & dispositiones ad similes actus. Prohibetur denique non solùm executio homici-

a Exod. 20. 13.

b Math. 5. 22.

c 2. 2. q. 100 ar. 8. ad 5.

d Tolet. l. 5. c. 9.

Digitized by Google

micidii, sed quæcumque cooperatio moralis ad illud per mandatum, consilium, consensum probantem ut fiat, vel factum ratificantem per laudem, & similes cooperationes morales. Obligat autem præceptum ex genere suo sub mortali.

SECTIO I.

De homicidio voluntario Proximi.

399 a Syl. v. homicid. 1. Homicidium voluntarium [a] dicitur *Homicidium injustum ex directa intentione occidendi*. Hoc autem peccatum mortale est contra justitiam, & charitatem proximo debitam, habetque annexam irregularitatem, & aliquando excommunicationem, si persona occisa sit clericus, aut religiosus. In duobus autem casibus excusabitur à peccato, & à ratione homicidii simpliciter voluntarii.

400 Primus est: Quando fit ex zelo justitiæ. Sic enim occidere peccatum non est, nec simpliciter homicidium, sed occisio, si debitè fiat. Fiet autem debitè, si concurrant tres conditiones jam insinuatæ, quarum quælibet deficiente peccatum mortale erit, & verum homicidium. Prima est, ut fiat authoritate publica. Cùm enim liceat hominem occidere ob bonum publicum, ille facultatem occidendi habet, cujus est bonum publicum conservare, ac tueri, nempe Respub. & Princeps ejus, & qui ab illis communicatam habuerit potestatem, ut sunt judices ad hoc constituti, milites in bello justo, & quilibet privatus erga bannitos, quando Respub. cuilibet facultatem concedit: quæ censenda est concedi pro territorio proprio; unde in alieno id non licebit, nisi de facultate expressa, tacita, vel saltem præsumpta Principis illius. Hinc non licet marito occidere uxorem in adulterio deprehensam, sicut nec adulterum; nec patri fornicantem cum filia, aut sorore, ut declarat jus Canonicum: [b] jus verò civile non castigans hæc homicidia permissivum est; id est, non puniens, non tamen justificans.

b Cap. inter hæc 33. q. 2.

401 Secunda conditio est causa. Non enim licet etiam Reipub. & Principi, hominem occidere sine causa, eaque non quavis, sed gravi, & ad bonum commune pertinente. Unde non licet innocentem occidere etiam ob bonum Reipub. Ideoque estò civitas esset ab hoste obsessa, nec aliter liberari posset, nisi tradendo innocentem hosti occidendum, id non liceret, quamvis ob commune bonum posset illum non defendere, [c] & ipse teneretur se tradere, ut dicetur sect. 3. quamvis plures oppositum doceant, sitque probabile. Unus tantùm est casus, in quo licet innocentem occidere, cùm nempe probatus est nocens; quia judex procedit secundùm allegata, & probata. Si tamen judex innocentiam agnoscat, tenetur ex D. Thom. [d] communiter recepto, primò examinare diligenter testes. Secundò, si speret se profuturum, remittere causam ad superiorem judicem, illi veritatem testificando. Tertiò, differre sententiam, quoad potuerit. Imò si fieri possit absque alicujus damno, poterit secretò è carcere dimittere. Cùm autem nihil horum fieri potest, occidere licet, & ex communi sententia id etiam licet, estò hæc fieri possent.

c Less. c. 9. dub. 7.

d 2. 2. q. 64. ar. 8. ad 3.

402 Tertia conditio est juris ordo. Nam damnare ad mortem, hoc non servato, mortale est, estò causa, & authoritas adsint. Hic autem ordo in tribus consistit. Primò, ut crimen non sit occultum, sed notorium, aut sufficientibus testibus convictum, aut notum propria confessione sponte facta. Dico: *Sponte*. Quia si aliquis absque semiplena probatione, aut infamia notabili torqueretur, & in tortura crimen confiteretur, mortale esset illum damnare, quia tortura fuit violenta, utpote sine justa causa inflicta. Quare graviter peccant judices, qui verbis fraudulentis, minis, aut promissionibus extorquent delicta, quorum non habent sufficiens indicium, aut semiplenam probationem; & gravius, damnantes ob talem confessionem. Secundò, ut præcedat accusatio. Si enim crimen non accusetur, non potest damnari nocens, nisi reperiatur in flagranti delicto; ubi erit virtualis accusatio, & superabundans testimonium. Tertiò, ut citetur nocens, eique tempus detur, ut respondeat. Dicunt [e] aliqui in aliquo casu licere damnare nocentem inauditum, cùm nempe est potens, nec aliter possit justitia impleri. Semper tamen debent esse testimonia omni exceptione majora, aut crimen notorium.

e Syl. v. homic. 1. q. 2.

403 Ad-

Digitized by Google

mè decet. Unde clericus, religiosus, & persona vilis non possunt licitè occidere, si per fugam sibi consulere valent, quando injustè invaduntur, quia honorem non amittunt, fugiendo. Et idem est si per fugam injuriam inferendam vitare possunt. Si verò non possint, tenentur potius injuriam pati, quàm occidere invasorem. Nota etiam post acceptam injuriam nemini licere occidere, quia jam non esset defensio, sed vindicta, quæ non licet.

409 Tertiò, potest licitè occidi invasor [o] fortunarum, cùm aliter res nostra alicujus momenti defendi non potest. Unde licet occidere latronem invadentem ad furandum. Imò idem licet, si rem nostram jam rapuit, & fugiendo secum aufert, nosque illum insequimur ad recuperandum; si enim admonitus non restituat, potest occidi, quia dominus nondum censetur esse extra possessionem, sed adhuc censetur durare aggressio respectu rei. Aliter dicendum, si fur jam se in tutum recepit; quia jam vis cessavit. Unde opus erit uti publica authoritate. Quamvis si res extet, non sit improbabile [p] posse adhuc vi agere, & cum tutela inculpata vim repellere. Si autem res non extet, non poterit vi agi ad recompensationem, quia jam dominus amisit rei dominium, & ideo vis illa esset aggressio, non defensio. Aliqui dicunt non licere Ecclesiasticis ob defensionem fortunarum invasorem occidere ex cap. Suscepimus de homicidio, alii credunt in foro conscientiæ posse.

o Tolet.c. 6. Less. dub. 11.

p Vasq.c. 3. de restit. §. 1. Less.lib. 8. n. 43.

410 Quartò, licet occidere invasorem [q] pudicitiæ. Unde fœmina, aut juvenis ob servandam castitatem, occidere possunt illius invasorem, si aliter se defendere non possint. Notandum tamen, quamvis ab invasore superentur, si non consentiant interius in actum turpem, non peccare, nec virginitatem animæ amitti, si fœmina virgo erat, estò corrumpatur. Unde sunt qui dicant posse non occidere, quamvis liceat invasorem occidere, sed posse pati se corrumpi, dummodo consensum cohibeat in delectationem. Quia tamen id esset periculosum, securius esset occidere, hocque remedio utendum est, si aliud non suppetat ad evadendum.

q Tolet.c. 6. Less. dub. 11.

411 Nota verò: Sicut injustè invasus ad propriam vitam defendendam potest licitè occidere injustum aggressorem, sic posse occidere aggressorem parentis, filii, fratris, vel alterius sibi conjuncti, imò & amici, vel cujuslibet innocentis, ut probat factum Moysis [r] interficientis AEgyptium Hebræi invasorem. Imò ad id tenebitur, si absque incommodo suo notabili possit, quia ad id obligat charitas proximi innocentis, qui est in extrema necessitate. Sicut autem possumus vitam innocentis tueri, cum occisione aggressoris; ita possumus bona [s] ipsius invasa tueri in illis casibus, quibus nostra defendere possumus. Non tamen tenemur aggressorem occidere, si aliter bona proximi defendere non valemus; sicut tenemur, quando illius vitam aliter tueri non possumus, juxta superius dicta; aliud enim est posse, aliud teneri. Et obligatio in hoc casu non est tanta, sicut in primo. Idem diceremde aggressore pudicitiæ, si fœminam injustè invasam aliter defendere non possis, nisi occidendo aggressorem.

r Exod. 2. 12.

s Mol.t.4. d 8. Less. dub. 13.

SECTIO II.

De homicidio sine intentione, seu casuali.

412 Homicidium sine intentione, & casuale dicitur illud, quod neque in se, neque in sua causa est voluntarium. Hoc autem peccatum non est, nec dicitur propriè homicidium, sed occisio. Tale potest appellari primò, quod contingit ex ea inconsideratione, cùm quis motu repentino adeò correptus, ut non sit rationis compos, proximum occidit. Quod tamen rarò evenire solet, quia homicidium non solet ita repente fieri, ut homo deliberare nequeat. Si tamen aliquando eveniat, non erit peccatum, sed casus. Secundò, quando causa [a] mortis non est ita efficax, ut ex ea soleat, ut plurimùm, mors sequi, sed aliunde, nempe ex eo, quod per accidens conjungitur. Ut si alicui inflixisti vulnus non lethale, & mors secuta est, vel malitia, aut negligentia chirurgi, aut temeritate vulnerati, qui opportuna remedia adhibere noluit; mors censebitur tibi casualis, nec eris reus homicidii, sed solius vulneris levis; quia etsi vulnus fuerit aliqua occasio, re-

a Less.c.9. dub. 15.

tamen vera non fuit causa mortis, sed chirurgus, vel ipse vulneratus.

413 Tertiò, si dans operam rei licitæ adhibuisti sufficientem diligentiam, & circumspectionem, ne inde mors alicujus sequeretur, si fortè secuta fuit, non tibi imputabitur, quia nec in se, nec in causa fuit volita, quamvis causa fuerit periculosa, verbi causa, venatio cum scloppeto: nam diligentia, quam adhibuisti, abstersit periculum omne. Et idem dic de eo, qui daret operam [b] rei illicitæ. Unde clericus dans operam venationi sibi prohibitæ, in eaque occidens hominem omninò casualiter, præmissa omni debita diligentia, & circumspectione, licèt peccet sic venando, non est reus homicidii: similiter clerico chirurgiæ perito incidenti tumorem ex artis præscripto, monentique, quid faciendum, ne periculum incurreret, si ægrotus spretis monitis moriatur, homicidium non imputatur, estò operam dederit rei illicitæ, sibique prohibitæ. Similiter non imputatur homicidium adultero, qui invasus à marito adulteræ se defendens, cum debito moderamine, illum occidit. Quia nec fuit culpabile in causa; neque enim adulterium est via ad occisionem mariti, sed potius adulteri; rarò namque mors mariti ex eo sequi solet. Neque fuit culpabile in defensione, quia adulter positus in illis angustiis poterat se defendere, ut sect. præcedenti dictum est. Et idem est de eo, qui per convitium fuit occasio, ut à læso invaderetur, illumque sic invasus occidit, cum eodem moderamine; quia convitium non est via ad occasionem læsi, sed convitiatoris potius. Et sic de aliis similibus.

b L. ff. d n.15.

414 Si tamen occisio non omninò casu [c] contingat, eò quòd in opere periculoso non fuit præstita circumspectio, & diligentia necessaria ad illam vitandam, imputabitur homicidium mortaliter, vel venialiter, pro ratione negligentiæ. Nam talis mors erit voluntaria in causa, nempe in omissione circumspectionis, & diligentiæ, quę debebat fieri. Cùm verò non fuerit voluntaria, nisi in prædicta negligentia, non potest esse majus peccatum, quàm fuerit ipsa negligentia. Unde si hæc fuit gravis, erit homicidium mortaliter peccaminosum; si levis, erit venialiter, si nulla fuit negligentia, nullum peccatum erit, sive detur opera rei licitæ, sive illicitæ.

c L. ff. n. 101.

415 Hinc sequitur primò, peccare mortaliter peccato homicidii illos, qui reficientes tecta, lapides in viam projiciunt, quibus aliquem occidunt, si nulla, vel modica utantur diligentia, cùm locus sit nimis pervius. Si tamen signum apponant; ut transeuntes sibi caveant; non peccant, quia sufficientem diligentiam adhibuerunt. Secundò, sequitur peccare ebrium, qui in ebrietate aliquem occidit, si sciebat se in illa furere, & sibi non providit, ne homicidium sequeretur. Tertiò, sequitur omittentes aliqua, quæ ex justitia facere tenebantur, ex qua omissione mors alterius sequitur, peccare tantum peccatum, quantum fuit omissio, cujus exempla vide apud Toletum. [d] Quartò, sequitur idem fore dicendum de illis, qui omittunt aliquid, ad quod ex charitate tenebantur. Unde qui proximo posito in extrema necessitate non succurrit, cùm possit, si ille moritur, peccat mortaliter peccato homicidii contra charitatem. Item qui scit proximum falsò accusatum capite damnari, si ipse, testificando veritatem, potest illum liberare, ad id sub mortali tenetur; & ni faciat, peccabit mortaliter peccato homicidii in ea omissione voliti. Similiter qui scit insidias contra proximum paratas, tenetur illum admonere, ut sibi caveat, & nisi faciat, peccat mortaliter, si ille occidatur, quia poterat, & tenebatur impedire.

d Lib.5.c.6

416 Sed quid, si occidisti occultè Petrum, & crimen imponitur Paulo, qui cum illo inimicitias gerebat, unde Paulus capitur, & damnatur? Resp. [e] si nec ea intentione Petrum occidisti, nec prævidisti tale quid eventurum, non tibi imputari mortem Pauli, quia illa merè per accidens evenit ex actu tuo, qui via non erat ad talem mortem, quæ quidem per se provenit ex malitia accusatoris, vel testium. Imò licèt adverteris tale quid evenire potuisse, non peccasti peccato homicidii saltem contra justitiam in morte Pauli. Quia quando ex aliqua actione sequitur damnum tertii non ex natura actionis, sed ex malitia, vel ignorantia aliorum, non censetur esse injuriosa tertio: talis autem fuit tua occisio Petri: ergo mors Pauli non potest tibi imputari, ut ipsi Paulo injusta. Erit tamen contra cha-

e Less. dub.16.

Digitized by Google

charitatem, quia hæc obligabat ad non faciendam actionem, ex qua prævidebatur posse damnum sequi proximo, nisi necessitas excusaret, quæ hic nulla erat, ut patet. Addo etiam si intenderis mortem Pauli, peccasse te solùm peccato interno homicidii; quia actio tua externa cum suis circumstantiis talis fuit, ut ex ea secuta non fuerit mors Pauli. Neque enim intentio facit, ut opus sit injustum, nisi aliàs ex sua natura tale sit.

f Less. dub. 18.

417 Unde à fortiori sequitur [f] remigibus Christianis in triremibus Turcarum remigantibus contra Christianos non imputari homicidia, & alia damna illata Christianis, quando flagris, & metu mortis remigare compelluntur. Quia remigatio non est actio natura sua perniciosa, sed indifferens; ex qua proinde non sequuntur damna, & homicidia, nisi per accidens, per se verò ex malitia Turcarum. Sicut si furèris pecunias alicujus, unde putes illum dolore moriturum, non censeris homicida, quia mors illa non ex tuo furto, sed ex voluntario animi ejus affectu secuta est. Poterat enim, & tenebatur dolorem mitigare.

g Less. dub. 10.

418 Quid verò in illa quæstione, an liceat matri pharmaco fœtum excutere, ut à morte liberetur? Resp. [g] licere, quando fœtus mortuus est, & quandiu non est animatus, si matri laboranti non occurrat aliud remedium commodius ad vitam tuendam. Non tamen licere post fœtum animatum, aut quando jure dubitatur, an sit animatus. Quia mater debet potius suam temporalem vitam periculo committere, quàm privare fœtum vita corporali, & spirituali salutis æternę. Excipe, quando nulla est spes liberandi fœtum; est autem aliqua liberandi matrem; tunc enim non intendit abortum, sed curationem, & vitæ conservationem, ad quam jus habet.

h Less. dub. 9.

419 Quid autem de illo, qui hostes fugiens occurrentem puerum proculcat, ne cogatur deflectendo à via incidere in hostes? Resp. [h] habere jus fugiendi per viam tutam, neque eo privari posse positum in tanto discrimine; maximè quia non intendit mortem pueri, quam evitabit, quantùm poterit: si autem non poterit, ei non imputabitur, quia per accidens sequitur ex cursu indifferenti, ad quem jus habet.

420 Ad homicidium casuale, & per accidens revocari potest, quod committitur à tuo filio, servo, vel bestia. Imprimis certum [i] est patrem non teneri ex delicto filii, nec ei imputari, si absit suasio, vel similis cooperatio moralis, quia filiusfamilias in suis delictis liber est, & potest conveniri. Instit. de noxalibus actionibus. Excipe, [l] quando parentes filiis parvulis permittunt arma, cognoscentes illos esse superbos, & iracundos; tunc enim non excusantur ab homicidio, si quod sequatur, quia tenebantur prohibere arma.

i Less. dub. 17.

l Tolet. c. 6

421 Quoad servos, [m] seu mancipia, certum etiam est, si lata culpa domini homicidium committant, ipsi domino imputandum, ut si jusserit, vel impulerit, vel negligens fuit in præcavendo. Ut enim ait Tolet. Qui dominium, vel potestatem aliquam habent supra aliquos, tenentur providere, ut ibi est periculum homicidii, non committatur, aliàs peccant contra justitiam pro ratione omissionis. Si nulla autem culpa domini intervenit, ei non imputatur, nec tenetur ad damnum, sed sufficit servum noxæ dare juxta leges civiles. Et idem est de tuo animali, si culpa tua occidit, quia latè fuisti negligens in præcavendo. Unde dixit idem Tolet. peccare dominos, qui domi habent leones, aut alias bestias, & non provident, ne noceant aliis. Si verò nulla tua culpa intervenit, tibi non imputabitur, nec teneberis ad damnum, sed solùm ad tradendam bestiam noxæ juxta easdem leges.

m Less. proxime. Tolet. ib.

SECTIO III.

De homicidio sui ipsius.

Dico primò: [a] Nemini licet se immediatè, & ex intentione occidere, ex quocumque motivo id fiat, sine peccato mortali, nisi ex indeliberatione excusetur. Prob. quia est contra hoc præceptum prohibens occisionem cujuscumque hominis absque legitima authoritate, quam nemo habet supra se ipsum. Neque obstat posse quemlibet sibi optare mortem ex causa justa; quia multa & nobis, & proximis optare possumus, quæ tamen inferre non licet possumus; enim homini facinoroso mortem desiderare, non autem exequi; possumus optare mori pro Christo, non tamen possumus nos pro Christo occidere. Ne-

422

a Less. dub. 6. n. 20.

Digitized by Google

que etiam obstat, quòd Ecclesia colat (ut martyres) aliquos, qui se ipsos directè in ignem paratum objecerunt; quia vel id fecerunt ex divina inspiratione, ut vult Aug.[b] vel ex ignorantia inculpata, ut alii volunt. Cùm verò non peccaverint, & ob fidem ad mortem impellerentur, realiter à persecutoribus censentur occisi, & sic martyres reputantur, ac sunt.

b 1. de civit. c. 26.

423 Dico secundò: Nemini licet occidere se mediatè adhibendo, & aggrediendo ea, ex quibus mors certa, aut probabilis sequitur, v. c. non licet sumere venenum, ex quo mors sequatur, aut ingredi domum leonum, aut se exponere similibus periculis: hoc enim facere peccatum mortale est ex genere suo. A quo aliquis excusari potest ob tres causas. Prima est[c] ob justitiam. Unde probabile est illum, qui damnatus est ad mortem per venenum, posse illud bibere; licèt oppositum sit probabilius, & commune inter DD. Quia nemo potest esse executor sententiæ propriæ mortis, sicut nec parentis sui, ob reverentiam ei debitam. Secunda, ob probabilitatem contrariam, quia nempe in tali homine probabile est mortem non eventuram. Unde excusantur funambuli, & aggressores taurorum exercitati in illis artibus, quibus si aliquando mors accidat, erit multùm accidentale, & ideo mortaliter non peccabunt. Tertia ob inadvertentiam, ex qua excusantur, qui ita se abstinentiis macerant, ut mors sequatur; si id non advertunt, sed ex devotione faciunt. Peccabunt tamen mortaliter, si hac via intendant se occidere, aut si advertant per eam posse occidere se ipsos.

c Less. n. 26 Tolet. concl. 3.

424 Dico tertiò:[d] Nemini licet se occidere permissivè permittendo, ut ab alio occidatur. Quia omnes tenemur vitæ consulere, in quantùm debitè possumus. Sunt tamen casus, in quibus licet vitam exponere, & permittere se occidi, & mori; imò aliquando ad id tenebimur, cùm justa causa id postulaverit. Neque enim tenemur vitam non exponere, nisi cùm deest causa justa, & rationabilis. Unde si quis cogeretur fidem negare, aut aliquod peccatum committere sub mortis comminatione, teneretur mortem potius pati, quàm fidem negare, aut peccatum etiam veniale admittere. Deinde ob utilitatem totius Reipub. miles potest, & tenetur non deserere stationem, estò certus sit se in ea occidendum. Et si civitas esset ab hoste obsessa causa unius etiam innocentis, qui se offerens hosti totam Rempub. liberaret, teneretur se offerre, & mori.

d Less. n. 27. Tolet. concl. 3.

425 Reus potest non fugere è carcere, estò certò sciat se morte plectendum. Imò potest malefactor zelo justitiæ, & exempli publici, se offerre judici puniendum; ad id tamen neuter tenetur. Item condemnatus ad mortem per famem, potest abstinere à cibo clam oblato, licèt non teneatur. Similiter qui in extrema necessitate solùm haberet idolothyta, aut carnes humanas, posset illis non vesci, & mori, quamvis ab eis abstinere non teneretur. Item damnatus ad mortem, potest, & tenetur exhibere omnes actiones, quæ sunt dispositiones ad occisionem, v. c. ascendere scalam, collum funi offerre, & similia; non tamen licet se ejicere ab scala, aut se occidere. Nec licet se defendere à judice, vulnere, vel pugna, estò innocens sit. Potest tamen fugere è carcere, quamvis justè sit comprehensus; potest rumpere murum, frangere portas, non tamen alicui nocere. Similiter damnatus ad feras, posset se defendere, licèt ad id non teneretur.

426 Potest etiam quis vitam exponere pro patre, pro amico, pro Principe, & pro proximo. Unde potest se objicere telo ad conservandam vitam Principis, amici, &c. In extrema necessitate duorum, licet alteri dare panem, quem habet ad vitam tuendam. In naufragio licet alteri permittere tabulam etiam prius occupatam, & permittere se undis, estò non sit spes evadendi; neque hoc est se directè interimere, sed exponere se periculo. Ubi adverte eum, qui prius tabulam occupavit, non teneri alterum admittere, sed posse impedire, nisi utrique sufficiat. Si simul occuparunt, sorte dirimendum esset, nisi alter alteri sponte cedere vellet. Potest denique inservire peste infectis, etsi putet se inficiendum. Qui ab alio invaditur, nec potest sibi per fugam consulere, quamvis possit occidere invasorem, licet sinere se occidi, ne hostis in peccato moriatur, si ipse in peccato non sit; nam si se in peccato esse agnoscat, ne spiritualiter pereat, oppositum dicendum est. Potest quis apponere ignem pulveri tormentario ad evertendam

dam

Digitized by Google

dam turrim hostilem, estò certum sit momento dissipandum, quia non se propriè occidit, sed ignis impetus, vel turris ruina, quibus ob justissimam causam exponitur. e Sic Eleazarus interfecit elephantem, à quo se opprimendum videbat, qui ob id laudatur in Scriptura: f Sic Sanson, ut interficeret hostes populi, evertit domum, cujus ruina obrutus fuit. Hoc modo, inquit Less. excusari possunt milites navales, qui videntes jam navem in hostium potestatem venturam, communi consensu ignem applicant, & se mari committunt, ne ipsi, & navis veniant in hostium potestatem; non enim intendunt sui interitum, sed ne hostis navi cum damno publico potiatur; & ut ipsi se, qua ratione possint, morti certissimę ab hoste inferendæ eripiant. Quod admitterem, si mors ab hoste inferenda certissima foret: quia tamen non talis esse solet, non auderem hoc factum ita facilè approbare. Denique grassante incendio, si non suppetit alia via evadendi, licet se ex alto dimittere etiam cum certo vitæ periculo, non enim hoc faciens intendit se occidere, sed durum illud ignis tormentum, utcumque possit, evadere.

e 2. Machab. 6.

f Iudic. 16

427 Dico quartò: g Nemini licet aliquod membrum immediatè, & ex deliberatione sibi abscindere, absque peccato mortali. Quia homo non est dominus membrorum suorum. Unde abscindere partes viriles mortale est, estò fiat ob castitatem, ad quam castratio non est medium necessarium, imò neque utile, quia non impedit tentationes carnis, sed solam generationem. Similiter peccant mortaliter fœminæ aliquid sumentes ad sterilitatem, nisi ignorantia excusentur; quia se privant naturali potentia generandi.

g Less. d. ib 14. Tolet. concl. 2.

428 Sunt tamen aliqui casus, in quibus licet membrum abscindere; primò, quando id est necessarium ad corporis salutem, ut si membrum sit putridum, aut veneno infectum, & non sit aliud remedium ad vitam totius conservandam. Secundò, quando aliquis ligatus non posset mortem ab hostibus, aut ab igne grassante inferendam, effugere, nisi membrum abscindendo. Nam membra sunt ob bonum totius: ergo quando aliquod est corpori perniciosum, jus naturæ dictat posse abscindi. Nota tamen hominem teneri permittere sibi membrum amputari, si medici id judicent necessarium, nec magni dolores sint perferendi, quia tenetur vitæ suæ periclitanti mediis ordinariis non admodum difficilibus opitulari. Si tamen magni cruciatus essent perferendi, ad id non teneretur, quia non tenetur cum tanto onere vitam conservare; nisi esset persona bono communi valde necessaria, tunc enim teneretur, & ad id cogi posset. h Denique si alicui daretur optio, ut sibi membrum aliquod abscinderet, ne ab alio occideretur, vel ne sibi duplex amputaretur; posset unum abscindere, quidquid in contrarium dicat Sotus. Cùm enim pars naturaliter sit propter totum, licet ad conservationem totius, aut majoris partis habenti authoritatem partem tollere: sed quisquis habet hanc authoritatem respectu suorum membrorum, quorum est gubernator, & custos: ergo potest de illis disponere in ordine ad salutem totius. De quo latè Less.

h Less. & Tolet. supra.

SECTIO IV.

De circumstantiis homicidii in ordine ad confessionem.

Prima circumstantia est, quando persona occisa est sanguine juncta, ut pater, & mater, uxor, filius, frater, & similes usque ad quartum gradum. Tunc enim præter peccatum homicidii, aut vulneris, est circumstantia mutans speciem contra pietatem debitam talibus personis, in confessione necessariò declaranda. Nec satis est dicere: Occidi personam conjunctam, sed opus est declarare conjunctionem, quòd nempe fuerit pater, mater, frater &c. quia diversa pietas violatur, & quando est eadem, notabiliter aggravatur ex majori conjunctione. 429

a Tol. c. 8.

430 Secunda est: Quando persona occisa, vulnerata, vel percussa, est clericus, vel religiosus. Tunc enim additur malitia sacrilegii, ex circumstantia personæ. Per clericum autem intellige non solùm in majoribus ordinibus constitutum, sed etiam in minoribus, aut sola tonsura in illis casibus, in quibus gaudet privilegio fori. Per religiosum intellige non solùm professum, sed etiam novitium, & conversum cujuscumque Religionis approbatæ. Ubi etiam incurritur excommunicatio Papæ reservata, de qua lib. 10. c. 8. sect. 1.

431 Tertia est. Quando occisio fit in

loco sacro; additur enim circumstantia sacrilegii mutans speciem ratione loci, Ecclesiæ, vel cœmeterii. Et polluitur Ecclesia, ita ut in ea celebrari non liceat ante reconciliationem, de quo dictum est lib. 4. cap. 11.

432 Quarta potest esse aliqua circumstantia extrinseca. Et potest contingere primò, si per te, vel per alios, aut cum aliis percussisti, occidisti &c. Quia tunc additur circumstantia scandali, si alios jussisti, consuluisti, solicitasti &c. Tot enim peccata commisisti, quot personas fecisti peccare. Secundò, si multo tempore perseverasti in proposito occidendi, percutiendi, vulnerandi &c. Quia tunc vix excusaberis à multis peccatis, quæ committuntur in multis volitionibus repetitis. De quo lib. 10. c. 5. Tertiò, si ex occisione alii damnum in re temporali patiuntur, aut ipsamet persona percussa. Tunc enim manifestandæ sunt personæ, ut restitutio à confessario imponatur. Si tamen restitutionem fecisti, non teneris personam occisam, vel percussam manifestare, nisi concurrat altera circumstantia, aut excommunicatio, à qua debeas absolvi. Si servum alienum occidisti, ut domino damnum inferres, teneris id explicare, quia non solùm commisisti homicidium, sed dedisti damnum injustum ex directa intentione damnificandi. Semper tamen teneris damnum restituere, estò ea intentio defecerit. De restitutione facienda ratione homicidii dicemus l. 10. c. 4. sect. 6.

CAPUT IX.

Expositio sexti præcepti Decalogi.

433 SExtum præceptum traditur per hæc verba: [a] *Non mœchaberis*. Licèt autem mœchari propriè significet adulterari, extenditur tamen ad omnem concubitum, qui contingit extra legitimum matrimonium, & dicitur communi nomine *fornicatio*. Quod apud Theologos, & Juristas significat eumdem concubitum, qui sub mortali prohibetur in hoc præcepto, sicut & omnis actus externus ad illum ordinatus, v. c. tactus, oscula, amplexus, aspectus, turpiloquia, & similia opera luxuriæ ex genere suo sunt mortalia prohibita in hoc præcepto, ut sumitur ex Apostolo numerante opera luxuriæ inter opera carnis, de quibus ait: [b] *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*. Imò prohibentur actus etiam merè interni desiderii, & delectationis venereæ captæ de solo objecto apprehenso, & cogitato. Verùm de his merè internis dicemus in nono præcepto, quod hujus sexti pars est; traditur verò separatim ad majorem declarationem, ne quis putaret actus purè internos ad venerem pertinentes non prohiberi in hoc præcepto; cujus verba solos externos significant; quamvis internos comprehendant. Quare hìc tantùm dicam de actibus externis, qui directè in hoc præcepto prohibentur. Quorum variæ sunt species saltem morales per additionem novæ malitiæ additæ speciei luxuriæ, licèt contra alias virtutes à castitate distinctas. Hæc sunt simplex fornicatio. Adulterium. Incestus. Sacrilegium. Stuprum. Raptus. Luxuria contra naturam. De quibus suo ordine dicendum: Postea de impudicitia, quæ oscula, tactus, amplexus, & similia comprehendit, quæ referuntur ad illam speciem, ad quam disponunt.

a Exod. 20. 14. Deut. 5. 18

b 1. Cor. 6. 9.

SECTIO I.

De simplici fornicatione, & adulterio.

FOrnicatio simplex est concubitus soluti cum soluta. Dicitur autem solutus homo ille, qui nec est conjugatus, nec clericus in sacris, nec religiosus, nec habet votum castitatis. Soluta verò dicitur similis fœmina, maximè si jam amisit virginitatem. Estque prædicta fornicatio peccatum mortale adeò, ut oppositum dicere, sit hæreticum ab Ecclesia [a] ut tale definitum. Sumitur ex Apostolo [b] dicente fornicarios regnum Dei non possessuros. Non habere hæreditatem in regno Christi, & Dei. Patet autem neminem à regno Dei, & Christi hæreditate excludi, nisi per peccatum mortale. 434

435 Prob. autem. [c] Quia finis generationis humanæ, ad quam Deus concubitum maris, & fœminæ ordinavit, est proles perfecta: unde sicut Deus instituit id, quod erat necessarium ad prolem concipiendam, & pariendam; ita etiam instituit, quod erat necessarium ad illam rectè educandam, & promovendam

a Clem. ad nostrum de hæret. b 1. Cor. 6. 7. Gal. 5. 9. Ephes. 5. 5.

c Less. l. 4. c. 3. dub. 7. Tolet. lib. 5. c. 10

Digitized by Google

dam ad perfectum hominis statum: hoc autem est vinculum indissolubile maris, & fœminæ, quod matrimonium vocamus. Nam sine tali vinculo humano more fieri non poterat, ut proles benè educaretur, cùm ad hoc non solùm materna, sed etiam paterna cura sit necessaria. Cùm ergo in fornicatione desit illa conditio, quam lex naturæ in humana generatione postulat ad ejus finem obtinendum, qui est bona prolis educatio, & institutio; ipsa fornicatio repugnat tali fini, ac proinde est gravis inordinatio in re gravi; ergo est peccatum mortale.

436 Quare solùm in duobus casibus potest à peccato excusari. Primus est, cùm deest usus rationis, ut si amens rationis usu omninò destitutus cum fœmina coiret, non peccaret, sicut nec occidendo. Et idem est de ebrio. Qua ratione excusatur Lot, [d] qui ebrius cum filiabus concubuit. Si tamen ebrius ante ebrietatem tale periculum probabiliter cognosceret, & non sibi provideret, ne fornicatio sequeretur, non excusaretur; quia ejus fornicatio fuisset volita in causa, & ea imputaretur in culpam, ut alibi dicetur. Secundus ex parte patientis, quæ per violentiam cogeretur, ut si fœmina comprehensa cogeretur per vim ad talem actum patiendum; non peccaret, si interius non consentiret; quamvis pateretur, & experiretur delectationem, quia fuisset actio sibi omnino involuntaria. Hoc tamen non habet locum in agente; qui absque consensu non agit. Unde nunquam potest excusari, quamvis mors immineat, aut quodcumque aliud malum.

d Gen.19.

437 Ad fornicationem pertinet concubinatus [e] soluti cum soluta, qui nihil est aliud, quàm continuata fornicatio cum determinata persona; ita ut sit quædam quasi cohabitatio, quamvis non maneant in eadem domo. Est autem status periculosus, quia homo non solùm peccat, sed est in statu peccati, ac continuo proposito saltem virtuali peccandi. Advertat autem Parochus concubinarium nullo modo esse absolvendum, nisi prius concubinam ejiciat, si illam domi habet, quamvis sit in mortis articulo; nisi mors urgeat, & tempus desit: tunc enim satis erit propositum firmum ejiciendi. Extra talem casum prius est ejicienda, de quo alibi latius, hæc pro loco. Si autem eam domi non habeat, aliqua experientia sumenda est de emendatione, ante absolutionem, præsertim si sæpè proposuit emendationem, quæ secuta non fuit. Contra concubinarios statuit Trid. [f] Ut ab Episcopo ter admoneantur, & nisi resipuerint, excommunicentur: & si in excommunicatione per annum perseveraverint, castigentur, & puniantur ab Episcopo. Concubinę autem ter admoneantur, & nisi resipuerint, ejiciantur è civitate, & si videbitur Episcopo, extra diœcesim, invocato ad hoc, si opus fuerit, brachio sæculari. Parochus, si postquam paternè admonuit, non emendentur, deferat ad Episcopum, cujus est peccata publica extirpare.

e Tol.c.10.

f Sess.24.c. 8. de ref.

438 *Adulterium* [g] *est alieni thori violatio*, ad quod requiritur, ut uterque, vel alter saltem sit matrimonio junctus. Circumstantia enim conjugii in viro, vel in fœmina facit, ut fornicatio sit adulterium. Quod tripliciter potest contingere. Primò, cùm conjugatus fornicatur cum soluta. Secundò, quando conjugata cum soluto. Tertiò, cùm conjugatus fornicatur cum conjugata. Est autem adulterium peccatum mortale multò gravius fornicatione simplici; quia habet totam malitiam mortalem fornicationis, & pręterea injuriam in conjugem, cujus thorus violatur. Quæ injuria gravis est contra justitiam; [h] *quia vir non habet potestatem corporis sui, sed uxor; & uxor non habet potestatem corporis sui, sed vir*. Consistit autem hæc potestas, seu jus in duobus. Primum est, quòd alter teneatur alteri volenti debitum conjugale persolvere. Secundum, quod teneatur à persona extranea abstinere. Quod jus quoad secundam partem violatur per adulterium; quia id, quod est conjugis, quoad usum, tribuitur alteri. Quanta autem sit hæc injuria, patet ex communi hominum æstimatione, qui illam tanti faciunt, ut vix putent posse irrogari majorem. Unde morte ipsa, vel perpetuo divortio illam vindicare solent.

g Tol.c.11. Less. dub. 10.

h 1.Cor.7. 4.

439 Si autem contingat, quòd vir cedat juri suo, & fiat leno uxoris, non fiet propriè injuria viro; quia [i] *scienti & consentienti non fit injuria*; fiet tamen statui matrimonii, [l] & ordini conjugatorum, sicut clerico, qui sponte sinet se pertrahi ad tribunal sæculare, non fit pro-

i Reg.27. de Reg. juris in 6.

l Less. dub. 10.n. 71.

propriè injuria, sed statui clericali, & ordini Ecclesiastico. Unde in illo adulterio adhuc est duplex malitia: altera fornicationis; altera injustitiæ contra jus conjugii, & conjugis, ut conjux est, quo vir cedere efficaciter non potest; quia ipsi competit non ad bonum privatum, sed ratione status, qui est communis. Et ideò cùm cessio fuerit nulla, jus manet integrum, & contra illud peccatur.

440 Illud nota, gravius esse adulterium conjugatæ cum soluto, quàm conjugati cum soluta, propter graviora damna, quæ ex illo sequi possunt, ut per se patet, & benè expendit Less.[m] gravissimum verò esse, quod committitur à conjugato cum conjugata, in quo præter malitiam fornicationis est duplex injuria mortalis contra justitiam, quia duorum matrimoniorum jura violantur, & duobus conjugibus injuria irrogatur. Unde in confessione non satis est se accusare de adulterio in genere, sed explicanda est duplicata injuria, dicendo: Commisi adulterium cum muliere conjugata, & ego simul sum conjugatus. Et vice versa. In aliis, quæ unam tantùm habent injuriam, illa est explicanda, quia est circumstantia mutans speciem fornicationis.

m Less. n. 7.

SECTIO II.

De Incestu, & sacrilegio.

441 INcestus est concubitus cum consanguinea, vel affine intra gradus prohibitos; quales sunt omnes gradus consanguinitatis usque ad quartum gradum inclusivè. Affinitatis verò contractæ ex matrimonio usque ad quartum etiam gradum. Ex fornicatione autem usque ad secundum ex Trident.[a] Addit verò incestus novam malitiam contra pietatem, & reverentiam debitam consanguineis, & affinibus, quæ necessariò est in confessione explicanda, tanquam distincta peccati species, seu circumstantia mutans speciem.

a Sess. 24. c. 4. de matr.

442 Licèt autem in genere loquendo sit satis probabilis, & communis[b] sententia incestum cum consanguinea non differre specie ab incestu cum affine, sed solùm esse gravioris malitiæ intra eamdem speciem servata proportione gradus, v. c. cum tua sorore, & cum sorore tuæ uxoris. In particulari tamen sunt consanguinitates specie diversæ, sicut & affinitates; & consequenter aliquæ consanguinitates diversæ ab affinitatibus. Et quod inde sequitur, incestus erunt diversi. Quod latè prosequitur Card.[c] de Lugo, & Diana. Ego summatim referam, quod interest in ordine ad confessionem.

b Lug. de pœn. d. 16. n. 313.

c Lug. sup. Dian. sup. t. de circumst.

443 Igitur incestus[d] cum matre, & cum filia specie differunt, quia contra diversam pietatem. Et ab utroque differt incestus cum sorore, in quo non apparet eadem turpitudo, sed alia diversa. Incestus cum filia, & nepte specie non differunt; sicut nec cum patre, avo, aut proavo. Debent tamen explicari personæ proximiores, & remotiores, quia saltem peccatum incestus notabiliter aggravant intra eamdem speciem, ut est manifestum. Incestus[e] cum matre, & cum noverca specie non differunt, licèt notabiliter gravius sit peccare cum matre. Similiter non differunt cum filia, & filiastra, estò gravius sit cum filia. Et generaliter idem videtur cum proportione de aliis gradibus affinitatis, in quibus prohibetur copula propter similitudinem, quam habent cum gradibus consanguinitatis ejusdem rationis. Unde sicut copula cum parentibus differt specie à copula cum fratribus: & copula cum consanguineis in linea transversa ultra fratres, semper est ejusdem speciei: copula verò patris cum filia differt specie à copula filiæ cum patre. Sic erit de affinitatibus servata proportione. Et ideo copula cum noverca, aut vitrico differt specie à copula cum cognata, aut aliis affinibus lineæ transversæ. Et copula vitrici cum filiastra differt specie à copula filiastræ cum prævigno. Copula item cum affine in linea transversa semper est ejusdem speciei, saltem quando est ultra primum gradum. An verò quando est in primo gradu differat specie à copula cum affine in secundo? Affirmandum.[f] Licèt Lugo oppositum probabilius esse credat.

d Lug. n. 314.

e Lug. n. 316.

f Lug. n. 319.

444 Unde sequitur ejusdem speciei esse peccare cum noverca, & cum ejus matre. Item cum prævigno, & cum filio prævigni; sicut ad eamdem speciem pertinet peccare cum patre, & cum avo; peccare cum filio, & cum filio filii. Sequitur deinde ad eamdem speciem pertinere peccare cum noverca, aut cum socero. Item peccare cum prævigno, aut cum nuru, aut genero. Quia

sicut

Digitized by Google

sicut vitricus, & noverca, sic etiam socer, & socrus reputantur pro parentibus: & sicut prævignus, & filiastra, sic gener, & nurus reputantur pro filiis. [g] Gravius tamen est cum matre, quàm cum noverca: & generaliter in eodem gradu gravius cum consanguinea, quàm cum affine; & hoc notabiliter intra eamdem speciem.

g Lug. n. 320.

445 Peccare cum noverca vivente patre credit Lugo [h] differre specie in ratione incestus, à peccato cum eadem mortuo patre. Quod probabile est: non verò minus probabile, esse solùm incestum notabiliter graviorem intra eandem speciem. Non loquimur de malitia adulterii, quæ datur vivente patre. Peccare cum noverca, [i] & cum patris concubina, & generaliter peccare cum affine ex matrimonio, aut ex copula illicita, non differunt specie in ratione incestus, estò sit circumstantia notabiliter aggravans. [l] Incestus cum sorore ex utroque parente non differt ab illo, qui est cum sorore ex uno tantùm. Et generaliter non est opus explicare consanguinitatem, aut affinitatem provenientem ex duplici capite, si omnes essent gradus æqualiter propinqui. Neque affinitatem, & consanguinitatem, si simul concurrant; dummodo neutra sit in gradu specie diverso. Quia mera multiplicatio titulorum neque addit speciem, neque circumstantiam, quando omnes sunt ejusdem speciei; sicut neque diversa præcepta idem præcipientia, vel prohibentia ex eodem motivo.

h Lug. n. 322.

i Lug. n. 324.

l Lug. n. 325.

446 Ad hunc incestum reducitur ille, qui committitur à personis conjunctis per legalem cognationem ortam ex adoptione alicujus in filium. Ex qua triplex resultat cognatio. Prima inter adoptantem, & adoptatum, & ejus descendentes. Secunda inter adoptatum, & filios legitimos adoptantis. Tertia inter uxorem adoptati, & adoptantem ipsum, & inter uxorem adoptantis, & adoptatum. Hæc triplex cognatio legalis irritat matrimonium inter prædictas personas cum aliquo discrimine videndo apud Sanch. [m] de quo nos lib. sequenti cap. 8. sect. 3. In summa autem est, quòd prima, & tertia inducant impedimentum perpetuum etiam dissoluta adoptione. Secunda verò solùm temporale, quandiu nimirum filii naturales, & adoptatus sunt sub ejusdem patris potestate. Malitiam igitur incestus inter has personas non differre specie à malitia incestus cum consanguineis, & affinibus naturalibus docet Lugo. [n] Oppositum tamen probabilius credo, quia diversa reverentia offenditur in uno, & in alio. Addo sicut in consanguinitate naturali differt incestus patris cum filia ab incestu filiæ cum patre; & uterque ab incestu fratris cum sorore. Ita cum proportione differt specie incestus adoptantis cum adoptata, ab incestu adoptatæ cum adoptante, & uterque ab incestu filii legitimi cum sorore adoptatæ a patre, & sic de aliis cum proportione ad dicta de naturali incestu inter consanguineos. Hinc etiam patet de incestu orto ex impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus validis inter sponsum, & consanguineas sponsæ in primo gradu, & vice versa. Qui erit diversæ speciei, si copula sit cum matre sponsæ, vel cum filia, aut sorore. Et vice versa. De incestu verò spirituali inter personas spiritualiter cognatas paulò infra.

m 7. de matr. d. 73

n Lug. n. 328.

447 Sacrilegium [o] hoc loco est violatio rei sacræ per actum venereum. Hoc contingit primò ratione personæ sacræ per votum castitatis, quæ in ejus materia peccet externè, vel internè; vel circa personam similiter sacram. Unde si utraque persona sit sacra, duplex erit sacrilegium, sicut & duplex adulterium, cùm utraque est conjugata. Probabilius est sacerdotem religiosum unum tantùm committere sacrilegium ex parte suæ personæ, quia obligationes servandi castitatem in tali persona sunt ejusdem rationis, vel potius est una, & eadem bis repetita, hoc est, idem votum. Secundò contingit ratione loci, quando actus venereus externus committitur in loco sacro; à quo sacrilegio non liberantur conjuges, quando absque necessitate copulam exercent in loco sacro. Dico: *Absque necessitate*. Quia si longo tempore maneant conclusi in aliqua Ecclesia, vel ratione belli, vel alia simili de causa, & immineat alteri periculum incontinentiæ, non erit sacrilegium reddere, aut etiam petere debitum in loco sacro, si alibi non sit opportunitas, ut docent communiter Doctores.

o Less. dub. 12.

448 Ad hanc speciem reducitur specialis deformitas, quæ intervenit inter

Digitized by Google

personas spiritualiter cognatas ratione baptismi, vel confirmationis; nempe inter baptizantem, & baptizatum; inter patrinum, aut matrinam, & ipsum baptizatum, & inter parentes baptizati, & baptizantem, & filii susceptores, seu compatres. Et idem est de confirmatione. [p] Lugo inter has personas præter malitiam fornicationis, duas alias agnoscit ex hac circumstantia; alteram incestus ex conjunctione, seu cognatione spirituali personarum; alteram sacrilegii contra reverentiam debitam Sacramento. [q] Verius tamen est unicam addi malitiam; quia unica est prohibitio ob reverentiam Sacramenti, ex quo illa cognatio oritur, & unica honestas offenditur, nempe reverentia Sacramenti, quæ illam cognationem induxit. [r] Diversitas autem Sacramenti non refundit differentiam specificam, ita ut necessarium sit id in confessione explicare.

[p Lug. n. 333.] [q Sanch. de matr. d.5.n.9.] [r Lug. n. 335.]

449 Id notandum copulam inter omnes personas spiritualiter cognatas non esse ejusdem speciei. [s] Nam peccatum baptizantis, & patrini cum puella baptizata differt specie à peccato eorumdem cum matre baptizati: quia licèt utrumque sit contra reverentiam Sacramenti; tamen peccatum baptizantis, & patrini cum baptizata habet se sicut peccatum patris cum filia; & peccatum baptizatæ cum eisdem habet se sicut peccatum filiæ cum patre. Peccatum baptizati cum matrina habet se sicut peccatum filii cum matre. Peccatum denique baptizantis, vel patrini cum matre baptizati, & matrinæ cum patre, habent alias rationes, quia inter illos non datur titulus reverentiæ, aut subjectionis, sicut inter parentes, & filios; sed specialis conjunctio in ordine ad eumdem filium. Quæ facilè intelliguntur, si hoc peccatum reducamus ad incestum. Quia tamen doctores illud appellant sacrilegium ad modum incestus, satis innuunt sequi leges incestus, quamvis sit contra reverentiam Sacramenti; quia diverso modo offenditur, quando violatur diversa observantia, seu etiam diversa conjunctio ab eo inducta, sicut de justitia dici solet, quæ pro diversitate materiæ diversas injustitias, seu diversa peccata contra justitiam specificat, & diversificat.

[s Lug. n. 334.]

SECTIO III.

De stupro, & raptu.

Stuprum [a] dicitur sola virginis defloratio, non autem viri, qui primum virginitatis florem amittit. Hoc peccatum virginis, quando primò defloratur, juxta probabiliorem sententiam, non addit super fornicationem malitiam specie diversam, nec circumstantiam, quæ necessariò sit aperienda in confessione; quia non est contra virtutem, quæ sit in præcepto. Virginitas enim, prout est distincta à castitate, in præcepto non est. Unde imprudenter confessores interrogant fœminas confitentes aliquod peccatum carnis, an fuerint ante illud virgines; quia interrogant, quod necessarium non est, & dant occasionem mentiendi, & peccandi ex conscientia erronea. Et quando hoc non eveniat, rubore afficiunt pœnitentes absque necessitate. 450

[a Sanch. 7. de matr. d.14.à n.5 Soa. de pœnit. d. 22.f.4.à n. 6. Less. l. 2. c.10. d. 8.]

451 Stuprum igitur, quod addit malitiam distinctam supra fornicationem, habet se ex parte viri, [b] quando per vim contra justitiam virginem deflorat; & consistit in injustitia admissa in auferendo violenter à virgine claustrum virginale. Differt verò à raptu, quia raptus violentiam de se importat non habita ratione status fœminæ, quia sive sit virgo, sive corrupta, sive conjugata, sive soluta; si per vim cognoscatur, raptus dicitur: Quare qui per vim virginem cognoscit, stuprum, & raptum committit. Semper enim in stupro invenitur raptus, sine quo ratio stupri inveniri non potest; at non in omni raptu stuprum invenitur, sed in solo raptu virginis.

[b Sanch. n.7.]

452 Hinc autem explicatur raptus, qui [c] propriè dicitur, cum persona aliqua libidinis causa, vi illata, adducitur, sive sit masculus, sive fœmina; sive sit nupta, sive sit innupta; sive virgo, sive corrupta; sive vis inferatur soli abductæ; sive iis, quorum potestati subest, sive utrisque. [d] Ad raptum igitur tria requiruntur, nempe vis illata, abductio, & ut fiat causa libidinis. Si non abducatur, sed in eodem loco violetur, non dicitur rapta propriè, & ex vi nominis, sed vim passa: generatim verò, & ex vi Juris raptus dicitur; & qui sic per vim fœminam agnoscit, raptor

[c Less. l. 4. c.3 dub. 9. Sanc. sup.] [d Less. n. 66. Sanch. supr.]

Digitized by Google

raptor dicitur, & pœnas raptorum incurrit.

453 Si nulla vis inferatur, sed fœmina spontè discedat cum amasio, parentibus nescientibus, non erit propriè raptus, sed voluntaria fuga. Unde ad raptum requiritur, ut vis inferatur vel fœminæ, vel saltem iis, ad quos pertinet, v. c. parenti, marito, sponso, curatori, abducendo illam ipsis contradicentibus, & repugnantibus. Si non abducatur causa libidinis, non erit raptus ad luxuriam pertinens. Non tamen requiritur ad raptum, ut re ipsa concubitus sequatur, sed sufficit, ut eo animo rapta sit, ut colligitur ex variis locis Juris videndis apud Doctores citatos.

454 Quare raptus licèt in se sit contra justitiam, ponitur inter species luxuriæ ratione intentionis pertinentis ad luxuriam, quia libidinis causa fit; vel ratione complementi, quia completur per concubitum, ad quem proximè tendit. Unde ratione sui termini pertinet ad luxuriam tamquam species ejus. Et ideò duplex malitia in hoc actu includitur respectu raptoris, altera contra justitiam, altera contra castitatem; ac proinde ad utrumque vitium pertinet, quamvis ratione finis inter species luxuriæ numeretur. Cæterùm graves pœnæ raptoribus in utroque Jure imponuntur, de quibus agere non est hujus loci. Potest videri Concilium Tridentinum, [e] & Doctores [f] agentes de raptu in materia matrimonii, & plures, quos allegat Barbos. ad citatum locum Trident.

[e] Sess. 24. c. 6 de ref. [f] Sanch supra. Less. c. 58.

SECTIO IV.

De peccato contra naturam.

455 Peccatum luxuriæ contra naturam est illud, quod committitur contra [a] ordinem, quem natura illius actus postulat, ut possit sequi conceptio prolis. Cùm enim hic ordo ita pervertitur, ut conceptio fieri nequeat, dicitur peccatum contra naturam. Ut autem conceptio fieri possit, natura quinque postulat. Primum, conjunctionem duorum. Secundum, eandem in utroque naturam. Tertium, sexum diversum. Quartum, organa, & vasa congrua. Quintum, debitum modum.

[a] Less. c. 3. dub. 3. Tolet. l. 5. c. 13.

456 Quare quinque modis potest committi peccatum contra naturam. Primò, si quæratur voluptas carnalis per seminationem absque conjunctione duorum. Et dicitur mollities. Secundò, si quæratur in conjunctione cum subjecto alterius naturæ, ut cum bruto; & dicitur bestialitas, aut cum dæmone, quod ad irreligiositatem pertinet, ratione commercii cum dæmone. Tertiò, in eodem sexu, ut mas cum mare, fœmina cum fœmina. Quartò, si in diverso sexu ejusdem speciei, sed non in vase congruo. Qui duo modi ad sodomiam pertinent. Quintò, si conjunctio, quoad cætera, sit naturalis, sit verò inordinatio in modo. Ut si fiat aversè, aut viro succumbente, ita ut non possit sequi generatio.

457 Circa hunc ultimum modum adverte. Si in eo non fit tanta perversio, ut non impediatur conceptio, non esse per se peccatum mortale, neque contra naturam, sed præter. Addo neque futurum veniale, si conjuges ratione constitutionis corporalis non possint servare usitatum modum, dummodò fieri possit conceptio, & semen in matrice recipiatur; quia tunc iste modus non erit incongruus, sed conveniens illorum dispositioni. Quando verò fit cum effusione seminis extra vas, vel cum periculo talis effusionis, peccatum erit contra naturam, & mortale.

458 Omnes prædicti modi non solùm sunt peccata mortalia, ut sæpè docet Apostolus, [b] & satis ostendunt gravissimæ pœnæ, non tam in veteri testamento, quàm in utroque Jure civili, & canonico impositæ saltem bestialitati, utrique sodomiæ, & congressui cum dæmone, mortis naturalis per combustionem ignis, confiscationis omnium bonorum, & perpetuæ infamiæ: sed etiam sunt pejores omnibus speciebus luxuriæ suprà dictis, si spectentur, prout sunt contra castitatem. Quod dico: Quia si aliæ, de quibus suprà actum est, considerentur, ut habent adjunctam malitiam alterius speciei contra justitiam, pietatem, vel religionem, possunt excedere ratione duplicatæ malitiæ, quæ etiam & gravissimam invenitur in congressu cum dæmone contra religionem.

[b] Rom. 1. 26. Gal. 5. 19. Ephes. 5. 5. 1. Cor. 6. 9.

459 Addo omnes istos modos peccati contra naturam specie distingui, continereque turpitudinem specie distinctam: ordinem verò gravitatis eorum hunc esse. Primò, congressus cum dæmone.

mone. Secundò, bestialitas. Tertiò, sodomia cum eodem sexu. Quartò, sodomia cum diverso. Quintò, inordinatus concubitus, quando est peccatum mortale juxta proximè dicta. Sextò, simplex pollutio. Omnibus istis addi possunt aliæ deformitates luxuriæ, quibus constituuntur species naturales, de quibus egimus in superioribus, v. c. adulterii, incestus, & sacrilegii, ut si pollutio, sodomia, bestialitas, &c. exerceantur à conjugato, habebit etiam malitiam adulterii, seu contra justitiam, si cum consanguineo, vel affine, malitiam incestus, & sic de aliis.

460 Superest, ut aliqua dicamus de prima specie, quæ dicitur mollities, seu pollutio voluntaria; quia est commune peccatum in hac materia, adeò ut dicat Tolet. [c] maximam damnatorum partem illo infici. Triplex autem potest esse pollutio. Prima est nocturna contingens in somnis absque usu rationis. Et aliquando tota contingit in somnis: aliquando motus corporis accidit in somnis, emissio tamen fit ferè in vigilia, ita tamen, ut homo nondum habeat plenam libertatem se cohibendi: aliquando fit emissio partim in somno, partim in vigilia perfecta, non tamen habet homo potestatem illam cohibendi. In primo modo pollutio in se nullum est peccatum. In secundo, & tertio potest esse veniale, si aliqualis fuit usus rationis, & potestas cohibendi imperfecta, & non plena; nam si plena esset, mortale foret.

c Cap. 13. n. 9.

461 Dixi: *Non esse peccatum in se*. Quia in causa peccatum esse potest, primò in desiderio, & affectu deliberato, ut si deliberatè desideres habere pollutionem nocturnam ob delectationem, mortaliter peccas. Non tamen, si ob bonum finem id optes, v. c. ob sanitatem, vel ob mitigandas tentationes, dummodò tale desiderium sit quasi speculativum, & minimè causa ipsius pollutionis nocturnæ. Secundò, in procurando ipsam pollutionem, quod semper erit mortale ex quocumque motiuo fiat. Unde qui vescitur tali cibo, vel tali situ accumbit eo animo, ut in somnis pollutio accidat, non excusatur à mortali. Tertiò, in non removenda causa futuræ pollutionis. Ut autem futura pollutio imputetur ex non remotione causæ, tria requiruntur. Primùm, ut quis probabiliter cognoscat, & advertat id, quod facit, fore causam futuræ pollutionis. Dixi: *Probabiliter*. Quia si dubitet de futura pollutione, & non habeat moralem, aut probabilem certitudinem, ad summum erit veniale. Secundùm, ut possit talem causam removere; si enim non potest, non peccat, nisi in eo consentiat, & complaceat. Tertiùm, requiritur, ut talem causam removere teneatur. Unde quando causa est bona, non tenetur illam auferre, nec peccat non auferendo. Ut qui studet his rebus ad mores aliorum dirigendos, ex quibus probabiliter cognoscit futuras pollutiones, non peccat, quamvis studium non omittat, quia non tenetur omittere. Neque etiam tenetur auferre causam, quæ mala non est, si ex ipsius ablatione sequatur nocumentum, v. c. qui ex eo, quòd sic accumbit, advertit se polluendum, si aliter dormire non potest, non tenetur aliter accumbere. Similiter qui solos habet cibos, ex quibus probabiliter timet pollutionem nocturnam, non tenetur abstinere, quia abstinentia ei nociva est. Si verò causa mala sit, aut talis, ut ejus ablatio non inferat nocumentum, nec bonum aliquod impediat, tenetur illam auferre, & non auferendo, advertens pollutionem causaturam, peccabit. Potest autem pollutio nocturna esse peccatum mortale in consequentibus, ut si quis de præterita pollutione complaceat ob delectationem. Dico: *Ob delectationem*. Quia si complaceat ob sanitatem inde secutam, vel quia mitigatos sentit stimulos carnis; non peccabit. Hæc de nocturna.

462 Secunda pollutio contingit in vigilia, sed absque consensu polluti, & dicitur pollutio involuntaria. Contingit autem in illis, qui seminis fluxum patiuntur, vel ex dæmonis illusione, aut naturæ debilitate, aut etiam fortitudine. Hæc quomodocumque contingat, homine non volente, de se non est peccatum, quia est actus naturalis, imò si voluntas cohibeat consensum, erit materia meriti. Potest autem esse peccatum, si adsit complacentia deliberata in illius delectatione. Tunc enim esset mortale. Et si esset imperfecta deliberatio, esset veniale. Secundò, potest esse peccatum mortale in causa, quam quis cognoscit pollutionem causaturam, si potest, & tenetur causam auferre: si non tenetur, quia causa est bona,

bona; vel etiam non mala, & non potest auferri sine gravi nocumento, non peccat causam non auferendo. Unde confessarius, si fortè, dum audit confessiones, incidit in tales pollutiones, non tenetur cessare; nec qui studet ad bonum finem; nec chirurgus, qui medetur foeminae in partibus, quae pollutiones istas excitant; & generaliter quoties similis causa est necessaria, vel valde utilis, omittenda non est, nisi sit periculum consensus, & complacentiae in delectatione pollutionis; tunc enim causae omitti debent sub culpa mortali.

463 Tertia pollutio contingit in vigilia cum consensu, & procuratione, & dicitur pollutio voluntaria, seu mollities, & semper est mortalis. [d] *Quia molles regnum Dei non possidebunt*, ut docet Apostolus. Nec unquam licet vel propter sanitatem, aut vitam ipsam, neque propter quemcunque finem. Solùm excipi potest mulier, [e] quando in actu conjugali suscepto virili semine, ipsa non seminavit, si immediatè ad hoc se concitet; quia id non erit contra naturam generationis, sed illi maximè consentaneum, quia est complementum actus conjugalis multum juvans ad perfectionem prolis, ut docent medici. Et alioqui gravissimo periculo peccati mortalis, per actum conjugalem, exponeretur, quia saepè fit, ut vir prius seminet, & desistat, illaque inde manere solet valde concitata, & exposita periculo, nisi etiam seminet.

d 1. Cor. 6. 9.

e Sanc. 9. mat. n. 17. Less. auth. 14. n. 94.

f Less. à n. 100.

464 Ad pollutionem [f] voluntariam pertinet illa, quae est volita in causa, maximè si haec sit propinqua dispositio, qualis est tactus, & aspectus partium inhonestarum, quam causam saltem ratione pollutionis vitare tenemur sub mortali; nisi necessitas ad illam actionem cogat; tunc enim erit pollutio permissa, non volita. Dixi: *Maximè si haec sit dispositio propinqua*. Quia si sit dispositio remota, v. c. nimius esus, & potus, equitatio, & similes, non tenetur illam sub mortali evitare ratione pollutionis futurae, nec pollutio inde secuta dicetur voluntaria, & mortalis, nisi causa ipsa, seu dispositio ex intentione agentis ad pollutionem dirigatur.

465 Nota autem primò, in hoc peccato pollutionis voluntariae posse alia peccata involvi. Nam si quis desiderio, affectu, ac imaginatione adhaereat alicui personae, dum, se ad pollutionem excitat; ultra peccatum mollitiei, erit malitia illius generis, cujus foret, si verè cum illa persona committeretur. Unde si persona, quam affectas, sit conjugata, habebit malitiam adulterii. Et sic de aliis. Imò si in eodem actu effectum dirigas ad diversas personas, toties peccabis, & addes circumstantias earum. Adde, quòd ex conditione tuae personae varias etiam species malitiae addere possis. Ut si sis conjugatus malitiam adulterii. Si habeas votum, malitiam sacrilegii, si affectes consanguineam, aut affinem, malitiam incestus, &c. Nota secundò, esse peccatum hoc difficillimae emendationis, quia occasio ferè semper est cum persona. De quo proindè meritò dicit Tolet. [g] vix habere posse aliud efficax remedium, quàm frequentissimam confessionem cum eodem confessario, ita ut fiat ter in hebdomada, si possibile sit. Quia hoc Sacramentum est maximum fraenum, & qui hoc non utitur, non posse sibi promittere emendationem, nisi per miraculum; miracula expectanda non sunt.

g Cap. 13. n. 9.

SECTIO V.

De aliis, quae in hoc praecepto simul prohibentur.

Tria adhuc prohibentur in hoc praecepto. Ad primum pertinent oscula, tactus, & amplexus. Quorum prohibitionem ut intelligas, adverte haec secundùm se mala non esse, [a] sed indifferentia: ideòque licitè fieri posse ex causa honesta; illicitè verò ex causa turpi. [b] Unde oscula, & amplexus etiam inter virum, & foeminam ex honesta benevolentia, juxta consuetudinem patriae, quae in nostra non est; culpa vacant. Imò & tactus quarumlibet partium, si fiant causa medendi, aut ex alio titulo necessario. Peccata verò esse mortalia inter solutos, imò & inter sponsos, si fiant in ordine ad copulam, seu ob delectationem copulae, ad quam disponunt tanquam media ad finem, quia malitia finis communicatur mediis. 466

a Sanc. l. 9. d. 46. n. 1.

b Sanch. n. 3. & 4. Less. dub. 8. n. 16. & 17.

467 Addo oscula, amplexus, [c] & tactus saltem graves assumptos praecisè ob delectationem, quae ex ipsis capi po-

c Sanch. n. 7. Less. n. 19.

potest, non intendendo aliam ulteriorem, mortales esse inter omninò solutos; quia natura sua, & intrinsecè ordinantur ad copulam tamquam media, illique proximè subserviunt, & notabiliter ad illam excitant, unde dicuntur copula inchoata: sed prohibita re aliqua, prohibentur omnia, per quæ ad illam proximè devenitur: ergo. Dixi: *Inter omninò solutos*. Quia hæc inter sponsos licere communiter docent Doctores, si absit periculum pollutionis. Dixi; [d] *Tactus saltem graves*. Quia de levibus v.c. manus, pedis, digiti, brachii, pectoris, &c. quæstio est, utrùm ex levitate materiæ sint tantùm veniales? Dicendum tamen nullam delectationem veneream deliberatè quæsitam, seu volitam, & acceptatam in tactibus ex levitate materiæ excusari à mortali. Quia omnis ordinatur ad seminis effusionem tamquam ad finem proximum, à quo omnis delectatio venerea suam habet malitiam. Addo. Licèt opposita sententia speculativè veritatem contineret, in praxi tutam non esse, ut notant Doctores.

d Sanch. 5. decal. c. 6. n. 12. Reb. 2. p. lib. 3. q. 19. f. 3. Palaus t. 2. d. 2. p. 10. §. 1. n. 4.

468 Limita primò, si oscula, amplexus, & tactus sint cum infantibus. [e] Hi enim à mortali excusantur, & sæpè à veniali; quia sine periculo, & mala intentione fieri solent ex amore honesto, & naturali illius ætatis. Secundò, si fiant ex joco, levitate, aut alia simili causa absque delectatione venerea, aut hæc insurgens reprimatur. Quia tunc mortales non erunt, nisi sint tactus omninò impudici inter virum, & fœminam in verendis, aut partibus vicinis, qui à mortali non excusantur etiam per jocum, aut curiositatem propter maximam indecentiam, & naturale veneris incitamentum.

e Sanch. 9. de mat. d. 46. à n. 10. Less. n. 62.

469 Ad secundum pertinent aspectus, qui mortales sunt, sive terminentur ad fœminam, sive ad marem cum concupiscentia personæ, vel delectatione de copula cogitata juxta illud: [f] *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Et idem est, si aspectui annexum sit grave periculum fornicationis, pollutionis, aut consensus in delectationem cogitatam; quia exponere se periculo gravis peccati, peccatum est. Cessante [g] verò omni periculo, & sinistra intentione, non excusabitur adhuc à mortali, si absque urgenti necessitate vir inspiciat verenda fœminæ, aut partes vicinas, vel fœmina viri; & quia id valde adversatur honestati naturali; & quia talis aspectus urgentissimus est luxuriæ stimulus, & per se gravissimo periculo expositus. Quam doctrinam variè limitat Sanch. Primò, si aspectus sit personæ ejusdem sexus, ut contingit natantibus. Secundò, si quis propria verenda inspiceret ex levitate, aut curiositate, absque mala intentione, aut periculo. Tertiò, si aspectus terminetur ad congressum brutorum, aut partes eorum commotas. Quia id nec tam inhonestum est, nec valde ad luxuriam provocat. Semper tamen tales aspectus erunt veniales.

f Matth. 5. 28.

g Sanch. n. 13. & 14. Les. n. 65.

470 Si verò [h] aspectus terminentur ad partes magis honestas, quæ frequentius videri solent, per se nullum erit peccatum, nisi fortè actus otiosi. Unde videre fœminam pulchram cum voluptate, quæ ex ipso visu percipitur ibi sistendo, per se mortale non est. Imò nec videre crura, brachia, vel pectora nuda fœminarum. Erit verò mortale, ubi fuerit periculum ulterioris peccati, aut consensus in rem veneream.

h Sanch. n. 16. Less. n. 65.

471 Ad tertium pertinet locutio, [i] & auditio rerum turpium. Quæ, si fiat animo se oblectandi in rebus ipsis narratis, & imaginationi objectis tamquam præsentibus, erit peccatum mortale; sicut ipsa delectatio, cujus intuitu fit. Et idem est de gestibus, & nutibus turpibus. Si verò fiat ex levitate, & vano solatio, veniale tantùm erit. Quia ista dicere, vel audire indifferens est, & finis appositus non est mortalis. Per accidens verò culpa potest esse mortalis turpia loqui, vel audire, ratione periculi proprii, vel alieni, aut ratione scandali, de quibus latè Doctores; ex quibus hæc decerpisse satis est ad judicandum de aliis.

i Sanch. n. 39. Less. n. 63.

CAPUT X.

Expositio septimi præcepti Decalogi.

HOc præceptum traditur sub his verbis: [a] *Non furaberis*. Quæ licèt expressè prohibeant usurpationem 472
rei alienæ pretio æstimabilis; implicitè prohibent quidquid per contractum illicitum potest accrescere, omneque damnum injustè inferendum in bonis for-

a Exod. 20. 15. Deut. 5. 18.

fortunæ, quamvis nihil alienum accipiatur ad dominium, vel usum. Ut si segetes, aut domum proximi comburas, equum, aut bovem occidas. Prohibent ulterius omnem injustam cooperationem ad tale damnum inferendum per jussionem, consilium, consensum, & similes actiones, vel quasi actiones morales. Prohibent denique desiderium furandi, & damnificandi; quia ex voluntate omnia peccata oriuntur. Verùm de hac parte dicemus cap. 13. agendo de decimo præcepto, ubi hoc septimum magis declaratur quoad voluntatem furandi, ac desideria merè interna damnificandi. Adverto, quia hoc præceptum prohibet injustitiam circa bona externa, solere plures Authores agere hic de justitia, de contractibus, ac de restitutione, quod nos alibi commodius præstabimus, quia solùm exponimus præcepta quoad ea, quę in ipsis comprehenduntur, ne quadrata rotundis misceamus.

SECTIO I.

Quid sit furtum prohibitum in hoc præcepto?

473 FUrtum in hoc præcepto prohibitum definiri potest: Ablatio injusta rei alienæ invito domino. Dicitur: *Ablatio*. Quia furtum non solùm est acceptio, sed etiam detentio, & damnificatio rei alienæ, quæ omnia ablatio significat. Dicitur: *Rei alienæ*. Quia ablatio rei suæ, qua sua est, non est furtum. Licet tale sit, quando res propria est alteri commodata, oppignorata, vel apud alium deposita. Quia tunc aufertur usus, vel securitas, quam proximus habebat in re illa, quæ injustè aufertur. Dicitur: [b] *Invito domino*. Quia si dominus spontè det; non erit furtum, sicut si rationabiliter non sit invitus. Unde sæpè excusantur filii auferentes aliquid à parentibus. Primò, si quantitas pro conditione status, & personarum, non censeatur notabilis judicio prudentum. Secundò, si filius cum fundamento putet patrem rogatum facilè concessurum, quia tunc non est invitus quoad substantiam. Tertiò, si dum versatur extra domum paternam expendat more aliorum suæ conditionis in eleemosynas, aut recreationes honestas. Quartò, si in extrema, aut gravi necessitate proximi accipiat ad eleemosynam, quam tunc pater dare tenebatur.

[b] Less. l. 2. c. 12. dub. 13.

474 Extra hos casus peccat [c] filius mortaliter, si notabilem summam occultè accipiat ex bonis parentum, ipsis rationabiliter invitis. Illud tamen notandum, non idem censeri notabile in furtis filiorum, quod tale censetur in furtis externorum, sed majorem quantitatem requiri; neque hanc esse eamdem respectu omnium, sed variam pro conditione status, ætatis, personarum, & aliarum circumstantiarum. Unde si filius accipiat duos, vel tres ducatus à parente divite, non statim putandum est peccasse mortaliter, præsertim cùm talis sæpè non sit multum invitus. Secùs si à patre mechanico, vel cui res est angusta. Et idem dicendum, si filius expendat in res turpes, aut vanas notabilem summam contra voluntatem parentum, ex iis pecuniis, quas ad honestos usus dare solent, si inde damnum accipiant, ita ut eis idcircò plus causa filii expendendum sit.

[c] Less. n. 76. & 77.

475 Ex eodem principio non peccat [d] uxor primò, si quantitas non sit notabilis spectato statu, opibus, &c. Secundò, si maritus rogatus facilè concederet. Tertiò, si accipiat ad dandum in extrema, vel gravi proximi necessitate. Et à fortiori si ejus pater, aut mater indigeat, aut proles suscepta ex alio matrimonio, imò & frater, ac soror. Tunc enim si maritus nolit illis succurrere, id potest uxor ex bonis communibus, & maritus erit irrationabiliter invitus. Tenebitur verò uxor, si notabiliter in hæc expenderit, id accipere in suam partem, licèt oppositum sit probabile. [e] Quartò, potest accipere ad faciendas donationes, & eleemosynas secundùm consuetudinem aliarum mulierum suæ conditionis, & si maritus vetet, videtur vetare excessum. Quintò, ad impediendum damnum mariti, sive temporale, ut fecit Abigail cum David, [f] sive spirituale dando eleemosynas, ut Deus illum convertat, vel non puniat. Sextò, si accipiat pro rebus familiæ, vel sibi necessariis, ut pro vestibus, victu, medicamentis, &c. Septimò, si maritus sit amens, vel fatuus; quia tunc administratio ad illam devolvitur. Et idem est, si maritus sit absens. Octavò, si maritus bona dissipet, ipsa potest clam furti-

[d] Less. dub. 14.

[e] Mol. t. 2. d. 274.

[f] 1. Reg. 25.

surripere, ut expendat cum familia, cujus curam maritus non habet.

476 Extra hos, & similes casus peccat uxor mortaliter, si summam notabilem ex bonis mariti, vel quorum ipse administrator est, ipso invito accipiat. Nam accipit illud, cujus maritus habet dominium, vel administrationem, & usumfructum. Licèt enim dimidia pars bonorum, & emolumentorum ad ipsam pertineat quoad proprietatem, administratio tamen est mariti, qua illum iniquè privat. Illud notandum ad mortalem furtum uxoris non satis esse illam quantitatem, quæ sufficit ad furtum externorum, sicut de filiis suprà dictum est.

477 Dicitur denique: *Injusta*. Quia ad furtum requiritur, quòd ablatio rei sit contra justitiam. [g] Per quam particulam multæ ablationes excusantur à ratione furti. Primò, si fiat per jocum; quia tunc licèt dominus sit invitus, non est furtum. Et idem est, si ablatio fiat ex authoritate potentis rem auferre. Unde Hebræi non commiserunt furtum auferentes secum divitias Aegyptiorum, quia Deus [h] illos voluit spoliari. Nec modò committitur, si princeps secundùm formam juris aliquem bonis spoliet. Nec erit furtum, si ablatio rei fiat in bonum finem, ut si quis ensem ab amente auferat, ne aliquem lædat, dummodò illum in utilitatem amentis convertat. Vel si uxor secretò pecunias à marito auferat ne in ludis, comessationibus, aut rebus turpibus profundat, si eas in usum familiæ convertat. Et sic in similibus, in quibus ablatio rei, quamvis fiat invito domino, furtum non est, quia non est contra justitiam, sed secundùm charitatem.

g Tol. l.5. c.15.

h Exod.11.

478 Secundò, non est [i] furtum, si quis in extrema necessitate vitæ, vel probabili ejus periculo secretò ab alio auferat, quod sibi necessarium est ad vitam sustentandam, nuditatem operiendam &c. Quia tunc non esset contra justitiam, cùm in ea necessitate omnia sint communia, & quilibet habeat jus ad sibi accipiendum. Et idem intellige de gravissima necessitate, quæ videatur ferè extrema, quamvis talis simpliciter non sit. Hoc tamen adverte. Si dominus rei sit in pari necessitate, te non posse ab illo rem auferre, quia in pari causa melior est conditio possidentis. Et ita omnes docent.

i Tol.c.15. Less. dub. 12.

479 Tertiò, non est [l] furtum, si quis sibi usurpet ab alio, quod sibi ex justitia debet, & solvere non vult, si certæ conditiones intercedant. Prima, ut certum moraliter sit rem esse illius, vel sibi ex justitia deberi; si enim esset dubium, non posset illam accipere, nisi per sententiam judicis. Secunda, ut non possit eam alia via comparare, aut non absque notabili molestia, vel expensis, aut amissione benevolentiæ, & favoris. Tertia, ut non accipiat aliquid apud debitorem depositum, sed vel rem suam, vel sui debitoris, quia compensatio debet fieri ex bonis debitoris. Quarta, ut non sequatur nocumentum aliorum. Si enim ex occulta compensatione alii venirent in suspicionem, unde nocumentum paterentur, non posset absque peccato fieri compensatio. Quamvis si fieret, non esset furtum ad restitutionem obligans.

l Less. dub. 10. Tol. c. 15.

480 Nota autem primò, [m] si res tua justo titulo v.c. pignoris, commodati, locationis &c. apud alium extet, eamque occultè recuperes, furtum esse ad restitutionem obligans, quia injustè spolias proximum jure suo, quod habebat in rem tuam. Hoc tamen intellige, si probabile erat te rem tuam, jure alterius finito, commodè recuperaturum. Si verò oppositum cum fundamento timeas, licita erit occulta compensatio. Nota secundò, famulos non posse sibi occultè compensare ex bonis dominorum, dum queruntur stipendia sua esse minora justo, nisi verè talia sint, ita ut ex justitia plus debeatur. [n] Quod fiet primò, si parvo quidem sit conventum, ea tamen mente, ut dominus servitio diligenter præstito, esset suppleturus, si dominus hanc mentem satis adverterit; quia tunc ex justitia dominus supplere tenetur, quoniam hoc tacitè in pacto continetur. Secundò, si famulus necessitate pressus exiguo convenit, quia dominus amplius dare noluit: tunc enim quòd operam suam multò plus valentem tam parvo locet, non sponte facit. Unde tenetur dominus supplere ad æqualitatem, si tali servitio egebat. Si autem non egebat, & solùm ad preces alterius admisit, potest minus offerre, & dare, quia merces ultroneæ vilescunt. Quando verò pactum non fuit factum, sed relicta est merces in domini voluntate; mensurari debet stipendium juxta summam, quæ ordinariè ab aliis solet

m Less. dub. 10. n.50.

n Less.dub 10. n 61.

pro

Digitized by Google

pro tali famulatu exigi. Et si id non detur, potest fieri compensatio.

481 Furto ita explicato accedit rapina, quæ addit vim, & violentiam, & novam rationem injuriæ, quatenus res à domino sciente per vim aufertur; estque distincta species à furto, prout hoc significat occultam usurpationem sine violentia. Ad furtum etiam pertinet id, quod injustè accipitur per contractum, quando contrahens iniquitatem ignorat, & ideo contrahit. Item quod invenitur, & non redditur. Ad rapinam pertinet usura, & iniquitas contractuum, quando hæc scitur, & ob necessitatem permittitur involuntariè tamen in voluntario mixto. In hoc verò præcepto nomine furti intelligitur omnis iniqua, seu injusta acceptio rei alienæ, & omnis damnificatio in bonis fortunæ.

SECTIO II.

Quale Peccatum sit furtum?

482 Furtum [a] ex genere suo peccatum mortale est. Requirit tamen notabilem quantitatem, circa quam sunt diversæ sententiæ doctorum. Communior, & probabilior quatuor, & ad summum quinque julios, seu regales argenteos postulat, quod solet esse stipendium ab industrio artifice in uno die lucrari solitum. Et hæc quantitas absolutè gravis est etiam respectu divitum, à quibus usurpatur.

[a] Tolet. c. 16. Less. dub. 6.

483 Unde furtum [b] parvæ quantitatis ex se veniale est. Dico: *Ex se*. Quia aliunde potest esse mortale. Primò, si fur habeat animum furandi notabilem, sed quia parvam invenit, parvam rapuit, mortaliter peccavit, non ratione furti, sed ratione voluntatis. Secundò, si cognoscat probabiliter dominum ex parvo furto, quia iracundus, & impatiens est, proditurum in blasphemias, aut aliud peccatum grave. Erit tamen mortale non ratione furti, sed ratione occasionis datæ ad peccandum. Tertiò, cùm parva quantitas erat multùm utilis domino, ex cujus furto notabile damnum subivit. Ut si sartori non habenti aliam nec unde emeret, acum surripias, vel ab alio artifice instrumentum, quo rapto, lucrum diei perdidit. Aut à mendico quartam partem julii, quo integro die sustentatur. Unde quantitas notabilis vel est talis in se, & absolutè, qualis censetur illa, de qua §. præcedenti, vel respectivè in ordine ad illum, à quo rapitur.

[b] Tol. c. 16.

484 Præterea mortaliter peccant, [c] qui per minuta furta intendunt surripere notabilem quantitatem, sive ab uno, ut famuli, qui ex singulis dominorum rebus singula minuta subtrahunt, quod maximè contingit dominorum Emptoribus. Vel à multis, ut accidit vendentibus res minutas, in singulisque obolum ultra justitiam exigentibus; vel pondera, & mensuras ad id leviter falsificantibus. Hi mortaliter peccant in illa intentione, & in quovis minuto furto ex ea procedente; quia singula procedunt ex intentione mortali, suntque ejus executio. Unde licèt singula furta ex se venialia sint, prout informantur ab illa intentione, mortalia denominantur; quamvis in singulis non sit novum mortale, sed continuatio ejusdem, nisi data interruptione ad illam intentionem moraliter multiplicandam, de quo lib. 10. cap. 5. sect. 3.

[c] Tol. c. 16. Less. dub. 5.

485 Quando verò deest illa intentio mortalis, & casu quis varia furta levia committit, modò unum, modò aliud, ait Tolet. [d] quamvis decursu temporis notabilis quantitas evaserit, non esse peccatum mortale, sed multa venialia, quia non uniuntur in una voluntate furandi multa. Opposita tamen sententia est communis omnium ferè DD. in hoc solo discrepantium, quòd alii [e] dicant ultimum furtum leve complens notabilem quantitatem esse mortale, suppositis antecedentibus, si ad illa detur advertentia; quia licèt in se leve, complet tamen usurpationem rei gravis, estque cooperatio, & concausatio damni notabilis. Alii [f] dicunt ultimum furtum veniale esse, detentionem verò voluntariam rei alienæ in notabili quantitate, quæ tunc incipit, esse mortalem.

[d] Cap. 16. n. 1.

[e] Soar. de cons. d. 20. s. 2. Vasq. 1. 2. d. 146. c. 1. Sanch. 1. decal. c. 4. nu. 10. & lib. 6. c. 1. n. 6.

[f] Less. dub. 8. Sayr. l. 2. c. 13. n. 19.

486 Denique furtum leve mortale est, cùm plures ex communi [g] consilio singuli parum quid accipientes, damnum notabile inferunt, ut cùm multi per vineam Petri prætereuntes botrum singuli usurpant. Aliter erit, si casu id fiat ita, ut alter alterius conscius non sit, quia nemo est causa notabilis damni. Et idem probabilius credo, estò quilibet adverteret notabile damnum inferendum per alios, si nemo illorum alteri

[g] Less. dub. 9.

Digitized by Google

alteri nec exemplo, nec cohortatione sit causa accipiendi, quamvis sciat alios similiter accipere. Nam quilibet parum quid accepit, & nemini fuit causa, aut occasio furandi, & dandi grave damnum. Unde ex eo, quòd alii etiam furentur, peccatum cuilibet non aggravatur, quia in sola parva quantitate cooperatus est ad damnum notabile, quod evenit præter intentionem.

487 Peccatum furti, & omnis iniquæ detentionis rei alienæ, vel proximo debitæ actu continuatur [b] toto tempore, quo domino non redditur, cùm possit reddi: non quòd novum peccatum addatur, sed quòd prius continuetur. Nam continuò læditur proximus, & impeditur à possessione, & usu rei, suæ, vel sibi debitæ dependenter à voluntate libera non restituendi, vel à libera omissione voluntatis: ergo est peccatum actuale continuum. Sicut verò mala voluntas facinoris exequendi toto die durans non est novum peccatum, sed idem continuatum eò gravius, quò plus liberè durat; ita detentio rei alienæ toto tempore, quo commodè restitui potest, est idem peccatum actuale continuatum, quod continuò aggravatur, & ratione durationis, & ratione majoris nocumenti, quod sequitur in proximo.

b Less. dub.4.

488 Id tamen addendum tripliciter posse hoc peccatum interrumpi. [i] Primò, cùm quis mutat propositum retinendi, decernens restituere prima data opportunitate. Secundò, quando detentio externa incipit non esse injuriosa, eò quòd restitutio sit impossibilis pro eo tempore. Tertiò, ratione somni, vel alterius notabilis distractionis, per quam fit impossibile cogitare de rei detentione. Per hæc interrumpitur peccatum illud, & postea de novo incipit, si detentio continuetur. Addunt [l] aliqui satis probabiliter novum peccatum esse, quoties quis utitur re aliena, quam retinet invito domino. Verius tamen videtur non esse novum peccatum, sed idem continuatum. Quia usurpare, retinere, uti, destruere rem alienam ejusdem rationis esse censetur. Jam verò si domino perinde sit, utarisne re sua, an eam otiosam habere; videtur non magis crescere culpam usu, quàm nuda detentione; ut si sit gemma, torquis, & similia, quæ usu deteriora non fiunt. De restitutione verò debita ex furto dicetur lib. 10. cap. 4.

i Less. dub.5.

l Less. dub.5.

CAPUT XI.

Expositio octavi præcepti Decalogi.

HOc Præceptum traditur per hæc verba: [a] *Non falsum testimonium dices.* Ubi licèt exprimatur injustitia proximo illata in judicio, quæ gravior est; virtute tamen, & implicitè comprehenditur, & prohibetur omnis per verba illata extra judicium, quæ fit per detractionem, contumeliam, mendacium, & susurrationem; imò & quæ internè tantùm infertur per judicium temerarium, & suspicionem; per quæ omnia læditur fama, & honor proximi. Consistit autem fama in bona hominum de aliquo existimatione, & definitur: *Clara notitia de aliquo habita.* Honor verò consistit in externa æstimationis significatione. Et definitur: *Reverentia externa hominis propter aliquam excellentiam.*

a Exod. 20. 14. Deut. 5. 19.

490 Detractio fit in absentia, estque denigratio famæ alicujus. Contumelia fit in præsentia, & lædit honorem. Susurratio seminat discordiam inter aliquos. Irrisio confusionem, & ruborem injicit contra honorem; & si verbis fiat, dicitur propriè irrisio; si nutibus & gestibus, subsannatio; si factis, illusio ex D. Thom. [b] Hæc quatuor peccata ex genere suo sunt mortalia contra hoc præceptum, quia non solùm offendunt charitatem, sed etiam justitiam prout damnum afferunt. Inter illa gravissimum est susurratio, teste D. Thom. [c] Quia destruit maximum bonum, nempe amicitiam, & concordiam. Gravior habetur contumeliam, quàm detractio, quia illa fit in præsentia, hæc in absentia. Utriusque malitia augetur, si is, qui læditur, sit nobilis, senex, religione venerandus, aut officio conspicuus. Contingere verò potest, ut idem actus quadruplicem hanc malitiam involvat; & tunc singulæ earum in confessione explicandæ erunt.

b 2.2.q.75 a.1.

c q.75.a.1.

Digitized by Google

SECTIO I.

De peccato detractionis.

491 DEtractio est [d] *aliena famæ occulta, & injusta læsio*. In qua definitione duo postulantur ad detractionem. Primum, ut aliquid dicatur eo modo, ut alterius famam, & existimationem, quam possidet in animo alicujus, extinguere, aut minuere valeat. Secundum, ut fiat occultè, hoc est, in absentia. Nam si in præsentia famæ alicujus detrahas, non erit simplex detractio, sed contumelia; quæ, si coram alijs fiat, utrisque rationem habebit, & contumeliæ contra honorem, & detractionis contra formam; utrumque offendit sic iniustè detrahens. Detractio ex D. Thom. [e] octo modis contingere potest. Primò, imponendo falsum crimen. Secundò, amplificando crimen verum. Tertiò, pandendo crimen occultum. Quartò, sinistrè interpretando factum alterius, quod non fit sine judicio temerario. Quintò, negando rectè facta, & dotes alterius. Sextò, imminuendo, & extenuando aliena merita. Septimò, tacendo bona alterius eo loco, & tempore, quo alij silentium interpretantur tacitam vituperationem. Octavò, simulatè, vel frigidè laudando, quod pejus est, quàm apertè reprehendere.

d Less. l. 2. c. 11. dub. 2.

e q. 73. a. 1. ad 3.

492 Est autem detractio vel formalis, vel materialis. Illa est, quæ fit ex intentione lædendi famam. Hæc quæ fit absque tali intentione ex quadam loquacitate, utraque ex genere suo est mortalis, quia læditur proximus in bono pecunia præstantiori. Dixi: *Ex genere suo*. Quia ex parvitate materiæ, vel ex imperfectione actus potest esse venialis, vt si narres levem proximi defectum, vel gravem, absque sufficienti deliberatione, & advertentia; quæ duæ conditiones culpam extenuare solent. Sufficiens materia ad detractionem mortalem est manifestatio peccati mortalis; quia damnum est notabile, estò persona, de qua manifestatur, sit defuncta, si antea bonam opinionem habebat apud homines. Excipe, quando ratione conditionis personæ peccata mortalia non censentur famam notabiliter lædere, ut si dicas militem commisisse duellum, habere concubinam, decepisse puellam, adolescentem esse amoribus deditum &c. vel quando generalibus peccatorum mortalium nominibus aliquis infamatur. Ut si dicas hominem esse superbum, avarum, iracundum &c. quia hæc nomina non ita ordinariè accipiuntur, vt sonent peccata mortalia, sed naturalem inclinationem, aut defectus veniales. Erit verò mortale vel ratione dignitatis personæ, vel si credantur accipienda pro gravibus vitiis.

493 Manifestatio peccati [f] venialis per se non est sufficiens materia detractionis mortalis. Quia cùm nemo à venialibus liber sit, non læditur fama notabiliter, nisi quando conditio personæ talis est, ut si de viro gravi, & religioso dicas esse mendacem, seu sæpius mentiri: nam dicere semel, aut bis fuisse mentitum, non esset detractio mortalis. Idem dicendum [g] est de manifestatione defectus naturalis sive animi, ut si dicas aliquem esse ignarum, parvi judicii, aut ingenii; sive corporis, ut esse cæcum, claudum, gibbosum &c. sive natalium, ut esse filium clerici, spurium, natum ex Judæis, vel Sarracenis. Nam ob hæc nemo censetur infamis. Unde ordinariè hæc non sunt materia detractionis mortalis; nisi quando propterea persona putaretur valdè ab aliis contemnenda, ut si esset gravis, ac in magna opinione, & defectus animi, aut natalium non essent antea cogniti.

f Less. dub. 5. Navarra lib. 2. c. 4. n. 514.

g Less. dub. 5. Mol. t. 4. d. 16.

494 Sed quid de referente audita, & quælibet alia absque asseveratione, & dubitanter? [h] Resp. 1. non esse mortale, si ita referat, ut probabile non sit ullam inde infamiam orituram, eò quòd audientes non credent. Si tamen diceretur crimen gravissimum, & verisimile foret auditores malam opinionem concepturos, mortale foret, quia talis suspicio grave nocumentum esset personæ honestæ, & majus personæ valde commendabilis, quæ est in magna existimatione. Resp. 2. si audita narrentur coram iis, quos probabile est ex sua levitate credituros, mortale esset. Quia qui advertit ex suis dictis aliquem graviter lædendum, tenetur ex charitate abstinere, si commodè potest, quamvis videat id ex aliorum culpa proventurum. Non tamen erit contra justitiam, quia non est causa efficax damni, sed merè per accidens, & occasionaliter; non enim narratio illa est talis, ut

h Less. dub. 6.

ut idonea sit fidem facere, si motiva non suggerantur ad credendum. Resp. 3. Qui refert audita eo modo, ut credantur apponendo motiva credulitatis, vel nominando authores, ex quibus audientes meritò possint induci ad credendum, vel saltem ad opinandum malum de proximo, peccat contra justitiam mortaliter, vel venialiter, juxta gravitatem materiæ; quia dat sufficientem causam credendi, aut malè opinandi, seu suspicandi de proximo.

495 Quid verò de audiente detractorem? D. Bern.[i] *Detrahere, vel detrahentem audire, utrùm horum detestabilius sit, non facilè dixerim.*[l] Unde certum est primò, illum, qui ita audit, ut excitet, & inducat ad detrahendum, aut interrogando movet ut causa moralis, non minus, sed magis peccare, quàm detrahentem. Committit enim peccatum scandali illum incitando, & injustitiæ contra illum, cujus fama læditur. Certum est secundò peccare mortaliter contra charitatem illum, qui delectatur, & complacet in detractione gravi. Quia delectatur de malo alieno, ut tale est. Unde cùm Apostolus[m] dixisset detractores esse Deo odibiles; addidit: *Non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* Si quis verò solùm delectatur eloquentia detractoris, vel curiosa cognitione dictorum non tamen desideraret detractionem, non peccaret mortaliter. Peccaret verò, si delectaretur de damno proximi ex odio, & malevolentia; vel si ita delectaretur eloquentia, aut curiosa cognitione, ut ei placeat, quòd alter detrahat. Et à fortiori si ita lætatur, ut inducat, & incitet ad continuandum.

i 3. de cõs. fide.
l Less. dub. 9.
m Rom. 1. 32.

496 Certum est tertiò, posse mortaliter peccare contra charitatem, qui nec inducit, nec lætatur; audit tamen, nec resistit, cùm possit. Ut si detractio sit gravis, & est spes te profuturum, si impedias, & impediendo damnum non times. Nam charitas, positis his conditionibus, obligat ad impediendum damnum proximi. Excusaberis tamen saltem à mortali. Primò, si nimia verecundia non audeas, quia es homo nullius ferè authoritatis. Secundò, si putes auditores non credere detrahenti. Tertiò, si detractio obiter excidit, & non continuatur. Nullo autem modo peccabis, si non putes profuturam tuam monitionem, aut damnum considerabile metuas, v.c. contumelias, vel quid simile. Debes tamen, si commodè possis, vel faciem tristiorem ostendere, vel sermonem aliò divertere, qua ratione impeditur, vel saltem minuitur fervor detractoris. Si tamen audiens sit superior, mortaliter peccabit, non compescendo subditos graviter detrahentes. Et idem credo de viro magnæ authoritatis, quia horum taciturnitas esset approbatio, & animatio detractoris.

SECTIO II.

Expediuntur aliquot dubia circa detractionem.

Primum dubium. An liceat injuriam ab aliquo acceptam amico referre? Resp.[a] non licere, si id fiat animo detrahendi, aut se vindicandi; licere autem, si fiat ad consolationem capiendam, & mitigandum dolorem. Nam nimis grave esset, & præter humanam consuetudinem, ut quis cogatur acceptas injurias solus in silentio concoquere. Unde sic referendo jure suo utitur; animo verò infamandi violamus alienum. 497

a Les. dub. 12.

498 Secundum dub. An sit detractio mortalis revelare crimen proximi uni, vel duobus viris cordatis, qui rem secretò habebunt? Negant communiter DD. quia illa revelatio censetur leve detrimentum in fama. Limitat verò Less.[b] Nisi ille unus, vel alter esset prælatus, aut vir gravis, cum quo proximus ille assiduè versatur, vel à quo dependet. Quia potiùs vellet sua crimina multis aliis innotescere, quàm personis prædictis; eò quòd meritò timere potest, ut aliter erga se afficiantur, indeque malè tractetur, aut graviter erubescat. Hinc inferes non esse detractionem mortalem,[c] si pœnitens manifestet in confessione complicem, quando nec potest aliter speciem peccati explicare, nec facilè invenit confessarium, cui complex sit ignotus. Hoc tamen est intelligendum secluso probabili periculo notabilis damni inde orituri complici, pœnitenti, aut tertiæ personæ, quod regulariter semper abest propter sacramentum sigilli sacramentalis.

b Less. dub. 11.
c Soar. de pœn. d. 34. s. 2. Reb. lib 4. q 13. n. 10.

499 Tertium dub. An liceat crimen pu-

Digitized by Google

publicum in aliquo loco patefacere in alio, in quo ignoratur? Resp. [d] si crimen alicubi est notorium jure, vel facto, aut etiam famosum, non esse contra justitiam illud patefacere in loco, ubi ignoratur. Quia quando his modis crimen est publicum, Auctor amisit jus ad famam; nam ipsa facti evidentia, & justi judicii ratio est in causa, ne queri possit sibi fieri injuriam per narrationem facti, quod jam est positum in propatulo. Unde si alibi famam retinet, est in facto, non tamen in jure. Nec erit contra charitatem saltem mortaliter detegere illud crimen eo in loco, quo communis fama illud brevi erat perlatura. Nam tunc non censetur notabile damnum inferri, cùm jam sit paratum in fama, & rumore communi, ex quo necessitate quadam eveniet, spectata hominum conditione, & communi consuetudine, idque sine peccato saltem mortali eorum.

d Less. dub. 13.

500 Aliter dicendum. Si locus adeò distaret; ut fama, & rumor crimen eò perlaturus non esset, vel saltem non nisi post longum tempus. Tunc enim læderetur proximus in re magni momenti, quod meritò ægrè ferres, si tibi fieret. Nec refert, quòd criminosus jus ad famam non habuerit. Quia sine injuria alterius, & sine fraude eam possidebat, diuque erat possessurus: ergo contra charitatem erit illum bono nomine spoliare, præsertim si nihil commodi inde proveniat detractori. Si tamen qui olim ob sua crimina fuit infamatus, famam postea benè vivendo recuperavit; mortale erit contra charitatem ea crimina commemorare apud eos, qui ea ignorabant, ut patet ex proximè dictis. Non videtur autem esse contra justitiam, nisi detur occasio audientibus opinandi hominem adhuc improbum esse. Nam licèt jus habeat ad famam, quam ex eo tempore benè vivendo comparavit; non tamen, ut dicatur, vel æstimetur fuisse probus eo tempore, quo sua crimina publica fecit: ergo qui narrat eum illa olim commisisse, ei non facit injuriam, dummodò non narret ea forma, ut indicet eum etiam nunc improbum esse. Quòd si alii inde acciperent occasionem dubitandi de præsenti probitate, teneretur saltem ex charitate illam suspicionem amovere. Unde inferes [e] sæpè nullum esse peccatum manifestare in eodem loco crimen aliis, qui vel sententiam judicis, vel factum publicum ignorabant. Quia, ut benè Tolet. per accidens est, quòd alii ignorent, & hæc extentio infamiæ est satis exigua. Et idem est de illis, qui loquuntur de causa, ob quam aliquis in carcerem conjectus est; quia carcer efficit causam detentionis publicam, de qua proinde [f] loqui non est injustum. Non tamen sequitur ex dictis licere religioso manifestare externis ejusdem urbis delictum ab aliquo in monasterio publicè commissum, aut de quo publicè punitus fuit. Quia monasterium, & civitas sunt veluti duæ, & distantes Respub. & per sententiam superioris religiosi non fit privatio famæ extra monasterium, nec potestas deferendi crimen extra ordinem, imò nec extra provinciam talis ordinis. Extentio verò ab uno ad alium conventum ejusdem provinciæ aliquando fiet cum peccato, aliquando sine illo. Quod ex circumstantiis deprehendetur.

e Tol. l. 5. c. 61. n. 5.

f Reb. 1. p. l. 4. q. 4. 8.

501 Quartum dub. An liceat infamare de aliis illum, qui jam est infamatus de uno, vel altero crimine? Resp. [g] si alia sint affinia, & conjuncta graviori crimini publico, non esse peccatum saltem mortale, illa aperire eis, qui principale sciunt. Ut si de publicè adultero dicas scripsisse literas amatorias, vel commisisse fornicationem; de convicto de gravi furto, quòd alia minora commiserit. De ebrioso, quòd non curet de familia, vel rixetur cum uxore. Si verò crimina alia non fuerint connexa, & affinia, peccatum erit contra charitatem, & justitiam, præsertim si sint alterius generis. Nam infamatus in uno genere vitii non amisit jus ad famam, quam habet in aliis virtutibus. Potest enim esse ebriosus, vel adulter, & esse fidelis, & verax.

g Less. dub. 14.

502 Quintum dubium, an liceat infamare illum, cui ipso facto per leges infamia imponitur; v. c. qui lenocinium exercet, qui filias, vel neptes prostituit, & similes, de quibus in ff. de his, qui notantur infamia? Resp. [h] non licere, quandiu factum est occultum; quia talis proximus adhuc retinet justam famæ possessionem, qua sine injuria privari non potest, sicut qui per leges ipso facto privatur bonis, non potest illis statim spoliari ante sententiam saltem declaratoriam criminis, ut probat usus, & praxis ipsa: ergo si-

h Less. dub. 10.

Digitized by Google

militer ille, cui jura infamiam decernunt privandus non est bona fama, in qua erat, dum ejus facta non propalantur, illis verò evulgatis in famam antiquam jus non habet.

503 Sextum dubium, an liceat infamare illum, qui fictè sibi famam paravit? Resp.[k] licere, si fictio vergat in aliorum detrimentum, ut si quis simulet se peritum medicum, advocatum, confessarium, nauclerum &c. & tibi constet non esse talem. Nam tales jus non habent ad retinendam famam cum aliorum periculo, & damno, cùm ea sint indigni, utpotè in errore fundata. Si verò fictio nemini noceat, non licebit illam propalare, quia esset contra charitatem, imò & contra justitiam, dum enim malitia est occulta jus habet, ut non judicetur malus. Quamvis probabile sit hypocritam non habere jus ad famam fraude, ac mendaciis partam.

k Less. dub. 10.

504 Septimum dub. An liceat occultum peccatum, vel secretum alterius pandere ad vitanda propria damna, & gravia tormenta? Resp.[l] licere, præsertim si nullum aliud incommodum, quàm infamiæ alteri impendeat. Quia non teneris alterius famam cum tanto tuo incommodo servare; sicut nec pecunias alienas, si eas apud te occultas habeas. Nec positiuè famam aufers. Quia id non intendis, sed solùm profers, quod erat occultum, ad quod jus habes, siquidem ille verè crimen commisit, & tu cognitionem sine illius injuria es assecutus. Unde quoad alterius infamiam habes te permissivè. Quin potius addo id tibi etiam licere, estò alteri inde periculum mortis immineat. Non enim teneris cum tanto incommodo servare famam, aut vitam proximi; quamvis sæpè laudabilius foret quævis tormenta perferre. Teneris tamen postea extra tormenta revocare confessionem, qua parte cedit in damnum proximi, servata veritate in aliquo sensu, ut dictum est agendo de juramento, nisi rursus tormenta, aut aliud grave incommodum timeas. Excipit Nav.[m] & meritò secretum Principis, aut Reip. ex cujus revelatione gravissima mala sequerentur communitati, cujus bonum proprio damno anteponendum est. Et idem probabilius est, estò aliqui negent, quamvis vi, ac fraude secretum extorseris. Quia fraus illa præcessit, & habuit suam culpam: nunc tamen in tanta necessitate constitutum non te privat potestate utendi jure tuo: sicut qui alteri abstulit per furtum cibum, retinet jus illo utendi in urgente necessitate; & qui alteri promisit silentium, ad illud non tenetur in ea necessitate. Unde qui ita revelat, nec injuriam infert, sed judex iniquè torquens; nec mortem alteri infert, sed permittit, quia utitur, jure suo ad se liberandum.

l Less. dub. 8.

m Cap. 18. n. 54.

505 Octavum dub. An liceat manifestare crimen occultum ad impediendum damnum proximo imminens? Resp.[n] si damnum impendens est alicujus momenti, sive temporale, sive spirituale, posse manifestari, quatenus ad impediendum fuerit necessarium. Patet hoc in exemplis dubii 6. Et similiter si nosti Titium esse furem, potes monere eos, cum quibus agit, ut sibi caveant. Et idem est de filiofamilias dissipante bona paterna, de filia inhonestè se gerente in dedecus familiæ, de crimine innocenti imposito, ob quod plectendus erit, potes aperire actorem, & sic de alijs. Imò ad id ex charitate teneri poteris, si damnum grave aliis immineat, & quod ex manifestatione sequitur, non est tantum, ut ejus ratio, præ altero haberi debeat. In dubio autem quod nam præponderet, favendum est innocenti. Probatur, quia nemo habet jus ad famam cum tanto damno alterius injusto. Unde si potes crimen occultum alterius propalare ad vitandum proprium damnum, etiam ad vitandum damnum proximi, quem diligere debes, sicut te ipsum. Hinc quando agitur de officio, vel beneficio conferendo, de matrimonio contrahendo, de suscipiendis sacris ordinibus, aut statu religioso; si scias aliquod justum impedimentum, unde notabile damnum meritò timeri debeat, potes occulta crimina revelare, & teneberis juxta proximè dicta. Et idem est de vitio ex defectu natalium inhabilitante per leges, quia inhabilis jus non habet, & alios habiles impedit. Notanter autem dixi: *Quatenus ad impediendum fuerit necessarium*. Quia si superest alia via commodior, seu minus noxia, verb. caus. per correctionem fraternam, vel similem ad damnum impediendum, non potest occultum crimen aperiri; esset enim contra charitatem, quæ obligat ad non læden-

n Less. dub. 9.

Digitized by Google

dum proximum, quantum fieri potest. Imò & contra justitiam ex communiori sententia DD. Et idem est. Si revelatio criminis, aut defectus occulti nihil juvaret ad damnum avertendum; quia frustra fieret talis revelatio. In dubio tamen licita erit.

SECTIO III.

An sit detractio mortalis infamare se ipsum?

506 Communis [a] sententia Doctorum est ex genere suo non esse detractionem mortalem contra justitiam. Quia homo est dominus suæ famæ, sicut & opum. Unde famam propriam prodigendo nulli facit injuriam, sive revelet crimen suum occultum, sive sibi falsum imponat. Neque contra charitatem, quia charitas non obligat ad bona hujus vitæ conservanda, nisi quatenus sunt necessaria ad bona spiritualia propria, aut proximorum: ergo non obligat ad famam propriam per se conservandam, saltem sub mortali peccato. Ratione tamen damni proprii, aut alieni potest esse mortale. Primò, si proprium crimen aperias ex jactantia. Mortale enim est se jactare, & gloriari de peccato gravi. Secundò, si inde sequatur scandalum, quod raro sequetur, si cum dolore, & confusione crimen tuum manifestes. Tertiò, si tibi inde immineat periculum vitæ, ut si falsò dicas te occidisse patrem Petri, aut filium. Quia hoc non solùm esset famæ profusio, sed vitæ, cujus dominus non es. Quartò, si inde sequatur infamia alterius, ut si diceres te violasse thorum Pauli, aut ejus filiam stuprasse. Quintò, si fama tua esset necessaria muneri, quod geris, ut si esses Episcopus, Abbas, Parochus &c. Quamvis si munus relinqueres, non esset mortale. Sextò, si tua infamia redundaret in alios, v.c. in filiosfamiliam, aut ordinem religiosum.

a Les. dub. 6. Tol. c. 66 n. 2.

507 Dixi: *Mortale esse imponere sibi falsum crimen, unde vitæ periculum immineat.* Quia esset cooperari ad propriam mortem, quod non licet. Unde etiam peccares mortaliter, si ad fugienda levia tormenta, tibi tale crimen imponeres; quia teneris vitam tueri, & conservare cum aliquo dolore, & incommodo, quando mortem non es commeritus. Dixi: *Quando mortem non es commeritus.* Quia si illam meritus fuisti per verum crimen à te commissum, non erit mortale, illud aperire ob levia tormenta, estò morte plectendus esses. Imò sine ullo tormento licet te sistere judici ob bonum finem, nempe ex zelo justitiæ, vel simili.

508 Difficultas tamen est, an ad vitanda gravia tormenta, liceat tibi ipsi falsum crimen imponere, ob quod morte plectendus sis? Resp. licere [b] estò aliqui contradicant. Primò, quia non teneris cum tanto dolore vitam tuam tueri, ne ab aliis eripiatur; sicut non teneris permittere, ut tibi abscindatur tibia ad vitam conservandam. Secundò, quia neque perniciosè mentiris, quia nulli alteri affers malum, quod tantum sit, ut ex justitia, vel charitate tenearis illud avertere cum tanto tuo incommodo, ut supponitur. Nec tibi infers malum, quod notabiliter præponderet ipsis tormentis. Nam falsum crimen fatendo brevi morte longam redimis. Neque propriè ordinem judicii pervertis. Quia nec pervertis judicem, ut faciat contra officium suum; nec teneris ei cum tantis tormentis innocentiam tuam probare; & alioqui mendacium in judicio sine alterius injuria non est mortale. Neque te moraliter interficis; quia habes justam causam, ut te interficiendum exponas, sicut si te exponeres hostium telis, ut gravissima tormenta ab illis inferenda evaderes. Non est igitur cur hæc sententia tenenda non sit, maximè quia favet multis miseris, qui alioqui non solùm corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falsa contra conscientiam, quæ non audent revocare metu tormentorum, quorum saluti per hanc doctrinam consulitur.

b Les. dub. 6. Tolet. c. 66. n. 6.

509 Duo adverte, primum, à fortiori non esse mortale sibi falsum crimen imponere ad fugiendam mortem, aut gravia tormenta, si ex negatione criminis mors, aut tormenta inferenda forent, dummodò ex tali confessione injuria gravis tertio invito non sequeretur. Secundum, qui falsum crimen confessus est, non teneri postea confessionem revocare, quamvis eam perjurio confirmasset, si prudenter timeat se rursus ad tormenta raptum iri, ut fieri so-

Digitized by Google

solet. Quia perjurium jam transit, nec ejus culpa per revocationem deletur. Secùs esset si perjurium in detrimentum tertii inviti cederet; hoc enim debet revocari, ut succurratur damno injustè illato. Neque etiam teneretur confessionem revocare in extremo vitæ, cùm jam mors esset inferenda, si ea revocatio nihil prodesset, ut ordinariè non prodest. Si verò ex confessione falsi criminis gravis infamia sequeretur: expendere oportet, an tormenta ipsi infamiæ præponderent, an è contra. Quia fieri potest, ut illa infamia tanta sit, ut potius tenearis quævis tormenta perpeti, quàm illam tibi cum tanto aliorum damno irrogare. In quo casu teneberis confessionem jam factam retractare, ut sic aliquo modo consulas aliorum famæ, quam injustè læsisti.

SECTIO IV.

De contumelia, susurratione, ac irrisione.

510 a T olet. c.9 n.2. Les.dub.2. CONtumelia [a] est contra honorem proximi, & fit in ejus præsentia, cùm in faciem dicuntur verba injuriosa maximè ad mores pertinentia. Ut si dicas: *Fur, latro, mendax, sodomita, &c.* Estque ex genere suo peccatum mortale. Et si injuria gravis sit, erit verè mortale, sive verba dicantur animo inhonorandi, sive absque illo ex ira, dummodò non desit sufficiens deliberatio, & verba sint injuriosa vel in se, vel respectu personæ, cujus dignitas consideranda est. Dixi: *Maximè ad mores pertinentia.* Quia quando [b] verba culpam non denotant, honorem tamen lædunt, cùm in faciem objiciuntur, dicitur propriè convitium. Ut si aliquem dicas fatuum, stultum, insensatum, filium clerici, Judæum, saracenum, &c. Estque mortale ex genere suo, ut satis constat ex doctrina Christi: [c] *Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et certè gravissimè solent homines has contumelias, & convitia ferre, per quas honorem judicant maximè lædi, & imminui.

b Les.dub. 3.n.16.

c Math. 5.23.

511 Ad contumeliam, & convitium reducitur Irrisio, quæ confusionem, & ruborem injicit contra honorem, & externam æstimationem. Hæc si fiat verbis, dicitur propriè Irrisio; si nutibus & gestibus, subsannatio; si factis, illusio. Ut si alapam impingas, vel fuste percutias in dedecus, & ignominiam, ut sic honor lædatur. Quæ etiam erunt mortalia juxta materiam, & honoris imminutionem; attenta semper personarum conditione. Ad contumeliam, & convitium reduci possunt prædicta verba contumeliosa, & convitiosa, quando in epistola alicui scribuntur ad illum dehonestandum. Vel etiam quando per libellum famosum publicantur. Quamvis libellus magis pertineat ad detractionem. Est autem [d] libellus famosus signum, vel scriptura continens alicujus infamiam nondum publicatam, sed eo fine, ut fiat publica. Signum sanè per se libellus famosus non est, quamvis ejus naturam contineat, ut si viro nobili cornua ad fores appendantur, erit quidem genus convitii, vel etiam detractionis gravissimæ. Contra actores, [e] & promotores libellorum jus civile pœnam capitis statuit. In foro autem conscientiæ gravissimum peccatum est contra charitatem, & justitiam. Nec excusantur, qui hos libellos repertos aliis ignorantibus communicant, antequam infamia sit publica.

d Mol. t. 4 d.35.

e L. unica c d de libelli fam.

512 Porrò contumelia, convitium, & irrisio possunt excusari à mortali primò, ex defectu deliberationis. Secundò, ex levitate materiæ. Neque enim omnia honorem graviter lædunt. Tertiò, si fiant joco. Quartò, quando fiunt inter personas parvi momenti, ut inter mulierculas, servos, & famulos infimæ conditionis, aut pueros. Quintò, quando fiunt correctionis gratia à magistro in discipulum, à domino in servum, à patre in filium, à superiore in subditum. Qua ratione [f] Christus discipulos vocavit stultos, & Paulus [g] Galatas insensatos. Modus tamen, & prudentia est servanda, non enim licet superiori convitiari subdito tanquam servo, neque principi personæ nobili, & honoratæ.

f Lu.24.25.
g Gal.3.1.

513 Susurratio [h] est manifestatio defectus alieni ad seminandum discordiam inter amicos. Quamvis autem ordinariè contineat detractionem, ab illa differt ob finem seminandi discordias, sive ab operante intentum, sive non intentum, aptum tamen sequi. Unde gravior putatur detractione. Est autem peccatum contra charitatem, & justitiam ex genere suo mortale. Potest tamen aliquando licere, cùm sine mendacio

h D.Tho. q.74.a.1. Mol. disp. 35.

Digitized by Google

dacio manifestatur alicujus defectus ad dissolvendam perniciosam amicitiam, quando aliter dissolvi non potest; nam ad vitandum magnum damnum, licet manifestare crimen alterius, ut si ea ratione dissolvatur turpis amicitia concubinatus, & similes.

SECTIO V.

De mendacio, judicio temerario, & suspicione.

514 a Tolet. l.8.c.54. Less.l.2. c.29.d.2.

Mendacium [a] etiam pertinet ad hoc præceptum, in quo prohibetur falsum testimonium, omnisque falsitas. Definitur autem falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Est enim mendacium propriè peccatum oris. Comprehendit verò quod profertur per scripturam, qua loco vocis utimur. Imò & quod profertur per signum, aut nutum ex D. Thom. [b] Qui addit mendacium esse in simulatione, quæ nempè consistit in factis externis, quibus aliquis significat id, quod non est. Si autem existimet ita esse, ac profert; erit solùm mendacium materiale: si autem existimet falsum esse; erit formale, quamuis in re verum sit, quod dicitur. Et hoc est propriè mendacium, quando id, quod dicitur, putatur à dicente falsum, estque enunciatio contra mentem; ac proinde contra solidam, aut certè putatam veritatem. Unde idem est mentiri, ac contra mentem ire.

b 2. 2. qu. 110.a.1.ad 3.& q.111 ar.1.

515 Est autem omne mendacium intrinsecè [c] malum, & peccatum, quia contra naturam, & rationem est, ut voces, quæ sunt signa conceptuum, significent aliud, quàm quod est in mente. Unde errarunt, qui dixerunt licere aliquando mentiri ob magnam utilitatem, non [e] sunt enim facienda mala ut veniant bona. Negari tamen non debet licitam aliquando esse aliquam simulationem ex causa justa, subintellecta conditione non fallente; ad celandam veritatem, utendo verbis amphibologicis; de quo satis diximus cap.5. sect.3. In cujus rei confirmationem solent adduci exempla scripturæ de Abrahamo dicente: [d] Saram fuisse ejus sororem; intelligebat enim consanguineam, quæ soror etiam dicebatur. De Jacobo [e] affirmante se esse Esau quoad jus hereditatis sibi à Deo concessæ, & à se emptæ. Nec mirum esse debet justam ad hoc requiri causam; quia licèt in hoc modo loquendi absit mendacium, adhuc erit peccatum contra veritatem, quæ inclinat, ut nos tales proximis ostendamus, qualis ipsi sumus, ut observat D.Thom. [f] hoc est, ut ad mentem audientis respondeamus, ut ritè conservetur societas inter homines.

c D. Tho. q.100.a.3.

e Rom. 3. 8.

d Gen. 20. 2.

e Gen. 27. 19.

f 2. 2. qu. 109.a.3.

516 Dividitur mendacium [g] in jocosum, officiosum, & perniciosum. Jocosum est, quod dicitur delectationis causa, & nemini nocet. Officiosum, quod profertur ad bonum acquirendum, vel malum avertendum, idque sine injuria ulli illata. Perniciosum est, quod dicitur cum alterius damno, vel injuria, sive in rebus humanis, sive in divinis. Mendacium jocosum, aut officiosum ex genere suo est tantùm veniale, si nihil aliud habeat, quàm falsitatis vitium; quod cùm non sit contra justitiam, charitatem, aut religionem, materia non est admodum gravis, qualis ad mortale postulatur. Perniciosum ex genere suo est mortale, quia ex natura sua repugnat charitati, & aliquando justitiæ, ac religioni. Et solùm habet locum communis exceptio de levitate materiæ, aut imperfectione actus.

g Tolet.c. suprà.

517 Judicium temerarium [h] est quod concipitur de peccato, aliove infami malo proximi ex levibus indiciis, & apud prudentem virum non sufficientibus. Pertinet ad detractionem, quia est quoddam internum mendacium perniciosum contra famam proximi, & jus, quod habet ad illam, & ad bonam opinionem, & quoddam mentale testimonium falsum asseverans internè ut certum ex indiciis non sufficientibus ad certitudinem, quod aliter se habere potest. Est autem judicium temerarium deliberatum de gravi malo proximi ordinariè peccatum mortale contra justitiam, & charitatem, ut satis indicat scriptura: [i] *Nolite judicare, & non judicabimini. Nolite ante tempus judicare. Tu autem quis es, qui judicas proximum? Tu autem quis es, qui judicas servum alienum?* Et prob. quia gravis injuria irrogatur proximo, dum sine causa habetur improbus. Hoc enim perinde est, ac si falsum crimen ei impingeretur: longè enim acerbior, & gravior est falsa infamia, quàm vera, adeò ut omnium judicio censeatur grave malum, etsi apud unum

h Less.l.2. c.29.d.2.

i Matth 7. 1.Cor. 4.5. Jacob. 4. 11. Rom.14. 4.

Digitized by Google

tantùm resideat. Cujus signum est, quòd homines molestissimè ferant talem de se haberi existimationem.

518 Dixi: [l] *De gravi malo proximi*. Ut comprehendam quidquid infert proximo notabilem injuriam, sive sit peccatum mortale, sive veniale, sive nullum peccatum, dummodò ex tali judicio proximus notabiliter injuriosè lædatur. Ut si hominem moribus, doctrina, aut undequaque nobilem judices ex levi causa oriundum ex parentibus infamibus, v. c. ex Judæis, ex coitu illicito, &c. Nam detractio in hac materia est peccatum mortale: ergo & judicium temerarium, quo sanè imminuitur existimatio, quæ magni fit hac etiam materia. Quis enim est, qui non ægrè ferat se spurium, aut Judæum haberi? Sunt quidem aliqui defectus naturales, in quibus non erit materia judicii mortalis, sunt tamen alii graviores, & graviores. Dixi: [m] *ordinariè esse peccatum mortale*. Quia fieri potest, ut interdum judicium temerarium non sit peccatum mortale. Ut si indicia non sint quidem sufficientia ad certum judicium; magnam tamen habeant probabilitatem, ita ut efficiant rem valdè credibilem. Tunc enim non erit mortale, quamvis quis judicet rem esse moraliter certam; quia non est tanta distantia inter moralem certitudinem, & magnam probabilitatem, ut censeatur notabilis injuria, si quod valde probabile est, judicetur certum. Dixi: [n] *De gravi malo*. Quia si quis temerè judicet de altero in re levis momenti, vel quam ille parvi pendet, non erit peccatum mortale, sicut suprà dictum est de detractione.

[l] Mol. d. 3h n. 5. Sà verb. judic. tem.

[m] Less. n. 15.

[n] Less. n. 14.

519 Ad judicium temerarium accedit opinio, suspicio, & dubium temeraria. Est enim opinio temeraria, cùm quis non judicat certò malum de proximo, sed probabiliter adhærendo uni parti sine sufficientibus indiciis ad talem adhæsionem. Suspicio est levis opinio etiam sine sufficientibus indiciis ad ita leviter suspicandum. Dubium autem aut est positivum, cùm aliquis actu positivo dicit hanc rem esse dubiam, & non adhæret alteri parti, & hoc etiam facit sine sufficientibus fundamentis: aut est negativum, cùm quis suspendit judicium nihil affirmando, aut negando. Distinguuntur à judicio, quia hoc certò judicat saltem moraliter, hæc verò cum dubio, ut ex dictis constat. Porrò majora indicia requiruntur ad opinionem, vel suspicionem, quàm ad simplicem dubitationem, & majora ad firmum judicium.

520 Quamvis autem diversimodè loquantur DD. circa qualitatem peccati prædictorum actuum, quatenus aliqui affirmant esse mortale, alii esse solùm veniale. Probabilius [o] videtur esse solùm veniale, quando non ex malo affectu personæ de illa temerariè opinamur, aut suspicamur, sed ex errore intellectus apprehendimus illa indicia tamquam sufficientia: quia per talem modum opinandi, aut suspicandi non irrogatur injuria notabilis proximo, eò quòd non ex malitia, sed ex imbecillitate judicii suspicamur parati corrigere, ubi melius adverterimus. Aliter dicendum si procedamus ex malo affectu; quia tunc non ex errore, aut imbecillitate, sed ex malitia, qua ita volumus opinari, & suspicari, ut proximum contemnamus, ac vilipendamus. Et pari ratione de dubitatione sentiendum est.

[o] Less. dub. 5.

SECTIO VI.

De peccatis contra hoc præceptum in judicio.

UT initio capitis notavi, in hoc præcepto falsitas in judicio exprimitur, quia gravior, per illa verba: *Non falsum testimonium dices*. Ubi licèt sermo tantùm fit de falsitate in testificando, aliqua dicenda erunt de aliis peccatis in judicio contingere solitis discurrendo per personas in eo intervenientes. 521

§. I.
De judice.

JUdex habere debet primò legitimam [a] potestatem ordinariam, delegatam, vel arbitrariam, aut accessoriam ratione delicti commissi in suo territorio. Judicare autem sine aliqua ex his potestatibus ex genere suo mortale est cum obligatione restituendi damnum inde sequutum. Unde peccant judices per usurpationem judicii, si judicent sibi non subditum aliquo ex his modis. Et consequenter judices sæculares judicantes, & cognoscentes de causis clericorum; & simi- 522

[a] Tolet. l. 5 c. 56. Less. lib. 2. c. 29. dub. 6. & 7.

Digitized by Google

similiter si vi, aut fraude extrahant ab Ecclesia eos, qui in eam confugerunt, in casibus, quibus ejus immunitate gaudent. Qui excommunicati denuntiati, aut publici clerici percussores judicium exercent. Item Ordinarius judicans exemptos in iis, in quibus sibi non subduntur. Quia omnes hi carent potestate, ac proinde irritam, ac nullam sententiam, nullosque processus conficiunt cum onere restituendi damna.

523 Secundò, judicare debet secundùm veritatem, [b] saltem formalem, qua procedatur secundùm quod verum existimatur. Hæc autem veritas haberi non debet per scientiam privatam, sed per publicam, ut in judicio probatur, maximè in rebus civilibus. Imò in criminalibus, secundùm communem sententiam, potest & debet condemnare innocentem probatum nocentem, licèt judex inferior teneatur facere quidquid potest ad eum liberandum, ut dictum est c. 8. s. 1. Unde Judex inferior neminem condemnare potest ex privata scientia, & idem probabilius est de supremo Principe. Tertiò, debet servare formam [c] juris. Quæ consistit in eo, quòd præcedat accusatio, sine qua neminem damnare potest, nec vocare in judicium, nisi vel crimen sit notorium, & manifestum, vel reus illud in judicio sponte fateatur, vel præcesserit infamia, aut semiplena probatio, aut judicialis denunciatio. In his enim casibus vocare potest in judicium sine accusatore, & procedere ad majorem probationem juridicam. Debet tamen accusator institui, ut procedat ad sententiam.

b Tol. n. 4. & 5. Less. dub. 11.

c Tolet. n. 6. Less. dub. 12.

524 Tribus [d] ergo modis judex procedere potest. Primò, via accusationis, quando aliquis accusat, & tunc procedit ad instantiam partis. Secundò, via denuntiationis, quando quis juridicè denuntiat crimen, & tunc procedit ex officio. Tertiò, via inquisitionis, quo etiam modo procedit ex officio. Inquisitio autem vel est generalis, quando in genere inquiritur de criminibus, ad quam non est opus, ut aliqua infamia præcesserit. Vel est omninò specialis, quando de certo crimine, & certa persona inquiritur, an illud commiserit, ad quam procedere non potest, nisi præcesserit aliqua infamia, vel sint indicia de tali persona. Sicut nec quando crimen est notorium, sed auctor ignoratur; licèt possit in genere inquirere quis fuerit delinquens.

d Tol. n. 7. Less. dub. 12. & trib. sequent.

525 Consistit secundò in eo, ut neminem condemnet nisi citatum, [e] & auditum. Quæ forma ordinariè servanda est, estò sit certitudo de crimine à reo commisso. Dixi: *ordinariè*. Quia in aliquibus casibus id necessarium non est. Primò, si reus publicè deprehenditur in delicto. Unde latrones deprehensi interdum illico suspenduntur absque ulla defensione, & processu: quia factum notorium est instar accusatoris, & testium, nec relinquit jus se defendendi in judicio. Secundò, quando esset periculum rebellionis, aut alterius gravis turbationis, si juridicè procederetur, ut si reus esset valdè potens, & crimen esset evidens. Tertiò, quando quis machinatur Reipub. vel privatis perniciem, quæ aliter averti nequit: sed hoc non tam est punire crimen commissum, quàm impedire malum impendens. Quartò, si crimen soli Principi, & tribus aliis notum sit, ita ut juridicè probari possit; tunc posset reus occultè interfici sine citatione, & probationibus, si publicè absque gravi incommodo puniri non possit.

e Less. dub. 11. à n. 99.

526 Consistit tertiò, [f] in eo, quòd secundùm jura, & leges judicet tam in quantitate, & qualitate pœnæ, ita ut pœnam juris nec excedat, nec minuat, si sit judex inferior; nam princeps supremus potest interdum legum rigorem, & pœnam relaxare, vel mitigare, quando ita judicat expedire Reipub. Quod inferiores judices non possunt, nisi ex ipsius concessione tacita, vel expressa. Quam etiam in præparatoriis concedendo terminos juris, eos nec negando, nec ad libitum extendendo. [g] Quartò, consistit in eo, quòd justam sententiam proferat, & exequatur. Et si sit inferior, debet illam exequi, sive accusator desistat, sive non desistat, quamvis possit appellationem concedere. Si sit superior, & accusator non remittat, debet secundùm leges judicare, & rarissimè in casu, quo reus sit valdè utilis Reip. de Principis consensu potest pœnam legis remittere; potest enim Princeps tunc compellere accusatorem, ut alia satisfactione contentus sit. Si accusator remittat, poterit

f Tol. n. 6. Less. dub. 5.

g Tol. n. 8. & 9.

Digitized by Google

rit dispensare in pœna juris, quamvis si crimen fuit contra bonum publicum, non debeat condonare.

527 Judex peccat contra justitiam, h & tenetur ad restitutionem, si condemnet reum contra formam juris, vel ex privata scientia, vel ex cognitione per injuriam extorta, ut si à se ipso inquisitionem inchoet, nulla præcedente infamia, aut denuntiatione juridica, quæ viam aperiat; si tormentis, vel propinquo tormentorum metu confessionem extorqueat, quando non erant indicia ad torturam idonea. Vel si erant idonea, persona torqueri non poterat vel ob dignitatem, vel ob ætatem. Si dolo induxit ad confitendum, verbi causa, promittens impunitatem. In omnibus enim his, & similibus casibus facit injuriam reo, ex qua oritur obligatio restituendi.

h Less. dub. 18.

§. 2.
De accusatore, & denuntiatore.

528 INter accusatorem, i & denuntiatorem hoc est discrimen, quia denuntiator crimen ad judicem defert, ut procedat ad emendationem propter bonum commune, & probare non tenetur: accusator crimen defert vindictæ causa, & tenetur probare.

i Tol. l. 5. c. 57. n. 1.

529 Cùm peccata l jam sunt facta, nec actu manent, ut continuentur; nemo accusare, aut denuntiare tenetur, estò fuerint contra bonum publicum, nisi quis à judice juridicè interrogetur; quod tunc fit, cùm præcessit aliqua infamia de reo, aut aliqua probatio. Unde si reus sit occultus, non teneris accusare, ac denuntiare, quamvis interrogeris, quia juridicè non interrogaris, & peccas contra justitiam cum onere restituendi, si occultum criminosum denunties. Et consequenter quando judex procedit ex officio per inquisitionem generalem, vel etiam particularem, non teneris, nec licet patefacere auctorem criminis, si nulla laboret infamia, & nihil mali in posterum timeatur.

l Tol. n. 3.

530 Cùm crimen m est contra bonum publicum, & adhuc est in procinctu ut fiat; teneris accusare, si probare potes; vel saltem denuntiare, præmissa prius admonitione fraterna, quæ in aliquibus casibus omitti potest. Primò, cùm delinquens præsumitur incorrigibilis, quòd maximè est verum de hæretico, & proditore. Secundò, cùm admonitio non speratur profutura. Tertiò, cùm ex admonitione probabiliter timetur mors, aut aliud detrimentum notabile. Quartò, cùm non est tempus, quia urget commune periculum, cui per illam viam occurri non potest. n Idem est, cùm peccatum est contra tertium, cui grave detrimentum imminet, quia v. c. paratur ejus occisio; domus, aut segetis combustio &c. teneris auctorem admonere fraternè. Si verò non est locus admonitionis, juxta proximè dicta, denuntiare debes judici, non tamen illi tertio revelabis personam, nisi in genere, ut sibi caveat. Cùm verò jam crimen est factum non teneris denuntiare, nisi juridicè rogatus.

m Tol. n. 4. Less. lib. 2. c. 3. à dub. 2.

n Tol. n. 6.

531 Quando verò peccata o non vergunt in damnum publicum, vel tertii, sed in proprium delinquentis, ut fornicatio, concubinatus &c. tenetur quis proximum fraternè corrigere, juxta præceptum correctionis fraternæ, de quo cap. 3. sect. 4. cùm correctio profutura speratur; & si non speratur, denuntiare prælato tamquam patri. Idemque faciendum est, cùm prælati præcipiunt, ut tales denuntientur. De quo vide dicta cap. 7. sect. 3. in 2. casu.

o Tol. n. 7.

532 Est autem in accusando p justitia servanda, & consistit primò, in veritate, ut affirmes, quæ judicas ita esse; si enim falsum imponas, mortaliter peccas cum obligatione restituendi damna inde secuta. Unde si à principio litis te verum accusare putabas, & postea deprehendas rem aliter esse; teneris desistere. Et si post latam sententiam idem agnoscas: teneris reddere, quæ tibi ex sententia obvenerunt. Secundò, ut quamvis crimen verum sit, non utaris falsis testimoniis, inducendo testes ad jurandum, quod nesciunt. Peccas enim mortaliter hoc faciendo, quamvis ad restitutionem non tenearis. Tertiò, ut debitam habeas intentionem, recuperandi nempe rem tuam, aut satisfactionis in bonum publicum, non verò ex odio ut alteri noceas; ex hoc enim accusare, aut denuntiare mortale est, cùm materia gravis fuerit. Quartò, ut non desistas in media causa, nec deficias in probationibus, ut vincaris: hoc enim peccatum

p Tolet. 8. & 9.

Digitized by Google

tum est, & dicitur in jure prævaricatio. Non tamen semper est peccatum, sed quando accusatur crimen contra bonum commune, & tertii, & probare poteras. Quando verò causa est propria, non est peccatum, si non utaris mendaciis, & perjuriis.

533 Non est contra justitiam q accusare, vel denuntiare crimen, quod in judicio probari potest, non præmissa secreta monitione; quia propter bonum publicum concessa est accusatio, vel denuntiatio, ut crimina in exemplum aliorum puniantur. Potest tamen esse contra charitatem, si crimen sit occultum, & speretur per secretam monitionem emendandum, ac damno dato satisfaciendum. Licèt, si crimen sit contra bonum publicum, & adhuc pendeat, charitas ordinariè non postulet, ut monitio secretò præcedat, ut dictum est.

q Less. dub. 2. n. 13.

§. 3.
De reo.

534 Reus tenetur r respondere legitimo judici, eique crimen suum manifestare, cùm interrogatur secundùm formam juris, hoc est, de crimine, de quo præcessit infamia, aut indicia sufficientia ad torturam, vel semiplena probatio, idest, unus testis exceptione major. Debet tamen ista juris forma prius probari in processu, & reo indicari, ut cognoscat se juridicè interrogari. Quo posito debet verum respondere; estò sciat mortem sibi inde proventuram: & peccat mortaliter non respondendo, aut verum negando, tum ratione juramenti, tum ratione mendacii, quod in judicio est mortale, maximè si res sit gravis. Hæc est communis DD. sententia; quamvis opposita probabilis s sit, nempe non esse mortale negare crimen, præsertim in causa capitali, modò verò non juraverit absolutè se dicturum veritatem, quandiu est spes evadendi; quia præceptum illud fatendi crimen est satis difficile, nec satis conforme humanæ imbecillitati; præcepta autem, ut obligent, debent esse consentanea conditioni humanæ, sicut & leges humanæ.

r Tol. c. 58. n. 1. & 2.

s Less. n. 16

535 Cùm verò ista deficiunt, vel reus dubitat se juridicè interrogari, non tenetur fateri crimen. t Quia crimen occultum manifestari non debet in foro exteriori: & nemo tenetur parere superiori cum gravi suo damno, nisi constet legitimè præcipere. Unde etiam fit non teneri revelare complices delicti, nisi cùm illorum infamia præcessit, aut indicia, aut semiplena probatio. In quo etiam casu probabile est, non teneri illos revelare juxta suprà dicta, quia eos revelare, esset se ipsum manifestare. Quare cùm juridicè non interrogatur, vel de eo dubitat, & cogitur respondere, quamvis ei non liceat mentiri, esset enim mentiendo mortaliter perjurus, licet tamen uti æquivocatione. Et quamvis aliqui dicant non posse dicere: *Non feci*. Oppositum est probabilius. Potest enim dicere: *Non feci*. Intelligendo in carcere. *Non habui complices*: In aliis criminibus. Quia verba illa non sunt intelligenda juxta intentionem judicis, ad quam in tali casu respondere non tenetur, sed juxta intentionem ipsius rei. Et ita jurare potest sine culpa perjurii, ut diximus capite 5. sectione 2.

t Tol. n. 5. Less. n. 8. & 10.

536 Tenetur reus u non insurgere in judicem, aut ejus ministros, eis vim inferendo. Si tamen sine vi possit è carcere fugere, id ei licet, quamvis justè sit comprehensus. Unde licet rumpere catenam, murum perforare, frangere portas cum onere hæc damna postea restituendi; quamvis sciat alios etiam fugituros, & custodes damnum passuros. Imò alii possunt hæc omnia consulere, & instrumenta ad fugam ministrare; dummodo non sint illi, qui ratione officii tenentur curare, ut reus in carcere detineatur. Non tamen possunt juvare reum effringendo exterius carcerem, quia solus reus ad id jus habet, propter damnum sibi imminens.

u Tol. n. 6. & 7. Less. dub. 5. & 6.

537 Non peccat x reus contra justitiam aperiendo defectus testium etiam occultos ad eorum testimonia infringenda, ut se defendat. Ad quod requiritur primò, veritas defectuum, nam imponere falsa crimina, & falsos defectus, grave peccatum est. Secundò, ut solùm illi defectus aperiantur, qui faciunt ad invaliditatem testimonii, qui sunt perjurium, crimen falsi, & omnia, ob quæ incurritur infamiam juris, vel facti. Prob. quia quisquis potest se ipsum tueri cum justo mode-

x Tol. c. 59. n. 3. & 4. Less. dub. 1.

Digitized by Google

moderamine eodem armorum genere, quo impugnatur, nec alter potest queri de injuria, cùm sit invasor; & sponte se huic periculo exponat, hoc ipso, quod testatur, vel accusat. Notat verò Tolet. hoc intelligi, quando causa est injusta; quia qui justè accusatur, non potest occulta crimina testium aperire, ex quibus detrimentum ipsis obveniat, maximè cùm juridicè fuerint requisiti. Accusabitur autem injustè, si crimen fuerit falsum, aut ita occultum, ut probari plenè nequeat.

538 Dixi: *Contra justitiam*. Quia potest esse contra charitatem [z] primò, si testis non se sponte ingessit, sed coactus à judice; & crimen, quod ei objicitur, esset grave, ob quod capite plectendus esset; causa verò rei non sit magni momenti. Quòd si se sponte obtulisset ad testificandum, non esset tanta ratio habenda hujus incommodi; sibi enim imputare debet illud detrimentum. Secundò, si alia via minus noxia posset testem repellere, ut si sit consanguineus, vel affinis auctoris, aut de ejus familia, vel sibi inimicus; si pauper, si mente non firma, si impubes, & in causa criminali, si non sit viginti annorum; qui requiruntur. Similiter non peccat contra justitiam, [a] si accusatus de crimine, quod juridicè probari nequit; dicat accusatorem mentiri, & calumniari. Quia qui ita accusat, mendax, & calumniator præsumitur. Potest tamen peccare contra charitatem, si proximo majus malum inferat, quàm ad sui defensionem sit necessarium, quia sufficit, si neget crimen.

z Less. dub. 1. n.

a Less. dub. 2.

539 Reus [b] justè damnatus tenetur subire executionem sententiæ, etsò sit capitalis, ut diximus cap. 8. sect. 3. Si verò sit in re injusta, & solùm justa secundùm allegata, & probata, non tenetur in conscientia. Unde si jubeatur solvere, potest se compensare; & pars, si sibi de injustitia constet, tenetur restituere. Si sit capitalis, non potest per vim se defendere contra judicem, & ministros, qui jus habent exequendi. Quamvis non desint, qui dicant non esse illicitum uti mera defensione, si scandalum absit, quod tamen vix abesse potest, & magna Reipub. perturbatio.

b Less. dub. 4.

§. 4.
De testibus.

Circa obligationem testis nota primò, si crimen vergit in damnum publicum, aut notabile tertii, nec adhuc est emendatum, sed est in fieri, tenetur [c] testis inquisitus testimonium ferre, licèt juridicè non interrogetur. Quia, ut suprà diximus, in his casibus tenetur quilibet accusare, vel denuntiare: ergò quamvis crimen sit occultum, tenetur testis interrogatus verum manifestare. Nota secundò, cùm crimen jam est commissum, nemo inquisitus tenetur manifestare, nisi juridicè interrogetur: si verò juridicè interrogetur, tenetur verum manifestare, etsò criminosus jam sit emendatus, exceptis aliquibus casibus. Primò, si tibi patefactum sit sub secreto consilii, aut auxilii petendi causa. Secundò, [d] si proceditur via accusationis, & testis videt rem probari non posse, quia solus ipse, & accusator sciunt, non tenetur testari. Tertiò, si scias reum rem alienam accepisse causa justæ compensationis, & judex quærit, quis furatus sit? Quartò, si ex testificatione notabile detrimentum tibi, tuisve immineret. Quintò, si cognovisti ab iis, qui fide digni non sunt, id enim perinde est, ac nescire. Sextò, si auctor criminis non laborat infamia, nec sunt sufficientia indicia, aut semiplena probatio; quia tunc non interrogaris juridicè. Ex quo etiam capite non teneris testari, nec denuntiare, quando proceditur per inquisitionem, etiam si cum duobus, aut tribus aliis scias; quia judex non habet jus in auctorem criminis occultum. Non erit tamen contra justitiam testari in hoc casu, quia crimen probari potest. In omnibus verò casibus, in quibus non teneris testificari, negare potes etiam juratus, modò juramentum intelligas modo convenienti, quo veritatem contineat juxta mentem tuam. Nota tertiò [e] illum, qui verum cognoscit, & scit proximum injustè pati, teneri testimonium dare etiam non requisitum, si speret se profuturum: non autem si credat nihil profuturum, vel sibi notabile detrimentum timeat. Qui verò juridicè interrogatus veritatem abscondit; peccat, & tenetur ad testi-

540

c Tolet. c. 19 Less. c. 30 dub. 6.

d Tol. n. 2. Less. dub. 6.

e Tol. n. 3. Less. dub. 8.

Digitized by Google

restitutionem damni secuti defectu testificationis, si non habeat causam excusantem: si verò se occultet, vel fugiat, antequam judicis citatio ei legitimè intimetur, non tenebitur ad restitutionem damni secuti defectu testificationis, licèt potuerit graviter peccare contra charitatem proximi. Nec videtur improbabile, si post citationem fuga, vel fraude aliqua testificandi actum declinet, similiter non teneri.

541 Circa culpam testis [f] nota testem teneri vera testificari, id est, quæ ipse vera existimat, non dicendo certa, ut dubia, neque dubia, ut certa. Dicere autem mendacium vel sciénter, vel ex ignorantia crassa mortale est contra justitiam, cum onere restituendi damnum inde secutum; non tamen si ex ignorantia, aut inadvertentia non damnabili, vel ex oblivione saltem non mortali, falsum juravit. Si quis [g] cùm juravit, dixit id, quod verum putabat, & postea comperit ita non esse; si absque suo detrimento potest, & profuturum sperat, tenetur coram judice dicta retractare. Si verò sententia jam lata sit, & nihil profuturum speraț; dicat parti, in cujus favorem testificatus est, ut ipsa verum sciens restituat, nec ad amplius tenetur. Quòd si sciens falsum testificatus est, ratione cujus mors, aut mutilatio est inferenda; tenetur se retractare, si id profuturum putet, quamvis ipsi similis pœnę periculum immineat. Tenemur enim damnum, quod proximo injustè paravimus, avertere etiam cum pari damno nostro. Si testis accepit pecunias ad falsum testificandum, licèt teneatur restituere damnum illatum ex testimonio, non tenetur restituere pecunias acceptas. Si verò illas accepit, ut verum diceret, tenetur eas domino restituere, quia sine pecunia tenebatur verum testificare.

f Tol. n. 5. Less. dub. 7.

g Tol. n. 5. Less. dub. 7.

§. 5.
De advocato.

542 IN advocato consideranda est primò causa, quam si justam existimet, licèt talis non sit, potest in ea [g] patrocinari. Si injustam credebat, patrocinari mortale est. Et si verè injusta erat, & ob suum patrocinium victoriam adeptus est, tenetur restituere damnum illatum parti adversæ, si cliens non restituat. Et expensas clienti suo, si victoriam consecutus non sit, nisi fortè illum prius monuit de injustitia causæ, & cliens voluit prosequi.

g Tol. c. 6. n. Less. c. 31. dub. 8.

543 Si causa est dubia ex utraque parte, potest [h] patrocinari. Si tamen postea comperit injustitiam, quamvis lis contestata sit, tenetur desistere; non tamen secreta causæ pandere parti, nisi id foret necessarium ad grave damnum proximi impediendum; tunc enim deberet ex charitate judici aperire, ut occurrat. Neque tunc potest inducere partem ad transactionem, si ea cum ejus damno futura esset: quia transactio in sola causa dubia locum habet. Quando causa est dubia ex utraque parte, sed justitia in unam magis videtur inclinare, potest patrocinari in causa minus justa, cùm reus defenditur; vel etiam auctor, si patiatur magnum detrimentum, non autem, si illud non patiatur, sed potius pars contraria. In causis non gravis momenti patrocinari potest, dummodò pars, quæ minus justam sequitur causam, si admoneatur fortè velit desistere. Quod autem dicitur de causa æquè, vel minus, aut magis dubia, intellige de æquè probabili, de probabiliori, & minus probabili.

h Tol. n. 7. & 6. Less. du. 9.

544 Consideranda est secundò scientia. Tenetur [i] enim advocatus scire ea, quæ communiter spectant ad suum officium. Unde si ex sua ignorantia cliens causam perdat, peccat, & tenetur ad restitutionem damni illati. Debet etiam esse diligens in studendo, cùm difficilem causam judicat: unde si ex ipsius negligentia causa perditur, tenetur ad restitutionem damni. Tertiò consideranda sunt [l] alia. Primum, ut sit fidelis in patrocinando, non distorquendo leges in sensus apertè falsos, non allegando falsum pro vero; quod peccatum est cum obligatione restituendi damnum inde illatum. Secundum, ut non excedat justum stipendium patrocinii. Justum verò est, quod per Principes est taxatum, & si taxatum non sit, arbitrio prudentis taxandum habita ratione gravitatis causæ, laboris, & dignitatis advocati, ac consuetudinis regionis. Tertium, ut non paciscatur cum cliente de aliqua quota parte causæ pro stipendio, si causa vincatur. Quia hoc in jure [m] prohibitum est.

i Tol. n. 7. Less. dub. 8.

l Tol. n. 9. & 10.

m L. sumptus, ff. de pactis.

§. 6.

De Procuratore.

545 a Tol. c.61. REquiritur in [a] procuratore primò scientia eorum, quę pertinent ad suum officium. Unde si ex ignorantia litem perdat, restituere tenetur, nec excusationem habet. Secundò, diligentia, qua in judicio necessarios terminos petat; appellet, cùm est appellandum; probet, quod est probandum; respondeat, cùm est respondendum; informet ad tempus congruum, nec desit in aliis necessariis. Cùm enim aliquid prætermittit ex negligentia graviter culpabili, restituere tenetur damnum, quod inde cliens incurret; & à fortiori, si id faciat ex malitia. Tertiò veritas, debet enim dicere, quod verum est, non falsa, aut incerta; in quo graviter peccatur affirmando, vel negando in judicio nomine clientis, quod ignorat, jurando super ejus animam, inducendi alios, ut negent, indeque damnificando eos, qui justam causam habent. Quartò, justitia, ut non nisi justam causam defendat, & solicitet, ut de Advocato dictum est.

o Tol c.61. 546 Requiritur [o] etiam justitia in pretio, ut justum tantùm sui laboris stipendium exigat; in quo sæpè peccant plus justo exigendo, & postulando pretium pro se, advocato, & notario, & sibi omnia ferè usurpando, parùm aliis dando, obligati reddere aliis suorum laborum pretia, quæ pro illis acceperunt. Peccant etiam, si lites, quas prius defendendas acceptarunt, tempore congruo non absolvant. Solent enim multorum patrocinia accipere, & unum, vel alterum prosequi aliis dilatis; cùm tamen non possint suscipere, nisi quæ commodè, & absque clientum damno ob moram possint defendere. Peccant denique, cùm terminos impertinentes petunt ad causæ justitiam non facientes, sed solùm ad puram dilationem, ut cogant oppositam partem à causa justa desistere, vel ut pactum faciat injustum, aut saltem ut illi noceant. Peccant tandem post litis victoriam petendo ultra pretium sui laboris actuaria, vulgò, *Alvicaras*; quæ rectè accipere non possunt, nisi sponte, & liberaliter offerantur, quæ clientes ordinariè dant coacti.

§. 7.

De notario, seu tabellione.

NOtarius [p] tenetur primò scire, quæ sunt officii sui, & in eis observandis esse diligens. Unde cùm ex ignorantia, aut negligentia aliquid omittit in instrumento, unde alicui detrimentum venit, restituere tenetur, nec excusatio admittitur. Si verò ex malitia id faciat, peccat contra fidelitatem, & justitiam debitam ex officio, ut si conficiat falsum instrumentum fingendo ea, quæ contracta non sunt; quod est grave peccatum cum onere restituendi, & per leges gravissimè punibile. Si in verbis sinceritatem, & puritatem non servet; multùm enim refert in causa maximè criminali hoc, vel illo verbo factum notari. Unde cùm in verbis sinceritas non servatur, & aliter res narratur, quàm se habeat etiam quantum ad quantitatem, & qualitatem criminis, grave peccatum est cum obligatione restituendi damnum inde illatum. 547 p Tol. c.61.

548 Postquam verum, & sincerum instrumentum confecit, tenetur apud se servare registrum, & nemini dare, nisi transumptum. Quando verò alicui damnum obvenit ex eo, quòd apud notarium instrumentum non maneat in registro, tenetur de damno illato, sicut si in registro secundùm juris formam instrumenta non diggerat, sed solùm in chartulis substantiam habeat, quæ chartulæ fidem non faciunt, ex quo multa pericula, & damna partibus possunt evenire, ob quod graviter peccant notarii; nec debent occultare instrumenta, quæ ab ipsis exiguntur; si enim id faciant, graviter peccant cum obligatione restituendi.

549 Tenetur prætereà notarius non facere instrumentum de re illicita, & prohibita, v.c. de usura; peccat enim mortaliter, non tamen tenetur restituere, cùm instrumentum fecit de contractu usurario manifestè exprimendo usuram, quia tale instrumentum nullam vim dat usurario recuperandi usuras. Quando verò fecit instrumentum palleando usuram sub nomine veri contractus; tenetur restituere, nisi fieret in favorem petentis ad usuram, & petentis, ut fiat tale instrumentum sub nomine mutui; tunc enim non teneretur

Digitized by Google

tur restituere, licèt peccaret. Alia sunt instrumenta prohibita fieri à notario. Quædam pertinent ad materiam usuræ, ut si aliquis dominus velit instituere, ne solventes usuras, illas in judicio repetere possint, & qui acceperunt ad usuram, cogantur solvere: non potest notarius super hoc instrumentum conficere sine culpa mortali, & excommunicatione. Alia sunt, quæ fiunt contra libertatem Ecclesiæ, in quibus notarius mortaliter peccat, & excommunicandus est.

CAPUT XII.

Expositio noni præcepti Decalogi.

550 HOc præceptum traditur his verbis: [a] *Non concupisces uxorem proximi tui*. Et implicitè continetur in sexto, de quo cap. 9. In quo explicitè prohibentur actus externi contra castitatem, implicitè verò interni, à quibus externi totam malitiam formalem habent, & rationem peccati. In hoc verò nono explicitè prohibentur actus interni, maximè quando non ordinantur ad externos, ut delectatio morosa; vel ad illos non pervenitur, ut desideria ex se inefficacia; aut illa, quorum complementum ex aliquo capite impeditur. Nam illa, quæ complentur, cum suo actu externo idem peccatum constituunt, ad sextumque præceptum directè pertinent.

a Exod. 20. 17. Deut. 5. 21.

SECTIO I.

De desiderio uxoris alienæ.

551 PEr uxorem alienam intelligitur quelibet mulier, quæ non est propria uxor, & quilibet vir, qui non est proprius maritus respectu fœminæ virum desiderantis. Unde quæ de viro respectu mulieris dicta fuerint, dicta quoque accipiantur de muliere respectu viri. Certum igitur est primò desiderium de muliere non sua, ex se absolutum, & efficax, quamvis aliunde executio impediatur, esse peccatum mortale contra hoc præceptum, juxta illud Christi: [a] *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Quod desiderium contrahit etiam malitias circumstantiarum tam personæ concupiscentis, quàm concupitæ, v. c. adulterii, incestus, sacrilegii, & similes, de quibus egimus tractantes de sexto præcepto. Unde scribere literas amatorias ex hoc desiderio, & intentione; illasque mittere, solicitare fœminam per se, vel per alios; insequi, deambulare, videre, alloqui, ornare se, ut sic placeat, & similia ex hoc desiderio orta, & ad hunc finem ordinata, mortalia sunt.

a Matth. 5. 28.

552 Certum est secundò desideria etiam inefficacia mulieris non suæ; vel quia impossibilis existimatur copula, vel quia de ea non curatur propter pericula, & difficultates, esse similiter peccata mortalia, contra hoc præceptum, habereque malitias circumstantiarum, quæ sunt in fœmina, vel in ipso, qui illam desiderat, juxta proximè dicta; quia est affectus libidinosus de re graviter mala, & prohibita in hoc præcepto.

553 Certum est tertiò desiderium, & affectum deliberatum cujusque rei venereæ habere malitiam operis, quod desideratur: ut si desideres pollutionem, erit peccatum contra naturam, sicut ipsa pollutio: si coitum cum bestia, erit bestialitas: si cum mare, vel fœmina in vase præpostero, erit sodomia. Si cum consanguinea vel affine, erit incestus, & sic de cæteris, quarum malitias, & circumstantias percurrimus in sexto præcepto, quæ omnes huic desiderio applicandæ sunt. Quia desiderium, & affectus habet malitiam sui objecti. Unde si desideres oscula, tactus, & amplexus, illorum malitiam contrahes. Quæ autem in his sit malitia, dictum est in sexto præcepto sect. 5. Si desideres videre fœminam absque animo concupiscendi ob solam delectationem, quæ ex visu capitur, erit solùm veniale, seclusis periculis; sicut desiderium loquendi de rebus venereis, vel illas audiendi sistendo in delectatione, quæ capitur ex auditu, & locutione.

554 Circa pollutionem tamen adverte licitum [b] esse illam desiderare in somno, vel etiam in vigilia ex bono fine, v. c. sanitatis, vel vitandi carnis stimulos, dummodò tale desiderium ad ipsam non concurrat. Quia talis pollutio non est actus hominis, nec ejus voluntati subjectus, sed evacuatio quædam naturalis, quæ malitiam

b Sanch. l. 1. decal. c. 2. n. 18. & 19. Vasq. 1. 2. d. 115. c. 3. Soa. t. 5. in 3. 2. d. 5. s. 7. n. 15.

Digitized by Google

tiam objectivam non habet tali desiderio communicandam. Non licet tamen eam desiderare etiam in somno altero naturam impellente; quia hæc naturalis non esset, ac proinde haberet malitiam objectivam, quæ in desiderium refunderetur.

555 Certum est quartò desiderium copulæ cum propria uxore, per se culpa vacare. Quia quando actus est licitus, desiderium illius licitum est. Dixi: *Per se*. Quia per accidens potest esse mortale, si contingat in loco, & tempore, quo copula haberi non possit, & ex persistentia in eo desiderio sequatur pollutio, aut ejus periculum, quod homo advertat, & non impediat. Similiter peccatum non erit desiderium sponsi fruendi sponsa tempore matrimonii, seclusis eisdem periculis. Erit verò mortale desiderium fruendi, & gaudendi eadem per copulam ante matrimonium, quia erit desiderium fornicandi. Quare solùm licet pro tunc desiderare illam alloqui, osculari, & amplexari, qui actus pro tunc licent, ut diximus in sexto præcepto, sect. 5.

556 Certum est quintò desiderium [e] inefficax sub conditione excludente malitiam, per se mortale non esse, ut si quis desideret habere aliquam fœminam pro uxore, accedendi ad illam, si esset ejus uxor, si desideret fuisse ejus uxorem, vel frui aliqua, si ei liceret, si non esset contra legem Dei, si non esset peccatum. Nam talia desideria non accipiunt malitiam à motivo, quod bonum esse supponitur, vel saltem non malum: non ab objecto materiali, quia non feruntur in illud, nisi sub conditione excludente malitiam. Unde mortaliter non peccat conjugatus, vel sacerdos desiderando uxorem ducere; si hic à voto, ille à conjugio liber esset; neque desiderando accedere ad aliquam, si esset ejus uxor. Neque obstat, quod jure naturæ vetitum sit sacerdoti, ratione voti, & conjugato, ratione præsentis matrimonii, uxorem ducere, & ad illam accedere; quia satis est posse eos excogitari sub aliquo statu, in quo id vetitum non esset, ut talia desideria culpa careant saltem mortali, seclusis periculis.

e Sanch. à n. 22. Savr. l. 9. c. 7. dub. 1.

557 Sed quid de illis objectis ita intrinsecè pravis, ut numquam licere possint, poterunt ne excusari à culpa illorum desideria sub his conditionibus. Si mihi liceret, si non esset peccatum, si lex Dei non prohiberet, fornicarer, polluerer, sororem stuprarer, sodomiam committerem? Negant graves [d] DD. eo fundamento, quia talia objecta ita sunt intrinsecè prava, ut sine malitia concipi non possint in ullo statu; unde conditiones appositæ contradictionem involvunt, & consequenter excusare non possunt à culpa etiam sub illis conditionibus. Non esse tamen talia desideria saltem mortalia docent graves [e] Theologi. Quia licèt in objectis illis sit malitia intrinseca; affectus tamen desiderii non tendit in illa, secundùm totum, quod eis intrinsecum est, sed separando malitiam in affectu, & apprehensione. Nam sicut hic assensus est verus: *Si Petrus non esset rationalis, non esset homo*. Quamvis conditio sit impossibilis, & repugnans essentiæ Petri: similiter affectus illi non essent mali, quamvis conditio sit impossibilis, & repugnans naturæ illorum objectorum, quia non desiderantur, nisi separando prius malitiam ab illis, non absolutè, sed conditionaliter. Certè illæ conditiones saltem excludunt malitiam Theologicam, sine qua peccatum mortale non est.

d Sanc. c. 2. n. 23. Soar. l. 7. n. 10.

e Saa. verbo peccatum n. 2. Vasq. d. 116. c. 2. Lug. de pœn. d. 16. n. 388.

558 Certum est sextò desiderium inefficax sub conditione non excludente malitiam, peccatum esse, juxta malitiam operis desiderati. Ut si desideres talem mulierem sub conditione, quòd esset possibile ad illam accedere, vel sub conditione quòd non esset periculum infamiæ, aut supplicii. Sed quid de hac conditione: si non timerem Deum fornicarer &c. Resp. si intelligatur de timore servili, quo Deus timetur ut judex, non auferre malitiam, & consequenter esse desiderium mortale; quia idem esset, ac dicere: si non esset infernus, & pœnæ, id facerem. Si verò intelligatur de timore filiali, & sensus sit. Nisi Deum reverer, à cujus voluntate discedere nolo, auferre malitiam saltem Theologicam contra Deum, & consequenter rationem culpæ mortalis, quæ in ea consistit, ut docui in materia de peccatis. Neque probo, quod docet Sanch. hanc conditionem auferre rationem culpæ, si opus sit vetitum jure positivo; non verò si jure naturæ. Non enim video ratio-

Digitized by Google

rationem differentiæ. Quia talis conditio non tollit, v. c. prohibitionem Ecclesiæ, sed fertur affectus in rem prohibitam conditionatè, si nempe Deum non timerem: ergo si non tollit malitiam operis jure naturali vetiti, ut re vera non tollit, neque etiam aufert malitiam operis solo jure positivo prohibiti: ergo si in primo casu non daretur culpa Theologica mortalis; neque etiam dabitur in secundo, quidquid sit de malitia intrinseca contra jus naturæ.

559 Quid verò de illa conditione. Si non essem Sacerdos, Religiosus, Episcopus &c. fornicarer? Resp. [f] si voluntas verbis consonet, esse idem peccatum, ac si voluntas foret absoluta. Quia illa conditio non aufert malitiam ab objecto, & consequenter nec rationem peccati: Si tamen conditio status auferret aliquam circumstantiam, excusaretur affectus ille à malitia circumstantiæ, ut in eo casu à malitia sacrilegii, & sic de similibus circumstantiis, quæ immisceri possunt. Quid autem de conditionibus à senibus apponi solitis, & ab illis, qui se in meliorem vitam receperunt, quando dicunt: Si hæc occasio mihi in alio tempore accidisset, non eam relinquerem? Resp. [g] duplicem habere sensum. Primus est, ita ut de præsenti adsit voluntas, & tunc esse peccatum, quia voluntas de præsenti ad malum determinatur, & conditio malitiam non excludit. Secundus est: Tunc temporis talis eram, ut id facerem: at modò nulla est voluntas id faciendi, & tunc vacat culpa, ut satis patet.

f Sanch. n. 28.

g Sanch. n. 29.

SECTIO VI.

De delectatione morosa contra hoc præceptum.

560 Delectatio [a] morosa, de qua hìc agimus, vel est in appetitu sensitivo, qui delectatur de re venerea per cogitationem repræsentata, ut præsenti; vel est in voluntate, estque affectus quidam inefficax ipsius, circa eamdem rem veneream apprehensam, ut præsentem, & dicitur propriè complacentia: sæpissimè enim delectamur, & complacemus de bonis absentibus, & non existentibus, imò & impossibilibus apprehensis, ut præsentibus, & nobis conjunctis. Dicitur verò morosa, non à mora temporis, sed à mora deliberationis, quia fit cum deliberatione sufficiente ad culpam. Et licèt contingat in omnibus materiis prohibitis, nos de illa agimus limitata ad materiam castitatis, prout pertinet ad hoc præceptum.

a D. Tho. 1.2. q. 31.

561 Certum [b] igitur est primò, delectationem morosam de re venerea, estò sit simplex, & inefficax, sine intentione exequendi opus cogitatum, esse mortalem, quando in objecto gravis malitia invenitur, ut quæ capitur de accessu cogitato ad mulierem non suam. Sumitur ex illo Job: [c] *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem de virgine: Quam enim partem haberet Deus in me &c.* Quod de solo peccato mortali commisso, in ipso congressu cogitato cum virgine intelligi potest. Et prob. quia actus voluntatis etiam simplex potest habere objectum mortaliter pravum; ergo erit mortalis, siquidem est affectus voluntarius ad rem graviter prohibitam, & delectatio ejusdem rationis, & turpitudinis cum ea, quæ nascitur ex opere re ipsa facto; ergo habebit malitiam ejusdem rationis, & gravitatis. Unde sequitur delectationem captam de tactibus, osculis, amplexibus, aspectibus, & verbis obscœnis, eorumque auditione cogitatis ut præsentibus, habere eadem malitiam, quàm habent res ipsæ, vel illa carere, quando res illa carent. Quando prædictæ res habeant malitiam mortalem, aut venialem, vel nullam, diximus in sexto præcepto sect. 5.

b a nch. c. 2 n. 8. Soar. l. 7. Vasq. d. 109. c. 3.

c Iob. 31. 1.

562 Certum est secundò, illicitam esse complacentiam, & delectationem de opere venereo à se antea commisso, ex quocumque motivo concipiatur. Sumitur ex illo: [d] *Qui lætantur, cùm male fecerint, & exultant in rebus pessimis, quorum via perversa sunt.* Et prob. quia voluntas faciendi malum, mala est: ergo complacentia de malo commisso, mala erit: licebit tamen delectatio de bona aliqua circumstantia admixta operi pravo commisso. Ut si commisisti adulterium, aut stuprum omnino occultè, & sine scandalo, de hoc licebit complacere, maximè si de opere ipso pœniteas.

d Prov. 2. 14.

563 Dubitabis primò, an liceat delectatio, seu complacentia de opere per accidens à culpa excusato, ut de accessu ad non tuam, quam putabas tuam,

Digitized by Google

de fornicatione habita in ebrietate. Affirmant aliqui, si ex bono motivo concipiatur; quia capitur de objecto non habente culpam. [e] Negandum tamen est. Quia tale objectum habet malitiam moralem objectivam; ergo complacentia malitiam ab eo accipit, fuit enim opus pravum, & à culpa solùm liberum propter ignorantiam, vel defectum libertatis. Cùm ergo præsens complacentia libera sit, prava erit juxta pravitatem objecti. Licita tamen erit ista complacentia conditionalis: supposito quod hoc fuit committendum, placet, quòd fuerit potius in ebrietate, seu ignoranter, quàm in libertate, & scienter. Neque mihi objicias hanc instantiam, licita est complacentia de pollutione habita in somno ob finem sanitatis inde ortæ, vel tentationis vitandæ; ergo etiam licebit de fornicatione sine culpa commissa. Concesso [f] antecedente, negatur consequentia, quia pollutio in somno non est mala, sed quid naturale, ut dictum est suprà: fornicatio autem non est actus naturaliter contingens, sed semper malus objectivè, de qua proinde illicita est complacentia.

e Sanc. c. 8 n. 6 Soar. s. 7. n. 44.

f Sanch. n. 18. Soa. n. 15. Less. l. 4. c. 3. n. 103.

564 Dubitabis secundò, an careat culpa delectatio conjugum capta de concubitu cogitato ut præsenti, quando sunt in loco, & tempore, in quo copulam exercere non possunt? [g] Resp. tam delectationem voluntatis, quàm appetitus vacare culpa mortali, per se loquendo. Quia consensus in delectationem non potest esse gravior, quàm consensus in copulam, de qua capitur: sed copula non est mortalis inter conjuges, sed licita: ergo & delectatio. Sicut enim matrimonium excusat à culpa tactus, oscula, & amplexus etiam non relatos ad copulam, ita & delectationes alias. Dixi: *Per se loquendo*. Quia per accidens ratione pollutionis, quæ ex tali delectatione continuata potest contingere, vel periculi illius, cui se conjux exponit, poterit esse mortalis. Dixi: *Vacare culpa mortali*: quia non vacabit veniali ex defectu debiti finis.

g Sanch. n. 1. Soa. n. c. Less. c. 21.

565 Dubitabis tertiò, circa viduos. An careat culpa quælibet delectatio ab ipsis capta de copula præterita tempore conjugii? Resp. [h] Primò complacentiam voluntatis de copula præterita, ut præterita, vacare culpa mortali. Quia habet objectum licitum, & bonum motivum, vel saltem non malum. Est enim gaudium, & approbatio actus liciti, quæ ex bono motivo potest esse bona. Resp. secundò, complacentiam voluntatis de copula imaginata ut hìc, & nunc exercita cum uxore defuncta, ex memoria præteritæ, mortalem esse in viduo, quia copula de præsenti illi prohibita est, & consequenter delectatio capta de illa ut præsenti? Resp. tertiò, delectationem appetitus sensitivi ortam in viduis ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonii mortalem esse, accedente consensu voluntatis. Quia appetitus semper fertur in copulam ut præsentem, cum præsenti commotione: neque enim appetitus ex suo modo operandi ferri potest in rem ut præteritam, sicut voluntas, cui proponitur ab intellectu res ut præterita; sensus verò proponit objectum delectabile ut præsens: sed hæc solis conjugibus licet durante matrimonio: ergo in viduis est mortalis.

h Sanch. 9. de mat. d. 47. n. 1. & 7. Soa. n. 13. ... l. 5. c. 14.

566 Dubitabis quartò circa sponsos? Resp. [i] complacentiam voluntatis de copula cogitata ut habenda cum sponsa tempore conjugii, licitam esse, quia est velle rem, quando erit licita. Illicitam verò mortaliter esse illam, quæ de præsenti capitur de copula cogitata ut præsenti, & pro tunc exercita, quia de præsenti illicita est, sicut & ipsa copula. Unde quæ capitur ab appetitu, semper est mortalis, accedente consensu voluntatis, quia semper est de copula imaginata ut præsenti, ut dictum est: delectatio verò etiam sensitiva appetitus capta ab sponsis de tactibus, aspectibus, & verbis cogitatis ut præsentibus in casibus, in quibus hæc eis licent, mortalis non est, quia est delectatio de objecto pro tunc licito.

i Sanc. d. 47. Soa. n. 12. Less. n. 110.

567 Dubitabis quintò circa delectationem captam de re venerea sub conditione auferente malitiam, an excusetur à mortali, sicut excusatur desiderium juxta doctrinam sect. precedentis? Resp. Primò, delectationem captam ab appetitu sensitivo de copula cogitata cum aliqua sub conditione, quòd esset uxor, vel non esset prohibita &c. semper esse mortalem, quia est de objecto cogitato ut præsenti, & phantasia, ex qua movetur appetitus, nullam conditionem apponere potest, quæ malitiam exclu-

excludat: unde conditiones illæ nihil ponunt, nec tollunt. Resp. Secundò, complacentiam voluntatis de copula imaginata ut futura sub conditione, quòd esset uxor, quòd non esset contra legem Dei &c. mortalem non esse, quia nihil est aliud, quàm quædam quasi approbatio speculativa per modum desiderii, sub conditione excludente malitiam; ergo non est unde sit mortalis? Resp. [l] Tertiò, complacentiam voluntatis captam de copula cogitata ut præsenti sub conditione matrimonii, vel alia quacumque, non vacare culpa mortali. Quia est de objecto apprehenso ut præsenti: sed de præsenti non est apposita conditio, quæ malitiam excludat; ergo non habet unde excusetur à culpa mortali.

l Vasq. d. 114 c. 2. Soar. n. 10.

568 Dubitabis sextò, circa delectationem de sola cogitatione actus venerei? Resp. [m] per se peccatum non esse. Quia cognitio objecti etiam pravi, prava non est, sed bona, & perfectio intellectus; ergo per se malum non est de illa complacere, & delectari. Ut qui concionaturus, scripturus, aut docturus, cogitavit de re venerea, & cogitando delectatus est de aliqua vera doctrina, & speculatione in ea materia. Dixi: *Per se*. Quia per accidens poterit esse peccatum ratione periculi, cui se fortasse exponeret, capiendo delectationem de re cogitata.

m Sanch. c 2 n. 4. Soa n. . Less. n. 106

569 Dubitabis septimò, circa delectationem captam de effectu orto ex opere venereo? Resp. [n] per se loquendo, licitum esse complacere, & delectari de quolibet effectu secundùm se bono, aut indifferenti orto ex tali opere, v. c. de filio orto ex fornicatione, de sanitate orta ex pollutione voluntaria &c. Tales enim effectus nullam habent malitiam, possuntque separari à sua causa, cum qua non habent necessariam connexionem, quia secundùm se ab alia poterant honestè, ac licitè provenire. Unde potest affectus complacentiæ terminari ad effectus, & nullo modo ad causam, de qua potest esse pœnitentia simul cum tali complacentia. Dixi: *Per se*. Quia si cum complacentia effectus, causa approbetur, & placeat; culpa mortalis erit.

n Less. n. 105.

570 Dubitabis octavò, an delectatio venerea sumat aliquam speciem malitiæ à circumstantiis objecti? Duo sunt certa [o] primò, delectationem captam de copula cogitata cum fœmina, specie differre in genere luxuriæ à delectatione de actu cogitato contra naturam, ut est mollities, sodomia, bestialitas &c. Secundò delectationem de cogitato accessu ad aliquam, quatenus est nupta, religiosa, consanguinea, vel affinis, contrahere specialem malitiam adulterii, sacrilegii, incestus &c. quia fertur in objectum secundùm totam suam malitiam, quam in re haberet, si opere impleretur. Hic tamen modus peccandi rarò evenit; ut experientia docet. Unde dubium restat, quando delectatio capitur de copula cogitata cum fœmina, quæ scitur maritata, religiosa, consanguinea, vel affinis? In quo probabilis est utraque sententia propter Doctores, qui utramque defendunt. [p] Multi enim dicunt eam delectationem habere solam malitiam fornicationis. Isti sunt Sanch. Azor. Sayr. Layın. Becan. Reginald. Palans, Merat. Vasques, Tanner. Gaspar Hurt. & Diana, & probabile dicunt plerique ex iis, qui oppositam defendunt, qui sunt Less. [q] Sal. Saa, Filiuc. Bonac. Lugo, Villalob. & plures alii. Et hæc videtur probabilior, quia malitia, quæ cognoscitur in objecto, refunditur in actus voluntatis. Securè tamen utraque practicari potest.

o Less. n. 112. Sal. tr. 13 d. 6. s. 6. n. 58.

p Sanch. c. Decal. c. n. 13.

q Less. n. 123. Lug. de pœn d. 16. s. 3. à n. 383.

SECTIO III.

De concupiscentia, & motibus sensualitatis.

Aliqua sunt certa. Primum est: Concupiscentia appetitus sensitivi, & motus ejusdem venerei objectivè pravi sunt, non tamen peccata, nec imputantur in culpam sine aliquo consensu voluntatis propriæ uniuscujusque. Ita definitur in Concil. Trid. [a] Et quia sine voluntate libera non est peccatum: ergo nullus motus sensualitatis peccatum est, voluntate in illum non consentiente. Secundum est: Si voluntas positivè, & efficaciter resistat, & dissentiat prædictis motibus, nullum peccatum committitur. Prob. quia non datur peccatum sine voluntario libero: sed quando voluntas ita resistit, tales motus non sunt voluntarii per voluntarium liberum, sed potius invo- 571

a Sess. decret. de peccato orig. §. u. t.

Ee 2 lun-

Digitized by Google

luntarii; ergo non erunt peccata, nec imputabiles ad culpam, sed potius ad meritum, ut definit idem Concilium proximè citatum. Tertium est. Si voluntas positivè, & efficaciter consentiat motui pravo sensualitatis, peccat juxta gravitatem malitiæ, quæ est in objecto, quæ ordinariè est mortalis in materia venerea. Prob. quia omnis voluntas efficax accipit malitiam, quæ est in objecto; ergo consensus efficax, quo voluntas imperat tales motus, peccatum est ejusdem gravitatis cum malitia objectiva illorum. Notanter autem de sola voluntate efficaci locutus sum; quia simplex, & inefficax non distinguitur à delectatione morosa, de qua jam diximus sect. præcedente.

572 Quartum est, quoties [b] voluntas virtualiter, & interpretativè consentit in tales motus, nec positivè consentiendo, nec reprimendo, sed negativè se habendo, cùm posset, & teneretur reprimere, prævidendo morale periculum consensus formalis, mortaliter peccaminosi, mortaliter peccat. Prob. quia [c] *qui amat periculum, peribit in illo*: ergo quoties quis se constituit in morali periculo consentiendi, vel videt se in eo constitutum, si non conetur efficaciter ab illo recedere, incurrit in culpam, cujus est periculum. Hoc autem periculum [d] datur, quoties homo potest, & debet formare probabilius judicium, quod nisi causam amoveat, consensurus sit; hoc autem formare debet quando expertus est, se in simili occasione ferè semper lapsum esse. Et idem dicendum [e] est, si detur periculum pollutionis prævisum. Prob. quia quilibet sub mortali tenetur removere causas per se, & notabiliter influentes ad pollutionem, quales sunt prædicti motus: ergo quoties in illis prævidetur, vel timetur futura pollutio, nisi voluntas conetur illos reprimere efficaciter, quantùm in ipsa erit, peccabit mortaliter. Si tamen [f] pollutio timeatur, vel sequatur præter intentionem, absitque periculum consentiendi in delectationem illius, peccatum non erit apponere causam alioqui necessariam, convenientem, vel utilem tam sibi, quàm aliis, ut mox dicam. Dixi: *Si sequatur præter intentionem, absitque periculum positivi consensus*. Quia pollutionem intendere, & velle; vel exponere se periculo consentiendi in delectationem illius, semper est mortale, estò causa licita sit, juxta dicenda, sicut & apponere causas, quæ nullam habent utilitatem, quàm pollutionem inferre.

[b] Sanch. d. 45. & 1. decal. c. 8.

[c] Eccl. 3. 27.

[d] Sanch. d. 45. n. 6.

[e] Sanch n. 25. & c. 2.

[f] Sanch. d. 45. n. 4. & 6.

573 Quintum est, [g] secluso periculo consensus positivi, non tenetur homo adhibere omnem diligentiam, quam potest, nec magnam difficultatem subire ad impediendum, ne hujusmodi motus insurgant, aut jam orti repellantur: quia neque ad alia majora, & urgentiora præcepta tenemur cum magno incommodo, & difficultate; ergo neque ad hoc cavendi, & repellendi tales motus, quod non adeo strictum est, secluso prædicto periculo, ut postea constabit. Si tamen daretur probabile periculum consensus, teneretur homo adhibere quodcumque remedium efficax, quamvis difficile, & pœnale, si omninò necessarium judicaretur ad impediendum consensum, qui ex se mortalis est. Addo [h] secluso eo periculo consensus positivi, peccatum non esse permittere in se prædictos motus, dando illis causam justam, & rationabilem. Prob. quia voluntarium indirectum non imputatur, nisi quando quis potest, & debet facere, & non facit, sine debito enim neque est culpa, nec voluntarium morale, ut in 1. 2. ostendi solet: sed motus, quorum ponitur causa justa, & rationabilis, solùm possunt esse voluntarii indirectè, & in alio: ergo nisi quis teneatur abstinere à positione causæ, peccatum non erit illam apponere, & motus permittere: sed voluntas non tenetur abstinere à causa justa, & rationabili, ex qua tales motus insurgunt ex necessitate materiæ, quia, v. c. res venerea disputanda, cogitanda, & audienda est; ergo non debet homo propter effectus ortos ex tali necessitate, omittere non solùm necessarias, sed nec utiles cogitationes, locutiones, auditiones, & similes actiones, ex quibus possunt, & solent oriri tales motus.

[g] Sayr. l. 2. c. 7. [illegible]

[h] Soar. c. 7. n. 21. V. 1sq. disp. 108. c. 3.

574 Causa autem justa, & rationabilis erit illa, quæ secundùm se fuerit honesta, & necessaria; vel saltem non parum utilis; qualis datur, quando audiuntur res turpes in confessione, vel ad præbendum consilium proximo; vel quando cogitantur, aut leguntur ad docendum, ad audiendas confessiones; quando ad ferandam opem medicam, videntur, vel tanguntur

tur

tur illæ partes corporis, quæ suo aspectu, aut tactu solent libidinem excitare. Et sic de aliis similibus, quæ possunt causare eosdem motus.

575 Dubitabis verò primò, an sola honestas causæ satis sit ad permittendos tales motus sine omni culpa? Resp. primò, si motus procedant ex causa secundùm se honesta omninò per accidens, illam sufficere. Quia levissima est obligatio cavendi ea, quæ ita per accidens contingunt. Resp. secundò, non sufficere, si procedant per se ex natura causæ, sed ulterius requiri necessitatem, vel utilitatem alicujus momenti. Nam per tales actiones homo magis influit ad prædictos motus, quàm per actiones, ex quibus ipsi per accidens insurgunt; ergo ratio naturalis dictat majorem causam requiri, qualis erit necessitas, aut utilitas prædicta. Confirm. quia nemo sapiens, ac timoratus judicabit vacare omni culpa motus illos, qui oriuntur ex aspectu, & collocutione cum fœmina, ex solo fine moderatæ, & honestæ recreationis, si inde nulla necessitas, aut utilitas proveniat. Unde à fortiori sequitur minus sufficientem esse causam secundùm se indifferentem, seclusa necessitate, aut utilitate.

576 Dubitabis secundò, an causa mortaliter prava eo ipso reddat tales motus ex ipsa procedentes peccata mortalia? Resp. talem causam non reddere hos motus mortales, si ex se tales non sint. An verò tales sint, postea dicetur: Nemo enim sapiens dicet, si motus isti procedant ex nimio cibo, & potu, quo mortaliter violetur jejunium, habere malitiam mortalem contra præceptum jejunii; sicut confabulatio otiosa orta ex omissione Missæ malitiam mortalem non habet contra religionem: ergo causa mortalis non addit malitiam mortalem his motibus. Excipe: Nisi causa mortalis habeat ex sua natura illos causare, ut esset confabulatio mortaliter inhonesta cum fœmina: quia iste formaliter consentit in motus inde secutos, vel saltem exponitur probabilissimo periculo consentiendi. Si hoc enim non esset ex vi præcisa causæ mortalis, ipsi mortales non redderentur.

577 Addo tandem etiam vacare [i] culpa prædictos motus, quoties qui ex causa justa, & rationabili illos in se permittit cum periculo probabili pollutionis etiam prævisо, dummodò hæc sequatur præter intentionem, absitque periculum consentiendi in ejus delectationem. Unde licitum est studere rebus turpibus ad docendum, ad confessiones audiendas, illasque audire, fœminas cautè, & cum necessitate alloqui, exercere officium medici, aut chirurgi, equitare, dormire &c. quamvis credatur fore, ut inde sequatur pollutio. Nam effectus nec intentus, nec volitus in se, non est voluntarius moraliter, & imputabiliter, nisi tenearis illum evitare removendo causam, ex qua sequitur: sed nemo tenetur vitare pollutionem in casibus positis, neque illius causas removere, alioqui cessarent innumeræ actiones valdè necessariæ, & utiles Reipub. Deinde effectus per accidens & præter intentionem subsecuti non imputantur in culpam illi, qui prosequitur jus suum: homo autem habet jus ad prædictas actiones; ergo non imputabitur ei talis pollutio, quam potius patitur, quàm agit, secluso omni periculo consensus.

i Sanch. d. 24. n. 4 Less. c. 3 dub. 14.

578 Dubium tamen est, quando nulla est utilitas, aut necessitas ad eam permissionem? in quo variè loquuntur DD. apud Sanch. Resp. [l] primò, si causa sit ex sua natura turpis per se movens, & notabiliter influens in pollutionem, hæc in illa prævisa imputatur ad culpam mortalem. Quia lex naturalis obligans ad non procurandam pollutionem, etiam obligat ad vitandas causas per se, & notabiliter in illam influentes, ubi cessat necessitas, aut utilitas alicujus momenti; perinde enim est tunc causas illas applicare, ac pollutionem procurare. Unde omnis actio contra sextum præceptum, si in ea prævideatur pollutio, habet specialem malitiam mollitiei, quia notabiliter in illam influit, ut oscula, amplexus, tactus etiam leves, si in illis diu persistatur, cogitatio, delectatio, lectio, locutio saltem valdè turpis, quia solent appetitum valdè excitare, & vires pollutionis emissivas commovere, ut per se patet. Addo licèt prædictæ actiones licitæ sint ratione conjugii, tamen ratione pollutionis, vel periculi illius prævisi mortales reddi, si absque necessitate exerceantur. Unde stat causam esse licitam, & reddi mortalem ratione pollutionis, vel periculi illius; aut esse venialem secundùm se, ut est de-

l Sanch. n. 11. & 12. Less. n. 100

Digitized by Google

lectatio morosa conjugis de copula cogitata cum uxore, & reddi mortalem ratione pollutionis ex ea ortæ.

m Sanch. n.16. Less. n.100

579 Resp. secundò, [m] neminem ratione pollutionis, aut periculi prævisi teneri sub mortali vitare causas remotas per se proximè, & notabiliter non influentes in illam. Quales sunt, quæ per se ad luxuriam non pertinent, estò alioqui peccaminosæ sint. Quia talis pollutio censetur procedere à causis naturalibus, quas proinde vitare obligatio gravis non est. Unde pollutio prævisa in gulla etiam mortali, non imputatur saltem graviter.

n Soar. s.7. n.19. Less. n.117. Vasq. d. 10. c.2.

580 Dubitabis tertiò, an secluso periculo consensus positivi, aut pollutionis, motus sensualitatis sint peccata mortalia ex eo solùm, quòd voluntas negativè se habeat neque consentiendo, neque positivè repellendo? [n] Affirmant plures, & graves recentiores primò, quia homo potest, & tenetur reprimere tales motus utpote pravos ex objecto: ergo peccat eos non reprimendo, non venialiter, quia materia est gravis: ergo mortaliter. Secundò, quia consensus formalis, & interpretativus in moralibus sunt ferè pares; sed consensus formalis est mortalis; ergo & interpretativus, qui datur negativè se habendo, & illos non repellendo. [o] Negant verò communiter antiquiores Doctores, quos sequuntur non pauci recentiores, qui plures rationes afferunt, quas non vacat expendere. Illud certè favet, quia scripturæ quasi exponentes hoc præceptum non concupiscendi, videntur requirere consensum formalem ad ejus violationem, ut patet ex illo: [p] *Post concupiscentias non eas.* Et illo: [q] *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Ire verò post concupiscentias, & illis obedire, est formaliter consentire. Accedit: Quia sensualitas per suos motus habet potius rationem tentantis, & suadentis, quàm operantis; cùm executio rei intentæ per sensualitatem ad voluntatem pertineat. Unde quandiu hæc non consentit, non potest dici vinci à tentatione, sed illam permittere; quod non potest esse mortale; cùm absurdum videatur tantam malitiam concedere in sola permissione tentationis sine periculo consensus, quantam in ipso consensu, ratione cujus tentatio victrix existit, & homo victus; maximè quia habere se merè negativè, non procedit ex complacentia motuum, sed ex non æstimatione, quod non potest non licere, si homo timeat ex positiva resistentia magis augendam concupiscentiam, quod etiam concedit Soar. & alii pro prima sententia relati: idem igitur erit, quando quis ex contemptu simili modo se habet. Unde satis laborant prædicti Auctores in invenienda culpa veniali in hac permissione.

o D.Tho. q. 7. de malo a. 6. ad 6. Sanc c. 2. n. 13. Gran. de peccat. t. 4. d. ult. Soar. de peccat. d. 18.

p Eccl. 18. 30.

q Rom. 6. 12.

581 Hæc secunda sententia speculativè probabilior videtur; in praxi verò periculosa est primò, quia si voluntas positivè non conetur expellere tales motus, ferè semper exponetur periculo proximo consensus formalis. Secundò, quia tanta est connexio, & similitudo inter motus sensualitatis, & actus voluntatis ejusdem objecti, ut difficile sit, & moraliter impossibile illos discernere, nisi per contrarietatem. Unde quandiu voluntas positivè non avertitur ab eo objecto; possumus, & debemus dubitare, an etiam ad illud positivè afficiatur; à quo dubio per solum actum positivum contrarium liberari possumus. Ideò notant aliqui saltem necessariam esse formalem displicentiam voluntatis, ut secunda sententia practicè probabilis sit. Hac tamen displicentia posita, illam etiam practicè probabiliorem existimo, quamvis sit optimum consilium positivè resistere, & postea imaginationem aliò divertere, quia hoc modo prædicti motus facilius sedari solent, quàm per magnum conatum ad illos repellendos.

CAPUT XIII.

Expositio decimi præcepti Decalogi.

HOc præceptum traditur per hæc verba: [a] *Non concupisces res proximi tui.* Quæ concupiscentia, seu desiderium rei alienæ in septimo præcepto virtute prohibetur, ut ibi notavimus. Hic tamen expressè vetatur, ne quis putaret, solas actiones externas, de quibus ibi egimus, esse prohibitas. [b] Prohibetur igitur in hoc præcepto avaritia, de qua cap. 15. sect. 4. Quæ dicitur immoderatus appetitus divitiarum repugnans alicui virtuti, nempe justitiæ, dum quis appetit aliena; vel cha- 582

a Exod. 20. 16. Deut. 5. 21.

b Tol. l. 5. c. 78.

charitati, dum quis erga res suas ita afficitur, ut nolit eas propter Deum deserere, aut ex illis succurrere proximo extremè, aut graviter indigenti; vel liberalitati, dum habens superflua, non succurrit ex illis patientibus communes necessitates.

583 Specialiter tamen prohibetur hìc desiderium rei alienæ contra justitiam. Quod contingit primò, cùm quis appetit aliena modo illicito, ut qui vult pecunias alienas, aut res quascumque pretio æstimabiles, ita ut, si posset, usurparet per furtum, rapinam, vim, dolum, vel per quemlibet contractum injustum. Estque hoc desiderium mortale, nisi excuset levitas materiæ, quæ desideratur. Secundò, quando aliquis desiderat in his rebus damnum proximo inferre, quamvis vel ex alia simili causa ab eo inferendo abstineat. Tertiò, quando ex odio, aut invidia cupit, ut proximus bona sua perdat, aut in illis gravia detrimenta patiatur, aut de talibus damnis, quæ ei acciderunt, delectatur; erit enim talis delectatio, seu gaudium mortale.

584 Non erit tamen peccatum, si quis videns rem proximi, cuperet similem habere absque damno illius; qui videns res temporales proximi augeri, prospereque succedere, desideraret, quòd sibi idem contingeret. Quia hæc desideria nec sunt contra justitiam, nec contra charitatem, aut aliam virtutem. Solùm poterunt esse affectus avaritiæ venialis, si sint immoderati; vel etiam mortalis, si finis aliquis mortalis talibus desideriis apponatur. Ut autem quæ dicta sunt melius percipiantur, adverte ad hoc præceptum reduci primò desiderium damnificandi proximum in bonis temporalibus ortum ex invidia, vel malevolentia, quando damnum in re secutum non fuit ex impotentia, aut ex metu aliquo humano, aliave causa, culpam non excusante. Dixi: *Culpam non excusante*. Quia aliquando possunt excusari à culpa similia desideria efficacia, si concipiantur ex bono motivo. Ut si desideres alicui jacturam bonorum temporalium, ut ipse, qui divitiis fretus multa peccata committit, emendetur, desinat superbire, & pauperes vexare: vel si est immisericors, ut discat condolere miseriis alienis; vel ex aliquo alio fine honesto, ex quo licere possunt similia desideria, quando ex ipsis non sequitur damnificatio ipsa, ut docent communiter Doctores.

585 Reducitur secundò ad hoc præceptum tristitia de bonis alienis, quæ nascitur ex invidia, & odio personæ, quod facit, ut bonum illius malum nostrum existimemus; quę tristitia, quando est deliberata, semper est peccatum contra charitatem, quia dolemus de eo, de quo nobis gaudendum fuerat, nempe de bono proximi. Unde tristari de bonis alienis ex odio personæ, semper est illicitum, quando enim odio habemus aliquem, consequenter nobis displicent ejus bona, ac prosperitates, estque hæc displicentia, seu tristitia effectus odii; gravitas autem hujus displicentiæ, & tristitiæ pensanda est ex ipso odio: nam si malum alicui volumus propter ipsam personam, quia scilicet malum illius est, tunc planè, si malum est grave, mortale peccatum est; si autem malum est leve, veniale peccatum erit ex accidente, hoc est, ex defectu materiæ, licèt odium, ex quo procedit, in se mortale sit: ergo idem erit de tristitia, & displicentia boni alieni orta ex eodem odio.

586 Notandum verò est, posse nos tristari, & dolere de bonis alienis non ideo, quia proximus illa habeat, sed quia nos illis caremus. Quia hoc nec est odium, neque invidia, nec ex illis nascitur; sed est zelus, & æmulatio, ut loquitur sanctus Thom. & potest esse sine peccato, si ea bona nobis sint proportionata, v. c. non habet quis bona, quibus possit familiam suam decenter alere; videt autem alios sibi æquales, aut parum superiores illa habere superabundanter; licitum sibi est tristari, ac dolere, quòd illa non habeat quibus alii abundant. Probatur, quia licitum est homini illi ea bona desiderare, & procurare per media licita: ergo etiam ei licitum est de illorum carentia tristari, & dolere, non quia proximus ejus illa possideat, quia id esset contra charitatem proximo debitam, ut dictum est; nam sicut effectus dilectionis proximi est gaudium de illius bonis: sic affectus odii, & invidiæ est tristitia, & dolor de eisdem. c. 2. 2. q. 36. a. 2.

587 Si verò bona aliena, de quibus tristamur, quia illa similiter non habemus, nobis sint improportionata, ut si homo ordinarius tristetur, & doleat de bonis, quæ possidet rex, aut ma-

gnus Princeps, non quia ea possideant, sed quia ille eisdem careat, peccatum erit tantùm veniale. Quoniam, ut ait Angelicus Doctor, [d] nullus homo mediocris fortunæ, nisi insanus, procurat se æquare in gloria illis, à quibus notabiliter excellitur, & consequenter non tristatur, nec dolet, si ad illorum gloriam, & affluentiam non pertingat; ergo si id est actus insaniæ, licitus esse non potest; ac proinde peccaminosus est, saltem venialiter.

d 2.2.q.36. a.1.

588 Si autem quis desiderat ea bona temporalia ob malum finem, & cùm illa videat in proximo, tristatur, & dolet, quòd illis careat, non quòd proximus illa habeat, sed quia ipse illis carens non potest consequi finem à se intentum. Tunc quidem, sive talia bona sint nobis proportionata, sive improportionata, tristari de illorum carentia, aut desiderare ad illum finem; peccatum mortale est, si malus finis malitiam habet mortalem; & veniale, si finis malitiam solam habeat venialem.

589 Notandum deinde est, posse quempiam tristari de bonis temporalibus alterius, quatenus illa sunt in homine indigno. Hæc autem tristitia non nascitur ex odio, vel invidia, sed ex nemesi, ut loquitur D. Thom. [e] seu ex justitia distributiva, & dicitur indignatio, potestque esse peccatum mortale, aut veniale. Nam cùm temporalia bona, quæ possident pravi, & injusti homines, ex Dei ordinatione proveniant, ex cursuque divinæ providentiæ; qui de illis tristatur, eò quòd indignis dentur, saltem interpretativè Dei ordinationem, & providentiam arguit, ac reprehendit; quod planè peccatum saltem veniale est. Si autem eò dementiæ quis deveniat, ut Deum expresse arguat, erit manifestum peccatum mortale, & gravissima blasphemia, quia foret Deum arguere injustitiæ, quæ in illo esse non potest. Potest tamen hæc tristitia, seu indignatio esse talis, ut homo non indignetur, neque tristetur, quasi Deus injustè sua bona distribuat, sed quia mali, & indigni homines eis abutantur, vel ex alio honesto fine; quod licitum est, & omni culpa etiam veniali caret; quia tunc tristitia, & indignatio est de malo proximi patrato occasione bonorum, quibus abutitur.

e 2.2.q.36. a.2.

590 Reducitur tertiò ad hoc præceptum gaudium de carentia bonorum temporalium, de perditione eorum, de eoque, quòd proximus, illis deperditis, miseriam devenerit; si autem tale gaudium oriatur ex eodem odio, ac invidia, quia gaudemus de illorum carentia, aut diminutione, quia malum proximi est, erit gaudium effectus odii, & ejusdem culpæ cum illo. Si autem ex bono motivo gaudeamus, quia sic emendabitur, desinet superbire, innocentes opprimere &c. peccatum non erit, sed actus honestus, juxta honestatem motivi, quod nos movet ad tale gaudium.

591 Reducitur quartò delectatio morosa de simili damno, & perditione bonorum temporalium solamente concepta, & imaginata, quæ non est, neque fortè erit; sed nos concipiendo illam, ac si esset, gaudemus, & delectamur de ea, ac si esset præsens, hoc autem ex displicentia personæ. Nam delectatio morosa de aliquo objecto, habet malitiam ejusdem objecti, quàm haberet desiderium ejusdem: sed desiderium, quòd proximus amittat bona, quæ possidet, ex displicentia personæ, est peccatum contra hoc præceptum, ut dictum est; ergo & delectatio de amissione eorumdem. Et per hoc habet Parochus expositionem Decalogi, ex qua poterit explicare ejus præcepta, conscientiasque dirigere in sacris Confessionibus, circa peccata, quæ contra committi solent.

CAPUT XIV.

Expositio quinqualogi, seu quinque præceptorum Ecclesiæ.

GEneralia Ecclesiæ præcepta sunt quinque. Primum audiendi Missam diebus Dominicis, & festis. Secundum jejunandi in quadragesima, aliisque diebus præceptis, & abstinendi à carnibus diebus Veneris, & Sabbati. Tertium confitendi semel in anno. Quartum sumendi Eucharistiam in paschate. Quintum solvendi decimas Ecclesiis, seu illis, quibus de jure debentur. Quia verò hæc præcepta sunt leges quædam universales Ecclesiæ, præmittenda est doctrina de 592

legi-

legibus, ut istæ quinque faciliùs explicentur.

SECTIO I.

De lege maximè humana.

593 LEx dicitur vel à legendo, quia homines in ipsa legunt, quid facere debeant, vel à ligando, quasi homines liget, & obliget ad agendum, aut cavendum, quod in ipsa præcipitur, aut prohibetur. Definiturque *præceptum commune, justum, stabile ad bonum commune, ab eo, qui potestatem habet communitatis, sufficienter promulgatum*. Hæc definitio, licèt aliæ circumferantur non inutiles, est communior inter Doctores, & quæ melius explicat naturam legis, ejusque effectus, ut clarius constabit ex illius expositione.

594 Dicitur: *Præceptum*. Sive præcipiat, sive prohibeat. Unde lex dividitur in præceptivam, & prohibitivam; seu in affirmativam, & negativam. Dicitur: *Commune*. Ut distinguatur à præcepto particulari, quod uni imponitur, lex verò non nisi communitati perfectæ. Dicitur: *Iustum*. Quia si injustum contineat, non erit lex, nemo enim obligari potest ad aliquid injustum, & illicitum; & ideò materia legis debet esse honesta, justa, & possibilis. Dicitur: *Stabile*. Quia lex habere debet sufficientem perpetuitatem. Nam si feratur pro determinato tempore, lex non erit, sed præceptum temporale. Dicitur: *Ad bonum commune*. Quia ut sit justa debet primariò intendere bonum communitatis, non privatum alicujus particularis. Dicitur: *Ab eo, qui potestatem habet communitatis*. Quia lex procedere debet à sufficiente potestate gubernatrice communitatis perfectæ, qualis est in Papa, in Regibus, & aliis legitimis superioribus ejusdem communitatis. Dicitur: *Sufficienter promulgatum*. Quia ante promulgationem, seu publicam intimationem, lex non est completa, nec obligat.

595 Lex [a] dividitur in divinam, & humanam. Divina est, quæ immediatè à Deo est tradita, estque vel æterna, vel temporalis. Aeterna dicitur, quæ ab æterno fuit in Deo suo tempore hominibus tradenda. Temporalis est, quam Deus in tempore tradidit, vel imprimendo illam hominum mentibus, & dicitur lex naturalis cum ipsa natura congenita, & promulgata, ad quam pertinent illa dictamina practica: *Bonum est faciendum, malum fugiendum. Quod tibi non vis alteri ne feceris*. Et præcepta Decalogi ex illis deducta, aliaque ex iisdem per naturalem rationem derivata. Vel positivè illam revelando, cujusmodi fuit data Hebræis per Moysen, & in Euangelio per Christum circa fidem, & sacramenta. Illa dicitur lex vetus; ista nova, & euangelica.

a Soar. l. 1 c. 9. & 10.

596 Lex humana immediatè procedit ab homine. [b] Estque vel Ecclesiastica procedens à potestate spirituali à Christo Ecclesiæ relicta in ordine ad bonum animæ, qualis est in Papa, in Concilijs legitimis, in Episcopis, & aliis Prælatis Ecclesiæ, & dicitur lex canonica, maximè quæ est pro tota Ecclesia. Vel est civilis, quæ procedit à potestate ciuili in ordine ad politicam gubernationem; qualis est in Imperatore, Rege, & quolibet supremo Principe, aut Republica.

b Soar. l. 3.

597 Lex tam Ecclesiastica, quàm civilis non obligat ante promulgationem. [c] Est enim promulgatio complementum legis, sine quo completa non est in ratione regulæ publicæ aptæ, ut omnes universaliter dirigat. Non tamen requiritur, ut singulis in particulari notificetur, aut in singulis locis publicetur; cùm enim sit regula publica, & universalis; satis est, quod omnibus universaliter proponatur; ad quod sufficit, ut in locis celebrioribus promulgetur, indeque ad omnium notitiam possit venire, & omnes obligare: licèt in actu secundo possit excusari, qui legis ignorantiam habuerit.

c Soar. l. 3. c. 16.

598 Neutra autem [d] requirit populi acceptationem, ut obliget. Prob. quoad Ecclesiasticam, quia neque Papa, neque alii Ecclesiæ Prælati habent potestatem legislativam à populo, sed à Christo; ergo non est fundamentum dicendi tales leges non obligare independenter à voluntate, & approbatione populi. Prob. quoad civiles. Quia licèt Principes sæculares potestatem immediatè à populis acceperint, eam tamen non acceperunt cum ea limitatione, ut scilicet non obligarent sine populi approbatione; hoc enim sine fundamento dicetur. Unde sequitur peccare eos, qui leges primò violant, & non recipiunt. Utraque autem obli-

d Soar. l. 1. c. 19 & l. 4. c. 16.

gat

e Soar. l. 3. c. 21 & l. 4. c. 17.
f Rom. 13. 1. & 5.

gat [e] in conſcientia, & ſub peccato, ut conſtat ex ſcripturis. Ait enim Apoſtolus [f] omnem animam poteſtatibus ſublimioribus ſubdi debere, eumque, qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtere, & ſibi damnationem acquirere; neceſſitate obediendum eſſe, non tantùm propter iram, ſed propter conſcientiam, ut nempe vitetur peccatum, quo conſcientia maculatur. Quod etiam definit Concilium Trid. [g] Unde omnis vera lex humana aliquam inducit obligationem conſcientiæ, & in hoc differt à conſilio; ita ut quæ eſt præceptiva, obliget ad culpam; quæ eſt purè pœnalis, ad pœnam ſubeundam. Quæ verò nullam talem obligationem inducunt, leges non ſunt, ſed ordinationes, ac directiones.

g Seſs. 6. can. 20. & ſeſſ. 7. can. 8.

599 Excipe. Niſi fundetur in falſa præſumptione alicujus facti particularis. Tunc enim non obligat [h] in conſcientia, ſi præſumptio cum veritate non concordet; quia ſublato fundamento, corruit ædificium. Unde ſi non debes, quod per falſos teſtes debere convinceris, quamvis lex jubeat parere ſententiæ, & cogaris ſolvere, potes uti tacita compenſatione. Similiter ſi conſcius impedimenti dirimentis per cenſuras compelleris ad cohabitandum cum uxore; non teneris, imò nec licet. Quia ſententia fundatur in falſa præſumptione veri matrimonii. Si tamen lex fundetur in præſumptione periculi, quod evenire ſolet; obligat, quamvis hic & nunc periculum abſit. Hinc eſt, quòd licèt ſine ulla fraude matrimonium celebraſti ſine Parocho, & teſtibus: quia lex id prohibens fundatur in periculo, quod poteſt, & ſolet evenire, peccaſti contra legem, & nullum contraxiſti matrimonium.

h Soar. l. 3. c. 23.

600 Lex humana tam Eccleſiaſtica, quàm civilis regulariter obligat [i] pro ratione materiæ. Dixi: *Regulariter*. Quia licèt legiſlator non poſſit in materia levi obligare ſub mortali; poteſt tamen in materia gravi obligare ſub veniali. Quando autem ſatis non conſtat de gravitate materiæ, aut de intentione legiſlatoris; uſus Eccleſiæ, & Doctorum conſenſu id interpretatur. Unde eſt, quòd lex jejunii, & ſimiles graves habeantur, quia ſic Eccleſia intelligit, & DD. docent. [l] Violare verò legem etiam

i Soar. l. 3. c. 25.
l Soar. l. 3. c. 25.

leviter obligantem ex contemptu poteſtatis, à qua provenit, ſemper eſt mortale, ut omnes docent. Sunt præterea alia [m] ſigna. Si enim lex præcipit ſub æterna pœna, ſub Dei, & Apoſtolorum maledictione, ſub obteſtatione divini judicii, ſub Dei indignatione, ſub mortali obligat, quia cùm ſola culpa veniali non ſtat maledictio. Similiter ſi lex feratur ſub excommunicatione majori ipſo facto incurrenda, ſub ſuſpenſione, aut interdicto, & idem eſt, ſi ponatur pœna irregularitatis, aut gravis pœna temporalis, puta capitis, mutilationis, flagellorum, aut triremium, &c.

m Soar. l. 3. c. 27. & l. 4. c. 18.

601 Lex humana regulariter non obligat [n] cum periculo vitæ. Eſſet enim id valdè arduum, quod proinde ab homine præcipi non poteſt ſine cauſa graviſſima, quæ ordinariè non occurrit; maximè quia neque omnes leges naturales, & divinæ poſitivæ cum eo periculo obligant, ut eſt lex ſolvendi debitum, ſuccurrendi proximo extremè laboranti, confitendi integrè &c. Inde eſt, quòd leges jejunii, miſſæ, & ſimiles non obligent cum gravi incommodo, niſi in contemptum fidei, aut Eccleſiæ compellaris ad eas violandas. Dixi: *Ordinariè*. Quia interdum poſſunt obligare cum eo periculo, quando cauſa rationabilis id poſtulaverit; id autem poſtulabit, quando legis obſervatio magis conducit ad bonum commune, quàm propriæ vitæ conſervatio; ſeu quando plus nocet bono communi legis tranſgreſſio, quàm propriæ vitæ jactura. Unde cùm bonum commune præferendum ſit particulari, poteſt legiſlator, cujus eſt bonum commune tueri, obligare per ſuas leges, & præcepta cum periculo vitæ, v. c. ad bellandum, ad ſtationem non deſerendam, ad inſerviendum peſte infectis &c.

n Soar. l. 3. c. 30.

602 Lex humana obligat omnes ſubditos, [o] ad quos dirigitur. Dico: *Ad quos dirigitur*. Quia ſæpè lex non dirigitur ad omnes ſubditos legiſlatoris, ſed ad certum ſtatum, & conditionem, v. c. ad clericos, ad regulares, ad mercatores, ad ſutores &c. Igitur quando lex eſt univerſalis, ut ſunt quinque, de quibus modò agendum eſt, omnes indiſcriminatim obligat, quando verò fertur pro certa hominum conditione, illos tantùm comprehendit.

o Soar. l. 3. c. 32.

603 Lex

Digitized by Google

p Sanch. 1. decal. c. 12. n. 14.

603 Lex Ecclesiastica non obligat infideles non baptizatos [p] etiam temporaliter subjectos Papæ, vel cuicumque alteri Principi christiano. Prob. quia non sunt subditi Ecclesiæ, cùm in eam non intraverint per baptismum: lex autem non obligat, nisi subditos. Unde tales non peccant comedendo carnes in die jejunii, neque qui eis carnes vendunt. Aliter dicendum de baptizatis, qui per hæresim extra Ecclesiam sunt, quia per baptismum ejus legibus subduntur, neque per suam hæresim ab ejus legibus extrahuntur. Neque lex Ecclesiastica, neque quæcumque alia obligat pueros [q] ante usum rationis. Quia ante usum rationis non sunt capaces obligationis, nec peccati; unde licet eis carnes dare in diebus prohibitis, quia non est cooperatio ad rem illicitam. Non tamen licebit illas dare ebriis, vel ignorantibus prohibitionem; nec amentibus, qui aliquando usum rationis habuerunt. De perpetuò amentibus probabile est oppositum, quia possunt reputari tamquam pueri. [r] At pueri pervenientes ad usum rationis tenentur ad omnes leges Ecclesiæ, quæ expressè tempus non determinant, ut determinat lex jejunii, & fortasse communionis Paschalis, de qua sect. 5. nam eo ipso quod quis habet usum rationis, est capax obligationis.

q Sanch. c. 10. n. 2. & 9.

r Sanch. n. 16.

604 Peregrini non tenentur [s] ad leges speciales suæ patriæ, quando sunt in aliis locis, quia leges Principis, vel Prælati non obligant extra proprium territorium. [t] Tenentur verò servare leges speciales loci, in quo inveniuntur, juxta probabiliorem sententiam, quia ratione loci fiunt subditi. Et idem à fortiori est verum de vagis, qui nullibi habent fixum domicilium. Consuetudo [u] non solùm legem interpretatur; unde dicitur optima legum interpres. Cùm enim aliquando sit obscura, melius explicari non potest, quàm ex communi hominum sensu per receptam consuetudinem manifestato. Sed etiam legem scriptam abrogare valet, ita ut jam non obliget; imò & novam legem introducere, quando materia fuerit capax legis, & per varios actus à majori parte communitatis exercitos per tempus à jure determinatum, quod communiter reputatur decennium, cum consensu saltem tacito principis. Et dicitur lex non scripta, quæ non minus obligat, quàm scripta.

s Sanch. n. 16.

t Soar. 3. de leg. c. 33.

u Soar. l. 7. de leg.

605 In lege humana dispensari [x] potest. Est enim dispensatio quædam legis relaxatio, seu exemptio ab ejus obligatione. Et potest concedi ab ipso legislatore, vel successore, aut ejus legitimo superiore, non tamen ab ejus inferiore, nisi in aliquibus casibus, quando dispensatio superiori reservata non est. Primò, quando superior inferiori potestatem dispensandi concedit. Secundò, quando est legitima consuetudo dispensandi ab inferiori. Tertiò, quando res est levis. Quartò, quando casus dispensatione egentes frequentes sunt. Quintò, cùm est gravis necessitas dispensandi, nec superior adiri potest, aut non nisi cum magno incommodo; ita enim postulat prudens gubernandi ratio. Debet tamen inferior rationabilem causam habere, sine qua ejus dispensatio non valebit. Superior tamen sine causa validè dispensabit, quamvis illicitè. Dispensatio potest esse subreptitia, & nulla, quando in petitione aliquod verum tacetur, quod secundùm jus deberet exprimi, aut quo cognito superior non dispensaret; vel quando exprimitur aliquid falsum, quod sit causa finalis dispensandi. Sed de his lib. sequenti cap. 8.

x Soar. l. 6. à c. 10.

SECTIO II.

De primo præcepto audiendi Missam.

DE Sacrificio Missæ egimus lib. 4. modò explicamus generale præceptum impositum omnibus fidelibus baptizatis habentibus usum rationis, cujuscumque status sint, aut sexus, interessendi huic sacrosancto sacrificio, seu audiendi Missam omnibus diebus Dominicis, & Festis de præcepto. Quæ autem sint istæ dies diximus cap. 6. sect. 1. exponentes tertium præceptum Decalogi. Habetur hoc præceptum in decreto, [a] obligatque sub mortali, ex communi sensu Ecclesiæ, & Doctorum. 606

a Can. Miss. de consec. d. 1.

607 Est autem Missam [b] audire, & corpore adesse, & mente attendere celebranti, & iis, quæ ab ipso peraguntur, quamvis nec intelligas, quæ dicuntur, ut rustici, qui Missam audiunt,

b Tol. l. 6 c. 6. n. 1.

Digitized by Google

diunt, licèt non intelligant: nec audias, ficut surdi, & qui longè sunt à Sacerdote, qui Missam audire censentur, estò non audiant, quæ dicuntur: nec videas, quæ in Missa peraguntur, ut cæci non vident, cùm tamen Missam audiant, & præcepto satisfaciant. Procurandum tamen est & videre, & audire, quantum fieri possit; maximè verò attendere: non enim audit Missam, qui præsens est corpore, sed dormit; opus est ergo advertere, ut quis dicatur moraliter esse præsens operationibus sacris Missæ.

608 Tunc autem quis [c] sufficienter advertit, quando non divagatur affectata vagatione, quæ tunc contingit, quando voluntariè ad alia cogitanda divertit, aut advertens se divagari per alia, nullam facit diligentiam, ut attendat: aut quando tempore Missæ facit opus, quod ex se habet divagationem annexam, ut si scribat, pingat, studeat, legat &c. Iste enim, quamvis corpore præsens esset, certissimè Missam non audiret. Si tamen Missam audire volens aliis cogitationibus rapiaris parùm, aut nihil advertens involuntariè, præceptum implesti, nec aliam Missam teneris audire, licèt optimum foret audire, nisi sis scrupulosus, talis enim melius faciet non audire ex scrupulo. Nec impedit Missæ auditionem recitare eo tempore horas canonicas, aut Officium B. Virginis, vel coronam, sive ex præcepto, aut voto, sive ex devotione, dummodò attendas te adesse Missæ: præsertim quia ista ad unum, & eumdem finem ordinantur. Melius tamen foret ad sola mysteria Missæ attendere.

d Tol. c. 7. n. 1. & 2. *609* Satisfacis [d] autem huic præcepto audiendo quamlibet Missam sive solemnem, sive privatam, sive de Sancto, sive de Requiem: sive in Parochia, sive extra illam. Non enim teneris in propria Parochia audire, licèt ex contemptu Parochiam deserere peccatum esset. Quamvis enim Tridentin.

e Seff. 22. c. 2. de ref. [e] statuat, ut fideles moneantur suas Parochias frequentare, maximè diebus solemnibus; id est consilium bonum, non autem præceptum.

610 Si ex malo fine adesses Missæ, dummodò debitam attentionem, & voluntatem audiendi haberes; impleres præceptum, quamvis peccares ex circumstantia finis. Voluntariæ verò confabulationes, & aliæ quæcumque actiones distractivæ à debita attentione, maximè si illicitæ sint, ad notabilem partem, impediunt præcepti impletionem.

[f] Ad implendum præceptum satis est unam Missam audire etiam in die Nativitatis Domini, in quo tres à quolibet Sacerdote celebrari solent. Imò licèt eodem die plures obligationes concurrant, quia scilicet est Dominica, & festum Apostoli, non teneris, nisi unicam audire; nec committis nisi unum peccatum, Missam omittendo, quia omnia illa præcepta præcisè tendunt ad audiendam Missam, ut sic, quæ quidem auditur uni assistendo. Unde illa circumstantia plurium preceptorum non est necessario aperienda in confessione. Si tamen simul tenearis ex voto Missam audire, licèt per unam, & eamdem, triplici illi obligationi satisfacias; si tamen omittas, duplex peccatum committes; alterum sacrilegii contra votum, alterum irreligiositatis contra præcepta; quia sunt obligationes diversarum rationum, qualia non sunt præcepta. Et consequenter teneris exprimere in confessione circumstantiam voti. f Tol. c. 7. n. 3.

611 Præceptum obligat ad Missam integram, [g] ita ut non omittatur pars notabilis. Aliqui probabiliter dicunt, si omittatur usque ad Epistolam inclusivè, non satisfieri, quia omittitur pars notabilis. Alii dicunt adhuc impleri, sed non est securum, nisi adesset justissima causa, vel quia alia non est, vel quia aliam audire commodè non potes. Si veneris post Euangelium, & alia non fuerit Missa, quæ possit audiri; teneris audire usque ad finem: quia substantia sacrificij adhuc peragenda est. Et idem est, si venias post præfationem ob eandem rationem. Si tamen veneris post consecrationem, non teneris assistere usque ad finem: quia jam essentia sacrificij peracta est. Bonum tamen esset assistere, quia saltem facies, quod potes. g Tol. n. 4.

612 Aliqui [h] docent satisfieri præcepto, si audiatur dimidia Missa ab uno, & altera ab alio; & est probabile propter authoritatem DD. Res mihi videtur satis dubia; quia re vera non est una Missa integra, sed duæ medietates, quæ unam non faciunt; alioqui posses eodem tempore audire duas medietates, alteram à principio, alteram à me- h Tol. n. 5.

Digitized by Google

medio usque ad finem, quia utrique potes sufficienter attendere; quod tamen durum videtur. Imò posses ab uno simul audire à principio usque ad offertorium, ab alio ab offertorio usque ad Pater, ab alio usque ad finem, quod est magis durum: ut satis patet. Quis enim dicat hunc Missam audivisset, perfecteque satisfecisse præcepto audiendi Missam? Si tamen Missam audisti ex devotione cum intentione non satisfaciendi præcepto, [k] statuens aliam postea audire pro præcepto; satisfecisti, nec teneris aliam audire: quia intentio tua non facit, quod Missam non audieris, quod tantùm postulat præceptum.

[k Soar. t. 3. in 3. p. d. 88. sect. 3. Sanch. 1. Decal. c. 13. n. 13.]

613 Si discedas ex uno loco cum animo audiendi Missam in alio vicino, probabiliter credens te ibi præceptum implere posse: si Missam casu non invenias, non peccasti. Sed quid si in tua Parochia sit dies festus, vel intra urbem, poteris ne exire ad locum, ubi præceptum non obligat? Respond. [l] primò, si nulla dicatur Missa, antequam exeas, non teneris expectare, quia præceptum non obligat ad expectandum, sed audiendam Missam, cùm audiri potest. Secundò, si sit una tantùm Missa, quæ celebretur, quando tu es præsens in loco, teneris illam audire, quia præceptum obligat, & datur commoditas, nec apparet unde excuseris. Tertiò, si plures Missæ celebrandæ sint à manè usque ad meridiem, licèt graves DD. negent licere tibi, Missam non audita, egredi, v. c. hora 7. vel 8. probabilius est oppositum. Quia dum sunt pl. res Missæ celebrandæ, non te urget præceptum, & alioqui non obligat ad non exeundum: at postquam existi, non obligaris: ergo non teneris prius Missam audire, licèt melius sit eam audire, & ita consulendum.

[l Sanch. c. 13. n. 31. & 32. Less. l. 4. c. 2. n. 56. Pal. de leg. d. 1. p. 24. § 5. n. 8.]

614 Sed quid si præceptum solùm obliget in loco, in quo es tamquam advena? Resp. primò, si sis vagabundus nullum certum habens domicilium; obligaris, sicut incolæ loci. Et idem est, si ibi habeas quasi domicilium, intendens pro notabili anni parte ibi commorari, in quo omnes conveniunt. Resp. [m] secundò. Estò sit probabilis multorum sententia, extra hos casus, advenam non obligari; probabilius est obligari. Et quamvis aliqui velint solùm transitum non sufficere, oppositum est probabilius. Unde si iter faciens pervenis ad locum, ubi est dies festus, ibique permaneas toto manè, aut magna illius parte, teneris Missam audire. Similiter si dormias in loco, ubi sequens dies est festus, estò manè sis discessurus, teneris Missam prius audire, si dies festus fuerit in toto territorio, per quod usque ad meridiem iter es facturus. Si verò statim transiturus sis ad locum, in quo festum non servatur, non teneris audire, sicut nec incola loci, si exeat, juxta superius dicta. Si autem transeas per locum, ubi est festum, hora etiam, qua Missa dicitur, non teneris ibi permanere ad Missam audiendam, sed potes transire; imò licèt quiescas pro tempore opportuno ad Missam audiendam, si illo indiges, pro capiendo cibo, vel emendo, non teneris audire.

[m Soar. l. 2. de festis c. 14. Less. n. 30. Pal. § 3. à n. 12.]

615 Missa [n] non est audienda à quolibet Sacerdote, nempè à nominatim excommunicato, suspenso, vel interdicto, aut publico clerici percussore, degradato, aut deposito. Quia licèt præceptum impleretur, esset aliunde peccatum, propter communicationem in sacris cum talibus personis, contra præceptum Ecclesiæ. Aliorum verò Missas, licèt excommunicati sint à jure, aut ab homine, dummodò non sint nominatim denuntiati, possumus audire: non enim tenemur ab omni excommunicato fugere, ut dicemus lib. 10. cap. 7. sect. 1. Addit Silv. verb. Missa 2. non posse audire Missam concubinarii notorii, & denuntiati.

[n Tol. c. 8.]

616 Excusat [o] à Missa audienda non solùm ignorantia, vel oblivio invincibilis, sed etiam impotentia physica, ut si sis in carcere, vel domi clausus, si graviter ægrotus, si naviges, vel iter facias per terras, in quibus non celebratur &c. vel moralis, quæ datur, cùm occurrunt rationes secundùm prudentiam excusantes. Ut si excommunicatus sis, aut interdictus interdicto etiam generali, & non habeas privilegium: Si enim habeas Bullam Cruciatam, teneris; [p] quia præceptum obligat expeditos. Licèt non desint qui negent, eò quòd non tenearis uti privilegio; quibus non facilè acquiescerem. Si domum habeas pro carcere, data fide non exeundi. Si mater filias habet, quibus probabiliter periculum timet, si solas deserat, & decenter secum conducere nequit. Si infirmo inservias, quam sine de-

[o Tol. c. 5.]

[p Molin. apud Dianam p. 1. t. 11. tel. 2.]

Digitized by Google

diunt, licèt non intelligant: nec audias, sicut surdi, & qui longè sunt à Sacerdote, qui Missam audire censentur, estò non audiant, quæ dicuntur: nec videas, quæ in Missa peraguntur, ut cæci non vident, cùm tamen Missam audiant, & præcepto satisfaciant. Procurandum tamen est & videre, & audire, quantum fieri possit; maximè verò attendere: non enim audit Missam, qui præsens est corpore, sed dormit; opus est ergo advertere, ut quis dicatur moraliter esse præsens operationibus sacris Missæ.

608 Tunc autem quis [c] sufficienter advertit, quando non divagatur affectata vagatione, quæ tunc contingit, quando voluntariè ad alia cogitanda divertit, aut advertens se divagari per alia, nullam facit diligentiam, ut attendat: aut quando tempore Missæ facit opus, quod ex se habet divagationem annexam, ut si scribat, pingat, studeat, legat &c. Iste enim, quamvis corpore præsens esset, certissimè Missam non audiret. Si tamen Missam audire volens aliis cogitationibus rapiaris parùm, aut nihil advertens involuntariè, præceptum implesti, nec aliam Missam teneris audire, licèt optimum foret audire, nisi sis scrupulosus, talis enim melius faciet non audire ex scrupulo. Nec impedit Missæ auditionem recitare eo tempore horas canonicas, aut Officium B. Virginis, vel coronam, sive ex præcepto, aut voto, sive ex devotione, dummodò attendas te adesse Missæ: præsertim quia illa ad unum, & eumdem finem ordinantur. Melius tamen foret ad sola mysteria Missæ attendere.

d Tol. c. 7. n. 1. & 2. 609 Satisfacis [d] autem huic præcepto audiendo quamlibet Missam sive solemnem, sive privatam, sive de Sancto, sive de Requiem: sive in Parochia, sive extra illam. Non enim teneris in propria Parochia audire, licèt ex contemptu Parochiam deserere peccatum esset. Quamvis enim Tridentin. [e] statuat, ut fideles moneantur suas Parochias frequentare, maximè diebus solemnibus; id est consilium bonum, non autem præceptum.

e Sess. 22. c. 2. de ref.

610 Si ex malo fine adesses Missæ, dummodò debitam attentionem, & voluntatem audiendi haberes; impleres præceptum, quamvis peccares ex circumstantia finis. Voluntariæ verò confabulationes, & aliæ quæcumque actiones distractivæ à debita attentione, maximè si illicitæ sint, ad notabilem partem, impediunt præcepti impletionem. [f] Ad implendum præceptum satis est unam Missam audire etiam in die Nativitatis Domini, in quo tres à quolibet Sacerdote celebrari solent. Imò licèt eodem die plures obligationes concurrant, quia scilicet est Dominica, & festum Apostoli, non teneris, nisi unicam audire; nec committis nisi unum peccatum, Missam omittendo, quia omnia illa præcepta præcisè tendunt ad audiendam Missam, ut sic, quæ quidem auditur uni assistendo. Unde illa circumstantia plurium preceptorum non est necessario aperienda in confessione. Si tamen simul tenearis ex voto Missam audire, licèt per unam, & eamdem, triplici illi obligationi satisfacias; si tamen omittas, duplex peccatum committes; alterum sacrilegii contra votum, alterum irreligiositatis contra præcepta; quia sunt obligationes diversarum rationum, qualia non sunt præcepta. Et consequenter teneris exprimere in confessione circumstantiam voti.

f Tol. c. 7. n. 3.

611 Præceptum obligat ad Missam integram, [g] ita ut non omittatur pars notabilis. Aliqui probabiliter dicunt, si omittatur usque ad Epistolam inclusivè, non satisfieri, quia omittitur pars notabilis. Alii dicunt adhuc impleri, sed non est securum, nisi adesset justissima causa, vel quia alia non est, vel quia aliam audire commodè non potes. Si veneris post Euangelium, & alia non fuerit Missa, quæ possit audiri; teneris audire usque ad finem: quia substantia sacrificij adhuc peragenda est. Et idem est, si venias post præfationem ob eandem rationem. Si tamen veneris post consecrationem, non teneris assistere usque ad finem: quia jam essentia sacrificij peracta est. Bonum tamen esset assistere, quia saltem facies, quod potes.

g Tol. n. 4.

612 Aliqui [h] docent satisfieri præcepto, si audiatur dimidia Missa ab uno, & altera ab alio; & est probabile propter authoritatem DD. Res mihi videtur satis dubia; quia re vera non est una Missa integra, sed duæ medietates, quæ unam non faciunt; alioqui posses eodem tempore audire duas medietates, alteram à principio, alteram à me-

h Tol. n. 5.

Digitized by Google

medio usque ad finem, quia utrique potes sufficienter attendere; quod tamen durum videtur. Imò posses ab uno simul audire à principio usque ad offertorium, ab alio ab offertorio usque ad Pater, ab alio usque ad finem, quod est magis durum: ut satis patet. Quis enim dicat hunc Missam audivisset, perfecteque satisfecisse præcepto audiendi Missam? Si tamen Missam audisti ex devotione cum intentione non satisfaciendi præcepto, [i] statuens aliam postea audire pro præcepto; satisfecisti, nec teneris aliam audire: quia intentio tua non facit, quod Missam non audieris, quod tantùm postulat præceptum.

[i] Soar. t. 3. in 3. p. d. 88. sect. 3. Sanch. 1. Decal. c. 13. n. 13.

613 Si discedas ex uno loco cum animo audiendi Missam in alio vicino, probabiliter credens te ibi præceptum implere posse: si Missam casu non invenias, non peccasti. Sed quid si in tua Parochia sit dies festus, vel intra urbem, poteris ne exire ad locum, ubi præceptum non obligat? Respond. [l] primò, si nulla dicatur Missa, antequam exeas, non teneris expectare, quia præceptum non obligat ad expectandum, sed audiendam Missam, cùm audiri potest. Secundò, si sit una tantùm Missa, quæ celebretur, quando tu es præsens in loco, teneris illam audire, quia præceptum obligat, & datur commoditas, nec apparet unde excuseris. Tertiò, si plures Missæ celebrandæ sint à manè usque ad meridiem, licèt graves DD. negent licere tibi, Missam non audita, egredi, v. c. hora 7. vel 8. probabilius est oppositum. Quia dum sunt pl res Missæ celebrandæ, non te urget præceptum, & alioqui non obligat ad non exeundum: at postquam existi, non obligaris: ergo non teneris prius Missam audire, licèt melius sit eam audire, & ita consulendum.

[l] Sanch. c. 13. n. 31. & 32. Less. l. 4. c. 2. n. 56. Pal. de leg. d. 1. p. 24. § 5. n. 8.

614 Sed quid si præceptum solùm obliget in loco, in quo es tamquam advena? Resp. primò, si sis vagabundus nullum certum habens domicilium; obligaris, sicut incolæ loci. Et idem est, si ibi habeas quasi domicilium, intendens pro notabili anni parte ibi commorari, in quo omnes conveniunt. Resp. [m] secundò. Esto sit probabilis multorum sententia, extra hos casus, advenam non obligari; probabilius est obligari. Et quamvis aliqui velint solum transitum non sufficere, oppositum est probabilius. Unde si iter faciens pervenis ad locum, ubi est dies festus, ibique permaneas toto manè, aut magna illius parte, teneris Missam audire. Similiter si dormias in loco, ubi sequens dies est festus, esto manè sis discessurus, teneris Missam prius audire, si dies festus fuerit in toto territorio, per quod usque ad meridiem iter es facturus. Si verò statim transiturus sis ad locum, in quo festum non servatur, non teneris audire, sicut nec incola loci, si exeat, juxta superius dicta. Si autem transeas per locum, ubi est festum, hora etiam, qua Missa dicitur, non teneris ibi permanere ad Missam audiendam, sed potes transire; imò licèt quiescas pro tempore opportuno ad Missam audiendam, si illo indiges, pro capiendo cibo, vel emendo, non teneris audire.

[m] Soar. l. 2. de festis c. 14. Less. n. 50. Pal. § 3. à n. 13.

615 Missa [n] non est audienda à quolibet Sacerdote, nempè à nominatim excommunicato, suspenso, vel interdicto, aut publico clerici percussore, degradato, aut deposito. Quia licèt præceptum impleretur, esset aliunde peccatum, propter communicationem in sacris cum talibus personis, contra præceptum Ecclesiæ. Aliorum verò Missas, licèt excommunicati sint à jure, aut ab homine, dummodò non sint nominatim denuntiati, possumus audire: non enim tenemur ab omni excommunicato fugere, ut dicemus lib. 10. cap. 7. sect. 1. Addit Silv. verb. Missa 2. non posse audire Missam concubinarii notorii, & denuntiati.

[n] Tol. c. 8.

616 Excusat [o] à Missa audienda non solùm ignorantia, vel oblivio invincibilis, sed etiam impotentia physica, ut si sis in carcere, vel domi clausus, si graviter ægrotus, si naviges, vel iter facias per terras, in quibus non celebratur &c. vel moralis, quæ datur, cùm occurrunt rationes secundùm prudentiam excusantes. Ut si excommunicatus sis, aut interdictus interdicto etiam generali, & non habeas privilegium; Si enim habeas Bullam Cruciatam, teneris; [p] quia præceptum obligat expeditos. Licèt non desint qui negent, eò quòd non tenearis uti privilegio; quibus non facilè acquiescerem. Si domum habeas pro carcere, data fide non exeundi. Si mater filias habet, quibus probabiliter periculum timet, si solas deserat, & decenter secum conducere nequit. Si infirmo inservias, quam sine de-

[o] Tol. c. 5.

[p] Molin. apud Dianam p. 1. t. 11. res. 2.

Digitized by Google

detrimento deserere non possis. Si parvulum habeas, quem sine periculo relinquere non potes. Qui sibi timent ab inimicis, ab heris, à maritis. Qui custodiunt carceres, arces, vineas, pecora, & generaliter qui non possunt sine gravi sui, vel proximi detrimento. Qui non habent vestes competentes, vel competentem famulatum. Viduæ post mariti obitum juxta consuetudinem rationabilem, filiæ post obitum patris, aut personæ conjunctæ, filiæ nobiles ob solam consuetudinem non exeundi non excusantur, quia est corruptela. Securius enim committantur matres, quàm cum sine matre domi relinquuntur.

SECTIO III.

De secundo præcepto jejunandi.

617 Duplex est jejunium, alterum naturale consistens in perfecta abstinentia ab omni cibo, & potu etiam medicinali à media nocte, usque ad sequentem mediam noctem, quod spatium diem naturalem constituit. Hoc autem jejunium est necessarium [a] ad celebrandum, & ad communionem, quando non sumitur per modum viatici in casu necessitatis, quia tunc potest quis communicare non jejunus. Alterum est Ecclesiasticum, [b] ad quod hoc præceptum obligat; estque abstinentia à cibo juxta Ecclesiæ ritum. Dixi: *A cibo*. Quia potus etiam vini non frangit hoc jejunium. Aliter dicendum de lacte, quod per modum cibi sumi solet, estque per se nutrimentum corporis. Dixi: *Iuxta ritum Ecclesiæ.* Qui certas conditiones requirit. Prima [c] est circa substantiam ciborum, ut abstineatur à carnibus, ovis, & lacticiniis. Quamvis quoad ova, & lacticinia, sit in aliquibus locis consuetudo præscripta in contrarium, qua vigente non erit contra jejunium illis vesci. Est igitur abstinentia à carnibus de essentia jejunii Ecclesiastici, non sic ab ovis, & lacticiniis. Unde qui dispensatur in carnibus, non tenetur ad jejunium; tenetur verò qui dispensatur in solis ovis, & lacticiniis; quia, ut dixi, istorum abstinentia non est de essentia jejunii, sed de quadam illius perfectione.

618 Secunda conditio est [d] circa quantitatem, quæ consistit in unica comestione continua, nisi ex causa rationabili alicujus negotii supervenientis aliquando interrumpatur; quod si contingat, poterit postea continuari sine violatione jejunij. Nec proinde negatur posse ante somnum sumi brevem collationem, quam consuetudo introduxit; quæ levis esse debet ex pane, fructibus, aut bellarijs, non tamen ex piscibus, nisi esset tam parva quantitas, ut pro nihilo reputaretur. Quantitas huius collationis mensuranda est juxta morem timoratorum regionis. DD. communiter concedunt sex, vel octo uncias. Alii quartam partem prandii ordinarii. In vigilia Nativitatis Domini ex communi consuetudine aliquid sumi potest ultra ordinarium, ex præscripta consuetudine.

619 Tertia est circa [e] tempus. Debet enim prandium, seu cœna jejunii sumi tempore congruo. Hoc olim erat tertia hora post meridiem: hodie communis consuetudo habet, ut fiat una hora ante meridiem. Hæc hora differri potest, quantum quis voluerit; anticipari verò non potest, nisi justa de causa, ut si iter facturus es; si negotia te expectant, si hospites habeas, quos dimittere oportet. Sine causa autem hanc horam anticipare aliqui putant esse mortale; probabilius est esse solùm veniale. Collationem nocturnam aliqui faciunt manè, vel ad meridiem, & prandium differunt ad noctem; quod ex causa rationabili licet, ut si iter facias, si tota die negotiis impediaris &c. Sine causa autem relevante id facere, esset culpa venialis.

620 Jejunia [f] generalia pro tota Ecclesia est tota Quadragesima, exceptis diebus Dominicis. Quatuor anni tempora, vigiliæ Apostolorum, exceptis vigiliis Philippi & Jacobi, & sancti Joannis Euangelistæ. Quia prima occurrit tempore Paschali, secunda in prima octava Nativitatis Christi. Item vigilia Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, sancti Joannis Baptistæ, sancti Laurentii, & omnium sanctorum. In hoc Regno est præter hæc, jejunium in vigilia Ascensionis Domini, Nativitatis Virginis, Purificationis, & Annuntiationis, quamvis hoc incidat in Quadragesima, & quando post Pascha, non obligat ratione temporis Paschalis. Præter hæc, sunt alia jejunia propria locorum, quæ suis incolis nota erunt, quam-

[a] Tol. l. 6. c. 1 n. 3.
[b] Tol. n. 4.
[c] Tol. c. 2. n. 4.
[d] Tolet. n. 56. Dian. 1. p. t. 10. res. 2.
[e] Tol. n. 7. Les. n. 13. Dian. re-sol. 17.
[f] Tol. c. 3. n. 1.

Digitized by Google

quamvis nobis ignota, quia particularia, de quibus non est scientia.

621 Portò præceptum jejunii obligat g sub mortali omnes Christi fideles post annum vigesimumprimum ætatis completum, & durat usque ad septuagesimum, & juxta probabilem sententiam usque ad 60. in viris, & in fœminis usque 50. Et licèt aliqui velent non habendam rationem ætatis; quia sæpè contingit ætatem sexagenariam, imò & septuagenariam esse robustam, & capacem jejunandi sine ullo detrimento, quod dicimus sine ullo scrupulo servari potest, tum propter authoritatem DD. tum propter rationem, quia calor naturalis in ea ætate valde diminutus esse solet. Unde non potest unica vice sumi totum alimentum necessarium absque periculo damni.

g Less. n. 41 Sanc. 7. de matr. d. 32 n. 17. Dian. resol. 20.

622 Est præterea præceptum generale abstinendi à carnibus h non solùm in diebus jejunii, sed etiam in omnibus feriis sextis, & Sabbatis totius anni in memoriam passionis Christi, & sepulturæ. Excepto die natali Domini incidenti in aliquo ex prædictis diebus. In illis tamen non prohibentur ova, aut lactecinia, quæ prohibentur in Dominicis quadragesimæ, in quibus non jejunatur, nisi consuetudo sit in contrarium, ut dictum est. In hoc regno ex antiqua consuetudine abstinemus etiam à carnibus in litaniis, quæ præcedunt Ascensionem Domini. Estque præceptum abstinendi à carnibus Sabbatis, & feriis sextis generale comprehendens etiam pueros post annos rationis, non antea, ut sect. 1. diximus; quia antea non sunt capaces obligationis. Comprehendit etiam senes, qui ob ætatem deobligantur à jejunio.

h Tol. c. 3. n. 2.

623 Unde qui excusantur à jejunio, ut juvenes ante 21. ætatis annum, senes, & alii, de quibus postea, non possunt i vesci carnibus, ovis, & lacteciniis, ubi consuetudo non habet ovis, & lacteciniis vesci. Et consequenter qui dispensatur in jejunio, non potest vesci carnibus, ovis, aut lacteciniis. Qui verò dispensatur in carnibus, l vel excusatur ab earum abstinentia ob infirmitatem, non tenetur ad jejunium, de cujus essentia est abstinentia à carnibus, cui etiam licet comedere ova, & lactecinia. At qui dispensatur in ovis, & lacteciniis, non ob id dispensatur in jejunio, aut carnibus, sed debet jejunare, & abstinere à carnibus, nisi subsit alia causa excusans.

i Tol. n. 3.

l Dian. resol. 25.

624 Qui semel solvit jejunium per secundam comestionem, non iterum peccat m per tertiam, aut quartam comestionem. Quia præceptum jejunii affirmativum est, quod semel fractum jam servari non potest. Committit verò diversum peccatum, quoties carnes comedit; quia præceptum abstinendi à carnibus est negativum, quod violatur, quoties carnes comeduntur in die prohibito. Illud verò notandum cum communi Doctorum sententia, non solvere jejunium id, quod sumitur per modum n medicinæ, licèt aliàs nutriat, si ob infirmitatem sumatur, vel manè ob stomachi, aut capitis debilitatem, vel interdiu cùm bibis; ne noceat, dummodo id non fiat in fraudem jejunii. Similiter qui negotiaturus est, lecturus ad mensam, vel dilaturus prandium ob justam causam, potest aliquid leve sumere sine fractione jejunii, ut possit facilius sustinere. Denique qui inadvertenter non recordatus esse diem jejunii jentaculum sumpsit, non solvit jejunium, sed tenetur jejunare, ac si nihil sumpsisset.

m Less. n. 15. Dian. resol. 44. & 45 Tol. n. 5.

n Tol. c. 2. n. 4.

625 Variis est causis excusatur quis à jejunio. Prima est infirmitas, quæ varia esse potest, vel languoris, ut si febrim, aliudve malum patiaris; vel complexionis, ut si facilè in morbum labaris, quia valetudinarius: aut inedia in vehementes doloris capitis, seu stomachi incidas: aut ita debilis sis, ut non possis unico prandio necessarium victum accipere. Vel ætatis, ut juvenes, & senes juxta superius dicta: vel conditionis, ut mulieres gravidæ, & lactantes parvulos, quas omnes excusant. Secunda est nimia paupertas, qua multi laborant p cùm quis non habet integrum cibum pro una refectione, ut qui ostiatim eleemosynas petunt, aut qui ex eadem paupertate miserum, & insufficiens prandium habent. Hi enim possunt cœnare, & interdiu comedere, ut vitam commodè sustentent; præcepta enim Ecclesiæ non sunt circa moraliter impossibilia. Tertia est labor corporeus q lacerans, & defatigans notabiliter corpus. Hinc excusantur fossores, messores, aratores, lapicidæ, fabrilignarii, cursores, iter pedibus facientes, & similes, non tamen sutores,

o Tol. c. 4. ar. 1. Dian. resol. 14.

p Tol. n. 4.

q Tol. n. 5. & 6.

Digitized by Google

res, sartores, ac similes artifices, qui non multum corpus exercent, quamvis oppositum doceant multi apud Dianam, [r] maximè de sutoribus, & barbitonsoribus. Nota autem artifices, qui ratione laboris excusantur, estò divites sint, posse laborare, & non jejunare. Dubium est de illis, qui non ex officio, sed sponte laborant, & se fatigant potentes laborem in alium diem differre? Et majus de illis, qui solùm se exercent, ut eximantur à lege jejunii, sine ulla necessitate, aut utilitate. Aliqui ut Tolet. & Azor. negant excusari. Alii affirmant, estò ex ludo pilæ, aut venatione spontanea defatigati inveniantur. Utraque sententia est probabilis: prima securior. Pro secunda [s] Diana adducit Soar. Sanch. Sal. & Joannem Sancium, nec desunt alii, qui illi faveant. Tu primam sequere. Quarta causa est pietas. Cùm quis officia spiritualia, & misericordiæ exercere non potest jejunando. [t] Sic excusantur prædicatores, lectores, confessores, inservientes hospitalibus, & similes, qui jejunando hæc munia obire non possunt. De peregrinantibus per loca pia idem aliqui affirmant: melius alii non licere peregrinari tempore jejunii, illudque solvere, nisi ex voto, quod commodè differri non potest, aut ex magna devotione, vel ad vitandum damnum temporale, quia v. c. habes socium viæ, quem alio tempore non habebis. Excusatur etiam qui jejunando non potest debitum uxori reddere, sed hæc excusatio, licèt communis sit apud DD. non videtur satis rationabilis.

r Dian. resol. 7. & 8.

s Dian. resol. 32. & 40.

t Dian. resol. 10 & 26.

626 Cùm quis habet causam dubiam, an excusetur, debet petere dispensationem [u] ab Episcopo, vel à Prælato, vel saltem declarationem à medico, & in medici defectu à confessario, vel viro docto. Si Prælatus dubitet de sufficientia causæ, potest commutare in aliud opus pium. Notat verò Tolet. cum aliis, si pœnitens bona fide putet se habere causam sufficientem ad non jejunandum, licèt verè sufficiens non sit, solùm peccare venialiter, nec debere statim à confessario damnari de mortali, nec illum à sua bona fide removere, sed hortari, ut experiatur.

u Tol. c. 4. n. 8. Dian. resol. 15.

627 Nemo tenetur ad jejunia particularia [x] patriæ suæ, quando est in loco, in quo similis obligatio non viget; tenetur autem ad jejunia loci, in quo invenitur; si ibi futurus sit tota die. Si verò mane sit ubi jejunium servatur, non potest ibi carnes comedere, potest tamen jentaculum sumere, si sciat vespere futurum se in loco, ubi non viget jejunium. Si verò mane fuisti in loco, ubi jejunium non viget, & absque illius violatione pervenisti ad locum, ubi viget, teneris jejunare. Illud adverte si duplex obligatio jejunandi occurrat eodem die, unum tantùm esse peccatum, si non jejunes; nisi altera obligatio esset ex voto, altera ex præcepto, ut in simili dictum est sect. præcedenti.

x Sanch. 1. decal. c. 12 n. 31. & 35. Less. l. 4 c. 2. n. 58. & 57.

SECTIO IV.

De tertio præcepto annuæ confessionis.

De confessione Sacramentali agendum est lib. sequenti cap. 5. nunc de solo præcepto ecclesiastico annuæ confessionis, quod obligat [a] omnes fideles habentes usum rationis, cujuscumque ætatis, sexus, & conditionis sint. Obligat autem semel in anno sub mortali illos solos, qui mortale peccatum commiserunt; quia venialia non sunt de necessitate confessionis. Unde qui mortalis culpæ conscius non esset, non teneretur ad annuam confessionem, sed satisfaceret præsentando se confessario, dicens se non habere materiam necessariam confessionis. Non tamen consulerem, ut id faceret, sed ut confiteretur venialia, quæ numquam desunt; quia oppositum redoleret superbiam, & posset causare scandalum; maximè quia hoc Sacramentum est valde fructuosum, ut benè ostendit Tolet. [b] enumerans novem illius utilitates; & ideò non solùm semel in anno, sed sæpissimè debet frequentari iis, quibus cura est suæ salutis. 628

a Cap. omnes utriusque sexus de pœn. & remiss.

b Tol. l. 6. c. 12. à n. 5.

629 Hoc præceptum ex se non obligat ad determinatum tempus, sed solùm semel in anno. Ex usu tamen communi impleri solet in paschate ratione communionis, quæ pro tunc obligat, ut dicetur sect. sequenti. Unde annus hic, loquendo ex natura rei, videtur incipere ab ultima confessione, ita ut post illam obliget in fine anni. Ex usu tamen incipit à confessione, quæ solet fieri in paschate, seu in quadragesima.

Un-

Digitized by Google

Unde prælati obligant ad hanc confessionem prædicto tempore, estò per annum sæpius confessus fueris, estque usus maximè laudandus. Unde si in paschate confessionem omittas, debes [c] postea confiteri, ita ut verum sit, quod saltem semel in anno confitearis. Quare si intra annum habeas aliquod mortale, & non confitearis in fine anni, teneberis semper confiteri, quandiu habueris commoditatem, alioqui eris in continuo peccato, quia hoc præceptum non est ita affixum alicui parti anni determinatæ, ut illa elapsa non obliget, ut sunt affixa præcepta jejunii, & Missæ; sed semper elapso anno obligat, donec impleatur. Unde toties [d] de novo peccabis, quoties oblata occasione, non confiteris.

c Soar. de pœn d. 36. s. 1. Dian. 3 par. t. 4. resol. 130.

d Tolet. c. 18. num. 3. Bonac. de Sacr. d. 5. q. 5. p. 4. n. 30.

630 Qui probabiliter timet de futuram copiam confessoris in fine anni, quando hoc præceptum obligabit, tenetur prævenire, & anticipare confessionem, ut qui videt in die Dominico, aut festo non posse se audire Missam in ultima hora, qua solet celebrari, tenetur anticipare. Qui tamen in confessione paschali oblitus est aliqua peccata, quorum postea meminit, non tenetur illa confiteri usque ad confessionem sequentis anni. Qui confessus fuit in nativitate, v. c. non tenetur [f] confiteri in paschate, nisi ratione communionis eo tempore obligantis, loquendo ex natura præcepti hujus. Licèt oppositum videatur dicendum ex vi consuetudinis, quæ jam præcepti hujus impletionem ad illud tempus determinasse videtur.

e Soar. f. 5. 3) an. re. 1 d. 64. T l. c. 12. n. 5.

f Dian. ref. 24. & 81.

631 Si quis fictè confiteatur celando malitiosè aliquod mortale, aut sine debito dolore, aut proposito emendationis, non impleret [g] hoc præceptum, quod præcipit veram confessionem, qualem Christus instituit: unde peccat contra hoc præceptum, sicut ille, qui confessionem simpliciter omisit, & tenetur quàm primùm confiteri, ut impleat prædictum præceptum. Nisi fortè bona fide processit ignarus suæ indispositionis. Tunc enim probabile est posse confessionem differre in sequentem annum. Hinc etiam sequitur per fictam confessionem non vitari excommunicationem episcopalem impositam transgressoribus hujus præcepti. Quamvis oppositum teneat [h] Henriques.

g Soa. f. 7. Dian. resol. 110.

h Lib. 4. c. 4

SECTIO V.

De quarto præcepto communionis Paschalis.

DE Eucharitia, & communione 632
dicemus lib. sequenti c. 4. Nunc de solo præcepto communicandi in Paschate, [a] quod obligat fideles sub mortali. Per diem verò paschatis ex declaratione Pontificum intelligitur totum tempus à die Jovis sancti usque ad Dominicam in Albis. Ex consuetudine verò ferè communi à die Palmarum. Apud nos verò, & in aliquibus aliis locis à primo die quadragesimæ usque ad prædictam Dominicam in Albis. Et potest adhuc differri judicio confessoris, quando id prudenter expedire judicaverit statui pœnitentis, qui proinde non peccabit omittendo communionem pro tali tempore, dummodo ad illam accedat tempore à confessario designato. Hoc autem præceptum ex communi DD. non obligat pueros statim post usum rationis; asserunt enim hos prius obligari ad confessionem, quàm ad communionem, quia ad hanc major usus rationis requiritur. Et consequenter dicunt expectandum esse usque ad decimum, vel duodecimum ætatis annum, quia ante regulariter non habent discretionem, ut reverenter communicent. Et ideo in Canone, in quo hoc præceptum imponitur, confessoris judicio committitur hæc temporis prorogatio, qua facta, puer communicare non tenebitur.

a C. omnes utriusque sexus de pœnit. & remiss. Trid. sess. 13. can 9.

633 Si verò confessor expresè communionem non differat, multi existimant puerum obligatum ad confessionem, obligari ad communionem: quia in can. æqualiter omnibus fidelibus imponitur utrumque præceptum; additur tamen pueris differri posse communionem judicio confessoris: ergo non stante prorogatione, præceptum videtur obligare, maximè quia non minor discretio videtur requiri ad confessionem Sacramentalem ritè peragendam, quàm ad communionem reverenter suscipiendam. Quam doctrinam libenter susciperem; nisi viderem consuetudinem tenere, quod pueri non communicent, nisi post decimum ætatis annum, & ultra, qui usus videtur interpretari hoc præceptum, ut

non obliget, nisi post prædictam ætatem. Non tamen dubito posse communionem dari puero, qui judicatur habere sufficientem discretionem ad confessionem. Unde Parochus non sit in hac parte nimis scrupulosus, sed admittat quos judicaverit sufficienter confiteri, illos instruendo prius de tali mysterio.

634 Porrò præceptum communionis in aliquibus differt à præcepto confessionis, primò quia præceptum communionis debet tempore [b] statuto impleri, estò quis sæpè in anno communicaverit; quia est præceptum affixum tempori determinato: at qui semel in quocumque anni tempore confessus est, non tenetur amplius in illo anno confiteri ex vi præcepti, nisi per accidens ratione communionis, quam debet præcedere confessio, si sit conscientia peccati mortalis.

b Tolet. c. 18. n. 2.

635 Differt secundò, quia qui tempore statuto non communicat, estò in eo peccet, jam non tenetur [c] communicare pro illo anno, sicut ille, qui non audit Missam die Dominica, non tenetur illam audire die lunæ, neque in alio, quia utrumque est præceptum affixum tempori, quod illo transacto non obligat: at qui non est confessus toto anno, semper manet obligatus confiteri, ut sect. præcedente dictum est. Hæc est communior, & probabilior sententia, licèt plures, & gravissimi Authores satis probabiliter eodem modo loquantur de utroque præcepto.

c T. l. n. 3.

Dian. 3. p. t. 4. ref. 41.

636 Differt tertiò, quia per communionem sacrilegam indignè sumptam satisfit huic præcepto, juxta probabiliorem sententiam, [d] quia realiter sumpta est Eucharistia, quod præceptum jubet: qui verò sacrilegè confessus est, Confessionem sacramentalem realiter non effecit, nec sacramentum Pœnitentiæ recepit, ut præcipiebatur. An verò qui prævidet futurum impedimentum communicandi in paschate, teneatur anticipatè communicare, ut suprà dictum est de confessione. Alii affirmant, alii negant. Probabilior [e] videtur pars, quæ negat, quamvis optimum sit consilium affirmantem partem sequi. Illud monendum, non contentos fore fideles semel in anno communicare, sed frequenter, ad idque debere bonum Parochum exhortari oves suas: quia Eucharistia est cibus spiritualis animæ, non minus necessarius ad ejus vitam conservandam, & augendam, quàm cibus corporeus ad vitam corporis sustentandam, præter multas alias utilitates, de quibus vide [f] Tolet. & nos aliquas tangemus lib. sequenti cap. 4. sect. 6.

d Soar. t. in 3. p. d. 70. sect. 2. Dian. t. sol. 43.

e Azor. 1. p. l. 7. c. 41. q. 13. Dian. ref. 42.

f Tol. c. 19.

SECTIO VI.

De quinto præcepto solvendi decimas.

637 HOc præceptum quoad substantiam, quatenus præscribit, ut ministri Ecclesiæ à fidelibus sustententur, est de jure naturali, nec potest consuetudine tolli. Quoad quotam verò, hoc est, quoad decimam partem fructuum, quam fideles ad hanc sustentationem tribuunt, est de jure ecclesiastico, [a] per quod Ecclesia determinavit decimam partem ad imitationem similis determinationis à Deo factæ in lege veteri [b] per præceptum judiciale, quod cum ipsa lege expiravit.

a C. tua nos de decim.

b Levit. 27. 30.

638 Tres autem sunt species [c] decimarum. Prima est decima prædialis, nempe decima pars fructuum terræ, frumenti, vini, olei &c. Secunda est personalis, videlicet decima pars fructuum merè industrialium, quos quis acquirit industria sua, ut ex venatione, piscatione, molendino, negotiatione &c. Tertia est mixta, decima nempe pars ex fœtura animalium, quæ ex terra pascuntur, indigent tamen industria hominum, ut patet. Obligat autem hoc præceptum sub mortali [d] ad solvendas decimas Ecclesiis, quibus sunt applicatæ juxta materiæ capacitatem, ita ut retentio totius, vel partis in certa quantitate in omnibus ferè Episcopatibus hujus Regni sit peccatum reservatum Episcopis, ut magis declarabimus lib. 10. cap. 10.

c Tol. l. 6. c. 20. Soar. t. 1. de Rel. l. 1.

d Tol. n. 3.

639 Duo tamen notanda sunt. Primum, decimas [e] in aliquibus locis ex consuetudine jam præscripta non solvi; quę quidem jam non debentur, ubi hæc consuetudo viguerit, maximè qua ibi aliis modis Ecclesiis subventum est. In aliis solvi juxta rigorem juris tam de prædialibus, & mixtis, quàm de personalibus, seu industrialibus, quæ in talibus locis debentur. In aliis verò solvi quoad aliqua, non tamen quoad omnia, ut apud nos ubi de industrialibus vix aliquid solvitur; quod etiam est ser-

e Soar. c. 11

Digitized by Google

servandum. Unde regula generalis est decimas esse solvendas juxta consuetudinem, & usum regionis, quia consuetudo prævalere solet contra juris dispositiones. Et in hac parte jam prævaluit, ut decimæ non solvantur ex multis, quæ de jure debebantur. Secundum est decimas [f] deberi ex fructibus collectis, non deductis expensis, neque iis, quæ seminata fuerunt; sed ex eo toto, quod colligitur, decima pars solvenda est; nam totum, quod colligitur est fructus, quæ verò seminata fuerunt, mortua, & corrupta fuere.

f Soa.c.34. & 35.

640 Sed quid de primitiis? Dicuntur enim primitiæ primi fructus cujuscunque rei fructiferæ, & in hoc à decimis distinguuntur, quia decimæ significant certam partem fructuum: primitiæ verò partem indefinitam ex primis fructibus sumendam. De primitiis fuit præceptum [g] in lege veteri. In lege verò gratiæ aliqua primitiarum oblatio honesta esse potuit, & sæpè usitata ex laudabili Christianorum consuetudine; potuitque hæc consuetudo, si præscripta fuit, habere annexam obligationem; quæ tamen consuetudo minui iterum potuit, & extingui, ut revera extincta est. Unde si hodie alicubi offeruntur, est consuetudo libera, & ex devotione, non autem ex obligatione. Alias quæstiones de decimis, & primitiis ad hunc locum non pertinent, possunt videri apud Soar. [h] qui more suo rem latissimè disputavit.

g Num.18.

h Soar. c.8.

CAPUT XV.

Expositio septem vitiorum capitalium.

641 Septem vitia, quæ à doctis dicuntur capitalia, quia sunt veluti capita, & fontes, ex quibus multa alia vitia, & peccata dimanant; à vulgo peccata mortalia appellantur; non quia talia semper sint, nam aliqua sunt in se venialia, ut constabit ex dicendis: sed quia ex ipsis multa peccata mortalia derivantur. Ut autem horum vitiorum, & eorum, quæ ex ipsis nascuntur, naturam explicemus, præmittendum est, quid sit peccatum, & quid peccatum mortale, & veniale.

SECTIO I.

Quid peccatum, quid mortale, & veniale?

Peccatum ex vi nominis significat recessum à regula. Unde sunt peccata naturæ, quæ à naturæ regula deviant, ut monstra. Sunt peccata artis, quæ deviant à regula artis, ut sunt errores contra artis præcepta. Sunt denique peccata moris, quæ deviant à regula morum, quæ est recta ratio, quæ mores dirigit. Ex usu verò Theologorum peccatum est recessus [a] à regula divina, hoc est, à divina voluntate præcipiente, vel prohibente. Et definitur ab Aug. ab omnibus recepto *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Per factum &c.* intelligitur etiam omissio actus præcepti. Dicitur: *Contra legem Dei æternam.* Hoc est, contra divinum præceptum, quod in Deo æternum est, licèt in tempore hominibus innotescat: quia omnia peccata moris sunt contra legem Dei, vel naturalem, quam Deus cum ipsa natura hominibus impressit; vel divinam positivam, quam Deus per revelationem in sacris Litteris manifestavit; vel humanam, cui Deus parere jubet, quia authoritate ipsius imponitur. Et hinc est, quòd omne peccatum moris fit recessus à regula divina, seu à divina voluntate præceptiva, quæ est prima regula omnium humanarum actionum. 642

a Tol. l.8. c. 1. & 2. Sanch. 1. decal. 1.

643 Peccatum dividitur [b] in mortale, & veniale. Mortale dicitur à morte, quam animæ infert, privando illam gratia sanctificante, qua supernaturaliter vivebat, & dicitur mors prima, respectu damnationis æternæ, quam etiam infert, & dicitur mors [c] secunda. Veniale dicitur, quia mortem non infert, & venia dignum est, eò quòd solam pœnam temporalem meretur; & licèt sit offensa Dei, est adeo levis, ut ejus amicitiam non solvat. Peccatum [d] mortale vel tale est absolutè, vel solùm ex genere, & natura sua illud videlicet, quod ex se inductivum est mortis utriusque, ex aliquo tamen accidente impeditur, ne hunc effectum inducat; nempe vel ex levitate materiæ, vel ex imperfectione deliberationis, & libertatis. Veniale vel est tale ex genere, & natura sua, quod scilicet ex materia,

b Sanc. n. 2.

c Apoc. 2. & 21.

d Sanch. n. 3.

Digitized by Google

teria, circa quam versatur, leve est, ut verbum, aut cogitatio otiosa. Vel ex levitate materiæ, quod nempe est contra præceptum graviter obligans, per illam tamen actionem leviter violatur: ut furtum rei modicæ est quidem contra præceptum non furandi, quod sub mortali obligat; per leve tamen furtum leviter violatur: unde tale furtum veniale est non ex genere, & natura furti, sed ex levitate materiæ. Vel est veniale ex imperfectione actus, seu ex defectu plenæ deliberationis, ac libertatis, quod quamvis versetur circa materiam gravem, sitque contra præceptum ex se obligans sub mortali, leviter violatur, quia graviter non obligat nisi operantem plenè, & perfectè liberè. Tale est, v.c. desiderium adulterandi, vel occidendi hominem sine perfecta deliberatione conceptum; & sic de aliis.

644 Multiplex regula tradi solet ad cognoscendum quando peccatum sit mortale, aut veniale ex genere. Duas hic attingo. Prima. [e] Ea sunt mortalia ex genere, quæ charitatem Dei, aut proximi graviter lædunt; reliqua verò sunt ex genere venialia. Unde quæ sunt contra virtutes Theologicas, contra religionem, justitiam, & castitatem, mortalia sunt ex genere. Quæ autem sunt contra bonum proprium, regulariter sunt venialia ex genere; ut cogitationes, & concupiscentiæ vanæ, esus, potus, somnus, risus immoderati. Quamvis hæc, & similia sint mortalia ex genere, quando charitatem sibimet debitam graviter lædunt. Secunda, [f] quando aliquid per præceptum humanum graviter præcipitur tanquam valdè grave, & necessarium, ejus transgressio est mortalis ex genere. Ad hanc autem gravem obligationem requiritur & materiæ gravitas, & animus graviter percipiendi, qui ex legis tenore deprehendendus est. Unde ex materiæ præceptæ, vel prohibitæ gravitate, ac necessitate, nec non ex pœna transgressoribus imposita id cognoscendum est.

e Azor. 1 p. l. 4. c. 9 q. 8 Sanc. n. 4.

f Sanc n. 2.

645 Peccatum mortale ex genere tribus modis potest transire in veniale, primò, ratione imperfectæ deliberationis. Secundò, ratione imperfecti consensus. De quibus latè Sanch. c. 1. 2. & 3. Tertiò, ratione parvitatis materiæ. De quo idem Sanc. c. 4. Veniale quoque [g] ex genere variis modis potest transire in mortale; primò ratione finis mortalis adjuncti, ut si jocosè mentiaris ex fine adducendi fœminam in turpem amicitiam. Secundò, ratione contemptus, ut si præceptum leve violes, quia præceptum est, seu quia ipsi, & superiori præcipienti subdi non vis. Tertiò, quando in re veniali finem ultimum constituis, quia illam appretiativè rebus omnibus anteponis non dubitans ad illam habendam quodcumque grave præceptum violare. Quartò, ratione scandali, quando ex tuo veniale proximus occasionem sumit mortaliter peccandi, & tu illud prævides, aut de eo dubitas. Quintò, ratione periculi proximi incidendi in peccatum mortale. [h] *Qui amat periculum, peribit illo.* Tunc autem contingit hoc periculum, quando occasio ex suo genere talis est, ut frequenter homines similes conditionis ad mortale inducat, vel experimento constet in tali homine talem effectum habere.

g Sanch. c. 5. & in his sequent.

h Eccl. 3. 27

SECTIO II.

De Superbia, ejusque filiabus.

646 SUperbia, [a] primum vitium ex septem capitalibus, *Est appetitus celsitudinis, seu excellentiæ perversè voluntarius.* Cùm quis in sua cogitatione, & judicio se reputat supra id, quod verè est; vel ab aliis talis vult reputari, aut opere se talem ostendit, faciendo quod superat id, quod verè est, hocque perversè, seu inordinatè contra rationem. Nam velle celsitudinem secundùm rationem, quando, & quomodo oportet, non est superbia, sed magnanimitas, ut si quis magna aggreditur debito fine, & circumstantiis; quod superbus non servat, qui per se finem ponit in ipsa excellentia.

a D. Tho. 2. 2. q. 162. Nav. c. 23. n. 5. Tol. l. 8. c. 5.

647 Prima [b] species superbiæ est, cùm sic appetitur excellentia, ut bonum ab altero habitum sibi tribuat, vel in sua existimatione, & judicio, vel quia ita vult ab aliis existimari, vel id opere ipso ostendit: vel desiderat à se habuisse tale bonum, aut non vult, & dolet, quod alii existiment se ab alio habere. Secunda, cùm bonum, quod ab alio habet absque suo merito appetit habere, ac si ex merito esset, aut ita apud se existimando, aut volendo quod alii id

b Tol. c. 4.

Digitized by Google

id existiment, aut dolendo de contrario, aut opere id ostendendo. Tertia, cùm sibi tribuit excellentiam, quam non habet; aut vult quod alii sibi eam tribuant, aut de contrario dolet, vel opere ostendit se eam habere. Quarta, cùm appetit excellentiam supra alios æquales, vel superiores, aut in sua, vel aliorum existimatione, desiderio, aut opere; quia nimirum alios contemnit; aut qui vult ab aliis ut excellentiorem tractari, & de contrario dolet.

648 Est autem superbia mortalis primò, cùm quis ita superbit, ut Dei contemptum habeat, v. c. si ea, quæ à Deo habet, existimat non habere, aut vult ita ab aliis existimari, aut dolet quod non existiment, ut se Deo æquet, aut anteponat, quod luciferinum est, & brutale. Secundò, cùm ita appetit excellentiam, ut in ea finem suum constituat, quod facit, cùm vult potius peccare mortaliter, quàm ab ea cadere. Tertiò, cùm ex hoc appetitu sequitur notabilis injuria proximi. Aliis modis superbia regulariter est venialis, sed valdè periculosa, quia radix multorum peccatorum mortalium.

c D. Thom. q. 32. Nav. n. 9 Tolet. c. 6.

649 Prima [c] ejus filia est vana gloria, quam Nav. non filiam, sed vitium capitale credit. Est autem vana gloria *inordinatus gloriæ appetitus*. Nota autem esse differentiam inter famam, laudem, honorem, & gloriam. Nam fama est bona opinio, quæ de homine habetur. Laus est manifestatio excellentiæ alicujus. Honor est reverentia alicui exhibita in testimonium alicujus ejus excellentiæ. Gloria est clara cum laude notitia, seu fama conjuncta cum laude. Appetere autem hanc gloriam inordinatè, vana gloria est; quæ in hoc differt à superbia, quia hæc appetit excellentiam; illa autem manifestationem excellentiæ apud alios.

650 Appetere gloriam non est ex se malum, sed indifferens, sicut appetere pecunias. Unde potest esse appetitus bonus, si tres conditiones concurrant. Prima, ut gloria appetatur de eo, quod est verè dignum gloriæ, verbi causa, de bono. Secunda, ut non appetatur major gloria, quàm bonum mereatur. Tertia, ut appetatur ob bonum finem, nempe ob Dei gloriam, vel proximi, aut sui ipsius utilitatem corporalem, vel spiritualem. Est autem malus, & vana gloria, cùm fuerit appetitus inordinatus contra rationem. Talis verò erit primò, cùm appetitur gloria de bono, quod non habetur. Secundò, cùm appetitur major gloria, quàm opus mereatur. Tertiò, cùm appetitur gloria de eo, quod non est proprium, ac si proprium esset. Quartò, cùm appetitur de eo, quod malum est, & indignum gloria. Quintò, cùm appetitur non ob bonum finem, qui debet esse aliquis ex tribus prædictis. His modis appetitus gloriæ, desiderium, aut complacentia de illa dicitur vana.

651 Est autem vana gloria, [d] mortalis primò, cùm est de aliquo peccato mortali. Qui enim complacet, aut appetit laudem de aliquo mortali, mortaliter peccat. Secundò, cùm appetitur laus ob finem mortalem, ut cùm vis laudari, ut consequaris finem carnalem, aut alium similiter mortalem. Tertiò, cùm paratus es transgredi, aut transgrederis præceptum grave, ut gloriam compares, aut non amittas. Ut medicus, qui in morbo periculoso, quem non satis agnoscit, ne laudem perdat, socium non vult admittere; aut qui errorem periculosum docuit, ob eumdem finem retractare detrectat. Quartò, cùm ob vanam gloriam sequitur notabile detrimentum proximo. In aliis casibus regulariter est venialis, quamvis bona opera ex illa fiant.

d Tol. 17. Nav. n. 11.

652 Hæc suas habet filias, quæ tandem ex superbia nascuntur. Prima est jactantia, quæ est manifestatio propriæ excellentiæ, & in eo distinguitur à superbia, quia est appetitus excellentiæ, & à vana gloria, quæ est appetitus manifestationis excellentiæ. Jactantia verò est ipsamet manifestatio, cùm quis se inordinatè, & contra rationem laudat. Dicò: *Inordinatè*. Quia aliquando potest aliquis se sine vitio laudare, si ex bono fine id faciat, nec laus superet id, quod in re est, ut fecit Paulus [e] in utilitatem spiritualem proximorum. Nam laudare se ex malo fine, vel supra id, quod alii judicant, jactantia est.

Thom. 2. 2. q. 112. Tol. c. 8. Nav. n. 16.

e 1. Cor. 12.

653 Est autem jactantia ex se peccatum veniale. Fit verò mortale primò, cùm quis se jactat de aliquo peccato mortali, sive commisso, sive non commisso. Secundò, quando se jactat cum

Digitized by Google

f Ezech. 28 2. Dei injuria, ut ille, de quo dicitur: f *Elevatum est cor tuum, & dixisti: Ego sum deus*. Tertiò, cùm se jactat cum notabili injuria proximi, ut Pharisæus, qui dicebat: g *Non sum sicut cæteri homines, velut etiam hic publicanus*. Quartò, cùm talis non sis, aliique decipiantur, & damnum patiantur. Quintò, cùm jactantia fit ob aliquem finem mortalem.

g Luc. 18. n. 1.

h D. Tho. q. 111. Tolet. c. 9.

654 Secunda filia h vanæ gloriæ est hypocrisis, quæ *Est simulatio virtutis*. Cùm quis simulat, & fingit virtutem, quam non habet, aut occultat vitia, quæ habet. Et semper est peccatum ex quocumque fine fiat, quia est mendacium, regulariter est venialis. In duobus tamen casibus mortalis. Primò, ex fine peccandi mortaliter, ut si ad liberius fornicandum te fingis castum; justum, ut injustitias committas; religiosum, & pium, ut hæreses semines; Sanctum, ut consequaris dignitatem, qua es indignus. Secundò, cùm est conjuncta cum voluntate violandi præceptum grave.

i D. Tho. q. 37. & 38 Tol. c. 10. & 11.

655 Aliæ tres i filiæ sunt contentio, discordia, & pertinacia. De duabus prioribus diximus cap. 3. sect. 5. ad finem. *Pertinacia est animi adhæsio in propria sententia, plusquam oportet*. Qui enim contra alios sententiam tenent firmiùs, quàm res ipsa postulet, & argumenta probent, dicuntur pertinaces. Eritque pertinacia mortalis in rebus contra Dei honorem, aut in grave damnum proximi, ut in rebus moralibus, aut medicinæ. In aliis venialis.

l D. Tho. n. 1137 Tol. c. 12. Nav. à n. 23.

656 Sexta filia est l curiositas. *Quæ est appetitus inordinatus sciendi, videndi, audiendi &c.* Et potest esse inordinatus primò, ex parte subjecti, cùm quis est incapax eorum, quæ vult scire. Unde curiosi dicendi sunt sæculares rudes, qui volunt res arduas Theologicas sibi proponi. Secundò, cùm res ad ipsum non pertinent. Quare curiosus reputandus est religiosus, qui vult sibi manifestari negotia militaria, aut sæcularia, nisi fiat ob utilitatem proximorum, vel Dei gloriam, eritque talis curiositas venialis. Secundò, ex parte objecti. Primò, cùm res, quæ desiderantur sciri, sunt inutiles scienti, quæ venialis erit. Secundò, cùm sunt noxiæ, quia sunt occasio, & periculum probabile peccandi. Velle enim scire tales res, advertendo ad periculum, est peccatum, juxta gravitatem periculi. Unde qui se novit valde propensum ad luxuriam, & ex industria intuetur bruta coeuntia, aut legit libros inhonestos: mortaliter peccat, quia exponit se probabili periculo peccandi mortaliter; si verò non esset tantum periculum, esset venialis. Tertiò, si res sunt prohibitæ, ut quæ sciuntur per magiam, & quæ dicuntur in confessione, quas velle scire, curiositas esset mortalis. Tertiò, ex parte finis. Qualis enim fuerit finis, talis erit appetitus sciendi. Unde qui vult scire usuras palliatas, aut species simoniæ, ut illas exerceat, mortaliter peccat, quamvis postea abstineat. Similiter qui vult scire defectus alterius, ut illum infamet. Quartò, ex parte circumstantiæ, ut si velis scire dæmonum arte; vel aliquem inducendo ad peccatum, ut si velis scire, quæ alius occultare tenetur ratione juramenti præstiti, aut secreti commissi: talis enim curiositas mortalis erit. Deinde cùm, ut scias ea, quæ scire non teneris, omittis ea, quæ obligaris scire, ut si clericus velit scire negotia sæcularia, omittens ea, quæ secundùm suum statum tenetur scire. Vel ut aliquid scias, omittas implere præcepta, ut contingit ei, qui ut aliquid sciat, omittit Missam in die festo. Vel cùm ex tua scientia sequitur grave scandalum proximi. Extra casus, in quibus diximus curiositatem esse mortalem, venialis erit.

657 Septima filia est inventio novitatum. Cùm quis vult mirabilia exhibere, ut laudem aliorum comparet. Fit autem hoc tam factis, quàm dictis, quàm etiam scriptis. Cùm enim quis nova aliqua, & inusitata facere vult, aut novas opiniones sustinere, docere, aut scribere sine solido fundamento, inventor; estque vitium ex se veniale, nisi aliunde reddatur mortale, nempe si sit contra Dei honorem, aut in notabile damnum proximorum, aut in finem aliquem mortalem.

658 Octava est m inobedientia, quæ cùm opponatur obedientiæ, ex ea cognoscenda est. Est igitur *Obedientia virtus promptum reddens hominem ad implendum mandatum superioris, ut tale est*. Potest enim dupliciter impleri mandatum, primò materialiter faciendo id, quod mandatur, quod ad omnes virtutes pertinet, & dicitur obedientia generalis, quæ invenitur in observantia præ-

m D. Tho. q. 105. Nav. à n. 35.

præceptorum omnium virtutum. Secundò formaliter, dum quod mandatur, fit ea intentione, & motivo, quia mandatum est, quod pertinet ad obedientiam formalem, & specialem. Ex quibus patet quid sit inobedientia. Est enim transgressio mandati superioris, quia mandatum est: nam transgredi mandatum materialiter ex aliis motivis, omnium vitiorum commune est, estque inobedientia generalis inclusa in omnibus peccatis. Transgressio verò ex hoc motivo, *Quia mandatum est, seu quia præceptum est*. Ad inobedientiam formalem, & specialem pertinet. Et hæc est ultima filia vanæ gloriæ. Dicamus de aliis filiabus superbiæ.

659 Secunda filia superbiæ est præsumptio, [a] quæ *Est appetitus se exhibendi supra propriam potestatem*. Ut cùm quis dicit, aut facit supra id, quod verè potest, ac si talem potestatem haberet. Est autem mortalis primò, cùm est conjuncta cum notabili damno proximi, aut periculo illius, ut si ignarus, aut parum sciens medicinæ velis artem medendi exercere, ignarus legum patrocinari, ignarus Theologiæ concionari de rebus arduis. Secundò, quando est usurpatio officii, aut dignitatis. Ut si velis audire confessiones, vel judicare sine potestate. Tertiò, cùm quis se exponit periculo peccandi mortaliter, ut si agnoscas te labi in mortale, dum solus fœminas alloqueris, illas alloqui vis, confidens in tuis viribus. Imò licèt confideres in divina gratia, si aliàs de te haberes prædictam experientiam, mortaliter peccares, quia foret tentare Deum. Extra hos casus præsumptio regulariter erit venialis. Non loquimur autem hic de præsumptione contra spem, de qua dictum est cap. 2. sect. 2. quæ est gravissimum peccatum mortale contra virtutem Theologicam.

[a] D.Tho. q.130. Nav. à n. 11. Tol. c.22.

660 Tertia filia superbiæ est ambitio, quæ [a] *Est inordinatus appetitus honorum, & dignitatum*. Estque ex genere suo venialis. Erit verò mortalis primò, si appetatur honor de aliquo peccato mortali. Secundò, si appetatur honor, vel dignitas modo mortaliter illicito, v.c. per simoniam, usuram, homicidium, dolum, vel fraudem gravem. Tertiò, si ponatur finis ultimus in tali honore, aut dignitate, aut si paratus sis peccare mortaliter, ut honorem, aut dignitatem obtineas, vel conserves; aut si indignus Episcopatum, aut curam animarum deliberatè appetas, cùm enim sine peccato mortali retinere non possis, sine eodem procurare non poteris. Quartò, si appetatur ob finem aliquem mortalem, ut ob vindictam sumendam, aut alium pravum usum.

[a] D.Tho. q.131. Nav. n. 12. Tol. c. 23.

SECTIO III.

De avaritia, ejusque filiabus.

A Varitia [a] est secundum vitium capitale. *Estque appetitus, seu amor inordinatus pecuniæ, & rerum pecunia æstimabilium sine regula, & mensura rationis*. Unde avaritia est ex immoderato affectu res istas conquirere, aut conservare non dando, quando, quomodo, & quibus oportet; aut etiam sibi necessarios sumptus negando. Huic vitio extremè opponitur prodigalitas, quæ consistit in dando, quando, & quibus non oportet. In medio istorum consistit liberalitas, quæ dicitur moderatus divitiarum amor, quia dat, & retinet quando, quibus, & quomodo oportet. Quare avaritia potest opponi justitiæ, & liberalitati. Justitiæ quidem, cùm versatur circa aliena, non dando, quod alteri debetur, ex affectu pecuniæ, aut ex eodem affectu usurpando alienum per furtum, rapinam, usuram, aut alia via injusta: liberalitati, cùm versatur circa propria, retinendo ex eo affectu, aut ex eodem procurando acquirere sine injustitia. 661

[a] D Tho. 2.2. q. 118. Nav. à n. 69. Tol. c. 24.

662 Avaritia, quando est contra justitiam, est mortalis ex genere: quando contra solam liberalitatem, venialis. Fiet autem mortalis, si opponatur præcepto charitatis, ut si ex affectu avaritiæ non succurras proximo in extrema, aut gravi necessitate constituto. Idem est de prodigalitate; est enim mortalis, quando est contra justitiam, si nimirum prodigè consumas pecunias alienas, ut si sis tutor, aut curator res pupilli; si dispensator, res tibi concreditas: aut tuas, ut cum tua prodigè dissipando, te impotentem reddis ad solvenda debita, ad providendum familiæ, uxori, & filiis. Quando verò est contra solam liberalitatem, est venialis, ut cum propria ita prodigis, ut injustitiam non committas.

663 Prima avaritiæ filia est obduratio contra misericordiam. Ex eo enim quòd avarus vult inordinatè bona retinere, fit homo cordis obdurati, & animi immisericordis ad subveniendum proximorum necessitatibus, retinendo ex avaritia, quæ deberent dari in eleemosynam, de qua, & obligatione illius diximus cap. 3. sect. 3. Secunda [b] est inquietudo, seu solicitudo mentis. Ex eo enim quòd avarus immoderatum habeat affectum ad pecunias comparandas, & conservandas, sequitur, quòd semper sit mente solicitus, variisque curis, & anxietatibus distrahatur. Est enim solicitudo vehemens applicatio mentis cum timore conjuncta, estque causa cujusdam inquietudinis interioris, & exterioris. Est autem solicitudo de se indifferens, quæ bona esse potest, si sit de re bona, & cum debitis circumstantiis, & ideo frequenter commendatur in scripturis. Potest item esse mala mortaliter, & venialiter, v. c. solicitudo de re mala mortaliter, ut de occidendo inimico, de obtinenda uxore aliena, mortalis est: de re autem veniali, puta de fingendis mendaciis jocosis, & rebus inutilibus, venialis. Cùm verò avaritia aliquando sit mortalis, aliquando venialis, ut dictum est, talis erit inquietudo, & solicitudo ejus filia, quæ matris malitia necessariò inficitur.

b Tol. c. 42 & 43.

664 Tertia est [c] fraus, quæ est deceptio alterius opere exhibita, cùm nimirum falsam existimationem in animum alterius inducimus, ut cùm ponderamus res vendendas in libra, quæ justa non est, aut mensuramus per mensuram similiter non justam. Est autem fraus ex genere suo peccatum mortale, & de facto tale erit, si non excusetur ex levitate materiæ, vel ex ignorantia; qua sublata, tenetur, qui fraudem commisit, reddere quod per illam accepit. Hac utuntur ordinariè avari in contractibus celebrandis, maximè in venditionibus, & emptionibus, jam vendendo supra justum, & emendo infra justum per fraudem: jam in ipsa re, quæ cùm vitium habeat, venditur, ac si nullum haberet: jam in modo vendendi, & emendi, in quo innumeras fraudes, & injustitias committunt, ut lib. 10. attingemus, cùm de contractibus actum fuerit.

c Tol. c. 46. Nav. c. 77.

665 Quarta est dolus, [d] seu fallacia, quæ solùm distinguitur à fraude; quia hæc opere, illa verbis perficitur: utraque tamen est deceptio, & easdem conditiones habet. Quinta est mendacium, quod est falsa vocis significatio cum intentione fallendi, de quo egimus cap. 11. sect. 5. Ubi diximus esse mortale, quando est perniciosum, quale ferè semper est in avaro, qui per aliorum perniciem pecunias sibi comparat, ad hocque multis utitur mendaciis, & fraudibus. Sexta est perjurium, quod est mendacium juramento confirmatum, quò sæpissimè utitur avarus ex suo inordinato affectu habendi, ut sic magis fallat. De quo perjurio egimus cap. 5.

d Nav. 17. n. 177. Tol. c. 54.

666 Septima filia avaritiæ est proditio: [e] Est autem proditio manifestatio occulti illativa damni. Prodere enim est manifestare id, quod latebat, quando manifestatio est illativa nocumenti, seu apta ad illud inferendum ei, cujus occultum manifestatur. Contingit autem vel per verbum, ut cùm dicis latroni, ubi sunt pecuniæ alterius, ut illas rapiat; vel per factum, ut cùm inimico civitatem prodis, ut illam occupet. Fit autem proditio vel circa personas, eas prodendo, ut Judas ex avaritia Dominum prodidit: estque talis proditio gravissimum peccatum mortale, vel circa res immobiles, ut qui prodit arcem, vel civitatem inimico. Vel circa res mobiles, ut qui absconditas alterius pecunias, aut opes latroni ostendit, ut accipiat, quod etiam est mortale obligans ad restitutionem, vel circa secreta, ut qui alterius secretum aperit in ejus nocumentum. Quod etiam est mortale, cùm res est gravis, quam celare tenebatur.

e Tol. c. 44.

667 Nota primò circa proditionem [f] secreti, cuilibet licitum esse quando hostis injustè obsidet civitatem, aut eam occultè vult invadere, aperire ejus secretum obsessis; quia nullum secretum, præter Sacramentale, est servandum in damnum injustum tertii, maximè communitatis. Nota secundò, mortale esse litteras aliorum sigillatas aperire, cùm res est gravis: veniale verò, cùm scitur rem esse levis momenti; periculosum tamen, quia difficilè potest cognosci levitas materiæ, ante apertionem. Unde si non cognita levitate, litteræ aperiantur, mortale est; nisi qui aperit, probabiliter noverit esse

f Tol. c. 45.

esse scriptas in proprium ipsius detrimentum, vel in damnum injustum tertii; aut cùm apertio fit cum ratihabitione, quia rationabiliter creditur, quòd ille, cui mittuntur, id ratum habebit.

SECTIO IV.

De Luxuria, ejusque filiabus.

668 a D. Tho. q. 153. Nav. à n. 112. -15.

LUxuria, ᵃ est inordinatus appetitus delectationum venerearum, qualis est omnis contingens extra usum legitimi matrimonii. De quo vitio, ejusque speciebus satis dictum est cap. *9.* & 12. in expositione sexti, & noni præcepti. Est autem unum ex vitiis capitalibus, quia ex ipso innumerabilia alia vitia, & peccata promanant, ut experientia docet, præsertimque octo filiæ pestiferæ, nempe cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, amor vitæ præsentis, & horror alterius futuræ. Cùm enim quò potentia magis delectatur in objecto, eò intensiùs operatur circa ipsum, & consequenter aliæ potentiæ remissiùs operantur circa sua, quia rapiuntur ab illa propter radicationem, quam omnes habent in eadem anima: inter omnes delectationes vehementissima sit delectatio luxuriæ; ut ipsa faciat partem sensitivam fortissimè intentam ad objectum, ex quo delectatio procedit. Unde parte sensitiva multùm occupata in tali objecto, superiores potentiæ perturbantur, & ratio remissior redditur, & debilior in operando, ex eo, quòd rapitur, & absorbetur à parte inferiori.

669 In hac ergo turbatione rationis, & remissione consistunt filiæ luxuriæ, partim ex parte intellectus, partim ex parte voluntatis. Nam intellectus habet hos actus, nempe simplicem apprehensionem, qua apprehendit finem bonum; consilium, quo disquirit media, quibus bonus finis comparandus sit; judicium, quo judicat de unoquoque, quale sit, & actum, quem aliqui vocant imperium, quo voluntati proponit ea, quæ sunt facienda, ut ipsa præcipiat potentiis exequentibus, ut faciant. Cùm verò omnes hi quatuor actus turbentur ex raptu inferiorum potentiarum, ut dictum est: sequuntur filiæ luxuriæ, quæ pertinent ad intellectum, nempe cæcitas mentis, præcipitatio, inconsideratio, & inconstantia. Nam intellectus, fit ineptus ad considerationem boni finis, dum rapitur ad cogitanda, quæ conducunt ad carnis delectationem, & hæc est cæcitas mentis. Deinde redditur ineptus ad considerandum de mediis ad finem bonum; & hæc est præcipitatio, qua homo non curat, nec advertit ad consilia in bonis, ex mentis occupatione ad carnalia. Deinde remittitur judicium, & examen rei, dum non curat, nec considerat, quale sit opus, quod faciat, & hæc est inconsideratio. Tandem redditur homo debilissimus ad exequenda bona apprehensa, & cognita, & nec vires habet ad bona, quæ aliquando facienda proponit, & hæc est inconstantia.

670 Aliæ Quatuor habent se ex parte voluntatis, in qua duo sunt præcipui actus, nempe volitio, seu intentio boni finis, & volitio, seu electio mediorum ad illum, qui etiam turbantur; dum enim voluntas rapitur ad volendum, quod sensus appetit, pervertitur bonus finis, & sequitur amor sui, dum homo vult, quæ sibi delectabilia sunt. Unde consequitur odium Dei, seu quædam aversio animi à Deo, quæ si perveniat ad consensum plenum, ut odio habeatur Deus, est gravissimum omnium peccatorum. Rapitur deinde voluntas erga media; ut ea eligat, quæ ad delectationem carnis ordinantur: & hinc sequitur amor hujus mundi, & futuri horror, quo ei displicet vita futura, dum vellet permanere in præsente, in qua suas habet delectationes; qui actus, si plenus consensus voluntatis adsit, sunt peccata mortalia. Priores verò circa intellectum, tunc erunt mortalia, quando finis ultimus in creatura ponitur, aut quando prætermittitur aliquod præceptum divinum, vel humanum graviter obligans.

SECTIO V.

De Ira, ejusque filiabus.

IRa ᵃ *est appetitus vindictæ.* Et repetitur etiam in brutis, & in parte inferiori hominis, quam cum ipsis habet communem, ad quam tria concurrunt, nempe apprehensio alicujus mali illati, 671 a D. Tho. q. 158. Nav. n. 115. Tol. c. 56. & seq.

ti, aut inferendi difficilis ad expellendum; sanguinis ebullitio, & fervor circa cor, cùm enim spiritus vitales in corde congregentur ad roborandum animal contra malum illatum, aut proximè inferendum, sanguis adventu spirituum calidorum fervet, & bullit: tandem appetitio inferendi malum ei, à quo sibi illatum est, aut inferendum, ad illud propulsandum, concipitur, in qua appetitione consistit ira partis inferioris.

672 Alia est ira hominis propria, qua homo est, contingens in parte superiore, seu in voluntate, ad quam præcedit ex parte intellectus perceptio alicujus mali, & injuriæ illatæ, aut proximè inferendæ, & sequitur in voluntate volitio repellendi tale malum per illationem alterius; & hæc est propria ira hominis, quæ definitur appetitus vindictæ, & regulariter conjuncta est cum ira partis inferioris. Hujus tres quasi species numerari solent. Prima dicitur ira, hoc est, appetitus vindictæ citò insurgens, & citò etiam definens. Secunda dicitur iracundia, hoc est, ira permanens, quando homo diu permanet in apprehensione mali illati, & appetitus vindictæ. Tertia dicitur furor, quando manet quidem memoria mali illati, sed appetitus vindictæ non insurgit, nisi tempore convenienti, quando se homo potest vindicare.

673 Ira partis inferioris sæpè contingit, homine nolente, & contradicente; & ideo ex se neque bona, neque mala est moraliter, nisi accedente consensu voluntatis. Hoc tamen accedente, potest esse actus virtutis, sicut & ira voluntatis, cùm nempe irascimur secundùm rectam rationem contra dæmonem, contra peccatum, & contra illos, qui illud suadent. Est autem peccatum primò, cùm ille, cui irascimur, non est dignus illo malo, quod per iram inferre volumus. Secundò, cùm etsi malo dignus sit, non tamen tanto. Tertiò cùm etsi dignus sit malo, illud præter ordinem inferre volumus, ut si per te ipsum mortem inferre velis. Quintò, cùm etsi ordo servetur, non tamen intenditur debitus finis, quia non ex zelo justitiæ, vel amore virtutis id volumus, sed ex odio personæ. In his quatuor casibus ira est mortalis ex genere suo.

674 Ira in tribus statibus considerari potest. Primus est internus tantùm. Et in eo duas habet filias, nempe indignationem, & mentis tumorem. Indignatio est, qua quis indignum reputat sua familiaritate, & colloquio eum, à quo malum accepit, estque mortalis primò, cùm in tantùm proceditur ut paratus sit non juvare illum in iis casibus, in quibus ex præcepto juvare tenetur. Secundò, cùm adest contemptus interior personæ. Tertiò, cùm notabile scandalum sequitur. Extra hos casus est venialis. Mentis tumor est audacia quædam, qua homo audet insurgere ad vindictam sumendam, ex qua cogitationes in mente sequuntur, quibus cogitamus de modo, & occasione vindictæ; & quale peccatum fuerit vindicta, tale peccatum erit hic tumor.

675 Secundus status est, cùm ira exterius aliquo signo manifestatur. Et in eo habet tres filias, nempe clamorem, contumeliam, & blasphemiam. Clamor est inordinata, & confusa locutio, quæ ex se est venialis, nisi ob scandalum, aut aliunde reddatur mortalis. Contumelia est verbum injuriosum, de qua actum est cap. 11. sect. 4. Blasphemia est in Deum, vel etiam in proximum, de qua dictum est cap. 4. sect. 7. §. 1. Tertius status pertinet ad opus sumendæ vindictæ. In eoque habet unam filiam, nempe rixam, sub qua est bellum, contentio, discordia, aliaque, de quibus egi cap. 3. sect. 7. & 8. Unde ira est vitium capitale, quia ex ipsa multa alia oriuntur.

SECTIO VI.

De Gula, ejusque filiabus.

Gula [a] est appetitus inordinatus cibi, & potus. Dicitur, *Inordinatus*. Quia si ordinatè sumantur ad corporis sustentationem cum debitis circumstantiis, non est vitium, sed virtus temperantiæ. Committitur autem gula primò, cùm cibus, & potus sunt pretiosa præter modum. Secundò, cùm sumuntur supra id, quod corpus indiget. Tertiò, cùm quæruntur cibi nimis delicati, & exquisiti. Quartò, cùm quis nimis complacet in gustus delectatione. Quintò, cùm tempore indebito sumuntur. 676

[a] D. Tho. q. 148. & 150. Nav. à n. 119. Tol c. 58. & seq. Less. l. 4. c. 3.

677 Gulæ duæ sunt species. Altera dici-

dicitur crapula consistens in cibo immoderato: altera ebrietas, seu potus nimius. Et quoad utramque speciem est regulariter venialis. Mortalis verò erit primò, cùm quis in his ponit ultimum finem, juxta illud: [b] *Quorum deus venter est*. Quod tunc continget, cùm hæc est prima cura, ita ut sit homo paratus quodcumque potius peccatum committere, quàm pati defectum in cibo, & potu. Secundò, cùm quis ex appetitu inordinato cibi, & potus pręcepta violat, non jejunando diebus statutis, carnes vescendo in diebus prohibitis, se impotentem reddendo ad debita solvenda, ad filias in statu convenienti collocandas, &c. Tertiò, cùm damnum notabile corporis sibi infert per ægritudines, si tamen damnum leve sit, veniale erit. Quartò, cùm grave damnum datur proximo. Unde dicebat Paulus [c] se nunquam manducaturum carnes, si sciret fratrem inde scandalum accepturum. Quintò, cùm cibus, & potus est contra naturam, ut caro, & sanguis humanus, quibus solùm liceret uti in extrema necessitate, cùm homo jam occisus inveniretur. Sextò, cùm ex nimio cibo, & potu probabiliter timetur peccatum aliquod mortale, ut qui novit se peccare in materia luxuriæ, cùm modum non servat in comedendo, & bibendo.

b Philip. 3. 19.

c 1. Cor. 8. 13.

678 Circa ebrietatem nota primò, Quandò ebrietas non est perfecta, quia non turbat omninò rationem, est solùm veniale: cùm verò quis ita bibit, ut sciat rationis usum perditurum, peccat mortaliter, quia sibi grave damnum infert in ea privatione. Et idem est de eo, qui sciens alium in ebrietatem lapsurum, ei potum ministrat. Unde quando quis expertus est aliàs se, vel alium tanto, vel tali potu inebriari, peccat mortaliter sumendo, vel ministrando. Et idem est, si ex fine se inebriandi bibat, aut ex eodem fine vinum alteri ministret. Hæc est communis doctorum sententia, licèt pauci contradicant. Nota secundò, actus objectivè malos, quos facit ebrius, non esse peccata, quando quis sine culpa sua ebrius factus est. Aliter dicendum, quando ebrietas fuit culpabilis, si solitus erat aliàs inebriari, & tales actus in ebrietate committere; quia tunc peccat, eique imputantur in culpam, quando se voluntariè inebriat pręvidens, & probabiliter timens eos se in ebrietate facturum, quamvis postea non fiant. Quando verò non erat solitus eos facere, nec prudenter timebantur, non imputantur in culpam.

679 Quinque numerantur filiæ gulæ. Prima dicitur mentis hebetudo, quæ potius est effectus, & pœna gulæ, quàm peccatum, quando quis advertenter ita redderetur ineptus, ut non posset vacare iis, quæ ex officio, aut præcepto tenetur. Secunda est inepta lætitia, qua quis congaudet in iis, quæ nullam delectationem ex se sunt apta causare, estque venialis, nisi ratione materiæ esset mortalis. Tertia est stultiloquium, seu loquacitas, quæ etiam ex se est venialis, nisi vergat in contumelias, detractiones, blasphemias, & perjuria. Quarta est scurrilitas continens verba, aut facta inhonesta, vel ad risum provocantia, quæ si fiant causâ delectationis venereæ, mortalia erunt; si solùm propter risum, venialia. Quinta est immunditia, quando quis usque ad vomitum vescitur, & bibit; estque venialis, nisi sequatur notabile damnum corporis, aut scandalum proximorum. Addi potest luxuria, juxta illud: [d] *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*, Depauperatio, &c.

d Eph. 5. 18

SECTIO VII.

De Invidia, ejusque filiabus.

680 INvidia [a] est tristitia de bono alieno, in quantum est diminutivum propriæ excellentiæ. Tunc enim invidemus, cùm bonum proximi nobis displicet, de illoque tristamur, volentes non fuisse. Non tamen quælibet tristitia est invidia, sed quando nobis apparet per bonum alterius nostram excellentiam minui, dum nobis æqualis per tale bonum, vel major efficitur. Est enim invidia regulariter inter æquales, aut ferè æquales. Est autem invidia ex genere suo mortalis; & de facto talis erit, si adsit plenus voluntatis consensus; sæpè enim solùm est motus quidam in parte sensitiva, aut etiam in voluntate subitus, & ferè naturalis, qui ad summum erit venialis, sicut quando bonum, de quo tristamur est leve: aliter dicendum, quando bonum grave fuerit, & tristitia de illo deliberata.

a D. Tho. 2. 2. q. 36. Nav. n. 118.

681 Ut autem natura invidiæ meliùs intel-

intelligatur, id notandum, variis modis posse quem tristari de bono alterius sine invidia. Primò, quia aliquod malum inde nobis proventurum putamus, ut cùm ex tali motivo tristamur de dignitate, ad quam aliquis assumitur, quæ tristitia est effectus timoris. Et si sit de malo nobis injustè inferendo, nobisque ferè certum sit inferendum fore, licita est, & bona. Si verò id certum non sit, sed ex levi suspicione colligatur, mala venialiter erit. Si tamen malum, quod timemus, justè foret inferendum, tristitia esset mala, & pejor, quàm præcedens; quia esset mortalis, si esset de magno bono, & ex pleno consensu; ut si homo rectus eligeretur in judicem, qui mea crimina non dissimularet, & ego de ejus bono tristarer, quia me puniturus est, ut meteor.

682 Secundò, si trister de bono alterius, quia ego illo careo, non quia in alio sit, quæ tristitia dicitur æmulatio, estque sancta, si bona, quæ æmulamur, sint spiritualia pertinentia ad animæ salutem. Ut si videam hominem pœnitentem, devotum &c. & trister de tali bono, quia illud in me non video, quæ proinde laudatur ab Apostolo dicente: [b] *AEmulamini charismata meliora*: [c] *AEmulamini spiritualia*. Si verò bona sint temporalia, & nobis proportionata; licita est tristitia de eo, quod simile bonum non habeamus, sicuti licitum est desiderium de illo. Si autem sint improportionata, ut si homo mediocris tristetur, quia non est Rex, Papa, vel Episcopus, sicut alii; tristitia bona non est, sicut nec desiderium.

b 1. Cor. 12.31.
c 1. Cor. 14. 1.

683 Tertiò, si trister de bono alterius, quia illum eo indignum puto, sicut solemus tristari de temporali prosperitate hominum iniquorum, quia illa indigni sunt, & dicitur indignatio, quæ venialis est, quia cùm id, de quo tristamur, non sit malum culpæ, nec pœnæ, sed bonum, videmur quodammodo arguere Deum, & dolere, quasi injustitia sit ex parte datoris. Et si prorumpamus in id, quod Deum arguamus, quod sit injustus, & malè distribuat bona sua, erit gravissima blasphemia mortalis.

684 Quartò, si trister de bono alterius, quia malum illi volo. Est odium, & tunc tristitia talis erit, quale fuerit odium. Unde si fuerit tristitia de bono gravi, erit mortalis, si de levi, erit venialis, sicut de odio dictum est cap. 3. sect. 5. Ubi hæc omnia ferè attigimus agendo de peccatis contra charitatem. Quintò, si trister de bono alterius; quia illi volo majus bonum: sic tristantur homines boni de bono temporali malorum, quia vident futurum illis occasionem peccandi. Et hæc tristitia est charitatis, ac adeò bona, & laudabilis, Sic enim licet tristari de sanitate alicujus, illique desiderare infirmitatem, imò & mortem, ob majus illius bonum. Sextò, si trister de bono alterius ex motivo justitiæ. Sic tristamur, & dolemus de beneficio collato homini indigno, quia injustè datum est. Et hæc dicitur zelus, estque tristitia bona, & licita.

685 Ex quibus sequitur solam tristitiam de bono alterius, ut est diminutivum propriæ excellentiæ, esse invidiam, quam in principio definivimus. Cujus quinque filiæ assignari solent. Prima est odium, quo alicui malum volumus, quia malum ipsius est, ex displicentia personæ, estque peccatum contra charitatem proximo debitam. Secunda est susurratio, qua famam in occulto auferimus, procurando seminare discordias inter proximum, quem infamamus, & alios. Tertia est detractio, qua in manifesto idem facimus, de quibus diximus cap. 11. sect. 1. & 4. Quarta est gaudium, quod concipi solet à malevolis in proximi adversis; quod est peccatum contra charitatem, quando est ex displicentia personæ. Et si malum, de quo gaudemus, est grave; mortale erit, si adsit plenus consensus. Quarta erit tristitia, & afflictio de prosperis, & bonis proximi, quæ si sit, prout per illa nostra excellentia, diminuitur, est ipsa invidia. Si verò ex hac sequatur, quia invidus vellet nihil boni accidere invidioso, cujus bonum impedire conatur per desiderium, est filia invidiæ, & peccatum, sicut gaudium de adversis.

SECTIO VIII.

De Acedia, ejusque filiabus.

Acedia ultimum ex septem vitiis capitalibus est Tristitia de bono spirituali, ut ad ipsum hominem attinet. 686

a D. Tho. 2.2. q. 35. Nav. c. 24. n. 14. Tol. c. 68.

Digitized by Google

net. Bonum autem spirituale est beatitudo, & quæ ad ipsam consequendam ordinantur; ut virtutes, Sacramenta, præcepta, exhortationes, consilia, &c. de quibus bonis, prout ad nos pertinent, debemus gaudere ex charitate, qua debemus nos ipsos diligere. Huic autem gaudio opponitur acedia, qua nobis displicent bona spiritualia, qua parte ad nos pertinent, quasi nolimus, & fastidiamus, quòd simus capaces illorum, & ad ea ordinati: ita enim aliquando tristamur de beatitudine, de operibus virtutum, de Sacramentis, de præceptis, aliisque bonis spiritualibus, quasi vellemus ne ad nos pertinerent. Et hæc tristitia dicitur acedia, qua velut nauseam habemus rerum spiritualium. Et nascitur ex duplici præsertim capite, nempe ex nimio affectu ad res temporales, & delectationes vitæ præsentis, & ex terrore laborum, & difficultatum, quibus spiritualia bona acquirenda sunt. Et hoc secundum nascitur ex primo, per quod perditur gustus rerum spiritualium, quo perdito, statim res laboriosa apparet vacare rebus spiritualibus.

687 Est autem acedia ex genere suo mortalis contra charitatem, & ideo de illa aliquid diximus c. 3. sect. 5. agendo de peccatis contra charitatem. Fit autem venialis primò, quando deficit plenus voluntatis consensus. Secundò, quando materia est levis, quæ tunc levis dicitur, quando quis non verè tristatur de bono spirituali secundùm se, sed ratione alicujus circumstantiæ, v. c. loci, & temporis, ut qui tristatur de jejunio, de Missa, de concione; quia tali die, vel tempore occurrunt. Quando verò acedia est de ipso bono spirituali absolutè, & ex pleno consensu, & advertentia, semper est mortalis.

688 Habet acedia suas filias. Prima est desperatio, qua homo diffidit se beatitudinem consecuturum, quæ facilè oritur ex acedia, & per illam à se rejicit finem suum, estque gravissimum peccatum mortale contra virtutem spei, de qua proinde egimus cap. 2. sect. 2. Secunda est pusillanimitas, qua homo non audet divina consilia exequi; & ad summum erit venialis; vel præceptum ad mortale obligans observare, quia arduum videtur, & hæc est mortalis. Tertia est torpor, quo homo omittit facere, quæ ex præcepto tenetur, quæ ardua non sunt, & est mortale. Quarta est malitia, qua quis odio habet ipsa bona spiritualia in se, contemnitque Dei beneficium desiderando non fuisse natum, non cognovisse Christum &c. aut de eo dolendo. Et hæc est mortalis. Quinta est rancor, quo illos, qui nos inducunt ad spiritualia, fastidimus, & aversamur. Estque venialis, nisi conjungatur cum odio, quo eis notabile malum desideremus. Sexta est evagatio mentis, seu defectus attentionis in rebus spiritualibus exercendis, estque ex se venialis, nisi exigatur ex præcepto, ut in recitandis horis, in audienda Missa &c.

SECTIO IX.

De virtutibus oppositis vitiis capitalibus.

Explicatis vitiis capitalibus aliquid brevissimè subjiciendum de virtutibus oppositis. Igitur superbiæ, de 689
qua sect. 2. opponitur humilitas, quæ, ut ait D. Thom. [a] est virtus, quæ temperat, & refrænat animum, ne immoderatè tendat in excelsiora. Ad hoc autem maximè conducit cognitio sui ipsius, qui enim se cognoverit: & consideraverit suam utilitatem, & abjectionem, non elevabitur supra se, nec appetet eam celsitudinem, eamque æstimationem personæ suæ, ad quam inclinat superbia.

690 Humilitatis varii gradus assignantur à sanctis PP. & à Theologis cum D. Tho. [b] Qui ad tres revocari possunt. Primus declaratur à S. Bern. [c] per hæc verba: *Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit*. Unde cognitio sui ipsius est medium unicum, ut se quis vilem reputet, & æstimet. Si enim homo consideret, quid fuit, quid est, & quid erit, si cæcus non sit, se vilissimum existimabit, & in debita humilitate continebit. Quapropter idem S. Bern. [d] *Ista tria semper in mente habeas: Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? quia sperma fætidum. Quid es? quia vas stercorum. Quid eris? quia esca vermium*. Et alibi: *Si diligenter consideres, quid per os, & nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinium nunquam vidisti*. Ecce quid es, ò homo! Quid verò eris? Audi à S. Jobo:

a 2a 2. q. 161 ar. 1.

b D. Tho. ar. 6.

c de Grad. humilit.

d In forma honesta vita.

Digitized by Google

e Iob 17.14 Jobo: *e Putredini dixi, Pater meus es: mater mea & soror mea, vermibus.*

691 Jam verò quid sit homo, quoad mores, unusquisque facile deprehendet, si supra actiones suas aliqualiter reflectat: conceptus, & natus in peccato, ac Deo invisus; tot passionibus undequaque septus, ut meritò dixerit S. Job: f Iob 14 1. *f Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis.* Quod, si verum est de corporis miseriis; verius quidem est de miseriis animæ, de ejus passionibus, vitiis, & peccatis, quæ quisque nostrùm in se satis experitur. Quæ sunt in causa, ut etiam pleraque opera nostra de se aliàs bona, tam defectuosa sint, & tot imperfectionibus g Isai.64.6. admixta, ut verissimè dixerit Isaj. *g Facti sumus ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata universa justitia nostra.* Quibus consideratis dixit optimè h De interiori domo. D. Bern. *h* in persona Dei: *O homo, si te videres; tibi displiceres, & mihi placeres;* Quid ergo habet homo, de quo possit superbire? Hæc ergo cogitatio sui satis est ad reprimendam omnem mentis elationem, omnemque propriam æstimationem, in quo consistit primus gradus humilitatis infimus, & facilior.

692 Secundus, & perfectior, ac difficilior consistit in eo, quod quis velit, gaudeatque se vilem ab aliis reputari, ac æstimari. Qui enim verè humilis est, non solùm non refugit, sed amat, & lætatur, quòd ab aliis reputetur pro eo, quod est, & meretur, sibique putat esse dictum: *Ama nesciri, & pro nihilo reputari.* Hic affectus, hocque gaudium, ac lætitia de eo, quòd ab aliis quis nihili æstimetur, nesciatur, ac parvipendatur, oppositus omninò est appetitui excellentiæ, & celsitudinis, quo laborat superbus.

693 Tertius gradus, & superior in eo situs est, ut nihil boni sibi homo attribuat, quod fortè habet, sed soli Deo, i Iacob.1.17. cujus est. *i Nam omne donum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Hunc gradum perfectissimè habuit Virgo sanctissima, quando electa in Dei matrem, nihil sibi boni attribuens, quod de se erat, cum omni animi submissione confessa l Luc.1.38. est, vilem se ancillam nominando: *l Ecce ancilla Domini.* Mater Dei eligitur, & ancillam se nominat. Dixit *m* m 4. Super missus. n Serm 13. in Cant. D. Bern. alibi dicens: *n Magna, & rara virtus profectò est, cùm magna operaris, magnum te nescire: cùm omnibus nota sit sanctitas tua, te solum lateat: cùm omnibus mirabilis appareas, tibi soli vilescas.*

694 Secundo vitio capitali, quod est avaritia, de quo sect. 3. opponitur liberalitas, quæ ut ait D. Thom. *o Est virtus, qua benè utimur rebus hujus mundi nobis concessis ad sustentationem vitæ.* o 2. 2. q. 117.a.1. Habet autem liberalitas duos actus, dare scilicet, & retinere, quando recta ratio utrumque postulat. Præcipuus tamen est dare, & distribuere, ut docet idem sanctus Doctor art. 4. Si autem destribuas de bonis tuis ex motivo misericordiæ, ad sublevandam miseriam proximi, induet liberalitas altiorem rationem virtutis, utpote misericordiæ, quæ nascitur ex charitate, & utraque opponitur vitio avaritiæ, & immisericordiæ, quæ avaritiam inseparabiliter comitatur.

695 Tertio vitio capitali, quod dicitur luxuria, de quo sect. 4. opponitur castitas, quæ dicitur à castigando, ut ex Philosopho ait D. Tho. *p* Estque virtus, per quam concupiscentiam carnis coercemus, & castigamus. p 2.2. q. 151.a.1. Est autem virtus specialis habens specialem materiam, nempe concupiscentias delectabilium, quæ sunt in rebus venereis; & specialem honestatem, ob quam illas refrænat. Habet virtus ista tres gradus. Primus, & præstantissimus est castitas virginalis, de qua S. Amb. *q Angelis est cognata virginitas.* q Lib.1.de virginib. Quia virgines in carne viventes, Angelorum puritatem imitantur. Non est tamen in præcepto gradus iste, sed est consilium Euangelicum, juxta illud: *r Qui potest capere, capiat.* r Matth. 19 40. Secundus gradus est castitas vidualis, quæ post usum matrimonii, perfectè continere facit, non solùm ab illicito quocumque coitu, sed etiam à secundis nuptiis. Hæc etiam non est in præcepto, sed optimum consilium, juxta doctrinam Apostoli: *s* Tertius est castitas s 1. Cor.7. 40. conjugalis, quæ servat leges conjugii, abstinere faciens ab omni alia delectatione, quæ extra illud capi poterat. Et hæc castitas est in præcepto, ut constat ex suprà dictis cap. 9. & 12. in expositione sexti, & noni præcepti Decalogi.

696 Quarto vitio capitali, quod dicitur Ira, de qua s. 5. opponitur mansuetudo, quæ inordinatos iræ impetus, & affectus mitigat, & componit, & definitur à D. Tho. *t Virtus, quæ moderatur, secundùm rectam rationem, passionem iræ.* t 2.2.q.157 a.1.

Unde

Digitized by Google

Unde mansuetudo corda hominum quasi suffuratur, illosque benevolos reddit, ideoque mansuetis promittitur terræ possessio: [u] *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram*. Sicut enim homo iracundus omnes à se fugat, & alienat, ita mitis, ac mansuetus ad se trahit, & conciliat, omnibusque quasi dominatur. Quare Isajas Christum Dominum innata agni mansuetudine terræ dominaturum vaticinatus est: [x] *Mitte, Domine, agnum dominatorem terræ*. Quasi mansuetudo, quam in mundo apparens ostensurus erat; potestatem, & dominium supra hominum voluntates sibi comparatura foret. Patientia mansuetudinis comes suo etiam modo vitio iræ opponitur. Est enim patientia, ut ait D. Thom. [z] *Virtus, quæ moderatur tristitiam ortam ex malo nobis ab altero illato*. Nam qui patienter fert illatas injurias, mansuetus, ac mitis est, & non succumbit tristitiæ ex illis ortæ, nec ab ira rapitur contra proximum. Unde patientia iram frænat, & compescit.

u Matth. 5. 4

x Isai. 16. 1.

z 2. 2. q. 136. a. 1.

697 Quinto vitio capitali, quod dicitur Gula, de qua sect. 6. opponitur temperantia. [a] *Est autem temperantia virtus, quæ moderatur delectationes gustus*, ut ait S. Thom. Et habet duas partes subjectivas. Altera dicitur abstinentia, quæ versatur circa moderationem ciborum: altera dicitur sobrietas, & occupatur circa moderationem potus. Utraque autem consistit in mediocritate, & inclinat ad sumendum de cibo, & potu, quod recta ratio dictat esse necessarium ad vitam commodè sustentandam, non excedendo in quantitate, aut qualitate, nec deficiendo. Quia excedere, erit vitium gulæ; deficere erit vitium, quod dicitur insensibilitas. Hanc temperantiam commendat Divus Bern. dum ait: [b] *Quæ charitas est carnem diligere, & spiritum negligere? Quæve discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualisve misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? Nemo pro hujusmodi misericordia speret se consequi misericordiam, quæ misericordibus promittitur in Evangelio.*

a 2. 2. q. 141. a. 5.

b Apol. ad Guillelm.

698 Sexto vitio capitali, quod dicitur Invidia, de qua sect. 7. opponitur charitas, seu potius gaudium charitatis, ut benè D. Thom. [c] diximus enim cap. 3. sect. 5. ex charitate, qua amatur proximus, nasci gaudium, & lætitiam spiritualem de bonis illius. Nam qui proximum diligit, sicut se ipsum; gaudet, & lætatur de bonis illius, sicut de propriis. Cùm verò invidia, ut suo loco dictum est, sit tristitia de bonis proximi, sequitur, quòd ei opponatur hoc gaudium charitatis, quo quis gaudet, & lætatur de bonis proximi, ac si essent propria. Quòd autem vulgariter dicitur, charitas opponi invidiæ, ideò est, quia ei opponitur gaudium, quod est charitatis effectus.

c 2. 2. q. 36. a. 2. Soa. d. 6. de charit.

699 Septimo vitio capitali, quod dicitur Acedia, de qua sect. 8. opponitur gaudium charitatis de bono divino, seu de bono spirituali nostro, ut benè D. Thom. & P. Soar. Nam gaudium charitatis, ut diximus c. 3. sect. 5. est delectatio non solùm de bonis Dei intrinsecis, sed etiam de amicitia hominis cum Deo, & de mutuis officiis, quæ ex ea nascuntur, seu de exercitiis spiritualibus, quibus ea fovetur, & augetur; ergo tale gaudium opponitur acediæ, quæ est tristitia, & tædium bonorum spiritualium, propter adjunctum laborem corporalem. Quamvis autem vulgariter dicatur acediæ opponi diligentia; ideò est, quia gaudium, & lætitia de bonis spiritualibus ad Deum conducentibus, diligentiam parit ad illa alacriter exercenda. Quapropter, ut monet D. Bern. [d] *Cùm te torpore, acedia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuò suscitante gratia factus promptior, alacriorque curras, & dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum*. Et per hæc satisfactum est omnibus, quæ in principio hujus libri promisimus.

d serm. 21. in Cant.

LIBER

Digitized by Google

LIBER NONUS.

DE SACRAMENTIS A PAROCHO ADMINISTRANDIS.

LIb. 2. cap. 7. inter munera Parochialia præcipuum assignavimus Sacramentorum administrationem, de quibus proinde agendum sequitur, ut Parochus noster instruatur de re officii sui maximè propria. Sunt autem Sacramenta Ecclesiæ à Christo Domino ad animarum salutem instituta numero septem; nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. De quibus Theologi multa disputant, ex quibus breviter colligam, quæ Parocho necessaria videbuntur. Et licèt duo ex septem Sacramentis ad Parochum non pertineant, Confirmatio videlicet, & Ordo, quorum minister est Episcopus, de illis pariter dicam, quæ necessaria fuerint, ut eorum debitam scientiam habeat, possitque instruere oves suas, quando ad ea accedendum erit. Abstinebo in toto hoc libro, quoad potero, à difficultatibus, quæ Parocho occurrere possunt in casibus extremæ, & gravissimæ necessitatis in administrandis Sacramentis moribundis, cum quibus regulæ ordinariæ observari non possunt, quia de his Parochum sufficienter instruam lib. 11. in quo agam de cura Parochi circa moribundos. In fine tamen cujusque Sacramenti, cujus Parochus est minister, vel quasi minister, specialiter admonebitur de aliquibus, quæ in ejus administratione occurrere possunt, ut illud laudabiliter administret.

CAPUT PRIMUM.

De Sacramentis in genere.

1 NOn erit abs re aliqua præmittere in hoc capite de Sacramentis in genere, attingendo ea, quæ omnibus sunt communia, ut postea faciliùs, breviùs, & absque confusione dicam, quæ singulis sunt propria. Dicam igitur primò de natura, & essentia Sacramenti, ejusque Authore. Secundò de numero Sacramentorum. Tertiò de ministro. Quartò de suscipiente. Quintò de effectibus. Sextò dicam de sacramentalibus, quæ licèt Sacramenta non sint, aliquam cum ipsis habent similitudinem. Septimò monebitur Parochus circa administrationem Sacramentorum in communi.

SE-

Digitized by Google

SECTIO I.

De natura, & essentia Sacramenti, ejusque Authore.

2 SIcut natura, & essentia rei per ejus definitionem explicatur, ita per eamdem natura, & essentia Sacramenti explicari debet. Quod Theologi præstant adducentes varias definitiones, quibus Sacramentum ita definiunt. Est signum sensibile ad sanctificationem aliquam, & veram animæ sanctitatem significandam institutum. Vel aliter Sacramentum est cæremonia sacra homines aliquo modo sanctificans, & veram animæ sanctitatem ex institutione significans. Has tamen, aliasque libenter omitto, quia animus est tractare solùm de Sacramentis legis Euangelicæ à Christo institutis, illæ verò explicant Sacramentum, prout est quid commune omnibus Sacramentis tam legis Euangelicæ, quàm legis naturæ, & scriptæ, de quibus curiosus consulere potest Theologos ad 3. part. D. Thom. quæst. 60. & 61. ad quem locum copiosiùs, & cum majori ubertate doctrinæ, ut semper solet, eximius Doctor Franciscus Soarius tom. 3. per priores quinque disputationes. Ubi latè de Sacramentis, quæ fuerunt in lege naturæ, & in lege scripta data à Deo Moysi pro populo Hebræorum, dum populus ille duraret, usque ad Messiæ adventum, qui novam legem laturus erat, novaque Sacramenta instituturus pro Ecclesia à se fundanda.

3 Sacramentum igitur legis Euangelicæ definitur *signum sensibile practicum rei sacræ sanctificantis homines, à Christo Domino nostro institutum*. Dicitur autem *signum*. Quia omne Sacramentum significat gratiam, quam confert, v.c. Baptismus significat ablutionem spiritualem, quam in anima causat lavando à maculis peccatorum. Et sic de aliis.

4 Dicitur, *Sensibile*. Quia omne Sacramentum in aliquo signo externo consistit, ut constabit, cùm de singulis actum fuerit. Ratio verò ita instituendi fuit, quia cùm homo sit corporeus, & nihil pro præsenti statu intelligat, nisi ministerio sensuum, & per modum rei corporeæ, & sensibilis, congruum fuit, ut signa, quibus Deus promissiones suas, ultra naturalem talium signorum conditionem, alligavit, sensibilia forent, ut per illa aliquid spirituale, ac intelligibile hominibus innotesceret.

5 Dicitur, *Practicum*. Quia Sacramenta novæ legis per virtutem Spiritus sancti vi sua faciunt id, quod significant. Unde non solùm significant speculativè, v. c. ablutio Baptismi non solùm significat internam animæ ablutionem à peccatis, sed etiam ut Dei instrumentum per virtutem sibi à Deo inditam eam in anima causat. Et ideò dicuntur causare gratiam ex opere operato, hoc est, ex vi, & efficacia ipsius Sacramenti, ultra dispositionem, meritum, & exigentiam recipientis.

6 Dicitur, *Rei sacræ*. Quia Sacramentum est ritus, & cæremonia quædam sacra. Imò Sacramenta sunt præcipuæ nostræ religionis cæremoniæ, & veluti fundamenta Ecclesiæ visibilis. Unde sicut religio, & Ecclesia habent statum fixum, & permanentem; ita Sacramenta debuerunt esse ritus, & cæremoniæ permanentes, & fixæ saltem quoad eorum substantiam, ut sanè sunt, & satis constabit ex dicendis.

7 Dicitur, *Sanctificantis homines*. Quia omne Sacramentum causat gratiam sanctificantem, vel ejus augmentum in homine non ponente obicem, seu rectè disposito ad Sacramentum recipiendum. Unde Sacramenta dicuntur vasa gratiæ, & fontes gratiarum, quamvis ulterius conferant alios peculiares effectus proportionatos fini uniuscujusque Sacramenti, de quibus dicetur sect. 5.

8 Dicitur, *A Christo Domino institutum*. [a] Quia cùm Sacramenta sint signa non naturalia, ut est fumus respectu ignis, sed ad placitum instituta, cum aliqua tamen proportione ad id, quod significant; & ex alia parte ita significent gratiam, ut illam causent, quod nulla creatura per se facere potest; necessarium fuit, ut à nullo alio tamquam à principali agente institui possent, nisi à solo Deo, ut de Sacramentis antiquis constat ex scriptura. [b] Nostra verò à Christo Domino, qui simul Deus, & homo est, instituta fuerunt, ab ipso quidem ut Deo tanquam à causa principali; ut homine tanquam ab instrumento Deo conjuncto; ut con-

[a] Soar. d. 11.

[b] Gen. 17. Exod. 12. Luc. 8.

Digitized by Google

constat partim ex scriptura, partim ex traditione Apostolica, & Conciliis [c] œcumenicis.

c Trid. s. 7. can. 1.

9 Ex hac definitione ita explicata sequitur primò, præter Sacramenta sect. 2. numeranda, nihil aliud dici posse Sacramentum novæ legis, quamvis in illius usu homini disposito conferatur gratia sanctificans, remissio peccatorum, aut augmentum gratiæ. Quia id non causant ex opere operato tanquam aliquid à Deo institutum, ad id significandum, & causandum. Unde Sacramentalia, de quibus sect. 6. Sacramenta non sunt, licèt homo justus in ipsorum usu gratiæ augmentum acquirat. Et idem est de omnibus operibus bonis ejusdem justi, imò & de ipso actu perfectæ charitatis, aut contritionis extra Sacramentum, estò habeant annexam primam gratiam, & remissionem peccatorum; quia id non causant ex opere operato, nec ad id sunt à Deo instituta, sed solùm causant ex dispositione operantis. Et licèt martyrium, secundùm aliquos, causet gratiam ultra meritum, & dispositionem operantis; Sacramentum non est, quia à Christo institutum non fuit, ut signum in talem finem, sed id habet ex speciali privilegio, & promissione [d] ipsius Christi.

d Math. 10. 32. & 39.

10 Sequitur secundò, [e] discrimen inter nostra, & antiqua Sacramenta. Quia antiqua non causabant gratiam ex vi sua, & ex opere operato, ut nostra causant, sed illam solùm per passionem Christi dandam in nostris Sacramentis figurabant, ut definitur in Florent. [f] & sumitur ex Apostolo [g] vocante ea Sacramenta infirma, & egena elementa, & justitias carnis, quæ conscientias mundare non poterant. Unde solùm causabant quamdam sanctitatem legalem, & externam, seu quandam idoneitatem, & mundiciam ad hoc, vel illud faciendum, sine qua censebantur immundi, & quasi irregulares: sanctitatem verò internam animæ solùm causabant ex opere operantis, juxta proprias dispositiones. Nam justi in lege veteri merebantur per bona opera augmentum gratiæ, & gloriæ: ergo etiam per usum Sacramentorum, & sacrificiorum, quæ à Deo præcipiebantur. Non quòd promissio gratiæ facta esset dictis Sacramentis, ut erant cæremoniæ quædam sacræ legis veteris, sed quia illorum usus erat opus bonum, & religiosum factum ex fide Chisti venturi, quod proinde merebatur augmentum gratiæ, sicut & alia justorum opera, quæ habent conditiones ad meritum necessarias.

e Soar. d. 10.

f In decr. Eug.
g Gal. 4. 9 Heb. 9. 13.

11 Et quamvis circumcisio, [h] & simile Sacramentum legis naturæ pro parvulis remissionem peccati originalis, & gratiam conferret; illam non conferebant ex opere operato, & ex vi, & efficacia sua, sed Deus illam causabat in fide ipsius Dei, & Christi venturi, ad præsentiam illius signi, in quo fides ipsa externè profitebatur, sine ulla tamen actione, aut virtute talis operis. Quare circumcisio non dicebatur propriè justificare, quia non erat causa justitiæ, sed tantùm signum necessarium ad profitendam fidem, sine qua professione gratia non fuisset data parvulo. Potuit tamen dici conditio, sine qua non; non tamen causa: nam etiam fides parentum erat conditio necessaria, de qua dici non poterat, quòd gratiam daret infanti, neque quòd gratiam contineret, ut nostra continent Sacramenta.

h Soar. d. 10.

12 Sequitur tertiò, nostra Sacramenta ex Christi institutione constare [i] materia, & forma, quæ dicuntur partes essentiales Sacramenti, quarum qualibet deficiente Sacramentum non erit. Dicitur autem hoc per similitudinem ad res naturales compositas ex materia, & forma: in quibus sicut materia dicitur illa pars, quæ minùs determinata, & indifferens est ad hoc, vel illud compositum constituendum; forma verò dicitur ultimum determinativum, & constitutivum rei: ita in Sacramentis materia dicitur illud signum sensibile, quod veluti imperfectam, & inchoatam habet significationem Sacramenti; forma verò illud, quod talem significationem complet, v. c. in baptismo ablutio non habet ex se perfectam significationem ablutionis spiritualis, quam significat; sed ad hoc determinatur, & completur ab aliquo alio, nempè à forma baptismi contenta in illis verbis: *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* Quæ determinat ablutionem materialem ad spiritualem peccatorum, & sic de aliis Sacramentis, ut in singulis suis locis explicabitur. Et hoc est, quod dicitur nostra Sacramenta perfici rebus, & verbis. Per res enim

i Soar. d. 2.

Digitized by Google

enim intelligitur materia, per verba verò forma, quæ in verbis consistit, aut in aliquo illis respondente.

13 Id tamen notandum, non eandem conjunctionem requiri in omnibus Sacramentis quoad eorum materiam, & formam; sed in aliis majorem, in aliis minorem, juxta varias conditiones rerum, & verborum, quibus quodlibet Sacramentum perficitur. Unde quia forma Baptismi significat ablutionem fieri à ministro, inter illa requiritur tanta simultas, quanta necessaria est, ut ex usu communi verba proferens censeatur actionem illam efficere. Quia verò per formam Eucharistiæ demonstratur materia, in quam verba cadunt; necesse est, ut illa sit actu præsens, quando forma profertur. At pœnitentia, quia se habet per modum judicii, stare potest; quamvis hodie peccata Sacerdoti exponantur, & cras ab eodem absolutio impendatur; quod in singulis Sacramentis explicabitur.

SECTIO II.

De numero Sacramentorum.

14 SUppono primò, congruum fuisse in Christi Ecclesia aliqua Sacramenta institui. Quia cùm natura humana ex se ad peccandum prona sit, remedijs proportionatis, ac adeò sensibilibus indigebat ad peccata eluenda, & cavenda. Et quia sicut homines in lege veteri per signa externa profitebantur suam fidem in Christum venturum, ita æquum erat, ut in nova signis etiam sensibilibus suam fidem in Christum jam natum, & passum testarentur.

15 Suppono secundò, congruum etiam fuisse, ut hæc Sacramenta fuerint à veteribus distincta. Sicut enim alia verba significant rem futuram, alia præterita; ita congruum fuit, ut in lege nova instituerentur aliqua Sacramenta ad repræsentandum Christum jam natum, & passum distincta ab antiquis, quæ illum repræsentabant ut venturum. Accedit, quia antiqui fuerunt in statu servorum, christiani verò in statu filiorum, ut Apostolus docet: [a] congruum ergo fuit, ut alia Sacramenta instituerentur pro filiis, alia pro servis.

a Gal. 4. à v. 5.

16 Dico igitur. [b] Sacramenta novæ legis sunt septem, non plura, nec pauciora, nempe Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, & Matrimonium. Cujus numeri ratio ex Christi voluntate petenda est, qui tot, & non plura voluit instituere. [c] Congruentia verò sumi potest ex similitudine inter vitam spiritualem, & corporalem. Nam sicut homo accipit vitam corporalem per generationem, crescit, & roboratur in dies, nutritur, & vitam conservat, in morbum lapsus sanitatem recuperat, viresque perfectas reficit. Ita vitam spiritualem recipit per Baptismum, in quo regeneratur; roboratur per confirmationem; nutritur per Eucharistiam; sanatur per Pœnitentiam; plenèque reficitur per Extremam unctionem: deinde sicut homo membrum Reipub. civilis accipit potestatem ad alios politicè regendos, ipsique incumbit procreare sobolem ad conservationem generis humani: ita, ut est membrum Reipub. Christianæ, per Ordinem accipit potestatem administrandi Sacramenta, & exercendi alia officia ad spiritualem fidelium utilitatem; & per Sacramentum Matrimonii accipit gratiam ad prolem sanctè instituendam.

b Trid. ses. 7. c. 1.

c D. Tho. q. 65. ar. 1. Suar. ibi. commun.

17 Illud notandum. Cùm omnia ista Sacramenta habeant suas determinatas materias, & formas, ut agendo de singulis explicabitur; nullum Sacramentum validum esse, si materia, vel forma mutetur substantialiter. Ratio est, quia tam materia, quàm forma est determinata ex divina Christi institutione, pertinetque ad essentiam Sacramenti, quod proinde subsistere nequit; sicut neque ullum compositum physicum sine sua materia, & forma determinata: valent tamen, & constant, si materia, vel forma solum accidentaliter varientur, permanente substantia, ex opposita ratione, quia adhuc permanet substantia à Christo instituta.

18 Tunc verò censetur mutari materia substantialiter, quando vel mutatur secundùm speciem suam, vel saltem quando non potest assumi ad usum, ad quem usurpari solet. Accidentaliter verò, quando remanet secundùm speciem physicam, & quantum ad usum suum. Forma verò mutatur substantialiter, quando sensus substantialis illius non manet; accidentaliter verò, quando non mutatur sensus, sed verba dumtaxat. Hoc verò declarare exemplis, pertinet ad tractationem singulorum Sacramentorum.

Digitized by Google

SECTIO III.

De Ministro Sacramentorum.

19 Suppono primò, [a] ministrum ordinarium Sacramentorum esse solùm hominem viatorem. Ita sumitur ex Euangelio, ubi legimus Christum hominibus dedisse potestatem baptizandi, [b] conficiendi Eucharistiam, [c] remittendi peccata, quin alicubi inveniamus talem potestatem Angelis concessisse. [d] Cùm verò habeamus talem potestatem solis hominibus viatoribus concessam fuisse, Sacramentaque pro solis viatoribus instituta fuisse; congruum fuit, ut facultatem ea administrandi concederet solis viatoribus, quorum opera facilè possemus uti, quando necessitas, aut utilitas postularet.

a Soar. d. 15.

b Matth. 28. 19.
c Luc. 22. 19.
d Ioan. 20. 23.

20 Suppono secundò, ordinarium ministrum sacramentorum esse solùm hominem viatorem ad id specialiter deputatum. Sumitur ex Trident. [e] damnante eos, qui dixerint christianos omnes in omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem. Et ex communi praxi Ecclesiæ, qua docemur, quamvis quilibet homo, imò, & mulier sit sufficiens minister Baptismi, propter summam talis Sacramenti necessitatem; & matrimonii, cujus ministri sunt ipsi contrahentes, ordinarium tamen confirmationis, & ordinis ministrum esse solùm Episcopum; Eucharistiæ verò, Pœnitentiæ, & Extremæ unctionis esse solùm Sacerdotem legitimè ordinatum.

e Sess. 7. c. 10.

21 Dico ergo primò. Ad valorem Sacramenti non est necessaria fides ministri. Sumitur ex variis Conciliis, pro omnibus sufficiat Trident. [f] damnans eos, qui dixerint Baptismum datum ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum. Et prob. primò, quia Sacramentorum minister agit ut Dei instrumentum: ut autem sic operetur satis est, quòd humano quodammodo, & actu deliberato usurpet materiam, & formam à Christo præscriptas, cum debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia; ad quod fides illius necessaria non est. Secundò, quia character non amittitur per hæresim: ergo si Sacerdos in eam incidat, retinet characterem ordinis, & consequenter potestatem conficiendi Sacramenta: poterit igitur verum Sacramentum perficere, si materiam, & formam à Christo præscriptas cum debita intentione usurpet.

f Sess. 7. can. 10.

22 Dico secundò. Neque ad valorem Sacramenti necessaria [g] est probitas, & sanctitas ministri. Ita definitur in variis Conciliis, & ultimò in Trident. [h] & prob. quia Sacramentum valet, modò apponantur essentialia: sed hæc possunt apponi à ministro malo, sicut à Medico non probo possunt applicari remedia ad morbum depellendum necessaria. Porrò cùm Sacramenta pendeant ex institutione divina, tota ratio hujus, & præcedentis conclusionis sumenda est ex voluntate Christi, qui poterat quidem exigere probitatem ministri, ejusque fidem tamquam conditionem ad valorem Sacramenti necessariam. Congruum tamen fuit, ut non exigeret, tum ne servus spem suam in servo collocaret, putans se ob illius probitatem recipere Sacramenti effectum: tum vel maximè ut tolleret ambiguitatem, & perplexitatem fidelium, quia unusquisque posset dubitare de suo baptismo, absolutione, &c.

g Soar. f. 4.
h Sess. 7. can. 12.

23 Dico tertiò. Ad valorem Sacramenti necessaria est intentio ministri. [i] Ita definitur in Trid. [l] & prob. quia licèt intentio non sit pars Sacramenti, quia tamen Deus voluit Sacramenta per homines confici, voluit etiam, ut modo humano, & rationabili conficerentur, qualis est, ut minister habeat saltem intentionem faciendi id, quod Ecclesia intendit, & facit in tali Sacramento, ut ait Trid. aut habeat intentionem perficiendi tale Sacramentum. Alioqui esset deceptio, & illusio, quod esset magnum inconveniens in re tam sancta, & gravi. Cæterùm ad valorem Sacramenti nihil refert, an minister faciat id ex hoc, vel ex illo fine, seu ex hoc, vel illo motivo bono, aut malo, quod est valdè extrinsecum ad substantiam Sacramenti, dummodo integra maneat intentio perficiendi tale Sacramentum, aut saltem faciendi, quod in illo facit Ecclesia.

i Soar. f. 2. & 3.
l Sess. 7. can. 12.

24 Circa intentionem illam faciendi, quod facit Ecclesia, notandum est non satis esse velle facere actum externum, quem facit Ecclesia, adhibendo materiam, & formam, quibus Sacramentum constituitur; sed opus

esse,

Digitized by Google

esse, velle facere talem actum, ut cæremoniam quamdam sanctam, & religiosam, qualem Christus instituit, & Ecclesia exercet. Sumitur ex Trident. suprà. Ubi damnantur hæretici non admittentes intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: sed illi non negabant necessariam esse intentionem faciendi actum externum, & materialem, quem Ecclesia facit: ergo per intentionem illam significatur intentio faciendi Sacramentum, quod facit Ecclesia, aut aliquid æquivalens. Et prob. quia inutile esset determinare necessariam esse ad valorem Sacramenti intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, si per id nihil aliud intelligeretur, quàm intentio faciendi actum externum; cùm fieri nequeat, ut minister deliberatè materiam, & formam adhibeat, quin habeat intentionem eas adhibendi. Conf. m quia Concilium definit absolutionem non valere, si desit Sacerdotis animus seriò agendi, & verè absoluendi, id est, si Sacerdos proferendo verba absolutionis supra debitam materiam, non intendat verum administrare Sacramentum pœnitenti: ergo velle exterius applicare materiam, & formam Sacramenti non sufficit, ut habeatur illa intentio Ecclesiæ, quæ necessaria est ad valorem Sacramenti.

m Sess. 14. c. 6.

25 Porrò cùm intentio triplex esse possit, nempe actualis, virtualis, & habitualis. Certum est primò habitualem non sufficere. Prob. quia intentio habitualis tunc datur, quando actualis quidem aliquando præcessit, nec unquam fuit retractata; nulla tamen ratione nec per se, nec per aliquid sui influit in effectum: hæc autem non potest ad Sacramentum sufficere; quia aliàs omninò incogitanter, & sine rationis usu in somno, aut amentia materiam, & formam Sacramenti applicans verum Sacramentum efficeret, dummodo aliquando habuerit intentionem actualem, quam nunquam retractavit; quod tamen est falsum.

26 Certum est secundò, actualem sufficientissimam esse, quia est omnium perfectissima, & ut talis procurari debet, quoad fieri possit. Duplex autem est intentio actualis; alia directa, & exercita; alia reflexa. Directa est, quando quis verè, & explicitè habet voluntatem faciendi id, quod facit, sed non advertit per actum reflexum se habere talem voluntatem. Et hoc modo regulariter se habent omnes operationes nostræ liberæ, quas volentes facimus. Qui enim aliquid facit, habet voluntatem faciendi, licèt non cognoscat per alium actum reflexum se habere hanc voluntatem; facilè tamen id adverteret, si reflecteret supra id, quod facit. Intentio reflexa est, cùm quis reflectit cogitationem ad id, quod facit, & cognoscit se volentem facere. Aliqui ergo scrupulis anguntur putantes se non habuisse intentionem in conficiendis Sacramentis ex eo, quòd non habuerunt illam reflexam, quam non distingunt à directa, & ita confugiunt ad intentionem virtualem, & de hac etiam facilè dubitant, cùm re vera habuerint actualem directam, quæ sine illa reflexione sufficientissima est ex omnium sententia.

27 Certum est tertiò, non esse necessariam intentionem actualem sive directam, sive reflexam: quia cùm non sit in nostra potestate eam semper habere, propter occurrentes cogitationes, quibus homo distrahitur, sine fundamento diceretur Deum semper eam exigere ad valorem Sacramenti. Unde sequitur satis esse virtualem; quæ datur, quando præcessit quidem actualis, quæ jam formaliter non existit, virtualiter tamen perseverat in aliquo suo effectu, ratione cujus dicitur movere ad operationem. Ut contingit quando Sacerdos ex intentione actuali conficiendi Eucharistiam, baptizandi, & absolvendi, & sic de aliis, vadit ad Altare, confessionarium, aut baptisterium, & Missam celebrat, audit confessiones &c. ac tandem aliud cogitans profert verba consecrationis, absolutionis &c. Tunc enim non obstante præsenti distractione præcedens intentio virtualiter perseverat, mediante illa serie actionum, quæ ab ipsa manarunt, & validum Sacramentum perficitur. Nam hic solet esse modus humanus, & ordinarius libere operandi, quando ad perfectionem operis requiritur aliqua temporis distantia.

28 Certum est quartò, sufficientem esse intentionem conditionatam de præsenti, aut præterito, si vera est conditio. Ut si dicas: Ego te baptizo, si non es, aut non fuisti baptizatus. Nam intentio conditionata transit tunc in absolutam, & operatur effectum. Aliter dicendum, si conditio sit de futuro. Ut si dicas: Ego te baptizo, si cras hoc feceris. Quia tunc non est præ-

Digitized by Google

sens intentio; postea verò, conditione posita, non adest materia, & forma. Excipe in matrimonio; in quo consensus sub conditione veluti suspensus manet, donec impleatur conditio. Nota verò intentionem ministri debere versari circa personam, & materiam præsentem. Unde error substantialis personæ non irritat Sacramentum, si hæc sit capax illius, excepto matrimonio, in quo contrahentes directè intendunt contrahere cum tali persona, exclusis omnibus aliis.

29 Dico quartò. Qui ex officio, seu per specialem consecrationem deputatur ad sacramenta ministranda, debet illa ministrare [a] in statu gratiæ, aliàs peccat mortaliter ob notabilem irreverentiam, quam committit Christi gerens personam, ejusque sanguinem, & merita dispensans indignè. Quod communis sententia extendit ad eos etiam, qui Eucharistiam ab alio jam confectam administrant. Non tamen eadem dispositio requiritur ad omnia Sacramenta administranda: quia Sacerdos celebrans conscius peccati mortalis, tenetur præmittere confessionem sacramentalem, ut diximus lib. 4. cap. 10. Ad alia verò Sacramenta ministranda satis est se disponere ad gratiam per contritionem sive veram, sive talem invincibiliter existimatam. Si tamen haberet solam attritionem, debet permittere confessionem. Quia attritio non justificat sine Sacramento. Dixi: *Ex officio*. Quia [*] communis sententia docet eos, qui non ex officio, sed ex necessitate Sacramentum administrant, v. c. laicus baptizans in casu necessitatis, non peccare mortaliter administrando in statu peccati. Et idem est de contrahentibus matrimonium, quatenus ministri sunt, licèt quatenus recipientes mortaliter peccent in statu peccati recipiendo.

a Soar. d. 16. f. 3.

* Soar. f. 4.

SECTIO IV.

De suscipiente Sacramenta.

30 Dico primò. [a] Ad valorem Sacramenti necessaria est in adulto suscipiente aliqua voluntas suscipiendi. Ita sumitur ex institutione Christi per traditionem Ecclesiæ, & DD. sententiam declarata. Et prob. quia Sacramenta instituta sunt ad sanctificandum, & ponendum hominem in novo statu, quod Deus non præstat sine nostra voluntate. Dixi: *In adulto*. Quia infantes, & perpetuò amentes, cùm non habeant usum propriæ voluntatis, capaces sunt baptismi. Non sic qui post rationis usum in amentiam inciderunt, nisi aliàs habuerint voluntatem suscipiendi. Dixi: *Aliqua voluntas*. Quia licèt adultus omninò invitus invalidè Sacramenta accipiat, nisi fortè Eucharistiam, quam verè invitus accipiet, ac renuens, non tamen ejus fructum; hæc tamen voluntas varia est, juxta conditionem Sacramentorum.

a Soar. d. 30.

31 Unde ad aliqua satis est voluntas habitualis, v. c. ad baptismum. Possunt enim baptizari dormientes, & amentes, qui antea baptismum petierunt, si immineat periculum moriendi sine baptismo; qui tamen solam voluntatem habent habitualem, ut patet. Et idem est de Pœnitentia, & Eucharistia. Potest enim absolvi moribundus extra usum rationis, si in illo confessionem aut incepit, aut petivit cum signis pœnitentiæ, & simul communicari. Ad extremam unctionem satis est voluntas implicita; qua, qui catholicè vixit, censetur velle, ut sibi morienti ea Sacramenta administrentur, quæ morientibus administrari solent. Unde si quis subitò perdat usum rationis, inungendus est, estò expresè non petierit. Et generaliter ad omnia Sacramenta, excepto matrimonio, satis est voluntas involuntaria secundùm quid, quando ex metu quis suscipit, aliàs non suscepturus; quia est voluntas simpliciter, ac proindè sufficiens.

32 Dico secundò. Ad valorem Sacramenti non requiritur gratia in suscipiente. Prob. quia hæretici baptizati, vel ordinati juxta ritum Ecclesiæ, non sunt iterum baptizandi, nec ordinandi: ergo validum Sacramentum receperunt sine gratia, quæ cum hæresi stare non potest. Conf. quia improbitas ministri non impedit valorem Sacramenti, ut sect. antecedente dictum est: ergo neque improbitas suscipientis. Excipe Sacramentum pœnitentiæ, ad cujus valorem postulatur dispositio ad gratiam, sine qua invalidum erit defectu materiæ.

33 Dico [b] tertiò. Ut per Sacramentum prima gratia recipiatur, requiritur saltem attritio de peccatis. Prob. quia

b Soar. d. 17. f. 2.

non

non decet eum, qui propria voluntate à Deo aversus est, in illius amicitiam recipi, quin dolore aliquo testetur sibi peccatum displicere. Dico: *Propria voluntate.* Quia infantes, qui sola voluntate aliena peccaverunt, sine proprio actu per Sacramentum justificantur. Et idem esset de adulto, si solum habuisset originale. Quare tam ad pœnitentiam, quàm ad baptismum adultorum debet præcedere saltem attritio supernaturalis peccatorum. Ad alia verò quinque quæ dicuntur Sacrmenta vivorum, nemo accedere debet sine gratia. Unde conscius peccati mortalis debet saltem conteri; & si ad Eucharistiam accedat, debet confessionem præmittere. Ut tamen per illa accipiat gratiæ augmentum, non requiritur dispositio aliqua actualis distincta à voluntate recipiendi, de qua in prima conclusione. Nam Sacramenta conferunt gratiam non ponenti obicem, vt definitur in Trident. [c] qui autem accedit cum gratia obicem non ponit. Est tamen actualis dispositio valdè utilis, & nunquam omittenda, vt digniùs, & fructuosiùs Sacramentum suscipiatur.

c Sess. 7. can. 6.

34 Dico quartò. [d] Licitum est petere Sacramentum à proprio Parocho, estò quis probabiliter putet ipsum administrando peccaturum. Prob. quia petitur res de se bona, & licita, ad quam petendam jus habet, & quam Parochus potest, & debet benè administrare: ergo non est, cur non liceat. Et idem est de quolibet alio ministro exposito, & parato, quamvis Parochus non sit. Quia non inducitur ad peccandum per talem petitionem, sed ipse se sponte inducit. In utroque tamen casu, si alius adesset, qui æquè commodè absque peccato administrare posset, charitas postularet ad illum quærendum. Addo licitum aliquando esse petere Sacramenta ab improbo ministro etiam non parato, v.c. absolutionem in articulo mortis. Quia nemo tenetur vitare ruinam alterius cum tanto damno, & periculo suo. Et idem est, si urgeat præceptum confessionis, & communionis. Quia magis tenemur ad vitandum peccatum proprium, quàm alienum. Imò probabile est id etiam licere, cùm quis notabilem utilitatem ex Sacramento se recepturum sperat, ut si in festo ex speciali devotione confessionem, & Eucharistiam velis.

d Soar. d. 13. s. 1.

35 Dico quintò. Ex justa causa [e] necessitatis, aut utilitatis potest quilibet fidelis petere Sacramenta à ministro excommunicato, aut alia censura innodato, si toleratus sit. Id est: Si nec publicè denuntiatus sit, nec publicus clerici percussor. Sive Parochus sit, sive non Parochus; sive paratus, sive non paratus. Prob. quia non tenemur evitare tales excommunicatos neque in humanis, neque in divinis, neque ipsi tunc peccant administrando juxta probabiliorem sententiam. [f] Non tamen licet petere à non tolerato, nisi in articulo mortis, in quo sine controversia licet petere Baptismum, & Pœnitentiam, quando non est copia alterius; quia tunc Ecclesia id permittit propter periculum, quod aliàs saluti fidelium immineret, vt sumitur ex Trident. [g] dicente, quoslibet Sacerdotes posse in articulo mortis absolvere. Et idem dicendum est de Eucharistia, non tamen de Unctione, nisi locus non sit ad aliud Sacramentum recipiendum.

e Soar. de cens. d. 11 sect. 4. Sayr. l. 1. c. 2. n. 9.

f Soar. s. 1.

g Sess. 14. c. 7.

SECTIO V.

De effectibus Sacramentorum.

Dico primò. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam. Definitur 36
in Trident. [a] & Prob. ex Scriptura: [b] *Baptizetur unusquisque vestrùm in remissionem peccatorum.* [c] *Imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Quibus locis sermo est de Baptismo, & Confirmatione. Et eadem ratio est de alijs. [d] Id tamen notandum Baptismum, & Pœnitentiam instituta esse ad remissionem peccatorum, & primam gratiam conferendam, reliqua verò ad augmentum gratiæ, licèt aliquando per accidens etiam ista primam gratiam, & remissionem peccatorum conferre possint, ut suis locis dicetur. Nota deinde cum gratia conferre simul virtutes gratiæ annexas, & dona Spiritus sancti.

a Sess. 7. can. 6. & 7. b Act. 2. 37. c Act. 8. 17.

d Soar. d. 7. s. 1.

37 Dico secundò. Sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato. Definitur in Trident. [e] & prob. quia gratia conferri potest ex opere operantis, [f] quando confertur ratione operationis bonæ, prout ab homine elicitur, per modum præmij cadentis sub meritò saltem de congruo: sed Sacramenta non ita operantur gratiam ratione meriti, & dispositionis recipientis,

e Sess. 7. can. 8.

f Soar. s. 1.

Digitized by Google

tis, sed ratione sui, hoc est, ratione Sacramenti externi applicati ultra omne meritum recipientis: ergo ex opere operato, seu ex vi operis virtute sua operantis, prout applicatur non ponenti obicem. Hoc tamen non ita est intelligendum, quasi nulla dispositio requiratur ex parte recipientis. Quia licèt Sacramentum ex se, & absque ordine ad dispositionem habeat vim ad producendam gratiam, ut tamen eam actu producat, saltem in Sacramentis mortuorum, aliqua dispositio prærequiritur, quæ in Sacramento pœnitentiæ habet se ex parte materiæ; in baptismo adulti habet se per modum removentis obicem; quia peccata non remittuntur, dum durat affectus ad ipsa: unde opus est, quòd odio habeantur, ac detestentur: illa tamen dispositio non postulat ex se talem effectum, ut patet in attritione, quæ ex se justificare non potest: ergo tunc justificatio tota est ex opere Sacramenti, seu ex opere operato: unde in Sacramentis, quæ dispositionem prærequirunt, duplex confertur gratia, altera respondens Sacramento, altera dispositioni.

38 Est autem controversia inter Theologos, an Sacramenta operentur gratiam illam physicè producendo, an solùm moraliter? Affirmant graves [g] Theologi Sacramenta esse causas physicas gratiæ. [h] Negant alii dicentes solum esse causas morales, Deumque solum physicè productionem gratiæ attingere ad præsentiam Sacramentorum. Utraque sententia est satis communis, & probabilis, ut videri potest in suis Authoribus.

g Soar. d. 9. h Vasq. 1. in 3. p. ar. 132.

39 Dico tertiò, gratia Sacramentalis aliquid addit supra gratiam [i] sanctificantem habitualem. Prob. quia cùm omnia Sacramenta producant gratiam habitualem, eadem foret in omnibus gratia sacramentalis, ac adeò frustra essent tot Sacramenta specie distincta. Hoc autem, quod addit, non est habitus ab ipsa gratia distinctus. Patet, quia ille habitus, si daretur, vel esset in substantia animæ, vel in potentiis. Non primum; quia gratia ipsa habitualis sufficienter confert omnem effectum, cujus anima capax est. Non secundum; quia omnes actus, qui à potentiis procedunt, commodè reduci possunt ad habitus ordinarios, qui gratiam comitantur.

i Soar. d. 7. s. 3.

40 Addit igitur gratia sacramentalis super gratiam habitualem respectum ad auxilia actualia ad finem uniuscujusque Sacramenti necessaria. Sequitur ex dictis. Nam nihil aliud assignari potest, præter auxilia actualia ex pacto divino iis debita, qui Sacramenta dignè suscipiunt, ut per illa finem Sacramenti consequi valeant. Unde per Baptismum recipit homo, ultra remissionem peccatorum, & gratiam justificationis, actuales gratias suo tempore conferendas, ad servandam Dei legem, quam per baptismum profitetur; per confirmationem auxilia ad finem constanter profitendam, & sic de aliis.

41 Dico quartò, aliqua Sacramenta characterem imprimunt, nempe Baptismus, Confirmatio, & Ordo. Ita definit Trid. [l] Ratio verò non est alia, quàm voluntas Christi, qui sicut tot Sacramenta instituit, ita voluit, ut hæc tria characterem imprimerent. [m] Congruentia verò est. Quia per hæc tria homo specialiter deputatur ad quemdam specialem Dei cultum, per Baptismum enim fit membrum Christi, ejusque Ecclesiæ; per Confirmationem miles Christi ad fidem contra tyranno constanter profitendam, cùm fuerit occasio; per ordinem specialiter deputatur, & consecratur ad Sacramenta ex officio ministranda. Unde congruum fuit, ut hæc tria characterem, hoc est, notam quamdam imprimerent, qua illa suscipientes ab omnibus aliis distinguerentur.

l Sess. 7. can. 3.

m Soar. d. 11.

42 Est autem character ens reale absolutum [n] in ipsa substantia animæ immediatè receptum, indelebile, & spirituale, directè pertinens ad qualitatem; non pertinens ad potentiam, neque ad habitum operativum: quia per se non ordinatur ad operationem; sed dicitur habitus non operativus, qui proinde propriè pertinet ad patibilem qualitatem; sed hoc parum, vel nihil refert ad nostrum institutum.

n Soar. ibi s. 2. 3. & 4.

SECTIO VI.

De Sacramentalibus.

SAcramentalia [a] dicuntur cæremoniæ sacræ, & religiosæ institutæ ad ornatum, seu debitum cultum Sacramentorum, ac sacrificii. Quod nomen etiam accommodatur variis cære-

a Soar. d. 15.

Digitized by Google

remoniis, quibus Ecclesia utitur extra Sacramentorum, & sacrificii administrationem, ut est benedictio aquæ, vasorum, vestium, candelarum, palmarum, cineris, exorcismi, &c.

44 Dico igitur primò, Ecclesia habet potestatem instituendi Sacramentalia. Sumitur ex Trid. [b] & Apostolo [c] ab ipso relato, qui cùm multa ordinasset circa usum Eucharistiæ; *cætera*, inquit, *cùm venero, disponam*. Et ex perpetuo Ecclesiæ usu, quo docemur multa ab Apostolis, eorumque successoribus circa Sacramentorum ritus ordinata esse. Et sanè cùm Pontifex potestatem à Christo habeat gubernandi Ecclesiam modo convenienti, negari non potest habere potestatem instituendi cæremonias ad digniorem, & convenientiorem Sacramentorum administrationem non leviter conducentes, aliaque ad pietatem fidelium excitandam.

b Sess. 21. c. 2.
c 1 Cor. 11. 34.

45 Dico 2. est in Ecclesia potestas ad obligandum sub mortali ad certos ritus, & cæremonias in Sacramentorum administratione servandas. Sumitur ex Trident. [d] & communi sententia statuente posse Ecclesiam leges statuere obligantes sub mortali: cur ergo eam non habebit in usu, & administratione sacramentalium?

d Sess. 7. c. 13.

46 Dico 3. sacramentalia non habent vim delendi peccata venialia ex opere operato. Prob. quia nulla est ratio, quæ id convincat, nec apparet quòd Ecclesia aliqua sacramentalia eo fine instituerit. Si enim dicatur ex benedictione aquæ lustralis vim illam erui posse: contra est, quia in illa benedictione petitur, ut aqua fit in sanctificationem. Ex quo æquè erui posset aquam illam remittere ex opere operato peccata mortalia, cùm sanctificatio eorum remissionem includat; quod tamen est apertè falsum. Quare saccramentalia solùm delent venialia ex opere operantis. Prob. quia omnes concedunt sacramentalia habere aliquam vim remittendi venialia: eam autem non habent ex opere operato; ergo ex opere operantis, quatenus in fidelibus excitant pium aliquem motum voluntatis, quo venialia remittuntur.

47 Id verò notandum in aliquibus sacramentalibus esse vim expellendi dæmones, non quidem naturalem, ut satis patet, sed supernaturalem, eamque moralem, quatenus dæmones hujusmodi signa externa percipientes à Deo coguntur è corporibus exire, ac si vi aliqua externa adhibita ab illis arcerentur. Ad hanc autem moralem vim conducit primò, sanctitas ministri. Secundò, & principaliter orationes Ecclesiæ, cujus personam minister repræsentat. Tertiò, imperium ejusdem Ecclesiæ, quæ accepta à Christo potestate calcandi [e] super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, jubet dæmones exire per suos exorcismos, de quibus aliquid diximus agendo de adjuratione lib. præcedente cap. 5. sect. 8.

e Luc. 10. 19. Marc. 16. 17.

SECTIO VII.

Monetur Parochus circa Sacramentorum administrationem.

48 Quamvis hæc monita fructuosiùs danda sint circa quodlibet Sacramentum in particulari, quia tamen egimus de Sacramentis in genere, non erit absre aliqua admonere circa administrationem Sacramentorum in communi, ut cum majori distinctione procedamus.

49 Moneo igitur primò, licèt Parochus regulariter obligationi suæ satisfaciat ministrando Sacramenta petentibus; in casu tamen necessitatis, verb. caus. in morbo periculoso, & in Paschate, quando urget præceptum, & videt non peti, tenetur quærere, & exhortari ad receptionem Sacramentorum. Unde ait Tolet. [a] debere infirmos suæ Parochiæ visitare, & scire, an Sacramentis indigeant, ad eaque suaviter exhortari, & hoc non exequi gravissimum esse mortale. Petitur autem Sacramentum vel explicitè, vel implicitè benè vivendo. Sic in articulo mortis censetur peti saltem Eucharistia, & Extrema unctio à sensibus destituto: nam pœnitentia requirit ad minimum signa contritionis, ut censeatur peti. [b] Benè autem vixisse censetur ille, quem non constat fuisse antea in statu peccati mortalis. Præsumendus est enim bonus, qui malus non probatur. Si autem constet peccasse mortaliter, oportet ut constet vel fuisse confessum, si potuit, vel

a Tolet. l. 5. c. 5. Possev. c. 15 n. 1.
b Suar. d. 68. s. 2.

Digitized by Google

vel saltem dedisse signa contritionis, ad quod probandum sufficit unus testis fide dignus.

50 Invitis,[e] & renuentibus liberè, & cum usu rationis non sunt danda Sacramenta, ut dictum est sect.4. Nec etiam phræneticis, & amentibus, si in amentiam inciderunt in statu peccati mortalis, sine sufficienti indicio pœnitentiæ. Aliter dicendum de illis, qui benè vixerunt juxta proximè dicta; his enim Eucharistia, & Extrema unctio neganda non est. Perpetuò verò amentibus omnia neganda sunt præter Baptismum. Illis, qui sunt in statu peccati, omnia neganda, nisi velint ab eo recedere; quia sancta non sunt danda canibus.

e Soar. proximè.

51 Moneo secundò, teneri Parochum ministrare Sacramenta, quoties[d] petuntur sine impedimento prohibente, etiam quando ex devotione petuntur, adeò ut plures dicant teneri sub mortali. Et quidem si petantur in mortis periculo, aut in Paschate non est dubium. Si petantur ex devotione, excusarem à mortali, si frequentissimè quis petat, v. c. bis in hebdomada. Si non ita frequenter petat, etiam excusarem, si adsit alius, à quo facilè posset recipere; si tamen non esset, Parochum à mortali non excusarem contra rationem officii sui, maximè si damnum notabile sequeretur petenti, ut si gravem pateretur tentationem, aut afflictionem, à qua per Sacramentum levari intendit; si longum iter, & difficilè aggreditur, si est tempus Jubilæi, &c.

d Tol. l. 5. c. 5. Azor. 1 p. l. 2. c. 17. q. 10. Soar de pœn. d. 52. sect. 1. Possev. c. 5 n. 7.

52 Extra casus necessitatis etiam excusari potest ex causa rationabili, si nimirum sit infirmus, aut graviter lassus, vel si tempus non sit aptum, ut si fœminæ vellent noctu in Ecclesia confiteri, aut tempore, & loco ab Episcopo prohibito. Et ita de aliis causis, quæ prudenter rationabiles judicentur. Sed quid, si Parochus Sacramenta petentibus non neget, sed reddat se difficilem, & asperum? Resp. peccatum[e] esse, quale foret, si negaret. Quia ista difficultas, & asperitas habet naturam negationis, & fideles arcet ab usu Sacramentorum. Si tamen opportunè dederit, non erit mortale, si absit scandalum. Si neget ad declinandum laborem, peccabit quidem, sed non mortaliter, dummodo Sacramenta petens recipiat.

e Soar. s. 1. Possev. à n. 8.

53 Moneo tertiò, Parochum teneri ministrare Sacramenta, quando necessaria sunt etiam cum probabili periculo propriæ vitæ, ut si morbus sit contagiosus, vel pestilentia grassetur. Tenetur enim in his casibus maximæ necessitatis gregem non deserere, sed ei assistere vel per se, vel per alium, ne fideles sine Sacramentis moriantur, & hoc sub mortali, secundùm omnes DD. Idem dico, si periculum sit ab inimico, qui Parocho insidiatur ad mortem, tenetur enim ire cum eo periculo ad confessionem moribundi, si per alium ei succurrere non possit. Vocet tamen amicos, qui eum comitentur, & defendant. Si vocetur[f] pro Extrema unctione, non tenetur ire cum tanto periculo, nisi salutis periculum urgeat, quia moribundus aliis Sacramentis juvari non potest: fieri enim potest, ut sit attritus, & accedente Sacramento Unctionis evadat contritus, & salvetur.

f Soar. d. 44. s. 3. n. 15.

54 Sed quid si certò constet Parochum occisum iri? Resp.[g] impossibilem esse eam certitudinem, quia potest secum ducere comites, à quibus defendatur, aliisque remediis uti. Unde stante incertitudine mortis propriæ, & periculo, quòd infirmus sine Sacramentis moriatur, eundem est. Solùm excusaretur, si haberet bonam probabilitatem suæ mortis, & mortis infirmi, antequam ad eum posset pervenire. Sumus enim in moralibus, in quibus non est major certitudo, quàm moralis, & quod probabiliter fit, rationabiliter & inculpate exercetur. Credo tamen vix posse occurrere talem probabilitatem moralem, & ideo semper eundum erit.

g Possev. n. 60.

55 An verò Parochus, qui capitales inimicitias gerit, possit admonere populum, ut qui indiguerit illius opera, vocet eum in die, & non in nocte, protestando se noctu non iturum?[h] Resp. non posse, quia ex officio tenetur ire, quotiescumque cum necessitate vocetur. Nec occasione inimicitiæ debet dare Unctionem anticipatè, quando aliàs non esset danda. Poterit tamen monere, ut quoad fieri possit, vocent eum in die, quia in nocte sunt difficultates majores, dummodo non excludat vocari in noctem casu necessitatis. Omnia ista pericula facilè evitare potest, si quærat sibi adjutorem, à quo adjuvari possit.

h Possev. n. 61.

56 Mo-

Goo

i Possev. c. 5. à n. 34. 56 Moneo quartò, [i] debere Parochum esse diligentem in administrandis Sacramentis. Si non adest urgens necessitas, accurrat vocatus cum gravitate, & decenti festinatione. Si sit necessitas, properet subitò, relinquendo quidquid agit. Si vocetur de nocte cum magna instantia, induat se cum sufficienti decentia, & properet. Si detur casus, quo nisi properet semivestitus, infirmus moriatur sine confessione, vel baptismo, nisi currat: ad utrumque tenetur, sive in die, sive in nocte; sive in hieme, & tempestate; sive in calore, & æstu. Nam si salus proximi anteponenda est propriæ vitæ, à fortiori cuilibet incommoditati, & indecentiæ; nunquam enim magis erit in honore apud populum, quàm cùm sic visus fuerit currere non satis vestitus, & compositus.

57 Unde si in Baptismo ministrando vocetur ad infirmum, si probabile est, absoluto Baptismo, superesse tempus ad infirmum; perficiat, & postea properet. Si probabiliter credatur infirmum brevi moriturum; relinquat Baptismum, & properet ad infirmum. Si baptizandus sit etiam in periculo mortis; baptizet, relictis sacramentalibus, quæ postea perficiet, si vita supersit. Si eodem puncto vocetur ad duos infirmos: vadat prius ad illum, qui est in majori periculo. Si uterque sit in eodem, eat ad prius vocantem. Si prius vocans tantùm distat, ut sit probabile non inveniendum vivum; eat ad posterius vocantem carentem tali periculo. Si uterque simul vocet, & æquè distet cum æquali periculo, ita ut si tardet, inventurus sit alterum eorum mortuum; eat ad quem libuerit; quia non potest aliud agere; neque, si fortè erret in electione bona fide, peccabit. Notant [l] tamen DD. ad alia Sacramenta non tam necessaria satis esse festinationem ordinariam, sine ea celeritate, & incompositione, de qua suprà.

l Suar. de pœn d. 32. s. 1. n. 5.

58 Moneo quintò, extra casum necessitatis Sacramenta danda esse in Ecclesia. Pœnitentia, Eucharistia, & Baptismus licitè possunt dari in Cathedrali omni de Diœcesi. Qui tamen in Cathedrali possunt ministrare Sacramenta, id non posunt in aliena Parochia. Matrimonium postulat proprium Parochum, & ideò non licet in Cathedrali, nisi præsente [m] Episcopo, qui est Parochus universalis Diœcesis, vel aliquo de ejus licentia.

m Trid. Sess. 24. c. 1. de reform.

59 Moneo sextò, posse Parochum sine licentia Episcopi, si hic non prohibeat, concedere cuilibet Sacerdoti facultatem administrandi in sua Parochia Baptismum, Eucharistiam, Extremam unctionem, & assistendi matrimonio; non tamen [n] Pœnitentiam, ad quam necessaria est Episcopi licentia, seu approbatio. Ministrare autem Sacramenta sine tali licentia, extra casus necessitatis, mortale est, & Sacramentum Pœnitentiæ nullum, defectu jurisdictionis. Qui verò matrimonio assisteret, aut nuptias benediceret, esset suspensus, & absolvi debet ab Episcopo Parochi, in cujus Parochia assisteret matrimonio, quod esset nullum ex Parochi absentia.

n Trid. Sess. 23. c. 15. de ref.

60 Moneo septimò, Parochum toties peccare mortaliter, quoties diversum Sacramentum in mortali ministrat. Unde si decem confessiones audit, decem mortalia committit. Et sic de alijs. Solùm ex probabili sententia excipitur ministratio Eucharistiæ jam confecte, quando pluribus ministratur per modum unius; in quo casu unicum erit peccatum. Excipitur etiam ministratio Baptismi sine solemnitate, quia tunc Parochus, vel Sacerdos baptizat ut laicus, & non ut minister ex officio specialiter consecratus, aut deputatus. Unde sicut laicus non peccat, neque Parochus, aut Sacerdos. Sed quid si in mortali tangat Eucharistiam, aut sacramentalia exerceat? Non desunt qui dicant peccare mortaliter. Probabilius [o] tamen est solùm peccare venialiter, ut si mutet Eucharistiam de loco in locum, si ferat in processione, si exerceat sacramentalia, si tangat chrisma, aut oleum sanctum &c. Addo nec venialiter peccaturum, si id faciat ex necessitate, ut si levet de terra sacram hostiam, &c.

o Suar. t. 3. d. 16. n. 33

CAPUT II.

De Baptismo.

BAptismus est primum Sacramentum in ordine, & in necessitate; quia est janua ad omnia alia, quorum omnis homo est incapax ante ejus receptionem. Dicemus primò, de ejus natura, & essentia. Secundò, de ejus necessitate.

by Google

tate. Tertiò, de ministro. Quartò, de recipiente. Quintò, de effectu. Sextò, de cæremoniis. Septimò, admonebitur Parochus circa exercitium illius.

SECTIO I.

De natura, & essentia Baptismi.

B*aptismus est Sacramentum novæ legis ad regenerationem spiritualem hominum institutum*. Vel aliter: *Est externa hominis ablutio sub certa verborum forma ad salutem instituta*. Unde materia remota Baptismi est aqua vera & naturalis, seu elementaris, ut habes in Trident. [a] Et sumitur ex verbis Christi: [b] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* Ratio verò tota refunditur in voluntatem Christi, qui Sacramenta instituit, prout dignatus est. Congruentia autem est; quia cùm Baptismus sit omnibus necessarius, debuit institui in materia omnibus obvia, qua lavantur corporis sordes, ut significaretur lotio peccatorum, quæ fit per Baptismum.

a Sess. c.1. de Bapt.
b Ioa. 3.5.

63 Hinc [c] sequitur solam aquam elementarem sive maris, sive fluminis, fontis, aut putei esse materiam aptam Baptismi. Quia ea sola est vera, & naturalis aqua. Unde aqua ex floribus, aut herbis stillata, ex vite fluens, mustum, vinum, cervisia, & similes liquores apta materia non sunt. Nec ipsa aqua elementaris, si ei admisceatur aliquid aliud in tanta quantitate, ut pereat aquæ denominatio, aut si ita alteretur, ut eadem denominatio pereat, ut lexium, & jus. Quamvis non referat, quòd accidentaliter sit aliqualiter immutata, ut si turbida, aut aliquo odore imbuta, dummodo apta sit ad abluendum.

c Soar. d. 20.

64 Materia verò proxima est ablutio. Nam Sacramenta, Eucharistia excepta, consistunt in actione, seu usu. Unde aqua non potest esse materia Baptismi, nisi ad usum applicata, seu prout corpus abluit: ergo ipsa ablutio est materia proxima, maximè quia ipsa determinatur per formam: *Ego te baptizo, &c.* Debet igitur aqua esse talis, ut corpus abluere possit: aliàs enim falsa esset forma, cùm *(baptizo)* idem sit, ac abluo. Unde glacies, grando, nix, & similia non sufficiunt ad Baptismum, nisi liquefiant, quia abluere non possunt.

65 Nota autem primò, debere aquam corpus baptizati realiter, & immediatè contingere. Et ideò non valet Baptismus, si puer corio, vel secundinis inclusus baptizetur, aqua ipsa eum immediatè non tangente. Secundò, satis esse ad valorem Baptismi sive immersionem, sive infusionem, sive aspersionem, quia omnibus his modis ablutio fieri potest. Tertiò non opus esse, ut totum corpus abluatur, nec sufficere, ut abluatur minima pars: quia primum non est necessarium, ut homo dicatur ablui; secundum non sufficit. Est ergo præcipua pars abluenda, nempe caput, in quo omnes vigent sensus, à quo proinde totus homo potest denominari ablutus. Idem diceremus de humeris, & pectore. [d] Non tamen nego in necessitate posse infantem baptizari in pede, manu, aut qualibet minima parte, si illam ex utero extrahat, quamvis si nasceretur vivus, esset iterum sub conditione baptizandus, quia prior Baptismus fuit dubius, eò quòd dubium sit, an sufficiat talem partem ablui.

d Henriq. l.2.c.7.n.2.

66 Forma Baptismi est: [e] *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*. Hac omninò invariata utatur Parochus. Quamvis [f] ad valorem opus non sit personam ministri directè, seu explicitè exprimi; ut cùm dicitur: *Ego te baptizo*. Nec implicitè dicendo: *Baptizo te*. Quia satis est, ut indirectè exprimatur, exprimendo actionem ipsam ut à ministro procedit, ut si dicatur cum Græcis: *Baptizetur servus Christi N. &c.*

e Matth. 28.19.
f Soar. d. 21.

67 Circa formam nota primò, ad valorem Baptismi requiri, ut exprimatur actio baptizandi, dicendo: *Ego te baptizo, seu abluo*. Ut significetur ablutio interna à peccatis. Secundò, ut persona baptizati exprimatur. Unde qui abluendo diceret: *Ego baptizo, &c.* Nihil efficeret. Quia Baptismus consistit in applicatione materiæ ad subjectum determinatum distinctum à baptizante, quod per talem formam non exprimitur. Tertiò, requiri distinctam, & expressam inuocationem trium Personarum Trinitatis. Quia Baptismus est Sacramentum fidei, in quo expressè confitemur præcipuum nostræ religionis mysterium, nempe Trinitatem Personarum. Et ob eamdem rationem, ut valeat Baptismus, dicendum est: *In nomine*. Non in nominibus. Ut nempe confiteamur

mur fidem unius Dei in tribus personis. Valeret autem, quamvis omitterentur: *In*, *& Amen*. Quia adhuc totus, & integer sensus maneret. Illa forma: *Ego te baptizo in nomine Christi*. Non valet. Neque valet quòd in Act. [g] Apostolorum dicatur Apostolos baptizasse in nomine Christi. Quia id solùm significat baptizasse Baptismo à Christo instituto. Illa verò: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque*, speculativè valida est: quia æquivalet formæ communi. Peccaret tamen mortaliter, qui ea uteretur, & Baptismus esset sub conditione iterandus, quia à plerisque reputatur forma dubia.

g Act. 2. 38.

68 Baptismus alicui validè collatus reiterari non potest. Ita definitur in Trident. [h] docentque sancti PP. Ratio verò sumenda est ex voluntate Christi ita instituentis; quæ fundari potuit primò, in eo, quòd Baptismus significat mortem ipsius, ut sumitur ex Apostolo [i], quæ semel tantùm contigit. Secundò, quòd character ejus est indelebilis. Tertiò, quia semel contrahitur peccatum originale, ad quod primò delendum est institutus. Unde grave peccatum est baptizatum rebaptizare. In dubio [l] verò probabili, an aliquis fuerit baptizatus, vel an validè baptizatus fuerit, potest Baptismus dari sub conditione. Nimirum, *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, &c.*

h Sess. 7. c. 9. de Sacr. & c. 11. de bapt.

i Rom. 6. 3.

l Soar. d. 31. s. 6. & d. 22. s. 2.

SECTIO II.

De necessitate Baptismi.

69 Suppono [a] Baptismum fuisse à Christo Domino institutum ante ejus passionem, quando nimirum à Joanne baptizatus fuit in Jordane. Tunc enim determinavit ejus materiam, consecrando aquas tactu sanctissimi corporis sui, eisque virtutem sanctificandi impertiendo. Determinavit etiam formam, quatenus in ejus Baptismo tota Trinitas visibiliter apparuit. Estque urgens congruentia, quia Christus ante suam passionem [b] baptizabat, ut habetur apud Joannem, quod ineptè explicabitur de alio Baptismo, quàm de suo, qui proinde jam erat institutus.

a Soar. d. 19.

b Io. 3. 26.

70 Dico ergo primò. Baptismus est necessarius ad salutem. Definitur in Trident. [c] Et satis expressit Christus in illis verbis: [d] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quæ de Baptismo, ejusque necessitate intelligit [e] Ecclesia, PP. & Scholastici. Et ratio est, quia nemo potest salutem consequi, nisi mundetur à peccato originali, ad cujus mundationem institutus est Baptismus ex primaria intentione, licèt ab aliis etiam peccatis mundet, si illa inveniat.

c Sess. 7. c. 5. de Bapt. d Ioan. 3. 5.

e Soar. d. 27.

71 Illud obiter notandum Baptismum respectu adultorum esse medium necessarium ad salutem vel in re, vel in voto. Nam adultus, qui ratione utitur extra Sacramentum justificari potest per contritionem perfectam: ergo si in eo statu moriatur, antequam ei applicetur Baptismus, sine eo in re suscepto, salvabitur per votum illius, quod inferius explicabitur. Aliter dicendum de parvulis, qui cùm habere nequeant votum Baptismi neque explicitum, neque implicitum, Baptismus in re susceptus ipsis ad salutem necessarius est. Excipimus casum martyrij, quia si infans ante Baptismum aquæ occidatur in odium Christi salvabitur per Baptismum sanguinis. In cujus gratiam.

72 Dico [f] secundò. Tam infantes, quàm adulti salvari possunt per martyrium, quod dicitur Baptismus sanguinis, idque ante Baptismum aquæ. Prob. quoad infantes, exemplo Innocentium, quos Ecclesia, ob mortem pro Christo susceptam, ut martyres sanctos colit: ergo idem erit de aliis infantibus, si propter eamdem causam occidantur, ut satis colligitur ex Martyrologio ad 16. Junii. Quoad adultos res est clara ex illa Christi promissione: [g] *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cælis*. Et infrà: *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Unde Ecclesia plures colit ut martyres, qui Baptismo aquæ baptizati non fuerunt.

f Soar. d. 29.

g Matth. 10. 32. & 38.

73 Nota verò primò, martyrium satis esse ad salutem, quando ante illud Baptismus suscipi non potuit, si enim potuisset, mortale foret illud non suscipere; quia martyrium futurum non deobligat ab observatione divini præ-

Digitized by Google

præcepti. Secundò, si quis existens in peccato mortali ad maryrium rapiatur, ut fructum illius percipiat, indiget, per se loquendo, contritione, quia sicut indiget Baptismo aquæ, si baptizatus non est; & si est baptizatus, confessione sacramentali, si hæc præmitti potest; ita si non est baptizatus, vel si confessionem præmittere non potest, indiget contritione; quia martyrium non liberat ab obligatione mediorum ad salutem necessariorum. Dixi: *Per se loquendo*. Quia interdum potest sufficere attritio; ut si quis bona fide existimaret se esse contritum. Nam aliàs si semper contritio esset necessaria, cùm hæc peccata expellat, nunquam martyrium suppleret defectum Baptismi, quoad remissionem peccatorum, quod abhorret à communi sensu Ecclesiæ, & Doctorum.

74 Ex dictis colliges triplicem [h] esse Baptismum, nempe flaminis, seu desiderij, qui dicitur Baptismus in voto inclusus in perfecta contritione, vel dilectione Dei super omnia, in quibus includitur voluntas servandi omnia præcepta, & consequenter præceptum Baptismi, cùm detur opportunitas suscipiendi illum: quia Baptismus non est Sacramentum, sed votum, desiderium & propositum Sacramenti. Secundus est Baptismus sanguinis, seu martyrium, quod etiam Sacramentum non est; quia non est cæremonia sacra à Christo instituta ad gratiam significandam, & conferendam procedens à ministro; cùm potiùs, ut sic, prava sit, & à Deo prohibita: unde gratiam non confert ex opere operato, sed ex speciali privilegio. Tertius est Baptismus aquæ, de quo agimus, quia solus ille est Sacramentum novæ legis.

[h] Soar. d. 22. s. 1.

75 Dico ergo tertiò. Ad Sacramentum Baptismi obligantur omnes ex divino præcepto. Prob. quia est medium necessarium ad salutem, ad quod proinde Deus obligat, ut sumitur ex verbis Christi suprà adductis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*. Et ex illis: *Docete omnes gentes baptizantes eos, &c.* Quibus omnibus gentibus implicitè præcipit Baptismum. Unde licèt quis possit justificari per contritionem, si tamen Baptismum non suscipiat ante mortem, cùm possit, peccabit mortaliter, & damnabitur ob transgressionem hujus præcepti.

76 Nota [i] verò adultos teneri ex jure divino ad baptismum, cùm primùm commodè illum suscipere possunt. Sicut enim tenentur credere in Christum statim, ac ejus notitia, & mysteria sufficienter proponuntur; ita tenentur ejus fidem profiteri per Baptismum externum ad hæc deputatum, quando commodè possunt; nam alioqui & ejus authorem erubescere censebuntur. Parvuli verò per se non obligantur, quia sunt incapaces obligationis; obligantur verò, qui illorum curam gerunt, ipsis procurare Baptismum, non solùm ex lege charitatis, sed ex vniuersali lege Baptismi, saltem quando sunt in periculo mortis. Imò usus Ecclesiæ, qui habet vim legis, jam obtinet, ut infantes, prima data occasione, baptizentur. Unde eorum parentes Christiani, qui sine causa Baptismum diu differunt, difficilè à peccato mortali excusantur.

[i] Soar. d. 13. s. 1.

SECTIO III.

De Ministro Baptismi.

Dico [a] 1. Episcopus de jure habet potestatem ordinariam baptizandi quoslibet de sua Diœcesi, Parochus verò quoslibet de sua Parochia. Prob. quia Episcopus ex sua institutione habet jurisdictionem in omnes subditos suæ Diœcesis, quibus præest in spiritualilibus tanquam princeps totius Diœcesis: ergo potest administrare hoc Sacramentum omnibus sibi subditis, ut per illud in Ecclesiam intrent, incipiantque ædificium vitæ spiritualis. Probatur quoad Parochum, quia hic præficitur Parochiæ, ut minister ordinarius Sacramentorum, quæ Episcopus administrare per se non potest: ergo de jure ordinario habet hanc potestatem baptizandi sibi subditos. 77

[a] Soar. d. 23. s. 2.

78 Dico 2. Nec Sacerdos simplex, nec Diaconus de jure habet ordinariam potestatem baptizandi. Prob. quia cùm Sacerdos simplex non præsit alicui Ecclesiæ, ex jure non competit ei potestas baptizandi, nisi ex commissione Episcopi, vel Parochi. Quod à fortiori procedit de Diacono, qui ad hoc non ordinatur, vt præsit Ecclesiæ, sed ut ministret Sacerdoti. Nota tamen, licèt hoc ministerium non competat Diacono ex vi suæ ordinationis, posse tamen

Digitized by Google

tamen ei delegari ex causa rationabili, etiam extra casum extremæ necessitatis, potestatem baptizandi etiam cum solemnitate. Prob. quia solemnitas Baptismi omitti non debet, nisi in extrema necessitate: sed Diaconus extra illam ex commissione baptizare potest: ergo solemniter. Clerici verò Diacono inferiores non possunt licitè baptizare extra necessitatem extremam, etiam ex commissione Episcopi, aut Parochi: solemniter autem ex sola commissione Papæ. Et Diaconus sine commissione solemniter baptizans, irregularitatem contrahit; estò baptizet in extrema necessitate, quia nulla est tunc necessitas baptizandi solemniter.

b Suar. d. 23. s. 1. 79 Dico [b] 3. In casu necessitatis quilibet homo, vel etiam mulier potestatem habet baptizandi. Patet ex multis decretis sparsis per jus canonicum, & ex perpetua traditione, & usu Ecclesiæ. Cujus ratio pendet ex institutione Christi, de qua ex traditione nobis constat. Congruentia verò fuit, quia Baptismus est omnibus ad salutem maximè necessarius: unde sicut institutus fuit in materia communi, quæ facilè ad manum haberetur, ita fuit congruum, ut à quolibet saltem in casu necessitatis administrari posset.

80 Nota verò ut hoc licitè fiat, debitum ordinem servandum esse. Hic autem est, ut præsente Sacerdote, Diaconus non baptizet: præsente Diacono, non baptizet Subdiaconus, aliusve clericus inferior: præsente clerico, non baptizet laicus: præsente fideli, non baptizet infidelis: præsente viro, non baptizet fœmina, modò cætera sint paria. Nam prædictæ personæ sunt tantùm ministri necessitatis, quæ non habet locum respectu Diaconi, quando adest Sacerdos, nec respectu Subdiaconi, quando adest Diaconus, & sic de aliis. Dixi: *modo cætera sint paria*. Quia si Sacerdos non posset, aut nollet, posset inferior baptizare. Similiter si vir nesciret formam, eamque mulier sciret, hæc baptizare debet. In his enim, & similibus casibus suppetit justa causa ad prædictum ordinem invertendum. Quando autem justa causa deest, non potest prædictus ordo immutari sine peccato aut veniali, ut si mulier baptizet præsente viro laico; aut mortali, ut si laicus, aut etiam clericus baptizet, præsente, & renuente Sacerdote. Valebit tamen Baptismus.

81 Dico [c] quartò. Validus est Baptismus, quem plures ministri simul conferunt ut causæ totales. Prob. quia tunc duo baptizant ut causæ totales, quando uterque totam formam profert & aqua abluit cum vera intentione baptizandi: sed in hoc modo baptizandi nihil deest ex iis, quæ ad substantiam Baptismi pertinent: ergo Baptismus erit validus, sicut valida est consecratio, qua plures Sacerdotes eamdem simul hostiam consecrant, si omnes simul Sacramentum perficiant: nam si alter prius absolvat; ille solus Baptismum conferet; quia semel Baptizatus non est capax alterius Baptismi. Quod si supponatur illum, qui priùs absolvit, non habuisse intentionem baptizandi, donec alii perfecerint, ille nihil faciet pro tunc, defectu conditionis; postea defectu materiæ, & formæ, ut etiam in superioribus tactum est. Unde qui ita baptizarent, graviter peccarent; & quia non servarent debitum modum ab Ecclesia approbatum; & quia se exponerent manifesto periculo iterandi Baptismum, cùm moraliter vix fieri possit, ut omnes simul perficiant. c Suar. d. 23. s. 3.

82 Dico quintò. Invalidus est Baptismus, quem plures conferunt ut causæ partiales. Prob. quia nullus est Baptismus, cujus forma est falsa, sed falsa esset, si duo baptizarent ut causæ partiales, ut si unus ablueret, alter formam proferret, falsa enim esset forma, cùm per illam significetur puerum ablui ab illo, qui formam pronuntiat, quod tamen in eo casu non contingeret. Unde similiter nullus erit Baptismus, si ministri alio quovis modo ministerium externum inter se, ut causæ partiales dividerent, ut si unus proferret priora verba formæ, alius posteriora: si unus mediam partem aquæ necessariæ ad ablutionem, alter aliam infunderet: quia forma significat eum, qui eam profert, totam ablutionem ad Baptismum necessariam efficere.

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Subjecto Baptismi, seu de Recipiente.

83 Dico primò: Infantes carentes usu rationis sunt capaces Baptismi. Definitur in Trident. [a] & constat ex perpetuo usu Ecclesiæ. Prob. [b] quia cùm nascantur peccato originali infecti, si Baptismus ipsis ritè, & fructuosè applicari non posset, essent destituti omni subsidio ad salutem necessario, quod à divina bonitate alienum est. Accedit: quia non est pejor conditio infantium in lege nova, quàm in veteri; sed in lege veteri applicabatur illis circumcisio octavo die ad remissionem peccati originalis; ergo in lege nova applicandus est eisdem Baptismus ad eumdem effectum: quin necessarius sit motus fidei ipsorum, aut intentio parentum.

a Sess. 7. c. 13. de bap. b Soar. d. 26. s. 1. & 2.

84 Quare ritè parvuli baptizantur die octavo, juxta communem consuetudinem. Licèt culpa non sit priùs baptizare, neque differre per aliquot dies, imò & hebdomadas, aut etiam menses ex causa rationabili, ut si uxor magnatis differret Baptismum filii ob mortem mariti, aliamve similem causam. Bonum tamen est conformari consuetudini. Unde si Parochus videat in hoc abusum, eum evellere procuret.

85 Dico secundò. Filii infidelium baptizatorum possunt baptizari, invitis parentibus. Prob. quia homo baptizatus ita est subditus Ecclesiæ, ut ab illius jurisdictione nunquam se subtrahere possit, propter characterem animæ illius indelebiliter impressum: ergo potest Ecclesia ipsum cogere & ad servandam fidem in Baptismo datam, & ad servanda præcepta divina, & Ecclesiastica, inter quæ est præceptum de procurando Baptismo filiis: unde si hoc præceptum negligant, poterit Ecclesia, ipsis invitis, eorum filios baptizare, & si opus fuerit, eos à parentum cura subtrahere, ut de rebus fidei instruantur.

86 Dico [c] tertiò. Filii infidelium non baptizatorum non possunt, invitis parentibus, baptizari. Prob. quia si Ecclesia haberet hanc potestatem, vel filios sic baptizatos relinqueret sub cura parentum, quod dici non potest; quia maxima injuria irrogaretur Baptismo & fidei, propter evidens periculum subversionis, quod infanti inter parentes infideles educato immineret, vel eos à parentibus subtraheret; quod etiam dici non potest; quia cùm Ecclesia non habeat potestatem in hujusmodi parentes, non potest absque eorum injuria eos privare jure naturali, quod habent instituendi proprios filios, eorumque curam gerere, saltem quandiu carent usu rationis. Addo [d] nec posse baptizari filios talium infidelium, quamvis subditi sint Ecclesiæ, quoad dominium temporale. Prob. quia licèt subdantur Ecclesiæ, non tamen sunt illius mancipia. Unde sicut eos justè non potest spoliare suis bonis temporalibus, ita nec potestate instituendi filios, quæ ipsis de jure naturæ competit: ergo baptizare non potest eorum filios, ipsis invitis, ob rationem factam.

c Soar. s. 3. d Soar. s. 4.

87 Excipe [e] primò filios infidelium qui sunt servi Christianorum, qui cùm possint vendi, possunt à parentibus separari sine injuria, & consequenter baptizari. Secundò, quando infans est in proximo vitæ periculo. Tertiò, si alter parentum sit fidelis, velitque baptizari filium, altero renuente. Quartò, si filius infidelium à parentibus adeò distet, ut ad illos remitti non possit. Quintò, cùm parvulus capitur in bello contra infideles. Sextò, amens perpetuus, qui non est in potestate parentum. Si verò habeat lucida intervalla, instetque mortis periculum, potest baptizari, si constet desiderasse Baptismum; aliàs non, nisi præsumatur amentia fore perpetua. Si sit dubium, an desideraverit, potest baptizari sub conditione: *si desideravit*. Si dubium est, an puer infidelis habeat usum rationis, & pater velit baptizare, ipse verò nolit, aliqui dicunt posse baptizari, negat tamen Soar. quia redderetur Sacramentum dubium, & hoc videtur probabilius.

e Soar. s. 5.

88 Circa monstra [f] hæc accipe. Si monstrum nascatur ex utroque parente homine, baptizetur saltem sub conditione: *Si homo es*. Si habeat multum de insolito, & detur tempus, consulatur Episcopus. Si habeat unicum caput, baptizetur. Si duo, baptizetur priùs unum absolutè, deinde aliud sub conditione. Monstrum natum ex patre bruto, & ex muliere, licèt appareat homo,

f Possev. c. 6. n. 13.

mo, non baptizetur. Si nascatur ex patre homine, & matre bruta, estò deforme, & ex capite appareat brutum, baptizetur sub conditione.

89 Puer, de quo dubitatur, an vivat; baptizetur sub conditione, *si vivis*. Si tempus sit, vide priùs an habeat aliquod signum vitæ. Si habeat, baptiza liberè. Si non habeat, nullatenus baptizes. Si dubitatur an signa, quæ habet, sint vitæ; baptiza sub conditione prædicta.

SECTIO V.

De Effectibus Baptismi.

90 BAptismus, & quodlibet aliud Sacramentum mortuorum operatur aliquos effectus positivos, & alios negativos. Et idem est de Sacramentis vivorum in illis casibus, in quibus primam gratiam conferunt.

91 Dico ergo primò. [a] Effectus positivus Baptismi est gratia sanctificans cum virtutibus infusis, & donis Spiritus Sancti. Patet ex cap. præcedente sect. 5. Et prob. quia Baptismus fuit institutus ad justificationem hominis peccatoris per peccatum originale, vel etiam personalia; sed justificatio non fit sine gratia, & virtutibus, ac donis sibi annexis, ut definitur in Trident. [b] ergo. Hoc autem verum est non solùm de adultis, sed etiam de parvulis, qui in Baptismo verè justificantur accipientes gratiam, fidem, spem, & charitatem, ac reliquas virtutes supernaturales, & dona. Unde Trident. [c] definivit infantes, post Baptismum, computandos esse inter fideles, quia ipsis fides cum aliis virtutibus infunditur.

92 Id notandum Baptismum ex se æqualem gratiam in omnibus causare, quia quodlibet Sacramentum ex certa lege, & promissione Dei, habet certum, & determinatum effectum, hoc enim spectat ad divinam providentiam, ut singulis agentibus determinatam vim agendi, certosque effectus præscribat; ergo Baptismus, qui operatur per modum agentis naturalis, æqualem effectum ex se producit. Et ideò omnes infantes æqualem gratiam recipiunt: adulti verò non semper æqualem; id tamen non provenit ex virtute Sacramenti per se spectata, sed ex conjunctione cum inæquali dispositione ex parte ipsorum.

93 Dico secundò. Effectus Baptismi negativus est duplex, nempe exclusio maculæ originalis, & maculæ peccatorum personalium, si fortè erant, ac remissio pœnæ talibus peccatis debitæ. Prima pars de remissione peccatorum definitur in Trident. [d] statuente per Baptismum tolli totum id, quod veram, & propriam rationem peccati habet, & per illum hominem prorsus novam in Christo fieri creaturam plenam, & integram omnium peccatorum remissionem consequentem. Unde sumitur ratio, quia proprium est Baptismi, ut per illum ita homo justificetur, ut omninò moriatur vetustati peccati, fiatque nova creatura; sed peccata omnia ad vetustatem peccati pertinent; ergo Baptismus vim habet ea omnia, quæ ante ipsum contracta fuerant, plenè, & integrè remittendi.

94 Secunda pars de pœnæ remissione definitur in Florent. [e] & Trident. Primum enim ait, in Baptismo remitti omnem pœnam, quæ pro culpa debetur; ideoque monet non esse imponenda opera satisfactoria iis, qui baptizantur, ob peccata ante Baptismum patrata. Secundum [f] verò ait, pœnam temporalem non totam semper tolli per Sacramentum Pœnitentiæ, ut tollitur per Baptismum. Ratio verò est, quia per Baptismum homo perfectè assimilatur morti Christi, [g] ut docet Apostolus; ergo sicut Christus morte sua peccatum, etiam quoad pœnam, perfectè superavit, ita & baptismus vim habet delendi peccata etiam quoad pœnam, præsertim cùm per illum homo exuat veterem hominem cum actibus suis, fiatque nova creatura in Christo, cui proinde præcedentia peccata, nec quoad pœnam, imputari debent.

95 Dico tertiò. [h] Effectus Baptismi potest in adulto impediri per fictionem suscipientis, quia nimirum non est sufficienter dispositus per supernaturalem peccatorum detestationem, ac propositum novæ vitæ, quæ indispositio, estò non impediat valorem Sacramenti, si vera est voluntas illud recipiendi; impedit tamen primarium illius effectum, nempe justificationem, & peccatorum, ac pœnæ re-

[a] Soar. d. 26.
[b] Sess. 6. c. 7.
[c] Sess. 7. c. 13. de bap.
[d] Sess. 5. c. 5. & sess. 14. c. 2.
[e] In decr. Eugen.
[f] Sess. 6. c. 14.
[g] Rom. 6. 4.
[h] Soar. d. 28.

Digitized by Google

missionem. Nam Deus neminem adultum ad justitiam admittit, nisi ad eam recipiendam debitè se disponat.

96 Sublata tamen fictione, Baptismus præteritus incipit sortiri suum effectum ex August. [i] ab omnibus [l] recepto dicente sublata fictione, seu obice, virtute præteriti Baptismi, conferri gratiam justificationis, & dona supernaturalia, quæ eam comitantur, & remissionem omnium peccatorum, quæ fuerunt ante Baptismum, ac totius pœnæ eis debitæ, quia Baptismus recedente obice, verè regenerat, & facit alium hominem: ergo omnes effectus præstat; ac si receptus fuisset sine obice. Qui præter effectus numeratos aufert omnes irregularitates ante Baptismum contractas, præter bigamiam: non tamen aufert obligationem circa aliam personam. Unde qui debebat alteri, non absolvitur per Baptismum à debito, qui erat reus mortis, non liberatur per Baptismum, &c.

i 1. de Baptis. contra Donatist. c. 12. & 5. c. 13.
l Soar. s. 4. & seq.

97 Duo hìc notanda. Primum, ut Baptismus cum obice susceptus reviviscat quoad ejus effectus, sufficere supernaturalem attritionem, si baptizatus non peccavit mortaliter aut in ipsa susceptione, aut post illam. Quia cùm non sint delenda, nisi peccata, quæ Baptismum præcesserunt, quæque virtute illius deleta fuissent, si suscipiens veram attritionem elicuisset; nulla est ratio, cur eadem dispositio non sufficiat ad tollendum obicem, & ad eumdem effectum causandum. Secundum, si post talem baptismum peccavit mortaliter ad obicem tollendum requiritur perfecta contritio, per se loquendo, quia cùm Sacramenta non tollant peccata futura, per illum baptismum deleri non possunt, nisi quæ ante illum fuerunt commissa. Unde si alia postea commissa fuerunt, ut sic baptizatus consequatur remissionem peccatorum, debet elicere veram contritionem, aut si solam habeat attritionem, debet accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ.

SECTIO VI.

De Caeremoniis Baptismi.

Caeremoniæ, [a] & ritus Baptismi solemnis variæ olim fuerunt. 98
Aliæ enim præcedebant Baptismum, aliæ comitabantur, aliæ verò sequebantur. Earum non omnes modò sunt in usu. Quæ sunt in usu, habentur in Rituali, quas Parochus observare curabit, cùm solemniter, extra casum necessitatis, baptizaverit; quia licèt non pertineant ad essentiam Baptismi, continent tamen magna mysteria, & sunt in præcepto Ecclesiæ, ut satis innuit Trident. [b] Quare solùm superest ritus ille admittendi patrinos, qui baptizatum levent de Sacro fonte, circa quos aliqua sunt, quæ doctrinam continent.

a Soar. d. 30.
b Sess. 7. can. 13. de Sacram.

99 Igitur ad Baptismum solemnem requiritur, ut aliquis baptizatum levet de Sacro fonte, qui dicitur patrinus. Ita constat ex antiqua Ecclesiæ consuetudine ab ipsius exordio continuata, ut ex PP. ostendit Soar. [c] Congruentiam assignat D. Thom. [d] quia sicut puer carnaliter natus indiget nutrice, cujus lacte nutriatur, & pædagogo, cujus industria dirigatur; ita in regeneratione spirituali, quæ fit per Baptismum, debet aliquis puerum è Sacro fonte levare, ut illi lac spirituale doctrinæ instillet, ad quod tenebitur ex vi muneris suscepti, quando ita fuerit necessarium, quia vel parentes sunt infideles, vel salutem filii prorsus negligunt.

c 3. p. q. 67. d. 7. in corp. & a. 8.
d 3. p. qu. 67. a. 7.

100 Unum tantùm statuit Trident. [e] admittendum ad hoc munus, vel ad summum unum virum, & unam mulierem. Isti ex Concilio designari debent. Rectè autem designantur à parentibus, à quibus si non designentur, Parochus eos designet, nec permittat plures, quia Concilium statuit, ut Parochus diligenter inquirat, antequam ad Baptismum conferendum accedat, quos elegerint, & si secus factum fuerit, arbitrio Ordinarii puniatur. Unde peccabit Parochus plures admittendo. Si nulli sint designati, & plures tangant, compaternitatem contrahit primus, & prima, quæ tetigerit, & non alii.

e Sess. 14. c. 2. de refor.

101 Isti patrini contrahunt cognatio-

Digitized by Google

f Soar. a. 8. in com.

tionem f spiritualem cum ipso baptizato, & cum parentibus illius, non verò inter se. Ad illam contrahendam requiritur, ut infantem teneant, dum baptizatur, si per aspersionem, vel infusionem baptizetur; aut immediatè illum suscipiant ex manu baptizantis, cùm levatur de Sacro fonte, quando baptizatur per immersionem, vel saltem tangant animo exercendi officium suscipientis.

g Soar. proximo.

102 Unus saltem patrinus g est necessariò adhibendus ex præcepto, & consuetudine Ecclesiæ. Omittere verò illum in Baptismo privato nullum videtur peccatum; in solemni verò omittere ex contemptu, erit mortale, citra contemptum veniale, maximè si baptizatus habeat parentes christianos, vel curatores, à quibus in fide instruatur, nam ad hoc instituti sunt patrini: at ubi cessat ratio legis, cessat ejus obligatio. Si autem baptizatus indigeret instructione, & esset verisimile aliàs non habiturum, à quo in fide instrueretur, foret mortale omittere patrinum, ob notabile damnum baptizati spirituale, tunc enim lex ad id graviter obligaret. Sed casus videtur moraliter impossibilis.

h Possev. c. 6. n. 27. cum Rebell.
i Soar. qu. 67. a. 8. in com.

103 Quando quis baptizatum suscipit per procuratorem, aliqui putant solùm procuratorem cognationem contrahere. Probabilius h tamen videtur illam contrahere solùm mandantem, quia ejus nomine totum efficitur. Qui in i Baptismo privato puerum tenet voluntariè, ut exercens actum Ecclesiasticum, contrahit; non verò si solùm teneat animo adjuvandi baptizantem. Qui in Baptismo solemni teneret puerum sine voluntate evadendi patrinus, quia facit quod Ecclesia præcipit, evadere non potest, quod inde sequitur. Qui tenet puerum domi jam baptizatum, cùm in Ecclesia sacramentalia perficiuntur, non contrahit cognationem dirimentem matrimonium, sed aliam solùm impedientem. Idem potest esse patrinus plurium filiorum ejusdem hominis, sicut idem Parochus eosdem baptizare potest. Qui aliquem suscipit in Baptismo, potest etiam suscipere in Confirmatione, maximè si sit necessitas, extra quam melius esset, quòd alius susciperet.

l Soar. a. 7. in com.

104 Non omnes l apti sunt ad munus patrini. Quare ab eo excluduntur non baptizati, hæretici, publicè excommunicati, aut interdicti, publicè infames, qui sana mente non sunt, qui adhuc usum rationis non habent, qui ignorant rudimenta fidei, Abbates, & Monachi, imò & omnes Regulares; quamvis si Monachi non sint, probabile sit, quòd non excludantur. Excluduntur etiam proprii parentes, ne inter ipsos cognatio spiritualis exurgat, quæ impediat usum matrimonii. In quo nota quando aliquis parentum baptizat in extrema necessitate, quia non est alius, qui faciat, vel sciat facere, nec peccat, nec contrahit impedimentum ad usum matrimonii. Quando verò sine necessitate suscipit in Baptismo, si id fecit ex ignorantia facti, aut juris, seu ex errore personæ, non prohibetur reddere, nec etiam petere. Si ex malitia fecit, tenetur reddere debitum conjugi innocenti; non posse tamen petere communis est DD. sententia, quamvis Pater Soar. m dicat nullum esse in jure sufficiens fundamentum ad hoc impedimentum asserendum. Et idem erit, si proprium filium baptizet ex malitia absque ulla necessitate. Sed standum est communi sententiæ.

m Art. 8. in com.

105 Quæres: an Parochus peccet admittendo dictas personas? Resp. si admittat hæreticum, vel excommunicatum denuntiatos peccare mortaliter. Et idem credo cum Henriq. si admittat non baptizatum. Si admittat hæreticum, aut excommunicatum toleratos, nullum erit peccatum. Reliquos admittere erit solùm veniale ob levitatem materiæ. Contrahent tamen cognationem spiritualem, si isti prohibiti suscipiant. Exciperem eum, qui susciperet ante usum rationis, quia nescit quid agat, estque incapax obligationis.

SECTIO VII.

Admonetur Parochus circa Baptismum.

Admonitio prima. Parochus curet, a ut obstetrices benè sciant baptizare, easque doceat, & examinet, an sciant, quæ sit materia apta, quæ forma, quam vulgari idiomate docebit, quæ conjunctio materiæ ad 106

a Possev. c. 6. 46. & seq.

Digitized by Google

formam. Quando baptizandum, ideſt, apparente manu, vel pede, vel cùm dubitatur an infans ſit vivus. Si reperiat iſta neſcire, prohibeat quoad perfectè didicerint; quia ratione officii tenentur iſta ſcire. Si noluerint obedire, admoneat Epiſcopum, ut provideat. Eodem modo prohibeat fungi officio, ſi ſciat eſſe imperitas in ſua arte, quoad perfectè didicerint: quia ob earum imperitiam ſæpè infantes periclitantur, & moriuntur ſine Baptiſmo. Et ſi non acquieverint, Epiſcopum moneat. In quo ſi deficiat, peccabit mortaliter, juxta Poſſev. quia delinquit in re gravi circa curam animarum ſibi commiſſarum. Imò Parochus ruralis, vel oppidulorum, ubi non ſunt obſtetrices, doceat publicè materiam, & formam Baptiſmi, & modum baptizandi, ne contingat in ſua Parochia mori infantes ſine Baptiſmo. In aliquibus locis Parochi poſt Baptiſmum præcipiunt, ne per annum infans de noctu teneatur in lecto, ne dormiendo ſuffocetur à matre, quæ ſuffocatio in aliquibus Diœceſibus reſervatur Epiſcopo, ut ſuo loco videbimus. Sufficeret notificare de periculo, & monere, ut ei prudenti remedio occurratur, ut advertit Poſſev. num. 48.

107 Admonitio ſecunda. Qui domi baptizatur ex neceſſitate etiam à Parocho, non debet baptizari cum omnibus ſolemnitatibus, ut fit in Eccleſia, ſed ſatis eſt materia apta, & forma neceſſaria cum debita intentione. Poſtea, ſi puer vivat, faciat eum deferri in Eccleſiam, & ſuppleat omnes ſolemnitates omiſſas, quæ etiam pertinent ad exorciſmos, & catechiſmum, quidquid aliqui in contrarium dicant, quia ita habet ſacerdotale Romanum, & Rituale Pauli Quinti.

108 Admonitio tertia. Quando offertur infans baptizandus, interroget an fuerit domi baptizatus? Si affirment; curet audire ab eo, vel ab ea, quæ baptizavit, qua materia, qua forma, & qua intentione baptizaverit? Et eo magis, ſi agatur cum fœminis, quæ peritæ non ſint, aut cum ruſticis, & idiotis. Et ex auditis faciat, quod judicaverit conveniens; & advertat benè ad hoc. Quia multoties, inquit Poſſev. mihi reſponſum fuit benè fuiſſe domi baptizatum, & cùm diligenter inquirerem ab eo, qui baptizaverat, inveni errorem ſubſtantialem in materia, & forma. Unde ſi videat reſpondentes titubare, vel malè reſpondere, non ſtatim increpet, ne fortè exaſperati præ verecundia falſum dicant, ſed benignè veritatem eliciat. Poſtea, ſi judicet, reprehendat.

109 Admonitio quarta. Caveat ne aliquem jam baptizatum iterum baptizet, extra caſus conceſſos. Quia, ultra peccatum mortale, fiet irregularis. An talis fiat, qui temerè, & nulla diligentia adhibita rebaptizat ſub conditione? Affirmant aliqui. Melius negat P. Soar. docens ſolùm peccare mortaliter. Tunc autem rebaptizare poteſt ſub conditione, cùm fuerit dubium probabile, quòd aliquis non fuerit baptizatus, aut quòd fuerit baptizatus invalidè. Conditio: *Si non es baptizatus*. Non eſt de neceſſitate explicanda, ſed ſatis eſt eam in mente retinere. Melius tamen eſt eam exprimere, ne alii ſcandalizentur, putantes te reiterare baptiſmum, & ne deferaris ad Epiſcopum tamquam verè rebaptizans.

110 Ratione primi dubii poteſt, & debet ſub conditione baptizari infans expoſitus ſine ſchedula teſtificante de ſuo Baptiſmo. Imò eſtò ſchedulam portet teſtificantem de Baptiſmo, ſi non conſtet de perſona, quæ baptizavit, à qua examinata conſtare poſſit de valore Baptiſmi, rebaptizandus eſt infans ſub conditione, ut decernunt pleræque conſtitutiones hujus Regni. Quia talis Baptiſmus eſt dubius; non enim de illo ſatis conſtat à perſona fide digna, ſiquidem ignoratur quæ baptizavit, & à fortiori, an ritè baptizaverit.

111 Ratione ſecundi dubii in multis caſibus licet rebaptizare ſub conditione. Primus eſt, quando fuerit dubium probabile de materia, ut ſi aqua fuit alio liquore ita commixta, ut prudenter dubitetur de propria natura, ſi v. c. guſtata, ſit mel aquatum, aqua vinata, ſal liquatum, quæ materia, juxta multos, eſt dubia, ſi fuit mixta tanta aqua ſtillata, ut reddatur potiùs mixtum, quàm aqua.

112 Secundus eſt. Quando fuit dubium probabile in forma. Ut ſi fuit dictum in virtute Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. In nomine genitoris, geniti, & ſpirati. Si dictum fuit, ut

Idio-

Digitized by Google

Idiotæ dicere solent : Cum nomine , aut per nomen Patris, &c. Quia non est idem sensus . Et generaliter , quoties dubium de forma prolata est probabile, juxta sententias Doctorum. Item si forma fuit ita notabiliter interrupta, ut verè dici possit discontinuata, nam modica interruptio unius, vel alterius verbi, quæ contingit tussiendo , interruptio moralis non est . Si forma item non sit prolata cum applicatione materiæ, ita ut durante forma nihil materiæ applicetur.

113 Tertius est. Quando infans, antequam perfectè natus esset, quia timebatur ejus mors , baptizatus fuit in pede, manu, digito, aut in solis capillis, quæ partes solæ apparebant. Qua Baptismus in his partibus fuit dubius , ut docent communiter Theologi . Quare baptizatus in his partibus in eo periculo , si perfectè natus vivat , rebaptizandus est sub conditione.

114 Quartus est . Quando defuit intentio necessaria in ministro, aut in suscipiente Baptismum. Si enim quilibet illorum fateatur se non habuisse debitam intentionem , dubitandum non est, quòd sine conditione baptizandus sit. Si verò aliunde est dubium probabile de illo defectu ; quia nempe homines certæ alicujus nationis, verb. caus. Judæi, vel Sarraceni solent non habere intentionem, possunt sub conditione baptizari, qui à talibus hominibus baptizati fuerunt . Ad hoc enim , ut fidem habeamus alicui deponenti de Baptismo à se collato, debet esse testis , de quo nulla sit suspicio prudens perniciosi mendacii : & si talis non est, potest , & debet reiterari Baptismus sub conditione, ut ex jure Canonico , ac
b Singul. 1. n. 4. Doctoribus probat [b] Quintanadveñas . Et sumitur ex Patre Soar. dicente tunc aliquem baptizandum esse sub conditione, quando sunt apparentia indicia ad credendum hominem non esse baptizatum , & aliunde apparentes conjecturæ , quæ oppositum persuadeant, si conjecturæ verè efficiant rem dubiam . Et Reginald. dum ait iterandum sub conditione Baptismum, quando sunt aliqua indicia ad suspicandum aliquid de necessariis Baptismi esse omissum ; non tamen sufficientia ad ferendum absolutum judicium . Et Gaspar. Hurtad. dicente : Quoties pro parte negativa sive facti , sive juris est probabilis opinio , aut saltem est prudens, seu probabilis conjectura , aut suspicio, quamvis pro parte affirmativa sit prudens, seu probabilis opinio , seu judicium: tunc Baptismus non est moraliter certus, & est prudens timor, ac proinde periculum manendi absque Baptismo. Et addit : Quòd ad non rebaptizandum sub conditione, nulla debet esse prudens conjectura, nec suspicio. Et sic loquuntur communiter alii Doctores.

115 Quia verò apud nos multi orti ex sanguine hebræo in sancto Inquisitionis Tribunali judicialiter confessi sunt, se nunquam habuisse intentionem baptizandi , cujus confessionis varios casus scimus ; alios refert [c] Quintanadveñas contigisse in Hispania , addens c Singul. 4. n. 3.
de quadam vetula obstetrice ex sanguine Sarracenorum, quæ morti vicina propalavit confessori circa nullum infantem ex pluribus, quos necessitatis causa baptizaverat , habuisse debitam intentionem, sed oppositam. Cur ergo, si prudentes simus, non dubitabimus de valore baptismi à talibus collati, cùm videamus singulis annis turmatim confiteri se fuisse Judæos ? Judæi verò, & Mahometani , cùm Baptismum negent , execrentur, & inutilem credant, christianosque novercali odio prosequantur ; cur præsumendum de illis habuisse debitam intentionem baptizandi, & faciendi, quod facit Ecclesia, quam, ejusque Sacramenta abominantur?

116 Ea propter viri doctissimi annis superioribus in hoc Regno consuluerunt, ut omnes , qui à Parochis hebræi sanguinis baptizati fuerant , sub conditione rebaptizarentur , & ita factum est in multis civitatibus, & oppidis. Unde constitutiones Portalegrenses, [d] quæ per eadem d Lib. 1. tit. 1. c. 7.
tempora editæ fuerunt, jubent ut qui in casu necessitatis baptizatus fuit ab aliquo oriundo ex tali sanguine , rebaptizetur per hæc verba : *Mandamos , que quando em caso de necessidade baptizar acriança Parteira , ou outra pessoa , que seja da nação hebrea , se torne a baptizar condicionalmente , attento o que nesta materia se tem visto por experiencia.*

117 Unde concludo Baptismos collatos à Judæis , ac Sarracenis , estò hi exteriùs christianos , & catholicos

gitized by Google

ſe oſtendant, eſſe dubios, prudenterque poſſe, ac deberi pro dubiis reputari, ac reiterari ſub conditione, ut probant, quæ à nobis adducta ſunt. Quare Parochus prudens non formidet tales rebaptizare ſub conditione.

118 Majus dubium eſt, an poſſint ſine ſcrupulo rebaptizari ſub conditione infantes illi, vel perſonæ, quæ domi ob neceſſitatem fuerunt baptizatæ ab obſtetrice, vel alia fœmina, aut etiam homine laico? Ratio autem dubitandi eſt, quia videtur prudens ſuſpicio, & timor probabilis, quòd tales perſonæ, eſtò validè Baptizare poſſint, juxta ſacros Canones, errores ſubſtantiales committant, ut experientia probare videtur, quæ experientia eſt in cauſa, ut baptiſmata ab iſtis collata habeantur à viris doctis pro ſuſpectis, ac dubiis, & ut talia poſſint, & debeant reiterari ſub conditione.

119 Quod autem error ſubſtantialis committatur ab obſtetricibus, & à fortiori ab aliis fœminis, imò & à laicis hominibus idiotis, fatetur Poſſev. multorum annorum Parochus per hæc verba: [e] *Mihi aliquoties contingit reſponſum fuiſſe ab illis, qui puerum attulerant ad Eccleſiam domi baptizatum, puerum benè fuiſſe domi baptizatum: & cùm diligentius rem inveſtigarem ab illis, qui baptizaverant, inveni errorem in materia, & in forma.* De eiſdem loquens Opatovius infrà citandus ait: *Experientia teſtis eſt, multas in materia, & in forma errare.* Silvius infrà: *Experientia notum eſt, multas in materia, & in forma errare, interdum per ignorantiam, interdum per turbationem, interdum per malitiam, quia ſunt ſortilegæ.* [f] P. Comitolus refert ſibi teſtatum fuiſſe doctum Parochum, quòd in ſua Parochia inter centum vix unum ſe reperiſſe, qui baptizandi peritus eſſet. P. Quintanadveñas. *Xeretii in Bætica reperta eſt quædam obſtetrix ex approbatis, quæ longo tempore ſic baptizavit: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & gratia Spiritus ſancti. Quæ res delata ad Archiepiſcopum, omnes ab hac baptizatos iterum baptizari juſſit.*

e Cap. 6. n. 19.

f 1. Reſp. c. 1. n. 7.

120 Sanctus Vincentius [g] Ferrer. refert, quòd cùm quidam Theologus eximiam concionem habuiſſet, accedens quædam vetula manus ei exoſculata eſt, dicens: *Benedicta ſit dies, in qua vos baptizavi in nomine ſanctiſſimæ Trinitatis, Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Angelorum.* Qui ſe agnoſcens non baptizatum, fecit ſe denuò baptizari. Ante tres, vel quatuor annos conſultus quidam ex noſtris vir doctiſſimus à quodam nobili cive de Baptiſmo collato filiæ ab obſtetrice, & juſtus, ut eam interrogaret de modo baptizandi. Illa reſpondit ſe benè ſcire, quomodo erat baptizandum, quia examinata ad id fuerat: ingenuè tamen faſſa eſt, ita ſe fuiſſe repentino caſu perturbatam, ut planè neſciret, quid fecerit. Quæ reſponſio delata ad Ordinarium, juſſit ut infantula rebaptizaretur ſub conditione, & poſt dies paucos mortua eſt.

g Côcion 3 Dom. 3 1. Quadr.

121 Leander infrà referendus. Vix, aut rarò contingit Baptiſmum fieri à laicis, in quo non ſubſit aliquod dubium probabile ſufficiens ad rebaptizationem. P. Aegidius [h] ait: *Nota in aliquibus Epiſcopatibus in libris Ritualibus Paſtoribus præſcribi, ut baptizatos in neceſſitate ab obſtetricibus rebaptizent. Prælati autem interrogati cur hoc ſtatuant? Reſpondent ſe hoc facere; quia ſæpè deprehendunt obſtetrices non ſatis certò, & firmiter callere rationem baptizandi, aut etiam, ſi dum examinantur, benè reſpondeant, & videantur eam callere; tamen dum viget tale periculum prolis, facilè turbari, ita ut poſtea non ſciant, an legitimè baptizaverint; atque ita ſemper aliquod ſubeſſe periculum, quod in re tanta maximè faciendum eſt, & ſufficiens videtur cauſa, ut poſſit proles rebaptizari.* Hæc Aegidius. Quam conſuetudinem probat Layman, Leander, & alii infrà citandi.

h 5. p. qu. 66. n. 95.

122 Prædictæ experientiæ, & multæ aliæ, quæ quotidie habentur, ſatis videntur oſtendere Baptiſmum à talibus perſonis collatum in caſibus neceſſitatis, regulariter eſſe dubium dubio probabili, & prudenti, ob quod in variis Diœceſibus jubetur, ut ſub conditione repetatur. Sic præter illas, de quibus Aegidius proximè, Diœceſis Mechinenſis per hæc verba: *Si re diligenter requiſita, dubium fuerit, utrùm puer fuerit baptizatus ab obſtetrice, ſub conditione baptizetur.* Et infrà: *Conditionalis baptizatio facienda eſt circa infantes, qui ab obſtetricibus baptizati eſſe referuntur.* Idem ſtatuitur in Concilio Provinciali Iprenſi. Et [l] conſtitu-

l Tit. 12 c. 3.

Digitized by Google

stitutiones Eborenses [m] jubent, ut infantes, qui baptizantur, antequam ex toto nati sint, rebaptizentur, & rationem assignant: *Por quanto pode acontecer, que no tal tempo se façao tal baptismo com tanta preça, que se naõ faça, como deve ser.* Quæ ratio attendit ad perturbationem obstetricis, vel fœminæ baptizantis, quæ perturbatio Baptismum dubium reddit, & ideò repetendum. Favent constitutiones Egitanenses [n] loquentes de pueris domi baptizatis per obstetrices, quando postea deferuntur in Ecclesiam ad Parochum, quæ ita loquuntur: *Posto que lhe naõ conste, que no baptismo ovue falta substancial, se contudo estiver em duvida, se foi valioso, o fara de novo, dizendo as palavras de forma condicionalmente.* Eodem modo loquuntur constitutiones Portalegrenses: [o] *Quando a criança, ou adulto forem baptizados em perigo, ou fora delle; posto que naõ conste, que no baptismo ouve erro substancial, se contudo ouver duvida sobre ser valioso, farseba de novo, dizendo as palavras da forma de baixo de condiçam.* Quæro autem quod dubium esse possit de valore hujus Baptismi, si non constat de errore substantiali illius, nisi quia ab obstetrice, vel alia fœmina, aut persona laica collatus est, quæ personæ regulariter sunt ignorantes, & facilè perturbari possunt. Unde Baptismus ab ipsis collatus prudenter habetur dubius, & ut talis reiterabilis sub conditione.

m Tit. 1. c.1.

n Lib. 1. tit.8.c.5.

o Lib. 1. tit.5.c.7.

123 Hanc autem doctrinam docentem posse tutò, ac sine scrupulo Baptismata à similibus personis collata repeti sub conditione, absolutè sequitur Pater Quintanadveñas [p] per hæc verba: *Ego censerem omnes ferè infantes ob mortis periculum præcipuè domi à Parentibus, cognatis, obstetricibus, aliisve laicis viris, aut fœminis baptizatos, communiter iterum baptizandos esse sub conditione.* Idem prius docuerat Bartolus, dicens: [q] Bonum consilium esse Baptizare puerum sub conditione, qui Baptizatus est domi, propter periculum mortis. Idem sequitur Silvius [r] in hæc verba: *Qui baptizatum domi ab obstetrice, postea sub conditione baptizat, non fit irregularis. Quæritur tamen an peccet? Verius arbitramur non peccare; quia semper licet ea forma conditionata uti, quando est dubium de baptismo ritè collato. Quando autem obstetrices domi baptizarunt, semper est hujusmodi dubium, ut vel subitò necessitatis casu turbata aliter, quàm referant, dixerint.* Et infrà: *Ut parvulorum saluti consulatur, securius est eos, tametsi ab obstetricibus domi baptizatos, postea baptizare sub conditione; nec potest in iterationis crimen venire.* Idem docet Opatovius [s] per hæc verba: *Forma conditionata semper est licitum uti, quando est dubium, an sit ritè baptismus collatus: sed quando obstetrix baptizat domi, semper est dubium; nam perturbata ex subito casu potuit in forma errare: & experientia testis est multas, & in materia, & in forma errare; cùm pleraque sint venefica, quæ infantes sine baptismo tamquam hostias diabolo oblatas esse volunt. Unde cum illis dico, qui affirmant securius esse, ut pueros domi baptizatos ab obstetricibus sub conditione baptizent ministri.* Leander: [t] *Et mihi videtur sufficientissima ratio, ut licitè possint curati, imò & debeant prædictos infantes sub conditione rebaptizare, non solùm in prædictis eventis, sed etiam in omnibus aliis, eò quòd vix, aut rarò contingit fieri à laicis, in quo non subsit aliquod dubium probabile sufficiens ad rebaptizationem sub conditione.* P. Layman postquam [u] refert consuetudinem aliquarum Diœcesum rebaptizandi omnes infantes, quos mulier affirmat se domi baptizasse, ait: *Quam ego consuetudinem reprehendere non audeo, imò approbatam reperio in Pastorali Romano edito Antverpiæ anno 1607. cùm reverà aliquod dubium, & periculum animæ subsit, ideoque cesset irreverentia Sacramenti.*

p Singul. 5.n.2.

q In l. si quis cod. ne bapt. reiter.

r 3. p. qu. 66. art.9. dub.2.

s De sacr. tract. de bapt. d. 1. q.6.n.59.

t De sacr. tract. 2. d.5.q.55.

u Tract. 2. de bapt. c.5.n.3.

124 Placuit præter meam consuetudinem hæc latiùs referre, ut Parochus meus sciat, quid sine scrupulo possit, & debeat in materia tanti ponderis; in qua ego, si invenissem obstetricem aliquam tam bene instructam, & exercitatam, de qua non esset probabilis ratio dubitandi, quod erraverit in aliquo substantiali, & tam probam, ac timoratam, ut non negaret defectum, si fortè ex perturbatione contigisset, Baptismum ab hac collatum non reiterarem, ut advertunt Doctores suprà, speciatim Quintanadveñas. [x] Quia tamen addunt hanc difficilè inveniri, quia experientia constat pleraſque repentinis casibus perturbari; & licèt examinatæ benè respondeant, non tolli

x Sing. 5. n.9.

li tamen dubium prudens, ac probabile, quia suam perturbationem frequenter non fatentur, ne se prodant, & damnent, & pro minus peritis habeantur, sine scrupulo rebaptizarem sub conditione juxta doctrinam datam, si prudenter dubium non deponerem.

125 Admonitio quinta. Licèt in privato baptismo opus non sit, quòd aqua sit benedicta; [a] in solemni mortale est uti aqua non benedicta. Si autem in hieme afferatur aqua calida miscenda cum benedicta, ne infans nimio frigore lædatur, id Parochus permittat, imò & consulat, experiatur tamen an sit naturalis, ne fortè sit aqua non apta, qualis est stillata ex herbis, & floribus, quam misceri non patiatur, nisi fortè in tam modica quantitate, ut materiam suspectam, aut dubiam non reddat.

a Tol.c. 6.18.n.2.

126 Admonitio sexta. Parochus extra casum necessitatis, ne baptizet alienum subditum, absque licentia Episcopi, aut proprii Parochi baptizandi. Quia peccabit mortaliter, nisi adsit ratihabitio, non tamen incurret irregularitatem, ut aliqui volunt, quia hæc in jure non invenitur. Admonitio septima. Habeat Parochus librum, in quo scribat nomen baptizati, nomina parentum, patrinorum, ac suum, diem, mensem, & annum in quo puerum baptizavit; quia hoc omittere aliqui mortale reputant; moneatque Patrinos de cognatione spirituali contracta, ut præscribit Concilium Tridentinum.

CAPUT III.

De Confirmatione.

127 SEcundum Sacramentum novæ legis est Confirmatio, quæ est verum Sacramentum à Christo Domino institutum, ut definitur in Conciliis, maximè verò in Tridentino. [a] De tempore, quo fuerit à Christo hoc Sacramentum institutum, non est ita certum. [b] Probabile est in nocte Cœnæ illud Dominum docuisse, & post resurrectionem perfecisse. Dicemus igitur primò de natura, & essentia, ac effectibus hujus Sacramenti. Secundò de ministro, & suscipiente, & cæremoniis illius. Cùm verò Parochus hujus Sacramenti minister non sit, nihil est, de quo circa illud admoneatur, nisi fortè ut suos admoneat, ut tempore debito illud recipiant.

a Sess.7.c. 1.d conf.

b Soar. disp.33.

SECTIO I.

De natura, & effectibus Sacramenti Confirmationis.

MAteria remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma ex oleo olivarum, & balsamo confectum ab Episcopo benedictum. [c] Ita Concilium Florentinum, & usus perpetuus Ecclesiæ. Hoc autem Chrisma ex præcepto Ecclesiæ debet esse novum, hoc est, eodem anno benedictum. [d] Ad valorem tamen Sacramenti ea novitas necessaria non est. 128

c In decreto Eugenii.

d Soar. d. 33.s.1.& 2.

129 Materia proxima est unctio [e] Chrismatis. Probatur, quia materia proxima Sacramentorum, quæ in usu consistunt, nihil est aliud, quàm materiæ remotæ applicatio: ergo materia proxima Confirmationis est applicatio Chrismatis per unctionem, sicut materia proxima Baptismi est applicatio aquæ per ablutionem. Unctio autem Chrismatis debet fieri in modum Crucis; qui ritus semper ab Ecclesia observatus fuit tanquam essentialis, utpote significatus per verba formæ, quæ significant consignationem, & unctionem. Debet autem talis unctio per modum Crucis fieri in fronte illius, qui confirmatur; ut constat ex perpetua traditione, & usu Ecclesiæ, quæ adeò religiosè hunc ritum observat, ut eum verè confirmatum non censeat, qui Chrismate unctus in fronte non fuerit. Ratio autem, cur fiat in fronte, est quia in ea verecundia sedem habet, ne confirmatus Christi nomen, & Crucem Judæis scandalum, & gentibus stultitiam erubescat. Debet autem unctio fieri manu Episcopi, & ex præcepto pollice dexteræ, ut præscribitur in in Pontificali Romano.

e Soar.s.3.

130 Unde sequitur [f] primò unctionem ita esse necessariam ad valorem hujus Sacramenti, ut sine ea manuum impositio non sufficiat. Et quia Sacramentum non subsistit sine materia illius proxima; & quia falsa esset forma, quæ sola cadit in unctionem, non verò in manuum impositionem. Secundò, prædictam unctionem absque alia manuum impositione, præter eam, quam ipsa unctio continet, ad essentiam Sacramenti

f Soar.s.4.

Digitized by Google

menti sufficere; quia nimirum forma substantialis cadit tantùm in unctionem, neque ullam aliam manuum impositionem determinat, ut ex illa constat.

g Soar. s. 5. 131 Forma igitur est: *g Consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Circa quam eadem ferè advertenda sunt, quæ diximus in forma Baptismatis cap. præcedente sect. 1. Hoc est, quòd exprimatur persona, quæ confirmatur, actus confirmantis, ut ab ipso procedit, & distinctè tres Personę Trinitatis. Ordinatur enim Confirmatio ad perficiendam fidem in Baptismo acceptam, vt eam coram tyranno, si opus fuerit, forti animo confirmatus profiteatur. Unde Sacramentum hoc ita potest definiri: *Est Sacramentum, in quo Episcopus chrismate consecrato ungit Baptizati frontem sub certa verborum forma ad fidem viriliter profitendam coram hostibus fidei*.

h Soar. d. 34. s. 1. 132 Duplex est effectus confirmationis. Primus est character [h] realiter distinctus à charactere baptismali, imò & specie; quia cùm Baptismus, & Confirmatio sint Sacramenta specie diversa, æquum est, ut characteres, qui sunt speciales eorum effectus, specie distinguantur; unde est, quòd hoc Sacramentum reiterari non potest, sicut nec Baptismus. Qui tamen illud bis reciperet, & si graviter peccaret, irregularitatem non incurreret, quia non invenitur in jure. Et idem est de Episcopo, qui eumdem bis confirmaret.

i Soar. s. 2. 133 Secundus effectus est [i] gratia sanctificans, quæ, per se loquendo, perfectior est baptismali, ut indicant PP. dicentes hominem confirmatum eodem modo comparari ad se ipsum baptizatum, ut comparatur homo perfectus ad puerum. Unde gratia confirmationis supponit baptismalem; vel saltem recuperatam per pœnitentiam, & ideò illam non assequitur, qui gratia affectus non sit, quia augmentum, & robur gratiæ supponit vitam ipsius gratiæ. Si quis tamen, amissa gratia, bona fide accederet ad hoc Sacramentum cum sola attritione supernaturali, quam probabiliter putaret contritionem; hunc effectum Sacramenti reciperet. Imò probabile est Sacramentum hoc receptum cum fictione, & obice, recedente postea fictione, seu obice, conferre gratiam, ut de Baptismo dictum est sect. 5.

SECTIO II.

De Ministro, suscipiente, & cæremoniis Confirmationis.

Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. [a] Qui quamvis excommunicatus, suspensus, vel etiam hæreticus, Sacramentum hoc validè conferre potest, si materiam, & formam illius cum debita intentione applicet, quia character Episcopalis semper manet: administratio autem confirmationis est actus ordinis nullam jurisdictionem exigens, ut validus sit. Ut tamen licitè administretur, requirit in ministro non solùm statum gratiæ, sed etiam jurisdictionem. Unde solùm potest licitè confirmare suos subditos in propria Diœcesi; alienos verò, & suos in alterius Diœcesi, non nisi de licentia proprii Episcopi. Locus autem communiter est Ecclesia; quamvis non repugnet locus alius Episcopi arbitrio. 134 a Trid. ses. 7. can. 3 de confirm. So. s. d. 18. sect. 2.

135 Sacerdos [b] simplex potest esse minister extraordinarius Confirmationis ex sola delegatione Papæ. Prob. ex facto aliquorum Pontificum, qui hanc potestatem Sacerdotibus concesserunt. Et sumitur ex Trident. quatenus ait ministrum ordinarium esse solùm Episcopum, quo satis innuit extraordinarium posse esse Sacerdotem. Et clarius sumitur ex Florent. dicente: aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admodum causa simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto administrasse Confirmationis Sacramentum. b Soar. s. 2.

136 Nullus, qui Baptizatus [c] non sit, validè confirmari potest. Prob. quia baptismus est janua aliorum Sacramentorum: & per Baptismum homo spiritualiter generatur; per confirmationem autem augmentum, & robur capit: non potest autem augmentum, & robur capere, qui genitus non est: ergo &c. c Soar. d. 35.

137 Omnes [d] Baptizati ritè confirmari possunt. Prob. tum ab exemplo Apostolorum, qui omnes baptizatos indifferenter confirmabant manuum d Soar. s. 1. & 2.

nuum impositione, ut habetur in ipsorum Actis. Tum ex antiqua praxi Ecclesiæ, in qua, peracto Baptismo, statim Confirmatio conferri solebat. Non solet tamen Ecclesia Romana confirmare infantes, antequam habeant usum rationis, tum propter majorem reverentiam, tum etiam ut confirmatus recordetur, ne iterum hoc Sacramentum accipiat. Sufficit tantùm differre usque ad annum septimum, ut patet ex Catechismo Romano. Imò si adsit necessitas, potest dari Confirmatio ante usum rationis. Et amentes, qui semper usu rationis caruerunt, confirmandi sunt; quia ratione gratiæ baptismalis, quam non amiserunt, dispositi sunt ad augmentum gratiæ recipiendum. Qui verò usum rationis aliquando habuerunt, etiam sunt confirmandi, nisi constet fuisse in statu peccati mortalis, quando in amentiam inciderunt.

138 Suscipiens hoc Sacramentum debet esse in gratia, aliàs peccabit mortaliter. Unde si habeat conscientiam talis peccati, debet præmittere confessionem, vel saltem contritionem, ita ut probabiliter existimet se esse contritum. [e] Probabile verò est hoc Sacramentum non esse per se necessarium ex præcepto sive divino, sive ecclesiastico. Quod inde probatur, quia tale præceptum non colligitur ex Scriptura, neque ex PP. neque ex jure, aut usu Ecclesiæ, quæ ita hoc Sacramentum confert, ut non inducat fideles ad illud, ut necessarium ex aliquo præcepto, sed solùm tanquam bonum, & utile animæ. Neque item ex natura hujus Sacramenti, supposita ejus institutione; quia prima gratia, quam hoc Sacramentum non confert per se, sufficit ad salutem consequendam. Dixi: *per se*. Quia per accidens potest esse obligatio illud suscipiendi, si nimirum quis putaret, sine illo non posse se fidem profiteri coram tyranno, aut tentationes contra fidem superare. Illud verò omittere ex contemptu, mortale peccatum esset.

e Soar. d. 38. s. 1.

139 Habet etiam Sacramentum Confirmationis suos ritus, [f] & cæremonias non omittendas sine causa, quæ habentur in Pontificali Romano. Requiritur Patrinus unus, vel una tantùm, qui, vel quæ contrahit cognationem spiritualem eo modo, quo dictum est de Baptismo capit. 2. sect. 6. Patrinus debet esse confirmatus, & non idem, qui fuit in Baptismo, nisi in necessitate, quæ rarò esse poterit. Monentur verò Episcopi in Trident. [g] ut Ordines nemini conferant, qui confirmatus non sit; licèt validè conferri possint sine Confirmatione. Nec videtur ibi contineri præceptum, saltem grave. [h] Habent autem Episcopi gravem obligationem conferendi hoc Sacramentum suo tempore, prout illis prudenter videbitur, aut curare, ut ab alio Episcopo conferatur, & potest conferri etiam in tempore interdicti.

f Soar. d. 37.

g Sess. 23. c. 4.

h Soar. d. 38. s. 2.

CAPUT IV.

De Eucharistia, seu Communione.

140 NOn agimus hìc de Eucharistia, prout est Sacrificium, quia de hoc egimus toto lib. 4. sed prout est Sacramentum, [a] & dicitur Eucharistia, hoc est, bona gratia. Et quia continet Authorem gratiæ, & quia sumitur in gratiarum actionem pro beneficiis nobis collatis in morte Christi, quam repræsentat; quæ proinde appellatur memoriale passionis, quia institutum est, ut eam nobis in memoriam revocet. Dicitur etiam communio, quia per eam homines quodammodo unum fiunt cum Christo. Fuit autem hoc divinum Sacramentum institutum in ultima Cœna, quæ Christi passionem præcessit, ut constat ex Euangelio [b]; consistitque in re permanente, nempe in materia consecrata. Nam Eucharistia tamdiu est Sacramentum, quandiu in ea permanet Christi corpus: at Christi corpus permanet in hostia consecrata extra usum, & sumptionem; ergo est Sacramentum etiam quando non sumitur, ac proinde aliquid permanens.

a Soar. t. 3. d. 39.

b Matth. 26. 26. Luc. 22. 19.

141 Hinc sequitur [c] primò, verba consecrationis non pertinere ad essentiam hujus Sacramenti, ut constituti jam in suo esse, tanquam formam intrinsecam illius. Quia partes essentiales rei permanentis debent esse permanentes, qualia non sunt verba. Secundò, usum Eucharistiæ non esse partem essentialem hujus Sacramenti; quia ante usum, & independenter ab illo est perfectum Sacramentum. Tertiò,

c Soar. d. 42.

Sa-

Digitized by Google

Sacramentum Eucharistiæ essentialiter & adæquatè consistere in speciebus panis, & vini; quia hoc Sacramentum per se est signum externum sensibile corporis, & sanguinis Christi, quæ sunt essentialiter cibus animæ, quod ei non competit, nisi ratione corporis, & sanguinis Christi latentis sub speciebus. Quartò, species panis, & vini unum specie Sacramentum constituere: cùm enim ordinetur ad spiritualem refectionem animæ, eamque significet, sicut cibus, & potus unum convivium efficiunt; ita species panis, & vini unum Sacramentum perfectam refectionem repræsentans. Dicendum ergo erit 1. de hoc Sacramento in fieri, hoc est, de materia, forma, & ministro, 2. de eodem in facto esse, 3. de præsentia Christi sub speciebus sacramentalibus, 4. de obligatione communicandi, & ministro conferente sacram communionem, 5. de suscipiente, 6. de effectibus Eucharistiæ, 7. dabimus aliqua monita Parocho circa ejus administrationem.

SECTIO I.

De materia, forma, & ministro Eucharistiæ.

142 PAnis, & vinum sunt materia, ex qua fit Sacramentum Eucharistiæ. Patet ex Euangelio, [a] PP. & usu Ecclesiæ. Panis autem necessariò debet esse ex tritico, & confectus ex aqua naturali. Unde juxta probabiliorem sententiam [b] non est materia apta panis confectus ex late, oleo, vel aqua stillata. Debet esse coctus ad ignem; quia massa non est cibus humanus. Postquam est coctus, non debet esse oleo, aut butyro frixus, quia sic non est panis usualis, sed placenta.

a Matt.26. Marc.14. Luc.22.

b Soar. d. 44.

143 Vinum debet esse ex uvis [c] expressum usuale, ac potabile, nullusque alius succus, nec etiam uvarum ante maturitatem, nec acetum. Secus dicendum de musto ex uvis maturis expresso, & de vino ascescente, quamvis illicitum sit ea materia uti: de vino congelato communis sententia habet satis esse ad consecrationem: cùm enim species congelatæ retineant sanguinem Christi, ut supponitur in Missali, non est cur initio congelatæ consecrari non possint: sunt enim potabiles in actu primo, & facilè possunt liquefieri, ut sint potabiles in actu secundo.

c Soar. d. 45

144 Materia debet esse præsens [d] Sacerdoti. Quia cùm verba formæ: *Hoc est: Hic est*, dicantur assertivè, significant ex se rem aliquam præsentem: & Christus ea protulit circa materiam præsentem, quod etiam Ecclesia observat. Requiritur ergo ut materia sit moraliter præsens Sacerdoti: nam pronomina demonstrativa *hoc*, & *hic* absolutè prolata, & sine alia designatione rei demonstratæ, non nisi in materiam valdè propinquam, & moraliter præsentem cadere solent. Unde materia non solùm debet parum distare à Sacerdote, sed ipse aliquo sensu eam percipere debet vel ratione sui, vel ratione continentis, quia aliàs eam designare non posset per pronomen demonstrativum.

d Soar. f. 5.

145 Debet præterea materia in individuo determinari à Sacerdote. [e] Prob. quia cùm Sacerdos humano modo verba consecrationis proferat, debet suam intentionem accommodare significationi verborum; ergo sicut pronomina demonstrativa non modò materiam præsentem denotant, sed etiam determinatam, & singularem; ita intentio Sacerdotis circa materiam determinatam ferri debet. Unde sicut Baptismus est nullus, si minister determinatè non intendat baptizare hunc numero hominem, quem præsentem habet; ita erit nulla consecratio, si Sacerdos non intendat determinatè consecrare eam numero materiam, quæ illi præsens est, estò velit materiam aliquam vagè, seu hanc vel illam consecrare; nam utraque intentio est practica, quæ versari debet circa subjectum, vel objectum singulare. Quare si Sacerdos ex decem hostiis, quas habet præsentes, quatuor tantùm mente designent; easque solùm consecrare velit, reliquæ consecratæ non erunt. Si autem quatuor in confuso velit consecrare, easque in particulari non designet, nulla erit consecrata; & ideò debet habere intentionem consecrandi totam materiam præsentem.

e Soar. f. 6.

146 Id notandum circa materiam, vino consecrando aliquid aquæ miscendum esse, non ex necessitate Sacramenti, sed ex præcepto Ecclesiæ. [f] Et quia ita Christus fecisse creditur, & quia de latere ejus exivit sanguis, & aqua,

f Trid. sess. 22. c. 7.

Digitized by Google

g Soar. à 1.2.

aqua, quod hac mixtione recolitur. [g] Debet autem misceri tempore sacrificii in quantitate exigua ante oblationem, & debet esse naturalis, & pura. Et si ex inadvertentia omittatur, debet postea infundi in calice nondum consecrato. An verò convertatur in sanguinem Christi, quæstio est ad speculationem pertinens. Aliqui satis probabiliter affirmant; licèt communis sententia neget, nisi ante consecrationem in vinum conversa sit. Sed hoc parum refert ad nostrum institutum.

146 Forma Eucharistiæ continetur in illis verbis: *Hoc est corpus meum*. *Hic est calix sanguinis mei*. Patet ex Conciliis, [h] & usu Ecclesiæ. Unde consecratio panis, & vini validè fit solis illis verbis unicuique consecrationi accommodatis. Prob. [i] quoad consecrationem panis. Quia nulla alia verba possunt esse de essentia formæ; nam nonnulla ab Ecclesia adjuncta sunt, quæ non potest aliquid addere tanquam pertinens ad essentiam formæ. Alia sunt verba Euangelistarum, nempe illa: *Qui pridie quàm pateretur*; quæ à Christo prolata non fuerunt. Illa verò: *Accipite, & manducate*; licèt à Christo prolata fuerint, non possunt esse de essentia formæ; quia à Luc. non referuntur, & unum à Marc. omittitur, & Sacerdos ea non profert in persona Christi, sed recitat quid Christus fecerit, & alioqui non valeret consecratio, nisi adessent, qui Eucharistiam sumerent. Illa denique particula *Enim* verbis inserta, non potest esse de essentia formæ. Et quia ab Euangelistis, & à Paulo omittitur: & quia sine illa sensus verborum integer manet. Ratio verò est, quia illa verba sufficiunt ad consecrationem panis, quæ sufficiunt, ut Christus significetur realiter præsens in Eucharistia: sed illa quatuor verba: *Hoc est corpus meum*, ad illud sufficiunt, formæ enim Sacramentorum id efficiunt, quod significant; ergo nulla alia verba necessaria sunt.

h Flor. in decr. Eug.

i Soar. d. 59.

148 Prob. quoad consecrationem vini. [l] Formæ Sacramentorum faciunt, quod significant; sed in consecratione Calicis sola illa verba: *Hic est calix sanguinis mei*, significant sanguinem Christi præsentem in calice: ergo sola id faciunt, & consequenter in solis illis forma essentialiter consistit. Neque obstat quòd Sacerdos tenendo calicem in manibus sequentia verba proferat. Quoniam hoc facit, non quia sint de essentia formæ, sed quia pertinent ad majorem ejus explicationem. Aliàs particula *Enim* spectaret ad essentiam formæ, cùm eodem modo proferatur. Accedit, quia verba, quæ prædictam formam sequuntur, non omnia referuntur ab aliquo ex Euangelistis; quod evidens est, ea non spectare ad essentiam formæ. Verba formæ consecrationis proferuntur à Sacerdote, & recitativè, & significativè. Prob. quia sicut per verba illa canonis: *Qui pridie quàm pateretur*, refert Sacerdos quid Christus fecerit; ita & per illa: *Accipite, & manducate, hoc est enim corpus meum*, recitat, & narrat, quod Christus dixit Apostolis, quando eis Eucharistiam porrexit. Prob. quoad 2. partem, quia Sacramenta novæ legis non efficiunt, nisi id quod significant: sed per illa verba consecrationis corpus Christi constituitur sub specie panis, & sanguis illius sub specie vini; ergo verba illa talem effectum significant; ergo dicuntur significativè.

l Soar. d. 60.

149 Pronomen *Hoc* in forma consecrationis non demonstrat panem, [m] nec ejus species, sed ipsum corpus Christi. Prob. prima pars, & quia panis corpus Christi esse non potest; cùm tamen verba formæ vera esse debeant. Et quia pronomen *Hic* in forma calicis denotat liquorem in calice contentum, qui pro nobis erat effundendus: vinum autem pro nobis effusum non fuit; ergo sicut pronomen *Hic* non demonstrat vinum; neque *Hoc* demonstrat panem. Prob. secunda pars, quia non demonstrat species panis directè, sic enim species essent corpus Christi: non indirectè, quia pronomen demonstrat ad sensum, ac proinde aliquid singulare, & determinatum: sed contentum singulare, & determinatum, quod sub speciebus existit, quando profertur pronomen, est panis, qui non demonstratur, ut dictum est: ergo, &c. Cùm hoc tamen stat, quod aliquo modo indirectè demonstrentur, quatenus demonstratur corpus Christi ut contentum sub speciebus præsentibus. Prob. tertia pars, quia ut ait [n] Trident. Christus verè dixit id, quod sub specie panis offerebat, esse corpus suum: quod autem sub specie panis offertur, in fine prolatio-

m Soar. d. 58. f. 7.

n Sess. 13. c. 4.

Digitized by Google

tionis est corpus : ergo hoc demonstratur . Et quia propositiones practicæ , quales sunt formæ Sacramentorum , suspendunt significationem pronominis demonstrativi usque ad finem prolationis, nec demonstrant nisi prædicatum , quod est corpus Christi . Et idem intellige de pronomine *Hic* in forma calicis.

150 Sub specie panis ex vi verborum ponitur corpus Christi ; [o] sanguis verò, anima , & divinitas per concomitantiam : sub specie autem vini ponitur sanguis ; corpus , anima , & divinitas per concomitantiam . Ita Trident. [p] & probatur , quia Sacramenta efficiunt , quod significant , ita ut significatio sit quasi virtus per quam operantur ; ergo cùm nomen *Corpus* non significet sanguinem , animam , aut divinitatem , non sunt sub speciebus panis ex vi verborum , sed solùm corpus ; & idem est de sanguine . Verùm quia corpus Christi de facto est animatum , sanguine prædictum , ac divinitati conjunctum , ideò per concomitantiam omnia ponuntur cum corpore sub speciebus panis . Et quia sanguis existit in corpore animato divinitati conjunctus , ideò sub speciebus vini corpus, anima , ac divinitas cum sanguine similiter constituuntur.

o Soar. d. 61. f. 2.

p Sess. 13. c. 3.

151 Minister conficiens Eucharistiam est solus Sacerdos. Est de fide definita in Trid. [q] Prob. quia conficere Sacramentum Eucharistiæ , in quo Christus verè & realiter continetur, est effectus omninò supernaturalis , qui procedere non potest , nisi ab habente potestatem ejusdem ordinis , qualem Christus Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus concessit : ergo soli Sacerdotes hanc potestatem habent.

q Sess. 22. c. 1.

SECTIO II.

De Sacramento Eucharistiæ in facto esse.

152 POstquam egimus de Eucharistia in fieri , seu de materia, forma , & ministro , à quo conficitur , dicendum est de ipso in facto esse . Nam Eucharistia tamdiu est Sacramentum,[a] quamdiu Christi corpus in ea permanet : permanet autem post consecrationem per modum convivii , & cibi animarum : ergo est Sacramentum in facto esse & permanens, de quo multa Concilium Trident.

a Soar. d. 45. f. 8.

[b] Dico ergo 1. Sacramentum Eucharistiæ in facto esse essentialiter , [c] & adæquatè constituitur ex speciebus panis, & vini , ac ex corpore , & sanguine Christi . Ex speciebus ; quia omne Sacramentum est per se signum externum , & sensibile , ut verè sunt prædictæ species ; ex corpore , & sanguine Christi ; quia Eucharistia essentialiter est cibus animarum , quod illi competere non potest ratione specierum , sed ratione corporis, & sanguinis Christi sub illis latentis . Quod ut melius intelligatur.

b Sess. 13. c. 4. 6. & 7.
c Soar. d. 52.

153 Dico 2. Substantia panis, & vini non manet in Eucharistia post consecrationem . Est de fide definita in Trident. [d] & prob. [e] quia quando Christus accipiens panem dixit : *Hoc est corpus meum*. Verum dixit ; sed verum non dixisset , si substantia panis cum ipso corpore permansisset ; siquidem pronomen *Hoc* denotaret panem , sensusque esset : panem esse corpus Christi , quod planè falsum esset , sicut si Angelo existente intra lapidem diceret : *Hoc est Angelus*. Quia significaret lapidem esse Angelum. Sed potius deberet dicere : *Hic , seu in hoc lapide est Angelus* . Cùm ergo verba Christi vera sint , rectè sequitur substantiam panis , & vini non esse in Eucharistia post consecrationem . Unde meritò Trident. proximè docuit fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus Christi , & totius substantiæ vini in sanguinem , quam conversionem Ecclesia Catholica transubstantiationem appellat ; hoc est mutationem unius substantiæ in aliam ; & manere solas species , seu accidentia panis , & vini.

d Sess. 13. can. 2.
e Soar. d. 49. & 50.

154 Unde sequitur prædicta accidentia remanere sine subjecto , ut expressè definitum est in Concilio Constant. [f] contra Vviclephum . Et prob. ex dictis. [g] Quia si eadem numero accidentia perseverant ; cùm sub illis non sit amplius substantia panis , & vini , benè sequitur ea esse sine subjecto . Probatur sequela , quia ea accidentia non sunt in eodem subjecto , in quo prius erant ; non sunt in corpore Christi de novo accedente , & quia corpus humanum non est capax hujusmodi accidentium ; & quia cùm Christus existat indivisibiliter , accidentia , quæ extensionem habent in ordine ad locum , sustentare non potest ; ergo nullum est subjectum,

f Sess. 8.
g Soar. d. 56.

ctum, in quo illa accidentia sustententur. Ubi nota, quantitatem manere sine ullo subjecto, quia hæc immediatè inhæret substantiæ, quæ ibi non est; reliqua verò accidentia immediatè inhærent quantitati, & consequenter solùm carent subjecto ultimato, quale est substantia.

155 An verò prædicta accidentia existant extra subjectum per aliquem modum positivum, quo separata more substantiæ per se existant? Quæstio est alterius instituti, quam nos alibi negativè resolvimus. Illud certum [b] est aliter conservari à Deo extra subjectum, quàm in subjecto: nam in subjecto conservabantur modo ordinario per actionem eductivam, cum dependentia à subjecto; extra subjectum conservantur modo extraordinario per actionem creativam independenter à subjecto.

b Soar. d. 56.

156 Dico 3. Accidentia separata possunt eodem modo [i] agere, ac antea. Prob. quia in hostia, & vino consecrato remanent eædem qualitates cum eadem virtute immutandi sensus, & alterandi corpora, quam habebant ante consecrationem, & cum modo existendi proportionato ad inducendos hujusmodi effectus; ergo possunt edere eosdem effectus tam intentionales, quàm reales, quos antea producebant, ut etiam probat experientia. Possunt etiam generare & corrumpere ea, quæ priùs generare, & corrumpere poterant. Prob. quia cùm possint alterare subjectum, ea alteratio adeò intendi potest ut tandem sequatur corruptio; cùm verò corruptio unius sit generatio alterius, possunt etiam generare. Unde si exigua pars aquæ misceatur speciebus vini consecrati, ea tandem in vinum convertetur, si antea converti poterat, de quo aliqui dubitant.

i Soar. d. 57.

157 Dico 4. Prædicta accidentia possunt alterari, & corrumpi, ex quibus corruptis potest aliquid generari. Prob. prima pars, quia agentia naturalia possunt agere in quantitatem eodem modo, ac antea, & ex ea educere qualitates oppositas qualitatibus panis, & vini, quæ illarum temperamentum dissolvant; ergo licèt non corrumpatur quantitas, quæ est qualitatum subiectum, possunt corrumpi qualitates ei inhærentes. Prob. secunda pars ab experientia. Videmus enim species, si diu asserventur, putrefieri, & ex iis vermes generari, & vinum consecratum in acetum converti. Quomodo autem hoc fiat, supposito quòd ibi non sit substantia panis, & vini, ad philosophos attinet.

SECTIO III.

De reali præsentia Christi in Eucharistia.

DIco primò. Corpus Christi est realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia. Est de fide, & constat ex sect. 1. Imò est unum ex præcipuis mysteriis illius. Prob. primò ex Joan. [a] ubi Christus promisit novum panem nunquam antea datum, aut manducatum. Ubi non agit de manducatione Christi per fidem, ut malitiosè interpretantur Sectarii. Primò, quia Patres antiqui habuerunt fidem in Christum venturum eumque spiritualiter manducaverunt, ut exprimit Apostolus. [b] Secundò, quia si Christus ageret de sola manducatione per fidem, hortaretur tantùm Judæos, ut in ipsum crederent, & credentibus vitam æternam promitteret, non verò ageret de pane, & potu, & minus toties inculcaret carnem suam manducandam, & sanguinem suum bibendum. Tertiò, quia incredibile est Joannem Euangelistam nullibi egisse de Sacramento Eucharistiæ, nihil autem de eo agit, nisi eo loco: ergo egit de vero corpore, & sanguine Christi ibi promisso, & postea in Cœna dato. Quartò, quia Christus ibi promisit carnem suam, & sanguinem suum; ergo locutus fuit de vera carne, & sanguine, non verò de aliqua figura, quæ caro Christi verè non esset: cùm ipse dicat: [c] *Caro mea, verè est cibus: & sanguis meus, verè est potus.* 15

a Ioan. 6. 51.

b 1. Cor. 10. 4.

c Joa. 6. 56.

159 Accedit, quia Christus promisit [d] iis, qui eum sequuti fuerant per desertum panem multò præstantiorem illo, quo fuerant satiati, imò & excellentiorem manna: hoc autem intelligi non potest de pane aliquo vulgari, qui corpus Christi significaret, qui ob rationem signi, non esset præstantior pane miraculosè multiplicato, & multò minus manna, quod etiam hoc Sacramentum præfigurabat; ergo Christi promissio intelligenda est de pane aliquo præstantiori, nempe de carne sua exhibenda sub specie panis, de qua dixit: [e] *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

d Joan. 6.

e Joan. 6. 52.

Addo

Digitized by Google

Addo murmurationem eorum, qui Christum sic promittentem audientes, dixerunt: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?* Qui de vera Christi carne intellexerunt, de qua si Christus non loqueretur, statim pravam illorum intelligentiam correxisset & non sineret eos scandalizari, & abire è sua schola, quod non fecit; imò ut suam promissionem de vera carne ab ipsis intellecta confirmaret, addit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

160 Probatur secundò ex verbis institutionis [f] hujus Sacramenti, ex quibus constat Christum vocare corpus, & sanguinem suum id, quod manducandum, & bibendum porrigebat discipulis. Et de corpore dicitur: *Quod pro vobis tradetur.* Certum autem est non nisi verum Christi corpus pro hominibus traditum, & in Cruce oblatum fuisse. De sanguine dicitur: *Quod pro vobis effundetur.* At merum vinum pro hominum salute effusum non est, sed verus Christi sanguis. De eo, qui indignè accedit ad hoc Sacramentum, dicitur reum esse corporis, & sanguinis Domini, judiciumque sibi manducare, & bibere, hoc est, in corpus, & sanguinem Domini gravissimè peccare, ideoque æternam pœnam mereri. Quod verum non foret, si ad purum panem, & vinum accederet, estò esset figura corporis Christi, cùm non minor figura ejus fuerit agnus paschalis, quem qui in peccato comedebat, mortaliter non peccabat, sicut nec qui manna edebat.

f Matth. 26.28. Marc.14. 24. Luc.22.19. 1.Cor.11. 27.

161 Prob. tertiò ex unanimi sensu universalis Ecclesiæ, omnium PP. doctorum Catholicorum, & Conciliorum, qui verba Christi de vero ejus corpore, & sanguine semper intellexerunt. Unde dixit Trident. [g] *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis, & vini specie, unà cum ipsius anima, & divinitate existere.* Unde can. 1. *Si quis negaverit in sanctissima Eucharistia Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem unà cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.* De quo vide [h] Soarium.

g Sess. 13. c.3.

h Soar. d.46.

162 Dico secundò. Inter corpus Christi & species necessaria est aliqua unio, & idem est de sanguine. [i] Prob. quia Eucharistia in facto esse, est unum Sacramentum constans intrinsecè corpore Christi, & speciebus, ut dictum est; unum autem esse non potest sine aliqua unione: ergo. Hæc autem unio non est physica, sed moralis. Prob. quia unio physica necessaria non est; tamdiu enim durat corpus Christi sub speciebus, quandiu illæ Christum præsentem significant: ut autem illum hoc modo significent, satis est quod ex pacto divino corpus Christi contineatur realiter sub speciebus, easque intimè pervadat, adeoque inter illas fit unio moralis. Sic enim species tam certò Christum præsentem significant, ac si inter hunc, & illas unio physica intercederet.

i Soar. d. 47.s.3.

163 Dico tertiò: Totus Christus est sub singulis partibus specierum post earum divisionem, & ante illam. Prima pars est definita in Trident. [l] Et probatur, quia quando hostia consecrata dividitur, [m] Christus manet in partibus divisis, aliàs Sacerdos non sumeret Christi corpus, dici verò non potest unam tantùm partem corporis esse sub una parte speciei, aliam verò sub alia. Et quia cùm tota hostia æqualiter sit consecrata, non est cur caput potiùs sit sub una parte, quàm pes? Et quia cùm corpus Christi sit immortale, in partes secari non potest per divisionem specierum: ergo totus est sub singulis partibus. Secunda etiam sumitur ex eodem Concilio [n] statuente totum, & integrum Christum esse sub panis specie, & sub quavis ipsius parte. Quæ verba, cùm generalia sint, intelliguntur de partibus specierum etiam non divisis. Et prob. quia si totus Christus est in singulis partibus divisis: ergo & ante divisionem, cùm per divisionem non mutetur consecratio, nec per eam fieri possit, ut corpus Christi sit totum, ubi antea foret secundùm partem.

l Sess. 13. can.3.

m Soar. d. 52.

n Sess. 13 c.3.

164 Dico [o] quartò. Corpus Christi in Eucharistia potest per accidens moveri localiter ad motum specierum ut experientia probat; non autem per se, & sine ordine ad species. Quia cùm existat indivisibiliter, neque illum tangere, neque ei qualita-

o Soar. d. 47.s.4.

tem

Digitized by Google

tem aliquam possumus imprimere, qua moveatur. Et ob eamdem rationem non potest ab agentibus creatis alterari, nec naturaliter alterare res externas, neque proprias sensuum operationes elicere, neque nostrorum operationes terminare. Unde videri non potest ab oculo corporeo naturaliter, & fortasse neque divinitus, ut melior probat philosophia.

165 Dico [p] quintò. Christus desinit esse in Eucharistia per subtractionem concursus divini, quo Deus illius substantiam sub speciebus constitutam conservabat. Prob. quia desitio respondet inceptioni: ergo cùm Christus incipiat esse in Eucharistia per veram sui reproductionem, ut suppono ex veriori philosophia; necesse est, ut desinat ibi esse per desitionem suæ substantiæ, atque adeò per subtractionem divini concursus. Desinit autem iste concursus, quoties species ita corrumpuntur, ut jam panis, & vini substantia, si ibi esset, neutiquam conservaretur.

p Soar. d. 14.

SECTIO IV.

De Communione, dispositione ad illam, & ministro.

166 Dico primò. Licèt aliqui dicant Sacramentum Eucharistiæ esse necessarium ad salutem [a] necessitate medii, quod videtur sumi ex verbis Christi: [b] *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. In quibus eodem modo videtur loqui de necessitate Eucharistiæ, ac de necessitate Baptismi, qui certè ad salutem necessarius est necessitate medii, ut probant illa verba: [c] *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quæ sententia mihi valdè probabilis est. Communior [d] tamen docet solùm esse necessarium hoc Sacramentum necessitate præcepti divini; quod saltem ex verbis Christi colligitur, in quibus tanta imponitur obligatio accedendi ad Eucharistiam, ut sine ea vitam habere non possimus. Cùm ergo hæc à Christo Domino imposita sit, fatendum est esse obligationem ortam saltem ex divino præcepto.

a Apud Vasq. 3.p. d. 169. c. 1.
b Io. 6. 54.
c Ioa. 3. 5.
d Soar. d. 69. Vasq. c. 3.

167 Cùm autem hoc præceptum divinum sit affirmativum, & non determinet tempus, videtur obligare secundùm prudentis arbitrium, ut de aliis divinis præceptis affirmativis sæpè dictum fuit lib. præcedenti; maximè verò in casibus necessitatis, quorum præcipuus est articulus mortis. Prob. quia præceptum indeterminatum obligat saltem pro eo tempore, quo usus rei præceptæ est magis necessarius: sed usus Eucharistiæ in discursu vitæ humanæ potest esse valdè necessarius ad tentationes, ac difficultates superandas; maximè autem in articulo mortis, in quo magis periculosæ sunt, ut virtute illius superatis, homo Deo magis uniatur, & in gratia finaliter perseveret: ergo pro his temporibus obligat; quod de articulo mortis probat usus Ecclesiæ, quæ semper curavit in eo fideles Eucharistiæ Sacramento munire. [e] Pro aliis vitæ temporibus determinavit Ecclesia, ut semel in anno, nempe in Paschate Eucharistia ab omnibus sumatur, qua communione præceptum divinum sufficienter impletur: de qua obligatione Ecclesiastica determinativa præcepti divini, dictum est lib. præcedenti capit. 14. sect. 5.

e Soar. d. 72.

168 Id notandum [f] neminem teneri ex divino præcepto Eucharistiam sumere sub utraque specie, excepto celebrante. Ita definitum est in Trident. [g] & prob. quia si præceptum divinum ad utramque speciem obligaret, una non sufficeret ad salutem, contra id, quod non semel Christus inculcavit: [h] & licèt in Ecclesiæ primordiis aliquando communio daretur sub utraque specie, sæpè non dabatur, nisi sub una; postea Ecclesia justis de causis calicem laicis denegavit, in quo eam errasse sine hæresi dici non potest: errasset autem, si Eucharistia sub utraque specie à Christo præcepta fuisset. Neque obstat, quòd Christus locutus de calice dixerit: [i] *Bibite ex eo omnes*. Quia ea verba directa fuerunt ad solos Apostolos. Neque quòd apud Joan. dixerit: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Quia qui unam speciem sumit, sub ea carnem, & sanguinem accipit, siquidem Christus sub singulis totus continetur, ut suprà dictum est.

f Soa. d. 71.
g Sess. 21. c. 1. & c. 10.
h Ioan 6.
i Matth. 26. 27.

169 Dico secundò. Duæ saltem dispo-

Digitized by Google

positiones necessariæ sunt ad Eucharistiam sumendam. Prima, ut quis sit jejunus jejunio naturali, hoc est, quod à media nocte nihil cibi, aut potus etiam per modum medicinæ acceperit. Hoc præceptum divinum non est, cùm Christus post cœnam hoc Sacramentum discipulis porrexerit; sed est ecclesiasticum à temporibus Apostolorum semper ab Ecclesia observatum, ut colligitur ex Aug. [m] & aliis antiquis PP. obligatque sub mortali, quando non datur causa excusans.

[l] Soa. d. 68. s. 3. & 4.

[m] Epist. 118.

170 Causam autem [n] excusantem habet infirmus, de quo dubitatur, an possit sperare tempus, in quo viaticum jejunus sumat, ut dicetur sect. 5. & sacerdos celebrans in variis casibus. Primò, quando per errorem misit aquam in calicem, eamque sumit credens se vinum consecrasse; tunc enim de novo debet consecrare vinum, illudque sumere, estò per potum aquæ jejunium violaverit. Secundò, quando facta jam consecratione ex aliquo accidente non potuit consummare sacrificium; tunc alius non jejunus, si jejunus non adsit, tenetur sacrificium consumere, ut lib. 4. dictum est. Tertiò, quando post sumptionem sanguinis advertit remansisse in calice particulam consecratam; tunc enim potest vel digito ad labrum calicis admovere, vel vino infuso eam cum ipso trajicere, ut dicitur in Missali. Et idem est de illis partibus hostiæ, quæ fortè palato post sumptionem calicis adhæserunt. Imò & de illis reliquiis, quæ post communionem super patenam remanserunt, quas potest sumere, quandiu est ad altare. Si autem postquam discessit, illas advertat, debet servare, si commodè fieri potest, ut postea inter celebrandum ab alio jejuno sumantur. Si autem id fieri commodè non possit, statim ab eodem sacerdote non jejuno sumantur. Quartò, quando celebrans, peracta consecratione, recordatur se non esse jejunum; tunc enim debet sacrificium perficere, & communicare non jejunus; quia arctius obligat præceptum de perficiendo sacrificio, quàm de non communicando soluto jejunio. Si verò se non jejunum advertat ante consecrationem, & non potest ab altari recedere, sine gravi nota infamiæ, potest sacrificium perficere, quia præceptum humanum de non communicando, soluto jejunio, non obligat cum tanto incommodo. Si autem nullum sit periculum infamiæ, ut si non adsint audientes Missam, dicunt [o] DD. tutiùs esse Missam inceptam omittere. Quo loquendi modo satis indicant id non esse simpliciter necessarium, sed posse tutò Missam perfici.

[n] Soa. d. 68. s. 5. & 6.

[o] D. Tho. 3. p. q. 83. a. 6. ad 2.

171 Secunda dispositio est [p] carentia culpæ mortalis, de qua satis diximus lib. 4. cap. 10. Cùm enim inter omnia Sacramenta solus Baptismus, & Pœnitentia per se instituta sint ad primam gratiam conferendam, & ideo dicantur Sacramenta mortuorum, omnia alia dicuntur vivorum; quia non sunt per se instituta, nisi ad conferendum augmentum gratiæ. Unde supponunt suscipientes esse in gratia; quod maximè locum habet in Eucharistia, quæ per se primò, est instituta per modum cibi, & potus ad vitam animæ nutriendam, non autem ad illam primò vivificandam, per infusionem primæ gratiæ. Unde qui ad illam accedit in peccato mortali, facit contra ejus finem, & institutionem, & peccat mortaliter.

[p] Trident. Sess. 13. c. 7.

[q] Soa. d. 66.

172 Quare qui conscientiam habet peccati mortalis, antequam ad Eucharistiam accedat, debet præmittere confessionem sacramentalem, ut statuit Conc. [r] Trid. quod quidem nihil de novo præcipit, sed declarat ex praxi Ecclesiæ, quod antea fuerit in præcepto. Non est autem hoc præceptum naturale, seu ex natura, & institutione Sacramenti ortum, quia licèt ex jure naturali teneamur sancta sanctè tractare, maximè autem Eucharistiam continentem totius sanctitatis authorem; huic obligationi naturali satisfieri poterat per contritionem, de qua quis esset moraliter certus. Unde probabile videtur hoc præceptum de præmittenda confessione, ante communionem, esse solius juris ecclesiastici, quamvis aliqui velint esse de jure divino positivo, ut diximus eo loco.

[r] Sess. 13. c. 7. & can. 11.

173 Cùm hoc [s] tamen stat, quod aliquando liceat cum sola contritione accedere ad Eucharistiam, non premissa confessione sacramentali, quando nimirum adest necessitas communicandi, & deest copia confessoris, ut sumitur ex Trid. & communi Theologorum sententia. Tunc autem adest necessitas communicandi, quando sacerdos tenetur ex officio celebrare, nec habet copiam confessoris, ut sæpè contingere potest Parochis ruralibus, & parvorum oppidulorum, de quo satis diximus lib. 4. cap. 10. Aliis verò sacerdotibus potest contingere, quando Missa omitti non potest sine periculo gravis infamiæ ut si jam indutus vestibus sacris ad altare, properaret, aut in illo esset.

[s] Soa. s. 3. 4. & 5.

ſet. Qui enim videret illum veſtibus exui, facilè judicaret aliquod grave peccatum memoriæ occurriſſe, ad quam infamiam vitandam poſſet ſine confeſſione celebrare. Quod à fortiori procedit, ſi poſt conſecrationem recordaretur peccati mortalis non confeſſi; quia poſſet, & deberet ſacrificium perficere, eſtò poſſet ſine infamia recedere, de quo plura dicta ſunt citato loco. Aliis verò, qui celebraturi non ſunt, poteſt eſſe neceſſitas communicandi, quando verſantur in periculo mortis, nec adeſt ſacerdos, qui confeſſionē excipiat, poterunt enim tunc ſine confeſſione Euchariſtiam à diacono accipere. Extra hunc caſum non ita facilè poteſt contingere talis neceſſitas. Si tamen contingat, idem licebit præmiſſa contritione.

174 Tunc autem cenſetur deeſſe confeſſor, quando ſacerdos tam longè diſtat, ut commodè adiri non poſſit, ſpectatis circumſtantiis perſonarum, locorum, & temporum; vel licèt adſit, caret tamen juriſdictione neceſſaria ad abſolvendum à mortali, quia approbatus non eſt; hoc enim perinde eſt, ac ſi nullus ſacerdos adeſſet; niſi qui indiget communione eſſet in periculo mortis, qui à quolibet ſacerdote abſolvi poteſt, ut dicetur cap. ſeq. Cenſetur etiam deeſſe confeſſor, ſi probabile periculum ſit, quòd ſacerdos, qui adeſt, peccatum revelet, aut pœnitentem ad ſimile peccatum pertrahat. Unde qui tale periculum cum fundamento timeret, poſſet ſine confeſſione ad Euchariſtiam contritus accedere. Si tamen haberet alia peccata, de quibus nullum tale periculum timeret, deberet ea confiteri, & alia omittere ſuo tempore clavibus ſubjicienda.

[t Soa. d. 71.] 175 Dico tertiò: Solus ſacerdos [t] habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi aliis Euchariſtiam. Prob. quia ſicut ſolus ſacerdos ex jure divino habet poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, ita ſolus ex eodem jure ordinariam habet diſpenſandi aliis. Nam Chriſtus Euchariſtiam conficiens, & diſpenſans, dixit Apoſtolis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Quibus verbis illis, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus dedit poteſtatem & conficiendi, & diſpenſandi. Poteſt tamen ſacerdos in caſu neceſſitatis committere diacono poteſtatem diſpenſandi; ut ſi ſacerdos ęgrotet, & aliquis in extremis poſitus Euchariſtia indigeat, & non adſit alius ſacerdos; id tamen committere non poteſt clericis diacono inferioribus, & multò minus laicis, quia jura de ſolo diacono loquuntur, & praxis id omninò obſervat.

176 Nota verò legitimam [u] poteſtatem adminiſtrandi Euchariſtiam ex jure eſſe in Parocho. Quia paſcere gregem Chriſti pertinet ad paſtorem ratione officii, quod exigit, ut cognoſcat vultum pecoris ſui, & ſtatum ſpiritualem illius, ſciatque quid gregi prodeſſe, quid nocere poſſit, quod alii ſacerdotes indiſcriminatim ſcire non poſſunt: ergo recta gubernatio Eccleſiæ poſtulat, ut ſolus Parochus, & qui in populum habent ordinariam juriſdictionem, Euchariſtiam diſtribuant. Quod maximè locum habet quando fideles ex obligatione communicant, ut in Paſchate, & articulo, ſeu mortis periculo. [u Soa. ſ. 2.]

177 Dixi *Maximè quando ex obligatione communicant*. Quia extra illos caſus poſſunt religioſi ex ſuis privilegiis Euchariſtiam adminiſtrare in ſuis Eccleſiis quibuſcumque eò convenientibus. Imò in caſu extremæ neceſſitatis poteſt religioſus, & quilibet alius ſacerdos ſine alio privilegio, Euchariſtiam miniſtrare, ſi Parochus non adeſſet, cùm probabile non ſit velle Eccleſiam, ut fidelis ſine viatico diſcedat, quando adeſt, qui miniſtrare poſſit in abſentia Parochi. Alii verò ſacerdotes ſęculares, qui habent facultatem Sacramenta adminiſtrandi, poſſunt etiam Euchariſtiā miniſtrare extra dictos caſus. Imò Parochus dans alicui facultatem celebrandi in ſua Eccleſia, cenſetur illi tacitè facultatem dare miniſtrandi Euchariſtiam iis, qui comunicandi gratia ad eum accesserint ex devotione, non autem ad communionē Paſchalē, niſi id exprimat.

SECTIO V.

De ſuſcipientibus Euchariſtiam.

Poteſt quis Euchariſtiam velle vel in ſanitate, vel in morbo; & in utroque caſu poteſt eſſe capax, aut incapax. Dicam ergo primò de perſonis, quibus danda eſt in ſanitate, & quibus in eadem neganda ſit. Secundò, ſpecialiter dicam de communione moribundi, ſeu per modum viatici. 178

§. I.

De communione ſanorum.

Dico [a] 1. Parochus debet communionem dare omnibus adultis petentibus, qui nullo impedimento detinentur. Prob. quia eſt paſtor, ad quem ex officio pertinet paſcere oves Chriſti ſibi commiſſas ſaluberrimis ſacramentorum paſcuis, maximè Pœnitentia, & Euchariſtia, quæ ſpecialiter ordinantur ad vitam animę procurandam, & augmentandam. Unde 179 [a Soa. d. 16.]

de nullam personam quamvis vilissimam, aut vilissimum exercitium tractantem, v. c. carnificem, macellarium, & similes repellere debet, modò sint extra statũ peccati. Petitur autem cõmunio vel expressè, cùm dicitur; domine, vellem communicare, vel tacitè, accedendo ad sacr. Mensam.

180 Sed quid de illis, qui frequentissimè communicant? Resp. [b] omnes DD. id committere prudentiæ Parochi, qui prudenter negabit illis, qui vellent singulis diebus, aut alternis communicare, nisi sibi constaret de nimia bonitate, & spirituali vita personæ. In dubio autem melius est dare, quàm negare. Communiter admittat quoslibet octavo quoque die; ita enim docent prudentes, & experti in hac materia, & communis usus declarat. Nec repellat personas pias, quæ solent singulis festis communicare, estò contingat uno die post alterum communicare. An verò Parochus teneatur communionem ministrare, quoties petitur, juxta prædicta, & sub qua culpa. Vide cap. 1. §. 7.

181 Circa amentes, & fatuos ita [c] se gerat. Amentes perpetuos à nativitate numquam communicet. Amentes verò, qui habent lucida intervalla, communicet saltem in Paschate, si dum erant sanæ mentis petierunt, aut desiderarunt communionem, & non sit periculum irreverentiæ, & idem dicendum de tempore Jubilei. Semifatui, id est, qui habent debilem usum rationis, communicentur in Paschate, & in Jubileo, & non frequentius. Dæmoniaci, qui benè vivebant, & de quibus non constat fuisse in statu peccati, quando arrepti sunt, communicentur in Paschate, & in Jubileo, si non resistant, nec sit periculum irreverentiæ, quia illorũ arreptio non est signum culpæ, & Eucharistia juvare potest ad fugandum dæmonẽ.

182 Dico 2. Pueri [d] nondum ratione utentes communicandi non sunt, quia adhuc non obligantur præcepto neque divino, neque humano; & licèt sint capaces fructus Eucharistiæ, Ecclesia non solet illos admittere propter incommoda, quæ occurrere possunt, quamvis oppositum olim fuerit in usu. [e] Habentes verò usum rationis communicentur, juxta dicta lib. præc. c. 14. §. 5. Si autem puer prima vice absque examine Parochi se præsentet ad mensam, illum non communicet, quia ut benè administret, debet priùs suscipientem agnoscere per examen. Si tamen puer dicat se à confessore idoneo mitti, potest credere dignè admissum, illumque communicare sine scrupulo. Bonum remediũ erit, si Parochus cùm suos parœcios describit, dicat pueris, qui de proximo videntur communicandi, ne accedant ad mensam, antequã ipsum adeant, ut de illorum idoneitate judicet. Et prima vice, qua puerum admittit, diligẽter illum instruat de hoc mysterio, ut assuescat communicare cum reverentia; in quo Parochus sit diligens, quia rem magnam præstabit.

183 Dico [f] 3. Licèt de jure Parocho non liceat communicare alienas oves, extra casus necessitatis; ex usu, & praxi universali licet communicare non solùm vagos, & peregrinos, qui Sacramenta recipiunt in locis, in quibus reperiuntur, sed etiam eos, qui ex vicinis Parochiis ad festa confluunt devotionis causa, ne fructum suæ devotionis amittant. Solùm in Paschate id non licebit, nisi crederet communicare ex devotione, quia vel jam præceptum communionis Paschalis impleverunt, vel postea implebunt in propria Parochia.

184 Dico [g] 4. Nulli invito habenti usum rationis danda est communio, ut generaliter de Sacramentis dictum est c. 1. §. 4. & 7. Nec phreneticis reluctantibus, cùm adest periculum exputionis, vomitus, alteriusve irreverentiæ. Nec illis, qui ceciderunt in amentiam, dum erant in statu peccati mortalis, quamvis nullam irreverentiam ostendant.

185 Dico 5. Communio neganda est publicè & privatè peccatori [h] publico eam petenti. Prob. quia Parochus tenetur sancta sanctè tractare ex virtute Religionis, quæ prohibet Sacramenta, quæ sunt instrumenta & fontes sanctitatis, indignis ministrare, quales maximè sunt publici peccatores; ergo sive publicè, sive privatè petant, eis neganda est. Tunc autem publicè petunt, cùm accedunt ad mensam cum aliis, vel à Parocho coram aliis petunt; privatè verò, cùm à Parocho solitariè petunt. Id autem est intelligendum, si petat in loco, ubi peccatum est publicum; quia si petat in loco, ubi peccatum publicum non est, censetur peccator occultus, de quo infrà. Intellige etiam, nisi constet de emendatione, quia si publicè constaret esse emendatum, communio publicè danda est. Si verò petat privatè, satis est, quòd de illius pœnitentia privatim innotescat. Quod autem dictum est de publico peccatore, extendi solet ad eos qui de crimine [i] sunt suspecti, quando suspicio est violenta, seu quæ talibus conjecturis innititur, ut moralem certitudinem inducat, neque ex aliqua rei cir-

b Possev. c. 8.
c Possev. c. 8. n. 9.
d Trid. Sess. 21. can. 4.
e Possev. c. 8. n. 9. & 10
f Possev. c. 7. n. 7.
g Possev. c. 5. n. 5.
h Soa. d. 67. s. 2.
i Soar. s. 6.

cumstantia probationem ullam in contrarium admittat; ea enim suspicio ferè æquivalet manifesto crimini. Unde si est publica, neganda est Eucharistia publicè, & privatè: si occulta, petenti dumtaxat privatè. Suspicio verò probabilis non sufficit ad negandam nec publicè, nec privatè petenti.

l Soar. s. 3. & 4. 186 Dico 6. Peccatori [l] occulto communionem occultè petenti, neganda est Eucharistia, non verò si publicè petatur. Prob. quoad 1. partem, quia nulla fit injuria sic indignè petenti denegando, & alioqui consulitur honori Sacramenti indigno illud negando. Hoc autem intellige, si peccatum Parocho notum sit, extra confessionem, quia si solùm notum esset per confessionem, non posset propter illud communionem negare, quia foret tacita exprobratio peccati in confessione auditi, & quædam indirecta violatio sigilli. Prob. quoad secundam ex facto Christi Domini, qui Judæ proditori Eucharistiam non negavit, eò quòd peccatum illius nondum aliis innotuerat; & ex communi praxi Ecclesiæ, quæ publicè petentibus Eucharistiam non negat, nisi sint publici peccatores, ne publicè infamet eos, quorum peccata sunt occulta.

187 Peccator verò publicus non dicitur ille, qui publicè peccat; nam qui publicè occidit, vel aliud malum operatur, publicè quidem peccat, non tamen dicitur peccator publicus; sed dicitur ille, qui permanet [m] in statu peccati, v. c. usurarius, concubinarius, excommunicatus publicus, meretrices, latrociniis, aut assassiniis vacantes ex officio, histriones qui ex officio repræsentant comœdias turpes ad peccatum provocantes, & alii. Qui tales sunt vel notoreitate juris, ut qui in judicio tales se esse confessi sunt, aut per sententiam judicati, aut per testes legitimos convicti: vel notoreitate facti, ut quando factum est notorium, quia scitur in majori parte viciniæ, ad quod sufficit, ut sciatur à decem, vel sex personis illius; aut quod ita sit publicum, ut nulla tergiversatione celari possit. Soar. [n] vult peccatorem in hac parte posse dici publicum vel respectivè, quando tam publicum est peccatum, quàm petitio communionis, quia nimirum petitur coram duobus, aut tribus, qui peccatum sciunt, quamvis alii nesciant: vel absolutè, quando notitia peccati absolutè publica est, & utrique docet communionem negandam, quoadusque populus certificatus fuerit de illius emendatione.

m Soa. s. 5.

n d. 67. s. 5.

188 Quamvis autem aliqui velint publicum peccatorem non esse communicandum, quoadusque fecerit publicam pœnitentiam, satis tamen videtur, cùm ostenderit signa emendationis, vel Parochus de illius licentia propalaverit jam esse confessum, & pœnitentem, jam non dicendum peccatorem publicum. Satis autem videtur populus [o] certificari de emendatione, si vel publicè confessus sit, vel Parochus de confessione facta admoneat. Potest tamen Parochus, & debet de talibus inquirere, ut sciat quid agendum in Sacramentorum administratione. Sed quid de peccatore publico, v. c. concubinario, qui hoc anno per aliquot dies ante confessionem concubinam ejecit, cùm anno præterito, & fortè sæpius idem fecerit, & paucis post diebus eam revocavit? Resp. [p] Soa. esse communicandum, quia in pœnitente non requiritur aliud, quàm quòd statum peccati reliquerit, estò paulò ante hoc egerit. Quæ responsio licèt fortè in rigore vera sit: melius tamen videtur, si Parochus vel Episcopum consulat, vel de pœnitentia hominis experimentum capiat, antequam communionem concedat, quia fecisse hoc anno, quod aliàs fecit, satis arguit nunc magis pœnitentem non esse, quàm aliàs fuerit. [q] Satis tamen erit si hoc anno pluribus diebus contineat, quàm elapso, talis enim pœnitentia probabilis videtur.

o Soa. s. 2.

p Soa. s. 2.

q Possev.

189 Potest, & debet Parochus peccatorem publicum repellere à communione, dum positus est ad mensam. Melius tamen faciet, si privatè admoneat, ne ad mensam accedat, quia tenetur eum ab ea arcere; & magis expedit, quando peccator est vir nobilis, aut homo terribilis. Potest [r] etiam ex altari admonere ne tales accedant, quia repellendi sunt. Nunquam autem danda est hostia non consecrata pro consecrata, etiam ex conventione cum peccatore. Parochus, licèt possit dare communionem peccatori occulto publicè petenti, non potest tamen illum inducere ad communicandum sine mortali: non tamen censebitur inducere, dum generaliter ad communionem hortatur.

r D. Tho. 3. p. q. 80. a. 6. ad 2. Soa. s. 4.

§. 2.

De communione infirmorum per modū viatici.

Diximus sect. 4. teneri omnes ex divino præcepto communicare in arti- 190

articulo mortis, seu quando est periculum, quòd infirmus moriatur & dicitur communio per modum viatici, quia est quasi viaticum ad viam æternitatis conficiendam, ut sine dispendio salutis infirmus superare valeat tentationes, & difficultates, quæ in ea occurrere possunt, & solent.

a DD. apud Vasq. q. p. d 214. c. 1

191 Licèt autem aliqui [a] DD. dicant eum, qui sanus communicavit, & paucos post dies incidit in mortis periculum, non teneri ad communionem de novo, eò quòd præcedens sumpta ante sex, vel octo dies, habuit rationem viatici, potestque infirmum confortare ad tentationes vincendas eumque uniendum cum Christo, in quos fines præcipitur in eo casu communio, sitque sententia probabilis. Nihilominus consulendum omnibus est, ut iterum communicent, & si communio sumpta fuisset die præcedente, imò licèt in eodem sanus communicasset, si postea incidat in periculum mortis, & sit dubium, quòd non vivat in diem sequentem, vel quod amittet usum rationis, potest, & debet eodem die iterum communicare etiam non jejunus. Et quia communio præcipitur pro articulo mortis, in quo præcedens sumpta non fuit, quæ proinde vix potest habere rationem viatici; & quia per illam infirmus accipiet augmentum gratiæ, & magis disponetur ad viam, esseque præcisam obligationem, est verior sententia DD.[b]

b Vasq. c. 2. Tol. l. 6. c. 18. n. 4.

192 Est autem tam stricta hæc obligatio, ut infirmus possit, & debeat communicare non jejunus, si commodè expectare non possit tempus, in quo jejunus communicet, quia est periculum, quòd non supervivat, vel quòd ante tale tempus amittat usum rationis. An autem tale sit periculum, medicus judicabit, & in ejus absentia viri prudentes, nec Parochus in hoc scrupulosè agat, sed communicet omni hora diei, imò & noctis. Si tamen ad communicandum infirmum Parochus celebrare debeat, quia in ejus Parochia non servatur Eucharistia, non potest [c] celebrare non jejunus ob reverentiam debitam tanto Sacramento: licèt oppositam sententiam probabilem dicant non pauci, inter quos est P. Soar. citatus, Gran. tr. 10. de Euchar. disp. 5. n. 12. Filiuc. tract. 4. n. 242. Amicus tom. 7. disp. 27. Dian. p. 5. tr. 3. resol. 35. Laym. tr. 4. de Euchar. cap. 6. qui n. 21. addit probabile esse, non solùm posse Parochum celebrare non jejunum ad communicandum infirmum, sed ad id teneri, quando infirmus alia Sacramenta non accepit, nec potest accipere. Communis tamen DD. sententia in utroque casu negat. Ego non damnarem, maximè si infirmus nec sacramentum Pœnitentiæ, nec Extremæ unctionis recipere posset; quia per Eucharistiam posset ex attrito fieri contritus, & salvari. Si verò Extremam unctionem accipere posset, cessaret necessitas celebrandi non jejunum, quia unctio eundem effectum præstaret. Nullo tamen modo probo, quod ausus est dicere Maj. posse Parochum in prædicta necessitate consecrare non celebrando, ut talem infirmum communicet, quando celebrare non potest, vel quia non suppetit tempus, vel quia non habet necessaria ad celebrandum. Quia hoc abhorret à communi usu, & sensu Ecclesiæ, & à reverentia venerabili debita Sacramento. Poterit tamen celebrare una hora [d] ante consuetam, & altera post. Quæ autem sit hora consueta celebrandi, dictum est l. 4. c. 14. Si enim multi habent hoc privilegium à Pontifice, cur rationabiliter præsumi non potest necessitatem communicandi infirmum idem concedere?

c Azor. 1. p. l. 10. c. 30. q. 2. Soa. d. 68.

d Possev. c. 8. n. 18.

193 Tenetur autem Parochus ex officio communicare [e] omnes infirmos suæ Parochiæ, nec ab hoc excusat qualibet paupertas infirmi, loci immunditia, fœtor, aut quævis alia indecentia, quia Christus solam abhorret indecentiam peccati. Unde tenetur communicare leprosum, habentem cancrum, vel ulcera maximè fœtida, peste infectos, quoslibet laborantes infirmitatibus contagiosis, contra quas munire se debet remediis opportunis: si autem ei mori contingat, mors erit gloriosa, quia morietur in officio suo, & in exercitio maximæ charitatis, quæ mors à multis martyrio confertur.

e Soar. de præ. d. 4. l. 3. n. 17.

194 Quare ratione infirmitatis nemini communionem neget, nisi infirmitas talis sit, ut impediat sumptionem Sacramenti, aut ejus reverentiam, quales sunt illæ, in quibus est periculum vomitus, seu exputionis, vel quando formula non potest deglutiri. Talis solent esse angina vehemens, quæ nihil patitur deglutiri; tussis vehementissima; phrænesis cum furore; vomitus assiduus, quando stomachus nihil retinet. Si possibile non sit communicare infirmum propter hæc, & similia peri-

pericula, inducat Parochus pro viribus ad bonam contritionem, & ad spiritualem communionem desiderii, & affectum. Antequam deferat Eucharistiam, videat, si potest, statum infirmi, capiat sufficientem informationem. Si autem evomatur communio, faciat, ut disponitur in Missali. Si species appareant, cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in piscinam projiciantur. Si non appareant, comburatur vomitus, & cineres in piscinam mittantur.

195 Si infirmus statim post communionem moriatur, [f] & deglutivit species, nihil est agendum. Si species post mortem appareant in ore Defuncti, debent extrahi, & reponi in sacrario, donec corrumpantur, postea fiat, ut suprà. Si dubites de vita infirmi, an paulò post moriatur, communica illum, quia gratia confertur; cùm Sacramentum deglutitur. Quamvis pueri in sanitate communiter non admittantur ad communionem statim post septennium, ut dictum est suprà, & agendo de præcepto communionis paschalis, in morte expedit illos communicare etiam in dubio de sufficienti usu rationis, ut vult [g] Nav. Addit verò [h] Soar. cùm puer est capax confessionis, Parochum teneri illum communicare in morte, non esseque consilium, sed obligationem: & Parochus hoc sequatur.

f Possev. c. 8. n. 17.

g Cap. 21. n. 57.

h 3 70. s. 1. ad fin.

196 Non est neganda communio, omni, qui in morte confessus [i] non est, si per illum non stetit, ut si amisit loquelam, aut habuit aliud simile impedimentum non voluntarium, quia amisit rationis usum. Unde infirmus phræneticus, qui in infirmitate confessus fuit; imò si ante infirmitatem christianè vixit, & in infirmitate factus est phræneticus, unde confiteri non potuit, communicandus est etiam non confessus, dummodo non sit periculum irreverentiæ. Idemque dicendum, estò habuerit lucida intervalla, & sæpè rogatus à Parocho, ut confiteretur, numquam induci potuit, ita ut remanserit dubium, an fuerit tunc phræneticus, an noluerit respondere; est enim communicandus, si aliàs bonus habebatur, quia non debet credi, nisi phræneticus, cùm nemo censendus sit suæ salutis immemor. Si verò erat malæ famæ, non est communicandus, quia non præsumitur capax Sacramenti, & à fortiori si constaret fuisse in statu peccati.

i Possev. n. 31. & 38.

197 In eadem infirmitate [l] potest communio sæpius dari semel per modum viatici, aliàs modo ordinario. Non tamen hoc faciendum quotidie, sed quandoque, v. c. sexto quoque die; licèt Religiosis, Ecclesiasticis, & viris spiritualibus, qui sani sæpiùs communicabant, si sit commoditas, possit sæpiùs, imò & singulis diebus dari. Quamvis autem aliqui teneant posse pluries in eadem infirmitate dari non jejuno: tu oppositum tene: da semel non jejuno per modum viatici, si opus fuerit, juxta suprà dicta: si autem postea dederis, non des nisi jejuno, ut tenet Rituale Pauli V. Nam cùm aliæ communiones necessariæ non sint, debet servari preceptum de communicando jejuno. Si tamen periculum mortis per aliquot dies evaderet, & iterum in illud incideret, posset iterum communicare non jejunus, ut docet Tolet. [m] cum aliis.

l Possev. n. 32.

m Lib. 6. c. 15. n. 5.

198 Sed quid de peccatore publico? Resp. communicandum, si pœniteat: [n] Faciat tamen Parochus, ut priùs ejiciat concubinam, & postea communicet. Si verò mors instet, & non detur tempus ejiciendi, vel illa sit talis conditionis, ut facilè ejici non possit, quia est affinis, vel consanguinea conjuncta, curet separari meliori modo possibili, ita ut non accedat ad infirmum, nec ab illo videatur, & stante proposito ejiciendi communicet; aliàs nec absolvat, nec communicet. Si sit meretrix, & verè pœniteat, communicetur. Si est periculum recidivi, quia est in prostibulo, ubi visitari potest ab iis, cum quibus peccare consueverat; cura ut ponatur in tuto, v. c. in hospitali, aut domo honesta, & tunc absolve, & communica, si id fieri non potest, non sinas visitari à personis suspectis, & Sacramenta concede. Et si neque hoc permittitur, quia jam jam spirat, absolve, & communica admonendo populum de pœnitentia fœminæ; quia cùm hæc nihil amplius præstare possit, non est ulterius urgenda.

n Possev. n. 32. c. 7. à n. 93.

198 Usurarius publicus etiam post bonam confessionem, communicandus non est, nisi prius satisfaciat, si potest, vel saltem det cautionem de satisfaciendo, aut pignus tradendum Episcopo,

o Possev.

po,

Digitized by Google

po; aut ejus Vicario. Et si neutrum sit possibile, Parocho aut confessario. Et si neque hoc fieri possit, saltem juret satisfacturum, quamprimùm potuerit; aliàs non communicetur, quia ita decernunt sacri Canones.

p Poss. v. 199 Alii peccatores [p] publici in morte satis est habeant propositum abstinendi à suis peccatis, & tunc poterit Parochus de eorum licentia patefacere populo verè esse pœnitentes, ut tollatur scandalum, quos aliter non communicet; sicut neque si non dederint satisfactionem necessariam, quam tunc possunt, ut si nolint reconciliari cum inimico, petere veniam de injuriis illatis &c. quia sine hoc pœnitentes non sunt.

q Possev. 200 Peccator [q] verò occultus, si pœniteat, communicandus est. Si verò Parochus vocatus ad confessionem illum absolvere non potuit, quia noluit satisfacere obligationi, quam habebat dimittendi occasionem, restituendi, & similibus, neget ei communionem, ut suprà dictum est de peccatore occulto sano, non obstante scandalo, quod inde oriri potest, si non communicet in periculo mortis, quia illius causa tota est ipse infirmus ob suam impœnitentiam. Si verò domestici nescientes de impedimento cum Parocho agant de communione infirmi: interroget an infirmus communionem petat; si affirment, communicet, quia qui per alios petit, per se petere censetur, & cùm sit peccator occultus, non potest ei publicè petenti communionem negare, ut suprà dictum est. Si dicant infirmum non petere, sed ipsos uti hac diligentia. [r] Resp. si infirmus voluerit, communicabo, quia ad hoc tenetur Parochus, & sic non violabit sigillum. Si verò domestici dicant Parocho: Domine, iste non communicat, hortare illum ad communionem; annuat, & exclusis omnibus domesticis, solus cum eo agat, si fortè eum capacem reddat. Si hoc obtinere non potuit, & infirmus dicat Parochum noluisse absolvere, & de hoc Parochus à domesticis interrogetur; respondeat generalia non revelantiam confessionem, v. c. functus sum munere meo: si voluerit, communicabo, & similia.

r Soa. de pœn. d. 35. s. 7. asser. 3 Henriq. l. 6. c. 21.

SECTIO VI.

De effectibus Eucharistiæ.

Dico primò: Eucharistia per se primam gratiam non confert. Prob. quia Eucharistia fuit instituta per modum cibi spiritualis: sed cibus non dat vitam mortuo: ergo nec Eucharistia dat per se primam gratiam, quæ est vita animæ, & ideo habet primum locum inter Sacramenta vivorum, quorum est gratiam augere. Dixi: *Per se*, quia per accidens primam gratiam conferre potest, quando quis ad Eucharistiam accedit probabiliter putans se esse in gratia, cùm tamen sit in peccato, & aliunde sufficienter attritus. Nam Sacramenta novæ legis vi sua, non spectato merito operantis, conferunt gratiam, si sine obice suscipiantur: sed qui modo prædicto communicat, non ponit obicem gratiæ, cùm non peccet in susceptione, & aliunde per supernaturalem attritionem sufficienter avertatur à peccato: ergo primam gratiam comparabit. Unde hoc est discrimen inter Sacramenta vivorum, & mortuorum, quia ista, nempe Baptismus, & pœnitentia per se sunt mortuorum, per accidens verò vivorum: alia verò per se sunt vivorum, per accidens autem mortuorum. 201

a 02. d. 61. s. 1.

b Soa. s. 1. & 2.

202 Dico secundò. Eucharistia habet vim præservandi à peccatis mortalibus. Habetur in [c] Trident. dicente: Eucharistiam institutam esse ut antidotum, quo præservamur à peccatis mortalibus. Fit autem [d] hæc præservatio 1. per gratiam sanctificantem vi Eucharistiæ infusam, 2. & principaliter per auxilia actualia concessa ad tentationes vincendas, & peccata mortalia cavenda, 3. per externam Dei protectionem provenientem ex sumptione Eucharistiæ.

c Sess. 13 c. 2. 9.

203 Dico tertiò: Eucharistia per se confert augmentum [e] gratiæ. Prob. quia est Sacramentum novæ legis, cujus proprium est, ex vi sua gratiam conferre; non confert autem primam gratiam, nisi per accidens: ergo per se confert augmentum primæ, sicut cætera vivorum. Confert autem hoc augmentum, quamvis accipiens actuali devotione [f] destituatur. Nam sic accipiens non ponit obicem: ergo non

e Trident. proximè Soa. s. 1.

f Soa. s. 3.

Digitized by Google

pericula, inducat Parochus pro viribus ad bonam contritionem, & ad spiritualem communionem desiderii, & affectum. Antequam deferat Eucharistiam, videat, si potest, statum infirmi, capiat sufficientem informationem. Si autem evomatur communio, faciat, ut disponitur in Missali. Si species appareant, cautè separentur, & in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, & postea in piscinam projiciantur. Si non appareant, comburatur vomitus, & cineres in piscinam mittantur.

195 Si infirmus statim post communionem moriatur, [f] & deglutivit species, nihil est agendum. Si species post mortem appareant in ore Defuncti, debent extrahi, & reponi in sacrario, donec corrumpantur, postea fiat, ut suprà. Si dubites de vita infirmi, an paulò post moriatur, communica illum, quia gratia confertur; cùm Sacramentum deglutitur. Quamvis pueri in sanitate communiter non admittantur ad communionem statim post septennium, ut dictum est suprà, & agendo de præcepto communionis paschalis, in morte expedit illos communicare etiam in dubio de sufficienti usu rationis, ut vult [g] Nav. Addit verò [h] Soar. cùm puer est capax confessionis, Parochum teneri illum communicare in morte, non esseque consilium, sed obligationem: & Parochus hoc sequatur.

f Possev.c. 8.n.17.

g Cap.21. n.57.

h à 70.§.1. ad fin.

196 Non est neganda communio, omni, qui in morte confessus [i] non est, si per illum non stetit, ut si amisit loquelam, aut habuit aliud simile impedimentum non voluntarium, quia amisit rationis usum. Unde infirmus phræneticus, qui in infirmitate confessus fuit; imò si ante infirmitatem christianè vixit, & in infirmitate factus est phræneticus, unde confiteri non potuit, communicandus est etiam non confessus, dummodo non sit periculum irreverentiæ. Idemque dicendum, estò habuerit lucida intervalla, & sæpè rogatus à Parocho, ut confiteretur, numquam induci potuit, ita ut remanserit dubium, an fuerit tunc phræneticus, an noluerit respondere; est enim communicandus, si aliàs bonus habebatur, quia non debet credi, nisi phræneticus, cùm nemo censendus sit suæ salutis immemor. Si verò erat malæ famæ, non est communicandus, quia non præsumitur capax Sacramenti, & à fortiori si constaret fuisse in statu peccati.

i Possev.n. 31. & 38.

197 In eadem infirmitate [l] potest communio sæpius dari semel per modum viatici, aliàs modo ordinario. Non tamen hoc faciendum quotidie, sed quandoque, v. c. sexto quoque die; licèt Religiosis, Ecclesiasticis, & viris spiritualibus, qui sani sæpiùs communicabant, si sit commoditas, possit sæpiùs, imò & singulis diebus dari. Quamvis autem aliqui teneant posse pluries in eadem infirmitate dari non jejuno: tu oppositum tene: da semel non jejuno per modum viatici, si opus fuerit, juxta suprà dicta: si autem postea dederis, non des nisi jejuno, ut tenet Rituale Pauli V. Nam cùm aliæ communiones necessariæ non sint, debet servari preceptum de communicando jejuno. Si tamen periculum mortis per aliquot dies evaderet, & iterum in illud incideret, posset iterum communicare non jejunus, ut docet Tolet. [m] cum aliis.

l Possev.n. 32.

m Lib.6.c. 15.n.5.

198 Sed quid de peccatore publico? Resp. communicandum, si pœniteat: [n] Faciat tamen Parochus, ut priùs ejiciat concubinam, & postea communicet. Si verò mors instet, & non detur tempus ejiciendi, vel illa sit talis conditionis, ut facilè ejici non possit, quia est affinis, vel consanguinea conjuncta, curet separari meliori modo possibili, ita ut non accedat ad infirmum, nec ab illo videatur, & stante proposito ejiciendi communicet; aliàs nec absolvat, nec communicet. Si sit meretrix, & verè pœniteat, communicetur. Si est periculum recidivi, quia est in prostibulo, ubi visitari potest ab iis, cum quibus peccare consueverat; cura ut ponatur in tuto, v. c. in hospitali, aut domo honesta, & tunc absolve, & communica, si id fieri non potest, non sinas visitari à personis suspectis, & Sacramenta concede. Et si neque hoc permittitur, quia jam jam spirat, absolve, & communica admonendo populum de pœnitentia fœminæ; quia cùm hæc nihil amplius præstare possit, non est ulterius urgenda.

n Possev. n.38. c.7.à n.93.

198 Usurarius publicus etiam post [o] bonam confessionem, communicandus non est, nisi prius satisfaciat, si potest, vel saltem det cautionem de satisfaciendo, aut pignus tradendum Episco-

o Possev.

po,

Digitized by Google

po, aut ejus Vicario. Et si neutrum sit possibile, Parocho aut confessario. Et si neque hoc fieri possit, saltem juret satisfacturum, quamprimùm potuerit; aliàs non communicetur, quia ita decernunt sacri Canones.

199 Alii peccatores [p] publici in morte satis est habeant propositum abstinendi à suis peccatis, & tunc poterit Parochus de eorum licentia patefacere populo verè esse pœnitentes, ut tollatur scandalum, quos aliter non communicet; sicut neque si non dederint satisfactionem necessariam, quam tunc possunt, ut si nolint reconciliari cum inimico, petere veniam de injuriis illatis &c. quia sine hoc pœnitentes non sunt.

p Poss. v.

200 Peccator [q] verò occultus, si pœniteat, communicandus est. Si verò Parochus vocatus ad confessionem illum absolvere non potuit, quia noluit satisfacere obligationi, quam habebat dimittendi occasionem, restituendi, & similibus, neget ei communionem, ut suprà dictum est de peccatore occulto sano, non obstante scandalo, quod inde oriri potest, si non communicet in periculo mortis, quia illius causa tota est ipse infirmus ob suam impœnitentiam. Si verò domestici nescientes de impedimento cum Parocho agant de communione infirmi: interroget an infirmus communionem petat; si affirment, communicet, quia qui per alios petit, per se petere censetur, & cùm sit peccator occultus, non potest ei publicè petenti communionem negare, ut suprà dictum est. Si dicant infirmum non petere, sed ipsos uti hac diligentia. [r] Resp. si infirmus voluerit, communicabo, quia ad hoc tenetur Parochus, & sic non violabit sigillum. Si verò domestici dicant Parocho: Domine, iste non communicat, hortare illum ad communionem; annuat, & exclusis omnibus domesticis, solus cum eo agat, si fortè eum capacem reddat. Si hoc obtinere non potuit, & infirmus dicat Parochum noluisse absolvere, & de hoc Parochus à domesticis interrogetur; respondeat generalia non revelantiam confessionem, v. c. functus sum munere meo: si voluerit, communicabo, & similia.

q Possev.

r Soa. de pœn. d. 31. s. 7. asser 3 Henriq. l. 6. c. 21.

SECTIO VI.

De effectibus Eucharistiæ.

Dico primò: Eucharistia per se primam gratiam non confert. Prob. [a] quia Eucharistia fuit instituta per modum cibi spiritualis: sed cibus non dat vitam mortuo: ergo nec Eucharistia dat per se primam gratiam, quæ est vita animæ, & ideo habet primum locum inter Sacramenta vivorum, quorum est gratiam augere. Dixi: *Per se*, quia per [b] accidens primam gratiam conferre potest, quando quis ad Eucharistiam accedit probabiliter putans se esse in gratia, cùm tamen sit in peccato, & aliunde sufficienter attritus. Nam Sacramenta novæ legis vi sua, non spectato merito operantis, conferunt gratiam, si sine obice suscipiantur: sed qui modo prædicto communicat, non ponit obicem gratiæ, cùm non peccet in susceptione, & aliunde per supernaturalem attritionem sufficienter avertatur à peccato: ergo primam gratiam comparabit. Unde hoc est discrimen inter Sacramenta vivorum, & mortuorum, quia ista, nempe Baptismus, & pœnitentia per se sunt mortuorum, per accidens verò vivorum: alia verò per se sunt vivorum, per accidens autem mortuorum. 201

a Oa. d. 63. s. 1.

b Soa. s. 1. & 2.

202 Dico secundò. Eucharistia habet vim præservandi à peccatis mortalibus. Habetur in [c] Trident. dicente: Eucharistiam institutam esse ut antidotum, quo præservamur à peccatis mortalibus. Fit autem [d] hæc præservatio 1. per gratiam sanctificantem vi Eucharistiæ infusam, 2. & principaliter per auxilia actualia concessa ad tentationes vincendas, & peccata mortalia cavenda, 3. per externam Dei protectionem provenientem ex sumptione Eucharistiæ.

c Sess. 13 c. 2. 9.

203 Dico tertiò: Eucharistia per se confert augmentum [e] gratiæ. Prob. quia est Sacramentum novæ legis, cujus proprium est, ex vi sua gratiam conferre; non confert autem primam gratiam, nisi per accidens: ergo per se confert augmentum primæ, sicut cætera vivorum. Confert autem hoc augmentum, quamvis accipiens actuali devotione [f] destituatur. Nam sic accipiens non ponit obicem: ergo non

e Trident. proximè Soa. s. 1.

f Soa. s. 3.

minus augmentum gratiæ recipit, quàm reciperet parvulus, qui capax est hujus Sacramenti. Accedit, quia Eucharistia instituta est per modum cibi ad animæ nutritionem; ista autem nutritio fieri potest per augmentum gratiæ ex vi, & efficacia Sacramenti, estò non concurrat ulla operatio ex parte suscipientis; ergo. Uberior tamen fructus dabitur illi, qui devotè susceperit.

204 Dico quartò: Eucharistia confert augmentum gratiæ, quando manducatur, seu [g] deglutitur. Prob. ex illo Christi: *Qui manducat meam carnem &c.* Cùm enim Eucharistia sit Sacramentum permanens, operari debet, quando applicatur suscipienti; tunc autem ei applicatur, quando ab illo comeditur; ergo in ipsa comestione gratiam producit. Unde suum effectum non confert, post ipsam sumptionem. Quia Sacramenta solum producunt suum effectum, quando illis utimur, seu in ipso actuali usu; sed non utimur Eucharistia, quando species remanent in stomacho, sed quando eas manducamus, aliàs utilius foret sumere majorem hostiam, quæ diutius remaneret in stomacho.

g Sua. f. 4.

205 Dico quintò: Duæ species ejusdem rationis sumptæ in eadem communione non plus [h] gratiæ conferunt, quàm una. Prob. quia licèt sumptio posterioris hostiæ sit physicè distincta, moraliter censetur una, & eadem manducatio; ergo non major utrique effectus respondet, quàm si altera tantùm sumeretur: nam gratia non est præcisè promissa speciebus, sed manducationi. Unde ubi una tantùm est moralis manducatio, & communio, unus est effectus, estò plures, ac distinctæ sint species. In quo casu gratia non confertur per partes, sed tota simul, sicut quando unica species sumitur. Idem dicendum est de duabus speciebus diversæ rationis in eadem communione [i] separatim sumptis. Prob. quia estò sumptio speciei vini physicè distinguatur à sumptione hostiæ, moraliter est eadem sumptio, & communio; ergo non major debetur effectus utrique, quàm alteri tantùm.

h Suar. f. 5.

i Soa. f. 6.

206 Dico sextò: Eucharistia delet peccata venialia ex opere operato. Sumitur ex Trident. [l] dicente hoc Sacramentum esse antidotum, quo liberamur à culpis quotidianis: id autem præstat mediante [m] gratia habituali, quam confert; cùm enim instituta sit per modum cibi, ut nutriet, & vires reficiat; congruum fuit, ut gratia Eucharistica id in nobis repararet, quod ex calore fomitis per peccata venialia deperditur, illa remittendo per specialem Dei condonationem sibi adjunctam, qua formaliter ab anima expellantur.

l Sess. 13. c. 2.

m Soa. f. 10

207 Dico septimò: Eucharistia non habet vim remittendi ex opere operato pœnas [n] temporales debitas peccatis remissis. Hæc non aliunde prob. nisi quia neque concilia, aut PP. hujus effectus meminerunt, quod satis est, ut sine fundamento asseratur; præsertim cùm neque ex augmento gratiæ colligi possit, neque ex fine hujus Sacramenti: quia reatus pœnæ non includit malitiam moralem impedientem fervorem gratiæ, & charitatis. Addo tamen non videri improbabile oppositum; cùm enim Eucharistia vim habeat delendi maculas veniales, ut dictum est; cur illam non habebit ad delendam aliquam saltem partem pœnæ illis debitæ? Cùm videatur consentaneum, ut qui offensam condonat, simul aliquid saltem pœnæ remittat. De effectibus, quos Eucharistia causat in corpore, vide, si placet, Soar. disp. 64.

n D. Tho. 3 p. q. 79. a. 8. Suar. f. 12.

SECTIO VII.

Admonitio ad Parochum circa communionem.

Quamvis Parochus satis admonitus videatur ex dictis sect. 5. de communione tam sanorum, quàm infirmorum, de aliquibus tamen aliis breviter admonendus est, ut in hoc tam sancto ministerio laudabiliter se gerat, ac cum debita scientia, ne detur locus perplexitatibus. 208

209 Admoneo igitur 1. ut totis suis viribus, & industria introducat, & conservet in sua Parochia frequentiam sacræ Communionis, rem enim magnam præstabit, & notabilem experietur utilitatem, quia videbit populum suum benè disciplinatum, fervidum, operibus pietatis deditum, à peccatis alienum, ita ut de illo dici possit: [a] *Genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.* In hoc laborando non solùm gloriam apud Deum, sed

a 1. Pet. 2. 9.

sed laudem apud homines, amorem, ac reverentiam, comparabit, præbebitque se dignum pastorem, qui ovibus salutaria pascua æternæ vitæ labore suo procurat, ac solicitat.

210 Admoneo secundò, ut sit satis versatus in rubricis Missalis de defectibus in Missa occurrentibus, ubi expediuntur multæ difficultates sæpissimè contingentes tam in celebratione sacrificii, quàm in administratione Eucharistiæ, quæ non prævisæ hominem ponunt in magnis perplexitatibus, ita ut sæpè non occurrat quid agendum, unde sæpissimè erratur in re gravi. Admoneo tertiò, licèt in omni hora diei posset hominem sanum communicare, cùm nullum jus prohibeat communicare jejunum omni hora, ut notat Azor. [b] horam tamen aptiorem esse illam, qua celebrari solet, quæ est à primò manè usque ad meridiem. Credo enim futurum si non scandalum, saltem admirationem, quæ fugienda est, si videatur sanus communicare post talem horam: quare prudenter observabit hanc probatam consuetudinem.

b 1 p.l.10. c.25. q.8.

211 Admoneo quartò, si veniat aliquis communicandus, & non adsit formula consecrata, celebret Parochus, si est jejunus, & communicet. Si [c] autem veniat, dum actu celebrat, si nondum consecravit, consecret simul formulam pro communicando, & non det partem hostiæ, quia ita habet usus universalis Ecclesiæ. Potest autem formulam consectare etiam transacto offertorio, illam interius offerendo, ut diximus l. 4. c. 17. Si verò veniat post consecrationem, det partem hostiæ sine scrupulo, & communicet venientem.

c Possev.c. 8.n.13.

212 Admoneo quintò, ut nulla etiam stante necessitate communicandi infirmum, vel simili, consecret absque eo, quod celebret; quia licèt non desint, qui id concedant, prohibetur à jure, [d] estque contra universalem Ecclesiæ consuetudinem, & puto sine gravi peccato mortali fieri non posse. Admoneo sextò, ut neminem eodem die bis communicet. Unde postquam aliquem communicavit, non potest [e] eidem præbere, etiam ante ablutionem, fragmenta quamvis minima, nisi dentur simul cum formula per modum unius, quia esset secunda communio. Quando autem communicat infirmum, purificet vasculum, vel patenam, in qua erat formula, & totum tribuat per modum ablutionis, quod si infirmus sumere non possit dejiciat in piscinam, vel ignem, ne asservatum superstitioni deservire valeat.

d d.2.de consecr.c. 11.

e Soar. d. 68 f.6.

213 Ipse verò Parochus potest bis communicare etiam non jejunus in casibus, de quibus dictum est sect. 4. Adde. Si manè celebravit, & postea hæretici urbem ingrediantur, à quibus timeat Eucharistiam conculcandam, vel si ignis serpat, & timeatur comburendam Eucharistiam. [f] Similiter si pro communicando infirmo longè à Parochia, & post communionem infirmi, & ablutionem ab ipso celebrante acceptam, reperiat fragmenta, quæ nec decenter possunt conservari, nec deferri ad Ecclesiam, sumet illa etiam non jejunus. Et idem faciat de reliquiis proprii sacrificii repertis in altari post communionem, & purificationem, si ibi non sit tabernaculum Eucharistiæ, in quo possint reponi, & servari; vel si ibi commodè, & sine nota reponi non possint. Quod intelligat sive reliquiæ sint parvæ, sive magnæ, sive etiam formulæ integræ; neque enim parvitas, aut magnitudo addunt, aut tollunt de Sacramento. Si autem reliquiæ repertæ sint alterius sacrificii, debent reponi, si facile possunt. Si verò nesciat, an sint sui, an alterius sacrificii, credat esse sui, & sumat, maximè si non sit tabernaculum Eucharistiæ.

f Soa. proximè.

214 Et generaliter loquendo potest eas reliquias sumere toto tempore, quo est in altari, licèt sit per horam post absolutum sacrificium, quia nimirum interim communicavit fideles, vel potius potest eas sumere toto tempore, quo vacaverit actioni cœptæ. Postquam autem discessum est ab altari, si reliquiæ forte inventæ sint in sacristia, sumi non possunt, nisi causa rationabilis excuset, eo quòd aliter cum decentia conservari non possint. Ut autem Parochus fugiat inconvenientia, det communionem ante ablutionem, ut jejunus reliquias sumat.

215 Admoneo septimò, quando [g] Eucharistiam administrat extra sacrificium, debet digitos abluere, quæ lotio potest inservire pro ablutione communicantium: melius tamen erit habere vasculum in altari pro purificatione digitorum, quod nemini porrigat,

g Possev. c.8.n.19.

gat, & vas pro communicantibus. Si autem communicet personam, quæ aliis sit horrori, non porrigat aliis vas, quo talis persona usa est, ne nausea turbentur. Advertat autem antequam digitos abluat, ne parva fragmenta digitis hæreant, quia potest contingere, quòd cum lotione mittantur in piscinam, vel assumantur à jam communicato, quod utrumque erit sacrilegium. Ablutio autem digitorum, si non sumatur à communicantibus, debet projici in piscinam.

b Possev. t. 5. n.39.

216 Admoneo [b] octavò, licèt aliqui dicant quando Parochus vocatur pro communicando infirmo, & non habet, qui adjuvent, quod potest contingere, si vocetur alta nocte, non esse ferendam communionem, quia non est Sacramentum absolutè necessarium. Bonus tamen Parochus, si probabile sit, quod dum expectat adjuvantes, infirmus sine viatico moriatur, ferat sine solemnitatibus; dummodo non desint illæ, quæ præscribuntur in cap. Sanè, [i] nempe habitus decens, hoc est, Stola cum superpelliceo, præcedente lumine, ad quod in necessitate sufficit unus minister, præter Parochum.

i De celeb. Miss.

217 Admoneo nonò Parochum, & quemlibet Sacerdotem, in loco ubi est solus, posse in articulo mortis, v. c. in peste, vel simili necessitate se ipsum communicare, dummodo sit contritus, vel se talem existimet, estò esset excommunicatus. Debet tamen uti stola, & superpelliceo. Et si non sit Eucharistia consecrata, potest solus celebrare ad se communicandum. Addit Soar. [l] etiam sanum posse se communicare citra scandalum. Quod tamen, quia non est res usitata, non debet facilè fieri, nisi ex causa rationabili, ut si esset in magna tribulatione, vel tentatione, aut in magna devotione, & facilè celebrare non posset. Et idem docet de laico in mortis articulo exemplo Reginæ Scotiæ, quæ se ipsam ante mortem communicavit. Quia tamen hoc potuit fieri ex dispensatione Pontificis, non est facilè imitandum. Nunquam autem licebit laico alterum communicare.

l Soa. d. 72. s. 3.

CAPUT V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

POEnitentia non solùm significat Sacramentum, de quo hic agendum est, sed etiam quandam specialem [a] virtutem, qua dolemus de peccatis, prout lædunt jus divinum, suntque offensæ divinæ majestatis contra jus, quod tamquam Dominus habet, ne à suis creaturis offendatur. Estque justitia quedam reparativa juris divini læsi, & conservativa ejusdem juris illæsi. Nam ejus virtutis est satisfacere pro injuria illata, jureque alterius violato, cujus est idem jus integrum ac illæsum servare: sed datur virtus quædam specialis, cujus officium est jus divinum illæsum conservare: ergo ad eandem pertinet satisfacere pro violatione juris divini quod per peccata nostra violatur, & dicitur hæc virtus pœnitentia, cujus actus pertinent ad materiam hujus sacramenti, ut suo loco dicetur: Igitur dicemus 1. Pœnitentiam esse verum Sacramentum constans sua materia, & forma. 2. De prima ejus parte, quæ dicitur contritio. 3. De secunda, quæ est confessio. 4. De tertia, quæ est satisfactio. 5. De ministro. 6. De effectibus pœnitentiæ. 7. Dabuntur Parocho advertentiæ, ut hoc Sacramentum ritè administret. 218

a Soa. de pœn. d. 1. & seq. & c.7. Lugo d. c. sequent.

SECTIO I.

Pœnitentia est Sacramentum constans sua materia, & forma.

DIco primò: Pœnitentia est Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum. Ita definitur in Trid. [b] & prob quia duo sunt necessaria, ac sufficientia ad [c] Sacramentum, nempe promissio gratiæ, & signum externum significativum illius: sed Pœnitentiæ promissa est gratia, dum ei promissa fuit remissio peccatorum, quæ sine gratia non datur, per illa verba: [d] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Estque signum externum talis remissionis consistens in forma absolutionis, quæ remissionem significat, & in actibus peccatoris externè manifestatis: ergo. Fuit autem hoc Sacramentum institutum, quando Christus dedit Apostolis pote- 217

b Sess. 14. c.1 & can. 1.

c Soa. d. 17. Lug. d. 12. s. 1.

d Io. 20. 23.

Digitized by Google

potestatem remittendi, & retinendi peccata, ut definit Trident. suprà.

220 Distinguitur autem Pœnitentia à Baptismo, non solùm in diversa materia, & forma, sed etiam in effectibus. Quia Baptismus remittit primariò peccatum originale, & personalia ante ipsum Baptismum commissa, & totam pœnam illis debitam. Pœnitentia verò sola personalia post Baptismum commissa, & regulariter partem pœnæ. Et in fine, quia Baptismus institutus est, ut hominem primò in Christo regeneret: Pœnitentia verò, ut hominem post regenerationem lapsum Christo restituat, & reconciliet. Unde à PP. & DD. dicitur secunda tabula post naufragium.

e Soa.d.18. sect. 1. Lug.c.1.n.14.

221 Dico secundò: [e] Materia remota Pœnitentiæ sunt peccata personalia, ad quæ tollenda præsertim instituta est; sive venialia, sive etiam jam confessa; quæ duo licèt non sint materia necessaria, sunt tamen materia sufficiens, ut docet [f] Trid. & praxis Ecclesiæ. Dixi: *Post Baptismum commissa*. Quia nec peccatum originale aliena voluntate contractum, nec personalia patrata ante Baptismum sunt materia hujus Sacramenti, utpote quæ per Baptismum delentur, ante quem aliud Sacramentum sumi non potest.

f Sess.14.c.5.

222 Dico tertiò: Materia proxima Pœnitentiæ sunt actus pœnitentis, nempe contritio, confessio peccatorum, & satisfactio. Ita Trident. [g] Prob. 1. [h] quia cùm in hoc Sacramento peccata remittantur, debent displicere, & cum dolore manifestari. 2. quia hoc Sacramentum est per modum judicii voluntarii, ad quod requiritur, ut homo per confessionem propriam sua peccata manifestet. 3. quia judicium non est perfectum, nisi judex pœnam imponat ob commissum delictum: unde necessaria est satisfactio aliqua pro peccatis commissis. Inter has tres partes hoc est discrimen, quia aliqua contritio, & confessio, est de essentia Sacramenti; non sic satisfactio, quæ sola dicitur pars integralis, non autem essentialis, & quia àliquando non imponitur, ut moribundo jam jam morienti; & quia gratia, & remissio confertur per absolutionem, estò per accidens satisfactio nondum fuerit imposita, nec executioni mandata.

g Sess.14. c.5.
h Soa.c.2. Lugo sup.

i Soa.d.19. Lugo l.1.3. c.1.

223 Dico quartò: Forma [i] hujus Sacramenti consistit in verbis illis absolutionis: *Ego te absolvo à peccatis tuis.* Constat ex Conciliis, & praxi Ecclesiæ. Quamvis autem omnia proferri debeant; ad essentiam formæ illa duo sufficiunt: *Absolvo te*. Quia quamvis de se satis determinata non videantur, cùm possent significare remissionem à pœna; supposita tamen confessione peccatorum, sufficienter intelliguntur supra illam cadere: sensus autem illorum verborum est: Ego tibi confero gratiam sanctificantem, quæ ex se peccata remittit; quia remissio peccatorum, quæ explicitè per formam significatur; non fit, nisi per gratiæ infusionem. Unde vera est forma, estò qui absolvitur, sola peccata jam confessa, ac dimissa fassus fuerit. Quia sensus est: Ego tibi confero gratiam, quæ ex se remittit peccata, si quæ sunt.

224 Ut autem prædicta forma licitè, & validè proferatur, proferri debet circa personam [l] præsentem. Prob. quia illa particula, *Te*, personam præsentem denotat ad eum modum, quo cap. præcedente diximus pronomen, *Hoc*, *& hic* in forma consecrationis præsentem materiam denotare. Accedit, quia Clem. VIII. damnavit hanc propositionem. *Licèt per literas, aut internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*. Quæ damnatio non solùm probat talem absolutionem esse illicitam, sed etiam invalidam. Quia si valida foret, non prohiberet Pontifex dari absenti saltem in extrema necessitate.

l Soa.d.c.3. Lugo s.6. n.48.

225 Dico quintò: [m] Sacramentum Pœnitentiæ iterari potest, quoties homo peccaverit. Definitur in Trid. [n] & prob. quia nullum peccatum mortale remittitur post Baptismum, nisi in ordine ad claves Ecclesiæ; ergo quoties homo peccaverit, potest hoc Sacramentum accipere. Addo quemlibet de eodem peccato posse pluries absolvi pluries Sacramentum accipiendo. Sicut enim potest pluries de eodem peccato dolere, illudque confiteri, & pro eo satisfacere, ita potest pluries absolutionem illius obtinere. Nam licèt sit idem peccatum, non est tamen eadem confessio, nec idem dolor: unde eadem forma non cadit super eamdem materiam proximam, sed super diversas, quod non minus licet, quàm eadem nume-

m Soar.d.18.c.4.
n Sess.14. can.1.

Digitized by Google

numero aqua plures Baptismos efficere. Et ita habet praxis Ecclesiæ inter doctos, & timoratos.

SECTIO II.

De prima parte pœnitentiæ, quæ est contritio.

226 SEct. præcedente diximus requiri ad Sacramentum pœnitentiæ ex parte materiæ proximæ aliquam contritionem definientes qualis hæc esset. Quia verò duplex est contritio, altera perfecta, quæ absolutè talis dicitur, qua dolemus de peccatis ex motivo altiori: alia imperfecta, quæ dicitur attritio, quæ concipitur ex motivo aliquo inferiori. De quibus Conc. Trident.[a] de utraque dicendum est, & videndum, quæ sit sufficiens dispositio ex parte materiæ proximæ.

a Sess. 14. c. 4.

§. I.

De contritione perfecta, quæ absolutè dicitur contritio.

227 DIco[b] primò: Ad contritionem non requiritur summa intensio actus. Prob. quia scriptura petit, ut convertamur in Deum, & avertamur à peccato sine mentione intensionis: [c] *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos.* [d] *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus.* [e] *Si impius egerit Pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet, & non morietur.* Ratio verò est, quia cùm contritio, de qua agimus, sit actus supernaturalis procedens ex Dei auxilio, quod majus, ac majus esse potest; nulla contritio adeò intensa est, ut non possit esse intensior: ergo summa intensio necessaria esse non potest. Neque obstat, quòd scriptura requirat, ut ad Deum convertamur ex toto corde. Quia hoc facimus, quando ad illum convertimur tanquam ad ultimum finem ita affecti, ut Deum creaturis omnibus anteponamus. Hoc enim est Deum diligere ex toto corde, ad Deumque converti ex toto corde.

b Soa. d. 4. s. 4.
c Zach. 1. 3.
d Isa. 55. 7.
e Ezech. 18. 21.

228 Hinc sequitur non esse contra rationem contritionis dolere intensius de malo aliquo temporali, quàm de peccatis, ut sæpè videmus in viris sanctissimis, & verè contritis, inter quos fortè fuit David, qui tot signa doloris præbuit ob mortem Absalonis filii sui, ut de illa intensius doluisse visus fuerit, quàm de adulterio, & homicidio à se patratis; cùm tamen de illo dici nequeat, quòd non fuerit verè contritus, aut quòd in eo dolore peccaverit, sunt enim res temporales magis sensibiles, quæ proinde dolore vehementiorem excitant secundùm naturalem hominis conditionem, quæ damnanda non est.

229 Dico secundò: [f] Ad contritionem requiritur summa appretiatio, quæ consistit in eo, quòd quis magis detestetur peccatum, quàm omnia alia mala, ita ut paratus sit quodcumque potius malum subire, quàm Deum offendere; quia scilicet plus æstimat Dei amicitiam, quæ peccando perditur, quàm quæcumque alia bona. Prob. ex locis scripturæ, in quibus dicitur pœnitentia, quæ nos Deo reconciliat, qualis est perfecta contritio, debere esse ex toto corde: [g] *Cùm quæsieris Dominum, invenies eum, si toto corde quæsieris eum, & tota tribulatione animæ tuæ.* [h] *Quæretis, & invenietis me, cùm quæsieritis me in toto corde vestro:* [i] *Convertimini ad me in toto corde, in jejunio, & fletu, & planctu.* Ex quibus patet eodem modo loqui scripturam de contritione, atque de more Dei, ita ut uterque actus sit ex toto corde: sed amor Dei debet esse ex toto corde super omnia appretiativè, ita ut homo tanti faciat Deum, ejusque amicitiam, ut potius velit privari rebus omnibus creatis, quàm Deo, ejusque amicitia: ergo similiter contritio debet esse super omnia appretiativè, seu talis detestatio peccati, ut homo malit quamcumque pœnam, & malum pati, quàm Deum offendere. Imò unum sequitur ex alio; quia non possumus Deum amare super omnia, nisi peccatum super omnia detestemur, siquidem directè adversatur voluntati divinæ, ejusque amicitiæ; nec possumus peccatum super omnia detestari, nisi Deum amemus; quia illud per contritionem detestamur, quatenus offensivum divinæ bonitatis, & ejus amicitiæ destructivum. Unde amor Dei super omnia est virtualis contritio, & perfecta contritio est ad minus virtualis amor.

f Soa. s. 2. Lug. s. 2.
g Deut. 4. 29.
h Jerem. 29. 13.
i Joel. 2. 12.

230 Dico tertiò: Contritio [l] ad justificationem sufficiens potest haberi in instanti. Prob. quia justificatio promittitur

l Soa. s. 5. Luc. 7. n. 48.

Digitized by Google

titur substantiæ contritionis: substantia autem, & entitas contritionis, cùm sit actus quidam potentiæ spiritualis, habetur in instanti: ergo. Conf. quia licèt duratio libera actus boni sit honesta, & laudabilis; non tamen mutat speciem, & substantiam actus, sed est illi accidentaria: ergo contritio in eodem instanti, quo elicitur, habet totam suam speciem, substantiam, & rationem, cui nihil deest ad veram pœnitentiam, cui justificatio promittitur. Unde contritio est proxima dispositio ad gratiam, illam infallibiliter habens in eodem instanti, & solùm præcedit prioritate naturæ.

m Soa.f.3. Lugo.n.91

231 Dico [m] quartò: Perfecta contritio stare potest in unico, solo actu, qui sit generalis detestatio omnium peccatorum commissorum. Prob. quia Scriptura ad remissionem peccatorum absolutè exigit pœnitentiam, & conversionem cordis: hæc autem, sicut sine certa intensione, & duratione intelligi potest, ita sine multiplicatione actuum, maximè cùm unus detestationis actus ad multa peccata extendi queat sub una ratione universali, quæ sit propria contritionis, quatenus nempe sunt contraria bonitati divinę, ejusque amicitiæ. Conf. quia contritio potest esse in instanti; ergo potest esse unicus actus, nam multi tempus requirunt.

232 Dico quintò. Ad perfectam contritionem requiritur propositum novæ vitæ, seu servandi in posterum mandata. Sumitur ex Scripturis, pro quibus sufficiat illud: [n] *Si impius egerit pœnitentiam, & custodierit omnia præcepta mea, vita vivet.* Traditur à Trident. [o] dicente contritionem esse dolorem de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, docentque omnes DD. [p] Hoc autem propositum debere esse expressum, & distinctum ab ipso actu contritionis, maximè si menti occurrat cogitatio de vita futura, aliqui DD. probabiliter docent, estque optimum consilium illud elicere. Probabilius tamen est satis esse virtuale, & implicitum in ipsa detestatione inclusum. Nam qui verè dolet de peccatis commissis propter Deum, virtute vult ea iterum non committere, aliàs non haberet verum dolorem, qualis est perfecta contritio. Quam sententiam latè probavi in materia de justificatione.

n Ezech. 18.21.

o Sess.14.c. 4.

p Soa.f.3. Lug. n.97.

233 Dico sextò: Peccata mortalia possunt remitti extra sacramentum Pœnitentiæ per solum illius votum. Definitur in Trident. [q] & sumitur ex Scripturis citatis, in quibus justificatio, & peccatorum remissio promittitur perfectæ conversioni, & pœnitentiæ. Unde sicut in lege scripta, & naturæ homines per illam justificabantur, ita in lege gratiæ, [r] neque enim institutio sacramenti Pœnitentiæ derogavit efficaciæ, & perfectioni talis pœnitentiæ, sed solùm addidit illi votum ipsius, quod nihil est aliud, quàm propositum servandi omnia mandata, inter quæ est præceptum de confessione sacramentali suo tempore facienda. Unde talia peccata, quamvis per contritionem remissa subjicienda sunt clavibus in confessione.

q Sess.14. c.4.

r Soa.d.17. f.3.

234 Inter actus pœnitentiæ sola perfecta contritio [s] id ordinariè præstat. Quia quilibet actus pœnitentię contritione inferior est attritio, quæ non sufficit ad justificandum extra Sacramentum, ut docet Trid. [t] Actui verò pœnitentiæ, quo dolemus de peccatis, prout sunt Dei offensæ contra jus divinum læsum, id aliqui concedunt, existimantes esse actum verę contritionis. Quam sententiam ait Soar. [u] sibi aliquando placuisse. Verum quia DD. communiter ponunt contritionem in dolore, & detestatione peccati ex motivo charitatis imperata à motivo pœnitentiæ, elicita verò ab ipsa charitate, non est securum dicere quòd talis actus sit vera contritio justificans extra Sacramentum, quamvis id non sit improbabile, probabilius tamen quod inter attritiones præcipua habeatur.

s Soa.d.17. f.3.

t Sess.14.c. 4.

u d. 4. f.1. n.13.

235 Perfecta contritio justificat extra Sacramentum sine formali [x] amore super omnia ab ipsa distincto. Prob. quia cùm Scriptura, Concilia, & PP. tribuant contritioni vim justificandi, & obtinendi peccatorum remissionem; eam illi tribuunt independenter ab actu formali amoris ab ipsa distincto, sine quo reperiri potest, præsertim cùm agant de ultima dispositione, qua posita statim gratia infunditur, & aliunde ipsa contritio sit formalis amor, ut aliqui volunt, vel saltem virtualis super omnia, ut omnes concedunt, & perfectissima dispositio ad destructionem peccati.

x Soa.proximè allat.a.

236 Dixi: *Solam contritionem ordinariè justificare extra Sacramentum.* [z] Quia in

z Soar. de Sacram.d. 39.f.3.

in casu martyrii potest aliquando sufficere sola attritio sine Sacramento ex speciali privilegio martyrii; quando nimirum quis ad martyrium rapitur bona fide existimans se esse contritum, cùm tamen sit solùm attritus. Licèt non credam de divina bonitate, quòd illi homini defuturus sit verus actus charitatis, qui martyrium imperet, cùm majorem charitatem nemo habeat, quàm qui animam ponit pro amico.

237 Dixi autem: *Inter actus pœnitentia*. [a] Quia aliquando sola dilectio Dei super omnia sine formali contritione justificare potest; quoniam est perfecta conversio ad Deum, qua posita, Deus ad hominem convertitur gratiam cum remissione peccatorum infundendo, juxta illud: [b] *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. [c] *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus*. Utique per gratiam justificantem. [d] *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum*. Notant verò DD. amorem Dei super omnia veræ charitatis solum justificare extra Sacramentum, quando homo ita est intentus ad bonitatem, & amabilitatem Dei, ut illi non occurrant peccata ut detestanda, quia si hæc memoriæ occurrant, non potest Deum super omnia amare, quin peccata per veram contritionem detestetur, quia qui verè amat, tollit impedimenta amoris, qualia sunt peccata, per veram illorum fugam, & detestationem, quod ni faciat, convincitur non habere verum Dei amorem super omnia, defectu cujus non justificabitur.

a Soa. de pœn. d. 9. f. 1. Lug. de pœn. d. 5. f. 7.
b Zach. 1. 3.
c Joa. 14. 23
d Luc. 7. 47

238 Illud tamen notandum in amore Dei super omnia includi virtualiter contritionem; & in contritione perfecta includi saltem virtualiter amorem Dei super omnia. Dico: *saltem virtualiter*. Quia aliqui putant ipsam contritionem esse simul formalem Dei amorem, si non in modo tendendi, saltem in re ipsa, eò quòd non sit minus amare, nolle alicui malum, quia malum ipsius est; quàm velle bonum alicui, quia bonum ipsius est. Prob. prima pars; quia amor Dei super omnia est adeò perfectus, & efficax, ut ex vi illius moveretur homo ad formalem detestationem peccatorum, si id menti occurreret. Nam qui aliquem perfectè, & efficaciter amat, ex vi talis amoris nititur, quantum potest, destruere omne id, quod eidem displicere novit. Unde qui ita affectus non est, dici non potest Deum super omnia amare: ergo verus amor virtute includit contritionem. Prob. secunda pars, quia qui peccatum detestatur per veram contritionem ut repugnans divinæ bonitati, ejusque amicitiæ, ita est affectus, ut si Deus ut amandus occurreret, statim excitaretur ad formalem ejus amorem ex vi detestationis, qua fertur in peccatum, cùm non minus convincatur amare, qui amico bonum desiderat, quàm qui ab illo malum avertit, quia malum ipsius est: ergo contritio virtualiter saltem amorem includit.

239 Unde est hodie valde communis sententia, quòd licèt Scriptura modò requirat ad justificationem extra Sacramentum aversionem à peccato per detestationem contritionis; modò conversionem in Deum per veram dilectionem: ideòque plures Theologi regulariter postulent utrumque actum separatim: nihilominus quemlibet illorum satis esse, quia in utroque separatim ab alio satis invenitur prædicta aversio, & conversio modo explicato; verumque esse justificationem non conferri sine conversione ad Deum per dilectionem, & sine aversione à peccato, per detestationem contritionis, estò per unum tantùm ex prædictis actibus homo ad justificationem disponatur. Quamvis negandum non sit securius esse utrumque actum distinctum elicere, maximè quando ad utriusque objectum advertitur. Quia si non advertatur, omnes ferè concedunt quemlibet per se solùm satis esse.

e Lug. d. 5. de pœn. f. 7. n. 92. & 93. Ripal. d. ult. f. 33. n. 472. Val. t. 4. d. 7. q. 3. p. 2.

§. 2.

De contritione imperfecta, quæ dicitur attritio.

240 ATtritio est omnis detestatio [a] peccati, quæ non attingit perfectionem contritionis, sive sit ex turpitudine peccati, sive ex metu gehennæ, sive ex amore beatitudinis, quam peccatum impedit, sive ex motivo pœnitentiæ; si dicamus talem detestationem non esse perfectam contritionem, quod videtur probabilius.

a Soa. d. 5. Lug. d. 5. f. 9.

241 Quamlibet [b] ex his attritionibus satis esse ad justificationem cum Sacramento Pœnitentiæ in re suscepto, statuit Trident. [c] dicens per attritionem disponi hominem ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam. Unde vali-

b Soa. d. 20 f. 1. Lug. d. n. 133.
c Sess. 14. c. 4.

validè, ac fructuosè suscipitur Sacramentum cum sola attritione. Prob. autem, quia hoc Sacramentum institutum fuit ad primam gratiam per se, & ex vi sua, seu ex opere operato conferendam: sed numquam conferret primam gratiam, si ad valorem illius ex parte pœnitentis perfecta contritio necessaria foret: quia, ut dictum est, in eodem instanti, quo ponitur contritio, gratia infunditur, & peccata remittuntur: ergo attritio cum Sacramento sufficit. Conf. quia Christus voluit ex merito suæ passionis instituere remedium faciliùs ad gratiam, & veniam peccatorum obtinendam in sua Ecclesia: si autem contritio esset necessaria cum Sacramento, non remedium faciliùs, sed difficiliùs institueret; cùm contritioni, quæ semper in omni lege fuit sufficiens, adderet obligationem confessionis, quæ est durissima, & non fuit olim.

242 Porrò attritio ad Sacramentum sufficiens debet esse supernaturalis, ut sumitur ex Trid. [d] suprà dicente talem attritionem esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, non quidem inhabitantis, sed moventis: patet autem actus, ad quos Spiritus sanctus specialiter movet, esse ordinis supernaturalis. Prob. verò ratione, quia attritio disponit in Sacramento ad gratiam, & remissionem peccatorum: sed dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma, ad quam disponit, ut omnes docent in materia de gratia: ergo cùm gratia justificans, & remissio peccatorum sit forma maximè supernaturalis, ejusdem ordinis erit attritio ad eam disponens.

[d] Soa. Sess. 4.

243 Quare attritio naturalis existimata supernaturalis per ignorantiam invincibilem non sufficit [e] ad justificationem in Sacramento obtinendam, quia nec est ex Spiritus sancti impulsu, nec ejusdem ordinis cum gratia, ad quam, deberet disponere. Excusabit tamen à culpa accedentem ad Sacramentum, quia invincibiliter putabat esse se dispositum, non tamen sufficiet ad effectum Sacramenti, sicut nec aqua stillata invincibiliter putata naturalis sufficit ad effectum Baptismi, nec aqua in calice existimata vinum sufficit ad consecrationem.

[e] Soa. f. 3. à n. 13.

244 Debet præterea attritio [f] esse universalis de omnibus peccatis mortalibus tam in confessione expressis, quàm inculpabiliter omissis. Prob. quia attritio, quæ se non extendit ad omnia mortalia commissa non est dispositio sufficiens ad justificationem; nullum enim mortale remittitur, de quo non sit dolor, & retractatio: sed uno mortali non remisso cætera remitti nequeunt: ergo ut attritio disponat ad justificationem, debet concipi ex motivo universali, ut comprehendat saltem virtualiter omnia mortalia confessa, imò & oblita. Unde qui duo peccata diversa commisit, & unum solùm confitetur cum dolore ex sola speciali fœditate illius, veniam non consequitur, estò alterius inculpabiliter obliviscatur, quia talis dolor nec virtute extenditur ad illud peccatum. Quia fieri potest, ut quis detestetur adulterium ratione speciali fœditatis, & ad furtum sit affectus.

[f] Soa. f. 2. à n. 11. & f. 4. n. 6.

245 Dixi: *De omnibus peccatis mortalibus*. [g] Quia confessio venialium effectum causare potest, licèt attritio ad omnia se non extendat. Quia sicut unum veniale potest remitti sine alio, ita attritio de uno potest causare effectum sine attritione de aliis. Si verò nullius sit attritio, Sacramentum erit nullum, & qui ita confitetur, per se loquendo, peccat mortaliter. Quia licèt non teneatur confiteri venialia, supposito quòd ea confitetur, debet apponere ex parte sua materiam necessariam ad valorem Sacramenti.

[g] Soa. f. 6.

246 Debet deinde attritio esse formalis, [h] & efficax, seu habens conjunctum propositum non peccandi de cætero. Quòd debeat esse formalis patet: quia attritio, quæ non est formalis, non est attritio; cùm enim attritio sit dolor, & detestatio peccatorum ex motivis supradictis, formalis esse debet, maximè quia non assignabitur actus, in quo attritio virtualiter contineatur; nam in amore Dei super omnia non attritio continetur, sed contritio; & quando quis confitetur habens talem amorem, ex illo prorumpit in perfectam contritionem, non verò in solam attritionem: ergo attritio formalis esse debet.

[h] Soa. f. 4. à n. 7.

247 Quòd autem debeat esse efficax, patet ex Trident. [i] postulante propositum non peccandi de cætero. Et alibi numerante inter dispositiones necessarias ad justificationem propositum servandi precepta, seu non peccandi mortali-

[i] Sess. 14. c. 4.

taliter. Et prob. quia nemo justificatur, nisi prius in Deum convertatur; nemo autem convertitur per attritionem peccati præteriti sine proposito emendandi vitam; conversio enim propriè est mutatio à termino à quo ad terminum ad quem, quorum prior est recessus à peccato per attritionem; posterior verò est accessus ad bonam vitam per propositum cavendi peccata, quod Deus maximè intendit per hoc Sacramentum, ut homo in posterum vitam rectè instituat. Hoc autem propositum satis est, quòd sit virtuale in ipsa attritione inclusum, ut suprà diximus de contritione, quamvis optimum sit expressum habere, idque procurandum, & consulendum.

l Soa. d.4. à n.28. Lug. d.14. s.2. Bellan. d. 4. dub. 6.

248 Debet [l] denique attritio præcedere confessionem. Prob. quia ut confessio valeat, debet esse signum doloris interni, & dolor per eam significari, solùm enim valida est confessio dolorosa ad reconciliationem cum Deo tendens, quod non habet, ut est nuda peccatorum narratio, sed quatenus conjungitur cum dolore interno, quem exterius manifestat: sed hoc fieri non potest, nisi dolor confessionem præcedat; quia ut confessio sit interni doloris signum, ab eo procedere debet; nam simplex, & historica peccatorum narratio ex se non magis dolorem significat, quàm alium actum: ut ergo dolorem significet, ab eo procedere debet, & consequenter attritio aliqua ratione præcedere debet.

m Bellan. proximè.

249 Ista autem præcedentia regulariter debet esse temporis. [m] Quia, ut confessio valeat, debet pœnitens velle confiteri, non ex quavis causa, sed ex motivo attritionis: sed voluntas confitendi est prior actuali confessione non solùm natura, sed tempore; cùm enim actus voluntatis eliciatur in instanti, & confessio fiat in tempore; si attritio est prior voluntate confitendi, debet esse prior tempore confessione ipsa. Licèt autem praxis obtineat, ut post absolutam peccatorum confessionem confessores excitent pœnitentes ad generalem attritionem, id est, ad melius esse, & ut ipsi magis certificentur de dispositione necessaria. Si autem contingeret, quòd confessio sine sufficiente dolore fieret; non tantùm curandum esse, ut pœnitens dolorem conciperet de peccatis confessis, sed etiam ut saltem virtualiter confessionem repeteret, quod paucis fieri potest, si nempe dicat ex jam elicita attritione se dolere de peccatis confessis. Aliàs si attritio solùm eliciatur, cùm confessio non fuerit dolorosa, nec doloris signum, non videtur qua ratione absolutio supra illam cadere possit. Unde cùm sæpè contingat pœnitentem non esse sufficienter attritum, quandiu peccata dicit, optimum est curare, ut ante absolutionem non solùm eliciat attritionem, sed confessionem repetat modo dicto. Quòd satis fieri videtur, si ante absolutionem dolor eliciatur, ut illo confessio facta informetur.

250 Id notandum confessionem valere, quamvis attritio tempore præcesserit, & formaliter non existat. [n] Patet ex praxi, cùm enim quis conscientiam examinat, & atteritur in ordine ad confessionem faciendam, & postea contingat, quòd dum confitetur, vel absolvitur, nullum dolorem eliciat, omnes existimant validè absolvi; quia attritio præcedens, cujus virtute fit confessio, censetur virtualiter durare in confessione, quæ est ejus effectus, & signum. n Lug. s. 3.

251 Dubium est an hoc Sacramentum possit esse validum, & informe ex aliquo defectu attritionis? Et quidem si attrito fuit [o] naturalis, Sacramentum non solùm fuit informe, sed invalidum, & nullum; quia non habuit materiam proximam necessariam. Et idem est, si attritio non fuit efficax, seu non habens annexum, vel inclusum propositum de se efficax non peccandi de cætero mortaliter; sed vel nullum, vel quamdam solam velleitatem; quia non est vera attritio; nothus enim dolor est, quo quis dolet præteritum, sine vera voluntate cavendi futurum. o Soa. s. 4. à n. 6.

252 Dubium ergo manet, quando attritio vera fuit, & supernaturalis, sed particularis, ex speciali motivo turpitudinis alicujus peccati confessi, nullo modo se extendens ad aliquod mortale inculpabiliter oblitum? In quo graves DD. [p] concedunt Sacramentum validum, quia habuit quidquid ad valorem requiritur; informe tamen, quia non habuit effectum, eò quòd unum mortale non remittitur sine alio, & nullum sine dolore, qui

p Soa. d. 20. s. 5. Lug. d. 14. s. 6 n. 88. Dian. 1. p. t. 3. miscel. Resol. 31.

qui non fuit circa peccatum oblitum. Et consequenter dicunt recedente obice, seu adveniente postea dolore, & detestatione illius peccati, vel saltem attritione generali, sub cujus motivo illud comprehendatur, producere Sacramentum suum effectum, ut contingit in aliis Sacramentis, maximè in Baptismo. Et est sententia satis probabilis.

253 Alii dicunt nunquam hoc Sacramentum esse validum, & informe, neque in illo casu. Prob. quia nunquam Sacramentum est validum sine debita materia, & forma: sed in illo casu attritio, quæ se habet ex parte materiæ proximæ, non est materia debita, quia non cadit super omnia peccata mortalia subjecti; ergo Sacramentum est nullum defectu materiæ. Alia verò Sacramenta, quæ aliquando sunt valida, & informia, habent suam materiam, & formam, quibus positis ponitur essentia Sacramenti, ad quam non pertinet dispositio suscipientis; unde mirum non est, quòd sint valida sine effectu. Conf. quia eo ipso, quòd hoc Sacramentum non habet effectum, forma illius vera esse nequit. Quomodo enim erit verum, *Ego te absolvo*, si non manes absolutus, & liber à peccatis? Cùm forma autem falsa Sacramentum validum esse non potest, ut est notum: ergo implicat quod hoc Sacramentum sit validum, & informe. Quæ sententia probabilior [q] apparet. Ut autem fugiantur istæ difficultates, curet prudens Confessor, ut semper eliciatur contritio, vel saltem attritio ex motivo generali gehennæ, aut beatitudinis, quam quodlibet mortale impedit, & sic retractabitur illud etiam peccatum oblitum, & erit formatum Sacramentum.

q Vasq. 3. p. q. 92. ar. 2. dub. unico. Bellan. de pœn. 4. dub. 11. Fagund. in 2. præc. l. 2. c. 7.

SECTIO III.

De secunda parte Pœnitentiæ, quæ est confessio.

254 HAec secunda pars continet difficultates, quas ad duo capita revocabo. In prima dicam de necessitate, & qualitate Confessionis Sacramentalis. In secunda dicam de ejus quantitate, hoc est, de iis, quæ in confessione aperienda sunt.

§. I.
De necessitate, & qualitate confessionis.

QUoad necessitatem dico primò. [a] Confessio Sacramentalis est necessaria ad salutem necessitate medii iis, qui post Baptismum mortaliter peccarunt. Sumitur ex verbis Christi: [b] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt*. Et ex Trident. [c] statuente Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum esse necessarium eo modo, quo Baptismus nondum regeneratis: sed Baptismus est medium ad salutem nondum regeneratis; ergo & Sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessio Sacramentalis. 255

a Soar. d. 17. l. 2.

b Ioan. 20. 23.

c Sess. 14. c. 2.

256 Notandum autem est non semper esse necessarium [d] ad justificationem hoc Sacramentum in re susceptum, sed aliquando sufficere ejus votum, ut patet in eo, qui ad Deum convertitur per contritionem perfectam, aut amorem Dei super omnia, qui illicò justificationem, & remissionem obtinet peccatorum in voto hujus Sacramenti, seu cum obligatione subjiciendi postea peccata sua clavibus in confessione sacramentali eorum; quod votum satis est, ut sit implicitum inclusum in proposito servandi mandata, ut colligitur ex Trident. docentque ferè omnes Doctores.

d Soar. l. 3.

257 Dico secundò. Confessio sacramentalis est de jure divino. Ita Trident. [e] Prob. autem, quia hoc Sacramentum fuit à Christo institutum ut medium necessarium ad salutem: ergo ejus usus fuit ab eo præceptus, sicut usus aliorum, quæ sunt media, sine quibus homines salvari non possunt. Hoc autem præceptum, cùm sit affirmativum, & ex se tempus non determinet, obligat aliquoties in vita, juxta prudentis arbitrium, maximè verò in periculo mortis. Nam qui per contritionem justificatur in voto confessionis faciendæ, obligatur ad confessionem ante mortem; cùm post illam confessionis locus non sit: ergo confiteri tenetur in mortis periculo, si post Baptismum aliquod mortale commisit, quod nondum confessus fuerit; nullum enim tempus ma-

e Sess. 14. c. 5. & c. 6. Soar. d. 35.

Digitized by Google

vem necessitatem vix modus confitendi publicè licere potest, maximè accedente consuetudine Ecclesiæ, quæ secreta, & auriculari confessione utitur.

263 Dico septimò. Signa generalia [m] doloris coram Sacerdote exhibita, quando confessio aliter fieri non potest, est sufficiens confessio ad valorem Sacramenti. Prob. quia in eo casu fit confessio meliori modo, quo potest, quod apud Deum, qui impossibilia non jubet, sufficit, maximè quia talis confessio est accusatio dolorosa sui ipsius, ex qua Sacerdos statum pœnitentis sufficienter agnoscit, quantum satis est, ut judicet eum validè absolvi posse. Nam licèt antea cognoverit hominem illum esse peccatorem, id tantum cognoscebat in foro externo, & ut homo privatus; modò verò id cognoscit in foro animæ, & ut judex à Christo constitutus ad remissionem peccatorum erga omnes, qui se modo possibili peccatores confitentur in ordine ad claves Ecclesiæ.

m Soar. d. 23. s. 1. Lugo d. 17. sect. 1.

264 Dico octavò. [n] Qui signa generalia doloris dedit in absentia Sacerdotis, absolvi potest à Sacerdote postea accedente, licèt illum sensibus destitutum inveniat. Prob. quia hoc Sacramentum institutum est per modum judicii: sed judicium constare potest, estò accusatio non fiat coram judice; ergo idem est de hoc Sacramento, maximè quia accusatio prædicto modo facta sufficiens est ad declarandum statum pœnitentis, & ut Sacerdos sufficientem de eo notitiam capiat; ergo talis confessio sufficiens est ad valorem Sacramenti. Addo in prædicto casu posse Sacerdotem licitè absolvere, ad idque teneri. Patet ex communi sententia DD. & ex Rituali Romano Pauli V. Et ex ratione. Quia si hujusmodi confessio valida est, cur in extrema necessitate non erit licita? Et cur non debita absolutio ex præcepto charitatis?

n Soar. à n. 21.

265 Contra hanc conclusionem objici solet decretum Clementis VIII. damnantis propositionem illam: *Licet per litteras, vel internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Ad quod optimè respondent Doctores [m] majoris nominis, qui postea scripserunt, Pontificem damnasse propositionem illam complexam. Nempe licere confiteri absenti, & à Sacerdote item absenti absolvi. Nos verò id non dicimus, sed solùm in casu necessitatis, quando aliter confiteri non potest, licere absenti confiteri per internuntium, & ab eo præsente absolvi. Et nihil contra hanc sententiam statuisse, declaravit idem Pontifex coram Card. Bellarm. & aliis, ut testantur dicti DD. Et licèt ita non declarasset, ita intelligendum esse decretum constat ex dictis, maximè verò ex Rituali Rom. à Paulo V. approbato, quem nefas est asserere errasse in re tanti momenti, eumque errorem universali Ecclesiæ practicandum proposuisse.

m Lugo proximè.

§. 2.

De quantitate confessionis, seu de iis, quæ in ea aperienda sunt.

Dico primò. [a] Ad valorem hujus Sacramenti declarandæ sunt in confessiones species peccatorum mortalium. Prob. ex Trid. [b] rationem assignante; quia videlicet Sacerdos est judex à Christo in hoc foro constitutus, ut ex justitia, & æquitate sententiam ferat, & juxta peccatorum gravitatem pœnas decernat: hoc autem observari non potest, nisi pœnitens peccatorum species manifestet; cùm enim aliæ aliis sint graviores, non idem judicium de singulis ferri debet; neque eadem pro omnibus pœna imponi, ut per se est manifestum. 266

a Soar. d. 22. s. 2.

b Sess. 14. c. 5.

267 Et idem dicendum est de numero [c] peccatorum, ut statuit idem Concilium. Et probat eadem ratio. Quia aliter judicandum est de eo, qui unum furtum, verb. caus. aliter de eo, qui plura commisit, cùm iste magis Deum offenderit, & majorem pœnam mereatur. Unde aperienda sunt peccata merè interna secundùm eorum interruptiones, quibus numero diversificantur, & idem est de illis, quæ prodeunt in actum externum, quoties moraliter interrumpuntur; & faciunt diversum numero peccatum. Quando autem hæc duo genera peccatorum censeantur moraliter interrumpi, & multiplicari numero, dicetur lib. sequenti cap. 4. sect. 3.

c Soar. s. 1. & 5.

268 Dico secundò. Circumstantiæ mutantes speciem peccati necessario sunt aperiendæ in confessione.

Digitized by Google

d Sess. 14. c. 8. e Soar. sect. 4. Definitur in Trident. [d] & prob. [e] quia cùm tales circumstantiæ addant diversam speciem peccati, peccata ipsa neque à pœnitente integrè exponuntur, neque confessori innotescunt, ut de eorum gravitate judicare possit, ac debitam pœnam imponere, si tales circumstantiæ non declarentur. Unde non satisfacis, si dicas, toties fornicatus sum, si non dicas conditionem tuam, aut mulieris; si nempe eras uxoratus, vel habebas votum castitatis; quia tunc tuum peccatum supra malitiam fornicationis, addit malitiam adulterii, vel sacrilegii: aut si mulier erat maritata, consanguinea, affinis, aut religiosa; quia tunc addis malitiam adulterii, incestus, vel sacrilegii. Et sic de aliis circumstantiis, quas loco citato explicabimus, ut Parochus plenam habeat notitiam hujus rei ad suum officium valde necessariæ.

270 Quamvis autem graves DD. dicant circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem peccati, vel notabiliter minuentes non esse necessariò exponendas; oppositum tamen est longè [f] probabilius, & securius, estque communior DD. sententia. Prob. autem, quia licèt Concilium de his nihil dicat; ratio tamen ipsius eas comprehendit. Quia si non declarentur, non potest confessor cognoscere gravitatem peccati, nec pœnam illi debitam imponere: nam diversum judicium formatur de uno furto mortali unius scuti, & mille scutorum; de una delectatione morosa, quæ brevissimè transivit, atque de ea, quæ duravit per duas horas, & sic de aliis. Conf. quia confessio debet esse vera; talis verò non erit, nisi peccata explicentur, ut sunt; sed si circumstantiæ sive aggravantes notabiliter, sive notabiliter minuentes taceantur, peccata non explicantur, ut sunt; quia significatur aliquid esse, quod non est, nempe peccatum esse aut minus, aut magis grave, quàm fuerit; ergo id vitandum est per declarationem talium circumstantiarum.

f Soar. f. 3. Sanch. 2. dec. c. 32. nu. 39. & lib. 4. c. 11. n. 14.

271 Dico tertiò. Aliqui sunt casus, [g] in quibus confessio censetur valida, estò non sit materialiter integra, in quibus talis dicitur formaliter. Primus est, quando ex oblivione, ignorantia aut inadvertentia inculpabili aliquod peccatum, aut circumstantia necessaria omittitur. Ita Trident. [h] si autem ea omissio sit voluntaria, [i] non valet Sacramentum, ut idem Concilium definit. Et idem est, si ignorantia sit mortaliter culpabilis. Secus, si solùm venialiter. Ut si quis in disquisitione peccatorum adhibuit paulò minorem diligentiam, quàm debebat, unde orta est omissio.

g Soar. d. 21. Tolet. l. 3. c. 8.

h Sess. 14. c. 5. i Soar. s. 3.

272 Secundus est, quando [l] propter instantem mortem periculum est, ne pœnitens omnia confiteri possit, tunc enim absolvendus est, sicut illi, qui in naufragio, & aliis casibus suprà relatis absolvuntur cum sola confessione in genere, aut signis doloris. Quòd si postea supersit satis vitæ, & virium ad perficiendam confessionem, perficienda est, & danda nova absolutio; quia est altera confessio. l Soar. s. 1.

273 Tertius est, [m] quando ex confessione alicujus peccati probabiliter timetur damnum aliquod grave sive pœnitenti, sive alteri. Nam præcepta positiva etiam divina non obligant cum tanto dispendio. Cave tamen ne ob leves conjecturas tale quid eventurum suspiceris. In dicto autem casu non differas confessionem, donec integrè fieri possit, sed si instat præceptum annuæ confessionis, aut necessitas sumendi Eucharistiam, aut mortis periculum, confitere alia mortalia, ex quorum confessione periculum non times. Si autem alia non habeas mortalia, non teneberis ad confessionem, nisi in periculo mortis, in quo ex propria charitate teneris tutiorem partem eligere. m Soar. s. 2.

274 Ex posito fundamento multi credunt non sine probabilitate posse similiter fieri confessionem non integram, quando peccatum dici non potest sine revelatione complicis, ut si peccasti cum sorore, quam confessor novit, & non potes alium adire; tunc enim dicunt peccatum illud non esse declarandum in specie, sed satis esse, si dicas te fornicatum fuisse, ne complex graviter infametur, esset enim hoc grave damnum proximi, ad quod vitandum potest confessio fieri sine integritate. [n] Opposita tamen sententia longè communior, & probabilior est, posse nimirum, & teneri pœnitentem confessionem integram facere, quamvis inde sequatur aliqualis infamia complicis, dummodo ea non intendatur, si alius confessor com-

n Soar. d. 34. s. 1. & 2. Lug. d. 16. s. 2. num. 395.

Digitized by Google

commodè adiri non potest, qui complicem non agnoscat. Cujus sententiæ fundamenta, & Authores vide apud Soar.

275 Quartus est, quando quis habet casus reservatos, & non reservatos. Tunc enim dicunt plures, & graves DD. posse illum confiteri casus reservatos superiori reservanti; & ab illis absolvi, reliquos verò posse confiteri ordinario Confessori, ab eoque absolvi. Quo eventu prima confessio non fuit integra. Hæc tamen doctrina ⁿ numquam mihi placuit. Quia cùm integritas confessionis sit de jure divino, Sacerdos non potest, nisi ex gravissima causa, absolutionem impendere in confessionem non integram. Quòd autem superior quædam sibi peccata reservet, non est causa legitima, & gravis, ut absolutio ab eo proferatur in confessionem non integram; ergo non licebit dimidiare confessionem ex ea sola causa; quòd habeat cum reservatis alia non reservata; omnia debet ipsi Prælato manifestare, ut ab omnibus absolvat; vel pro omnibus mitti ad inferiorem Sacerdotem concedendo ei facultatem absolvendi à reservatis. Accedit, quia unum mortale non dimittitur sine aliis; ergo absolutio superioris, quæ non cadit super non reservata, ab illis non absolvit. Dicunt absolvi indirectè, & consequenter indirectè remitti. Sed non capio quomodo hoc stare possit, si nulla est necessitas faciendi confessionem dimidiatam. Fateor tamen si gravis causa intercederet, quæ rarò erit, valere illam confessionem dimidiatam factam superiori, ejusque absolutionem. Nunquam tamen id consulerem; licèt communis sententia id admittat.

[n] Soar. d. 31. f. 1. n 6. Lug. d. 22. f. 6. n. 76. Vasq. 3. p. q. 91. ar. 3. dub. 10.

276 Huc pertinet quæstio illa, an quodlibet mendacium in confessione sit mortale reddens Sacramentum nullum? In qua certum est primò, ᵖ non peccare mortaliter, qui in confessione negat aliquod veniale, aut affirmat illud fecisse, cùm non fecerit. Prob. quia nemo tenetur confiteri venialia; ergo non peccat contra integritatem, qui illud negat. Illud verò mendaciter dicere, est de se leve, si aliàs sit materia, supra quam absolutio cadat; ergo valebit Sacramentum.

[p] Soar. d. 31. f. 11.

277 Certum est secundò, ᑫ peccare mortaliter, qui negat aliquod mortale quod fecit, aut affirmat fecisse quod non fecit. Prob. primum. Quia ad integritatem confessionis, sine qua Sacramentum non valet, pertinet ut pœnitens confiteatur omnia mortalia, quorum habet conscientiam; ergo aliquod scienter, & sine causa rationabili omittere, peccatum mortale est, & Sacramentum nullum. Prob. secundum. Quia qui dicit se fecisse mortale quod non fecit, confessorem decipit in re gravi pertinente ad essentiam judicii; ergo mortaliter peccat, & Sacramentum nullum facit, nisi ex ignorantia id faciat, quæ si fuerit inculpabilis excusabitur, & valebit Sacramentum.

[q] Soar. n. 10. & 11.

278 Dico quartò, peccata dubia declaranda ʳ sunt in confessione ut dubia. Unde sequitur 1. si dubites, an commiseris certum aliquod peccatum mortale, v. c. an consenseris in delectationem, cujus imaginatio te pulsavit, & facta diligentia dubium negativum perseverat, teneri te illud confiteri sub eo dubio. Quia præceptum confessionis in tali dubio possidet ex universali usu Ecclesiæ, & communi DD. sententia, qui tanquam certum existimant præceptum de integritate confessionis ad id obligare, adeò ut nullus ausus fuerit oppositum asserere, licèt aliqui inclinent. Favetque Trident. ˢ ubi agens de materia necessaria confessionis, sola peccata venialia excipit: ergo non sunt excipienda mortalia, de quibus dubitatur, an commissa fuerint.

[r] Soar. d. 22. f. 9. Sanch. 1. decal. c. 10. n. 67.

[s] Sess. 14. c. 5.

279 Sequitur secundò, ᵗ declarandum esse peccatum, de quo constat fuisse commissum, dubitatur tamen, an fuerit mortale, ob idem fundamentum. Et in utroque casu declarandæ sunt circumstantiæ talis peccati maximè mutantes speciem. Et idem est, si pœnitens non meminerit speciei talis peccati, sed solùm dubius sit, an aliquod mortale admiserit, tenetur in genere fateri se dubium esse, an quoddam mortale commiserit; sicut qui certo novit se peccatum mortale commisisse, speciei tamen non meminit, tenetur in genere fateri se mortaliter peccasse. Si tamen postea recordetur speciei, tenetur iterum confiteri, quia illud peccatum non fuit plenè confessum. Sicut etiam si postea constat peccatum, quod dixit ut dubium, certè fuisse commissum. De quo licèt multi dubitent, Card. de

[t] Soar. n. 1. Sanch nu. 66. & 69.

u De pœn. d. 16. s. 2. § 4. de Lugo [u] negare tandem non audet. Non tamen tenetur iterum confiteri peccatum, de quo dubitabat, an esset mortale, estò postea constet mortale fuisse.

280 Sequitur tertiò, exponendum esse in confessione peccatum, [x] quod constat commissum fuisse, dubitatur verò, an fuerit in confessione expressum. Nam talis homo certus est de præcepto obligante ad confessionem talis peccati, dubius autem an illi satisfecerit; sed obligationi certæ non satisfit per satisfactionem dubiam, & in tali dubio possessio est pro præcepto. Et idem est si dubium sit, an confessio præterita fuerit irrita.

x Soar. n. 2. Soar. d. 37.

SECTIO IV.

De tertia parte pœnitentiæ, quæ est satisfactio.

281 SUppono tanquam certum ex definitione Trident. [a] posse hominem in hac vita satisfacere pro pœna temporali, quæ restat, dimissa culpa, tam sustinendo pœnas à Deo inflictas patienter, quàm exequendo, quæ à confessario in satisfactionem imposita fuerit; quàm etiam per alia opera pœnalia sponte suscepta; posseque talem satisfactionem esse de condigno. Nam si homo potest mereri de condigno vitam æternam, à fortiori poterit de condigno satisfacere pro pœnis, ut indicat idem Concilium, quatenus ait: *Non habet homo, unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ.* Ubi non obscurè innitur vim merendi, & satisfaciendi eodem modo virtute Christi nobis communicari; ergo sicut justi merentur de condigno, ita etiam satisfaciunt.

a Sess. 14. c. 13. Soar. d. 37.

282 Dico ergo primò. [b] Confessor tenetur per se loquendo aliquam satisfactionem imponere pœnitenti. Ita [c] Trident. & prob. quia licèt actualis satisfactio non pertineat ad essentiam hujus Sacramenti, ut sect. 1. dictum est; pertinet tamen ad ejus integritatem: sed confessor tenetur integrum Sacramentum conficere; ergo & satisfactionem imponere. Dixi: *Per se loquendo.* Quia per accidens ab ea imponenda excusabitur, si pœnitens dum absolvitur, sensibus destitutus fit; in quo casu supervacaneum esset illi satisfactionem imponere. Si tamen auditu privatus non sit, curet Sacerdos, ut nomen Jesu voce, si potest, vel saltem corde proferat, aut aliam hujusmodi levem pœnitentiam pro qualitate virium imponat.

b Soar. d. 38. s. 3.

c Sess. 14. c. 8.

283 Dico secundò. Confessor tenetur satisfactionem aliquam peccatis proportionatam imponere. [d] Prob. quia hoc Sacramentum institutum est per modum judicii; ergo confessor judex debet ponderare gravitatem peccatorum, & juxta illam pœnam imponere; aliàs si pro gravissimis culpis levissimas pœnas injungeret, non servaret æquitatem, sicut nec si pro levissimis graves pœnas imponeret. Ex rationabili tamen causa poterit leviores injungere, quia pœnitentia non tantùm imponitur in vindictam peccatorum, sed etiam in novæ vitæ custodiam, & medicinam infirmitatis, ut docet Concilium suprà: sed contingere potest, ut si confessor pœnas valdè graves imponat, terreatur pœnitens, & præ sua fragilitate eas subire nolit, indeque occasionem sumat reticendi peccata: ergo confessor prudenter considerare debet non modo gravitatem peccatorum, sed etiam conditionem, & fervorem pœnitentis, ut omnibus diligenter inspectis eam pœnitentiam imponat, quam judicet magis accommodatam utilitati pœnitentis, quod si faciat, prudenter operabitur. d Soar. s. 4.

284 Nota primò. [e] Imponenda regulariter esse pro pœnitentia opera externa. Quia talia opera facilius implentur maximè à rudibus, & ab illis, qui operibus internis assueti non sunt. Secundò, communiter imponenda non esse ea opera, ad quæ pœnitentes ex præcepto obligantur; quia pœnitentia imponi debet in vindictam, & gravamen; per opus autem præceptum nemo de novo gravatur; licèt talia opera simpliciter imponi possint; quia cùm homo per talia opera satisfacere possit, non est cur imponi non possint. Si tamen confessor id non declaret, pœnitentia imposita intelligitur de opere aliàs non præcepto, neque per opus præceptum satisfiet. Tertiò, interdum imponi possunt actus interni; quia possunt multùm juvare, ut homo à peccatis retrahatur: possunt e Soar. s. 6.

Digitized by Google

sunt ergo imponi, cùm pœnitentia non solùm sit punitiva, sed etiam curativa, & medicinalis, maximè verò si acceptentur.

f Soar. f.7. & 9. 285 Dico tertiò. f Pœnitens tenetur pœnitentiam impositam acceptare, eamque per se exequi. Prima pars sumitur ex Trident. dicente esse in Sacerdotibus potestatem ligandi non tantùm ad infirmitatis medicamentum, sed etiam ad peccati commissi vindictam. Et prob. quia confessor tenetur satisfactionem imponere; ergo pœnitens tenetur eam acceptare. Patet consequentia, tum quia cùm uterque concurrat ad Sacramentum, uterque tenetur integritatem ejus servare; tum quia aliàs valdè inefficax esset potestas judicativa confessoris. Prob. secunda pars. Quia satisfactio imponitur in pœnam, & ultionem peccati; ergo ille, qui peccavit, debet pœnam sustinere, ut sicut culpa fuit personalis, ita & pœna. Patet consequentia. Quia obligatio pœnæ oritur ex præcepto Confessoris; ergo si Confessor præcipit jejunium, non implebit præceptum, si alius jejunet. Unde quando Confessor absolutè præcipit, ut hoc vel illud faciat, imponit obligationem personalem per ipsum pœnitentem implendam.

g Soar. f.9. n.2. 286 Si tamen Confessor judicaverit expedire, poterit imponere g pœnitentiam per alterum explendam, & tunc satisfaciet pœnitens præcepto ejus, si per alium fiat. Notandum verò quæ in hac conclusione dicuntur, intelligi etiam de pœnitentia imposita pro peccatis jam confessis. Nam Confessor tenetur pro illis etiam pœnitentiam imponere, tum ad integritatem Sacramenti, tum ad servandam æquitatem judicii; ergo etiam pœnitens tenetur pœnitentiam acceptare, illamque implere, maximè quia æquum est, ut si vult gaudere beneficio Sacramenti circa eadem peccata, ponat ex parte sua, quidquid requiritur ad Sacramenti integritatem.

h Soar. f.10. 287 Dico quartò. h Pœnitentiam semel impositam potest mutare primò idem Confessor. Prob. quia nihil impedit, quòd idem judex possit causam antea judicatam iterum judicare, cùm eamdem retineat potestatem; ergo poterit pœnam antea impositam, habita ratione circumstantiarum, quæ antea non occurrerunt, mutare; hoc autem facere non potest omninò extra confessionem, sed vel in alia eorumdem peccatorum, vel si ad ipsum pœnitens recurrat intra tempus adeò breve, ut moraliter possit idem judicium existimari. 2. eam mutare potest alius Confessor, sive superior, sive æqualis, audiendo tamen confessionem eorumdem peccatorum. Prob. quia in munere absolvendi omnes Sacerdotes sunt pares ex potestate ordinis, quam nomine Christi exercent, in quo unus Sacerdos non est alio superior, licèt quoad jurisdictionem impares sint; ergo si idem Sacerdos potest suam sententiam mutare, eamdem poterit mutare & alius, cùm omnes æqualem in hoc potestatem habeant. Neque secundus Confessor, propriè loquendo, mutat sententiam prioris, sed suam profert, causa eadem ad ipsum delata; nam ea non datur per modum appellationis, sed per modum novi judicii, quod æquale est præcedenti, utpote fluens ab authoritate æquali.

288 Idem aliqui dicunt de Sacerdote inferiori respectu superioris, cui peccata reservata sunt, posse nimirum mutare pœnitentiam à superiori impositam, audiendo iterum confessionem reservatorum, à quibus, cùm jam ablata sit reservatio, potest inferior absolvere, & pœnitentiam imponere: ac proinde mutare impositam à superiori. Hoc autem satis probabile i non est, nisi necessitas, vel pia utilitas aliud postulet; tunc enim piè præsumitur hanc esse intentionem superioris. Ratio autem est, quia inferior non habet potestatem per se in illa peccata, quatenus commissa sunt, quia, ut sic, sunt reservata; ergo non potest pœnitentiam pro illis, sic spectatis, impositam mutare, maximè quia includit præceptum superioris, quatenus superior est, quod inferior, per se loquendo, & jure ordinario mutare non potest. i Soar. f. 10 à n 14.

289 Dico quintò. l Satisfactio in peccato mortali satis est ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem à Confessore impositam. Prob. quia Confessor solùm præcipit opus, & non modum ejus, quod etiam est commune in aliis præceptis; neque hic est fingenda nova obligatio sine fundamento. Verum tamen est talem satisfactionem non conferre effectum, l Soar. f.8.

saltem durante statu peccati, quia pœna non remittitur homini existenti in peccato, est enim peccatum obex ad illum effectum. Dixi: *Saltem durante statu peccati*. Quia probabile est, recedente postea obice, habere suum effectum. Quia licèt, ut est opus operantis, sit mortuum; ut tamen est opus sacramentale, & applicatio satisfactionum Christi, est opus ex se vivum, mortificatum quidem ratione subjecti. Unde sicut opera mortificata reviviscunt, & operantur, recedente fictione; ita opus illud incipit habere suum effectum, sublato obice.

m Soa. f. 2. 290 Dico sextò. [m] Satisfactio sacramentalis remittit pœnas temporales debitas peccatis remissis ex opere operato. Prob. quia habet vim producendi aliquem effectum ex opere operato, aliàs non haberet majorem efficaciam, quàm satisfactio quælibet alia sponte suscepta, quod dici non potest, cùm sit pars sacramenti, & significationem sacramentalem habeat, effectumque, quem significat, efficere debeat; sed nullus alius effectus magis accommodatus assignari potest, quàm remissio pœnæ temporalis, quam significat; ergo.

SECTIO V.

De Ministro Pœnitentiæ.

291 IN Ministro hujus Sacramenti duo possunt considerari, nempe conditiones, quas habere debet ad hoc ministerium exequendum: & obligationes, quas habet, supposito quòd ministerium acceptat. De quibus sigillatim dicendum erit.

§. I.
De conditionibus Ministri Pœnitentiæ.

292 DIco primò. Solus Sacerdos legitimè ordinatus potest ministrare hoc Sacramentum. Est de fide definita in Trident. [a] sumiturque ex verbis Christi: [b] *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Quæ intelliguntur de potestate remittendi peccata in hoc Sacramento, fueruntque dicta Apostolis jam Sacerdotibus in Cœna constitutis, & solùm dicuntur in ordinatione Sacerdotis, ut significetur solis Sacerdotibus similem potestatem communicari, de quo latè [c] DD.

a Seff. 14. c. 10. b Ioan. 20. 22.

c Soar. d. 24. f. 1.

293 Dico secundò. Ut Sacerdos validè administret hoc Sacramentum, debet habere jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam pro foro interno. Est etiam de fide ex Tridentino [d] statuente nullam esse absolutionem, quæ profertur à Sacerdote nullam habente jurisdictionem. Ratio sumitur ex eodem Concilio, nempe: *Quia natura, & ratio judicii exigit, ut sententia in subditos tantùm feratur*. Cùm ergo hoc Sacramentum sit institutum per modum judicii, benè sequitur ad valorem illius jurisdictionem necessariam esse ex ipso jure divino. Unde minister hujus Sacramenti duplici potestate præditus esse debet, altera ordinis, qua quis à Deo deputatur, ut possit judicare in foro animæ; altera jurisdictionis collata per Ecclesiam, de quo latè [e] DD.

d Seff. 14. c. 7.

e Soar. f. 2.

294 Nota verò in duobus [f] casibus conferre Ecclesiam generalem jurisdictionem cuilibet Sacerdoti illam aliàs non habenti. Primus est articuli, seu periculi mortis, in quo etiam excommunicatus, suspensus, interdictus, non toleratus, imò & degradatus absolvere potest. Secundus est circa venialia, & mortalia aliàs ritè confessa, & directè remissa, à quibus simplex Sacerdos absolvere potest, ut observat praxis, & docent DD.

f Soar. d. 26. f. 4. & 5. & d. 30. f. 3.

295 Dico tertiò. [g] Jurisdictio ordinaria in hoc foro est in Pontifice, qui illam in sua electione immediatè à Christo accipit in omnes Christi fideles. 2. est in Episcopo respectu omnium subditorum suæ Diœcesis. An verò illam immediatè accipiat à Christo, an à Pontifice, quæstio est alterius instituti: probabilius est à Pontifice immediatè accipi. 3. est in Parocho in omnes personas suæ Parochiæ. Ad hos tres reduci possunt omnes alii jurisdictionem ordinariam habentes. Ad Primum Summus Pœnitentiarius Papæ, Legatus à latere, & similes. Ad 2. Vicarius generalis Episcopi, Abbates exempti ab Episcopis; generales, & provinciales Religionum. Ad 3. Vicarius Parochi, Archipresbyter, Priores, & locales Religionum.

g Soar. d. 25.

296 Dico quartò. [h] Jurisdictio non confertur per ratihabitionem de futuro.

h Soar. d. 26. f. 1. à n. 13.

Digitized by Google

ro. Prob. quia ut quis validè absolvat; opus est, ut dum absolvit, habeat jurisdictionem; sed quòd Pastor ratificet postea absolutionem antea prolatam, non efficit, ut absolvens habuerit jurisdictionem, quando de facto absolvit; ergo ratihabitio de futuro satis non est, ut absolutio præterita sit valida. Patet consequentia: Quia qui absolvit sub spe ratihabitionis futuræ, absolvit sub conditione, si nimirum Pastor consenserit; sed absolutio prolata sub conditione de futuro contingenti non valet, ut cap. 1. dictum est; nam dum profertur absolutio, conditio non adest; quando postea conditio existit non ponitur absolutio; ergo fuit invalida, & nulla.

297 Et idem dicendum [i] est de ratihabitione de præsenti, quam aliqui credunt sufficere; quia talis ratihabitio non potest esse aliud, quàm præsens voluntas committendi jurisdictionem non manifestata claro, & expresso signo, sed involuta, & implicita; quæ voluntas non potest dici propria ratihabitio, sed collatio jurisdictionis per consensum de præsenti præsumptum: cùm autem interior voluntas non sufficiat ad dandam hanc jurisdictionem, quæ debet dari modo humano per signum externum, quodcumque illud sit, eo quòd homines non cognoscunt voluntates interiores, consequens est signum externum tale esse debere, ut per illud sufficienter innotescat voluntas concedentis; si autem hoc non habeat, semper erit insufficiens. Si verò tale signum rem dubiam relinquat, satis non erit, quia non satis manifestat voluntatem. Unde exponetur Sacerdos periculo nihil faciendi, si tentet absolvere.

i Soar. à n.16.

298 Dico [l] quintò. Jurisdictio ista propriè loquendo, non confertur per consuetudinem. Prob. quia duobus modis potest introduci consuetudo audiendi confessiones. 1. scientibus, & repugnantibus superioribus, & tunc manifestum est, non conferri jurisdictionem, quia superior, ad quem spectat illam conferre, non consentit. Et idem est, si jurisdictio usurpetur superiori prorsus inscio. 2. superioribus scientibus, & non contradicentibus, cùm facilè possent contradicere. Et tunc jurisdictio confertur, non quidem per consuetudinem, quia hæc est inferiorum, qui jurisdictionem dare non possunt, sed per superiores, qui tacitè consentiunt cujus consensus sufficiens indicium est consuetudo; quia eo ipso, quòd iis videntibus, & non reclamantibus jurisdictio usurpatur, prudenter existimari potest eos consentire, & velle, quòd ita fiat.

l Soar. s. 2. n. 2.

299 Non tamen [m] iste est usus Ecclesiæ; sed qui hanc jurisdictionem ordinariam non habent, eam expressè habent, primò à Pontifice, qui eam dare potest independenter ab Episcopo, & Parocho. Prob. quia Pontifex habet immediatè à Christo universalem jurisdictionem in omnes fideles, à quo dimanat in omnes alios: ergo potest eam delegare cuicumque voluerit. Verum est, quòd post Trident. [n] nemo potest tali jurisdictione uti sine approbatione Episcopi, cujus est examinare, an personæ sint aptæ ad hoc ministerium exercendum. Posita verò approbatione Episcopi à Pontifice confertur jurisdictio omnibus Regularibus à suis Prælatis expositis, & aliis, quibus Pontifex eam jurisdictionem concesserit.

m Soar. s. 1.

n Sess. 23. c. 15. de reform.

300 Quare qui in Paschate confitetur Regulari [o] habenti privilegium à Pontifice audiendi fidelium confessiones, non tenetur iterum Parocho suo confiteri, ut præcepto satisfaciat, ut patet ex Bullis Pontificum, & usu ubique recepto, & communi DD. sententia. Neque in hoc fit injuria Parocho, sed beneficium; cùm enim Pontifex, cui Parochi jurisdictio subordinata est, possit per se subditorum confessiones audire, id etiam potest per alios ab ipso deputatos, cùm non minus hoc, quàm illud agere possit. Et idem dico servata proportione de illis, qui ab Episcopo eamdem jurisdictionem habuerint. Neque obstat cap. omnis utriusque sexus. Ubi præcipitur, ut quilibet semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti, ut alteri de ejus licentia Quia per proprium Sacerdotem non ita intelligitur Parochus, ut excludantur ejus superiores. Nam si hoc ita esset, nemo posset in Paschate confiteri Episcopo, aut Pontifici sine licentia Parochi, quod est absurdum. Unde per proprium sacerdotem intelligitur etiam Pontifex, & Episcopus, de quorum licentia quilibet alius eo tempore absolvit de licentia proprii Sacerdotis.

o Soar. s. 1. n. 11. & 12. & s. 2. à n. 5.

301 Se-

Digitiz

301 Secundò haberi potest hæc jurisdictio ab Episcopo [p] independenter à Parocho. Patet ex proximè dictis, quia sicut Pontifex potest illam concedere respectu omnium fidelium independenter ab Episcopo, à quo ejus jurisdictio non dependet; ita eamdem potest concedere Episcopus respectu omnium suæ Diœcesis independenter à Parocho, à quo Episcopi jurisdictio non dependet. Tertiò, haberi potest à Parocho, [q] qui eam concedere potest omni approbato ab Episcopo, quamvis Episcopus eam non concesserit cum approbatione; quod fieri potest, si Episcopus approbet judicando idoneum, non tamen facultatem concedendo. Prob. quia fideles possunt confiteri suo Parocho, aut alteri de licentia illius; ergo licentia Parochi satis est ad hanc jurisdictionem habendam respectu subditorum Parochi, præcedente approbatione Episcopi.

p Soar. s. 1. n. 12.

q Soar. d. 28. s. 4. à n. 11.

302 Dico sextò. [r] Ut quis validè absolvat, debet habere jurisdictionem expeditam. Prob. quia illam impeditam habere, perindè est, moraliter loquendo, ac illam non habere. Impeditur autem per censuras Ecclesiasticas, nempe excommunicationem, suspensionem, & interdictum, quando quis nominatim, & publicè talis denuntiatus est, aut quando est publicus clerici percussor adeò notorius, ut nulla tergiversatione celari possit, aut juris suffragio excusari; non autem in aliis casibus, post Concilium Constantiense.

r Soar. de cens. d. 11. s. 2. à n. 12.

303 Dico septimò. [s] Requiritur etiam ad valorem absolutionis, ut jurisdictio limitata non sit per peccatorum reservationem. Prob. quia reservatio tollit jurisdictionem ab inferioribus, sed sine jurisdictione nemo absolvere potest, ut dictum est: ergo de reservatis nemo potest absolvere, nisi qui reservavit, aut de ejus licentia, aut superior ipsius. Potest autem hæc facultas concedi vel directè ipsi Confessario, vel solùm indirectè per facultatem alicui concessam ad eligendum Confessorem, à quo à reservatis absolvatur, ut conceditur per Cruciatam, & Jubilæum.

s Soar. de pœn. d. 30.

304 Dico octavò. [t] Ad absolvendum à mortalibus nunquam aliàs confessis, præter jurisdictionem, requiritur approbatio Episcopi. Ita decernitur in Trident. [u] quod statim declarat hoc non intelligi de illis, qui audjunt confessiones regularium, neque de Parochis, qui eo ipso, quòd eis confertur beneficium Parochiale, censentur approbati. Hæc autem approbatio danda est ab Ordinario Confessarii, ut declaravit sacra Congregatio apud [x] Barbos. Ratio verò est, quia approbatio est actus jurisdictionis; unde dari debet ab habente jurisdictionem in illum, qui approbatur. Episcopus autem, in cujus Diœcesi regulares habitant, censetur eorum Ordinarius, quoad hunc effectum. [a] Licèt autem aliqui dicant approbatum à suo Ordinario censeri approbatum pro omnibus Ecclesiis, ita ut in aliena Diœcesi possit deputari ad confessiones audiendas sine nova approbatione, quod satis putant probari ex Concilio exigenti tantùm approbationem Ordinarii ipsius Confessarii, non autem Ordinarii pœnitentis. Parochus tamen suas vices non committat, nisi approbatis à suo Episcopo, quia oppositum non est securum. Qui autem à quolibet Episcopo habuerit facultatem audiendi confessiones, ab illo approbatus censetur.

t Soar. d. 28. sect. 4.

u Sess. 23. c. 15. de ref.

x Ad locũ Conc.

a Soar. s. 6. & 7.

305 Dico nonò. [b] In Confessario requiruntur aliquæ qualitates. Imprimis bonitas. Ut enim Sacramentum validè perficiat, eam saltem bonitatem habere debet, quæ necessaria est, ut sine fictione, & cum debita intentione absolvat. Ut autem absolutio aptè, & sanctè conferatur, debet esse in gratia. Quare ut quis dignè eligatur ad hoc ministerium, opus est, ut sit vir bonus, & bonæ famæ; si enim talis non sit, non poterit sanctè, & sine scandalo hoc ministerium exercere. Si tamen eligatur, valebit Sacramentum; quia hujusmodi bonitas non requiritur ad valorem, sed tantùm ad rectum usum hujus ministerii.

b Soar. s. 1.

306 Secundò, requiritur apta [c] scientia. Cùm enim hoc Sacramentum institutum sit per modum judicii, ea scientia in ministro postulatur, quæ necessaria est ut sententia rectè, & debitè in hoc foro feratur, quod non ita facilè est, cùm agatur de conscientia hominis, & de peccatis illius, quæ diligenter ponderanda sunt juxta illorum species, & circumstantias, ut justa pro eis satisfactio imponatur. Unde opus est, quod

c Soar. s. 2. Tol. l. 3. c. 15.

quod Confessor possit discernere inter peccatum mortale, & veniale: inter species peccatorum, ac circumstantias eorum tam mutantes speciem, quàm aggravantes, & minuentes; quæ nam sint peccata reservata, à quibus absolvere nequit, quæ nam censuram annexam habeant: quando debeatur restitutio, & similia, de quibus dicemus lib. sequenti ad perfectam Parochi instructionem.

d Soar. d. 28. s. 2. n. 8. Lug. d. 21. s. 4. n. 71.

307 Unde graviter peccat [d] Prælatus exponens ad confessiones audiendas Sacerdotem, qui caret scientia requisita, ipseque Sacerdos id procurans, aut acceptans. Quia grave peccatum est committere sacrum ministerium personæ non capaci, illudque exequi sine capacitate. Excusabitur tamen Sacerdos ignarus: 1. quando audit confessionem moribundi, si absit alius, à quo possit absolvi. 2. quando audit confessionem hominis docti, qui probè novit explicare species, numerum, & circumstantias peccatorum. 3. quando audit personas spirituales, quæ solùm venialiter communiter peccare solent.

e Tolet. c. 15. n. 5. Possev. c. 11. n. 1.

308 Tertiò denique requiritur multa prudentia. [e] Cùm enim Confessor non solùm judicis, sed etiam medici personam gerat; diligenter curare debet, ut ea remedia adhibeat, quæ opportuna sint ad animam sanandam, ad illamque præservandam à peccatis in posterum. Et insuper ad videndum statum pœnitentis, ejusque dispositionem, vel indispositionem, ad quæ sanè magna prudentia necessaria est.

§. 2.

De obligationibus Ministri Pœnitentiæ.

309 a Soar. d. 32. s. 3.

Dico [a] primò. Sacerdos tenetur pœnitentem interrogare, quando probabiliter credit aliquid omitti necessarium ad integritatem confessionis. Prob. quia absolvere, non facta tali interrogatione, esset applicare formam materiæ insufficienti, nempe confessioni non integræ, quod esset mortale: ergo, ut hoc fugiat, debet illam interrogationem facere. Non debet autem esse nimius in interrogando, sed interroget ea tantùm, quæ probabiliter credit commissa fuisse, spectata pœnitentis conditione, & in hoc prudenter se gerat, ne contingat docere, quæ fortè ignorantur.

310 Dico [b] secundò. Sacerdos, antequam absolvat, debet probabiliter existimare pœnitentem esse sufficienter dispositum, quia nimirum satisfecit obligationibus, quibus sub mortali aliqua fortasse exequi tenebatur, & quia sufficienter dolet de peccatis à se commissis, firmiterque proponit in posterum peccata, eorumque occasiones vitare, quamvis probabiliter credat propositum diu non esse servaturum. Posita autem hac dispositione, absolvere tenetur, quia Deus, cujus locum tenet, ita vult; cùm nihil aliud exigat, supposita institutione hujus Sacramenti. Judicare verò debet pœnitentem dispositum, licèt fortè sequatur opinionem, quam Sacerdos minus probabilem existimet, dummodo in praxi probabilis sit; quia tuta conscientia sequi potest id, quod probabile est; unde peccaret negando absolutionem pœnitenti, qui Confessoris opinioni non acquiesceret, estò foret probabilior. b Soar. s. 2. & 5.

311 Dico tertiò. [c] Sacerdos tenetur absolutionem negare pœnitenti, quem constat esse indispositum, quia vel non habet dolorem de peccatis, vel non habet propositum emendandi vitam, vel non vult dimittere occasiones proximas peccandi, aliisque obligationibus gravibus satisfacere. Prob. quia dispositio pœnitentis est necessaria tam ad valorem Sacramenti, cùm se habeat ex parte materiæ proximæ, quàm ad effectum illius. Unde si absolveret, applicaret formam sine materia, & grave sacrilegium committeret. Et ideò si vidit aliquod mortale committi à pœnitente, quod tacetur in confessione, si certò constat nemini alteri confessum fuisse, & ipse interrogatus negat tale peccatum commisisse; absolvendus non est, quia integrè non confitetur, ac proinde dispositus non est. c Soar. s. 2.

312 Dico [d] quartò. Sacerdos tenetur servare sigillum sacramentale, ita ut ei non liceat ex quacumque causa illud nec directè, nec indirectè violare. Prob. quia cùm Christus hoc Sacramentum instituerit tanquam medium necessarium ad veniam peccatorum obtinendam, consequenter instituit omnia, sine quibus commodè recipi non potest; tale autem est sigillum, quia d Soa. d. 33. Lug. d. 23.

si fas

Digitized by Google

si fas esset Sacerdoti detegere ea, quæ in confessione audivit, confessio valdè onerosa, imò & intolerabilis redderetur, nemo enim auderet peccata sua interna, & secreta detegere; unde impediretur fructus Sacramenti, & salus animarum; ergo ex ipsa institutione Sacramenti tenetur ad sigillum.

313 Quòd autem ex nulla omninò causa, quæcumque illa sit, liceat unquam hoc sigillum violare, inde constat, quia cùm hoc Sacramentum institutum sit tanquam medium ad salutem necessarium omnibus iis, qui post Baptismum mortaliter peccarunt; multò minus malum est quodcumque damnum temporale etiam publicum, quàm occasio data non utendi hoc Sacramento; sed ab eo averterentur homines, omnibus exosa, & insupportabilis redderetur confessio, si fas esset, ex aliqua causa sigillum violare; ergo &c.

314 Quòd verò neque indirectè liceat hoc sigillum violare; inde patet, quia revelatio indirecta perinde se habet moraliter, ac directa; cùm ex utraque idem sequatur effectus, nempe quòd confessio reddatur exosa, & fiat injuria Sacramento. Quare Confessor omnia, quæ in confessione audit, alto silentio premat, estò nec sint peccata, nec circumstantiæ, aut objecta peccatorum, licèt sæpè impertinenter afferuntur; quia si talia revelentur, multi saltem simplices à confessione avertentur, aut saltem cum minori fiducia ad eam accedent. Unde optimum consilium est circa talia se habere, ac si nunquam ad Confessoris notitiam devenissent, quia sæpè gravissima oriuntur inconvenientia.

SECTIO VI.

De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.

315 Effectus Sacramenti Pœnitentiæ communes sunt Sacramento etiam in voto, quando impius justificatur extra Sacramentum per contritionem perfectam, aut amorem Dei super omnia, cum solo voto hujus Sacramenti, ut dictum est sect. 2. quare quod dictum fuerit de Sacramento in re suscepto, de Sacramento in voto dicta pariter accipiantur.

a Soar. d. 8. 316 Dico [a] ergo primò. Primus effectus Sacramenti Pœnitentiæ est remissio peccatorum mortalium, quæ cùm non remittantur sine infusione gratiæ, & justificatione impii, ipsa gratia justificans est etiam effectus Sacramenti; imò hæc est primus ejus effectus, & secundarius remissio peccatorum. Prob. autem, quia hoc Sacramentum eo fine fuit à Christo institutum, ut per illud homo, qui post Baptismum mortaliter peccavit, in Dei gratiam rediret, & à peccatis mundaretur, unde à sanctis PP. dicitur secunda tabula post naufragium; ergo habet vim ad remittenda peccata mortalia, ut colligitur ex ejus forma, & institutione: [b] *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* b Io. 20. 23.

317 Dixi: *Esse effectum* [c] *hujus Sacramenti remissionem peccatorum mortalium.* c Soar. d. 11. & 12. Quia licèt venialia etiam per illud remittantur, cujus sunt materia sufficiens; tamen, si sint separata à mortalibus, possunt & solent remitti extra Sacramentum, & sine ordine ad illud per attritionem, & alios actus virtutum, & à fortiori per contritionem, & amorem Dei. Mortalia verò nunquam remittuntur, nisi vel in Sacramento, vel in ordine ad illud, seu in voto illius, quia semper manent ut subjicienda clavibus.

318 Dico [d] secundò. Secundus effectus hujus Sacramenti est remissio d Soar. d. 10. s. 2. pœnæ æternæ debitæ peccato mortali. Prob. quia peccatum mortale non remittitur sine justificatione, & infusione gratiæ sanctificantis, quæ hominem reddit justum, sanctum, filium Dei, ac hæredem vitæ æternæ, qui effectus directè opponuntur pœnæ æternæ, ut per se patet; ergo eo ipso, quòd alicui remittitur peccatum mortale, consequenter remittitur reatus pœnæ æternæ, ut etiam definit Concilium [e] Tridentinum. e Sess. 6. c. 14.

319 Non tamen semper remittitur tota pœna [f] temporalis, ut decernit f Soar. s. 3. idem Concilium, hoc discrimen assignans inter Pœnitentiam, & Baptismum, quòd in Baptismo remittatur tota pœna, non sic in Pœnitentia, quòd postea agendo de hoc Sacramento speciali canone definit. [g] Interdum g Sess. 14. c. 12. tamen potest contingere, ut tam perfecta sit contritio, ut tota pœna remittatur; nam sicut quò contritio est perfectior, eò major gratia infunditur, ita & major pœna remittitur. Unde ad tan-

Digitized by Google

tantam perfectionem pertingere potest contritio, ut intuitu illius tota pœna remittatur.

320 Nota verò primò, [h] peccata semel dimissa non redire quoad maculam habitualem, quando postea aliquod mortale committitur. Prob. quia macula, seu culpa habitualis dicit ordinem intrinsecum ad actum præteritum; ergo cùm hic de novo non ponatur, illa redire non potest, nisi dicatur à solo Deo produci, quod impium esset asserere. Neque dicas maculam illam resultare ex peccato de novo commisso ad eumdem modum, quo peccatum originale resultat, posita hominis generatione, ex peccato Adæ jam dimisso. Quia Deus remisit Adæ peccatum suum, non tamen quòd ex vi pacti filii ejus contrahere tenebantur: at verò in hoc Sacramento absolutè remittuntur peccata independenter ab omni conditione de futuro, ut patet ex forma ipsius Sacramenti, quæ absolutam remissionem significat. Neque dicas oppositum colligi ex parabola regis, qui cùm omne debitum servo remisisset, postea revocavit ob immisericordiam, qua usus fuerat cum conservo; quo posito addit Christus: [i] *Sic & Pater meus faciet vobis*. Quia ibi non rediit idem debitum secundùm se simpliciter; sed aliud simile ob crudelitatem suam. Unde non repetit Deus peccata, quæ semel remisit, sed interdum peccantem subjicit graviori pœnæ, quàm si peccatorum priorum remissionem non obtinuisset, eo quòd ingratum se gesserit erga suum benefactorem, & eatenus priora peccata redire dicuntur.

h Soar. d. 23. s. 1. & 3.

i Matt. 18. 35.

321 Nota secundò, peccata [l] semel dimissa etiam non redire quoad reatum pœnæ æternæ. Prob. quia nemo est debitor pœnæ, nisi propter culpam: sed prior culpa non redit: ergo neque pœna illi debita. Patet consequentia, quia sicut culpa, ita & pœna æterna absolutè remissa fuit. Neque dicas peccata remissa, ex quibus remanet pœna temporalis, puniuntur in inferno pœna æterna: ergo pœna æterna redit ob subsequens peccatum. Nam in hoc est controversia inter Theologos. Aliqui enim negant antecedens existimantes pœnam illam finiendam esse. Alii illud concedunt, dicunt tamen id esse per accidens, quia homo in inferno nec potest satisfacere, neque satis pati, quia cùm peccatum semper duret, semper durat debitum pœnæ.

l Soar. s. 2.

322 Dico tertiò. Tertius effectus Pœnitentiæ est reviviscentia [m] meritorum, & operum mortificatorum. Est communis Theologorum, & ita certa, ut à plerisque opposita existimetur temeraria, imò & erronea. Sumitur ex illo Prophetæ: [n] *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua*. Valdè autem noceret, si merita mortificata non reviviscerent, quia privaret hominem tota gratia, & gloria debita prioribus meritis. Prob. autem, quia opera mortificata reviviscere, teste [o] D. Thom. nihil aliud est, quàm hominem in eo statu constitui, ut prædicta opera recuperent efficaciam perducendi illum in vitam æternam: sed hoc fit per pœnitentiam: ergo per illam opera mortificata reviviscunt. Prob. min. quia etsi bona opera in se transeant, manent tamen in acceptatione divina, habentque effectum in homine, sublato obice peccati, quod superveniens impedit, ne illa opera sint efficacia pro præsenti statu ad producendum hominem in vitam æternam; ergo cùm per pœnitentiam impedimentum tollatur, nihil impedit quominus opera illa reviviscant, & recuperent vim, quam antea habebant.

m Soar. in opusc. relect. 2. Lug. d. 11.

n Ezech. 33. 12.

o 3. p. qu. 89. a. 5.

323 Neque dicas: peccata remissa non redeunt per subsequens peccatum, ut dictum est: ergo neque opera bona per peccatum mortificata reviviscunt per pœnitentiam. Nam diversitas in eo est; quia quando peccata remittuntur, abolentur, & destruuntur secundùm se, & ideò non redeunt neque quoad culpam, neque quoad pœnam ipsis debitam: at bona opera non abolentur secundùm se, manent in divina acceptatione, & peccatum superveniens impedit tantùm eorum effectum; quare ablato peccato per pœnitentiam, incipiunt habere efficaciam, quam habebant.

324 Hinc sequitur primò, hominem per pœnitentiam recuperare omnem gratiam deperditam, & omne jus ad gloriam, quod per merita præcedentia comparaverat. Prob. quia si omnia bona opera reviviscunt, reviviscet omnis gratia, & omne jus ad glo-

Soar. sup.

Digitized by Google

gloriam ipsis correspondens; aliàs impietas præterita valdè noceret ablata etiam per pœnitentiam, quia privaret impium conversum parte aliqua gratiæ, & gloriæ, contra promissionem Dei factam per Ezechielem suprà. Neque objicias doctrinam Trident. [p] dicentis unumquemque recipere justitiam secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem. Quia Concilium ibi loquitur de justitia præsenti, quæ infunditur ratione Sacramenti, & dispositionis ad illud, non verò de justitia, & gratia, quæ restituitur, sublato obice; quæ non datur secundùm mensuram dispositionis, sed secundùm mensuram præcedentium meritorum, quæ per se illius sunt causa.

p [illegible] 6. c.

325 Sequitur secundò [q] merita omnia redire per quamcumque minimam contritionem. Prob. quia contritio non concurrit ad revivifcentiam meritorum, nisi ut removens impedimentum peccati, quod quandiu est, impedit effectum præcedentium meritorum: sed quælibet contritio quamvis minima, dummodo in sua specie perfecta, & vera sit, ad tollendum peccatum mortale sufficit, ut sect. 2. dictum est: ergo eo ablato omnia merita reviviscunt, licèt contritio sit valdè remissa. Unde ulterius colliges hominem, qui post peccatum mortale justificatur per pœnitentiam, resurgere semper ad majorem gratiam, quàm unquam habuerit; quia ex una parte recipit totam gratiam deperditam, & ex alia novam accipit ratione pœnitentiæ.

q Soa. sup.

SECTIO VII.

Advertentia ad Parochum circa Pœnitentiam.

326 In hoc Sacramento administrando præter scientiam, multa prudentia, & charitate opus est, ad superandas difficultates, & molestias occurrentes. Et ideò non loquendo de periculo mortis, de quo dicam lib. 11. de aliquibus hic advertam magis communibus. Igitur circa locum adverto ordinarium audiendi confessiones debere esse [a] Ecclesiam, extra quam viros audire potest domi suæ, maximè quando ob multam frequentiam omnes in Ecclesia audire non potuit; imò in campo, & itinere, cùm enim sanctum sit peccatores ubique quærere, & ad pœnitentiam adducere, sanctissimum erit aliquem, dum iter agit, lucrari, & audire. Fœminas nec domi suæ, nec in campo audiat propter decentiam, & bonam opinionem. Suos Parochianos potest audire etiam in aliena Diœcesi, aut Parochia, quia cùm habeat jurisdictionem in personas, & judicium sacramentale sit voluntarium, & sine strepitu, nihil impedit exercere extra limites proprii territorii; quamvis bonum esset domi audire, & secretò ad vitanda aliqua inconvenientia, ne alios, in quos jurisdictionem non habet, dimittere cogatur.

a Possev. c 7. n. 1.

327 Circa personas advertat, [b] si non habet aliam authoritatem, quàm quæ sibi de jure data est cum Parochia, non posse audire nisi suos Parochianos, quia ea authoritas non extenditur ad alios. An verò virtute Jubilæi, aut cruciatæ possit audire alienos, dicetur lib. sequenti cap. 12. & 13. [c] Possunt tamen Parochi ejusdem Episcopatus se invicem audire, & sibi invicem dare facultatem audiendi suos, quamvis id Episcopus possit impedire, si velit; quia ad ipsum pertinet dispositio totius Diœcesis. Potest etiam ex consuetudine audire clericum ejusdem Diœcesis sibi non subditum, ut cum aliis observat [d] Henriquez.

b Soar. d. 28. s. 4. n. 2.

c Soar. s. 3. n. 5.

d Lib. 3 de p. c. 11. c. 8. n. 2.

328 Parochi diversorum [e] Episcopatuum se ipsos audire possunt, si sit consuetudo ab Episcopis scita, & tolerata. Possuntque audire incolas Parochiæ vicinæ, se invicem juvando, quando sunt in confiniis duorum Episcopatuum, scientibus, & tacentibus Episcopis, aliàs non. Possunt audire vagos, & peregrinos ad se venientes, sicut & suos. Non possunt audire incolas alterius Episcopatus venientes ad Ecclesiam in die solemnitatis, si ex proposito veniant, ut ibi confiteantur, quia non habent authoritatem, nisi venerint ex Parochiis vicinis, ubi fuerit consuetudo, de qua dictum est. Poterunt verò audire, si veniant ex devotione, & postea ibi conferantur, & velint communicare, quia tunc habent rationem peregrinorum, qui ex praxi universali Sacramenta possunt accipere, ubi inveniuntur.

e Soar. s. 4. n. 6 & 10. Azor. 1. p. l. 5. c. 19.

329 Cir-

Digitized by Google

f Possev. c.7 n.17.

329 Circa f surdos advertat, ne ab aliis audiantur, ideò audiat illos in loco secreto, & interroget de solis necessariis. Si norunt scribere, bonum erit scribere peccata, & interrogari per scriptum, vel per signa, & nutus, si nihil audiant, & scribere nesciant. Mutum eodem modo audiat per signa, & nutus. Et si sciat scribere, scribat, & scripta comburat coram ipso. Cum eo, cujus linguam non intelligit, si non speratur alius, qui possit intelligere, eodem modo utatur, & absolvat non solùm in periculo mortis, vel in Paschate, sed in quovis alio tempore, quia isti faciunt, quod possunt, & ad nihil aliud tenentur; procuret tamen semper, quoad poterit, illos ad contritionem disponere.

330 Circa pueros advertat teneri ad confessionem, cùm primùm pollent usu rationis, qui communiter solet illucescere prope septennium. Ut autem deprehendat, an illum habeat sufficientem, interroget, ut monet g Nav. An liceat interficere innocentem, aliena rapere, mentiri, maledicere parentibus, eisque non obedire, & similia? Et si negativè respondeant, credat habere, si non totalem, saltem aliquem rationis usum sufficientem. Hos h autem potest admittere imparatos, & interrogationibus juvare, quia non valent se aliter præparare, quamvis bonum sit mittere eos, ut per mediam horam se præparent, magis ut discant, quid postea agere debeant, quàm ut speranda sit præparatio; illosque absolvat sub illa conditione: *In quantùm ego possum, & tu indiges*, ne contingat irritum Sacramentum facere. Illos autem, de quibus constat habere rationis usum, non admittat omninò imparatos. Addit Possev. praxim laudabilem esse à quinquennio usque ad septennium omnes advocare, & multis circum circa statutis, illos hortari ad obedientiam, ad fugienda mendacia, & similia generaliora, ut faciant quasi actum recognitionis dominii erga Deum suum. A septennio verò & supra, si deprehendat illucescere rationis usum, agat, ut est dictum. In morte tamen quando non plenè constat de usu rationis, audiat, & absolvat sub conditione.

g Cap. 21. n.33.

h Possev. c.7 à n.35

331 Circa illos, qui veniunt ad confessionem imparati, i advertat opus esse præparationem, & sufficiens examen. Unde benè faciet, si rusticos, & homines malæ conscientiæ interroget de modo, & qualitate præparationis, ut pro sua prudentia judicet, an sint præparati. Nam omninò imparati non sunt audiendi, estò interrogationibus adjuvari possint, maximè si sint mercatores, & alii casus difficiles habentes. Qui accedunt dicentes statim: Interroga me; mittantur, ut se præparent, docendo in quo deficiant, & quomodo se debeant præparare, maximè si sint rustici. Unde si imparatum aliquem judicet; mittat, ut se præparet ad horam, vel diem, pro ratione pœnitentis imparati. Sed quid si ex hac dimissione generetur scandalum, ut si esset fœmina, quæ in malam suspicionem veniret? Resp. non malè facturum, si omninò imparatam dimittat, quia tota causa scandali, si quod est, pœnitens ipsa est imparata accedens; quæ si causam dimissionis declaret, cessabit mala suspicio. Melius tamen faciet audiendo, & interrogationibus supplendo defectum: l *Quia charitas operit multitudinem peccatorum*.

i Soar. d. 22. s.1 1.

l 1.Pet.4 8.

332 Poterit etiam admittere fœminas, & alias personas suæ Parochiæ, quarum conscientias quasi novit, estò non omninò paratas, & eas interrogationibus adjuvare. Et idem est de aliis magnis peccatoribus, si illos judicet verè ad Deum conversos, aut si dubitet non fore postea reversuros, si dimittantur; est enim peccator alliciendus, quantum fieri potest. Licèt autem non teneatur interrogationes facere, nisi quando viderit pœnitentem deficere in explicatione necessaria peccatorum; & in pueris, infirmis, & habentibus debilem usum rationis, ut sunt rustici, & in illis, quos prudenter judicaverit sine debita præparatione admittendos, non faciat tamen interrogationes de omni casu possibili, sed solùm de illis, quæ verosimiliter contingere possunt in illa persona, secundùm ejus statum.

333 Circa illos, qui annis superioribus integrè confessi non sunt, advertit Henriq. m si sint rustici, qui integrè non sunt confessi vel quoad numerum, vel quia malè se præpararunt, non esse cogendos repetere confessiones anteactas, sed satis esse ex iis, quæ confessi sunt uno anno, aut mense; conje-

m Lib. 2. de pœn. c. 3. n.10.

Digitized by Google

conjectare quantum toto tempore peccarunt, quia tales homines habent vitam uniformem, & non solent habere peccata insolita. Unde sufficiet, si dicant quoties sint confessi non integrè, ut Confessor reliqua conjectet. Semper tamen interrogarem, an habuerint aliquod extraordinarium peccatum, quia non solet eorum vita esse tam uniformis, ut aliquando extraordinarium peccatum non committant. [n] Nav. verò cum aliis vult, si tales bona fide confessi sint, & in ea perseverent, satis esse supplere defectus præteritos, dicendo verisimilem peccatorum numerum, quem omiserunt. [o] Ille verò rusticus, aut consuetudinarius, qui nescit peccatorum numerum, nec verum, nec verisimilem, satis est, si dicat, hoc sæpè feci, vel quasi quotidie, vel semel, aut bis in hebdomada; quia quidquid aliud dicat, erit divinare.

n Conf. 3. & 4. de pœnit. & remiss.

o Henriq. l. 5. c. 5. n. 6.

334 Ille verò, qui semel confessus aliquod mortale volens omisit, tenetur repetere omnia illa peccata, & accusare se de omni confessione sacrilega, quam fecit, & de omnibus peccatis mortalibus in illis confessis. Si [p] tamen contingeret, quòd de hoc oblitus postea ritè fuerit confessus, & tandem illius peccati omissi recordaretur, solùm teneretur ad confitenda ea, quæ confessus fuerat, dum durabat cognitio de voluntaria peccati omissione, non verò alia; quia posteriores confessiones habuerunt omnia requisita ad earum validitatem, per quas culpa prius commissa indirectè sublata fuit. Si autem [q] aliquis præ verecundia aliquod mortale omisit, sciens tamen se sacrilegium committere; si ignorantia fuit inculpabilis, quia putabat peccare quidem, sed non mortaliter, sufficiet si confiteatur sola peccata relicta. Et idem est, si putabat peccare mortaliter, non tamen facere confessionem sacrilegam, licèt hæc ignorantia vix possibilis videatur; quia qui hoc faciunt, non vacant mala conscientia. Ideò omnia repetenda crederem, nisi tanta foret hominis ignorantia, ut Confessor sibi cum fundamento persuadeat fuisse invincibilem.

p Soar. s. 3. d. 2.

q Soar. s. 3. n. 4.

335 Qui in [r] Jubilæo fecit confessionem nullam peccatorum reservatorum cum eo, qui solùm poterat absolvere ab illis virtute Jubilæi, non solùm tenetur postea repetere confessionem, sed ire ad eum, qui de jure potest absolvere à reservatis; quia Pontifex solùm liberat ab hoc onere facientem confessionem validam, vel saltem bona fide putatam validam. Dixi: *Qui solùm absolvere poterat virtute Iubilæi*. Quia si aliàs absolvere poterat, non tenetur comparere, quia jam sufficienter comparuit. Unde satis erit confiteri cum eo, qui à mortalibus absolvere potest.

r Soar. d. 31. s. 3. nu. 24.

336 Qui habens [s] excommunicationem, ad quam non advertens inculpabiliter confessus fuit, & absolutus, nulla facta mentione excommunicationis, non tenetur confessionem iterare. Quia licèt censura prohibeat Sacramentum suscipere, non tollit jurisdictionem; nihil enim de hac ablatione in jure invenitur expressum, cùm igitur Sacramentum fuerit integrum, & validum, non est unde confessio repetenda sit, sed solùm ut procuretur absolutio censuræ inculpabiliter omissæ.

s Soar. d. 23 s. 7. n. 2. & d. 10 de cens. s. 3. à n. 7.

337 Circa fidem adhibendam pœnitenti advertat, teneri se credere pœnitenti pro se, & contra se. Si tamen sit publicè excommunicatus, & dicat se fuisse absolutum, non credat, nisi aliunde ei constet de absolutione. Et licèt possit credere, si non redundet in damnum tertii, potest ei malum evenire, si deferatur ad Episcopum. Si [t] habeat excommunicationem occultam reservatam Papæ, & dicat missum esse ab habente potestatem, ut ab eo absolvatur; credat & absolvat. Si sciat aliquod peccatum pœnitentis extra confessionem, quod ille taceat, interroget de illo, & si pœnitens neget, credat; quia potuit apud alium esse confessum de illo. Si tamen evidenter sciat non esse confessum, non credat; quia sicut non tenetur credere esse dispositum, si de contrario constet; ita non tenetur credere manifestam veritatem neganti. Si autem sciat peccatum per confessionem complicis, aut ex dicto alterius, & pœnitens neget, credat.

t Soar. d. 32. s. 3. n. 9. Henriq. lib. 3. de pœn. c. 20.

338 Si veniat casus difficilis, potest mittere pœnitentem [u] ad peritiorem, vel petere tempus ad consultandum, vel studendum. Si verò pœnitens dicat se esse paratum ad faciendum quidquid, re perpensa, judicaverit, potest absolvere. Si videat pœnitentem in

u Henriq. 3. de pœn. c. 26. n. 5. l'Offev. c. 7. n. 42.

Digitized by Google

in peccato cum ignorantia invincibili juris etiam divini, & instructionem prudenter non profuturam credat, vel quia non emendabitur, vel quia emendatio est validè difficilis, relinquat illum in bona fide. Solet hoc accidere in matrimonio contracto cum aliquo impedimento occulto dirimente. Procuret tamen dispensationem à sacra Pœnitentiaria, quæ gratis datur. Si verò pœnitens dubitaret de suo statu, & quæreret veritatem, debet de ea doceri, quia dubium tollit bonam fidem, & obligat ad faciendam diligentiam pro veritate, quam Parochus, & alius Confessor rogatus docere tenetur, sicut non rogatus tenetur illam edocere, quando videt aliquos peccare ex conscientia erronea. Et generaliter si interrogetur de aliquo, & timeat ex responsione accipiendam occasionem malè agendi, respondeat verbis generalibus.

339 Circa indispositos, qui non habent verum propositum emendationis, & nolunt relinquere occasiones proximas, aut satisfacere obligationi restituendi, cùm possint, & similibus, advertat non esse absolvendos, ut dictum est sect. 5. Sed quid de puella veniente cum matre ad Ecclesiam, ut confiteatur, & communicet; quæ si non absolvatur, non communicabit; unde mater, & alii venient in suspicionem? Respond. [x] non esse absolvendam, si sit in prædicto statu, quia non habet Parochus, nec alius ad id potestatem; foret enim applicare formam sine materia proxima, quod est sacrilegium. Fingat se absolvere ad salvandum honorem pœnitentis, & consulat, ut dicat se non posse communicare, quia malè habet, intelligendo in anima. Si verò his non obstantibus publicè accedat ad communionem; communicet eam, si ejus peccatum est secretum, ut dictum est cap. præcedenti sect. 5. §. 1. Si verò est publicum, nec communicet.

x Possev. n.43.

340 Circa [z] excommunicatos advertat, ut non absolvat publicè declaratum sine speciali commissione judicis declarantis. Cum occulto habente censuram reservatam tentet omnia, ut procuret absolutionem ab eo, qui absolvere potest. Si id fieri non possit, & urgeat scandalum, nisi communicet; non absolvat; quia Trident. id solùm permittit in articulo mortis, sed benè contritus communicet, quia sic cessat scandalum. Pro absolutione verò censuræ Papæ reservatæ eat, vel mittat ad Papam; si neutrum potest, vadat ad Episcopum. Si timeat honori, vel rebus suis, eundo ad Episcopum, eat ad Legatum, vel ad alium, qui habeat privilegium absolvendi, ut sunt multi regulares; vel ipse Parochus obtineat facultatem ab Episcopo. Si facultatem obtinuit, ut absolvatur, absolvat in forma, ad quod sufficit absolutio ordinaria per illa verba: *Absolvo te à vinculo excommunicationis*. Audiat tamen prius confessionem peccatorum, & non aliter absolvat, quia non aliter fiunt istæ commissiones, quæ diriguntur ad discretum Confessarium ab Ordinario approbatum. [a] A censura juris non reservata potest Parochus absolvere per caput Nuper de sentent. excommunic. nisi in suo Episcopatu sit consuetudo in contrarium, ut multis relatis probant Doctores.

z Possev. proximè.

a Soar. d. 7. de cens. s. 1. n. 25. Sayr. l. 2. c. 19. n. ult.

341 Circa casus reservatos Episcopo, curet Parochus habere à suo facultatem absolvendi ab illis; si verò non habeat, mittat ad illum, qui potestatem habet, & illa obtenta, absolvat ab omnibus peccatis; non verò absolvat ab illis, à quibus potest, remittendo pro absolutione aliorum; quia esset dimidiare confessionem absque necessitate. Si peccatum, [b] quando fuit commissum, non erat reservatum, modò verò est; non absolvat; quia reservatio respicit tempus, quo fit confessio. Si quando factum fuit, erat reservatum, modò verò sublata sit reservatio, absolvat ob eamdem rationem. Si peccatum, quando factum fuit, non putabatur mortale invincibiliter, absolvat, quia solùm mortale est reservatum. Si dubitatur, an casus pertingat ad eam qualitatem, in qua reservatur, absolvat: quia in illo dubio habendus est pro non reservato. Si verò constabat esse mortale, nesciebatur tamen esse reservatum; non absolvat; quia ignorantia reservationis nihil refert. Si audiat in aliena Diœcesi subditum suum de casu ibi reservato, qui in sua talis non erat, non absolvat, nisi in sua haberet facultatem absolvendi à reservatis, quia debet stare legibus loci. Si peregrinus habeat casus reser-

b Soar. de pœn. d. 31. sect. 2.

Digitized by Google

reservatos in sua Diœcesi, qui reservati non sunt ubi confitetur, absolvat, ex probabili multorum sententia. Si verò sit etiam reservatus ab Episcopo Parochi, non absolvat, nisi habeat facultatem absolvendi à reservatis. Et idem faciat, si casus sit ibi reservatus, quamvis talis non fuerit, ubi commissus, quia peregrini debent stare legibus loci, quamvis oppositum sit probabile.

342 Circa errorem fortè commissum in absolvendo advertat, ut postea cognito errore petat facultatem à pœnitente colloquendi cum eo de confessione, quam si dare renuat, admoneat nihilominus de errore, quia hoc non est verè loqui extra confessionem, sed illam perficere, ut docet Soar. [c] Unde si absolvit ab excommunicatione, vel casibus reservatis, de hoc admoneat, quamvis melius esset obtinere prius facultatem, & tunc de novo absolvere. Si non declaravit obligationem restituendi, vel dixit non teneri, cùm revera teneretur, admoneat de hac obligatione. Et sic de aliis. Et advertat juxta communem [d] sententiam teneri se ad restitutionem, si culpa sua pœnitens non restituat, licèt [e] opposita sit probabilis, quià Parochus ratione officii non tenetur in ordine ad creditorem, cujus procurator non est.

c d. 33. s. 5. n. 5.
d Less. l. 2. c. 13. n. 77.
e Reb. l. 2. q. 14. s. 8. n. 65.

CAPUT VI.

De Sacramento Extremæ unctionis.

343 Extrema unctio est Sacramentum novæ legis, ad cujus declarationem dicam 1. de ejus natura, & essentia ubi de ejus materia, & forma. 2. de ejus effectibus. 3. de ministro. 4. de suscipiente. 5. Admonebitur Parochus circa ejus administrationem.

SECTIO I.

De natura, & essentia Extremæ unctionis.

344 Suppono primò, Extremam unctionem esse Sacramentum novæ legis. Definitur in Trident. [a] & sumitur ex Jacobo [b] Apostolo dicente: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Qui locus semper ab Ecclesia fuit intellectus de hoc Sacramento, cuius materiam, formam, ministrum, & effectum ibi tradit Apostolus, confirmavitque traditio Apostolica, ut docet [c] Concilium citatum.

a Ses. 14. c. 1. de unct.
b Iac. 5. 14.
c Soar. d. 39. s. 1.

345 Suppono [d] secundò, hoc Sacramentum, sicut & reliqua, fuisse à Christo Domino institutum, & à sancto Jacobo, aliisque Apostolis promulgatum, ut definit idem Concilium. De tempore, quo fuit institutum, non constat. Quia verò est consummativum pœnitentiæ, ut ait Concilium, probabile est Christum saltem perfectè illud non instituisse, nisi post pœnitentiæ institutionem.

d Soar. s. 4.

346 Dico [e] ergo primò. Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Quòd sit oleum, constat ex Jacobo. Quia verò solùm confectum ex olivis retinet naturam, & usum olei, hoc solùm est materia habilis. Quòd autem debeat esse ab Episcopo benedictum, statuunt Concilia, maximè [f] Trident. Quo significant hanc benedictionem esse de essentia materiæ; aliàs non statuerent materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, sicut non dicunt de aqua baptismali debere esse benedictam.

e Soar. d. 40. & 50.
f Cap. 1. de hoc Sacr.

347 Dico [h] secundò. Materia proxima hujus Sacramenti est unctio. Probatur, quia hoc Sacramentum non consistit in re permanente, sed in actione transeunte, sicut Baptismus, & Confirmatio: ergo sicut materia proxima Baptismi est ablutio ex aqua, & Confirmationis unctio ex Chrismate; ita unctionis est unctio ex oleo Benedicto. Licèt autem Concilium Florent. septem numeret unctiones, nempe oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum: constat duas posteriores non esse de necessitate Sacramenti, cùm omittantur in fœminis: nec de necessitate præcepti, nisi in illis Ecclesiis, in quibus ex consuetudine observari solent. Priores quinque sunt in usu universalis Ecclesiæ, & ideò de præcepto.

h Soar. s. 2.

348 Imò probabilius est priores quinque esse de necessitate Sacramenti. Quod non solùm accipitur ex communi Theologorum consensu, sed etiam

Digitized by Google

etiam ex usu Ecclesiæ, in qua nunquam fit unica tantùm unctio etiam in habentibus morbum contagiosum, sed quinque, quod est signum omnes quinque pertinere ad Sacramenti essentiam. Conf. quia hoc Sacramentum significat perfectam hominis sanationem spiritualem, ad quam causandam, institutum est: sed ista perfecta sanatio non repræsentatur adæquatè, nisi per unctiones quinque sensuum, qui sunt radices morborum spiritualium: ergo ita pertinent ad essentiam Sacramenti, ut si vel una omittatur, Sacramentum non valeat, neque effectum conferat.

349 Notandum est autem 1. si quis privatur aliquo sensu, ungendam esse partem illam, in qua sensus esse debuerat, vel partes propinquiores, si illæ desint, ut observatur in praxi. 2. non spectare ad essentiam Sacramenti, quod unctiones fiant eo ordine, quo disponit Rituale, quamvis talis ordo servandus sit. 3. neque etiam pertinere ad essentiam, quòd ungatur uterque oculus, auris, &c. Unde in gravi necessitate sufficit ut unus oculus, & una auris ungatur, & sic de cæteris. 4. neque etiam pertinere ad essentiam, quòd unctio fiat in modum Crucis, quia nec Concilia aliquid de hac re statuunt, neque ex scriptura, seu traditione colligitur, observetur tamen usus.

350 Dico 3. [a] Forma est illa communis: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti*, & sic in aliis sensibus. Ita Concilium Florentin. & Tridentin. Unde patet formam istam esse deprecativam, ut etiam sumitur ex Jacobo dicente, ut Sacerdotes orent super infirmum. Quare forma alio modo prolata invalida erit. Notandum tamen non omnia illa verba esse de essentia formæ, v. c. illa: *Et suam piissimam misericordiam*. Et quia eo ipso, quòd Sacerdos dicit: *Indulgeat tibi Deus* satis orat divinam misericordiam, in qua nititur deprecatio. Et quia Catechismus Romanus ea verba omittit, quod satis indicat ea non pertinere ad essentiam formæ, neque etiam ad præceptum: non sunt tamen omittenda, quia ponuntur in Rituali, & ubique sunt in usu: similiter si pro verbo *Indulgeat*, poneretur *Parcat, vel ignoscat*. Mutatio formæ esset solùm accidentalis; sicut etiam si omitteretur verbum illud *Sanctam*, aut etiam invocatio Trinitatis, quæ in fine adhiberi solet. Tu verò nihil omittas, si necessitas, non urgeat ad perficiendum Sacramentum cum celeritate.

[a] Soar. f. 1.

SECTIO II.

De effectibus Sacramenti Unctionis.

351 Dico [a] primò. Sacramentum Unctionis confert gratiam sanctificantem ex opere operato, sicut reliqua Sacramenta novæ legis. Patet ex dictis cap. 1. de Sacramentis in genere sect. 5. Ubi diximus proprium esse omnium Sacramentorum novæ legis hanc gratiam conferre ex opere operato.

[a] Soar. d. 41. f. 1.

352 Dico [b] secundò. Confert hoc Sacramentum cum gratia sanctificante auxilia proportionata ad roborandam animam infirmi in ultimo vitæ agone. Ita [c] Trident. Ex quo probatur, quia Sacramenta à Christo instituta sunt tamquam remedia, quibus homines toto vitæ tempore muniri possint, ad superandas hujus vitæ difficultates: at reliqua sex Sacramenta suppeditant auxilia sufficientia, quibus se homines integros conservari possint, dum sani sunt: ergo Extrema unctio data est constitutis in ultimo vitæ discrimine ob infirmitatem corporis, tamquam præsidium eo tempore opportunum, ad subveniendum necessitatibus spiritualibus, quæ tunc occurrere solent, videlicet ad erigendam spem, quæ ex memoria peccatorum languescit, ad animam roborandam contra dolores, ut eos patienter ferat, ac denique ad fortiter, ac fructuosè resistendum dæmoni tunc maximè tentanti, & insidianti.

[b] Soar. f. 1.

[c] Cap. 2. de hoc Sacr.

353 Dico [d] tertiò. Confert etiam hoc Sacramentum remissionem peccatorum quoad culpam. Prob. quia in institutione hujus Sacramenti fit mentio remissionis peccatorum sub conditione, quod sint: ergo causat talem effectum, aliter enim nec diceret Jacobus: [e] *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Nec Trident. *Hac Unctione delicta, si qua sunt expianda, abstergi*; nec in forma diceretur: *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, & reliquos sensus deliquisti*. Unde Christus insti-

[d] Soar. n. 16.

[e] Jac. 5. 15.

reservatos in sua Diœcesi, qui reservati non sunt ubi confitetur, absolvat, ex probabili multorum sententia. Si verò sit etiam reservatus ab Episcopo Parochi, non absolvat, nisi habeat facultatem absolvendi à reservatis. Et idem faciat, si casus sit ibi reservatus, quamvis talis non fuerit, ubi commissus, quia peregrini debent stare legibus loci, quamvis oppositum sit probabile.

342 Circa errorem fortè commissum in absolvendo advertat, ut postea cognito errore petat facultatem à pœnitente colloquendi cum eo de confessione, quam si dare renuat, admoneat nihilominus de errore, quia hoc non est verè loqui extra confessionem, sed illam perficere, ut docet Soar.[c] Unde si absolvit ab excommunicatione, vel casibus reservatis, de hoc admoneat, quamvis melius esset obtinere prius facultatem, & tunc de novo absolvere. Si non declaravit obligationem restituendi, vel dixit non teneri, cùm revera teneretur, admoneat de hac obligatione. Et sic de aliis. Et advertat juxta communem[d] sententiam teneri se ad restitutionem, si culpa sua pœnitens non restituat, licèt[e] opposita sit probabilis, quia Parochus ratione officii non tenetur in ordine ad creditorem, cujus procurator non est.

c d. 33. f. 5. n. 3.

d Less. l. 2. c. 13. n. 77.

e Reb. l. 2. q. 14. f. 8. n. 65.

CAPUT VI.

De Sacramento Extremæ unctionis.

343 EXtrema unctio est Sacramentum novæ legis, ad cujus declarationem dicam 1. de ejus natura, & essentia ubi de ejus materia, & forma. 2. de ejus effectibus. 3. de ministro. 4. de suscipiente. 5. Admonebitur Parochus circa ejus administrationem.

SECTIO I.

De natura, & essentia Extremæ unctionis.

344 SUppono primò, Extremam unctionem esse Sacramentum novæ legis. Definitur in Trident.[a] & sumitur ex Jacobo[b] Apostolo dicente: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Qui locus semper ab Ecclesia fuit intellectus de hoc Sacramento, cujus materiam, formam, ministrum, & effectum ibi tradit Apostolus, confirmavitque traditio Apostolica, ut docet[c] Concilium citatum.

a Sef. 14. c. 1. de unct.

b Iac. 5. 14.

c Soar. d. 39. f. 1.

345 Suppono[d] secundò, hoc Sacramentum, sicut & reliqua, fuisse à Christo Domino institutum, & à sancto Jacobo, aliisque Apostolis promulgatum, ut definit idem Concilium. De tempore, quo fuit institutum, non constat. Quia verò est consummativum pœnitentiæ, ut ait Concilium, probabile est Christum saltem perfectè illud non instituisse, nisi post pœnitentiæ institutionem.

d Soar. f. 2.

346 Dico[e] ergo primò. Materia remota hujus Sacramenti est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Quòd sit oleum, constat ex Jacobo. Quia verò solùm confectum ex olivis retinet naturam, & usum olei, hoc solùm est materia habilis. Quòd autem debeat esse ab Episcopo benedictum, statuunt Concilia, maximè[f] Trident. Quo significant hanc benedictionem esse de essentia materiæ; aliàs non statuerent materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, sicut non dicunt de aqua baptismali debere esse benedictam.

e Soar. d. 40. & 50.

f Cap. 1. de hoc Sacr.

347 Dico[h] secundò. Materia proxima hujus Sacramenti est unctio. Probatur, quia hoc Sacramentum non consistit in re permanente, sed in actione transeunte, sicut Baptismus, & Confirmatio: ergo sicut materia proxima Baptismi est ablutio ex aqua, & Confirmationis unctio ex Chrismate; ita unctionis est unctio ex oleo Benedicto. Licèt autem Concilium Florent. septem numeret unctiones, nempe oculorum, aurium, narium, oris, manuum, pedum, & renum: constat duas posteriores non esse de necessitate Sacramenti, cùm omittantur in fœminis: nec de necessitate præcepti, nisi in illis Ecclesiis, in quibus ex consuetudine observari solent. Priores quinque sunt in usu universalis Ecclesiæ, & ideò de præcepto.

h Soar. f. 2.

348 Imò probabilius est priores quinque esse de necessitate Sacramenti. Quod non solùm accipitur ex communi Theologorum consensu, sed etiam

Digitized by Google

etiam ex usu Ecclesiæ, in qua nunquam fit unica tantùm unctio etiam in habentibus morbum contagiosum, sed quinque, quod est signum omnes quinque pertinere ad Sacramenti essentiam. Conf. quia hoc Sacramentum significat perfectam hominis sanationem spiritualem, ad quam causandam, institutum est: sed ista perfecta sanatio non repræsentatur adæquatè, nisi per unctiones quinque sensuum, qui sunt radices morborum spiritualium: ergo ita pertinent ad essentiam Sacramenti, ut si vel una omittatur, Sacramentum non valeat, neque effectum conferat.

349 Notandum est autem 1. si quis privatur aliquo sensu, ungendam esse partem illam, in qua sensus esse debuerat, vel partes propinquiores, si illæ desint, ut observatur in praxi. 2. non spectare ad essentiam Sacramenti, quod unctiones fiant eo ordine, quo disponit Rituale, quamvis talis ordo servandus sit. 3. neque etiam pertinere ad essentiam, quòd ungatur uterque oculus, auris, &c. Unde in gravi necessitate sufficit ut unus oculus, & una auris ungatur, & sic de cæteris. 4. neque etiam pertinere ad essentiam, quòd unctio fiat in modum Crucis, quia nec Concilia aliquid de hac re statuunt, neque ex scriptura, seu traditione colligitur, observetur tamen usus.

a Soar. s. 1. 350 Dico 3.[a] Forma est illa communis: *Per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti*, & sic in aliis sensibus. Ita Concilium Florentin. & Tridentin. Unde patet formam istam esse deprecativam, ut etiam sumitur ex Jacobo dicente, ut Sacerdotes orent super infirmum. Quare forma alio modo prolata invalida erit. Notandum tamen non omnia illa verba esse de essentia formæ, v. c. illa: *Et suam piissimam misericordiam*. Et quia eo ipso, quòd Sacerdos dicit: *Indulgeat tibi Deus* satis orat divinam misericordiam, in qua nititur deprecatio. Et quia Catechismus Romanus ea verba omittit, quod satis indicat ea non pertinere ad essentiam formæ, neque etiam ad præceptum: non sunt tamen omittenda, quia ponuntur in Rituali, & ubique sunt in usu: similiter si pro verbo *Indulgeat*, poneretur *Parcat, vel ignoscat*. Mutatio formæ esset solùm accidentalis; sicut etiam si omitteretur verbum illud *Sanctam*, aut etiam invocatio Trinitatis, quæ in fine adhiberi solet. Tu verò nihil omittas, si necessitas, non urgeat ad perficiendum Sacramentum cum celeritate.

SECTIO II.

De effectibus Sacramenti Unctionis.

Dico[a] primò. Sacramentum Unctionis confert gratiam sanctificantem ex opere operato, sicut reliqua Sacramenta novæ legis. Patet ex dictis cap. 1. de Sacramentis in genere sect. 5. Ubi diximus proprium esse omnium Sacramentorum novæ legis hanc gratiam conferre ex opere operato. 351 a Soar. d. 41. s. 1.

352 Dico[b] secundò. Confert hoc Sacramentum cum gratia sanctificante auxilia proportionata ad roborandam animam infirmi in ultimo vitæ agone. Ita[c] Trident. Ex quo probatur, quia Sacramenta à Christo instituta sunt tamquam remedia, quibus homines toto vitæ tempore muniri possint, ad superandas hujus vitæ difficultates: at reliqua sex Sacramenta suppeditant auxilia sufficientia, quibus se homines integros conservari possint, dum sani sunt: ergo Extrema unctio data est constitutis in ultimo vitæ discrimine ob infirmitatem corporis, tamquam præsidium eo tempore opportunum, ad subveniendum necessitatibus spiritualibus, quæ tunc occurrere solent, videlicet ad erigendam spem, quæ ex memoria peccatorum languescit, ad animam roborandam contra dolores, ut eos patienter ferat, ac denique ad fortiter, ac fructuosè resistendum dæmoni tunc maximè tentanti, & insidianti. b Soar. s. 1. c Cap. 2. de hoc Sacr.

353 Dico[d] tertiò. Confert etiam hoc Sacramentum remissionem peccatorum quoad culpam. Prob. quia in institutione hujus Sacramenti fit mentio remissionis peccatorum sub conditione, quod sint: ergo causat talem effectum, aliter enim nec diceret Jacobus:[e] *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*. Nec Trident. *Hac Unctione delicta, si qua sunt expianda, abstergi*; nec in forma diceretur: *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, & reliquos sensus deliquisti*. Unde Christus insti- d Soar. n. 16. e Iac. 5. 15.

stituendo hoc Sacramentum dedit illi vim peculiarem ad remittenda peccata, si quæ forsan remittenda supersint; non tantùm per accidens, ut de aliis Sacramentis dictum est, quæ eam vim habent eo ipso, quòd gratiam conferre possunt, sed ex intentione saltem secundaria ipsius institutionis.

354 Cujus rei ea ratio assignari potest. Quia contingere potest, quòd infirmus invalidè confessus sit, oppositum sibi persuadens, vel quod non possit confiteri, & habeat solam attritionem, quæ ad salutem satis non est existenti in peccato: ut ergo Christus, pro sua in nos misericordia, in ea necessitate ultima succurreret, voluit ut hoc Sacramentum, quod ad nos in ea roborandos instituit, haberet vim expellendi quidquid potest ingressum Paradisi, vel omninò impedire, vel saltem retardare; & consequenter haberet vim supplendi defectum Sacramenti Pœnitentiæ, quod vel accipi non potest, vel sine fructu acceptum fuit. Confert ergo interdum primam gratiam, facitque ex attrito contritum, non quando suscipitur cum sola attritione cognita, cùm enim sit Sacramentum vivorum, per se loquendo, gratiam supponit; sed quando quis invincibiliter se putat ritè confessum, aut contritum, aut quando attritus sensibus destitutus illud suscipit.

f Soa. n. 17. 355 Dico quartò. f Confert etiam hoc Sacramentum remissionem pœnarum, quæ remanent post culpam remissam. Prob. quia cùm secundariò sit institutum ad remissionem culparum, consequenter est etiam institutum ad remissionem pœnarum. Et quia nunquam in Sacramento remittitur culpa mortalis cum pœna æterna, quin simul cum ea remittatur aliquid pœnæ temporalis. Et quia hoc Sacramentum etiam institutum est ad abstergendas peccatorum reliquias, ut ait Trident. g quod propriè non competit, nisi ratione pœnarum, quæ sunt reliquiæ peccatorum, quatenus post ipsa deleta supersunt: ergo hæc remissio numeranda est inter effectus hujus Sacramenti.

g Cap. 2.

h Soar. f. 2. 356 Id h notandum ex communi sententia, prædictos effectus conferri postquam totum Sacramentum completum est. Probatur, quia Sacramenta, quæ in usu consistunt, non conferunt suos effectus, nisi postquam essentialiter perfecta sunt: ergo idem erit de hoc, quod etiam in usu consistit. Nec dicas quamlibet unctionem habere suam partialem materiam, & formam, ac significationem independenter ab aliis, à quibus proindè independenter suum effectum habebit. Quia illud, quod per omnes unctiones intenditur, est aliquo modo indivisibile, quod convenienter per partes dari nequit: nam per eas datur gratia remissiva peccatorum ad reliquias ipsas peccatorum delendas: cùm ergo peccata mortalia ita inter se connexa sint, ut unum sine alio non remittatur; omnia autem remitti non possint per unam unctionem, nullum ex iis remittitur, nec ulla eorum reliquia, nisi postquam omnes perfectæ sunt.

357 Dico i quintò. Sanitas etiam corporis inter effectus hujus Sacramenti numeratur. Prob. ex Jacobo: l *Oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Et ex m Trid. statuente hunc etiam effectum infirmo conferri, si id saluti ipsius expedierit. Unde patet promissionem hujus effectus non esse absolutè connexam Extremæ unctioni, sed solùm sub conditione; qui proinde non dabitur infallibiliter, nisi quando fuerit talis conditio, juxta ordinem divinæ providentiæ, & præscientiæ. i Soar. f. 4.

l Iac. 5. 15.

m Cap. 2.

SECTIO III.

De ministro Extremæ unctionis.

Dico a primò. Sacerdos est minister necessarius hujus Sacramenti. Probatur ex Jacobo, qui Presbyteros postulat, quo nomine soli veniunt Sacerdotes, ut definit b Trident. & alia anteriora Concilia, docetque usus, & praxis Ecclesiæ, quæ solos Sacerdotes admittit ad hoc ministerium. 358

a Soar. d. 41. f. 1.

b Can. 4. de hoc Sac.

359 Dico secundò. c Simplex Sacerdos est sufficiens minister hujus Sacramenti. Probatur, quia cùm non administretur per modum judicii, sed per modum deprecationis, non requiritur jurisdictio ad ejus valorem, sed satis est potestas ordinis. Ut tamen licitè administretur, necessaria est licentia Parochi, ad quem spectat grege suum pascere Sacramentis, cujus officium licitè usurpari non potest, sine ejus authoritate. In extrema tamen alicujus ne- c Soar. f. 1. n. 4.

Digitized by Google

necessitate, si non adsit Parochus, neque Episcopus, qui hoc Sacramentum conferant; potest quilibet simplex Sacerdos hoc Sacramentum ministrare, imò ad id tenebitur ex charitate, si possit sine suo gravi incommodo, & periculo; estò infirmus confessus sit, & communicatus. Et à fortiori si hæc Sacramenta recipere non potuit, quia fieri potest, ut per hoc ex attrito fiat contritus.

d Soar. s. 2.

360 Dico [d] tertiò. Potest hoc Sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè conferri; si unus aliquam, vel aliquas unctiones efficiat, & formas eis correspondentes proferat, & alius alias eodem modo perficiat. Prob. quia sicut Sacramenta Eucharistiæ, & Ordinis ab uno incœpta ab alio validè perfici possunt, si prior minister moriatur; ita de Extrema Unctione dicendum. Nam priores unctiones habent partiales significationes, & aptitudinem, ut unà cum aliis Sacramentum constituant: cùm ergo in Sacramentorum administratione id, quod validè factum est, variari non debeat, sed potius suppleri quod deest; sequitur Extremam unctionem ab uno ministro incœptam posse ab alio perfici, & consequenter plures ministros posse eam simul administrare, cùm sit eadem ratio.

361 Quamvis autem hoc modo Sacramentum hoc validè administrari possit, id tamen non licet, extra casum necessitatis, propter consuetudinem Ecclesiæ, quæ uno solo ministro uti solet. Liceret tamen 1. si post unam, vel alteram unctionem cum sua forma peractam, minister interiret, aut non posset ulterius progredi. 2. si periculum esset, ne infirmus moreretur, antequam omnes unctiones ab uno peractæ essent: posset enim tunc unus Sacerdos unum sensum ungere, & alius alium diversæ rationis. Nam si propter necessitatem conferentis plures ministri successivè adhiberi possunt; etiam simul adhiberi poterunt ob necessitatem suscipientis; maximè quia sicut nec ordo, ita nec successio inter unctiones est essentialis. In hoc tamen casu necessitatis non debet unus unum oculum, alius alium inungere, & sic de reliquis sensibus; nam secundus minister admitti non debet, nisi ut eo juvante res citius peragatur; non juvabitur autem illo modo, quia primus ungere potest unum tantùm oculum, unam aurem, &c. ut sect. 1. dictum est: ergo quilibet diversos sensus ungere debebit.

362 Dico quartò. [e] Parochus, & alii habentes curam animarum sunt ordinarii ministri hujus Sacramenti, qui illud suis subditis administrare tenentur, quando necessitas postulaverit. Prob. quia Parochus, & similes Pastores tenentur ex officio pascere greges Christi saluberrimis Sacramentorum pascuis. Alii verò superiores tenentur in defectu istorum vel per se ipsos, vel per alios ab ipsis suffectos.

e Soar. d. 44. s. 2.

363 Quæstio est, an Parochus tempore pestis teneatur hoc Sacramentum ministrare? In qua conveniunt DD. primò [f] teneri, si id facere potest sine probabili periculo propriæ vitæ, quia cùm ex officio, & justitia teneatur hoc Sacramentum ministrare, ea obligatio, per se loquendo, est perpetua, ac adeò durat tali tempore, saltem si non sit probabile periculum vitæ, quod potest non esse, si utatur remediis à medicis præscriptis. Conveniunt 2. non teneri, si periculum vitæ immineat: nam cùm hoc Sacramentum non sit medium necessarium ad salutem, neque ex divino præcepto; non est cur Parochus illud conferre teneatur cum periculo propriæ vitæ, nisi in casu, quo infirmus alia Sacramenta sumere non posset; tunc enim Parochus ex justitia, & charitate, & quilibet alius Sacerdos ex charitate teneretur proximo subvenire cum periculo propriæ vitæ.

f Soar. s. 3.

SECTIO IV.

De subjecto capaci Extremæ Unctionis.

364 DIco primò. [a] Infantes, & pueri ante usum rationis non sunt capaces hujus Sacramenti. Probatur, quia Extrema unctio est Sacramentum consummativum pœnitentiæ, & vitæ christianæ, ut docet Trident. [b] sed infantes, & pueri ante usum rationis non sunt capaces pœnitentiæ, nec actualis vitæ christianæ per proprios ejus actus: ergo. Accedit, quia hoc Sacramentum est institutum ad confirmandum animum infirmi adversus dæmonum tentationes; sed

a Soar. d. 42. s. 1. n. 3.

b In proœm. hujus sacr.

ſed infantes, & pueri non ſunt capaces hujus effectus, cùm nec poſſint tentari, nec tentationibus reſiſtere, aut ſuccumbere: ergo capaces non ſunt. Patet conſequentia, quia licèt ſint capaces augmenti gratiæ, & ſanitatis corporalis; cùm Sacramentum hoc inſtitutum non ſit ad gratiam quomodocumque conferendam, ſed quatenus adjunctas habet gratias actuales ad roborandum infirmum contra tentationes articuli mortis, ſanitas autem corporis ſit effectus valdè ſecundarius, non proinde capaces judicandi ſunt, accedente uſu, & praxi Eccleſiæ, quæ in nullo caſu hoc Sacramentum infantibus, aut pueris rationis uſus expertibus dare ſolet.

c Soar. ſ. 1. 365 Dico ſecundò. [c] Omnes adulti baptizati, qui actu habent, vel aliquando habuerunt uſum rationis, capaces ſunt hujus Sacramenti. Probatur, quia illi omnes ſunt capaces pœnitentiæ, ac tentationum, poſſuntque habere peccata, vel eorum reliquias: ergo ſunt capaces, ut etiam docet uſus Eccleſiæ. Unde danda eſt pueris habentibus uſum rationis, eſtò adhuc non communicaverint; habentibus lucida intervalla, ſi dum ſanæ mentis erant, petierunt, aut ſaltem chriſtianè vixerunt; phrænetico, dummodo non ceciderit in phrænesim in notorio ſtatu peccati mortalis, quamvis ſit furioſus, & reſiſtat. Amentibus perpetuis non datur, quia æquiparantur pueris ante uſum rationis. Peccatori publico, qui petiit, danda eſt, eſtò poſtquam petiit, amittat loquelam, & uſum rationis, & non poſſit præſtare, quæ debet; quia per petitionem, quoad hoc, non cenſetur amplius peccator publicus; ſi verò poteſt præſtare quæ debet, & nolit, non eſt danda, quia foret dare margaritas porcis. Peccatori occulto danda eſt, ſi dedit ſigna contritionis, vel quacumque ratione probabili præſumatur eſſe ad Sacramentum diſpoſitus, quod ſemper eſt præſumendum, quoties contrarium non conſtat.

d Soar. ſ. 2. 366 Dico tertiò. [d] Hoc Sacramentum non poteſt validè conferri, niſi infirmis, qui ſunt in probabili vitæ periculo. Ita decernitur in Concilio Florentino dicente dari non debere, niſi infirmo, de cujus morte timetur. Et inſinuatur in Trident. [e] aſſerente Extremam unctionem Sacramentum exeuntium appellari. Unde oleum, quo hoc Sacramentum adminiſtratur, vocatur oleum infirmorum. Denique Jacobus ait: Qui infirmatur, vocet Presbyteros, à quibus ungatur: ergo ſani non ſunt capaces hujus Sacramenti, eſtò aliàs in vitæ periculo conſtituti ſint, ut qui debet ſuſpendi, quæ eſt in periculo partus, qui bellum aggrediuntur, aut ſimiles. Poteſt tamen dari ei, qui ſola ſenectute laborat, eſtò videatur aliam infirmitatem non habere, quando medicus judicaverit, vel in ejus abſentia ipſe Parochus, aut alius vir prudens: quia ſenectus ipſa morbus eſt ad mortem diſponens. e Cap. 3.

367 Dico quartò. [f] Ut hoc Sacramentum adminiſtretur, non eſt expectandum tempus, in quo ægroti ſalus omninò deſperata ſit. Probatur, quia ad percipiendam uberiorem Sacramenti gratiam, plurimum valet, ſi infirmus Sacro Oleo ungatur, cùm adhuc in eo integra mens, & ratio viget, fidemque, ac religioſam voluntatem exercere poteſt. Additur, quia cùm hoc Sacramentum ſecundario inſtitutum ſit ad ſanitatem corpori conferendam, ſi quis data opera expectaret ultimum tempus ſalutis omninò deſperatæ, videretur miraculum poſtulare, Deumque quodammodo tentare. Unde Catechiſmus Romanus ait graviſſimè peccare eos, qui tempus illud expectant, in quo ægrotus omni jam ſanitatis ſpe amiſſa, vita, & ſenſibus carere incipit. f Soar. ſ. 2.

368 Dico quintò. [g] Hoc Sacramentum iterari poteſt non ſolùm in variis infirmitatibus, ſed etiam in eadem, ſi ſtatus ita varietur, ut pluries vitæ periculum immineat. Sumitur ex Trid. & Catechiſmo Rom. Prob. autem, quia ſubjectum unctionis eſt homo infirmus in vitæ periculo conſtitutus: ergo ſicut qui ex diverſis infirmitatibus ſæpè in tale periculum incidit, ſæpiùs injungi poteſt, ita qui eadem infirmitate laborans ſæpiùs in id periculum incidit; quia moraliter infirmitas diuturna, quæ ita variatur, ut jam videatur convaleſcere, & jam in periculo eſſe, perinde ſe habet, ac diverſæ infirmitates. g Soar. ſ. 4. à n. 4.

369 Dico ſextò. [h] Nemo tenetur per h Soar. d. 44. ſ. 1. n. 2.

Digitized by Google

per se loquendo, sub mortali hoc Sacramentum accipere. Prob. quia illud nec est medium necessarium ad salutem, ut omnes concedunt, nec à Christo, vel ab Ecclesia impositum est praeceptum illud recipiendi. Peccabit tamen mortaliter, qui ex contemptu illud omiserit, ut satis insinuat Trident. & idem credo, si omiserit cum scandalo.

SECTIO V.

Admonitio ad Parochum circa Unctionem.

370 ADvertat Parochus primò, [a] non posse licitè uti in administratione Extremae unctionis Oleo benedicto anni praeteriti. Poterit tamen eo uti, antequam è Cathedrali novum afferri potuerit, & in illis regionibus, in quibus non sunt Episcopi, qui novum benedicant consueto tempore, nempe in Coena Domini. Et tanta potest esse necessitas, ut si oleum jam deficiat, liceat ei non benedictum miscere, dummodo non benedictum sit in minori quantitate.

[a] Possev. c. 9 n. 1. & 2.

371 Advertat secundò, [b] teneri se sub mortali ex obligatione officii hoc Sacramentum ministrare vel per se, vel per alium, juxta dicta sect. 3. maximè verò cùm infirmus non valuit alia Sacramenta recipere; in quo casu curabit pro viribus disponere infirmum ad perfectam contritionem, quia non est certum Sacramenta vivorum, quale hoc est, cum sola attritione disponere ad primam gratiam.

[b] Soar. s. 2.

372 Tenetur [c] autem unctionem administrare petenti, sive infirmus petat per se, sive per domesticos, dummodo non prohibeatur eam recipere, ut prohibetur, qui est in statu peccati mortalis, à quo non vult exire. Si verò non petatur vel ob ignorantiam, & inadvertentiam, vel quia ita est destitutus, ut non habeat per quem suam necessitatem manifestet; offerat Parochus, quia ad id tenetur ex officio sub mortali, maximè si infirmus aliud Sacramentum recipere non potuit; quia deficiet in re gravi ad salutem proximi suae curae commissi maximè necessaria, quam commodè praestare potest.

[c] Soar. s. 2.

373 Quia verò recipiens hoc Sacramentum debet esse contritus, vel saltem talis putari, curet prius, si loqui potest, illum reconciliare, [d] si de proximo non fuit confessus, vel habeat novam materiam. Si verò loqui non potest, inducat ad contritionem, & si illius dederit signa, absolvat prius, juxta dicta cap. praecedenti, & tunc inungat. Si neutrum facere potest, non peccat administrando peccatori non contrito, dummodo vel petierit, vel saltem christianè vixerit.

[d] Soar. d. 41. s. 1. nu. 19.

374 Advertat tertiò, [e] licèt fructuosius detur unctio, dum adhuc infirmus integros sensus habet; posse & teneri eam dare, etiam quando sensus amisit, dummodo sit vivus. Si verò dubitet de vita, experiatur; si, facta experientia, adhuc dubitet, ungat sub conditione, *si vivus es*. Quamvis melius sit unctionem dare post viaticum, quia Extrema unctio sonat ultimum remedium infirmi, id tamen necessarium non est; & ideò potest eam dare pro sua prudentiam secundùm exigentiam ante, & post viaticum.

[e] Soar. d. 41. s. 1. nu. 6. & 7.

375 Advertat quartò, si noctu vocetur ad unguendum infirmum, cujus necessitas urgeat, ut accurrat cum ea festinatione, de qua dictum est cap. 1. sect. 7. & si non adsit, qui comitetur, ferat Sacros Oleos sine lumine, & solemnitate, quia etiam sine ulla absque indecentia deferuntur ex Cathedrali per omnes Ecclesias Dioecesis: nec opus est ministro, qui respondeat, ut habetur in jure. [f] Procuret tamen semper constitutiones sui Episcopi observare, nisi necessitas urgens aliud exigat.

[f] Cap. quaesivit frat. de verb. sign.

376 Advertat quintò, ut observet, quoad fieri possit, quae in Rituali praescribuntur. Quamvis enim sola materia, & forma sint absolutè necessaria: tamen: *Introeat*. Et aliae orationes sunt necessariae de praecepto Ecclesiae, quas proindè sine causa omittere non expedit, septem Psalmi non sunt de praecepto; dicendi tamen, si sint in usu. Si tamen necessitas urgeat, omnia omittat, quae non sunt de substantia. Imò si videat infirmum jam jam spirare, ne hoc Sacramento careat, omnem ordinem praetermittat, & ungat sine Cruce unum oculum, unam aurem, nares, os, & manum unam sub uno verborum contextu:

Digitized by Google

textu: *Per istas sanctas unctiones indulgeat tibi Deus &c.*

377 Advertat sextò, congruum valdè esse, ut postquam unxit infirmum pollentem sensibus, dicat cum illo symbolum Apostolorum, quod infirmus corde saltem repetat, & postea faciat illum protestari se in ea fide velle manere, & mori, ut sicut fidem professus fuit in Baptismo symbolum recitando, sic in exitu ex hac vita idem repetendo eamdem fidem protestetur. Hortetur deinde ad concipiendam spem vitæ æternæ aliquos actus sperandi cum infirmo eliciendo; ad se totum divinæ voluntati committendum, eliciendo varios actus amoris erga Deum, & contritionis circa peccata, quibus ea detestetur propter Deum summè dilectum. Et in hac hora se ostendat verum animarum pastorem, nec permittat pro sua incuria, & negligentia, quòd lupus infernalis ovem Christi rapiat in perditionem. Sed de his latiùs lib. 11. ubi de hac re specialiter instruetur.

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

378 Circa hoc Sacramentum multa sunt inter DD. controversa, quorum discutio ad nos non pertinet, maximè quia Parochus, quem instruimus, non est illius minister. Unde satis erit proponere, quæ magis necessaria videntur, sequendo communiores Theologorum sententias, dicendo 1. de essentia ordinis. 2. de ministro. 3. de subjecto, seu suscipiente.

SECTIO I.

De Essentia Ordinis.

379 Sacramentum Ordinis ita generaliter describi potest: *Est Sacramentum, quo alicui traditur potestas peculiaris ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam perficiendam, vel immediatè ut soli Sacerdoti, vel mediatè plus, & minus, ut quibusdam aliis, ut ex dicendis constabit, & quidem omnibus ex officio.* Est autem in fide [a] certum ordinem sic definitum in aliquo saltem gradu esse Sacramentum novæ legis, & secundùm communiorem sententiam in omnibus illis gradibus, imprimereque characterem, & ideò non posse sine sacrilegio reiterari. Probatur ex dictis cap. 1. quia Sacramentum novæ legis nihil est aliud, quàm signum aliquod sensibile, & externum, cujus usu gratia confertur: sed actio illa, qua aliquis ab Episcopo in ministrum Ecclesiæ consecratur, est signum sensibile, & externum, cujus usu gratia confertur, ut sumitur ex Apostolo [b] dicente Timotheo: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum:* ergo tali actioni, seu ordinationi nihil deest ad Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum.

a Trid. sess. 23. canonib. 3 de ord.

b 2. Tim 1.6.

380 Continentur autem in ordine septem [c] veluti gradus, quibus quasi ascenditur ad ultimum, quod est Sacerdotium, nempe Ostiarii, Lectoris, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri, seu Sacerdotis. Et quamvis omnes isti ordines sint res aliqua sacra; primi tamen quatuor dicuntur minores, & non sacri; ultimi verò tres majores, & sacri. Cujus rei hæc est ratio, quia per tres ultimos propriùs, & immediatiùs ordinatur quis ad Sacrificium Missæ, & Eucharistiam conficiendam, & peculiari modo irrevocabiliter, quantum est ex parte ordinati, dedicatur ad eumdem finem, & habet in Ecclesia Latina annexum solemne castitatis votum, & obligationem recitandi divinum officium, quod prioribus quatuor ordinibus non convenit.

c Trid. sess. 23. c. 2. & c. 3.

381 Non fecimus autem mentionem primæ tonsuræ, & Episcopatus. Quia tonsura, quæ præcedit omnes ordines, non est ordo, sed quædam dispositio, & præparatio ad ordines, & quædam ad eos introductio; nec est Sacramentum, nec habet aliquod proprium officium, licèt constituat hominem clericum, & capacem privilegii clericalis. Episcopatus [d] verò, juxta communiorem sententiam, non est totaliter novus ordus distinctus à Sacerdotio, sed quidam gradus illius, & quædam quasi extentio sacerdotii. Est enim Episcopus summus Sacerdos in sua Diœcesi, sicut

d Bellar. l. 20. de sacr. dub. 2

ficut Pontifex Rom. in tota Ecclesia. Esse tamen diversum ordinem aliqui probabiliter existimant.

382 Singuli autem ordines sua habent munera, & officia. Ordinarii munus est claves templi conservare, aperire, & claudere ejus portas; arcere eos, quibus non licet sacris interesse; campanas pulsare, quæ sunt intra Ecclesiam, custodire, & librum aperire ei, qui prædicat. Lectoris est legere in Ecclesia lectiones veteris, & novi testamenti, rudimenta fidei catechumenos docere. Exorcistæ est manus imponere super energumenos ad dæmones adjurandos, & ejiciendos. Acolythi est præparare ampullas vini, & aquæ ad Sacrificium Missæ, & porrigere Subdiacono; ferre cereos ad idem sacrificium, illique ministrare. Subdiaconi est immediatè subordinari Diacono ad Sacrificium Missæ; Calicem, & Patenam illi tradere; urceolum cum aqua præbere; aquam ad lavandas manus infundere, & præcipuè Epistolam ex officio, & solemniter in Missa cantare. Diaconi est cantare solemniter Euangelium in Missa, ministrare Sacerdoti immediatè in omnibus, quæ pertinent ad Missæ Sacrificium, vestire Altaria, Crucem ferre, & ex commissione Sacerdotis Prædicare, & Baptizare. Sacerdotis est offerre Sacrificium Missæ, & ideò dicitur habere potestatem in Corpus Christi verum, quod consecrat; absolvere à peccatis, unde dicitur habere potestatem in Corpus Christi mysticum; aliaque Sacramenta ministrare, excepta Confirmatione, & Ordine; pascere populum salutari doctrina, & aliquas facere benedictiones, ut aquæ sanctæ &c.

383 Certum [e] est autem tam ordinationem Sacerdotis, quàm Episcopi esse verum Sacramentum, & idem est, juxta communissimam sententiam de ordinatione Diaconi, & Subdiaconi; & juxta communiorem, & probabiliorem de aliis quatuor ordinibus minoribus. Nam in illis actionibus, & cæremoniis, quibus tales ordines conferuntur, invenitur substantia, essentia, & conditiones Sacramenti, ut suprà dictum est, constatque ex cap. 1. de Sacramentis in genere. Illud tamen notandum, licèt omnia hæc Sacramenta sint re ipsa plura, omnia pertinere ad unum Sacramentum Ordinis, illudque constituere per quandam aggregationem, & ordinationem ad unum finem proximum Sacrificii Missæ, ficut multa membra unum corpus constituunt. Non tamen possunt omnia septem dici unum Sacramentum eodem modo, quia non habent omnia unum proximum, & veluti indivisibilem finem, sed varios, & diversos, licèt subordinatos, ut constat ex dictis.

e Bellar. dub. 6.

384 Quare singulis his ordinibus propria materia, & forma assignanda est. Universaliter verò loquendo materia proxima cujusque ordinationis, ut Sacramentum est, consistit in traditione, & acceptatione illius rei, quæ ab Episcopo traditur ordinando; res verò ipsa dicitur materia remota. Forma autem consistit in illis verbis, quæ dicuntur ab Episcopo in tali traditione. [f] Materia igitur Ostiarii est traditio clavium, & cymbali; Lectoris traditio libri lectionum, & prophetiarum; Exorcistæ traditio libelli exorcismorum, & adjurationum; Acolythi traditio candelabri cum candela extincta, & traditio urceoli vacui, quæ sunt duæ quasi materiæ partiales in hoc ordine. Materia Subdiaconi est traditio calicis vacui cum patena similiter vacua, & traditio libri Epistolarum, tamquam duæ partiales materiæ. Diaconi est traditio Euangeliorum, nempe missalis cum impositione manus. Sacerdotis verò est traditio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, & impositio manuum, quando traditur potestas in Corpus Christi mysticum, seu ad absolvendum à peccatis, tamquam duæ materiæ partiales. Formæ sunt verba, quæ in harum rerum traditione, & manuum impositione dicuntur ab Episcopo. In minoribus verò, quæ dicuntur in traditione.

f Fillius. c.9.n.2.

SECTIO II.

De Ministro Ordinis.

385 Solus Episcopus est minister ordinarius Sacramenti Ordinis. Est certum in fide definitum in Trident. [a] Ratio verò petenda est ex voluntate Christi, qui ita hoc Sacramentum instituit. Quòd autem Christus ita insti-

a Sess. 23. c.4. & c.7.

instituerit colligitur ex praxi Ecclesiæ, quæ non nisi per Episcopos ordines saltem majores conferre solet. Dixi: *Saltem majores*. Quia ex Pontificis commissione Sacerdos minores ordines potest, & solet conferre, ut patet ex usu; nam Cardinales Presbyteri ex consuetudine minores ordines conferunt. Et Abbates aliqui eadem gaudent facultate.

386 De majoribus ordinibus est difficultas, an ex commissione Pontificis à solo Sacerdote conferri possint? Et quidem de Episcopatu, & Sacerdotio omnes negant, indeque à posteriori probant; quia nunquam talis commissio in Ecclesia facta fuit. De Subdiaconatu, & Diaconatu aliqui affirmant ex opposita ratione; quia id concessum fuit ab Innocentio VIII. Abbati Cisterciensi, & aliis quatuor primis Abbatibus ejusdem ordinis; cujus privilegii tenorem refert [b] Emmanuel Rotericus. Alii negant [c] dubitantes de hoc privilegio dicentes nunquam ad praxim pervenisse.

b Tom. 1. q. Regul. q. 48. a. 3.
c Bellan. dub. 9.

387 Episcopus igitur verè consecratus, quamvis hæreticus, schismaticus, excommunicatus, suspensus, interdictus, vel etiam degradatus omnes ordines validè conferre potest, quamvis illicitè. Prob. quia collatio ordinum est actus ordinis, non jurisdictionis; ordo autem est indelebilis, & semper manet in Episcopo; ergo, &c.

388 Episcopi, ut benè, & licitè ordinent, debent solùm ordinare sibi subditos, alienos verò non nisi cum dimissoriis proprii Ordinarii, alioqui manent suspensi per annum ab ordinum collatione per Trident. [d] Potest aliquis esse subditus alicujus Episcopi ex triplici capite. 1. ratione originis, quia in ejus Diœcesi natus fuit non casu, & per accidens. 2. ratione domicilii, quia in Diœcesi habitat animo ibi perpetuò manendi, ad quod sufficiunt decem anni. 3. ratione beneficii, quod obtinet in tali Diœcesi. A quolibet ergo ex his tribus Episcopis potest quis ordinari, & petere dimissorias. Capitulum, sede vacante, dimissorias dare potest post annum à morte Episcopi, non antea, nisi beneficio arctatis. Dimissoriæ concessæ ab Episcopo, non expirant per mortem ipsius, quia sunt gratiæ factæ.

d Sess. 23. c. 8. de ref.

389 Tenentur Episcopi conferre ordines aliquibus temporibus, aut curare, ut suis subditis conferantur, ne desit necessarius ministrorum numerus. Ut autem rectè suo in hoc munere fungantur, tria præstare debent. 1. examen ordinandorum vel per se, vel per ministros idoneos erga omnes etiam Regulares, nisi sint in hoc privilegiati; excipi possunt notoriè digni. Hoc autem non debet esse solùm in scientia, & doctrina requisita, sed etiam in vita, moribus, ac natalibus, aliisque impedimentis. 2. quòd ordinandus habeat titulum, nempe patrimonium, juxta quantitatem requisitam in singulis provinciis, vel beneficium sufficiens, vel professionem paupertatis religiosæ. 3. ut non ordinet per saltum, neque sibi non subditos, ut debitis temporibus, & servatis interstitiis.

390 Porrò ordines minores possunt eidem conferri eodem die, si Episcopus dispenset. Majores non nisi post annum ab ultimo minore ex Trident. [e] In quo potest etiam Episcopus dispensare. Duo majores ordines eodem die conferri non possunt, nisi de Pontificis licentia. An autem possit aliquis ordo minor, vel omnes minores conferri eodem die cum subdiaconatu? Videtur affirmandum; cùm non inveniatur prohibitio in contrarium; consuetudo tamen est observanda.

e Sess. 23. c. 11.

391 In conferendis ordinibus majoribus servanda sunt tempora præscripta, nempe quatuor Sabbata quatuor temporum; Sabbatum ante Dominicam Passionis, & Sabbatum Sanctum. Inter susceptionem unius majoris ordinis, & susceptionem alterius, annus intercedere debet, nisi Episcopus dispenset ex Trident. [f] Minores ordines privatim conferri possunt quolibet die Dominico, vel festo duplici mane; & ex consuetudine feria sexta vespere ante Sabbata prædicta, vel etiam feria quarta quatuor temporum. [g] Servandus item est locus, nam majores ordines publicè conferri debent in Ecclesia Cathedrali, aut in alia ex dignioribus Diœcesis, præsentibus Canonicis, & Clero; privatim verò etiam in aliquo domestico sacello. Prima tonsura quovis anni tempore, die, ac loco conferri potest. Minores ordines ubique conferri possunt, & eodem die simul cum prima tonsura.

f Sess. 23. c. 13. & 14.
g Trid. s. 23. c. 8.

392 Epi-

392 Episcopus conferens ordines debet esse in gratia, quia confert Sacramenta. Non conferat nisi confirmatis, ut monet Trident. [b] Advertat, ut applicet materiam, & formam, hancque proferat simul cum applicatione materiæ. [i] Non dicat se non habere intentionem ordinandi irregulares, non habentes patrimonium, &c. propter inconvenientia, quæ sequi possunt, quamvis de his investigare debuerit, & non admittere indignos, & arcere sub comminatione excommunicationis: habeat ergo intentionem ordinandi omnes, quotquot de facto ordinat, & in genere dispenset in quibus potest. Potest etiam Episcopus ordinare in aliena Diœcesi, de licentia Episcopi illius loci, suos subditos, & alienos cum dimissoriis suorum Episcoporum; neque opus est, ut hos examinet, si sint à suis Episcopis examinati, & approbati.

b Sess.23.c.4.

i Filliuc. t.9.c.5.à n.99.

SECTIO III.

De subjecto suscipiente ordines.

393 Subjectum capax ordinationis est vir. Patet ex voluntate, & institutione Christi, qui solos viros ordinavit, nullam mulierem ad hoc Sacramentum admittens, nec quidem suam Matrem Sanctissimam, quæ omnium hominum erat dignissima, ratione sanctitatis. Unde sexus fœmineus ex jure divino est incapax ordinationis, adeò ut si per errorem fœmina aliqua ordinaretur, ordinatio esset invalida, & nulla. Neque etiam ordinandus est hermaphroditus, hoc est, persona utriusque sexus. Ut autem vir capax sit ordinationis, debet esse baptizatus. [a] Quia Baptismus est janua, & fundamentum omnium Sacramentorum: unde sicut ædificium construi non potest sine fundamento; ita nec ordo, aliudve Sacramentum validè suscipi ab eo, qui non est baptizatus. Unde dicitur character ordinis supponere characterem Baptismi.

a Cap. si quis de Pr[e]sb. non bapt.

394 Infantes ante usum rationis validè ordinari possunt, quamvis illicitè. Prima pars inde constat, quia infantes ante usum rationis sunt capaces Baptismi, & Confirmationis; ergo & ordinis. Patet consequentia, quia etiam duo illa Sacramenta characterem imprimunt. Neque etiam obstat, quòd ordinibus sacris sit annexum votum continentiæ, quo nemo obligatur sine consensu, quia inde solùm sequitur sic ordinatum non teneri ad castitatem, quando pervenerit ad ætatem adultam, secunda pars inde liquet, quia est graviter prohibitum in jure, saltem quoad ordines majores, de quo vide Concilium [b] Tridentinum.

b Sess.23. c.12.

395 Ut autem quis licitè ordinetur, determinatam ætatem habere debet. Et quidem post Trident. citatum ad Subdiaconatum requiritur annus 22. inchoatus: ad Diaconatum 23. inchoatus: ad Sacerdotium 25. inchoatus. Ad primam tonsuram septennium completum: ad primos tres minores ordines requiritur tempus pro arbitrio Episcopi, dummodo ordinandus habeat perfectum usum rationis, & scientiam singulis ordinibus necessariam: ad Acolythatum verò duodecimus annus completus. Si quis verò scienter ante debitam ætatem ordinaretur absque dispensatione, licèt valeret ordinatio, graviter peccaret, & si esset puer ante usum rationis, graviter peccaret ordinans, & qui concurreret ad talem ordinationem.

396 Ex necessitate præcepti [c] ordines suscipiendi sunt ordinatim, incipiendo à prima tonsura, postea accipiendo minores ordines suo ordine; tandem majores suo etiam ordine. Quamvis autem valida esset susceptio ordinis superioris, v. c. Diaconatus omisso Subdiaconatu, seu ante illum, & sic de cæteris. Qui tamen sic ordinaretur per saltum, graviter peccaret, & maneret suspensus à sui ordinis executione, & ad ulterioris receptionem: potest tamen Episcopus dispensare cum tali, ut ordinem omissum recipiat, & ad ulteriorem progrediatur, nisi ante talem dispensationem solemniter ministrasset in ordine per saltum suscepto; quia tunc opus est dispensatione Pontificis.

c Trid. sess. 23.c.14.

397 Requiritur in ordinandis certa scientia. [d] Et quidem ad primam tonsuram, ut sciant legere, & scribere, ac fidei rudimenta. Ad minores ordines, ut saltem linguam latinam intelligant. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum, ut præterea in iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, sint instructi. Ad Sacerdotium requiritur ulterius,

d Trid. sess. 23.c.4.11. 13. & 14.

Digitized by Google

terius, ut ordinandus, præcedente diligenti examine, idoneus reperiatur ad docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & ad Sacramenta administranda.

398 Requiruntur etiam alia ex Concilio. Nempe, ut probabilis sit conjectura ordinandos hoc vitæ genus inire, non sæcularis judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent. Unde qui minoribus ordinibus initiaretur animo non serviendi Ecclesiæ in illis, sed certo tempore renuntiandi, graviter peccaret. Requiritur ad minores ordines, ut bonum à Parocho, & magistro scholæ testimonium habeant. Pro ordinibus verò majoribus monet Concilium Episcopos, non quoslibet in debita ætate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit; ad quod requirit, ut habeant bonum testimonium, & qui sperent, Deo auctore, se continere posse, id est, castitatem illæsam servare, quod maximè ad Sacerdotes pertinet, pro quibus additur: *ut ita pietate, ac castis moribus conspicui sint, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab iis expectari possint.*

399 Requiritur tandem, ut ordinandus existimet se esse in gratia, ut dignè recipiat Sacramentum Ordinis. Quòd si habeat conscientiam peccati mortalis, debet conteri, vel etiam confiteri, si debet communicare. Unde non debet esse suspensus ab ulterioris ordinis receptione, non interdictus, non excommunicatus, non irregularis, quia hæc sub peccato mortali prohibent ordinis receptionem.

400 Id notandum in adultis, qui ordinantur, requiri intentionem, & consensum ad valorem ordinis, ut patet ex dictis cap. 1. sect. 4. ubi ostendimus ad valorem Sacramenti necessariam esse intentionem suscipientis, si adultus sit. Unde nulla erit ordinatio, si quis absolutè invitus ordinetur; secus tamen erit, si metu aliquo ad suscipiendos ordines compellatur, ita ut absolutè ordinari velit, & sit tantùm invitus secundùm quid. An verò ille, qui gravi metu incusso ad ordines compellitur, teneatur ad castitatem? Negandum [h] videtur; quia cùm votum illud sit per injuriam extortum, videtur à Deo non acceptari, sine qua acceptatione votum ratum non est, nec habet vim obligandi: unde graves DD. jure ipso naturæ irritum dicunt, ut notavimus lib. præced. cap. 4. sect. 5.

h Bellar. d.10. d.14.

401 Sacramentum Ordinis confert gratiam ex opere operato, sicut omnia alia Sacramenta, & præterea characterem, ut sumitur ex Trident. [i] idque non solùm in ordinatione majorum ordinum, sed etiam minorum, cùm omnes sint Sacramenta, ut ex communi sententia suprà diximus. Et per omnes confertur potestas administrandi officia Ecclesiastica, qua Clericus tamquam signo quodam spirituali, eoque indelebili à laicis distinguitur, & quæ numquam iteratur; unde fit quòd per omnes ordines non solùm conferatur gratia, sed etiam character. Gratia autem confertur, si non sit obex in recipiente: si enim obicem quis ponat, characterem solùm recipiet. An verò recedente obice, præterita ordinatio suum effectum gratiæ conferat? Quæstio est pro utraque parte probabilis. Tandem sacros ordines recipiens tenetur ad castitatem, quia habent annexum solemne votum illius in Ecclesia Latina. Aliter est de minoribus ordinibus, ut constat ex praxi Ecclesiæ, & ex decreto dist. 32. per totam.

i Sess.23. can.4.

CAPUT VIII.

De Sacramento Matrimonii.

HOc Sacramentum multa involvit, quæ vix possunt ad brevitatem reduci propter multa impedimenta, quæ ejus celebrationem impediunt, eorumque dispensationes, aliasque solemnitates, quæ præcedere debent. Quare ut clarius procedamus, dicendum prius erit de illis, quæ Matrimonium præcedere solent. Deinde de ipsomet Matrimonio. Tandem de illis quæ sequuntur post ipsum contractum. Dicemus igitur 1. de sponsalibus, 2. de impedimentis impedientibus tantùm, 3. de impedimentis dirimentibus, 4. de utrorumque dispensatione, 5. de denuntiationibus præmittendis, 6. de ipsa essentia, & natura Matrimonii, 7. de ejus revalidatione, 8. de ejus usu, 9. de divortio, 10. admonebimus Parochum circa Matrimonii celebrationem, cujus ipse est testis qualificatus.

402 a Sanch. trib. tom.

SE-

Digitized by Google

SECTIO I.

De Sponsalibus.

403 b Sanch. lib. 1. d. 2. & 3.

Sponsalia idem sunt, ac promissio futuri matrimonii. [b] Ut autem hæc promissio valeat, debet esse externa; quia merè interna ab homine, cui fit, cognosci non potest, nec acceptari; cùm verò promissio non acceptata non obliget promittentem; opus est ad obligationem, & valorem, ut aliquo signo externo manifestetur, ut valeat ab alio acceptari. Hoc autem signum potest esse verbum, vel scriptum, aut aliud quodcumque sufficienter consensum exprimens. Imò taciturnitas signum erit sufficiens in aliquo casu, ut si parentes pro filia, vel filio matrimonium promittant, filiis præsentibus, & ipsi taceant; tenentur enim consentire, aut saltem externè dissentire. Unde si non dissentiant, & contradicant, consentire censentur.

404 Dico ergo primò. Ad valorem sponsalium requiritur promissio mutua. c Sanc. d. 5. [c] Prob. quia sicut sponsalia sunt quasi inchoatio matrimonii; sicut in hoc, ita in illis obligatio ex utraque parte esse debet. Unde si unus nuptias promittat, & alter acceptet, non tamen vicissim repromittat, irrita sunt sponsalia, quia acceptans ad nihil tenetur, cùm nihil repromiserit. Promittens verò tenebitur sub mortali ad matrimonium, si illud liberaliter promisit, & alter diu repromissionem non differat, quia promissio de re gravi acceptata fuit. Si verò solùm promisit per modum contractus respectivi, ut regulariter fieri solet; ad nihil tenebitur, nisi alter repromiserit. Promissio autem debet fieri cum perfecta deliberatione, d Sanc. d. 8. [d] quia cùm sponsalia obligent sub mortali, perfectam deliberationem necessariò postulant, qualis ad mortale requiritur. In dubio autem, an fuerit sufficiens deliberatio, præsumendum est fuisse, donec aliud constet.

405 Dico secundò. Ad valorem sponsalium requiritur, ut promissio fiat animo verè promittendi, ac se obligandi. e Sanc. d. 9. [e] Prob. quia cùm sponsalia sint contractus utrinque promissorius, & obligatorius, subsistere nequeunt, si promissio non fiat ex animo verè promittendi, & se obligandi ad promissa servanda. Subsistunt tamen si fuit animus verè promittendi, & se obligandi, estò non fuerit animus implendi; quia cùm promissio verè facta fuerit, & cum animo se obligandi, prava intentio non implendi obligationem tollere non potest.

406 Unde sequitur sponsalia ficta absque animo se obligandi, nulla esse; [f] & consequenter ex vi promissionis ad nihil teneri sic promittentem, licèt teneri possit ratione injuriæ, aut damni illati, ut qui virginem defloravit sub spe matrimonii, quod ei fictè promisit, qui eam ducere tenetur. Quia justitia commutativa obligat ad reddendum id, quod debetur: fictè autem promittens debet ex justitia consensum in futurum matrimonium, cùm puella sub illius spe in copulam consenserit. Excipe nisi vir genere, aut divitiis notabiliter excedat, aut nisi aliunde fœmina facilè potuerit deprehendere se à promittente decipi. In quibus casibus nulla regulariter debetur compensatio, quia fœmina se ipsam potius decepit; quàm fuerit decepta, & sibi damnum imputare debet. Si tamen viri genus, aut divitias ignorabat, vel ille ita promisit, ut vir prudens non facilè dolum præsumeret; [g] pecuniis satisfacere debet, non tamen ducere tenetur. f Sanch. d. 10. g Sanch. d. 15.

407 Dico tertiò. Ad valorem sponsalium requiruntur personæ ad matrimonium habiles, quales non sunt, quæ habent impedimentum dirimens, vel etiam impediens. Prob. quia non solùm invalidè promittit matrimonium, qui ad illud est inhabilis per impedimentum dirimens, sed qui implere non potest sine peccato, ut accidit habenti impedimentum impediens. Nec obstat quòd talia impedimenta per dispensationem tolli possint. Quia illis affectus non potest matrimonium promittere, nisi sub conditione dispensationis. Unde promissio non erit absoluta, qualis requiritur ad sponsalia. Tenebitur tamen ad procurandam dispensationem, si id promiserit; & illa obtenta, promissio conditionata transibit in absolutam, & vera sponsalia constituet.

408 Nota etiam ad valida sponsalia requiri saltem ætatem septem annorum [h] completam, quæ ex communiori sententia completur per inceptio- h Sanch. d. 16.

ptionem ultimæ diei, & non antea, nisi malitia suppleat ætatem. Quia pueri ante completum septennium sufficientem rationis usum habere possunt; & illud tempus non præscribitur ut omninò necessarium, sed quia jus præsumit, ante eam ætatem, non illucere rationis usum.

409 Dico quartò. Sponsalia validè contracta ex multis capitibus dissolvi possunt. Primò [i] ex mutuo consensu contrahentium. Prob. quia ea, quæ dissolubilia sunt, dissolvuntur per easdem causas, per quas nascuntur: sed sponsalia dissolubilia sunt, & ex mutuo sponsorum consensu nascuntur: ergo per eumdem dissolvi possunt, estò firmata fuerint juramento. [l] Excipe sponsalia impuberum, quæ prohibentur dissolvi per mutuum consensum, dum impubertas durat, ne ob ætatis inconstantiam, & levitatem detur illis occasio contrahendi sæpè sponsalia, & ab illis resiliendi. Cùm tamen eorum aliquis pubertatem adeptus est, potest resilire, non expectata pubertate alterius intra tres primos dies, non verò eo termino elapso.

[i] Sanch. d. 51.

[l] Sanch. d. 51.

410 Dissolvuntur secundò, per professionem [m] alterius emissam in religione approbata. Probatur, quia etiam matrimonium ratum hoc modo dissolvitur; ergo à fortiori sponsalia. Addo: Si sponsus religionem ingrediatur, posse sponsam, non expectata illius professione, cum alio contrahere. Quia sponsus per susceptionem habitus religiosi satis ostendit se ex parte sua sponsalibus renuntiasse; unde si postea egrediatur, non tenetur sponsa fidem illi datam servare, estò cum alio non contraxerit; si tamen illa velit cum illo matrimonium contrahere, tenetur ille fidem datam servare, quia illa jure suo privata non fuit.

[m] Sanc. d. 41. & 43.

411 Dissolvuntur tertiò, per votum [n] profitendi in religione approbata. Prob. quia sicut se habent sponsalia ad matrimonium ratum, ita votum profitendi ad professionem; sicut enim qui sponsalia init cum aliqua, tenetur eam ducere; ita qui votum profitendi emisit, tenetur profiteri: sed professio dissolvit ex utraque parte matrimonium ratum: ergo & votum profitendi eodem modo dissolvit sponsalia. [o] Hoc autem est limitandum, quando qui in sæculo manet, grave aliquod damnum injustè patitur ex ingressu alterius in religionem: ut si sponsa relinquatur gravida, aut deflorata, aut graviter infamata ex familiaritate cum sponso; tunc enim tenebitur sponsus ab ingressu abstinere, & fidem sponsæ datam servare; quia votum illud, cùm sit sponsæ injuriosum, à Deo accepatum non fuit, & consequenter non obligat.

[n] Sanch. d. 43.

[o] Sanch. d. 41. & 45.

412 Dissolvuntur quartò, per alia sponsalia. [p] Prob. quia qui secunda sponsalia contrahit, facto ipso ostendit se prioribus renuntiare. Unde prima sponsa libera manet ab obligatione, & potest cum alio contrahere. Si tamen nolit cedere juri suo, tenetur sponsus eam ducere, non autem secundam, quia secunda sponsalia fuerunt irrita, & nulla. Si autem sponsus à sponsa ignara priorum sponsalium copulam obtinuit, indeque grave damnum patiatur illi non nubendo, tenebitur eam ducere, non ratione sponsalium, sed ratione damni injustè illati, si prima sponsa resiliat, quæ ex rigore justitiæ non tenetur cedere juri suo; poterit tamen ad id teneri ex charitate, ne proxima grave damnum patiatur, si ipsa in resiliendo nullum patiatur, & æquales nuptias possit invenire. Si autem, prima non resiliente, matrimonium contrahatur cum secunda; hac mortua, tenetur sponsus contrahere cum priori, si illa velit, quia obligatio, quam cum illa contraxit, non fuit omninò extincta, sed quasi sopita ad eum modum, quo sopita est obligatio illius, qui post votum religionis matrimonium contraxit, & consummavit, qui, mortua uxore, ad religionem tenetur.

[p] Sanch. d. 49. & 50.

413 Dissolvuntur quintò, per fornicationem. [q] Prob. quia cùm fornicatio sit justa causa divortii inter conjuges, à fortiori sufficiet ad dissolvenda sponsalia. Si tamen sponsus innocens velit matrimonium, fornicarius ad illud tenetur. In hoc autem ambo sponsi sunt pares, quia non tantùm sponsa, sed etiam sponsus fornicando fidem datam violat. Ex quibus colliges, istas posteriores causas solùm dissolvere sponsalia ex parte.

[q] Sanch. d. 55.

414 Dissolvuntur sextò, etiam ex parte, ob mutationem [r] adeò gravem supervenientem alteri sponso, ut si præ-

[r] Sanch. d. 56. & trib. seq.

Digitized by Google

prævisa fuisset, alter non contraheret. Quod contingere potest, 1. si alter incidat in morbum contagiosum, ut est lepra, morbus gallicus, &c. 2. si fiat notabiliter deformis, quamvis major deformitas requiratur in sponso, quàm in sponsa, 3. si alter magnam jacturam bonorum passus sit, aut etiam honoris, & famæ, 4. sævitia, & morum asperitas de novo cognita, quæ si ad divortium satis est, à fortiori ad dissolvenda sponsalia, 5. si probabiliter timeatur infelix exitus ex matrimonio, ut quia inter ipsos sponsos grave ortum est odium, aut graves inimicitiæ inter eorum parentes, quæ facilè sedari non poterunt, si matrimonium celebretur. Ubi nota hæc etiam procedere, quando prædictæ causæ jam erant, sed ignorabantur; quia ignorantia illarum facit sponsalia involuntaria ex parte ignorantis.

415 Dissolvuntur septimò, quando per alterum stat, ne sponsalia tempore debito f compleantur, alter liber manet ab eorum obligatione. Quare cùm sponsalia celebrantur adjecto termino, intra quem promissum matrimonium celebrandum sit, ita ut nisi intra tale tempus celebretur, ille per quem non stat, liber maneat ab obligatione sponsalium; elapso tali termino, sponsalia dissolvuntur ex parte illius, qui non est in mora, potestque resilire, si velit; saltem si alter est in mora culpabili. Et quamvis in culpa non sit, probabilius est, quod etiam possit resilire; quia sicut in aliis contractibus sufficit, ut rescindantur; quòd conditio, de qua partes mutuo convenerunt, adjecta non sit, estò ex neutrius culpa id proveniat, ita etiam in sponsalibus.

f Sanch. d 52.

416 Si verò terminus præfigatur ea intentione, ut eo elapso, qui est in mora, possit cogi ad matrimonium celebrandum, non statim manebit liber ab obligatione ille, per quem non stat, sed habet jus ad cogendum alterum, ut impleat promissa; qui si requisitus ita protrahat impletionem, ut probabiliter videatur sponsalibus renuntiare, aut manifestè peccet sine causa protrahendo, fas est alteri resilire: ille verò, qui est in mora sive cum culpa, sive absque illa, liber non est à fide data, nisi alter cedat juri suo. At si terminus præfixus non fuit, etsi unus sit in mora ex causa legitima, alter liber non manet ab ogligatione. Si tamen dilatio sit tanta, ut prudenter credatur alium noluisse ad eam se obligare, estò sit inculpabilis; poterit ille, qui non est in mora, ab sponsalibus resilire, si velit, non tamen ille, qui est in mora, nisi altero resiliente.

417 Dissolvuntur octavò, quando sponsus g abiit in terras longinquas. Potest tunc sponsa resilire; quia sponsus per talem absentiam sponsalibus renuntiasse visus est. Quod aliqui limitant 1. nisi ex consensu sponsæ discesserit. Hoc tamen debet intelligi, dummodo mora non sit extraordinaria; quia si talis sit, sponsa non est censenda se obligasse ad fidem servandam, licèt licentiam dederit, maximè si ipsi immineat grave periculum incontinentiæ, aut alia necessitas nubendi. Limitant alii 2. nisi sponsus ex causa necessaria diu abesse cogatur. Hoc autem procedit, si nullus terminus fuit præfixus, & si sponsa nullum ex ea mora grave incommodum incurrat. Limitant alii 3. nisi sponsus existens intra Provinciam absit ultra biennium, existens verò extra, ultra triennium non redeat. Probabilius tamen est sponsam non ita teneri toto illo tempore expectare, ut non possit judex, spectatis omnibus circumstantiis, maximè verò damnis, & periculis provenientibus sponsæ ex tali mora, præfigere terminum, ut interim moneatur sponsus, qui si intra illum non redeat, sponsa ab obligatione libera erit. Limitant alii 4. nisi spes sit sponsum brevi rediturum. Quæ limitatio legitima est; & quia eo casu sponsus non censetur renuntiasse sponsalibus, & quia ex brevi mora sponsa damnum non incurrit, propter quod rationabiliter possit resilire. Quod autem dictum est de eo, qui aliò se transtulit rediturus; à fortiori procedit de eo, qui post sponsalia domicilium transtulit in terras remotas. Quia sponsa non tenetur eum sequi, nisi aliter inter eos conventum sit; & multò minus, si sponsa vagari velit, ad quod sponsa non est censenda se voluisse obligare.

g Sanch. d 64.

Digitized by Google

SECTIO II.

De impedimentis matrimonium impedientibus.

418 a Sanc. l 7 d.6.

IMpedimenta Matrimonii sunt in duplici [a] differentia; quædam impediunt tantùm, alia dirimunt. Priora sunt illa, cum quibus non poteſt licitè contrahi matrimonium inter fideles; ſi tamen contrahatur, validè contrahitur, eſtque verum matrimonium. Poſteriora ſunt illa, cum quibus nec licitè, nec validè contrahitur matrimonium; & ſi contrahatur, non ſolùm peccatur, ſed matrimonium re ipſa eſt nullum. De his poſterioribus ſect. 3. de prioribus hic agendum, quæ quinque in genere numerari ſolent.

b Sanch. d.7.

419 Primum dicitur Interdictum. [b] Per quod intelligitur 1. prohibitio Epiſcopi, vel alterius Prælati poteſtatem habentis ad prohibendum ex rationabili, & juſta cauſa, ne intra aliquod tempus inter hos, aut illos contrahatur, 2. intelligitur tempus Adventus uſque ad Epiphaniam, & tempus Quadrageſimæ à die Cinerum uſque ad octavam Paſchæ incluſivè, in quibus temporibus nuptiæ prohibentur. Incipit autem Adventus à media nocte, quæ præcedit primam diem Dominicam illius, & Quadrageſima à media nocte, quæ præcedit diem Cinerum. [c] Id tamen notandum, in his temporibus non prohiberi abſolutè matrimonium, ſed benedictiones nuptiarum, & alias ſolemnitates illarum. Ad hoc impedimentum reduci poteſt tempus ſolemnis pœnitentiæ, quo durante, prohibentur in jure nuptiæ. Tales verò pœnitentiæ jam non ſunt in uſu.

c Sanch. d.7.n.22.

d Sanch. d.11.

420 Secundum dicitur Votum. [d] per quod intelliguntur omnia vota ſimplicia caſtitatis, & religionis. Et idem eſſet, ſi quis voviſſet ſe non ducturum uxorem, aut ſuſcepturum ſacros ordines. Unde ſi quis cum voto caſtitatis, aut religionis matrimonium contraheret, peccaret quidem, imò poſt contractum, peccaret conſummando, quia adhuc poteſt implere votum, ingrediendo Religionem per ſpatium duorum menſium, poſt matrimonii contractionem. Si verò vovit tantùm caſtitatem, non poteſt petere debitum, licèt poſſit reddere. Si vovit Religionem, poſtquam conſummavit matrimonium, poteſt debitum petere. Mortua verò uxore, ſemper manet prædictum votum & impedimentum ad ſecundas nuptias. Votum verò non nubendi, aut ſuſcipiendi ſacros ordines impedit matrimonium, ſicut votum caſtitatis, non tamen impedit petitionem debiti, maximè poſt conſummationem matrimonii: mortua verò uxore, utrumque ſecundas nuptias impedit, ſicut & alia duo.

421 Tertium dicitur Sponſalia. [e] Per quæ intelligitur promiſſio futuri matrimonii alicui facta, juxta dicta ſect. 1. Qui enim cum aliqua ſponſalia contraxit, non poteſt ſine culpa mortali cum alia matrimonium contrahere, niſi ex juſta cauſa, de qua in dicta ſect. ſponſalia diſſoluta ſint. Si tamen matrimonium cum poſteriori contrahat, ſponſalibus prioribus legitimè non ſolutis, validum erit; quia hoc impedimentum ſolùm impedit, ne contrahatur. e San.h. d.6.n.9.

422 Quartum dicitur Catechiſmus. [f] Per quod intelligitur ille, qui tenet puerum in catechiſmo, id eſt, qui tenens puerum in Baptiſmo reſpondet pro illo ad interrogata Sacerdotis baptizantis, qui contrahit eamdem cognationem ſpiritualem, quam Patrini, imperfectam tamen, ac proinde ſolùm impedientem matrimonium, non autem dirimentem, ut dirimit cognatio Patrinorum. At ex probabiliori ſententia talis cognatio ablata eſt per Concilium Trident. [g] expreſsè ſtatuens cognationem ſpiritualem non contrahi, niſi inter perſonas ibi numeratas, inter quas non numerantur illi, qui tenent in catechiſmo, niſi illi ſint Patrini. Et certè hodie uſus videtur obtinere, ut ipſi Patrini ad interrogata reſpondeant pro puero. f Sanch. d.10. g Seſſ.24. c.2 de ref. matr.

423 Quintum dicitur Crimen, idque non unum, ſed multiplex, quo poſito ex canonum diſpoſitione non poteſt homo ducere uxorem ullam, etiam mortua propria uxore, ſi illam habeat, 1. eſt crimen inceſtus, [h] per quem intelligitur copula carnalis ſcienter habita à viro cum conſanguineis ſuæ uxoris uſque ad ſecundum gradum; vel ab uxore cum conſanguineis viri uſque ad eumdem gradum. Non incurritur hoc impedimentum per inceſtum cum propriis conſanguineis, neque etiam h Sanch. d.19.

Digitized by Google

etiam cum cognatis ſpiritualibus, aut legalibus. Qui ergo hoc impedimentum contrahunt, non poſſunt licitè, mortuo conjuge, cum alio, quicumque ſit, matrimonium contrahere; ſi tamen contrahant, matrimonium valet.

i San. l. d. 12. 424 Secundum [i] eſt raptus ſponſatæ. Per quem intelligitur raptus ſponſæ, vel uxoris alienæ, qui, ſubſecuta copula, impedit, ne raptor cum rapta poſt mortem viri, aut cum quacumque alia contrahere poſſit. Et ſimiliter ſponſa raptui aſſenſum præbens non poteſt raptori, aut alteri nubere, in pœnam commiſſi criminis. Quæ pœna non extenditur ad fœminam alieni ſponſi raptricem, quia jura ſolùm loquuntur de raptu ſponſæ alienæ.

l Sanc. d. 16. 425 Tertium eſt uxoricidium. [l] Per quod intelligitur occiſio propriæ uxoris non quidem facta animo contrahendi cum alia, quia per talem occiſionem dirimitur matrimonium, ut sect. ſequenti dicetur; ſed facta ex odio, ira, aut vindicta, ob commiſſum adulterium: licèt enim leges civiles nulla pœna plectant illum, qui uxorem in adulterio deprehenſam occidunt; Canones, quia talis mortaliter peccat, imponunt pœnam, ne ad alias nuptias tranſire poſſit.

m Sanc. d. 6. n. 8. 9. & 11. 426 Quartum eſt: [m] Cùm quis proprium filium ſuſcipit in Baptiſmo; vel confirmatione malo animo inſidiandi matrimonio, ut contrahens cognationem ſpiritualem cum uxore, illam privet debito conjugali. Qui enim eo animo filium ſuſcipit, juſtè punitur, ut ad alias nuptias tranſire non poſſit, ſi uxori ſuę ſupervivat. Quintum eſt mors presbyteralis. Per quam intelligitur occiſio ſacerdotis, privata authoritate, & injuſta. Qui enim occidit ſacerdotem, cujus eſt matrimonio intereſſe; juſtè punitur, ne matrimonium contrahere valeat. Quæ pœna non incurritur, niſi ab illo, qui in judicio criminis convictus fuerit. Sextum, quando quis matrimonium iniit cum moniali profeſſa, quam talem eſſe non ignorabat. Hic enim non ſolùm invalidè cum illa contraxit, ſed in pœnam criminis prohibetur à cujuſcumque alterius matrimonio.

n Sanc. d. 17. n. 8. 427 At hæc impedimenta, [n] exceptis tribus, nempe interdicto, voto, & ſponſalibus, communiter non obſervantur, ut Doctores advertunt dicentes per conſuetudinem fuiſſe abrogata [o]. Quare ſatis probabile eſt non peccare eos, qui cum illis matrimonium contrahunt, ſi illa tria excipiantur, cum quibus contrahere peccatum mortale eſt.

SECTIO III.

De Impedimentis matrimonium dirimentibus.

IMpedimenta dirimentia, ex jure antiquo, ſunt duodecim contenta in his verſibus: 428

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi fortè coire nequibis.

Quibus ex jure novo Conc. Trid. addita ſunt alia duo, nempe raptus, & abſentia Parochi, & duorum teſtium. Unde hodie ſunt quatuordecim impedimenta dirimentia, quorum aliqua varias ſpecies ſub ſe continent.

429 Primum igitur eſt [a] error, nempe perſonæ, quando una perſona ſupponitur pro alia, verbi cauſa, Lia pro Rachele, Eſau pro Jacob. Tunc enim matrimonium non valet, quia intentio non eſt contrahere cum tali perſona, ſed cum alia. Si tamen error ſit ſolius qualitatis perſonæ, matrimonium eſt validum, ut ſi putabas Rachelem, cum qua vis contrahere, eſſe virginem, pulchram, divitem, ſanam, &c. & talis non ſit. Niſi fortè conſenſum præbuiſti ſub aliqua ex illis conditionibus, qua deficiente, deficit conſenſus ſub ea elicitus. Quamvis in foro externo cogendus ſis ad matrimonium, ſi conditionem exterius non expreſſiſti. a Sanc. l. 7. d. 18.

430 Secundum eſt conditio, nempe ſervitutis, [b] cùm ſcilicet quis putabat contrahere cum libera, & erat ſerva; aut contrahere cum libero, & erat ſervus. Non valet enim tale matrimonium. Valebit tamen, ſi putabas eſſe ſervam, & erat libera, quia non eſt deterioris conditionis, quàm putabatur: valebit etiam, ſi ſervus per contractum matrimonium fiat liber ex domini conceſſione, aut ſi ſervitus brevi finienda ſit, quia parum pro nihilo reputatur. b Sanch. l. 19.

431 Tertium eſt votum, ſcilicet ſolem-

Digitized by Google

lemne [e] castitatis emissum in religione approbata, sive in sacris ordinibus, sive etiam simplex emissum in Societate Jesu, post biennium. Quæ omnia dirimunt matrimonium postea contractum, ut statuitur in Trident. [d] & in Bulla Gregorii XIII. quæ incipit, Ascendente domino, & constat ex communi praxi.

[e] Sanch. d. 26. & 28.

[d] Sess. 24. can 9.

432 Quartum est cognatio, quæ triplex est. Prima est carnalis, & dicitur consanguinitas. [e] Estque conjunctio multorum ex uno capite, seu stipite descendentium. Et hæc dirimit usque ad quartum gradum inclusivè; licèt in linea recta probabile sit impedire in infinitum, vel saltem ad longam distantiam. In linea recta pater est in primo gradu cum filio, in secundo cum nepote, in tertio cum pronepote, in quarto cum triponepote, &c. In linea collaterali duo fratres sunt in primo gradu, filii fratrum in secundo, nepotes fratrum in tertio, pronepotes fratrum in quarto. Quando distantia est inæqualis respectu communis stipitis, gradus remotior trahit ad se propinquiorem; unde filius fratris est cum suo patruo, seu cum fratre sui patris in secundo gradu, & dicitur secundus cum primo, & sic de cæteris. Eadem autem est ratio de maribus, & fœminis, seu de descendentibus per marem, ac per fœminam.

[e] Sanch. d. .. & trib. seq.

433 Secunda [f] est spiritualis, contrahiturque in Sacramento Baptismi, & confirmationis, ut diximus agendo de his Sacramentis. Primò inter baptizantem, & baptizatum, secundò inter susceptores baptizati cum ipso baptizato, & dicitur paternitas, tertiò inter baptizantem, seu susceptores cum patre, & matre baptizati, & dicitur compaternitas. Inter solas has personas est hoc impedimentum, post Conc. Trid. [g] Adverte tamen, licèt quis in casu necessitatis baptizet infantem, contrahere cum matre hoc impedimentum.

[f] Sanc. d. 14.

[g] Sess. 24. c. 2. de ref. matr. Sanch. l. 7. d. 62. n. 10. & 11.

433 Tertia est legalis, [h] quæ oritur ex perfecta adoptione, qua quis extraneum adoptat in filium, vel filiam, nepotem, aut neptem. Est autem impedimentum inde ortum primò inter adoptantem, & adoptatum; secundò inter adoptantem, & filios adoptati usque ad quartum gradum; tertiò inter adoptatum, & filios adoptantis tam legitimos, quàm naturales, dum sunt sub patria potestate. Unde mortuo adoptante, aut filiis emancipatis, solvitur hæc cognatio, & tollitur impedimentum inter adoptatum, & filios adoptantis; quartò inter adoptantem, & uxorem adoptati; quintò inter adoptatum, & uxorem adoptantis. Et hæ duæ sunt perpetuæ, sicut prima, & secunda, quantumvis adoptio solvatur, ita ut adoptans nunquam possit ducere uxorem adoptati, neque adoptatus uxorem adoptantis.

[h] Sanch. d. 63.

434 Quintum est Crimen, [i] quod quatuor modis contingit. 1. cùm adulter promittit adulteræ se eam ducturum in uxorem, mortuo ejus viro, si talis promissio acceptetur, sive ante, sive post commissum adulterium. Et idem est si adultera promittat adultero se illi nupturam, mortua ejus uxore, & ille acceptet. 2. cùm vir, & fœmina conveniunt ad occidendum conjugem eo animo, ut inter se contrahant, & de facto occidunt, nullo etiam præmisso adulterio. 3. cùm unus conjugum occidit alterum animo contrahendi matrimonium cum altero etiam nesciente, dummodo intercedat adulterium. 4. cùm aliquis post matrimonium ratum cum aliqua, contrahit cum alia, & consummat, sciente hoc secunda uxore: tunc enim mortua prima uxore non potest cum hac secunda contrahere. Et idem est de muliere, si contrahat cum alio viro, post primum matrimonium ratum.

[i] Sanch. d. 78. & seq.

435 Sextum est cultus [l] disparitas. Quando fidelis baptizatus sive Catholicus, sive hæreticus contrahit cum fœmina non baptizata, & vice versa, estò persona non baptizata sit catechumena, & fidelis; horum enim matrimonia non valent. Aliter dicendum de matrimonio Catholici cum hæretica, quod licèt prohibeatur, non tamen irritatur. Unde, per se loquendo, peccabunt mortaliter Catholici contrahendo matrimonium cum hæreticis, quia in re violant præceptum Ecclesiæ, quæ justissimè talia matrimonia vetat, tum ne Catholicus subvertatur, tum ne proles in hæresi educetur. Si infidelitas contingat post matrimonium contractum, hoc non dissolvitur. Si conjuges infideles convertantur ad fidem, remanent in suo matrimonio, si illud contractum fuit absque aliquo impedimento contra jus naturæ, licèt contra-

[l] Sanch. d. 71. & quinque sequent.

Digitized by Google

tractum fuerit cum impedimento juris Canonici. Si alter conjugum convertatur ad fidem, manente altero in infidelitate; si secundus consentit habitare cum primo, sine injuria creatoris, remanet matrimonium; sin minus dissolvitur, & conjux fidelis potest iterum nubere cum fideli, quod maximè contingit, quando uxor infidelis non vult converti.

436 Septimum est vis, [m] seu coactio. Cùm alter conjugum per violentiam, aut metum cadentem in virum constantem contraxit, etiam si interius habuerit consensum. Est enim tale matrimonium irritum. Nam licèt metus non cogat voluntatem, & quod ex metu volumus, liberè velimus; cùm tamen matrimonium sit res maximi momenti, in quo multa sunt onera, meritò Ecclesia ad ipsius valorem omnimodam exigit libertatem. Debet autem metus esse incussus ab extrinseco. Unde qui metu mortis contrahit cum concubina, validè contrahit, quia est metus ab intrinseco per modum naturæ. Debet esse incussus ad finem contrahendi matrimonium. Unde qui damnatus ad mortem, ut illam vitet, duxit aliquam in uxorem, quia Princeps illum aliter non liberat, validè contrahit; quia metus non incutitur ad illum finem. Debet similiter esse incussus injustè. Unde si quis minetur mortem privata authoritate inferendam inventa cum filia, vel sorore, nisi eam accipiat in uxorem, matrimonium inde secutum est nullum. Secus esset, si solùm minaretur accusaturum apud judicem, & ille contraheret; quia non esset metus injustè incussus, sicut prior. Valebit autem matrimonium, si ille, qui per metum contraxit, postea consentiat copulæ affectu maritali, vel si, cessante metu, liberè consentiat.

[m] Sanc. l. 4. d. 12. & seq.

438 Octavum est ordo, nempe sacer [n] etiam solius subdiaconatus. Talis enim ordo irritat matrimonium postea contrahendum. Quod etiam procedit de Græcis, apud quos semper matrimonium post sacrum ordinem contractum, irritum fuit. In eo verò differunt à Latinis, quòd Græci, si post matrimonium ordinem sacrum suscipiant, possunt licitè matrimonio uti, extra tempus, quo altari deserviunt. Latini verò, si post matrimonium validè contractum, ad ordines sacros ascendant, ab usu matrimonii perpetuò abstinere debent.

[n] Sanc. l. 7. d. 32.

439 Nonum est ligamen, [o] quod consurgit ex matrimonio legitimè contractu, etiam si solùm sit ratum, & nondum consummatum. Qui enim cum una validè contraxit, non potest, illa vivente, aliam ducere, & si id tentet, nullum erit tale matrimonium. Unde ob nullam mariti absentiam, estò de illius morte dubitetur, potest uxor alteri nubere. Si verò nubat, quia vir mortuus credebatur; & postea certò constet primum virum vivere, tenetur abstinere à consortio secundi, ita ut neque petere, neque reddere ei debitum liceat, quamvis per sententiam judicis ad id compellatur. Si verò probabiliter dubitet eum vivere, debitum petere non potest, etiam si post adhibitam diligentiam dubia maneat; tenetur tamen illud reddere, nisi petens in simili dubio versetur. Si verò virum vivere suspicetur sine ullo probabili fundamento, debet suspicionem deponere, & cum secundo vivere tamquam cum vero conjuge, quoad petitionem, & redditionem. Si autem primus aliquando compareat, debet illi adhærere, relicto secundo. Et idem de viro aliam ducente, vivente prima uxore.

[o] Sanc. d. 80.

440 Decimum est honestas, [p] appellaturque impedimentum publicæ honestatis, & consurgit ex sponsalibus validis. Unde sponsus, sive adhuc vivente, sive mortua sponsa, non potest contrahere cum consanguinea sponsæ in primo gradu; neque sponsa cum consanguineo sponsi in eodẽ gradu. Ad hoc impedimentum reduci potest, quod consurgit ex matrimonio rato non consummato, cum hac differentia, quòd hoc, mortua etiam sponsa, vel sponso, impedit matrimonium cum consanguineis ipsorum usque ad quartum gradum [q] inclusivè. Dixi: *Quando sponsalia valida fuerint*. Quia si sponsalia ex quacumque causa invalida fuerunt, non oritur hoc impedimentum. Si autem fuerint valida, dissoluta tamen sunt de consensu utriusque partis, etiam censentur invalida quoad hunc effectum, ex declaratione Cardinalium; quam probant plures & graves Doctores. Inter quos est P. Saa verbo Matrimonium de impedimentis diri-

[p] Sanch. d. 68. & duabus seq.

[q] Trid. Sess. 24. c. 3. de ref. matr.

Digitized by Google

mentibus n. 46. Rebel. q. 14. de impedimento publicæ honestatis, nu. 8. Basil. Pontius lib. 7. de matrim. cap. 36. num. 9. P. Hurtad. item de matrim. disput. 21. difficult. 1. nu. 5. P. Præposit. q. 7. dub. 14. n. 122. Castro Palaus tom. 5. dis. 10. P. Amicus tom. 9. disp. 23. nu. 25. Dian. p. 3. tract. 4. resolut. 222. Barb. de potestate Episcopi, allegat. 51. n. 188. Guterres & alii apud ipsum, qui omnes docent contra Sanch. lib. 7. disp. 68. n. 21. quando sponsalia legitimè contracta inter duas personas dissolvuntur ex mutuo utriusque consensu, non resultare hoc impedimentum, quia talia sponsalia fuerunt, ac si non fuissent. Et ita, me consulente, judicatum fuit in curia ecclesiastica Eborensi. Unde qui sponsalia contraxerat cum Berta, à quibus uterque resilierat, matrimonium contraxit cum Sempronia sorore Bertæ, absque omni dispensatione.

r Sanc. d. 64. & trib. seq.

441 Undecimum est affinitas, [r] quæ est quædam cognatio plurium inter se orta ex copula carnali sive licita, sive illicita, dummodo sit perfecta, & naturalis inter virum, & fœminam, & habet gradus, sicut consanguinitas. Unde vir per matrimonium consummatum contrahit affinitatem cum omnibus consanguineis suæ uxoris usque ad quartum gradum, & nullam ex illis ducere potest, mortua sua uxore: nullam autem affinitatem contrahit cum affinibus suæ uxoris. Similiter uxor contrahit affinitatem cum omnibus consanguineis sui viri usque ad quartum gradum, non tamen cum affinibus ejusdem viri. Quando affinitas oritur ex copula illicita, non extenditur hoc impedimentum ultra secundum [s] gradum affinitatis. Quare qui habuit copulam illicitam cum aliqua, non potest ducere aliquam ejus consanguineam intra secundum gradum. Cùm hæc affinitas sequitur post contractum matrimonium, impedit solùm petitionem debiti respectu illius, qui peccavit. Porrò in eo gradu, in quo alter conjugum est cum suis consanguineis, in eodem affinitatis est alter cum eisdem consanguineis.

t Sanch. d. 92. à seq.

442 Duodecimum est impotentia. [t] Nimirum si persona antecedenter ad matrimonium non sit apta ad generandum, non quidem propter sterilitatem, sed ex carentia, & improportione instrumentorum ad copulam: sive hæc carentia sit à natura, sive ab arte, sive à morbo, dummodo sit perpetua, & non possit per artem tolli vel simpliciter, vel saltem sine periculo vitæ, aut sine peccato. Quando autem est dubia, solet per Canones expectari triennium ad talem impotentiam probandam. Potest autem contingere quòd impotentia aliquando sit respectu unius, & non respectu alterius personæ, & tunc poterit esse matrimonium cum illa, aut illo, in ordine ad quem non est impotentia, non tamen in ordine ad illum, ad quem est impotentia. Dixi: *Antecedenter ad matrimonium.* Quia si impotentia superveniat matrimonio, illud non dirimit, estò ratum tantùm sit. In dubio autem an præcesserit, judicandum est præcessisse, si provenit ab intrinseco; secutam verò esse, si ex maleficio, aliave causa extrinseca oritur; quia quod à natura inest, semper esse præsumitur, non autem quod advenit ab extrinseco, nisi oppositum probetur.

443 Decimumtertium est raptus fœminæ, qui præter alias pœnas à Trident. [u] impositas, dirimit matrimonium [x] contractum cum illa, quamdiu ipsa manet in potestate raptoris; secus si eam ducat, quando est ab ipso separata, & in loco tuto, ac libero constituta. Debet autem raptor fœminam rapere eo animo, ut cum illa matrimonium contrahat. Unde si rapuit fornicationis causa solius, & postea mutuo consensu contrahant, valet matrimonium, & raptor ex probabiliori sententia pœnas non incurrit. 2. debet fœmina rapi nolens, & retinens; quia ubi non est violentia, raptus locum non habet. Unde si volens, & raptui consentiens è domo extrahatur, valet matrimonium. Si tamen fœmina consentiat, & parentes, aut ii, sub quorum est potestate, dissentiant, non valet matrimonium, quia etiam tunc raptus locum habet, eò quòd infertur vis potestati, quam parentes habent in filiam. Duo adhuc nota, primum non valere matrimonium contractum cum rapta ab illo, qui licèt per se physicè non rapuerit; mandavit tamen, ut raperetur, quia mandans verus raptor dicendus est. Secundum est dicta procedere de qualibet fœmina rapta,

u Sess. 24. c. 6. de ref. matr.

x Sanc. d. 13.

Digitized by Google

ta, sive virgo, sive vidua, sive aliàs corrupta. Excepta sola sponsa de futuro, quæ volens è domo parentum à proprio sponso abducitur sponte; quia talis raptus jure communi, quod Trident. non correxit, à dictis pœnis liberatur, dummodo fiat animo contrahendi matrimonium, ad quod sponsus jus acquisivit.

z Sanc. l. 3. d. 2 & 4. 444 Decimumquartum est absentia z. Parochi, & duorum saltem testium. Non valet enim matrimonium, nisi contrahatur coram Parocho, aut alio sacerdote de ejus licentia, & duobus testibus. Quod Ecclesia potuit statuere, non quia possit mutare essentialia Sacramentorum; sed quia cùm hoc Sacramentum consistat in quodam contractu humano, possit autem Ecclesia à suis subditis aliquas conditiones exigere ad valorem hujus, aut illius contractus, voluit ad valorem matrimonii præsentiam Parochi, & testium, quibus absentibus nec perficeretur, nec valeret, ut re vera non valet.

a Sanch. d. 19. & seq. 445 Circa Parochum autem [a] nota 1. debere esse proprium sive sponsi, sive sponsæ, non enim utriusque Parochi præsentia requiritur. Nota 2. Parochum non sacerdotem posse assistere; si autem aliquis de ejus licentia assistat, debere esse sacerdotem, ut sumitur ex [b] Trident. non tamen opus esse, quòd sit approbatus ab Episcopo. Et potest assistere sive in propria Parochia, sive in aliena, sive in quocumque alio loco. 3. debere assistere non solùm corporaliter, sed etiam moraliter, seu cum advertentia, & usu rationis, ut possit testari matrimonium contractum fuisse. Nota 4. satis esse ad valorem matrimonii, si Parochus vi detineatur, aut per dolum adducatur ad locum, in quo matrimonium celebratur, aut casu ibi reperiatur, dummodo advertat quæ aguntur, quamvis graviter peccent, qui ita contrahunt.

b sess. 24. c. 1. de ref. matr.

c Sanc. d. 41. 446 Circa testes [c] etiam adverte debere interesse modo humano, & morali, ut de Parocho dictum est. Unde infantes, stulti, ebrii, & similes non satis sunt ad valorem matrimonii: debent etiam simul assistere cum Parocho. Non tamen requiritur, ut sint testes omni exceptione majores, idest, tales, ut nullum habeant vitium ex iis, propter quæ à jure repelli solent à testimonio ferendo, & quibus in foro externo fides non adhibetur. Unde excommunicati, infames, parentes, mulieres, servi, pueri ratione utentes assistere validè possunt.

SECTIO IV.

De dispensatione in impedimentis matrimonii.

Pontifex [a] potest dispensare in omnibus impedimentis matrimonii tam impedientibus, quàm dirimentibus, exceptis iis, quæ sunt de jure naturæ. Prob. quia quæ non sunt de jure naturæ, sunt introducta per jus Canonicum: sed Pontifex est supra omne jus Canonicum: ergo potest dispensare in omnibus impedimentis provenientibus ex solo jure Canonico. 447

a Sanch. l. 8. d. 6.

448 Notandum 1. Ut Pontifex validè dispenset in prædictis impedimentis, nullam causam rationabilem [b] opus esse. Prob. quia qui legem posuit, aut ejus successor æqualis in potestate validè legem latam pro mera sua voluntate tollere potest, aut quoslibet ab ejus obligatione eximere; sed Pontifex est successor eorum, qui hæc impedimenta induxerunt, & æqualis in potestate cum illis: ergo &c.

b Sanch. d. 17.

449 Notandum 2. ut Pontifex licitè dispenset, opus esse causam rationabilem. [c] Prob. quia justitia distributiva postulat, ut onera æqualiter distribuantur inter partes ejusdem Reipub. in cujus commodum potestas à Deo concessa est, nisi justa de causa aliquis eximi debeat: ergo Pontifex peccabit, si absque tali causa aliquem, vel aliquos eximat, cum ipsis dispensando in impedimentis communibus omnibus fidelibus.

c Sanch. d. 18.

450 Notandum 3. illos, quibus Pontifex committit authoritatem dispensandi in præfatis impedimentis, non solùm illicitè, sed etiam invalidè dispensare, si causa justa [d] non detur. Prob. quia sicut Pontifex non potest licitè dispensare sine causa, ita non potest sine eadem licitè committere potestatem dispensandi: ergo nisi aliud apertè constet, semper credendum est illam non concedere, si rationabilis causa non existat. Et ideo semper dicit: Si

d Sanc. d. 19.

Digitized by Google

Si preces veritate nitantur. Hoc est: Si causa, quæ allegatur, est vera. Igitur ille, cui hæc potestas fuerit demandata, invalidè dispensabit sine causa.

451 Notandum etiam 4. duo esse principia receptissima juris. [e] Primum est dispensationem esse subreptitiam, & nullam, quando in petitione tacetur causa, ex qua dispensatio impeditur. Secundum est, esse etiam nullam, si falsò exprimatur causa, ex qua conceditur. Prob. quia talis dispensatio non est voluntaria, neque enim intendit Pontifex, stante tali errore, vel ignorantia, dispensationem concedere: nam in quolibet rescripto intelligitur hæc conditio: *Si preces veritate nitantur*. Sed preces à veritate alienæ sunt vel per suppressionem veritatis, vel per expressionem falsitatis: ergo &c. Tunc autem occultatio veri, vel expressio falsi vitiant rescriptum dispensationis, quando tacetur veritas, quam jura exprimi jubent, vel exprimitur falsitas, quæ ex jure taceri debet. Hæc autem prosequi nostri instituti non est. Videatur Sanch. lib. 8. à disp. 21. Soar. lib. 6. de leg. à cap. 21.

[e Sanch. d. 21. & seq.]

452 Episcopus [f] potest dispensare in impedimentis impedientibus tantùm, nimirum in impedimento interdicti, & voti in casibus, in quibus votum non est reservatum, juxta ea, quæ diximus lib. præcedenti cap. 4. sect. 5. §. 3. de voti relaxatione, & in impedimento criminis in casu, quo hæc impedimenta criminis sint in usu. Non potest tamen ordinariè dispensare in impedimentis dirimentibus. Prob. quia inferior non potest ordinariè dispensare in lege superioris, quando superior id non concedit: sed impedimenta dirimentia sunt inducta per leges Pontificum, vel Conciliorum generalium, in quibus Episcopus est inferior, nec ipsi committitur ordinariè potestas dispensandi in illis, ut patet ex praxi, & usu Ecclesiæ: ergo &c.

[f Sanch. 6. c. 9. & seq.]

453 Dixi: *Ordinariè*, quia in casu magnæ necessitatis concedunt communiter DD. posse Episcopum [g] dispensare in impedimentis dirimentibus, pro foro interno. Quando nimirum impedimentum fuit occultum, & matrimonium publicum, bonaque fide contractum, & conjuges sine gravi scandalo separari nequeunt, nec datur facilis aditus ad Pontificem. Prob. quia non est credibile, quòd Pontifex in tali casu sibi reservaverit potestatem dispensandi, foret enim id in fidelium ruinam, & scandalum. Dicunt autem debere esse bona fide contractum, quia si mala fide matrimonium contractum fuit, quia contrahentes sciebant de suo impedimento, Episcopus dispensare nequit, ut satis constat ex [h] Trident. Poterit autem, si bona fides fuit in altero conjugum; quia æquum non est, ut innocens puniatur ob peccatum alterius.

[g Sanch. l. 2. d. 40.]

[h Sess. 24. c. 5. de ref.]

454 Imò addo cum Sanc. [i] quem posteriores scriptores communiter sequuntur, posse aliquando Episcopum dispensare antequam matrimonium contrahatur, quando urgentissima necessitas id postulaverit. Ut si mulier accedat ad confessorem, & in confessione inveniatur habens impedimentum dirimens, cujus detectio magnam infamiam produceret, & sunt omnia jam parata ad nuptias celebrandas, & tentatis omnibus mediis, nulla evadendi via reperitur, sed orietur suspicio vehemens alicujus criminis in confessione detecti, si fœmina à nuptiis abstinere velit, aut illas differre, dum Pontificia dispensatio occulta obtinetur. Prob. quia impedimentum est juris humani; sed in hoc jure potest Episcopus dispensare in magna necessitate; ergo. Plures rationes vide apud Sanch.

[i Sanch. proximè n. 7.]

SECTIO V.

De denuntiationibus præmittendis ante matrimonium.

Ut matrimonium validè, & licitè celebretur sine aliquo ex prædictis impedimentis, institutæ sunt ab Ecclesia quædam denuntiationes præambulæ, in quibus populo publicè denuntiatur aliquos velle matrimonium contrahere, ut si quis noverit aliquod impedimentum inter illos, illud revelet Ecclesiæ, ut matrimonium impediatur tanquam illicitè, aut illegitimè contrahendum. Hæ denuntiationes antiquæ jam erant in Ecclesia, de novo tamen præceptæ sunt in Trident. [a] Et licèt non sint de essentia matrimonii, illas tamen sub mortali [b] Parochus, & contrahentes præmittere tenentur ante celebrationem matrimonii, nisi ordinarius ex justa causa dispenset. Prob. 455

[a Sess. 24. c. 1. de ref. matr.]

[b Sanch. l. 3. c. 5.]

quia

quia esset violare præceptum Ecclesiæ in materia gravi, unde multa mala sequi possunt. Non esset tamen mortale si una ex tribus omitteretur, quando moraliter certum esset, nullum subesse impedimentum, quia esset materia levis.

456 Porrò istæ denuntiationes ex Trident. debent esse tres [c] factæ tribus diebus distinctis, iisque festis, quando populus ad Ecclesiam confluit, ut sic deveniant ad notitiam plurium. Sive sint [d] festi ex præcepto, sive ex consuetudine, sive etiam ex devotione, estò festum duret solùm ad meridiem; quia dum Concilium non distinguit, nec nos distinguere debemus, maximè quia in omnibus prædictis salvatur mens Concilii, quæ est ut denuntiationes fiant tempore, quo audiantur à populo, & his diebus populus potest audire, quia ad Ecclesiam confluit.

c Sanc d 6.

d Possev. c. 10. n. 11.

457 Isti dies festi ex Concilio debent esse continui, ita ut inter unum festum, & aliud nullum festum intermediet; adeo, ut aliqui putent esse mortale, si fiant in festis interpolatis, quod rigidum videtur, ut notat Sanc. [e] quia non apparet materia gravis. Unde ipse temperat fore mortale, quando magnum esset spatium inter unam, & alteram denuntiationem, quia sic Parochiani illarum obliviscentur. Imò notat idem Sanch. tres illos dies festos continuos, quos postulat Concilium, non debere se immediatè contingere, quin aliquorum dierum intervallum intercedat, ut tamquam juri consonum decrevere plura concilia provincialia, quæ refert, & ratio suadet. Quia finis intentus detegendi impedimenta commodè obtineri non potest ob temporis brevitatem, nisi longiori termino præfixo. Unde ait continuitatem, quam Trident. postulat, ex ipsius fine colligi illam esse, quæ non excludat dierum ferialium, sed aliorum festorum mediationem, ita ut inter unam, & aliam denuntiationem factam diebus festis, per dierum tamen ferialium intervallum, non medient alia festa. Quia si fierent denuntiationes ita immediatæ, ut nullus ferialis dies intercederet, verbi causa, in tribus octavis Natalis, aut Paschæ, vel similibus diebus, non suppeteret tempus ad cogitanda, & opponenda impedimenta, si quæ forent.

e Sanch. proximè n. 8.

458 Debent deinde fieri in [f] Ecclesia, inter Missarum solemnia. Satis tamen esset, si fierent extra Missam, imò & extra Ecclesiam in locis competentibus, ut in prædicationibus, ad quas confluit magnus populus, ut docet cum aliis Sanch. Quia finis Concilii; dum petit, ut fiant in Ecclesia, & inter Missarum solemnia, est, ut ad multorum notitiam matrimonium celebrandum deveniat, quo faciliùs impedimenta detegantur: cùm ergo huic fini sufficientissimè satisfiat modo prædicto, id satis erit. Neque obstaret, quòd extra Missam, aut Ecclesiam fierent, quia si matrimonium ipsum potest celebrari extra Ecclesiam, cur non denuntiationes? Et ex eodem principio ait Sanch. posse fieri in die non festo, si ex aliqua causa esset magnus concursus ad Ecclesiam; quia abundè satisfit fini Concilii. Parochus tamen observet consuetudinem.

f Sanch. n. 9. & 10.

459 Debent præterea, attento jure Trident. [g] fieri in Parochia utriusque contrahentis. Cùm enim dicat faciendas à proprio contrahentium Parocho, utriusque Parochus eas facere debet. Quia, cùm fiant, ut scientes impedimenta, detegant, & in aliena Parochia sciri non possit, an impedimentis laboret alienus incola, necessario in utraque faciendæ sunt, ut habet praxis, eritque mortale eas in aliqua duarum omittere. Debent autem fieri in Parochiis, ubi diutius versati sunt, & principalius habent domicilium, & verisimiliùs est fore, ut impedimenta sciantur, ad hoc enim fiunt, ut impedimenta, si quæ sint, detegantur: at qui brevem moram habet in aliqua Parochia, ibi ignotus est, ejusque impedimenta ignorantur: ergo non opus est, quòd in hac fiant denuntiationes, sed in aliis, in quibus fuit habitatio diuturna. Debent tandem fieri à proprio Parocho contrahentium, vel ab alio de ejus licentia. Si enim alius de licentia Parochi potest assistere matrimonio, cur de eadem non poterit facere denuntiationes, quod est minus?

g Sanc. n. 6.

460 Si tamen alter [h] contrahentium de novo factus est habitator hujus Parochiæ, fieri debent denuntiationes tam in hac, quàm in priori Parochia; maximè si jam hic est per tempus considerabile alicujus anni, aut partem considerabilem illius. Si verò quando

h Possev. c. 10. n. 8.

aliquis factus est habitator hujus Parochiæ, puer erat, non opus est illas facere in Parochia, ex qua venit, quia antea non potuit contraxisse per impotentiam ætatis, nec etiam sponsalia, maximè si erat septennio minor. Quando impedimentum inter contrahentes est clarum, possunt fieri ante, & post obtentam dispensationem, sed congruentius est fieri post dispensationem.

461 Si facta una, vel altera denuntiatione, detegatur impedimentum, potest Parochus non [i] progredi; & si postea difficultas superetur, poterit alias facere; quia licèt Concilium præcipiat, ut sint continuæ, id est, ne fraus in eis faciendis adhibeatur: at in hoc casu cessat omnis ratio fraudis, quia non fuerunt continuæ, ob impedimentum oppositum, quod subsistere coegit; non ob aliorum malitiam. Certè Rituale Pauli V. habet, si quid obstet, Parochus non procedat: ergo debet subsistere, & postea, superata difficultate, procedere ad alias denuntiationes, quæ desunt, faciendas.

[i] Possev. n. 6.

462 Ex vi denuntiationum [l] tenetur, qui impedimentum novit, illud manifestare, estò occultum sit, & probari non possit. Prob. quia in aliis ideo non tenetur quispiam denuntiare, quod probare nequit; quia ejus testimonium non sufficit, ut illi malo consulatur: sed in præsenti materia id non habet locum, cùm ad impediendum matrimonium sufficiat unus, etiam si sit denuntiator, ut latè probat Sanch. lib. 1. d. 71. ergo tenetur denuntiare maximè quia hæc denuntiatio non tendit ad probationem criminis fortè admissi, sed ad vitandum, ne admittatur; ergo quamvis probare nequeat, nec suum testimonium sufficeret ad impediendum, denuntiare tenetur, quia aperiet saltem viam, ut prælatus diligenter inquirat de impedimento, & curet contrahentes & monitionibus, & consiliis retrahere à prædicto matrimonio.

[l] Sanch. d. 23. n. 2.

463 Id [m] observandum. Si impedimentum ortum habeat ex peccato occulto, non esse statim denuntiandum, sed præmittendam admonitionem fraternam, ut desistatur à matrimonio, quòd si monitis non acquiescat, denuntiandum est. Quod est intelligendum juxta regulas correctionis fraternæ, de quibus lib. præcedenti cap. 3. sect. 4. quando nempe est probabilis spes fore, ut correctio prosit. Similiter qui magnum scandalum, vel sibi grave damnum ex denuntiatione probabiliter timet, estò probare posset, & mandatum denuntiandi sub censura latum sit, non tenetur denuntiare. Item qui impedimentum audivit, nec meminit à quo, vel audivit à persona nihil certò sciente, vel à persona, quæ fide digna non sit: nec tenetur denuntiare, qui novit contrahentes impetrasse dispensationem occultam pro foro conscientiæ; quia validè, & licitè contrahunt.

[m] Sanch. n. 3. 7. & 8.

464 Tenetur [n] verò denuntiare qui impedimentum novit, estò ei sub secreto naturali commissum fuerit, extra confessionem sacramentalem. Prob. quia hìc non agitur de punitione, aut damno alicujus, sed de peccato vitando, & eripiendo denuntiatum à morte spirituali sibi imminenti: cùm verò ita animæ omnibus rebus præferenda sit; vincit hæc lex tamquam fortior legem de servando naturali secreto, & fama proximi. Accedit, quia secretò commissa sunt manifestanda, cùm vergunt in damnum publicum, aut tertii: sed hoc secretum tendit in præjudicium alterius contrahentis, aut utriusque, si uterque mala fide contrahat, quia uterque manebit in concubinatu, imò & prolis, quæ non erit legitima, si impedimentum sit dirimens; si verò sit impediens, in irreverentiam Sacramenti, & damnationem contrahentis, & sæpè in damnum tertii, cui fides frangitur, si impedimentum sit priorum sponsalium: ergo.

[n] Sanch. n. 6.

465 Potest autem Episcopus [o] dispensare in denuntiationibus ante, & post contractum matrimonium ex Trident. suprà. Unde à fortiori poterit breviare tempus illarum, aut illud prolongare, & concedere, ut fiant diebus ferialibus: quia hæc minora sunt, quàm in illis omninò dispensare. Et hoc potest Episcopus alterius contrahentis. Quia sicut potest ratione connexionis utrumque matrimonio jungere; ita eo ipso, quòd cum suo subdito dispensat in denuntiationibus, cum alio dispensare censetur: opus tamen est causa rationabili, ad concedendam hanc dispensationem, quia Concilium id non permittit voluntati Episcopi, sed judicio, & prudentiæ, quæ verba arbitrium

[o] Sanch. d. 7. 8. & 9.

trium

trium prudentiale, & regulatum significant, ac proinde causam. Non tamen est necessaria judicialis cognitio causæ; sed satis est, si Episcopus extrajudicialiter informetur, certiorque fiat de causa justa. Multæ autem esse possunt, de quibus latè Sanch. sufficit quævis, quæ arbitrio Episcopi justa appareat.

p Sanch. d. 11.

466 Si autem [p] matrimonium celebretur sine denuntiationibus, ex legitima dispensatione Episcopi, aut sine illa in casibus, in quibus id licere potest, juxta mox dicenda, ante consummationem debent præmitti, ut si aliqua sint impedimenta, facilius detegantur, nisi Episcopus expedire judicaverit prædictas denuntiationes omninò omitti. Unde si illas non omittat, mortale erit ante illas matrimonium consummare.

467 Aliqui negant posse Vicarium generalem dispensare in denuntiationibus sine speciali commissione Episcopi. Affirmat verò Sanch. [q] cum aliis. Quia nomine ordinarii, cui hæc potestas committitur in Trid. venit Vicarius generalis, ubi specialiter non excluditur. Quod intellige, nisi Episcopus id sibi specialiter reservaverit. Certum est non posse Vicarios foraneos.

q Disp. 7. n. 10.

468 De Parocho [r] potest esse aliquale dubium, an dispensare possit, quando timetur malitiosum impedimentum ad matrimonium impediendum? in quo casu videtur Concilium hanc potestatem concedere. Non posse tamen probat Sanch. quia Conc. Trid. id ordinario remittit, cujus nomine Parochus non comprehenditur. Quando tamen est periculum in mora, quia urget gravis necessitas, & Episcopus, aut Vicarius adiri non potest, ut si quis sit in articulo mortis, & ut benè moriatur, vult contrahere cum concubina, potest Parochus sine denuntiationibus assistere matrimonio, quia necessitas non habet legem. Postea tamen si vivat, debent denuntiationes fieri, ut suprà dictum est. Neque peccabit assistens matrimonio denuntiationibus non præmissis, ex metu mortis sibi comminatæ; quia præcepta Ecclesiæ non obligant cum tanto periculo.

r Sanc. d. 10

SECTIO VI.

De natura, & essentia matrimonii.

Matrimonium [a] est contractus quidam humanus, & Sacramentum novæ legis. Ut est contractus sic 469
definiri potest: *Est conjunctio maritalis legitima viri, & fœmina inter legitimas personas individuam vitæ consuetudinem retinens*. Ut est Sacramentum definitur: *Sacramentum consistens in conjunctione legitima maritali viri, & fœmina &c.* Esse autem inter Christianos Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum est de fide definitum in [b] Trid. Unde ante Christum Sacramentum non fuit.

a Sanc. l. 1. d. 1.

b Sess. 7. can. 1. & sess. 24. can. 1. Sanch. d. 10.

470 Porrò inter Christianos ex communiori sententia contrahi non potest, quin sit Sacramentum. Docent enim Theologi rationem contractus, & Sacramenti intimè conjungi in matrimonio novæ legis, ut impossibile sit baptizatos validè contrahere in ratione contractus, quin simul illud contrahant in ratione Sacramenti. Ratio sumitur ex Conciliis, quæ cùm definiant matrimonium fidelium verum esse Sacramentum, eaque definitio sit generalis, de omni matrimonio validè contracto inter baptizatos intelligi debet. Unde sequitur illud etiam, quod contrahitur per procuratorem, verum Sacramentum esse. [c] Dixi: *Inter Christianos*. Quia si ex dispensatione Pontificis baptizatus contraheret cum non baptizato, [d] Sacramentum non esset. Prob. quia in utroque conjuge est unum numero Sacramentum, quod ex utriusque consensu perficitur tanquam ex materia & forma, ut paulò post dicetur; ergo si eorum alter est incapax Sacramenti, ut revera est persona non baptizata, matrimonium in illa non erit Sacramentum, nec consequenter in alia. Neque obstat illud Apostoli: [e] *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem*. Quia sensus non est de sanctificatione per Sacramentum, sed quòd infidelis simul degens cum fideli, illius exemplo, conversatione, & precibus paulatim potest ad sanctificationem per Baptismum disponi, ut legimus de multis.

c Sanch. c. 11. q. 4.

d Sanch. l. 8.

e 1. Cor. 7. 14.

471 Hinc

471 Hinc colligitur matrimonium ab infidelibus contractum non fieri Sacramentum, quando baptizantur. Prob. quia matrimonium, prout est Sacramentum, essentialiter est contractus initus inter duos baptizatos: sed in præsenti casu nullus de novò fit contractus; qui autem priùs factus fuit, utpote inter non baptizatos, Sacramentum non fuit: ergo &c. Dices posse postea ratificari. Sed contra, quia matrimonium est mutua traditio corporum; hæc autem non fit per ratificationem, sed facta supponitur, & de novò placet; ergo. Licèt f Sanch. oppositum doceat non sine probabilitate.

f Disp. 9.

472 Consensus mutuus utriusque contrahentis verbis, aliisve signis expressus habet rationem materiæ, & formæ in hoc Sacramento. Hoc est: g Consensus mutuus habet rationem materiæ, quatenus mutuam traditionem complectitur; rationem verò formæ, quatenus mutuam acceptationem continet. Prob. quia traditio est quid incompletum, & indeterminatum, donec perficiatur per acceptationem: ergo illa materiæ, hæc formæ rationem obtinet, maximè quia nihil est in matrimonio, cui commodius ratio materiæ, & formæ competere possit: nam verba sacerdotis non habent rationem formæ, cùm sine sacerdote matrimonium valuerit ante Trident. & hodie valeat ubi Trident. receptum non est; & ubi receptum est, valere potest, quamvis sacerdos nihil loquatur, cùm tamen Sacramentum stare non possit sine sua materia, & forma, ut patet ex cap. 1.

g Sanc. d. 5.

473 Unde sequitur ipsos contrahentes esse ministros h hujus Sacramenti. Prob. quia hoc Sacramentum essentialiter est contractus: sed contractus nullus est minister, præter ipsos contrahentes, qui soli se mutuo obligant, & contractum efficiunt: ergo. Conf. quia Parochus non est minister; si enim talis esset, nunquam posset esse matrimonium sine Parocho, ut nullum Sacramentum esse potest sine suo ministro: at proximè dictum est potuisse olim, hodieque in multis locis posse validè celebrari matrimonium sine Parocho, aliove sacerdote; ergo hic minister non est. Neque obstat, quòd ex Trident. Parochus interrogatis contrahentibus, eorumque consensu audito, dicere debeat verba illa: *Ego vos in matrimonium conjungo*. Quia sensus non est. *Ego efficio conjunctionem inter vos*. Sed ego declaro, & approbo conjunctionem, quam facitis. Cùm enim soli conjuges contrahant, illi soli ad conjunctionem mutuam, ut illius causæ, concurrunt.

h Sanc. d. 5.

474 Matrimonium contractum sub conditione de futuro valere incipit adveniente conditione, non ante. Prob. quia, ut supponitur, contrahentes verè intendunt contrahere, si talis conditio ponatur: ergo ea posita, consensus transit in absolutum; si verò non apponatur, non intendunt contrahere; ergo in primo casu valet matrimonium, non in secundo. Quando autem valet, non requiritur novus consensus, dummodo prior in utraque parte habitualiter perseveret, & non sit retractatus.

i Sanch. l. 5. d. 6. & duab. seq.

475 An verò ad valorem prædicti matrimonii contracti sub conditione requiratur, ut constet Parocho conditionem esse adimpletam, licèt varii variè opinentur, dicendum videtur debere Parochum, & testes adesse impletioni conditionis. Prob. quia alioqui contrahentes possent negare conditionem fuisse impletam, ac proinde resilire in foro externo: unde sequerentur gravissima incommoda, ad quæ vitanda instituit Concilium, ut matrimonium iniretur coram Parocho, & testibus. Sanch. oppositum valde probabile tradit.

Sanc. d. 8. à n. & seq.

476 Utrùm autem prædictum matrimonium valeat statim, ac ponitur conditio, antequam ea contrahentibus innotescat? Negandum videtur. Quia ut matrimonium valeat, debent contrahentes sibi mutuo aliquo signo externo significare determinatè consensum suum: sed quando nondum sciunt conditionem appositam extare; signum, quod adhibuerunt, non magis significat consensum, quàm dissensum illorum, ut patet: ergo licèt à parte rei conditio sit impleta, quandiu contrahentes id ignorant, verba prædicta non magis ipsis significant assensum, quàm dissensum; & illi in quorum, præsentia fuerunt prolata, non magis intelligunt illos consentire, quàm dissentire; ac proinde quandiu ignorantia illa durat, verba prædicta efficacia non sunt ad matrimonium constituendum. Plura de consensu conditionato Sanch. lib. 5. quæ

Digitized by Google

5. quæ nostro instituto non serviunt; quia istæ conditiones regulariter apponi non solent in matrimonio de præsenti, sed in sponsalibus. Nec Parochus assistat matrimonio conditionato propter pericula, quæ ex eo evenire possunt.

477 Dixi in principio matrimonium debere esse inter legitimas personas. Id est non legitimè impeditas per aliquod impedimentum. Quia si inter illas sit aliquod dirimens, matrimonium erit nullum; si sit impediens tantùm; erit quidem validum, sed illicitum. Ubi nota, ad valorem matrimonii non requiri parentum consensum; quia defectus hujus consensus non est aliquod impedimentum dirimens, & alioqui omnia, quæ spectant ad essentiam matrimonii, adhiberi possunt, estò parentes non consentiant, nempe materia forma, ministri, præsentia Parochi, & testium. Quando verò filii peccent contrahendo, invitis parentibus, diximus lib. præcedenti cap. 7. sect. 1.

l Sanc. l. 2. d. 10.

478 Effectus [l] matrimonii, ut est Sacramentum, præter augmentum gratiæ sanctificantis, est donum gratiæ actualis ad perficiendum amorem conjugalem, & indissolubilem unitatem inter conjuges, ut habet [m] Trident. sub quo dono continentur varia dona gratiæ, tum ad reprimendam concupiscentiam, tum ad fidelem cohabitationem conjugum, & rectam prolis educationem, tum denique ad onera status toleranda.

m Seff. 24. in doctrina matr.

479 Præterea matrimonii legitimè consummati effectus est indissolubilitas. Quod ut intelligas adverte, matrimonium esse tantùm ratum, quale est illud, quod sine impedimento dirimente celebratum est coram Parocho, & testibus, copula carnali nondum secuta; vel esse consummatum per copulam completam in vase legitimo, saltem per seminationem viri. Et hoc dicimus dissolvi non posse, ut definitur in Trid. [o] Et prob. ex Euangelio: [p] *Quicumque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Et alibi: [q] *Omnis, qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et Apostolus: [r] *Quæ sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi: si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri; ut non sit adultera, si sit cum altero viro.* Quæ de matrimonio consummato procedunt.

o Seff. 24. 1. p. inc.
p Marc. 10. 11.
q Luc. 16. 18.
r Rom. 7. 2.

480 Est autem hoc intelligendum de matrimonio inter baptizatos. [s] Quia matrimonia infidelium consummata, estò dissolvi nequeant, quandiu uterque conjux permanet in infidelitate, & aut quando uterque ad fidem convertitur: si tamen alter eorum conversus baptizetur, & alter in infidelitate perseverans cum eo habitare nolit, aut non nisi cum injuria creatoris, potest fidelis cum alio nuptias contrahere, ut constat ex jure Canonico. [t] Cùm enim in eo casu fidelis vel prohibeatur, vel teneatur vitare consortium infidelis; & Christus aliunde non obliget ad perpetuam castitatem, congruum fuit, ut in favorem fidei, quæ conjugio præstat, possit fidelis prius matrimonium dissolvere, & cum alio novum contrahere.

s Sanc. d. 13.
t Cap. quanto & cap. gaudemus de divort.

481 Matrimonium verò solùm ratum dissolvi potest quoad vinculum, tum per professionem religiosam, tum per Pontificis dispensationem. Prima pars definitur in Trident. [u] Ad cujus intelligentiam adverte jus Canonicum concedere duos menses, in quibus conjuges possunt debitum ad invicem negare, si velint religionem ingredi. Quòd si aliquis ingrediatur & professionem emittat, potest alter in sæculo manens cum alio nuptias contrahere. Secunda [x] pars constat ab experientia, quia multi Authores fide digni testantur suo tempore varios Pontifices in matrimonio rato dispensasse. Nav. [z] affirmat varios conjuges suo consilio petiisse dispensationem matrimonii rati, eamque obtinuisse à Paulo III. & Pio IV. Et [a] Henriq. testatur Gregor. XIII. eodem die undecim matrimonia rata dissolvisse; sed in re adeò gravi Ecclesia errare non potest: ergo. Maximè cùm alii Authores id factum sæpè fuisse confirment.

u Seff. 24. can. 6.
x Sanch. d. 14.
z Cap 22. n. 21.
a Lib. 11. c. 8.

SECTIO VII.

De Revalidatione matrimonii.

Quia aliquando contingit, quòd matrimonium contractum coram Parocho, & testibus fuerit nullum, vel quia aliquis contrahentium, vel uterque fictè consenserunt, vel quia 482
inter

Digitized by Google

inter illos erat aliquod impedimentum dirimens, quod ipsi vel ignorabant, vel malitiosè occultarunt, videndum est quomodo talia matrimonia possint convalescere, & revalidari, ut in eis conjuges tuta conscientia permanere possint.

a Sanch. l. 2. d 32. n. 9

483 Dico [a] ergo primò. Quando aliquis contrahentium fictè consensit, satis est ut matrimonium convalescat, quòd ille postea verè ex animo consensum præstet. Prob. quia ad valorem matrimonii satis est utriusque conjugis consensus: sed in casu præsenti consensus unius de novo ponitur, consensus verò alterius adhuc perseverat saltem habitualiter, imò & virtualiter in aliquo ejus affectu, ut supponitur; ergo utriusque consensus sufficienter concurrit ad verum matrimonium constituendum. Melius tamen foret, si uterque de novo consentiret; & ita foret consulendum, nisi periculum esset, quòd qui priùs consensit, sciens alterum non consensisse, atque adeo matrimonium fuisse nullum, vellet resilire, aut inde suscepturus esset tacitè occasionem odio habendi, ac spernendi alterum: tunc enim melius esset internè consentire, nihil dicendo conjugi.

b Sanch. n. 11.

484 Dico [b] secundò: Si matrimonium fuit nullum, quia uterque fictè contraxit, uterque debet novum consensum elicere, eumque signo aliquo externo exprimere. Prob. quia sine mutuo consensu non subsistit matrimonium: ergo, ut hoc inter istos convalescat, opus est ut uterque de novo consentiat. Unde si uterque sciat de defectu alterius, debent exterius manifestare consensus. Si quilibet de se tantùm sciat, quilibet potest tacitè, & internè consentire, ut proximè dictum est. Posito autem ultimo consensu, matrimonium valebit. Pro signo verò externo consensus manifestativo satis erit cohabitatio conjugalis, petitio, & redditio debiti animo maritali.

c Sanc. d. 35. & 36.

485 Dico [c] tertiò: Quando matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum dirimens, requiritur novus utriusque consensus, maximè si uterque de impedimento conscius erat, vel postea de illo conscius factus est. Prob. quia cùm prior contractus ex parte utriusque conjugis fuerit nullus, ob impedimentum dirimens, & consensus utriusque nullus ex defectu capacitatis, ablato impedimento per dispensationem, uterque consensum novum elicere debet, eumque signo externo exprimere, ut qui de novo contrahunt, nam antea re vera non contraxerunt.

486 Dico quartò: Quando alter conjugum dumtaxat conscius est impedimenti regulariter debet alterum certiorem facere de illo, & de nullitate prioris matrimonii, ut ambo de novo consentiant, causa tamen nullitatis potest occultari, si opus sit, maximè si impedimentum oriatur ex aliqua affinitate contracta per fornicationem cum consanguinea, vel consanguineo conjugis. Prob. ex proximè dictis. Quia utriusque consensus fuit nullus: ergo uterque debet consensum novum elicere; non potest autem consensus esse novus, nisi sciatur nullitas prioris, quia si non sciatur, confirmabitur tantùm prior, qui cùm nullus fuerit, ejus confirmatio nihil magis efficiet.

487 Dixi: *Regulariter*. Quia si probabiliter [d] timeatur virum magnas tragœdias excitaturum, si sciat matrimonium suum fuisse nullum ob impedimentum dirimens, maleque suspicaturum de uxore, quòd fornicata fuerit cum sibi consanguineo, indeque timeatur, quòd eam relinquat, vel occidat, aut malè tractet; satis erit ad hæc vitanda, si mulier cautè, & dissimulanter curet, ut vir de novo consentiat, non declarando nullitatem matrimonii, nec notitiam impedimenti, & viro consentiente, ipsa simul consentiat. Poterit autem, quando majorem viri benevolentiam experietur, ita dicere: Me ita diligis, ut si nullum inter nos fuisset matrimonium, de novo mecum contraheres? & illo affirmante dicat: Vis ergo meus esse maritus? & si dicat: Volo: ipsa quoque consentiat dicens, & ego volo esse uxor tua.

d San. h. l. 36.

488 Advertat autem non satis esse, si vir solùm dicat: Vellem te ducere in uxorem, si nullum inter nos esset matrimonium. Quia per hæc verba, & per actus, quos ipsa significant, non poneretur voluntas præsens contrahendi; sed foret ponenda sub conditione; quod nihil potest operari. Unde requiritur, quòd actu contrahere intendat dicendo volo tecum contrahere, si for-

si fortè matrimonium nostrum fuit nullum, aut si fuisset invalidum, vel quid simile. Verùm in hoc consensu exigendo magna prudentia opus est, ne vir crimen uxoris suspicetur. Unde prudens Parochus benè mulierem instruat, quando talem casum invenerit.

e Sanch. d. 33. 489 Dico [e] quintò: Illi, qui falsò existimant esse inter illos aliquod impedimentum dirimens, & eo stante, posse matrimonium validè contrahere, validè contrahunt, si matrimonium in hac fide ineant. Prob. quia cùm in re nullum inter eos sit impedimentum, & aliunde verè contrahere intendant, nulla est ratio, cur eorum consensus non sit ratus, & validus, & consequenter validum matrimonium. Sanc. proximè.

490 Dico sextò: Si prædicti credant ex conscientia erronea matrimonium inter illos validè contrahi non posse, quia putant habere impedimentum dirimens, quod non habent; cùm debeant putare suos consensus fuisse irritos, ac nullos, ac proinde fictos; debent, cognita postea veritate, novos consensus exprimere, ut dictum est conclus. 2. de fictè contrahentibus, vel ut in prima, si unus tantùm habuit eam conscientiam, licèt Sanch. aliter sentiat.

491 Dico septimò: Qui ex aliquo errore contraxerunt putantes matrimonium inter ipsos fuisse validum, cùm tale non fuerit, quia, verbi causa, putabant priorem conjugem fuisse mortuum, cùm tamen viveret, non revalidabunt [f] matrimonium de novo consentiendo, quandiu error durabit, estò jam conjux obierit. Prob. quia qui ita de novo consentiunt, non volunt de novo contrahere, sed priorem tantùm contractum, quem validum arbitrabantur, posteriori illo consensu approbare, & ratificare; quod fieri non potest, quia cùm prior contractus fuerit nullus, ratificari non potest, sed de novo iniri, quod non fiet, nisi detecto errore. f Sanc. d. 34.

g Sanch. d. 37. 492 Dico octavò: [g] Quando matrimonium coram Parocho, & testibus celebratum fuit, invalidè tamen, vel ex defectu consensus, vel ob aliquod impedimentum occultum, non opus est, ut postea adveniente vero consensu, vel sublato impedimento per dispensationem secretam, vel per mortem prioris conjugis, coram illis de novo consentiant; sed satis est, si privatim novos consensus mutuos edant, illosque exterius exprimant, juxta superius dicta. Prob. quia finis legis Trid. de adhibendo Parocho, & testibus ad valorem matrimonii, non se extendit ad ea, de quibus agimus, quia cùm jam celebrata fuerint coram Parocho, & testibus, ut supponitur, si quis contrahentium resilire vellet, ab Ecclesia impediretur, cùm illorum nullitas sufficienter probari non possit, ut etiam supponitur.

493 Dixi: *Ob aliquod impedimentum occultum*. Quia si impedimentum, ob quod matrimonium invalidum fuit, sit adeò notum, ut sufficienter in foro externo probari possit; [h] debent contrahentes iterum coram Parocho, & testibus contrahere. Prob. quia cùm ex una parte prior contractus irritari possit propter probationes claras; ex alia verò, si posterior sine Parocho, & testibus celebretur, in foro externo probari nequeat; possent ita contrahentes, relicto conjuge, cum quo secreto contraxerunt, alteri nubere; unde sequerentur omnia incommoda, quæ Concilium vitare voluit. h Sanch. n. 11.

SECTIO VIII.

De obligationibus matrimonii, ejusque usu.

Dico [a] primò. Conjuges non tenentur, per se loquendo, debitum petere. Prob. quia unicuique liberum est jure suo cedere, quod saltem verum est, quando per talem cessionem nulli fit injuria: sed conjuges non petendo debitum, nulli faciunt injuriam, si alteri petenti reddant: ergo. Dixi: *Per se loquendo*. Quia contingere potest, quòd per accidens teneantur debitum petere, si nimirum putent petere esse moraliter necessarium ad vitandam incontinentiam in altero conjuge. 494 a Sanc. l. 9. d. 2.

495 Dico secundò: [b] Conjuges tenentur ex justitia debitum reddere petenti. Prob. quia quilibet tenetur ex justitia alteri reddere, quod suum est; sed corpus uxoris ad virum pertinet in ordine ad usum matrimonii, & corpus viri ad uxorem; ergo uxor tenetur b Sanc. d. 2. à n. 5.

Digitized by Google

e 1. Cor. 7. 3 tur debitum reddere viro petenti, & vir uxori, ut expressit Apost. dicens: [e] *Vxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro*. Hoc autem procedit non solùm, quando debitum expressè, sed etiam quando signis petitur, ut si uxor, præ pudore fœminis naturali, non audeat debitum verbis exigere, sed signis, & indiciis, quæ est petitio tacita, quam omnes dicunt sufficere, ut vir teneatur reddere. Est autem obligatio reddendi gravis, & ex genere suo sub mortali, licèt ex levitate materiæ possit à mortali excusari, ut si frequenter solitus reddere, una aut altera vice debitum neget. Quod intellige. Si exigens non versetur in periculo incontinentiæ, aut aliud grave incommodum non timeatur.

d Sanc. d. 22. 496 Dico tertiò: [d] Variæ sunt causæ, ex quibus conjux excusari potest à redditione debiti. Prima est, quando probabiliter timet grave detrimentum, aut periculum salutis. Nam ratio naturalis dictat, ut prius quis saluti suæ consulat, conservando proprium individuum, quàm generationi prolis vacare teneatur, & ordo charitatis postulat, ut quis primò suæ incolumitati studeat, & deinde aliis satisfaciat, si potest. Et tandem qui matrimonium contrahunt, non intendunt se obligare ad usum conjugii cum gravi suo incommodo; ergo conjux excusabitur à reddendo debito, si suæ sanitati graviter timeat, ut si periculum sit, quòd lepra, ptythisi, morbo gallico, aut alio simili morbo contagioso inficiatur.

e Sanc. d. 24. 497 Secunda [e] causa est, ad vitandum grave aliquod nocumentum in bonis fortunæ, aut notabile augmentum rei familiaris comparandum. Prob. quia conjuges, cùm matrimonium ineunt, sibi tacitè pollicentur communem industriam ad rectam domus gubernationem, & rei familiaris utilitatem: ergo quoties ad hunc finem opus est, ut vir, etiam per longum tempus, absit à propria domo, in qua absentia debitum reddere non possit, licitè potest discedere, uxore renitente, quia rationabiliter invita non est.

f Sanc. d. 25 498 Tertia est: [f] Quando non suppetunt facultates ad tot filios alendos: Prob. quia nemo tenetur solvere id, quod sine suo gravi incommodo solvere non potest: sed in dicto casu non potest conjux sine magno suo incommodo solvere debitum conjugale, videns enim se plures habere filios, quàm alere possit, eosque fame, & nuditate confici, torquetur mirè, vitam acerbam ducit, & interdum in desperationem adducitur: ergo durissimum erit hujusmodi conjugem obligare ad reddendum debitum, saltem quando in alio non sit evidens periculum incontinentiæ; quia si hoc sit, ob eam causam excusandus non est. Illud tamen apud omnes constat, si uterque conjux ab usu matrimonii, ob dictam causam, communi consensu abstinere velit, neutrum peccaturum, cùm nemini abstinendo injuriam inferat.

499 Quarta est, cùm debitum petitur cum aliqua circumstantia, [g] quæ actum reddat illicitum, ut si sit periculum abortus, aut effundendi semen extra vas naturale. Si verò nulla sit talis circumstantia, licèt petitio ipsa illicita sit, ut si petens voverit castitatem, debitum reddendum est, quia exigens petit, quod suum est, estò aliàs petendo peccet. Dixi: *Quod suum est*. Quia si petens jure petendi privatus sit, quia adulteravit, vel affinis factus est per copulam cum consanguinea conjugis, vel per cognationem spiritualem contractam cum conjuge, alter non tenebitur reddere. g Sanc. d. 6.

500 Quinta causa est omnis illa, propter quam licet celebrare divortium, de quo sect. sequenti, si enim licitum est divortium cum conjuge, à fortiori licebit ei debitum negare. Ad hanc causam reduci potest ea, de qua dictum est sect. 6. quando conjux ante matrimonium consummatum, priori bimestri cogitat de ingressu religionis, quo tempore debitum licitè negari potest.

501 Dico quartò: [h] Variæ sunt etiam causæ, ex quibus non licet conjugi debitum petere. Prima est, si habeat votum castitatis. Quod votum si emissum fuit ante contractum matrimonium, obligat ad nunquam petendum debitum, si dispensatio non obtineatur, ita ut toties mortaliter peccet, quoties petit; si tamen alter petat, reddere tenetur. Si emissum fuit post matrimonium ratum, nondum consummatum, idem prorsus dicendum est. Si post consummatum matrimonium, idque sine consensu alterius, non potest petere, tenetur tamen reddere, quando alter jus habet petendi. Et idem est, si votum emisit, altero consen- h Sanc. d. 33. & seq.

sen-

Digitized by Google

sentiente, sed sine mutuo pacto. Si autem ita vovit, ut uterque conjux mutuo consensu, & pacto renuntiet juri, quod alter habet in corpus alterius, neutri licet petere, aut reddere. Et idem est, si uterque conjux ex mutuo consensu castitatem voveat; quia uterque tunc intendit se obligare ad omnimodam castitatem, abstinendo à petitione, & redditione debiti; quæ voluntas virtualiter includit mutuam renuntiationem juris, si quod habeat.

i Sanch. d. 25.

502 Secunda [i] causa est, quando conjux incestum commisit cum consanguinea, vel consanguineo sui conjugis, intra secundum gradum. Tunc enim incestuosus non potest petere sine mortali, antequam dispensationem obtineat, quia factus est affinis sui conjugis; tenetur tamen reddere petenti. [l] Ad hanc reducitur cognatio spiritualis contracta inter conjuges, ut si aliquis eorum baptizet communem filium, aut filium solius conjugis absque necessitate, aut illum suscipiat in Baptismo, vel confirmatione, quando erant alii, qui poterant baptizare, & suscipere. Tunc enim baptizans, aut suscipiens non potest debitum petere; tenetur tamen reddere. Dixi: *Absque necessitate*. Quia si adsit necessitas, quia infans erat in periculo moriendi sine Baptismo, & non erat alius, qui baptizaret, vel sciret baptizare, non privabitur jure petendi; quia ubi non est culpa, non potest esse pœna. Et idem cum multis docet Sanch. si pater suscipiat filium, quando non erat alius, qui susciperet; licèt aliqui contradicant.

l Sanch. d. 26.

m Sanc. l. 2. d. 41. & seq.

503 Tertia causa: [m] Quando est dubium de valore matrimonii; nam quando est certitudo de ejus invaliditate, certissimum est illum, qui talem habet certitudinem, non posse debitum petere, nec reddere, quia talis copula ex parte scientis nullitatem, esset formaliter fornicaria. Quare qui ex credulitate probabili, & prudenti dubitat de validitate matrimonii, tenetur quamprimùm adhibere moralem diligentiam, ut certior fiat de rei veritate, ne exponatur periculo peccandi; interim verò petere non potest, reddere tamen tenetur. Si autem facta sufficienti diligentia dubium perseveret, potest illud deponere, si à principio bona fide contraxit, eique licet non solùm reddere, sed etiam petere, quia melior est conditio possidentis. Si autem ex mero scrupulo sine rationabili fundamento timet matrimonium fuisse invalidum, debet ad consilium pastoris scrupulum deponere, & uti matrimonio tam petendo, quàm reddendo, ut deciditur in cap. Inquisitioni de sententia excommunicationis. Nomine autem pastoris venit non solùm proprius Parochus, sed etiam quilibet peritus confessarius, aut vir prudens, ac doctus.

504 Dico quintò: [n] Ad rectum usum matrimonii servari debent conditiones contentæ his versibus: n Sanc. l. 9. d. 11. Tol. l. 7. c. 10. & 11.

Sit modus, & finis, sine damno solve, cohære.
Sit locus, & tempus, tactus, ne spernito votum.

Per *modum* intelligitur naturalis, quòd fœmina sit succuba, vir incubus, & in vase naturali ad generationem ordinato. Unde copula in vase præpostero mortalis est, sicut si voluntariè effundatur semen extra vas naturale. At quando in vase naturali semen effunditur, quamvis non servetur modus, quia fœmina est incuba, vel à tergo, mortale non est, nisi sit periculum effundendi extra vas. Sublato verò hoc periculo, erit culpa venialis, vel etiam nulla, si ob aliquam necessitatem fiat.

505 Per *finem* intelligitur finis ipsius matrimonii, principalis est generatio prolis; alii sunt etiam honesti nempe servandi fidem conjugi petenti, & vitandi propriam, aut conjugis incontinentiam. Finis propriæ delectationis venialis est. *Sine damno* significat, quòd non sit in damnum prolis. Unde mortale erit accedere ad gravidam cum notabili periculo abortus. Si tamen nullum sit periculum, vel leve, veniale erit, sicut accedere ad menstruatam; quamvis excusari possit, si accedat ob vitandam incontinentiam. *Solve* significat obligationem reddendi debitum conjugi petenti, de qua dictum est conclus. 2. *Cohære* significat cohabitationem conjugum in eadem domo, & thoro. Unde peccant, qui dimittunt uxores suas, & vagantur per alienas provincias, noluntque ad eas redire, nec sunt absolvendi, donec saltem firmum habeant propositum redeundi ad illas. Sunt tamen aliqui casus, in quibus ad invicem separari possunt, de quibus sect. sequenti.

506 Lo-

Digitized by Google

quam dimittens ingressus sit religionem, non potest illum impedire, quominus ingrediatur, si velit. Non tenetur dimittens religionem ingredi, ut à resipiscente separatus permanere possit, sed potest in sæculo manens eum ad suum consortium non admittere, ut colligitur ex cap. finali de conversione conjugatorum. Ille verò, qui ab hæresi conversus est, non potest religionem ingredi, sine consensu catholici in sæculo manentis. Quia non potest statum mutare in illius præjudicium, qui proinde si emittat professionem, erit irrita, & sic professus à catholico revocari potest; tenebitur tamen castitatem servare, abstinendo à petitione debiti, quod verò reddere tenebitur. Profiteri autem poterit de consensu dimittentis, estò ille sine voto in sæculo maneat; & sine consensu, si dimittens professus sit.

Sanch. d.18. 512 Dico tertiò. f Uxor à marito divertere potest propter illius sævitiam, si hæc talis sit, ut sine gravi damno corporis cum eo habitare nequeat, nisi maritus uxori sufficientem securitatis cautionem exhibeat. Ubi nota, quando ratione sævitiæ ad tempus celebratur divortium, ut experimento constet, num vir mutet ingenium, aut sufficientem cautionem exhibeat, divertentem non posse religionem ingredi, sine licentia conjugis relicti: secus, si nulla spe correctionis existente, divortii sententia celebretur: quia in hoc casu jus conjugale per sententiam deperditur; in illo verò solùm suspenditur. Unde in casu illo absoluti divortii, conjux relictus professum revocare non poterit, estò corrigatur, aut de sufficienti cautione providere velit.

g Sanch. d.17. 513 Dico quartò. g Ob nullum aliud crimen conjugis licet ab eo divertere, si conjux non pertrahat alterum ad peccandum; si autem pertrahat, licet. Probatur, quia jure naturali, & divino cuique permissum est periculum corporis, & à fortiori periculum animæ cavere. Neque ad hoc divortium est necessaria judicis sententia, quia non est perpetuum, sed ad tempus, quandiu durat inductio ad peccandum; unde resipiscente conjuge ad peccatum inducente, & seriò converso, tenetur deserens illum admittere. Nam jure divino solùm conceditur divortium perpetuum ob fornicationem carnalem, quia hæc sola adversatur fidei conjugali. De jure Ecclesiastico non constat ubi hoc concedat, nisi ob hæresim, post latam sententiam in pœnam illius criminis, neque de hoc est res certa, ut constat ex disputatis per P. Sanch. disp. 18.

514 Dico quintò. Possunt conjuges ex mutuo consensu thoro separari, estò castitatem non voveant; possunt item ex mutuo consensu castitatem vovere, licèt neuter religionem ingrediatur; possunt etiam ex eodem mutuo consensu religionem ingredi, & in ea profiteri. Viro autem ingredienti ex consensu uxoris, tenetur illa similiter ingredi, nisi sit vetula, & de incontinentia minimè suspecta. Tunc enim satis est, ut castitatem in sæculo voveat. Et idem est, si vir sacros tantùm ordines suscipiat.

SECTIO X.

Admonetur Parochus circa Matrimonium.

Ad Parochum tria spectant circa administrationem matrimonii. Primò denuntiationes præmittere. 2. Assistere matrimonio non tanquam ejus minister, sed tanquam testis qualificatus. 3. Nuptias jam contractas benedicere. De primo nihil est, de quo Parochus moneatur, quia sect. 5. dictum est, quidquid ad denuntiationes pertinet. 515

516 Quoad assistentiam igitur advertat primò, si contrahentes, vel aliquis eorum sit peregrinus, vel advena, non posse eorum matrimonio assistere, donec re ad ordinarium delata, cujus erit informationem diligenter capere, an tales sint soluti, aut aliquo impedimento implexi, ab eo licentiam obtineat, ut disponitur in Trident. a si verò neuter sit advena, potest Parochus de jure communi, b præmissis denuntiationibus, & nullo apposito impedimento, matrimonio assistere, nulla ordinarii licentia requisita. Et quia Concilium hanc ordinarii licentiam postulat, quando aliquis contrahentium, vel ambo sunt peregrini, non autem quando tales non sunt. Et quia Parochi est Sacramenta suis ovibus ministrare sine ulla licentia, quia est

a Sess. 14. c. 7. de ref. matr.
b Sanch. l. 3. d. 15.

Digitized by Google

est Sacerdos, & Pastor proprius. Dixi; *De jure communi*, quia si per constitutiones, aut præceptum Episcopi aliud dispositum sit, id Parochus observare tenebitur. Credo autem apud nos omnes ferè Episcopos constituisse, ne matrimonia celebrentur sine ipsorum, aut Vicarii facultate.

c Sanch. n. 5.

517 Advertat secundò, [c] si aliquod impedimentum apponatur, debere se matrimonium impedire, eique non assistere; non tamen debet de impedimento cognoscere, sed ad ordinarium deferre, ut de illo cognoscat, & interim subsistere, donec ordinarius jubeat quid faciendum.

d Sanc n. 5.

518 Advertat tertiò, [d] si aliquis contrahentium, extra Confessionem Sacramentalem, fateatur impedimentum, illudque postea neget, non debere ejus matrimonio assistere, sed rem ad ordinarium deferre, indignum enim est, ut quod quis voce sua protestatus est, id in eumdem casum infirmare possit, proprioque testimonio resistere cap. per tuas de probat. Idemque est, si fateatur, v. c. votum, afferatque se eo non teneri, vel quia fictè vovit, vel quia ex alia causa ab eo liberatur. Nam licèt in foro conscientiæ fides pœnitenti adhibenda sit; secus est in foro externo, ad quod matrimonium pertinet. Nemo enim præsumitur dicere, quod non habet in corde, & consequenter nemo præsumitur vovere sine intentione. Quare rem deferat ad ordinarium, cujus erit veritatem examinare, & decernere quid faciendum. Potest tamen hoc temperari, ut docet Sanch. ita ut si nullo alio pacto constet de voto emisso, nisi ex confessione volentis contrahere, & ipse simul votum fateatur, & defectum animi se obligandi, ei fides habeatur; quia est verisimile in utroque veritatem fateri; quia si mentiri vellet, facilius utrumque negaret, cùm omnis probatio contra ipsum deficiat.

e Sanc. n. 8.

519 Advertat quartò, [e] si sibi constet de impedimento occulto, estò à nemine opponatur, teneri se illud opponere coram ordinario, sicut tenetur quilibet alius, & à fortiori Parochus, & quia ipsi ex officio incumbit impedimenta matrimonii investigare, ac saluti suarum ovium consulere; & quia ejus testimonium sufficienter, & plenè probat impedimentum, ne matrimonium contrahatur. Si autem sciat contrahentes obtinuisse dispensationem pro solo foro interno de tali impedimento, & hoc à nemine opponatur; potest Parochus dissimulare, & sic impeditos matrimonio jungere. Nam quamvis ex officio teneatur investigare impedimenta; id est, ne impediti, contrahendo, delinquant; sed ipsi constat tunc non delinquere propter dispensationem: ergo &c.

520 Si tamen aliquis illud impedimentum denuntiet Parocho, non [f] potest dissimulare, sed tenetur non admittere dispensationem prædictam, & illos non jungere, quandiu non attulerint dispensationem pro foro externo. Quia ex quo impedimentum denuntiatum est Parocho, non potest ipse ulterius procedere, sed tenetur rem ad ordinarium deferre, qui non potest non procedere ad cognitionem talis impedimenti, cùm ejus officium per denuntiationem excitatum sit: cùm ergo sit judex pro foro externo, & in eo jam procedat, juxta illius leges judicare debet, pro quo illa dispensatio nullo modo prodest, quia pro illo non conceditur. Limitata enim causa limitatum producit effectum.

f Sanch. n. 11.

521 Advertat [g] quintò, si ex Confessione Sacramentali noverit impedimentum, debere se in ipsa confessione admonere pœnitentem, ut desistat à matrimonio contrahendo, dum non habet dispensationem; si verò ille non acquiescat, & postea petat, ut assistat ejus matrimonio, tenetur assistere, nec quando ita accidit, tenetur petere licentiam, ut ei loquatur de impedimento in confessione audito, sine qua id facere non potest.

g Sanch. d. 16. à n. 14.

522 Advertat sextò, cùm nullum reperitur impedimentum, debere Parochum volentes contrahere matrimonio jungere in facie Ecclesiæ, ut ait [h] Trid. Ut autem matrimonium dicatur contrahi in facie Ecclesiæ, hodie satis est, si coram Parocho, & testibus, præmissis denuntiationibus, celebretur. Si tamen constitutiones Episcopi, aut ejus præceptum sit, ne extra Ecclesiam celebretur, Parochus extra illam matrimonio non assistat sine expressa licentia Episcopi, aut ejus Vicarii. Potest autem Parochus assistere validè, & licitè, non solùm in sua Parochia, sed etiam in aliena, imò & in Parochia alterius Diœcesis, ut suprà insinuavi sect. 3. n. 445. docetque cum aliis Sanch. lib. 3. de matr. disp. 19. n. 14. Quia ea assistentia non est actus

h Sess. 24. c. 1.

actus jurisdictionis, sed solùm requiritur ad præstandam authoritatem matrimonio, ut Ecclesiæ constet fuisse contractum. Et si velis esse actum jurisdictionis, hæc non est contentiosa, sed voluntaria; ergo sicut Parochus potest in aliena Diœcesi audire confessiones suarum ovium, potest earum matrimoniis assistere. Addo quemlibet Sacerdotem posse de licentia Parochi assistere in aliena Parochia, & Diœcesi, ut docet idem Sanch. eodem lib. disp. 34. n. 3.

523 Advertat septimò, teneri se interrogare contrahentes de mutuo consensu, nempe virum, an velit fœminam habere in uxorem; & fœminam, an velit illum in maritum. Ita enim præcipitur in Trid. [i] omissio tamen hujus interrogationis, quando Parocho constaret de consensu, quia coram se interrogante protulerunt verba expressiva consensuum, vel nulla erit culpa, quia frustra interrogatur, quod sine interrogatione cognoscitur, vel ad summum erit venialis. Auditis autem consensibus debet Parochus proferre ea verba: [l] *Ego vos matrimonio conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Amen.* Vel similia juxta receptum Provinciæ ritum, ut disponitur in eodem Concilio. Notet verò 1. ea verba non esse de essentia matrimonii; quia Parochus non est minister hujus Sacramenti, ut dictum est sect. 6. neque ejus verba sunt materia, neque forma. Notet 2. ea verba esse de necessitate præcepti, peccareque Parochum eam omittentem; quia Concilium utitur verbis præceptivis, nempe *Præcipit sancta Synodus*. Videtur tamen eorum omissio solùm venialis, quia materia non est gravis, cùm verba illa non sint forma Sacramenti, nec pertineant ad solemnitatem magni momenti, nec includant magnam aliquam significationem.

i Ubi proximè.

l Sanch. d. 38.

524 Advertat octavò, ut pro viribus procuret, ut in sua Parochia sponsi ante celebrationem matrimonii peccata confiteantur, & sacram Eucharistiam recipiant, ad quod maximè hortatur Concilium proximè. Quia cùm Sacramentum recipiant, debent esse in gratia, est enim peccatum mortale Sacramenta recipere in peccato. Et quamvis ad hoc peccatum vitandum, satis sit se disponere per contritionem; cùm hæc non sit ita facilis, optimum consilium est confessionem præmittere, juxta hortationem Concilii, ut securius in gratia accedant, & gratiam Sacramenti matrimonii recipiant.

525 Advertat nonò teneri se habere librum, in quo scribat conjugum, & testium nomina, locum, & tempora contracti matrimonii, ex præcepto Concilii suprà. Quod, cùm tendat ad finem vitandi lites, & ut Ecclesiæ constet de matrimonio contracto, obligat sub mortali, [m] quod ex fine satis deprehenditur, licèt verba non sint adeò rigida.

m Sanch. d. 15. n. 21.

526 Circa benedictiones nuptiales advertat 1. dandas esse in Ecclesia; cùm enim dandæ sint in Missa, quæ non nisi in Ecclesia dici solet, sequitur in Ecclesia dandas esse à proprio Parocho contrahentium, & à nullo alio Sacerdote, nisi de licentia Ordinarii, aut Parochi sub pœna [n] suspensionis, quandiu non absolvitur ab Episcopo Parochi, qui benedicere debebat. Quamvis autem aliqui dicant benedictiones impendendas esse à Parocho sponsæ, satis tamen est, quòd impendantur à Parocho [o] cujuscumque contrahentis: quia Concilium eodem modo loquitur de assistentia, ac de benedictionibus: sed ad assistendum satis est quilibet ex duobus Parochis, ut suprà diximus: ergo.

n Triden. suprà.

o Sanch. l. 7. d. 82.

527 Advertat secundò, sponsos teneri ex præcepto benedictiones nuptiales recipere, easque omittere ex contemptu mortale esse, ex omnium sententia; citra contemptum verò non est ita certum: nam aliqui satis probabiliter credunt esse mortale illas omittere, imò & matrimonium ante illas consummare. At non minus [p] probabile est esse solùm veniale, & aliquando neque veniale consummare ante illas, quando nempe ex causa juxta differuntur, estque periculum incontinentiæ.

p Sanc. n. 6. lib. 5. d. 12.

528 Advertat tertiò benedictiones nuptiales [q] prohiberi in Adventu, & in Quadragesima, ut dictum est sect. 2. Unde Parochus his temporibus benedicens peccabit mortaliter, & graviter puniendus est arbitrio Ordinarii. Et ipsi contrahentes etiam peccabunt mortaliter, & erunt separandi pro eo tempore feriato, si matrimonium nondum fuerit consummatum: Nec Episcopus in hoc potest dispensare, nisi ex justissima, & urgentissima causa, quæ vix dabitur, & quando non fuerit facilis aditus ad Pontificem. Matrimonium

q Sanch. lib. 7. n. 7.

r Sanch. n.4. r tamen celebrari prædictis temporibus non prohibetur, sicut nec in tempore interdicti, aut cessationis à divinis, quamvis ipsi sint specialiter interdicti; in quo etiam tempore possunt denuntiationes fieri. Et licèt de jure antiquo benedictiones non licerent tempore interdicti; hodie tamen licent, servata moderatione cap. Alma mater, nempe januis clausis, & voce demissa, dummodo sponsi privilegium habeant assistendi divinis officiis, quod datur per Cruciatam. Non tamen licent tempore cessationis à divinis, nisi in illis diebus, in quibus suspenditur cessatio, si aliàs in ipsis non prohibeantur, ut in die Natalis, & Paschatis.

f Sanch. d.12. 529 Advertat f quartò ex juris dispositione benedictiones conferendas tantùm esse in primis nuptiis, ita ut si sint secundæ, vel ex parte utriusque, vel alterius tantùm conjugis, sive fœminæ, sive viri, benedicendæ non sint. Licèt aliqui teneant benedicendas esse, si sint primæ ex parte fœminæ. Quod tamen approbare non audeo propter cap. Vir de secundis nuptiis. Ubi id expressè prohibetur. Nihilominus multi docent consuetudine ferè ubique introductum, ut nuptiæ benedicantur, quando sunt primæ ex parte alterius, sive fœminæ, sive viri. Parochus observet consuetudinem suæ Diœcesis. Ut benè advertit Possev. cap. 10. n. 49. de quo vide Sanch. citatum à n. 15. Benedicendæ sunt sine controversia, quando sunt primæ ex parte utriusque, sive fœmina sit virgo, sive corrupta, estò de hoc constet; quia in ordine ad benedictiones non attenditur virginitas, neque corruptio, sed solùm, si nuptiæ sunt primæ.

530 Possunt autem plures nuptiæ simul eodem tempore, t & uno contextu
t Possev. c.10. n.50. benedici; quia nullibi contrarium prohibetur: dantur verò in Missa, quæ habetur in Missali. Dari possunt à Parocho sive sponsæ, sive sponsi, nam, u
u Lib.7. d.11.n.4. ut benè Sanch. *Existimo sufficere Parochum utriusvis contrahentis, quia eodem tenore, & in eadem clausula petitur in Trident. ut proprius Parochus intersit matrimonio, & ut benedictiones conferat: sed ad illud sufficit Parochus utriusvis contrahentis, ut dictum est: ergo & ad hoc*. Regulariter dantur ab illo, in cujus Parochia celebratur matrimonium.

531 Sed quid de benedictionibus illorum, qui contraxerunt per procuratorem? Respondeo non esse benedicendos procuratores; quia non tam benedicuntur nuptiæ, quàm personæ: sed personæ, quæ contrahunt, non sunt procuratores: ergo ipsi non sunt benedicendi. Crederem benedicendos ipsos sponsos, quando sponsa ducitur ad sponsum. Tunc enim, ut benè Sanch. x *Optimè fa-* x Lib.2 d. 11.n.31.
ciunt, inquit, *contrahentes per procuratorem, si postmodum ipsimet iterum matrimonium ineant, ad tollendos scrupulos. Quia quamvis cætera Sacramenta repeti nequeant, eadem materia manente: hoc autem est in matrimonio speciale; cùm enim sit contractus, ejusque naturam, & conditiones retineat, potest ea parte, qua contractus est, cæterorum more, sæpius iterari, & ratificari*. Ergo, quando veniente sponsa ad sponsum, contractum per procuratorem matrimonium ratificatur, benedicendi sunt sponsi, juxta superius dicta, quando nempe nuptiæ capaces sunt benedictionum.

532 Advertat autem Parochus, antequam assistat matrimonio celebrandum per procuratorem, ut videat mandatum, ut sibi constet de consensu mandantis, & certificetur de veritate procurationis, ne contingat assistere matrimonio illusorio. Nam, licèt aliqui dicant ad id non teneri, id videtur intelligendum, si Episcopus recognovit procurationem, eamque approbavit. Unde benè Possev. z nostrum Parochum allo- z Possev. n.44.
quens: *Tu*, inquit, *non assistas, nisi Episcopo monito & annuenti*. Forma autem qua debet uti, hæc assignatur ab eodem Possev. Placet ne Domino N. accipere Bertam in conjugem, prout tibi procuratori mandavit cum legitimo mandato? Et deinde uxori: Placet tibi, domina Berta, accipere in conjugem Dominum N. prout tibi N. procuratori legitimo mandavit? Et utroque annuente addat Parochus: Ego vos conjungo in matrimonium &c.

Digitized by Google

LIBER DECIMUS,

INSTRUIT

PAROCHUM

De variis materiis

AD POENITENTIAM

Ritè administrandam.

QUia in administratione Pœnitentiæ præcipua Parochi desudat industria, in eaque majores sunt difficultates, propter difficiles casus, quos Pœnitentes afferre solent ad hoc Sacrum Tribunal; præter ea, quæ capite 5. libri præcedentis dicta sunt de ipso Pœnitentiæ Sacramento; & lib. 8. de peccatis contra præcepta fidei, spei, charitatis, & cætera Decalogi; & Ecclesiæ, instruere oportet Parochum de aliquibus aliis, quæ ipsum juvare possunt ad hoc sanctum ministerium ritè, & scienter agendum, ne contingat, ut præ ignorantia cæcus cæcum pœnitentem ducat, & ambo in foveam cadant. Cùm igitur sex ultima præcepta Decalogi sint præcepta justitiæ commutativæ, ex quorum transgressione sæpè oritur obligatio restituendi, de qua Parochus monere debet pœnitentem, opus est aliquid dicere de restitutione, ac de virtute justitiæ, ex qua oritur, nec non de contractibus, qui in ipsa fundantur, & ex ipsa obligant, pariuntque obligationem restituendi. Quia verò agendo de Pœnitentia diximus species peccatorum, numerum, & circumstantias, saltem mutantes speciem esse necessariò explicandas in Confessione, dicendum est de peccatis, & conscientia, per quam bonæ, & peccaminosæ actiones cognoscuntur. Quia verò Parochus de jure ordinario non potest absolvere à censuris, & casibus reservatis, citrà privilegium, dicendum est de censuris, & casibus reservatis, nec non de Indulgentiis, & Jubilæo, & de Bulla Cruciata, in quibus datur privilegium ad absolvendum à censuris, & casibus reservatis. Dicam igitur primò qua ratione Sacramentum Pœnitentiæ ritè, & fructuosè administrari possit. Secundò dicam de Justitia. Tertiò de contractibus. Quartò de restitutione, declarando quidquid ad illam pertinet. Quintò dicam de peccatis, illorumque circumstantiis. Sextò de conscientia. Se-

primò de censuris, ubi etiam de irregularitate. Octavò dicam de censuris reservatis in Bulla Cœnæ. Nonò de reservatis Papæ extra Bullam Cœnæ. Decimò dicam de casibus reservatis omnibus Ordinariis hujus Regni. Undecimò de Indulgentiis. Duodecimò de Jubilæo. Decimotertiò de Bulla Cruciata.

CAPUT I.

Qua ratione Parochus ritè, & fructuosè Sacramentum Pœnitentiæ administrare possit.

1 Quia nullibi major opportunitas est Parocho lucrandi animas Deo suo, quàm in Sacramentorum, maximè Pœnitentiæ, administratione, ideò aliqua subjicienda sunt hoc loco, antequam ad alias materias, quæ ad illam ordinantur, descendamus, quibus instruatur ad hoc Sacramentum dignè, sanctè, ac fructuosè tractandum proponendo 1. aliquas advertentias communes. 2. aliquas, quæ antecedere debent ipsam confessionem, postea aliquas, quæ illam concomitari debent. Tandem aliquas, quæ confessionem subsequi convenit.

SECTIO I.

Advertentiæ Parochi ante Confessionem à se audiendam.

Caveat imprimis bonus Parochus, ne unquam ad hoc Pœnitentiæ Tribunal accedat animarum causas dijudicaturus, nisi priùs cœlesti lumine, Deique gratia precibus implorata, tum ob personæ, quam sustinet, dignitatem: tum ob ipsius causæ gravitatem; tum etiam ob commodum proprium, ac ipsius pœnitentis utilitatem. Nam cùm Dei vices gerat, à quo potestatem habet offensas condonandi, unumque, ac idem opus moliatur cum ipso Deo, nempe peccatorum remissionem, & animarum justificationem, quid magis necessarium est, quàm omnipotentis voluntatem, & auxilium inquirere, ne quid in tanto negotio efficiat, quod à Domini sui voluntate sit alienum. Nam, ut ait Apostolus: [a] *Sufficientia nostra ex Deo est: qui & idoneos nos fecit ministros novi testamenti &c.* Quasi diceret: Non possumus esse sufficientes Christi ministri, nec Sacramentorum ejus ministratores, nisi ab eo gratiam accipiamus, ut sufficientes simus gloriæ ejus, operisque ipsius cooperatores; quare auxilium ab eo nobis implorandum est frequentissimè, maximè verò, quando accedimus ad hoc sacrum ministerium causas inter ipsum, & homines dijudicaturi.

a 2. Cor. 3. 5.

3 Id etiam postulat manifesta gravitas rei, quam tractat; exercet enim judicium, & judicis munere fungitur, dum judicat inter lepram, & lepram, dum fert sententiam, reum jam ligans, jam absolvens, ad quod magna sapientia, & cœlesti luce opus est: in quo si erretur ignorantia, vel culpa judicis, in ipsius caput malum redundabit, juxta illud: [b] *Videte quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Dei: & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Quid non timendum Sacerdoti, in cujus judicio non de rebus caducis, quarum damnum facilè compensari potest, sed de æterna salute, aut damnatione agitur. Ideò Christus Dominus, antequam potestatem remittendi peccata in Sacramento concederet, prius Spiritum Sanctum communicavit: [c] *Accipite*, inquit, *Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Quia nisi peculiari ratione Spiritus Sanctus Sacerdoti judicanti assistat; judicium Sacramentale ritè exercere non potest.

b 2. Paral. 19. 6.

c Ioan. 20. 22.

4 Idem postulat proprium commodum Sacerdotis, cùm enim ob naturæ propriæ infirmitatem, quæ auribus excipiuntur, facilè se se insinuent in intimum cordis, & facilè ex proximo igne scintilla aliquando exiliat, quæ, si statim non restinguatur, magnum sæpè excitat incendium, ideò ne per aures infusum tentationis virus præcordia inficiat, præstantissimo divinæ gratiæ munimine, quasi cœlesti theriaca præmuniendus est. Nec se vinci patiatur à medicis, qui ne morbum contagiosum ex languentis aspectu, & contactu con-

Digitized by Google

contrahant, antidoto aliquo utuntur ad sui præservationem: optimum autem Sacerdotis erit, precibus divinum auxilium implorasse.

5 Idem denique postulat utilitas pœnitentis, ad cujus salutem efficaciter operandam oratio præmitti debet à confessario, ut illi dignetur Dominus præstare auxilium gratiæ suæ ad verè cognoscenda peccata sua, & illa detestanda interno cordis dolore, qualis requiritur ad culparum remissionem, & renovationem animæ, per internam gratiæ, & donorum receptionem, in qua vera justificatio consistit.

6 Induat præterea bonus Parochus affectum veri patris in pœnitentes, tamquam in charissimos filios, & magno ardore charitatis renovet in se desiderium salutis animarum, & honoris divini. Nam ex sententia [d] Aug. *Nihil sic probat spiritualem virum, quàm peccati alieni tractatio*. Et Orig. de qualitate boni Confessoris: *Proba*, inquit, *priùs medicum, cui debeas causam langoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi, & compatiendi noverit disciplinam*. Certè quo quis in sanctitate magis excellit, eò minus peccatores exhorret, quia charitas ad pietatem, & compassionem excitat, non autem ad contemptum, indignationem, aut rigorem.

[d] Lib. 83. qq. q. 71.

7 Præstabit autem hic paternus affectus tria. Primò leniet tædium, molestiam, ac laborem, quibus confessarii peccatis vexari solent, partim ob horrorem, & gravitatem eorum, quæ audiuntur; partim ob varios, & difficiles nodos conscientiarum, qui sæpè mentem confessarij versant in varias partes; partim ob ingeniorum varietatem, quæ tractantur; partim ob assiduitatem, & continuationem hujus functionis, quæ non parum animi, corporisque vires extenuat, quæ omnia ex se molesta, & acerba, Parocho suavia videbuntur, si ex vera charitate, & affectu paterno suscipiantur: gaudet enim pater, dum ægrotanti filio assistit, nec vulnera malevolentia, quibus mederi satagit, tetrum odorem afflare advertit.

8 Secundò efficiet hic affectus, ut per misericordiam portet cum ipso pœnitente onus peccatorum, ipsi compatiendo, imò & pro eo satisfaciendo, ut convenit illi, qui se verè medicum animarum profitetur. Quod hac similitudine expressit Chrysost. [e] *Calcaneo spina infixa est, sentit totum corpus, cruciaturque, incurvatur deorsum; & venter, & femora corripiuntur, manus ceu satellites, ministrique properantes retrahunt infixam, inflectitur caput, soliciti oculi tuentur; ita fit, ut pes, quantum relinquitur, ascendere non valens, tantùm ad se dimittat caput. Tantùm superet, ad se caput, quod summum est, deducens, idque non amicitia, sed debiti, & officii jure. Ergo si qua majora sunt, nihil amplius cæteris habent, quàm quòd minoribus magis sunt obstricta, & solicitudinem debent, & casus æqualiter omnes perferre; magna profectò societas est. Quid enim calcaneo vilius, capite quid honoratum magis? sed hoc ad illud ex officio descendit tamen, cæterorum omnium turba stipatum. Quia innexa natura omnia sunt, modoque ineffabili compatiuntur. Si non compatiantur enim, non utique prospicerent mutuò sibi. Quapropter ut æquè igitur pro se soliciti sint, monet, additque, ut si membrum patiatur unum, compatiantur omnia*. Quòd si hoc est majorum, imò & minorum, officium, à fortiori erit illorum, qui patrum locum habent, & tamquam spirituales patres minoribus filiis condolere debent, eorumque infirmitatibus paterna charitate mederi, opemque ferre in spiritualibus necessitatibus.

[e] Hom. 31. in cor.

9 Tertiò faciet, ut hilari vultu, serena facie, verbis blandis pœnitentem excipiat, quo valdè excitabit peccatorem ad arcana cordis manifestanda, illiusque amorem conciliabit. Unde fiet, quòd promptius illius consilia, & jussa exequetur. Imitetur igitur Apostolum dicentem: *Cùm essem astutus, dolo vos cepi*. 2.Cor.12. 16. Sanctus enim, justus, & laudabilis dolus est se facilem, & humanum præbere, ut peccator confidenter animæ sua vulnera aperiat, quæ aliter sanari non possunt. Contrarium autem evenit ex nimia austeritate, & acerbitate Confessoris, qua peccator magis ulceratur, quàm sanatur. Ille enim chirurgus magis laudandus est, qui tangens vulnera, ita leviter manum, & ferrum adhibet; ut infirmus magis se sublevari, quàm vulnerari, & cruciari sentiat; quàm

 ille,

ille, qui asperè vulnera tractans dolorem auget, & languenti molestiam superaddit.

10 Quare bonus Parochus tamquam peritissimus chirurgus, si correctio adhibenda sit, ne nimia facilitate, & levitate confessarii ad peccandi licentiam pœnitens dilabatur, Divi Greg. monitum observet: *Ut nec in vigore disciplinæ benignitas mansuetudinis deseratur, nec rursus districtio disciplinæ in mansuetudine, quatenus nec à compassione charitatis obdurescat peccator, cùm contumacem corrigit, nec disciplina vigorem molliat, cùm infirmorum animos consolatur.* Unde si aliquis metus incutiendus sit, id fiat post absolutam confessionem; quasi ageretur cum muliere parturiente, cum qua ita est agendum, ut nihil prorsus attentetur, quod partum impedire, vel perturbare possit. Aliter enim incautus confessarius abortum causaret, vel saltem periculum illius. Prudenter igitur agat, & ex charitate. Nam *Charitas*, inquit Bernard. *Cùm te arguit, mitis est, cùm tibi blanditur, simplex est, piè solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari.*

Greg. 19. mor. c. 12.

Bern. f. 13. in cant.

11 Sicut igitur neque in medico, neque in judice diligentia satis est, neque industria, sed in utroque tanta peritia desideratur, quantam ars postulat, ita in Parocho, & quolibet alio confessario non sufficit sola charitas, sed requiritur scientia, sine qua hoc judicium nequit dignè exerceri, ut rectè judicet inter culpam, & culpam, ne per ignorantiam vivificet animas, quæ non vivunt, aut mortificet illas, quæ non moriuntur, ut est apud Ezechielem. Imò præter scientiam, quæ per studium comparatur, habeat probos viros diu in animarum regimine versatos, quorum consilia in casibus difficilioribus tentet. Nam medicus prudens, ubi periculosiores morbos invenit, non suæ tantùm fidit peritiæ, sed alios consulit suæ artis professores, ut securius procedat.

Ezechiel. 13. 19.

12 Accedat etiam prudentia tum in adhibendis remediis ad cujuscumque naturam accommodatis, tum in interrogando pœnitente, cùm id necessarium judicaverit, tum etiam in modo, quo erga illum se gerat; nam aliter cum timoratis, aliter cum protervis, & contumacibus; aliter cum timoratis, qui ex fragilitate aliquando cadunt; aliter cum effrænatis, qui omni timore excusso liberrimam peccandi licentiam usurpant; aliter cum rusticis, aliter cum civilibus; aliter cum pueris, aliter cum adultis; aliter cum viris, aliter cum fœminis agendum est.

13 Quia verò fœminarum mentio facta est, sit prudens in audiendis illarum confessionibus, ita ut longiorem moram non trahat, quàm spiritualis illarum necessitas postulet. Nam mora non potest esse sine damno, vel saltem sine periculo, quoniam tempus perditur inutiliter, dum in rebus otiosis immoratur, nempe in rebus familiaribus illarum perquirendis, quæ ad ipsum non spectant. Inest etiam non leve periculum, quia in hujusmodi mora non necessaria dæmon pudicitiæ insidias struit, quatenus audacia, quæ in sexu fragili latitat, familiaritate se prodit; & prunæ, quæ in pectore latent, halitu sermonis accenduntur; & incendium aliquando excitant inextinguibile.

14 Advertat insuper non explere se partes suas, si audita confessione, & imposita pœnitentia, pœnitentem à se dimittat absque remediis, & antidotis, ne relabatur. Nam sicut Moyses inimicos Israelis non solùm in mare demersit, sed insuper se illi ducem usque ad terram promissionis constituit; ita non satis est Parocho delevisse virtute Sacramenti peccata pœnitentis, nisi se illi etiam offerat ducem in via salutis; nam peccator viam iniquitatis deserens per Pœnitentiam, novum iter virtutis ingreditur, quod cùm illi antea fuerit insuetum; nimis asperum, & difficilè videtur; unde si non adsit, qui viam doceat, & se quasi comitem, & ducem præbeat per pia monita, & salutaria consilia, facilè declinabit à recto tramite. Atque in hoc præcipuum studium ponendum est, in hoc præcipuus fructus hujus Sacramenti consistit. Quare qui sola data absolutione jejunium pœnitentem à se dimittit, comparari potest matri, quæ postquàm infantem in lucem edidit, illi necessaria alimenta non providet ad vitæ sustentationem. De quibus in sequentibus.

SE-

SECTIO II.

Interrogationes facienda à Parochis ante auditam pœnitentis confessionem.

15 QUærat imprimis, quando aliunde certò non noverit, statum personæ, quæ ad confessionem accedit, an scilicet, pœnitens sit conjugatus, an solutus; clericus, an laicus; dominus, an servus, quod officium, & artem exerceat? quis sit modus vivendi illius, quæ ejus occupationes? ut sciat in particulari de quibus, cùm opus fuerit, sit interrogandus.

16 Secundò quærat, à quo tempore sit confessus? Et ab illis, qui semel tantùm in anno accedunt ad confessionem, inquirat, an anno præterito fuerit confessus, & an communicaverit in Paschate, hoc est, in tota Quadragesima præterita? an impleverit pœnitentiam sibi impositam? quam, si non implevit, jubeat ut impleat.

17 Tertiò quærat, an in confessione præterita, aut in alia præcedente tacuerit de industria aliquod peccatum mortale? Si autem hoc fecit, & non ex oblivione, declaret ei confessionem fuisse nullam, & sacrilegam, tenerique ad repetendas omnes confessiones factas ab eo tempore, & jubeat, vt seriò se examinet de omnibus illis peccatis, quæ in illi confessionibus dixit, & de omnibus aliis subsequentibus etiam declaratis in præteritis confessionibus, ut de omnibus confiteatur simul cum sacrilegiis commissis. Nisi fortè facta semel confessione sacrilega, illius omninò oblitus inculpabiliter alias confessiones bona fide fecit, quia tunc satis erit fateri sacrilegium in ea confessione commissum, peccatum de industria tacitum, & quæ in ea confessione explicuit, illaque, de quibus habet conscientiam ab ultima confessione bona fide factam.

18 Quartò quærat, an contraxerit aliquam excommunicationem majorem, vel minorem. Quia prius absolvendus est ab ea, quàm à peccatis. Et si ille absolvere non potest à tali excommunicatione, remittat pœnitentem ad eum, à quo de jure potest absolvi; aut ipse pro sua charitate remedium ei quærat, petendo facultatem, ut illum absolvat, qua obtenta, absolvat, confessionemque audiat, & à peccatis pariter absolvat.

19 Quintò quærat, an confessarius jusserit facere aliquam, vel aliquas restitutiones, aut ut recederet ab aliquo peccato, in quo fortè fuerat per modum habitus, & consuetudinis, vel ab aliqua occasione illius? quærat autem, an in hac parte obedierit confessori, an non obedierit? Et ex ejus responsione sciet, quomodo se habere debeat cum tali pœnitente.

20 Sextò quærat, an examinaverit conscientiam suam, & recogitaverit de suis peccatis ad ea confitenda? Si autem dicat se non examinasse, nec de illis cogitasse; jubeat, ut pro tunc differat confessionem, donec premittat debitum examen, instruatque, quomodo se debeat examinare, discurrendo per decem præcepta Decalogi, & quinque Ecclesiæ, considerando loca, in quibus fuit, personas, cum quibus egit, occupationes, & negotia, in quibus solitus fuit occupari. Et ante præstitam diligentiam, illum non audiat, nisi fuerit casus extremæ, vel magnæ necessitatis, vel aliqua persona ex illis, quas lib. præcedenti cap. 5. sect. 7. diximus audiri potuisse sine hoc examine.

21 Septimò quærat, an veniat contritus, hoc est, an habeat dolorem, & pœnitudinem suorum peccatorum, ac propontum firmum ulterius non peccandi mortaliter cum divina gratia recedendique ab omnibus peccatis, in quibus fuerit. Et si dixerit se non sentire illum dolorem, & pœnitudinem, nec propositum recedendi à peccatis, illum non audiat, quia venit indispositus, & incapax Sacramenti, sed pro sua charitate proponat motiva, quæ illum inducere valeant ad debitum dolorem, pœnitudinem, ac propositum prædictum concipiendum. Si verò dicat se habere dolorem illum, ac propositum, inquirat motivum illius, quia sæpè talis dolor non est sufficiens materia proxima Sacramenti, ut enim talis sit, debet esse ex motivo aliquo supernaturali, ita ut sit vel contritio, vel saltem attritio supernaturalis, de quibus dictum est lib. præcedenti cap. 5. sect. 2. §. 1. & 2. Unde antequam absolvat, maximè personam rusticam, & indoctam, fa-

faciat, ut concipiat dolorem de peccatis ex metu gehennæ, aut Paradisi exclusione, quæ motiva, ut magis sensibilia sunt aptiora prædictis personis, à quibus alia altiora non ita penetrantur.

22 Post has interrogationes jubeat, ut dicat peccata sua eo modo, quo pœnitens potuerit, & sciverit, audiatque patienter, illum non interrumpendo, nisi fortè aliquam circumstantiam necessariam, quam ille explicare nescit, interrogando. Nec verbis ac gestibus, peccata audita exaggeret, vel nova, & inaudita significet, estò talia sint, ne pœnitentem in diffidentiam, vel ruborem inducat, unde cætera taceat. Postquam verò dixerit ea, de quibus recordatur, quæret ab eo per examen sect. 4. subjiciendum, quæ interroganda judicaverit, juxta statum & conditionem pœnitentis, & modum vivendi, potuisse committere.

SECTIO III.

Examen ante confessionem præmittendum, & quid Parochus in eo supplere possit.

23 Confessionem sacramentalem præcedere debet examen conscientiæ, per quod possint venire in memoriam peccata vitæ anteactæ. Hoc autem examen aliter faciendum est ab illis, qui crebrò ad confessionem accedunt; aliter ab illis, qui raro. Nam illis brevius tempus satis est, quàm istis. Sicut qui minores, vel majores habent occupationes distractivas; minora, vel majora negotia, in quibus solent esse pauciores, vel plures occasiones peccandi, brevius, vel longius tempus exigunt ad suum examen.

24 Quòd autem sufficiens saltem examen sit ita necessarium, ut excusari non possit, res est manifesta. Quia sine illo accederet quis imparatus, & faceret confessionem nullam, defectu debitæ integritatis ad validam confessionem, quod esset sacrilegium cum obligatione iterandi confessionem sic factam. Quid autem Parochus facere debeat cum iis, quos imparatos reperit, & quos debeat admittere, & juvare per interrogationes, diximus lib. 9. cap. 5. sect. 7. ex doctrina P. Soar. tom. 4. de Pœnitentia disp. 22. sect. 11. aliisque Theologis.

25 Quia verò solent esse aliquæ difficultates, quæ deterrent ab hoc examine faciendo, maximè si confessio facienda sit generalis totius vitæ, & hoc ex necessitate, non solùm ex devotione, & majori consolatione, vel saltem ex longo tempore. Proponat Parochus singulis remedia convenientia, ac proportionata, quibus tales difficultates superari possint.

26 Si prima difficultas sit, quia sæpè propter temporis longitudinem, repræsentatur pœnitenti impossibile, quòd ei in memoriam venire possint omnes species peccatorum, quæ sunt de necessitate confessionis. Quæ difficultas maximè urgere solet illos, qui diu vixerunt obliti salutis animæ suæ, & propriæ conscientiæ, vel etiam homines nimis timidos, scrupulosos, implexos, ac irresolutos.

27 Huic difficultati facilè occurri poterit per examen à nobis proponendum sect. sequenti, quòd absque difficultate reducet in memoriam species peccatorum, ac circumstantias mutantes eorum species, si facta aliquali reflexione ad tempus, ex quo pœnitens non est confessus, ad loca, in quibus fuit; ad personas, quibuscum egit; ad negotia, quæ tractavit, & ad modum vivendi, quem habuit per idem tempus. Et si bonus Parochus velit rem gratam se præstare Deo, suis ovibus, ac sibi utilem, scribat in quodam quaternione examen statim proponendum traductum lingua materna, illudque offerat personis, quas judicaverit illo indigere; & ita consulet imbecillitati multorum, & parcet aliquantulum suo proprio labori.

28 Si autem difficultas fuerit adhuc major, quia licèt homini peccatis diu immerso, per nostrum examen facilè invenire possint in mentem species peccatorum, in quas incidit; sibi tamen videatur impossibile recordari de eorum numero in qualibet specie, qui tamen numerus necessariò est explicandus in confessione, ut diximus agendo de confessione lib. 9. cap. 5. sect. 3. §. 2. consulat, ne cadat animo, quia huic difficultati occurrere potest bonus Parochus, declarando pœnitenti suo, præceptum confessionis non obligare ad dicendum in qualibet specie peccati numerum eorum mathematicè certum, ad quod requiritur extraordinaria diligen-

gentia, quæ sæpè ad id non sufficit, sed satis esse diligentiam mediocrem, & prudentem, qua posita numerum dicat parum, minusve, dicendo de numero, quòd modo illo verè sentit, & judicat. Quo sincerè facto, deobligatur à confitendo postea quodcumque peccatum singulare, quod fortè occurret in tali specie factum.

29 Si verò numerus sibi videatur ita grandis, ut nec sub illo modo eum assignare audeat, dicendo v.c. peccavi per ducentas vices in tali materia, parum minusve, quod accidere solet illis, qui longo tempore ceciderunt in idem peccatum. Dicat saltem determinatum tempus, in quo continuavit in eo peccato, & quot vicibus judicavit cecidisse in illud in quolibet mense, vel in qualibet hebdomada, vel saltem in quolibet die, v.c. si per annum distulit confessionem, & in eo solitus fuit committere sæpissimè aliquam, vel aliquas species peccati; dicat: Est annus, ex quo non sum confessus, & in hoc tempore commisi singulis diebus tale peccatum tribus, vel quatuor vicibus, decem, aut duodecim, secundùm id, quod sibi videbitur verisimilius. Quod ad peccata cordis declaranda, & desideria prava, vel delectationes morosas, magis adhuc necessarium erit talibus personis, quæ sibi nullum frænum adhibere solent. Vel dicat: Commisi in qualibet hebdomada tale peccatum per vices 18. vel 20. vel in quolibet mense per vices 50. parum, minusve. Si autem hoc modo confessus, secundùm id, quod prudenter judicabat; postea clarè compererit, ac judicaverit numerum fuisse notabiliter majorem, quàm dixerit, quando confessus fuit; declarabit postea in alia confessione talem numerum. Neque opus erit confessionem repetere, quia facta fuit bona fide, & secundùm id, quod pro tunc verum judicabat.

30 Si autem difficultas fit, quæ aliquando occurrere solet, quando nempe menti occurrunt aliqua peccata sub dubio, ita ut quis se resolvere nequeat, feceritne tale peccatum, vel non fecerit? An id, quod certè fecit, fuerit peccatum, an non fuerit? Fueritne mortale, an veniale? An confessus fuerit jam tale peccatum, quod certò judicat commisisse, an non confessus fuerit? Quæ quidem dubia ita sæpè perturbant, intricantque hominem, ut ne his cogitationibus, & perplexitatibus molestetur; examen, quod tentaverat, omittat, & confessionem differat.

31 Huic difficultati facilè occurritur per doctrinam jam traditam lib.9.cap.5. sect.3. §. 2. ubi diximus peccata certa declaranda esse ut certa; dubia, ut dubia. Unde pœnitens satisfacit declarando illa peccata sub dubio, quo illa verè concipit. Utrùm verò fuerint, vel non fuerint peccata? Utrùm mortalia, an venialia? Confessarius judicabit. Et quamvis ille fortè decipiatur, putando non fuisse peccatum, quod re vera tale fuit, aut non fuisse mortale, quod mortale fuit; non proinde confessio frustrabitur suo effectu, & valore. Si dubitat, an confessus fuerit hoc vel illud peccatum? Illud confiteatur sub eo dubio.

32 Alia difficultas esse solet nimia verecundia aliquorum peccatorum, quæ de se ruborem ingerunt, maximè mulieribus, & juvenibus. Unde aliqui deterrentur non solùm à confessione peccatorum, verùm etiam ab illorum examine, & quod pejus est, à facienda confessione integra, prout oportet ad salutem.

33 Cui difficultati occurrendum est, advertendo non benè mederi huic verecundiæ, differendo confessionem, vel faciendo illam mutilam, nullam; & sacrilegam. Quia per hæc media verecundia non tollitur, sed magis augetur, & alioqui qui salvari vult, tenetur illa peccata clarè confiteri, & aliquando pati illum ruborem, & majorem; quia illa confiteri debet, & repetere omnia, quæ dixerat in illis confessionibus sacrilegis, de ipsisque confessionibus se accusare oportet, tanquam de sacrilegiis gravissimis. Accedit, quia quò citius quæritur prudens Confessor, cui manifestentur peccata majorem confusionem afferentia, eò magis ipse ædificatur videns pœnitentis humilitatem, & victoriam de se ipso, & tanto magis afficitur erga talem pœnitentem, propter confidentiam de se factam in ea cordis sui manifestatione. Addo: Si hæc verecundia adeò urgeat, ut quis non audeat ea peccata ordinario Confessario aperire, quærendum esse alium, cui omninò

Digitized by Google

ninò pœnitens sit incognitus, cui confidenter se ipsum manifestet sine ullo, vel saltem cum minore rubore. Non autem differat confessionem, quia dilatio, ultra quod sit periculosa, quò major est, eò majorem indies parit difficultatem.

34 Parochus verò noster, ut huic malo, pro sua charitate, & prudentia, occurrat, prudenter studeat se potius facilem, quàm austerum ostendere, maximè in principio, imò & in discursu confessionis, ut pœnitens alliciatur ad se perfectè declarandum, & quando notaverit pœnitentem verecundia suffusum, & sententias, & verba quasi media proferre, interroget, quæ viderit posse in ea materia subticeri, quasi sint parvi momenti, non exaggerans, sed facilitans. Postquam verò judicaverit res verecundiores satis fuisse declaratas, tunc fungatur officio suo, reprehendendo, ut oportet, medicinam, & pœnitentiam adhibendo. Interim tamen, dum pœnitentem audit, facilitatem omnem possibilem ostendat, ut per eam vincatur rubor, & ex verecundia orta difficultas, & non magis augeatur per asperitatem, ac rigorem. Ad hoc enim charitas, & prudentia Confessoris invitare debet, prout convenit ad bonam, ac fructuosam confessionem pœnitentis.

35 Quia verò sæpè opus est, ut Parochus noster, & quilibet Confessarius suppleat non solùm difficultates, de quibus dictum est, sed etiam defectum examinis maximè in personis rudibus; quæ, licèt velint, se examinare nesciunt, visum est apponere sect. sequenti examen quoddam collectum ex doctrina jam tradita, & postea tradenda, quo uti possint non solùm qui confessiones suas exactè facere cupiunt, sed etiam Parochus ipse, & quilibet Confessarius, ut per illud pœnitentes suos adjuvare queant, maximè quando excipiunt confessiones generales, aut longi temporis hominum præcipuè rudium, qui vix conscientias suas examinare sciunt.

36 Quos sæpissimè experimur dicere quædam generalia, quibus auditis, si rogamus, quid ulterius habeant? Respondent nihil se amplius habere, à quibus si pauca interrogamus, invenimus multa, & gravissima peccata mortalia, quæ tacere quidem nolebant, sed propter ruditatem, & quandam quasi stoliditatem, & carentiam debiti examinis, cujus capaces non sunt, ea non dicebant. Quare opus est, ut charitas Parochi, & Confessarii horum defectus prudenter suppleat, maximè cùm viderit aliter suppleri non posse per debitum examen ab ipso pœnitente factum, vel faciendum. Unde semper interrogare debet, quando aliàs id non cognoverit, cujus status sit, & conditionis? Qualis nam sit ejus vivendi modus? In quo officio, arteve se exerceat, & occupetur; ut juxta proprium statum, occupationem, & modum vivendi, inquirat ea, in quibus potuit delinquere. Nec opus est, imò nec convenit interrogare omnes, & quoslibet de singulis, quæ interroganda subjicientur in quolibet præcepto, sed solùm de illis, quæ status, & conditio pœnitentis exigere videbuntur.

37 Ut autem examen facilius sit, omnia reducemus ad decem præcepta Decalogi juxta quæ pœnitentes suas confessiones ordinariè instituere solent, incipiendo à præambulis Decalogi, nempe à præceptis fidei, spei, & charitatis, quæ sunt quasi antecedentia ad primum præceptum, in quo præcipimur Deum colere, & honorare.

SECTIO IV.

Examen generale, quo pœnitentes juvari possunt ad bonas confessiones faciendas.

AD primum præceptum Decalogi quo jubemur honorem, & cultum exhibere Deo, tanquam supremo Domino, propter ejus supremam excellentiam, & dominium, reducuntur ea, quæ pertinent ad præcepta fidei, spei, & charitatis; quia prædictum honorem, & cultum Deo præstare non possumus, nisi in eum credendo, in illo sperando, illumque diligendo, & propter ipsum ea, sine quorum amore, amor ipsius non consistit, imò per actus harum trium virtutum, ut ait August. Deus à nobis maximè honoratur, & colitur. 38

§. 1.

Digitized by Google

§ I.

Examen circa fidem, spem, & charitatem.

39 *Peccata contra fidem.* QUoad fidem interroget. An fidem aliquando negaverit, vel de ea, aliquove ejus articulo dubitaverit corde, ore, vel signo aliquo externo, idque cum pertinacia, aut sine illa? Quia si hoc fecit cum pertinacia, est verè hæreticus, & est casus Bullæ Cœnæ.

An exteriùs aliquando fidem negaverit, aut aliquem ejus articulum, estò interiùs in corde fidem retinuerit, eam verissimam existimando?

An exteriùs aliquando simulaverit fidem suam, ita ut adstantes judicare possent illum non esse fidelem, aut crederent eum fuisse Judæum, Paganum, Mahometanum, Lutheranum, Calvinistam, &c. estò interiùs fidem conservaverit?

An sciat principalia mysteria fidei, qualia sunt, quæ continentur in Symbolo fidei, habeatque illorum sufficientem intelligentiam? De quo maximè interrogari debent pueri, & personæ rusticæ.

Quomodo se habuerit in tentationibus, seu dubitationibus, quæ circa res fidei fortè occurrerunt? An circa illas aliquando vacillaverit, & quomodo?

An aliquando curiosè voluerit indagare mysteria fidei, præter suum captum, exponendo se periculo errandi, vel dubitandi de illis?

An favorem aliquando præstiterit hæreticis, illos occultando, recipiendo, vel defendendo, ne caperentur à Judicibus fidei?

An aliquando legerit, vel habeat libros hæreticorum tractantes de religione, aut alios ab Ecclesia prohibitos?

An sciens aliqua eorum, quæ Inquisitores Apostolici in suis edictalibus jubent sibi denuntiari, ea nihilominus tacuerit, & non denuntiaverit?

40 *Peccata contra spem.* An aliquando desperaverit de salute animæ suæ, ita ut judicaverit eam sibi fore impossibilem, & statuerit de ea non curare?

An aliquando diffiderit de divina misericordia, credens Deum aut non posse, aut nolle ipsum salvare?

An aliquando diffiderit de remissione suorum peccatorum, aut de vitæ suæ emendatione?

An aliquando decreverit omittere, quidquid est necessarium ad salutem consequendam, vel de salute animæ suæ ulterius non curare?

An in suis adversitatibus, & laboribus confiderit aliquando magis in creaturis, quàm in Deo?

An aliquando habuerit præsumptionem, quòd nempe perseverans in peccatis suis, salvandus esset?

An speraverit se salvandum sine bonis operibus propriis, ex solis meritis Christi Domini?

An speraverit sibi peccata sua remittenda, sine illorum pœnitentia debita?

An speraverit beatitudinem, vel remissionem peccatorum propriis viribus consequendam, vel sine Christi meritis, vel præcipuè meritis suis, innixis tamen Christi operibus?

An habuerit tantam fiduciam in Dei misericordia, aut Christi meritis, ut propterea perseveravit in peccatis, vel illorum pœnitentiam distulerit?

41 An Deum diligat ex toto corde, & anima, hoc est, super omnia, seu magis, quàm omnia diligibilia? Et licèt qui mortaliter peccat, satis ostendat se Deum super omnia non diligere, siquidem ejus amori anteponit amorem creaturæ, propter quam peccat; quærat an saltem Deum in futurum statuat super omnia amare, & an doleat illum hactenus prædicto amore non amasse? *Peccata contra charitatẽ.*

An in aliquibus occasionibus habuerit hunc amorem Dei super omnia, ad quem charitas ipsum obligat.

An aliquando ita Deum amaverit, ut si non essent bona, quæ ab ipso accipit, vel sperat accepturum, illum non amaret?

An aliquando proposuerit se Deum non amaturum, si non esset Infernus, & pœnæ ipsum non amantibus decretæ?

An causa principalis amandi Deum fuerit aliquod bonum creatum, quod ab eo accepit, vel sperat, & non ejus suprema, & infinita bonitas?

An Deum aliquando odio habuerit, quia ipsum castigavit, vel castigaturus est, aut quia mala ei inflixit, aut bona temporalia denegavit, aut non prosperavit?

An

Digitized by Google

An contra Deum aliquando indignatus fuerit ex prædictis motivis, aut ex aliis?

An Deo debitas gratias deneget ob accepta beneficia creationis, redemptionis, fidei, & similia?

An se constituerit aliquando in periculo, & occasione Deum mortaliter offendendi, estò tandem mortaliter non peccaverit?

An deficiat in orando Deum pro salute sua, & in recurrendo ad ipsum in tentationibus, & aliis necessitatibus?

Peccata contra charitatẽ proximi.

42 An aliquando defuerit proximo in amore, quem ei debet ex charitate?

An aliquando optaverit, quod aliquis proximus in æternum damnaretur, vel gavisus, & delectatus fuerit de damnatione alicujus imaginata, vel eam ex corde imprecatus fuerit?

An sciens proximum fuisse in extremo periculo animæ suæ, & imminentis damnationis, ei non occurrerit prout potuit, vel non inducendo ad pœnitentiam, vel non vocando Confessorem, ut eum absolveret, vel non audiendo ejus confessionem, si Sacerdos erat?

An aliquando potens impedire peccatum proximi, illud non impediverit, vel non occurrerit gravi inopiæ, quæ ipsum peccare cogebat, vel non corripiendo, potens corripere, & habens spem, quòd correptus emendaretur?

An aliquando verbo suo, aut opere, & malo exemplo fuerit causa, ut proximus mortaliter peccaret?

An aliquando dederit consilium, aut adjutorium, vel alio modo cooperatus fuerit ad peccatum proximi per violationem alicujus præcepti Dei, Ecclesiæ, aut alicujus Superioris?

An aliquando insectatus sit personas pias, quia opera pietatis exercebant, unde eas à prædictis operibus retardaverit?

An aliquando non succurrerit per eleemosynam proximo extremè, aut graviter indigenti, cùm posset absque periculo propriæ vitæ, aut suorum?

An defuerit proximis in aliis operibus misericordiæ tam corporalibus, quàm spiritualibus, potens sine gravi incommodo suo eas præstare?

An habens sufficientem bonorum temporalium affluentiam, eleemosynas, ut plurimum, denegaverit communibus pauperibus, maximè si est Ecclesiasticus habens pingue beneficium?

Hic erat locus interrogandi de odio proximi, quod est contra charitatem. Sed de eo melius interrogabit §. 6. in quinto præcepto?

§. 2.

Examen circa primum præceptum Decalogi.

IN primo hoc præcepto jubemur Deum unum, & verum colere, honorare, & adorare, eique soli cultum, & supremum honorem exhibere, circa quod quæret, an Deum adoret, colat, & veneretur tamquam supremum Dominum, ejusque Sanctos tamquam ejus familiares, & amicos, cùm se datur occasio? 43

Peccata contra primum præceptũ Decalogi.

An Deum oret, Sanctosque ejus invocet, eisque se commendet in suis necessitatibus?

An si est Clericus in sacris, aut beneficiatus omiserit horas canonicas, & quoties, & an totum officium, vel ejus partem? Et si est beneficiatus admoneatur teneri se restituere fructus respondentes horis, quas non recitavit.

An decimas integrè persolverit? Et advertat, quòd negatio decimarum in certa quantitate est casus reservatus Episcopo, juxta dicenda cap. 10. sect. 2. §. 14.

An non persolverit Ecclesiæ primitias, quando hæ debitæ sunt, juxta dicta lib. 8. cap. 4. sect. 4.

An violaverit aliquod votum Deo, vel Sanctis factum in materia saltem gravi, & quoties? Neque est necessarium declarare materiam voti in particulari; quia peccata contra vota sunt ejusdem speciei. Nisi fortè fuerit de materia aliàs debita, vel prohibita, quia tunc necessarium erit declarare materiam voti, eò quòd tunc erit duplex peccatum, vel unum cum circumstantia mutante speciem.

An, & quoties Deum coluerit per cultum illegitimum, v. c. per sacrificia legis veteris, vel usus fuerit cæremoniis

niis

niis prædictæ legis, vel alterius sectæ, vel aliquo cultu superfluo contra Ecclesiæ usum, & consuetudinem.

An aliquando exhibuerit alicui creaturæ divinum cultum, & honorem adorando eam tanquam Deum, aut offerendo incensum, & sacrificia; credendo eidem deberi talem cultum, & honorem, vel id non credendo? Si enim credebat, commisit peccatum hæresis, & incurrit excommunicationem reservatam in Bulla Cœnæ.

An aliquando adoraverit dæmonem, eique cultum, & honorem exhibuerit, vel illum invocaverit in suum adjutorium ex corde, aut ex subita ira?

An fortè degens in terris infidelium, cultum, & honorem exhibuerit idolis, retinens in corde veram fidem, & religionem, vel eam abnegando?

An aliquando fecerit pactum cum dæmone, aut ejus ministris, sperans se aliquid obtenturum ejus arte, & industria?

An arte dæmonis, aut arte ab eo tradita voluerit aliquando scire res occultas, vel absentes, quæ naturaliter sciri non poterant?

An ex rebus merè naturalibus voluerit aliquando divinare, & scire ea, quæ sciri non poterant ex talibus rebus?

An aliquando usus fuerit sortibus divinatoriis ad sciendas res secretas, futuras, vel absentes?

An aliquando dederit fidem auguriis, aut somniis, vel usus fuerit aliquibus vanis observantiis auguriorum, ad cognoscendas res futuras?

An aliquando secum tulerit, aut habuerit certas chartas, & scripta superstitiosa, in quibus essent verba, & nomina inusitata, aut certas nominas, quibus putaret se à nemine offendi posse, vel non obiturum morte repentina, aut sine confessione, vel sanitatem conservaturum, aut consecuturum?

An similes chartas, scripta, vel nominas aliis præbuerit, exhortando, aut consulendo ad illas secum portandas, vel habendas ad similes effectus?

An crediderit per certas herbas, aut flores decerptos in die sancti Joannis ante solis ortum, sanitatem conservaturum, aut alios effectus consecuturum; & an eos ad tales fines decerpserit, aut decerpi jusserit, aut consuluerit?

An similibus superstitionibus, & rebus vanis aliquando usus fuerit, vel consuluerit, ut aliquis eisdem uteretur?

An aliquando usus fuerit arte magica ad faciendas res mirabiles, aut petierit ab aliquo, vel consuluerit, ut quis ea uteretur? Et quia in hac arte semper est pactum cum dæmone, videat an in usu illius fuerit conjuncta hæresis, juxta dicta lib. 8. cap. 4. sect. 6. §. 5.

An usus fuerit incantationibus, vel habeat libros nicromantiæ?

An curaverit aliquas infirmitates per certas orationes, quæ vix intelliguntur, vel per verba certa, & cæremonias, estò videantur piæ, aut sic curari voluerit ab alio?

An ad aliquos effectus usus fuerit rebus sacris, admiscendo determinatas circumstantias inutiles, & vanas?

An aliquando usus fuerit aliquo maleficio ad nocendum alteri, vel ad amorem turpem sibi, vel alteri conciliandum?

An ve maleficium petierit à malefico, vel consuluerit alicui, ut illud peteret, & quæ damna inde proximo secuta fuerint?

An petierit à malefico, ut maleficium per aliud maleficium tolleret?

An aliquando remedium petierit à malefico, venefico, aut venefica ad aliquid obtinendum? Et an usus fuerit remediis ab ipsis præstitis?

An aliquando blasphemaverit de Deo, affirmans ipsum hoc, vel illud facere non posse? Aut dicendo Deum esse injustum, crudelem, aut providentiam non habere, vel similes blasphemias protulerit, de quibus lib. 8. cap. 4. sect. 7. §. 1.

An Deo maledixerit, aut Sanctis ejus, vel personis sacris, quia sacræ sunt, aut aliis creaturis, & qua intentione?

An de facto Deum aliquando, vel Sanctos ejus inhonoraverit, aut res sacras, reliquias, imagines, vel Crucem spreverit, aut conculcaverit?

An aliquando tentaverit Deum, petendo, vel sperando ab illo miracula sine necessitate, aut voluerit aliquid obti-

obtinere ab ipso per media inusitata, præter communem rerum cursum?

An commiserit aliquod sacrilegium, quod potest esse in multiplici differentia, juxta dicta sect. 7. citata §. 4. v. c.

An peccaverit contra castitatem habens votum illius, vel cum persona simile votum habente, aut in loco sacro?

An posuerit manus violentas in clericum, vel religiosum, occidendo, vulnerando, percutiendo, aut similem injuriam irrogando: Vel violaverit ejus immunitatem tam canonis, quàm fori, carcerando, accusando, sententiam proferendo, exequendo, &c.

An violaverit loca sacra per effusionem sanguinis, seminis humani vel in copula, vel extra illam, vel per furtum rei sacræ, vel non sacræ, Ecclesiæ usui deputatæ, aut sub Ecclesiæ custodia constitutæ, aut per alias actiones prohibitas fieri in Ecclesia, aut per violentam extractionem personæ, quæ ad locum sacrum confugerat, & gaudebat ejus immunitate, vel ad id cooperatus sit adjuvando, aut dando consilium, &c.

An aliquando abusus fuerit rebus sacris, v. c. vasis, ornamentis, reliquiis, aut imaginibus Sanctorum?

An Deum oraverit, devotionesve aliquas fecerit, aut vota emiserit ad obtinendum pravum aliquem finem?

An aliquando commiserit simoniam, vendendo, aut emendo res sacras, v. c. ordines, Sacramenta, beneficia Ecclesiastica, & similia, dando, vel accipiendo pecuniam, aut aliquid temporale pro talibus rebus?

An, & quoties abusus fuerit Sacramentis, accedendo cum conscientia peccati mortalis ad ea, quæ gratiam prærequirunt in accipiente, qualia sunt Eucharistia, Chrisma, Unctio, Ordo, & Matrimonium, vel aliquod Sacramentum ministraverit in peccato mortali, & quoties?

An fecerit aliquam confessionem sacrilegam, vel quia peccatum aliquod mortale in ea tacuerit, vel quia debitum dolorem non habuit, aut propositum emendandi vitam? Tunc enim opus erit confiteri de novo omnia peccata, quæ tunc sine fructu confessus est, & alia, quæ postea commisit?

An aliquando omiserit confessionem annuam, vel communionem Paschatis? Et advertat huic peccato esse annexam excommunicationem Episcopalem.

An, & quoties non impleverit pœnitentias sibi impositas à Confessario, maximè autem illas, quæ dicuntur medicinales, & præservativæ?

An dederit consilium, vel adjutorium, ut aliquis commiserit aliquod ex his peccatis, aut aliquo modo ad illa fuerit cooperatus?

§. 3.
Examen circa secundum præceptum Decalogi.

AN aliquando, & quoties juraverit cum falsitate affirmando, quod non erat, vel negando, quod erat? Nec oportet declarare per quid juraverit, quia in omni juramento invocatur authoritas ejusdem Dei, sive explicitè, sive implicitè; nisi fortè juramentum fuerit blasphemum, quia tunc id declarandum erit. 44 Peccata circa secundum præceptũ Decalogi.

An aliquando, & quoties affirmaverit, vel negaverit cum juramento aliquid, de cujus veritate dubitabat?

An juraverit frequenter ex consuetudine, non advertendo utrùm esset verum, aut falsum id, quod jurabat? Et quàm diuturna, & frequens fuerit hæc consuetudo? Quæ est satis periculosa, & exposita multis peccatis mortalibus.

An aliquando juraverit falsum in judicio, & quoties, & an ex tali juramento damnum proximo secutum fuerit, & quale, & advertat tale juramentum reservari Episcopo, ut dicetur infrà cap. 10. sect. 2. §. 15.

An, & quoties aliquem induxerit ad jurandum falsum in judicio, & an inde secutum fuerit proximo damnum, & quale?

An Judici tam sæculari, quàm Ecclesiastico juridicè, ac legitimè interroganti sub juramento, veritatem occultaverit, vel juratus sit cum mentis restrictione, seu amphibologicè, ad occultandam veritatem, de qua rogabatur, & an ex hac occultatione damnum proximo secutum fuerit, & quale?

An induxerit aliquem, vel aliquos ad veritatem negandam in judicio, aut tacendam, & quod inde damnum proximo ortum sit?

An

Digitized by Google

An juraverit aliquid injustè, quamvis verum esset, v.c. detegendo sub juramento crimen occultum proximi, unde infamatus sit, aut passus aliud detrimentum?

An juraverit se aliquod peccatum commisisse cum jactantia?

An juraverit se aliquid facturum sine intentione faciendi? Quod est juramentum promissorium falsum.

An juraverit se facturum aliquod malum, quod sine peccato fieri non poterat, vel facturum aliquod peccatum, cum intentione faciendi, vel sine illa? Si enim habuit intentionem faciendi, est juramentum injustum, quod impleri non debet. Si illam non habuit, fuit juramentum falsum.

An juraverit se castigaturum filios, aut servos sine intentione illos castigandi? Si enim verè jurare voluit, est juramentum falsum: non tamen tenetur postea implere, si sibi melius videatur uti misericordia. Si tamen noluit jurare, sed usus fuit illo modo juratorio, ad terrendum, non videtur culpa, saltem mortalis.

An fecerit ex religione juramenti malum, aut peccatum, quod se facturum juraverat?

An juraverit se non facturum aliquod opus honestum, & pium, quod cederet in majus Dei obsequium? Quod juramentum implendum non est.

An juraverit cum dubio implendę rei, quam sub juramento promittebat?

An juraverit non habendo probabilem causam credendi posse se adimplere id, quod sub juramento promittebat?

An juraverit dubitans, an posset, aut deberet facere, quod promittebat?

An postea non impleverit rem, quam promisit sub juramento? Et an res promissa, quam non implevit, fuerit gravis, an levis?

An fuerit causa, quòd aliquis sub juramento falso promitteret, aut ut non impleverit juramentum licitum, quod fecerat?

Non fit hìc mentio juramenti comminatorii, quo quis malum sub juramento, in futurum se illaturum promittit, quia est juramentum promissorium de futuro, de quo jam inquisitum est. Neque de juramento execratorio, quo quis sibi, vel alteri malum aliquod imprecatur, nisi verum fit, quod jurat, vel nisi fecerit, quod se facturum promittit, aut jurat. Quia coincidit cum assertorio, & promissorio, de quibus jam inquisitum est, quod oportet.

§. 4.

Examen circa tertium præceptum Decalogi.

AN, & quoties Missam non audierit in Dominicis, & festis, non habens causam excusantem infirmitatis, aut similem? 45 Peccata circa 3. præceptū Decalogi.

An Missam integram non audierit in prædictis diebus, & quare?

An assistens Missæ, ita distractus fuerit sermocinando, vel ad alia attendendo, ut ad Missam non attenderit, perindeque se habuerit, ac si Missam non audiret?

An fuerit causa culpabilis alicui, vel aliquibus non audiendi Missam, quoties, & quot personis?

An si est pater, vel mater familias, impedierit filios, aut domesticos sine justa causa, ne Missam audierint, & quoties?

An dissimulaverit cum eisdem, qui sponte Missam non audiebant, illos nec jubens audire, nec reprehendens?

An fortè excommunicatus, aut interdictus se ingesserit ad Missam audiendam, aut divina officia, vel tempore interdicti sine privilegio Missam, aut divina audierit?

An in diebus festis laboraverit in operibus servilibus, quoties, & quanto tempore, nulla ad id cogente necessitate considerabili? Nec erit incongruum rogare in quibus operibus, quia aliqui se accusant de labore in operibus non servilibus, ut confessarius videat, an fortè peccaverint ex conscientia erronea, ut illam deponere doceat.

An, & quoties obligaverit domesticos suos, & alios servitores ad laborandum, sine causa excusante, & quot diebus, quotque personas?

An post completum 21. ætatis annum non jejunaverit in vigiliis, quatuor temporibus, & quadragesima, non habens causas excusantes? De quibus lib.8. cap. 14. sect.3.

An in collatione nocturna jejunii excesserit solitam quantitatem 8. unciarum?

An comederit carnes diebus Veneris, & Sabbati, & aliis, in quibus jejunatur,

natur, & quot diebus, & quoties in quolibet die, sine causa legitimè excusante?

An contempserit censuras Ecclesiæ, vel egerit cum excommunicato denuntiato, ob idque incurrerit excommunicationem minorem?

An cùm esset irregularis, absque dispensatione, ordines susceperit, vel in susceptis ministraverit, & quoties?

An excommunicatus aliquod Sacramentum susceperit, vel ministraverit, & quoties?

An cùm esset suspensus exercuerit eos actus, à quibus fuerat suspensus? Et quoties?

§. 5.

Examen circa quartum præceptum Decalogi.

46 Peccata contra 4. præceptum Decalogi. Filii erga parentes.

IN hoc præcepto comprehenduntur diversa genera personarum, ut constat ex dictis lib. 8. cap. 7. de quibus juxta personarum conditionem.

Filius. An defuerit parentibus in amore debito, & signis illius?

An parentes odio prosecutus fuerit optando illis aliquod malum grave?

An ipsis mortem imprecatus sit, vel eam ex animo ipsis desideraverit?

An eos criminaliter accusaverit, vel eos in litem injustam vocaverit?

An illis indigentibus alimenta denegaverit, potens ea suppeditare?

An eos deseruerit indigentes ejus opera, & industria?

An defuerit parentibus in necessitatibus spiritualibus, maximè in periculo mortis, aut alio simili?

An defuerit in adimplendis parentum testamentis, & ultimis voluntatibus?

An defuerit iisdem in suffragiis consuetis, in orationibus, & operibus piis pro eorum animabus offerendis?

An defuerit parentibus in reverentia, & honore debito exhibendo?

An parentes suos contempserit, aut offenderit verbis superbis, aut contumeliosis, vel aliter eos graviter contristando?

An parentes offenderit in factis, eos percutiendo, vulnerando, aut mortem machinando, vel de facto ad eorum mortem concurrerit?

An eos maledixerit in absentia, aut detraxerit de eorum fama, & bono nomine in re maximè gravi, imponendo eis falsa crimina, vel detegendo occulta? Quia hæc peccata præter communem malitiam contra justitiam, habent malitiam contra pietatem parentibus debitam.

An aliquando erubuerit ejus parentes, dedecusque suum crediderit agnosci eorum filium?

An defuerit in obedientia eis debita in rebus alicujus momenti ab ipsis imperatis, quæ essent licitæ, ac justæ?

An conjugem indignam, vel minus dignam acceperit, contra eorum voluntatem?

An volens contrahere matrimonium, eam non duxerit, quam parentes volebant dignam alioqui, & competentem ejus conditioni?

An officium, aut occupationem suæ conditioni indignam, ipsis contradicentibus, aut nescientibus acceperit, cum eorum dedecore, & ignominia?

An ingratus fuerit parentibus suis; cum scandalo ipsorum, aut aliorum?

Parentes. An defuerint filiis in temporalibus, denegando illis necessaria ad vitam alendam, & sustentandam, & in aliis necessitatibus corporalibus? Parentes erga filios.

An filios suos exposuerint potentes eos, utcumque alere, & sustentare?

An filiis illegitimis defuerint in præstandis alimentis debitis, ad quæ tenebantur? Et advertat matrem solùm teneri ad alendum per triennium?

An bona sua dissipaverint in damnum filiorum?

An defuerint filiis in bona doctrina tam fidei, quæ christiana dicitur, quàm etiam morum; in castigatione necessaria, aut in bonis consiliis, ac reprehensionibus, quibus à vitiis retraherentur?

An filios tractent nimis deliciosè, & proprias voluntates implere sinant?

An filios retraxerint à meliori statu capiendo, sine justa causa?

An filios, maximè verò filias coegerint ad statum vitæ, quem respuebant, vel ad quem non inclinabatur, ita ut ex eorum metu acquieverint?

An ex inordinato amore filiorum peccatum aliquod commiserint furti, usuræ, aut similia, ut eos ditiores redderent?

An filios ita asperè tractaverint, ut eos coegerint exulare, & perditè vivere?

An filios odio habuerint, illisve mala gravia ex animo imprecati sint?

An

Digitized by Google

An suo malo exemplo fuerint filiis causa peccandi, aut malè vivendi?

An consenserint, quòd filii malè viverent, vel filias prostituerint, vel illis suaserint, ut turpiter viverent, aut id permiserint?

Uxor erga maritum. Uxor. An diligat maritum, aut oderit, ei malum desiderando, aut imprecando?

An maritum honoret, & revereatur, ejusque defectus patienter toleret, & occultet?

An defuerit marito in obedientia circa ea, quæ ad bonos mores, aut domus regimen, ac gubernationem pertinent?

An dederit marito notabilem occasionem iræ, vel alterius peccati committendi?

An marito non convivat, nec cohabitet ex culpa sua?

An marito negaverit debitum conjugale, sine causa illam excusante?

An rixas in domo excitet, & pacem, ac concordiam cum marito disturbet?

An bona mariti in detrimentum domus, & familiæ dissipet, donando, aut consumendo in rebus vanis, & inutilibus?

Maritus erga uxorem. An uxorem suam diligat, an potius oderit, & despiciat?

An uxorem graviter percusserit, & quoties?

An uxorem injuriosè tractaverit contumeliis afficiendo?

An domus, ac familiæ curam despiciat, & gubernationem non curet?

An bona sua dissipet in detrimentum domus, & familiæ?

An absque causa non cohabitet cum uxore, nec illi convivat?

An deneget uxori honestam sustentationem ad vitam sustentandam?

An uxorem peccare permittat, vel illam impediat ab implendis præceptis Dei, & Ecclesiæ?

An uxorem non corripiat, cùm correptio opus est?

Servi erga dominos. Servi. An desint dominis suis in honore, reverentia, & subjectione?

An defuerint dominis in obedientia circa ea, quæ justè præcipiunt in ordine ad debitum servitium, & obsequium?

An eisdem defuerint in obedientia in ordine ad correptionem morum?

An neglexerint curam eorum, quæ sibi à dominis commendantur?

An dominos oderint, mala imprecentur, aut injuriosè respondeant?

Famuli liberi conducti de iisdem similiter cum proportione interrogandi sunt.

Domini erga servos. An defuerint servis, aut famulis in iis, quæ sunt ad vitam necessaria?

An sint negligentes in corrigendis, & emendandis illorum pravos mores?

An illos impediant ab impletione præceptorum Dei, vel Ecclesiæ?

An jusserint, vel consuluerint, ut committerent aliquod peccatum, vel damnum aliquod proximis irrogarent?

An prohibuerint servis suis matrimonia, indeque sint in causa, ut vivant luxuriosè, aut in concubinatu?

An doceant, vel doceri curent servos suos de doctrina christiana, & de illis, quæ conducere solent ad christianè vivendum?

Pupilli erga tutores. Pupilli, & minores respectu tutorum, & curatorum interrogandi sunt de iis, de quibus filii respectu parentum, quia illos habent eorum loco, illisque debent, servata proportione, quæ filii debent parentibus.

Tutores erga pupillos. Tutores, & curatores respectu pupillorum, & minorum interrogandi sunt de iis, de quibus parentes respectu filiorum, quia illis ferè debent, quæ parentes filiis, illis enim sunt loco parentum. Et insuper:

An fecerint inventarium de bonis temporalibus pupillorum, quod facere tenentur?

An vendiderint eorum bona mobilia, quæ cum utilitate servari non possunt, & ex pecunia emerint bona stabilia, ut tenentur?

An ipsorum incuria, & negligentia pupilli, & minores passi fuerint damnum in bonis suis?

An bona pupillorum, & minorum convertant in bonum suum cum illorum damno?

Subditi erga superiores. Subditi. An defuerint prælatis, & superioribus spiritualibus in debita observantia, reverentia, & honore?

An defuerint in obedientia, ac submissione eis debita?

An justas Prælatorum, ac Superiorum leges, aut præcepta transgressi fuerint, & quoties, & in qua materia?

An scientes ea, quæ Prælati jubent denuntiari sub excommunicatione, tacuerint potentes, ac debentes ea revelare?

Digitized by Google

An contempserint, aut notabiliter despexerint Prælatos, & Superiores suos?

An Prælatos, ac Superiores contumelia, irrisione, subsanatione, aut simili inhonoratione dehonestaverint?

An murmuraverint de suis Superioribus detrahendo de eorum fama, & bono nomine in rebus gravibus, imponendo illis falsa crimina, aut detegendo secreta?

An temerariè, & sine fundamento judicaverint de actionibus superiorum, affirmando illos ex passione, aut propria utilitate sola duci?

An ex contemptu Prælatorum, ac Superiorum aliquid fecerint, vel omiserint?

An defuerint personis majoribus in ætate, in officiis, aut dignitate constitutis in debita observantia, an illas contempserint, irriserint, aut subsanaverint.

Superiores erga subditos.

Prælati. An deficiant sibi subditis in vitæ exemplo?

An deficiant ut residentia suæ Ecclesiæ extra casus sibi à jure permissos.

An invigilent circa peccata publica subditorum, maximè Clericorum, & Parochorum, vel potius cum illis dissimulent, dando occasionem liberius peccandi?

An desint in correctione, ac emendatione subditorum, unde ipsi liberius vivant?

An bonos, & idoneos ministros constituant, nempe Parochos, Vicarios, Visitatores, & similes?

An incuria, & negligentia sua subditi perditè vivant?

An conferant ordines, aut beneficia personis indignis, maximè curata?

An elegerint minus dignum, relicto digniore, quando beneficium datur per concursum?

An destituant subditos suos pabulo verbi Dei, nec Prædicando per se, nec substituendo viros doctos, & pios, qui hoc munus obeant?

An deficiant in visitatione Diœcesis sine causa excusante? Et an tunc deficiant in mittendis idoneis visitatoribus?

An deficiant in cura miserabilium personarum; & in eleemosynis faciendis ad quas tenentur?

An desint in administranda justitia partibus ad ipsos confugientibus?

An simoniam commiserint accipiendo pretium per se, aut per suos domesticos, pro beneficiis, quæ conferunt, pro ordinibus, & aliis rebus sacris?

Vassalli erga Principes.

Vassalli. An defuerint Principibus temporalibus, eorumque Magistratibus in debita observantia, in honore, reverentia, ac submissione?

An defuerint in obedientia in iis, quæ justè præcipiunt, aut prohibent?

An eisdem denegent justa tributa, vectigalia, & pedagia necessaria ad bonum publicum conservandum, ac tuendum?

An defraudaverint bona Principum, quæ fortè administrarunt in perniciem Reipublicæ, & boni communis?

Principes erga Vassallos.

Principes, & Magistratus. An abutantur potestate, quam habent in perniciem populi, quem gubernant?

An justitiam partium violaverint, vel ita sint morosi in ea administranda, ut cogant partes ad expensas non ordinarias faciendas?

An dissimulent peccata publica, non castigando delinquentes, secundùm leges?

An defecerint in præmiando viros de Repub. benemeritos?

An malè de Repub. meritos præmiis affecerint, & honoribus?

An bona Reipub. in malos usus convertant, & similiter tributa & vectigalia?

An tributis injustis populos gravent, unde in miseriam adducantur?

An malo vitæ exemplo populo sint occasio peccandi?

An munera accipiant pro iis, quæ ex officio, & justitia præstare debent?

Fratres. An deficiant fratribus, & sororibus in amore fraterno, & mutua benevolentia?

An inter illos fuerint discordiæ, unde nec se videant, visitent, nec alloquantur cum scandalo populi, aut viciniæ?

An eos odio prosequantur, mala desiderent, aut imprecentur ex animo?

An illis lites injustas tentaverint, aut damnum aliquod procuraverint?

An fratribus, aut sororibus extremè, vel graviter indigentibus alimenta denegaverint, potentes ea præstare?

An negaverint sororibus indigentibus dotem congruam, quæ succederet

loco

Digitized by Google

loco alimentorum, potentes eam tribuere?

An fratribus indigentibus, non habentibus patrem, negaverint impensas, ut honestam aliquam artem addiscerent unde honestè vivere possent?

Consanguinei erga consanguineos. Consanguinei. An habeant cum suis consanguineis, & affinibus odia, inimicitias, rixas, discordias, lites injustas cum scandalo populi? de hoc specialiter interrogentur generi, & nurus, ac similes personæ.

§. 6.

Examen circa quintum præceptum Decalogi.

48 Peccata circa 5. præceptū Decalogi. AN proximum occiderit, vulneraverit ex odio, & malevolentia, & animo vindictæ?

An proximum vulneraverit, percusserit, vel mutilaverit, ex eodem odio, & vindicta?

An proximum occiderit, vulneraverit, aut mutilaverit, aut percusserit ex subita ira, aut in aliqua rixa?

An occiderit, vulneraverit, aut percusserit patrem, matrem, fratrem, vel sororem, aut aliam personam sanguine junctam? quod peccatum præter communem malitiam homicidii, habet aliam specialem contra pietatem debitam talibus personis.

An occiderit, vulneraverit, mutilaverit, aut percusserit clericum, vel religiosum? quod peccatum habet adjunctam malitiam sacrilegii cum excommunicatione annexa Papæ reservata.

An occiderit, vulneraverit, vel mutilaverit in loco sacro, v. c. in Ecclesia, aut Cœmeterio? quod etiam addit sacrilegium, per quod violatur Ecclesia.

An per se solùm, vel cum aliis simul à se verbo, aut exemplo provocatis occiderit, vulneraverit, vel percusserit?

An multo tempore, & quanto perseveraverit in proposito, vel desiderio occidendi, aut percutiendi proximum suum?

An venenum alicui propinaverit per se, vel per alium, unde mors proximi secuta fuerit, vel sequi potuerit?

An percusserit fœminam prægnantem, unde secutus fuerit abortus, aut sequi potuerit?

An ex occisione, vulnere, vel mutilatione dederit damnum uxori, filiis, aut parentibus occisi, aut vulnerati; quibus facienda sit restitutio?

An occiderit servum alicujus, damnificando dominum ejus, cui pretium debeat restituere?

An mandaverit, aut consuluerit alicui, ut occideret proximum, mutilaret, vulneraret, aut percuteret, aut dederit ad id adjutorium aliquod, vel favorem?

An approbaverit, vel laudaverit prædicta facientes, quot laudaverit, & quoties?

An ad duellum aliquem provocaverit, aut ab alio oblatum acceptaverit, & an in illo occiderit, aut vulneraverit?

An procuraverit abortum, vel illud alicui consuluerit, aut ad illum adjuverit, quærendo, aut applicando remedia. Et an fœtus fuerit jam animatus, aut dubium fuerit de ejus animatione?

An sibi mortem aliquando procuraverit, intentaverit, aut etiam desideraverit ex malo fine?

An fuerit sibi causa damni gravis in sanitate, & vita propria per cibos nocivos, aut immoderatos, aut etiam per nimium potum?

An se voluntariè inebriaverit, indeque sibi, vel proximo damna evenerint?

An in periculosa infirmitate detrectaverit medicamenta, quibus curari poterat, indeque infirmitas aggravata fuerit?

An aliquem odio prosecutus fuerit, procurando, aut desiderando ei grave malum vel in vita, vel in fama, aut honore, vel etiam in bonis fortunæ, & quanto tempore fuerit in hoc odio, & mala voluntate, & an adhuc perseveret?

An aliquem, vel aliquos, & quot incitaverit ad habendum odium, aut ad persistendum in illo, & quoties?

An aliquem, vel aliquos, & quoties induxerit ad sumendam vindictam, vel illam consulendo, vel referendo aliquod dictum, vel factum illius, ad cujus vindictam incitare volebat, unde alius incitatus fuerit ad eam capiendam? Et an inde secutum fuerit damnum proximi ab ipso prævisum, vel cogitatum?

An & quoties complacuerit, ac delectatus fuerit de morte proximi vel reali, vel cogitata, aut de alio malo gravi corporis?

An aliquando, & quoties iratus fuerit

Digitized by Google

contra proximum verbis, aut factis injuriosis?

An aliquem, vel aliquos, & quoties incitaverit ad iram per exhortationes, & consilia?

An approbaverit, aut laudaverit mala ab aliis vitæ proximi illata?

An alicui, vel aliquibus ex corde maledixerit, vel mala gravia imprecatus sit tam vivis, quàm etiam jam defunctis?

An alicui damnationem æternam desideraverit, vel ex corde imprecatus fuerit?

An aliquem injustè ex odio miserit in carcerem, aut in eo jam missum detinuerit, vel litem injustam intentaverit, aut prosecutus fuerit?

An ab aliquo à se injustè offenso veniam non postulaverit, nec debitam satisfactionem obtulerit, ejusque amicitiam, aut reconciliationem non procuraverit?

An alicui, à quo offensus fuit, petenti veniam, offerentique congruam satisfactionem, offensam non remiserit, aut in bonam amicitiam redire noluerit?

An alicui denegaverit communia officia charitatis, v. c. salutationem, & similia, & an de eo fuerit scandalum inter aliquos?

An ductus ira, & rabie seipsum ex corde maledixerit, vel sibi mortem ex animo imprecatus fuerit?

Judex. Judex. An damnum corporale proximo injustè tulerit per carceres, tormenta, aut similes actiones vitæ, & sanitati nocivas?

An aliquo modo concurrerit, ad sententiam injustam mortis, mutilationis membri, torturæ, aut similium damnorum corporalium?

Medicus. Medicus. An ejus causa, & incuria vita, aut sanitas proximi periclitata fuerit, vel deperdita?

An propter ejus negligentiam in studendo, in attendendo ad infirmitates, aliquis mortuus fuerit, aut ejus sanitas valdè periclitata fuerit?

An aliquando applicaverit medicamenta periculosa; non consuluerit medicos magis peritos, ac expertos, vel impedierit, ne alii medici vocarentur, unde infirmus vel mortuus fuerit, vel ejus infirmitas aggravata sit?

Pharmacopola. Pharmacopola. An vendiderit medicamenta adeò vetera, ut jam non haberent virtutem ad effectum sanitatis, qui intendebatur; unde mors alicujus secuta fuerit, vel grave aliquod detrimentum in sanitate?

An vitiaverit medicamenta in damnum sanitatis alienæ?

An venena vendiderit, vel ea præparaverit ad cooperandum morti alicujus?

An venena vendiderit sciens, vel suspicans cum rationabili fundamento emi ad mortem alicujus procurandam?

An aliquis aliquando negativè se habuerit, impediendo mortem proximi, quam poterat impedire, idque justitia, vel saltem charitas postulabat?

§. 7.
Examen circa sextum præceptum Decalogi.

IN hoc præcepto explicitè prohibentur omnes actus externi contra castitatem, & implicitè interni, qui explicitè prohibentur in nono, de quibus ibi fiet examen: quando verò Parochus examinaverit circa hæc duo præcepta, sciat primus statum pœnitentis, an scilicet sit solutus, an conjugatus, Clericus in sacris, an aliunde habens votum castitatis? quia posita hac notitia, multas circumstantias peccati agnoscet, & liberabitur à variis interrogationibus. De quibus autem homo interrogatur in ordine ad mulierem, interrogetur mulier in ordine ad virum. 49

An & quoties fornicatus fuerit cum muliere soluta? Nec opus est explicare, nec inquirere, an fuerit vidua, vel non vidua.

An sit in concubinatu cum tali muliere, & à quo tempore? Et advertat quòd tales non sint in statu pœnitentiæ, seu absolutionis, nisi prius concubinam dimittant, & præbeant aliqua signa emendationis. Quærat autem an concubinatus sit publicus, & scandalosus, an potius secretus, & ignotus?

An, & quoties commiserit adulterium cum muliere conjugata? Et si ipse sit conjugatus, id etiam explicandum erit, propter multiplicem malitiam ejusdem actus.

An, & quoties commiserit incestum cum aliqua consanguinea, aut affine inter gradus prohibitos? Et in quo gradu erat consanguinea, aut affinis? An fuerit

Digitized by Google

sit mater uxoris suæ, aut ejus soror? Et sic de reliquis.

An commiserit incestum cum persona conjuncta ex adoptione, in ea conjunctione, quæ inducat impedimentum dirimens cum tali persona. De quo vide lib. 8. cap. 9. sect. 2.

An commiserit incestum cum matre, aut filia, vel sorore suæ sponsæ de futuro? In quo est specialis malitia contra publicam honestatem, & dirimit subsequens matrimonium cum sponsa.

An commiserit fornicationem sacrilegam cum persona Deo sacra, v. c. religiosa, vel habente votum castitatis? Et an ipse habeat simile votum? quia tunc erunt duo sacrilegia.

An fornicatus sit cum aliqua muliere in loco sacro, v. c. in Ecclesia, vel cœmeterio? quod etiam est sacrilegium.

An fornicatus sit cum filia spirituali, quam Baptizavit, aut Confirmavit, vel cujus patrinus fuit in Baptismo, aut Confirmatione, aut cum matre illius?

An fornicatus fuerit cum muliere virgine, illam per vim deflorando? In quo casu præter malitiam fornicationis est malitia stupri.

An rapuerit per vim mulierem, sive virginem, sive non virginem, in causa libidinis ei vim inferendo, vel saltem illis, qui ejus curam gerebant? In quo casu præter malitiam fornicationis, est etiam malitia raptus.

An habuerit rem cum virgine, aut vidua honesta illam decipiendo sub spe, aut promissione futuri matrimonii, quod non intendebat contrahere? Et advertat ad obligationem, quam habet ducendi, vel dotandi talem mulierem, juxta dicta lib. præcedenti cap. 8. sect. 1. & dicenda infrà cap. 4. sect. 6. n. 292.

An, & quoties solicitaverit aliquam mulierem pro se, vel pro alio, & quæ fuerit conditio, & status mulieris solicitatæ?

An fuerit instrumentum, ut aliquis peccaret cum muliere, deferendo litteras amatorias, munuscula, vel legationes ad eumdem finem?

An consuluerit, vel adjuverit aliquem, illum comitando, defendendo, aut quovis alio modo protegendo, ut similia peccata committeret?

An commiserit peccatum aliquod contra naturam? quod variis modis committi solet, & habet malitiam etiam ex circumstantiis personæ peccantis & complicis, sive objecti imaginati, imò & loci, juxta superius insinuata. Unde quærat.

An commiserit peccatum mollitiei semen effundendo, se ad id provocando?

An tunc cogitaverit aliquam personam, quasi cum ea peccaret? Et quæ fuerit qualitas, seu status personæ cogitatæ? quia si fuit mulier conjugata, habuit malitiam adulteriis si consanguinea, aut affinis habuit malitiam incestus, & sic de cæteris.

An diu continuaverit in hoc peccato, à quo tempore, & qua frequentia? Et advertat esse hoc genus peccati difficillimæ emendationis, quod indiget pœnitentiis medicinalibus serio adhibitis, & exercitis, quas præscribuntur Doctores, & nos cùm de illo ageremus.

An passus fuerit pollutiones inter dormiendum, data ad id causa antecedenter, cogitando, v. c. voluntariè res turpes, audiendo, aut loquendo de illis, aspiciendo fœminas, picturas inhonestas, aut legendo libros lascivos?

An complacuerit de pollutione habita inter dormiendum, propter delectationem, quam in ea habuit? quia talis complacentia erit peccatum; aliter verò si de illa complacuit ob aliquem finem honestum, v. c. ob sanitatem, & similes.

An pollutiones nocturnæ sibi contigerint partim inter dormiendum, partim in semivigilia, aut vigilia perfecta? Et tunc judicet de consensu, si fortè fuit, aut de eo dubitat, secundùm libertatem perfectam, aut imperfectam, aut nullam, quam habuit, vel non habuit.

An non dando causam pollutioni nocturnæ, quam expergefactus expertus est, ceperit de illa delectationem voluntariè?

An sibi in vigilia pollutione ex causis naturalibus contingente, liberè in ejus delectationem consenserit, & quoties?

An dederit pollutioni causam, quam alioqui removere teneretur, estò nullus fuerit consensus, nec periculum illius?

An peccatum mollitiei commiserit cum aliqua persona, & quæ fuerit ejus conditio, & status, & an ejusdem, vel diversi sexus?

An commiserit peccatum bestialitatis

Digitized by Google

per copulam cum aliqua bestia? quod peccatum, ut plurimum, solent committere personæ rusticæ, & agrestes.

An concubuerit cum dæmone speciem humanam præ se ferente? Quod peccatum enormissimum solet committi à fœminis sagis, & strigibus.

An, & quoties commiserit sodomiam cum persona ejusdem sexus, vel diversi, sed in vase præpostero; & quis fuerit status, & conditio personæ, & ipsius peccantis?

An hoc peccatum commiserit activè tantùm se habendo, an simul activè, & passivè?

An ita sit congressus cum muliere, ut semen in vase naturali recipi non potuerit, vel de eo fuerit probabile periculum; aut id ipsum intenderit, ne mulier prægnans redderetur?

An habuerit tactus impudicos cum fœmina, vel cum mare causâ delectationis ex ipsis consurgentis? Et an inde secuta fuerit pollutio, aut stillatio in ipso, vel in complice, aut in utroque? Et quæ fuerit conditio, & status utriusque?

An amplexatus fuerit, vel osculatus fœminam, vel marem, ex eodem fine delectationis, indeque secuti fuerint effectus supradicti?

An se ipsum tetigerit impudicè, vel permiserit se ab alio, vel alia tangi, & quanto tempore? Et an inde secuta fuerit pollutio, an sola gravis alteratio, & commotio?

An habuerit alios tactus minus libidinosos, & impudicos, v. c. manus, pedis, & similes, causâ delectationis inde provenientis?

An libidinosè aspexerit personam aliquam, eam concupiscendo? Cujus status, & conditionis fuerit persona sic visa, & ipse videns?

An fuerit ita liber in his aspectibus, ut quotquot fœminas viderit, omnes desideraverit, & consensum præbuerit peccato, quamvis nesciverit illarum statum, & conditionem? Hoc autem confiteri debet juxta superius dicta, aperiendo tempus, & vices, quibus sic aspexerit singulis diebus, hebdomadis, vel mensibus?

An domo sua exierit ad ambulandum per plateas hoc fine videndi mulieres, ut eas concupisceret, vel cum periculo talis concupiscentiæ?

An amore alicujus mulieris captus, eam inviserit, allocutus fuerit, vel quæsierit ad videndum, & alloquendum?

An ad talem mulierem litteras amatorias, vel etiam obscœnas scripserit, aut legerit ab ea sibi missas, quo animo, & qua diuturnitate, & qui inde effectus secuti sint?

An aspexerit libidinosè partes verendas fœminæ, aut alias viciniores valde provocantes ad luxuriam, & quoties, & qui effectus inde secuti fuerint?

An partes etiam verendas viri, aut suas proprias ex eadem libidine, aut vana curiositate aspexerit, & quid inde secutum fuerit?

An, & quoties locutus fuerit, vel audierit loquentes de rebus turpibus, & obscœnis, & an ex delectatione rerum narratarum, vel auditarum, vel ex solo vano solatio?

An, & quoties per talia verba alios excitaverit ad loquendum similia, eosque induxerit ad concupiscendum interius, vel etiam ad externè peccandum?

An legerit libros lascivos, & similia scripta, ex quorum lectione se provocaverit ad res obscœnas desiderandas, aut etiam exequendas?

An excitaverit alios, vel consuluerit ad similes libros, vel scripta legenda, vel illos alicui ministraverit, vel vendiderit?

An, & quoties desideraverit ab aliqua persona turpiter amari; vel se studiosè composuerit, ut alicui placeret ad eumdem finem?

An deliberatè quæsierit occasiones, ex quibus prævidebat se inducendum ad peccatum aliquod in hac materia, vel periculum illius timebat?

Conjuges etiam possunt peccare in hac materia. 1. Si in usu matrimonii vir cogitaverit de alia muliere, uxor de alio viro. Et debent explicare conditionem, & statum personæ sic cogitatæ.

2. Si ratione situs fuerit periculum effundendi semen extra vas naturale; vel si voluntariè id contingat, ne uxor gravida efficiatur.

3. Si conjux negavit debitum conjugale conjugi legitimè petenti?

4. Si conjux emisit votum castitatis ante, vel post contractum matrimonium, & petat debitum, non obtenta dispensatione.

5. Si conjux commisit incestum cum persona consanguinea sui conjugis, vel contraxit aliquam cognationem spiritua-

tua-

tualem cum eodem; tunc enim non potest petere, ante dispensationem.

6. Si fuerit probabile periculum abortus.

§. 8.

Examen circa septimum præceptum Decalogi.

50 Circa hoc præceptum attendenda est conditio pœnitentis, status, officium, ac occupatio, & quisquis est specialiter interrogandus de iis, quæ unicuique solent accidere. Generaliter ab omnibus quæri potest.

An furatus sit pecuniam alienam, aut aliquid pecunia æstimabile, quoties, & in qua quantitate.

An furatus sit parvam quantitatem, quia majorem non invenit, habens animum furandi magnam, si illam invenisset?

An per minuta furta furatus sit magnam quantitatem, intendens per pauca ad notabilem quantitatem devenire. Tunc enim in quolibet minimo furto peccavit mortaliter ex prædicta intentione?

An sine ea intentione per minuta furta devenerit ad quantitatem sufficientem ad peccatum mortale. Quia tunc, cùm eam implevit, peccavit mortaliter. In quo maximè peccant famuli, & emptores dominorum, ac communitatum, & qui vendunt per minuta falcantes ad id mensuras, & pondera.

An communi consilio, consensu, exemplo, aut cohortatione plures notabilem quantitatem furati sint, estò quilibet leve quid usurpaverit?

An furatus sit rem sacram, vel rem non sacram de loco sacro, quæ esset de usu Ecclesiæ, vel sub ejus custodia constituta? Quod ultra furtum est sacrilegium.

An aliquid furatus fuerit per rapinam, hoc est, illud per vim usurpando? Quia tunc addit supra furtum novam speciem injuriæ.

Filii familias interrogentur an usurpaverint ex bonis paternis notabilem quantitatem, in quo pater fuerit rationabiliter invitus? Quando autem pater sit, vel non sit rationabiliter invitus, diximus lib. 8. cap. 10. sect. 1.

Uxores interrogentur an usurpaverint ex bonis mariti, vel quorum ipse habet administrationem, notabilem quantitatem; ipsis rationabiliter invitis. Et advertat ad casus, in quibus ipsæ sine culpa possunt usurpare. De quibus eadem sect. 1.

Mariti interrogentur an bona consumant in ludis, comessationibus, & similibus in damnum uxoris, filiorum, & familiæ?

An vendens occultaverit vitium rei, propter quod minus valebat, pretiumque accepit, ac si vitium non habuisset? Quia tunc, præter dolum, furatus est excessum valoris.

An vendiderit res suas majori pretio justo, quia credito illas dabat? In quo est furtum per usuram, seu usura palliata.

An emerit viliori pretio justo, quia pretium anticipatè dedit? Quod etiam est furtum per usuram.

An dederit alicui mutuum, & aliquid postea accepit ultra id, quod mutuum dedit? Quod etiam est furtum per usuram.

An obligatus restituere, & potens, id non fecerit, & quoties, & per quod tempus distulerit restitutionem? Non enim solùm peccaverit, sed tenetur ad damnum, quod inde creditor injustè passus est.

An inveniens aliquid alienum, id sibi acceperit, non faciens diligentiam, ut rei dominum inveniret? Vel si dominus, facta diligentia, non comparuit, rem, aut valorem ejus non expendit in pauperes?

An negaverit aliquod debitum, quod se debere sciebat?

An à latrone aliquid dono acceperit? aut res furto ablatas custodierit? aut dederit consilium, aut adjutorium ad furandum, vel alio modo ad furtum cooperatus sit?

An aliquid acceperit ab eo, qui dare non poterat, v. c. à filio familias, à servo, aut similibus, vel ab iisdem emerit res, quas vendere non poterant, nisi furto ablatas?

An in ludo aliquid lucratus fuerit ab eo, qui perdere non poterat, v. c. à filio familias, aut servo? est enim tale lucrum furtum patri, aut domino restituendum.

An in ludo lucratus fuerit per eos dolos, quos justitia ludi non patitur, v. c. per chartas, aut talos falsos, aut per chartas furtim acceptas, & alios dolos simi-

similes ? Hoc autem lucrum furtum est, & non lucrum.

An acceperit pecunias ab illis, quibus eas solvere tenetur, ut debita solveret, quæ quidem involuntariè dantur, quia solutiones eis differuntur, nec aliter fiunt. In quod peccatum incidere solent thesaurarii, qui ut solvant centum, viginti sibi retinent, & solvunt octoginta. Quod est furtum cum obligatione restituendi.

An distulerit solutiones, quas ex justitia debebat mercatoribus, vel aliis, quibus debebat ex mutuo, aut alio titulo, unde proximus damnum passus fuerit ?

An negaverit, vel distulerit salarium officialibus, operariis, & servitoribus, qui sibi operas suas locarunt, vel servitium pro pretio præstiterunt?

An pro negotiis, quorum expeditionem egit, acceperit aliquid, ultra id, quod valet industria, & labor ab ipso præstitus ? In quo solent peccare bancarii, & negotiorum gestores.

An dederit damnum injustum proximo, occidendo, vel mutilando ejus servum, bovem, equum, & similia animalia ?

An per sua animalia, & pecora comederit aliena pascua, segetes, vineas, aut damnificando eas ? De quo maximè interrogandi sunt pastores, qui culpa sua sinunt damna ista inferri per animalia suæ curæ commissa.

An proximum impedierit ab aliqua re temporali consequenda per dolum, fraudem, mendacium, &c.

An usus fuerit officio, quod gerit in damnum injustum alicujus ? De quo maximè interrogandi sunt ministri justitiæ.

An administrans bona publica, v. c. Regis, Communitatis, Hospitalis, &c. aliquid ex illis sibi applicaverit, vel sine fideli cura perdiderit ; aut ea non expenderit, ut mandabantur expendi ?

An defuerit in adimpletione alicujus testamenti, non faciendo suffragia, non solvendo legata, debita, & similia mandata à defuncto ?

An aliquem damnificaverit per contractum injustum cambii, aut alterius?

An mandaverit fieri aliquod damnum proximo in bonis suis, vel illud consuluerit, aut consenserit, quòd fieret, aut aliquo modo ad illud cooperatus sit ?

An potens impedire simile damnum, quod ex officio impedire tenebatur, illud non impedierit ? aut si ex sola charitate id poterat, non impedivit ?

§. 9.
Examen circa octavum præceptum Decalogi.

51 HOc præceptum dirigitur ad conservandum illæsum honorem, & bonam famam proximi : contra quod perinde est quidquid contra utrumque committitur : quò reducuntur peccata, quæ committi solent in judicio, de quibus, post interrogationes omnibus communes, faciendæ sunt eæ, quæ à personis in judicio intervenientibus committi solent.

An falsum testimonium dixerit in judicio, & quod inde proximo damnum evenerit ? Et notet juramentum falsum in judicio communiter reservari Episcopo.

An aliquem induxerit ad jurandum falsum in judicio ? Et advertat non excusari eos, qui in judicio falsum jurant eo animo, ut alicui benefaciant.

An in his casibus præter infamiam, damnum temporale proximo secutum fuerit ?

An mentitus sit extra judicium imponendo proximo aliquod crimen, ex quo ei infamia, & sinistra opinio sequeretur ?

An detexerit peccatum grave proximi, quod secretum erat ?

An publicaverit defectus naturales proximi, qui erant occulti, unde ejus fama detrimentum passa sit ?

An deditus sit murmurationibus, & detractionibus, in quibus peccata, & defectus proximorum tam morales, quàm naturales aperiuntur ?

An libenter audierit murmurantes, & detrahentes, illosve incitaverit, & provocaverit ad detrahendum de fama proximorum, vel applauserit murmurationibus auditis ?

An potens sine suo incommodo detractores impedire, illos non impedierit ?

An fecerit libellum aliquod famosum ad proximum infamandum imponendo ei falsa crimina, aut manifestando occulta, aut defectus naturales ex quorum im-

Digitized by Google

impositione, aut publicatione proximus infamatus sit?

An casu inveniens prædictos libellos famosos, aut chartas, eas publicaverit?

An signa dehonestativa proximi ad portas ejus appenderit, vel jusserit, aut consuluerit appendi, v. c. cornua, & similia, unde fama, & honor proximi labefactaretur?

An contumeliam proximo irrogaverit in ejus præsentia, objiciendo ei crimina, vel defectus morales, unde ejus honor depressus fuerit, ipseque justè contristatus?

An convitiatus fuerit proximo, objiciendo ei defectus naturales, vel verbis eum asperè tractaverit, unde ipse ruborem, & pœnam saltem gravem contraxerit?

An proximum irriserit, vel gestibus subsanaverit, unde similem ruborem, ac pœnam contraxerit?

An seminaverit discordias inter proximos per susurrationes, fingendo quæ quis dixerit, & fecerit contra alium; vel narrando ei, quæ verè dixit, aut fecit, unde odia, & discordiæ inter duos, vel plures secutæ fuerint?

An dixerit mendacia perniciosa in damnum, vel injuriam proximi? Et an mendaciis frequenter utatur in humano commercio?

An sine sufficienti fundamento temerariè judicaverit de malo proximi; vel an id, quod temerariè judicavit, aliis aperuerit?

An ex levibus fundamentis malè suspicatus fuerit de proximo, & an suas suspiciones, ac imaginationes aliis significaverit?

An aliquod peccatum suum occultum propalaverit, jactando se de illo, unde alii incitati fuerint ad simile peccatum committendum? Vel unde filii, & propinqui detrimentum passi sint in bona fama?

52 De peccatis in judiciis contingere solitis, sic interrogandæ sunt personæ, quæ in illis interveniunt.

Iudex. Judex. An judicaverit, aut cognoverit de causa personæ sibi non subditæ?

An se intromiserit in causas Ecclesiasticas, vel clericorum, quæ ad ipsum non pertinebant?

An vi, vel fraude extraxerit ab Ecclesia delinquentem ad eam confugientem, in casibus, in quibus ejus immunitate gaudebat? Et advertat esse casum reservatum Episcopo.

An excommunicatus judicia, actusque judiciales exercuerit?

An aliquem condemnaverit ex privata scientia?

An aliquem condemnaverit contra formam juris, negando terminos debitos, vel illos extendendo in damnum alicujus?

An aliquem condemnaverit nec citatum, nec auditum?

An aliquem condemnaverit ex cognitione criminis extorta per injuriam?

An inquisitionem de aliquo inchoaverit, nulla præcedente infamia, accusatione, aut denuntiatione?

An per tormenta, vel metum incussum confessionem criminis extorserit, quando non erant indicia idonea ad torturam?

An dolo reum induxerit ad confitendum crimen?

An judicaverit contra id, quod leges disponunt, aut contra sententias Doctorum?

An alicujus causæ sententiam distulerit per preces, munera, &c.

An admiserit appellationem, quæ neganda erat, vel negaverit, quæ erat concedenda?

An munera per se, vel per suos à partibus acceperit, ob quæ sententiam protulerit?

An damnum injustum dederit proximo per sententiam injustam, & quale?

Accusator. An accusaverit aliquem ex odio, & non ex zelo justitiæ? Accusator.

An accusaverit aliquem de crimine falso, vel de eo, quod probari non poterat?

An induxerit testes falsos ad probandum crimen, de quo accusaverat, estò crimen verè commissum fuerit?

An, & quale damnum dederit proximo contra justitiam per suam accusationem?

Denuntiator. An denuntiaverit aliquem ex odio, & inimicitia? Denuntiator.

An denuntiaverit criminosum occultum, qui nulla laborabat infamia, de quo nihil mali timebatur in futurum?

An denuntiaverit criminosum, non præmissa correctione fraterna, in casibus, in quibus illa locum habebat?

An

Digitized by Google

An non denuntiaverit crimen vergens in damnum publicum, maximè si adhuc erat in fieri, unde impeditum non est?

An jussus per Prælatum non denuntiaverit crimen, quando denuntiare tenebatur? de quo vide quæ dicta sunt lib. 8. cap. 7. sect. 4.

An denuntiaverit aliquem de crimine falso, vel de crimine occulto, de quo nulla erat infamia, estò juridicè interrogaretur?

Reus. Reus. An sciens se legitimè interrogari à judice, crimen negaverit cum juramento? & an cum eodem negaverit complices delicti, quando illos manifestare tenebatur?

An quando licitè poterat negare crimen, & complices, juraverit sine restrictione mentali, indeque juramentum falsum evaserit?

An falsa crimina imposuerit testibus ad infringenda eorum testimonia?

An ad eumdem finem occulta crimina testium detexerit, quando justè accusabatur?

An insurrexerit contra judicem, ejusque ministros, vim eis inferendo?

An justæ sententiæ non obedierit, ideoque proximo secutum fuerit damnum?

Testis. Testis. An falsum aliquid in judicio testificatus sit, indeque damnum proximo secutum sit, & quale?

An dubia pro certis fuerit testificatus, & an juraverit se vidisse quod solùm audierat?

An juridicè interrogatus veritatem negaverit?

An pecunias acceperit ad verum, vel falsum testimonium proferendum?

An sciens veritatem, ex cujus testimonio poterat liberare innocentem, se absconderit, ne testificaretur, vel rogatus noluerit veritatem dicere, si id facere poterat sine ullo incommodo suo?

An quando poterat occultare veritatem quam sciebat, juraverit sine restrictione mentis, unde juramentum, quod dedit, falsum evaserit?

Advocatus. Advocatus. An patrocinatus sit causæ, quam injustam credebat?

An persuaserit causam, de qua consulebatur, esse justam, illam injustam credendo?

An causam incertam, & dubiam persuaserit certam, aut probabilissimam?

An continuaverit in patrocinando causæ, quam in decursu cognovit esse injustam?

An defuerit in admonendo clientem de minori justitia, ac dubio suæ causæ?

An suaserit parti transactionem, quando causa non erat dubia?

An secreta causæ manifestaverit parti contrariæ in damnum sui clientis?

An fuerit infidelis in patrocinando?

An sine sufficienti scientia officium advocati exerceat?

An ex ignorantia, aut negligentia causam aliquam perdiderit?

An excesserit justum stipendium, ac pretium patrocinii?

An fecerit pactum cum cliente de aliqua quota parte causæ pro stipendio patrocinii contra juris decreta?

Procurator. De iisdem ferè interrogandus, de quibus advocatus? Procurator.

An ex ignorantia, vel negligentia litem perdiderit?

An causam injustam acceperit procurandam, quam talem credebat?

An defuerit in diligentia debita, quam lis, & quam negotium requirebat; unde cliens damnum acceperit?

An ex malitia aliquid fecerit in damnum causæ, quam procurandam susceperat?

An defuerit in veritate allegando falsa pro veris, incerta pro certis?

An postulaverit, & acceperit stipendium injustum, ultra quod postulabat ejus labor?

An stipendium, quod accepit pro Advocato, Tabellione, & cæteris, sibi usurpaverit, vel partem ejus?

An culpa sua distulerit causam cum damno clientis?

An postulaverit terminos impertinentes, unde pars adversa damnum acceperit?

An tot causas procurandas acceperit, ut non potuerit illarum expeditionem procurare absque partium damno?

Tabellio, seu Notarius. An ex ignorantia, negligentia, vel malitia aliquid omiserit in instrumento; unde alicui damnum evenerit? Tabellio.

An falsum instrumentum fecerit, fingendo ea, quæ contracta non sunt?

An instrumentum, vel scripturam falsificaverit in damnum alicujus? Et advertat hæc duo communiter esse reservata Episcopo?

An in scribendo defuerit in sinceritate,

Digitized by Google

tate, & puritate dictorum; unde damnum partibus secutum fuerit?

An fecerit, aut approbaverit aliquod testamentum hominis, qui compos rationis non esset, vel fidem adhibuerit rei, quæ non fuit?

An instrumentum in registro, seu libro notarum non servaverit?

An occultaverit, vel negaverit, quæ ab eo petuntur cum damno partium?

An substulerit ex registro aliquod instrumentum, aut aliqua ejus folia in damnum partis?

An fecerit instrumentum de re illicita, v. c. de usura, scribendo Petrum redditurum Paulo centum, pro aliis centum, quæ ab eo accepit, cùm solùm accepisset octoginta, & viginti erant pro usura mutui?

An fecerit aliquod instrumentum contra libertatem Ecclesiæ prohibitum per canones?

§. 10.

Examen circa nonum præceptum Decalogi.

13 IN hoc præcepto prohibentur omnia desideria, & affectus carnis deliberati non pervenientes ad opus externum, & omnis delectatio orta ex imaginatione cujuscumque rei ad venerem pertinens quæsita, vel acceptata. De quibus pœnitentes interrogari possunt in sexto præcepto, in quo hæc omnia saltem implicitè prohibentur?

An quantum est ex se efficaciter desideraverit mulierem non suam, & quoties, quamvis per accidens effectus secutus non fuerit? Et cujus status, seu conditionis fuerit talis mulier, conjugata ne, an soluta? Affinis, vel consanguinea, &c.

An eamdem inefficaciter desideraverit non curando de effectu?

An desideraverit aliquod opus libidinosum ex dictis in sexto præcepto, v. c. adulterium, incestum, bestialitatem, sodomiam, oscula, amplexus, aut similia? Quæ desideria habent malitiam operis desiderati.

An desideraverit habere pollutionem cum aliqua, vel aliquo extra vas naturale, aut in præpostero? quod pertinet ad mollitiem.

An desideraverit habere pollutionem inter dormiendum propter delectationem ex ea captam? Et an ex tali desiderio pollutio re ipsa contigerit?

An desideraverit accedere ad sponsam suam, ante matrimonium celebratum?

An desideraverit accedere ad mulierem sub conditione, quòd sibi id fuisset possibile, & quis fuerit status, & conditio talis mulieris?

An habuerit delectationes de opere aliquo venereo repræsentato per imaginationem, estò nullum habuerit desiderium exequendi opus cogitatum? Quæ delectatio dicitur morosa. Et quoties, & quod fuerit objectum talis delectationis?

An delectatus fuerit, vel complacuerit per solam voluntatem de opere aliquo venereo à se commisso, & quoties, & quod fuerit opus, de quo fuit delectatus, & quod habuerit objectum?

An fuerit delectatus de pollutione contingente inter dormiendum ob delectationem ex ea captam? Quia si ei causam culpabilem non dedit, & [redacted] fuit ex aliquo fine honesto, peccatum non erit?

An, & quoties delectatus fuerit de copula præterita habita cum uxore defuncta, imaginata ut præsenti? Nam approbare, & gaudere per voluntatem quòd habita fuerit, peccatum non erit; quia erit gaudium de opere licito.

An delectatus fuerit de copula habenda cum sponsa, postquam esset uxor, imaginando illam ut præsentem. Velle enim illam per solam voluntatem pro tali tempore, peccatum non est, quia est volitio operis illiciti.

An excitaverit in se pravos motus sensualitatis, vel aliunde excitatos voluntariè acceptaverit, & in illis complacuerit, vel delectatus fuerit?

An negativè se habuerit nec repellendo, nec positivè assentiendo prædictis motibus, prævidens periculum fore consentiendi positivè, vel pollutionis ex ipsis orituræ?

An dederit causam, neque necessariam, neque utilem, ex qua prædicti motus insurgerent?

An eosdem passus fuerit sine ulla displicentia voluntatis? quia tunc est timendum, quòd fuerit consensus positivus in illos.

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.
Examen circa decimum praeceptum Decalogi.

54 IN hoc praecepto prohibentur desideria, & actus purè interni circa ea objecta, quae prohibentur in septimo. Unde si placuerit, in fine illius potest poenitens interrogari de sequentibus.

An desideraverit, & quoties rem aliquam temporalem proximi contra justitiam, v. c. per desiderium eam furandi, si posset, vel habendi alio modo injusto, quamvis executus non fuerit, nec id tentaverit? desiderare enim solùm habere rem similem, sine proximi damno, de se culpa non est.

An rem alienam usurpare tentaverit, quocumque modo injusto, estò ad effectum non pervenerit?

An desideraverit in rebus temporalibus damnum proximo inferre, estò ab illo procurando abstinuerit, vel an optaverit, quòd ab aliis damnum ei inferretur?

An ex odio, aut invidia desideraverit, quòd proximus bona sua perderet, aut in illis damnum aliquod pateretur?

An aliquando, & quoties tristatus fuerit de bonis temporalibus proximi sui, & cur?

An gavisus fuerit de carentia bonorum temporalium proximi, de perditione, ac jactura, quam in illis habuit, & quare?

An delectatus fuerit de damno temporali proximi, ac de bonorum jactura sola mente concepta, & imaginata?

§. 12.
Examen speciale circa Ecclesiasticos.

55 POst generales interrogationes omnibus communes, attendendum est Parocho nostro ad conditionem, ac statum poenitentis, ut ab unoquoque inquirat, quae cuique specialia esse possunt. Si verò poenitens fuerit Ecclesiasticus, faciet ex sequentibus interrogationes, quas faciendas judicaverit, maximè si confessio fuerit generalis, aut longi temporis, ut initio advertimus.

An ordines, quos habet, per simoniam acceperit, dando pro eis pretium Episcopo, vel familiaribus ejus?

An ordines acceperit, cùm esset irregularis, excommunicatus, suspensus, aut in peccato mortali?

An intentio suscipiendi ordines fuerit ad habendum modum ad vitam sustentandam?

An ordines susceperit in praejudicium alicujus, cui matrimonium deberet?

An ordines susceperit, cùm esset illorum indignus ratione vitae incompositae, aut defectu sufficientis doctrinae?

An ordines susceperit cum patrimonio ficto, sine dimissoriis sui Praelati, aut cum illis falsis, vel per saltum?

An dicat quotidie septem horas canonicas attentè, ac devotè, vel se ad alias cogitationes voluntariè divertat, dum eas persolvit?

An habens beneficium omiserit praedictas horas? tunc enim non solùm peccat, sed tenetur restituere fructus eis respondentes pro rata.

An ita frequenter celebret, ut satisfaciat muneri suo, v. c. beneficii, capellaniae, aut illis, à quibus eleemosynas accipit?

An plures eleemosynas accipiat, quàm sint missae, quas celebrare potest cum damno animarum, pro quibus missae debent offerri?

An accipiens extraordinaria stipendia pro missis, ordinarias eleemosynas aliis porrigat, ut celebrent, applicando sibi excessum? quod graviter prohibitum est, ut dicitur lib. 4, cap. 19. n. 162.

An celebraverit non jejunus sciens, ac prudens?

An celebraverit sciens se esse excommunicatum, vel suspensum? tunc enim fit irregularis.

An celebraverit cum conscientia peccati mortalis, non praemittens confessionem sacramentalem?

An, & quoties ministraverit aliquod Sacramentum cum conscientia peccati mortalis, quin saltem per contritionem procuraverit se ponere in statu gratiae?

An bona beneficii consumpserit in usus illicitos, ac profanos?

An defecerit in dandis eleemosynis, quas dare tenetur de redditibus beneficii, maximè quando beneficium est pingue?

An ditare studeat consanguineos suos

suos ex redditibus beneficii? quibus solùm dare potest tamquam pauperibus per modum eleemosynæ.

An studeat avaritiæ, ut dives fiat, vacando mercaturis, & negotiationibus clericis prohibitis per sacros canones?

An fingens infirmitatem, aut aliam causam justam, distributiones quotidianas solis interessentibus debitas acceperit? Has enim restituere tenetur ante sententiam.

Si habeat curam animarum, ultra hæc interrogetur.

56 An habeat beneficium per simoniam; de quo interrogandus similiter est quilibet alius beneficiarius.

An parochiale beneficium, aut quamcumque parochialem Ecclesiam procuraverit, vel acceperit, non habens sufficientem doctrinam ad curam animarum exercendam?

An defuerit in residentia debita beneficio curato?

An deficiat populo suo in vitæ exemplo, unde alii inducantur, vel induci possint ad malè vivendum?

An absolverit à censuris, aut à casibus reservatis non habens ad id jurisdictionem, nec penitens privilegium?

An absolverit aliquem indispositum, qui videlicet non habebat dolorem de peccatis suis, nec propositum emendæ, nec animum restituendi, vel satisfaciendi aliis obligationibus, ad quas tenebatur?

An absolverit dubitans de potestate sua, quia dubitabat an casus esset reservatus Papæ, aut Episcopo? In quo se exposuit periculo faciendi Sacramentum nullum, absolvendo, quem non poterat.

An sic dubitans, nec consuluit viros doctos, nec libros, ut sciret, quid sibi agendum foret, sed temerè absolvit exponens se prædicto periculo?

An experiendo se multa ignorare, & de multis dubitare, non faciat diligentiam per studium, ut sciat quæ Pontifici in Bulla Cœnæ, vel aliàs reserventur; quæ Episcopo, quæ sint restituenda, qui contractus sint usurarii; quæ impedimenta matrimonii, & similia, quorum scientia necessaria est, ne erret in re tam sancta, & tam necessaria.

An culpa sua aliquis mortuus sit sine confessione, Eucharistia, vel Extrema Unctione?

An aliquando violaverit sigillum confessionis?

An pœnitentem solicitaverit ad aliquid turpe in confessione, aut in loco confessionis, sub prætextu confessionis?

An communionem dederit indigno, v.c. publico peccatori, ante debitam pœnitentiam, & signa emendationis?

An deficiat in docendo doctrinam christianam pueros, & personas rudes Parochiæ.

An deficiat in proponendo verbum Dei diebus Dominicis, & festis juxta obligationem juris divini annexam officio suo?

An sit difficilis in administrandis Sacramentis, cùm petuntur, unde Parochiani ab eis recipiendis avertantur.

An sit negligens in ornatu Ecclesiæ, & munditie sacræ supellectilis?

An paternam curam, ac consolationem pauperum, & miserabilium personarum negligat?

An habeat rixas, & jurgia cum suis Parochianis, quas tamquam spiritualis pater in communem inter se concordiam, & pacem componere tenetur?

SECTIO V.

Quid faciendum Parocho tamquam judici post examinatum, & auditum pœnitentem in confessione?

IMprimis advertat Parochus, & quilibet Confessor, an habeat jurisdictionem ad absolvendum ab omnibus peccatis sibi confessis. Quia si aliqua essent reservata Pontifici, aut Episcopo, non potest pœnitentem absolvere, si ad id non habeat specialem, vel generalem licentiam, aut privilegium; vel si ipse pœnitens non habeat privilegium per Bullam, aut Jubilæum, aut similem concessionem. Si autem nec ipse, nec pœnitens privilegium habuerit, consulat de remedio, vel ipse pro sua charitate illud procuret. 57

58 Secundò advertat, an pœnitens sit capax absolutionis. Quia si capax non sit, ipse peccabit mortaliter absolvendo, & absolutio, & totum Sacramentum erit nullum, ac sacrilegum. Casus autem in quibus absolutio neganda est, vel differenda, ut constet de capacitate, sunt qui sequuntur:

59 Primus. Si pœnitens non habet de-

debitum dolorem de peccatis suis, saltem illum, qui vocatur attritio, cum proposito emendandi vitam in futurum, fugiendo quodcumque peccatum mortale, & illius occasiones. Absolutio enim, sine isto dolore, ac proposito data, est nulla, & sacrilega propter incapacitatem subjecti, & defectum potestatis in Confessore, qui nullam habet in eum, qui non est verè pœnitens.

60 Secundus. Si pœnitens est assuetus passim jurare, non attendendo, nec curando, an sit verum, vel falsum id, quod jurat. Si non habet propositum verum, & ex se efficax deponendi istum malum usum, & faciendi ad id necessarias diligentias, non est absolvendus. Si tamen ostendat voluntatem emendandi consuetudinem, differenda est absolutio per aliquot dies, usque dum præbeat aliqua signa emendationis. Interim verò consulat Confessarius aliqua media, quæ conducere possint ad dictam emendationem, v. c. ut quoties juraverit dicat aliquam orationem, vel det aliquam eleemosynam, aut faciat aliquam pœnitentiam, &c.

61 Tertius. Si pœnitens est assuetus numquam, vel ferè numquam Missam audire in diebus Dominicis, & festis, & vult perseverare in eo abusu, ut sunt mulieres aliquæ, quæ nullam ad id habent justam causam, nisi fortè punctum aliquod honoris, gravitatis, & auctoritatis. Istæ absolvendæ non sunt, nisi verè, & ex corde proponant emendare abusum, in quo sunt, quia sunt in statu peccati mortalis.

62 Quartus. Si pœnitens proximo gravem irrogavit injuriam verbo, vel opere, tenetur exhibere satisfactionem, veniam petendo, juxta præscriptum prudentis Confessoris. Si autem ille noluerit, non debet absolvi. Advertat autem prudenter, quomodo illa venia petenda sit, & satisfactio danda, ne offensus magis exacerbetur. Quare charitas Confessarii curabit disponere personam offensam, ut eam concedat, & sciat antea petendam: si verò offensus noluerit veniam concedere, nec permiserit, quòd ea petatur; pœnitens paratus eam petere, potest, & debet absolvi, quia voluit facere, quod in se erat.

63 Quintus. Qui habet odium, & inimicitias cum aliquo, non potest absolvi, nisi odium, ac inimicitias deponat, & reconcilietur etiam exteriùs cum parte. Quod licèt habeat locum in omnibus, maximè tamen, si personæ sint sanguine junctæ, vel habitatione, aut si ex odio, & inimicitia timeantur mortes, aut alia damna gravia. Non debet tamen offensus obligari, ut desistat à lite, si eam fortè intentavit pro offensa accepta, licèt melius esset ab ea desistere.

64 Sextus. Non est absolvendus concubinarius, si non habet propositum efficax dimittendi concubinam, nec vult relinquere occasiones communicandi, aut cohabitandi cum illa: quia est in statu peccati mortalis, à quo aliter est impossibile moraliter, quòd ab illo recedatur. Si autem concubinatus est publicus, urget etiam scandalum, quod pœnitens removere tenetur. Si autem dicat scandalum oriturum, si domo ejiciatur talis, vel talis persona. Respondeat hoc potius esse in civitate, vel vicinia, quæ scit de concubinatu. Quia verò Confessores in hac parte remissi sunt contra obligativum muneris sui, ideo tales homines perseverant pluribus annis in hoc statu perditionis.

65 Huc reducitur peccatum illorum, qui domi suæ lupanaria habent, dantes mulieres illis, qui ad eas accedere volunt. Qui absolvendi non sunt, donec desistant ab eo turpi negotio. Sicut neque illi, qui frequenter polluunt exercentes secum peccatum mollitiei. Quorum emendatio est difficillima, nisi eis absolutio denegetur, vel ad tempus differatur, donec aliquam emendationem habeant. Meretrices item absolvendæ non sunt, donec de sua resipiscentia sufficientia signa præbeant. Nec est absolvendus, qui litem injustam prosequitur sciens de injustitia. Et idem est de Advocato, ac procuratore, qui patrocinantur tali causæ cum eadem scientia injustitiæ, nisi à lite desistant.

66 Septimus. Non est absolvendus, qui rem alienam habet, vel eam consumpsit, invito domino, qui eam furatus est, aut mutuam accepit, aut acquisivit per usuras, aut simoniam. Qui debent stipendia servitoribus, & aliis à quibus serviuntur. Mercatores, & officiales, qui vendunt merces suas pluris, quàm valent, qui fal-

Digitized by Google

falcant pondera, & mensuras rerum, quas vendunt. Officiales Regis, ac dominorum, qui furantur res eorum, vel consentiunt, ut alii furentur, cùm ad ipsos pertineat furta impedire. Omnes isti, & similes, dum non restituunt, si ad id habent facultatem, non sunt absolvendi, quia sunt in statu damnationis. Et quia confessores aliquando leviter agunt cum istis, impendendo illis absolutionem, cujus non sunt capaces, nec impendere possunt absque propria damnatione, perseverant tales homines per totam vitam in peccato mortali, retinendo aliena, dominis invitis, & alia de novo usurpantes; qui damnandi sine dubio sunt, & cum ipsis confessores, qui eos indebitè, & sacrilegè absolvunt.

67 Nonus. Non est absolvendus, qui famam non restituit proximo, à quo eam falsò ademit imponendo ei crimen, unde infamatus est. Nec qui crimen occultum publicavit, unde secuta fuit infamia proximi. Hi absolvendi non sunt antequam restituant famam, juxta regulas tradendas inferiùs c. 3. sect. 6. vel omninò parati sint eam restituere.

68 Decimus. Vir ita deditus ludo, ut bona dissipet in præjudicium uxoris, & filiorum, qui reducuntur ad inopiam, nec habent, unde alantur, non est absolvendus, antequam resipiscat. Similiter qui inter ludendum falsò jurat, blasphemans cùm perdit ex inveterata consuetudine, quia utitur dolis contra leges ludi, non est absolvendus, antequam det signa resipiscentiæ.

69 Illi verò, qui capax est absolutionis, antequam absolvatur, aliqua proponat, ex quibus majorem confusionem, ac dolorem concipiat, & magis avertatur in posterum à peccatis. Dicat, v. g. Recognosce, fili carissime, immensam Dei benignitatem erga te, qui te expectavit ad pœnitentiam potens te jam diu justissimè in infernum detrusisse, ut alios detrusit, qui minùs peccarunt, quàm tu, non expectando illorum pœnitentiam. Peccavit Angelus in cœlo te longè superans in natura, & donis; & subitò præcipitatus est in tartarum, absque omni remedio; idque contigit multis hominibus, qui post peccatum, vel subitò mortui sunt, vel sine pœnitentia decesserunt. Te autem, fili, misericorditer expectavit Dominus per tot menses, & annos. Ne ergo ingratus sis tantæ erga te pietati: ne quæso redeas ad vomitum tuorum peccatorum: ne obliviscaris beneficii tibi nunc à Domino collati remissionis peccatorum, & gratiæ, qua te Deus ex inimico recipit in amicum, ac filium.

70 Statim injungat pœnitentias tam satisfactorias, quam medicinales, juxta exigentiam peccatorum; commendet frequentiam confessionis, & communionis, quæ sunt potissima media ad benè vivendum, ad præservandas animas à culpis, easque roborandas in via salutis, aliaque remedia suggerat tamquam medicus peritus, quæ Spiritus Sanctus dictaverit, de quibus aliquid dicendum in sequentibus.

SECTIO VI.

Quid faciendum Parocho tamquam medico, post auditam pœnitentis Confessionem.

Quæ huc usque dicta sunt, pertinent ad officium confessoris, 71
quatenus judex est pro foro pœnitentiæ, ad quem pertinet audire pœnitentem, supplere ejus defectus per interrogationes necessarias, videre, an sit dispositus, an indispositus, illumque absolvere, vel non absolvere. Modò dicendum est de illis, quæ attinent ad eumdem, quatenus medicus est. In quo non possunt non graviter culpari aliqui confessores, qui postquam functi sunt officio judicis, nihil, vel parum curant de officio medici eidem confessoris muneri adjuncto; qui proinde audientes pœnitentes, eosque examinantes per suas interrogationes de iis, de quibus judicant fore interrogandos, & absolventes, illos dimittunt destitutos omni doctrina, omnique remedio, quo à peccatis futuris possint præservari. Unde oritur, quòd tamquam infirmi malè curati reincidant in eosdem morbos, vel etiam graviores.

72 Quod manifestè est contra sacros Canones, qui sæpè disponunt patres spirituales tamquam animarum medicos hoc officio usuros, mittentes vinum, &

oleum supra vulnera pœnitentis, ut est
Luc.10.34. in Euangelio, aliaque remedia applicaturos pro qualitate morborum, ad perfectam sanitatem ægroti, ne mala præterita redeant, & reviviscant. Et quamvis remedia applicanda diversa sint, pro diversitate morborum, seu peccatorum, quæ studium librorum, charitas, & experientia docebunt; remedia tamen generalia omnibus peccatis communia sunt, quæ sequentur.

73 Primum, & valdè principale est usus Sacramentorum. Hæc enim sunt vera, & efficacia remedia, quæ peritissimus animarum medicus Christus instituit, non solùm ad curandos morbos præteritos, sed etiam ad præservandum à futuris. Nam Sacramentum Pœnitentiæ, seu sacra Confessio peccatorum portam aperit, per quam exeunt ab anima mala omnia; Sacramentum verò Eucharistiæ aliam aperit, per quam cum ipso Christo, quem sacramentaliter recipimus, omnia bona ingrediuntur. Unde experientia ipsa docet, eos, qui hæc Sacramenta cum pietate frequentant, Christianè vivere, peccata fugere, ac in virtutibus multùm proficere. Quare exhortari debet bonus Parochus pœnitentes suos ad assiduum horum Sacramentorum usum, si ut bonus medicus cupit, quod infirmi suæ curæ commissi convalescant, & peccata fugiant in futurum. Imò hanc frequentiam debet aliquando imponere pro pœnitentia medicinali, ut docent Doctores, quia sunt aliqua peccatorum genera, quæ vix per aliud remedium vitari solent.

74 Secundum est evitare, seu fugere occasiones peccandi, quales sunt ludi immoderati, in quibus sæpissimè perditur tempus, pecunia, & conscientia per juramenta, blasphemias, & furta. Consuetudines, ac familiaritates amicorum malè moratorum. Periculosæ conversationes, & colloquia cum mulieribus, deambulationes, ac excursiones non necessariæ per loca periculis, ac suspicionibus plena Lectiones vanorum, & inhonestorum librorum, qui incitare solent ad pravas cogitationes, ad desideria lasciva, & similia, quæ inde oriuntur.

75 Tertium est fugere otiositatem, quæ solet esse omnium vitiorum mater, & origo. Qui enim benè occupatur, ostium occludit diabolo, & carni, qua inimicus uti solet ad hominem debellandum. Fugere item multiloquium, & colloquia inutilia, in quibus non deerit peccatum, ut docet Spiritus sanctus, & experientia nostro malo satis comprobat. Prov. 10. 19.

76 Quartum est usus jejunii, & aliorum operum pœnitentiæ, exterioris disciplinæ, ac cilicii, quæ omnia inimicus noster timet, & fugit, ut dicebat Magnus Antonius Abbas. Item frequentes eleemosynæ pro facultate cujuscumque, ut sic animæ vulnera ungantur oleo misericordiæ, & carnis rebellio comprimatur, ac fatigetur per corporis asperitates, ut rationi, ac Deo obediat, simulque satisfaciat pro culpis præteritis, quæ in Purgatorio severissimè punientur, si in hac vita per similia opera pietatis, & pœnitentiæ pro illis satisfactum non fuerit.

77 Quintum est lectio spiritualis piorum librorum, quorum lectione tempus benè teritur, & cum fructu; illustratur enim mens hominis, & voluntas afficitur ad bona desideria concipienda, ac bona opera exercenda, in odium peccatorum, ac amorem virtutis. Nam in hac Sanctorum librorum lectione Deus nobiscum loquitur, nosque docet, ac instruit de his, quæ agere debeamus in ejus obsequium, ac utilitatem animarum nostrarum.

78 Sextum est obviare quamprimùm, & cum omni dexteritate principiis pravorum motuum, ac pessimarum cogitationum, quibus anima oppugnatur, recurrendo ad Christum crucifixum, in quo est salus, vita, & resurrectio nostra, abscondendo nos in ejus vulneribus, tamquam in cavernis maceriæ, postulando cum humilitate, ac fiducia gratiam, & vires contra inimicorum impetus, qui tamquam leones rugientes circuunt, & quærunt animas nostras, ut eas devorent, ac perdant: non tamen prævalere possunt contra eos, qui ad Christi crucem confugiunt, sub ejus umbra conquiescunt, ac in ejus sacris vulneribus absconduntur.

79 Septimum est, frequens recordatio novissimorum, nempe mortis, judicii, inferni, ac paradisi. Quæ Spiritus sanctus definit esse efficacia remedia ad non peccandum, dicens per Ecclesiasticum: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, & in æternum non* Eccl.7.40

pecca-

peccabis. Igitur ad cavenda in posterum peccata, hoc remedium utpote ab ipso Deo præscriptum, applicet seriò bonus animarum medicus.

80 Quomodo enim qui se moriturum recordabitur, ponens ante mentis suæ oculos præsentis vitæ brevitatem, ac incertitudinem, & quòd fortè ea dies, imò & hora possit esse ultima, in qua mors contingat, non retrahetur à peccato, ad quod ab inimico incitatur? quomodo audebit peccare in acquirendo cum injustitia aliquod bonum temporale, & caducum, quod tam citò relinquendum est? Quomodo ibit post voluptates carnis suæ, quæ prætiò in pulverem, ac putredinem reducenda est, & anima in æternum punienda? quomodo peccabit, ut morem gerat amico, qui relinquendus tam breviter est, & à quo ipse certè deseretur, & estò sit fidelissimus, eum ab inferno non liberabit?

81 Quis in memoriam adducens terribile Dei tribunal, in quo ratio exactissima postulanda, & danda est de peccatis omnibus corde, verbo, ac opere commissis, præceptum aliquod Dei audebit violare, credens ex sententia definitiva eo in horrendo judicio fine replica, aut appellatione, proferenda pendere æternitatem vel gloriæ, vel pœnarum? Quis non formidabit momentum illud formidabile, ex quo pendebit æternitas?

82 Quis æternas inferni pœnas, ac acerbissimos cruciatus in mentem adducens, eosque memoria cogitabunda revolvens, & seriò considerans, peccata non fugiet, quæ ad supremam illam, æternamque miseriam certissimè deducunt? Quis pro brevi lucro, ac brevissima voluptate æternam miseriam finem nunquam habituram non timebit incurrere? Si leve candellæ lumen brevì digito applicare non valemus, quomodo æternas inferni flammas poterimus sustinere? Quomodo ergo hæc memoria, si frequens fuerit, ac seria, animam à peccando non retardabit?

83 Quis denique æterna cœlestis patriæ gaudia animo cogitando, non superabit omnia, ut illam consequi mereatur? Quis erit tam demens, ut tantis, ac tam pretiosis bonis in æternum duraturis velit anteponere brevissimam voluptatem, aut aliam quamcumque hujus vitæ commoditatem, propter quam non solùm à beata illa patria, ac felici Beatorum consortio in æternum excludetur; sed etiam in perpetuum exilium inferni inter dæmones cruciandus relegabitur? Non est igitur dubium, quod meditatio novissimorum medicina sit efficacissima ad peccata fugienda.

84 Octavum est huic valdè affine, recursus ad Deum per orationem, in qua præcipua Christianæ militiæ arma fabricantur, quæ nobis divinam gratiam conciliant, qua dæmonis, mundi, ac carnis tentationibus resistimus: illuminant mentis nostræ oculos, ut videamus res præsentes, & æternas, prout postulant utrarumque merita, ut secundùm ea à nobis æstimentur. Voluntas afficitur ad bonum virtutis, & avertitur à malo vitiis, à cœnoque peccatorum. Delectatur spiritus rebus ad animam, ejusque salutem pertinentibus, appropinquat homo Deo, fitque unus spiritus cum eo, qui proinde à peccando avertitur maximè.

85 Quare bonus Parochus peritus animarum medicus pœnitentes suos, ut à peccatis avertantur, capaces, ac persuasos reddat, ut quotidie aliquod tempus deputent majus, vel minus, pro cujusque capacitate, & occupationibus, ut mentem ad Deum elevent cogitando jam de peccatis suis, ut ea doleant, fleant, ac detestentur, considerando damna, quæ sibi pepererunt; jam de beneficiis à Deo acceptis, deque ingratitudine, qua usi sunt erga tam bonum Deum, & Dominum, ac benefactorem suum, jam de Christi Domini passione, acerbis tormentis, ac crudelissima morte pro suis peccatis perpessa; quæ est communis medicina omnium nostrorum malorum. Qui enim hoc orationis, ac piæ meditationis remedio utetur, vitam suam benè instituet per fugam peccatorum, & assecutionem virtutum.

86 Nonum remedium est, devotio specialis beatissimæ Virginis Dei matris, quam maximè inculcabit sapiens animarum medicus suis pœnitentibus, ut in futurum à peccatis caveant, ac in bonam frugem se recipiant. Nam sub tanta protectrice, Domina, ac matre seriò, ac ex corde invocata per devotionem sui Rosarii, aut Coronæ, aliasque

que repetitas memorias, non potest non misericorditer subvenire, quæ est mater misericordiæ, filiis, ac devotis suis in miseriis, ac necessitatibus, maximè ad animam pertinentibus, constitutis, nobis à filio suo impetrando, ut à peccatis commissis exeamus, ad eaque iterum non redeamus, ut probant multa exempla à nobis adducta lib. 7. cap. 6. sect. 3.

87 Decimum est, ut singulis diebus, antequam quis ad dormiendum eat, conscientiam suam breviter examinet de culpis eo die commissis, considerando an eo die culpam aliquam commiserit cogitando, loquendo, vel operando. Et si quid invenerit à se commissum, de eo doleat, ac conteratur per verum actum contritionis intimo corde elicitum, per quem doleat, ac detestetur talia peccata, omniaque alia vitæ præteritæ, quatenus sunt offensæ divinæ majestatis, commissa contra ejus summam, ac infinitam bonitatem, quam super omnia amare debebat. Eliciatque simul propositum non peccandi in posterum cum divina gratia, & actum amoris Dei, quo Deum super omnia amet, & proponat se in posterum dilecturum, sine aliqua offensa divinæ bonitatis, quantum cum divina gratia sibi possibile fuerit, petatque humiliter à Deo veniam, & gratias agat pro acceptis à tanto Domino beneficiis. Per hoc enim medium, & justificabitur, ita ut si ea nocte moriatur, & pœnas inferni, quas fortè merebatur, evadat; & peccata fugiet in futurum. Nam hæc specialis cura examinandi conscientiam, & conterendi de peccatis, avertet maximè ab illis committendis. Quare medicus animæ hoc remedium consulat, ut ejus infirmus pœnitens in posterum resipiscat.

88 Hæc sunt potissima remedia generalia, quæ assignari solent ad cavenda peccata, ad concipiendumque sanctum Dei timorem, qui est frænum quoddam aureum, quod à peccando maximè retrahit. Præter hæc autem remedia communia, sunt & alia particularia singulis peccatorum speciebus accommodata, & proportionata, quæ peritus medicus præparata habebit ad suis pœnitentibus medicandum, prout judicabit convenire particularibus uniuscujusque infirmitatibus, quæ in singulari à nobis præscribi non possunt, & quia scientia non est de singularibus; & quia excresceret multùm hoc opus, in quo, quantùm possumus, brevitati studemus; poterit tamen ea capere, & ex iis, quæ in toto illo sparsim traduntur, & præcipuè ex magisterio Spiritus sancti, qui ei assistet in sacro munere audiendi Confessiones, dirigendique pœnitentes in viam salutis æternæ.

89 Efficax etiam remedium est, & sæpè necessarium, ac obligatorium differre absolutionem sacramentalem, & sacram Communionem in aliquibus casibus, præcipuè quando pœnitens diu perseveravit in aliquo peccato, de quo sæpius confessus nulla præbet resipiscentiæ, ac emendationis signa: huic enim per aliquot dies absolutio differenda videtur remedium congruum, ut ad se redeat, & consideret vitæ suæ periculum, usque dum in ipso appareant aliqua emendationis indicia; solet enim vexatio dare intellectum, ut seriò cogitentur, quæ aliàs sine illa non cogitabantur, ut par erat.

90 Caveat autem prudens confessor, maximè verò noster Parochus, ne in hac materia negandi, vel differendi absolutionem secundùm merita pœnitentis, personarum vultus respiciat, quia sicut Deus non est personarum acceptor, ita talis esse non debet, qui Dei officio fungitur, præcipuè in hoc sacro ministerio ligandi, vel absolvendi animas à peccatorum vinculis. Quare hoc remedio, quando judicatur necessarium, aut saltem utile, non utatur cum solis pauperibus, aut personis vilioris conditionis, sed cum omnibus, qui illo indigent, cujuscumque status sint, aut præeminentiæ, quia omnes animæ æquales sunt apud Deum, & iisdem remediis indigent, quando sunt in eodem statu, & in iisdem peccatorum circumstantiis.

91 Videat, & timeat ne sibi condemnationem acquirat, quam sibi non multos ante annos confessarius quidam conciliavit, qui particularibus respectibus ductus beneficium absolutionis impendit cuidam moribundo, cui illud alius confessarius denegaverat paulò ante, quia recusaverat restituere, quæ juxta leges justitiæ restituere, tenebatur. Vix è domo moribundi confessarius absolvens exierat domum suam pe-

Digitized by Google

petens, cùm moribundus infelicem animam efflans, quæ flammis jam infernalibus circumdata confessario suo medio in foro apparet, ipsumque amplexata voce tremenda; veni, inquit, mecum, ut simul æternas inferni pœnas sustineamus. Ego, quia recusavi restituere, quod debebam; tu, quia me indispositum absolvisti. Et subitò terra os horrendum aperiens utrumque absorbuit. Sed veniamus jam ad materias, quas promisimus, ut Parochus ministerium hoc scienter implere possit.

CAPUT II.

De virtute justitiæ.

92 Cum justitia sit virtus, habet suum objectum, à quo speciem accipit; hoc autem dicitur jus, cujus multæ sunt species. Dicam igitur 1. de jure, quod est objectum justitiæ. 2. de modo acquirendi dominium. 3. explicabo virtutem justitiæ.

SECTIO I.

De jure, quod est objectum justitiæ.

93 a D. Tho. 2.2 q.57.a. 1.& 2. Less.l.2. c. 2. Jus[a] idem est ac justum, seu opus, quod est alicui adæquatum, secundùm aliquem æqualitatis modum. Unde etiam accipitur pro facultate morali, quam quis habet ad utendum re aliqua, vel ad eam obtinendam in judicio, vel retinendam, aut aliquo modo sibi competentem adversus alium sibi obstantem. Hoc verò jus vel dicitur jus in re, vel jus ad rem. Jus in re est illud, quod quis habet in rem aliquam (Luc.10,34.) in quam habet actionem, ut illam conservet, aut repetat, ubicumque sit, & à quocumque retineatur. Jus ad rem non tam respicit rem ipsam, quàm personam, in quam datur actio, ut sibi rem bonam faciat, v.c. in illum, qui tibi rem vendidit, sed antequam traderet, eam alteri & vendidit, & tradidit; tunc enim in venditorem habes jus, cujus est tibi satisfacere pro injuria, & damno.

b Less.l.2. c.3. Reb. p.1 l.1.q. 7.l.1.

94 Porrò[b] juris variæ sunt species. Prima est dominium, quod sic definitur: *Dominium est jus perfectè disponendi de re corporali, nisi lex obstet.* Dicitur: *Perfectè disponendi.* Quia qui habet dominium rei, potest de illa disponere, quomodo voluerit, donando, permutando, vendendo, consumendo &c. Dicitur: *De re corporali.* Quia quæ talis non est, ut cerni, & palpari possit, ut vestis, aurum, domus, vinea, & similia, dicitur res incorporea, v.c. jus ad decimas, ad fructus beneficii &c. de quibus non est dominium, ut loquuntur Juristæ, in quo discrepant à Theologis, qui verè dicunt Deum perfectum habere dominium rerum omnium tam corporalium, quàm incorporalium. Dicitur enim in Scriptura Dominus totius creaturæ, & Dominus [c] universorum. Idemque dicunt habere hominem in actus suos liberos, & in multas res incorporeas, de quibus pro libito disponere potest. Dicitur: *Nisi lex obstet.* Quia lex interdum vetat, ne habens dominium rei, de ea pro libito disponere possit, ut videre est in pupillis, qui propria authoritate bona sua, de quibus quidem dominium habent, alienare non possunt.

c Iudith. 9. 17 2. Mich. 14. 11.

95 Idem[d] videre est in bonis vinculatis, quæ alienari prohibentur, v.c. bona majoratus, quod non tollit, quominus is, ad quem jure hæreditario perveniunt, verè, integerque sit illorum dominus, eò quòd nullum jus, nullaque pars integri dominii sit ab eo ablata, & translata in alium, sed solùm sit alligata quoad actum alienandi, constituendique gravamen quodcumque in hujusmodi bonis, quominus cum eodem omninò jure, atque æquè libera ad successorem transeant. Quare quando princeps annuens petitioni alicujus, bona ejusdem vinculo primogenituræ alligat, nullum dominium ab eo aufert, sed solùm ligat jus alienandi, actumque illius irritum facit. Unde non placent, qui dicunt possessores majoratuum non esse veros dominos, sed tantùm usufructuarios bonorum majoratuum. Quia bona illa dominum habent, nec alius assignabitur, quàm possessor illorum, cujus tamen jus alienandi alligatur per legem. Ideò benè ponitur in definitione dominii, quod dominium habens de re, de illa perfectè disponere possit, nisi lex obstet.

d Mol. tr. 2.d.5.

96 Secunda species juris dicitur usus nudus, qui definitur: *jus utendi re aliena ad suum dumtaxat, non autem ad aliorum commodum, salva illius sub-* Mol. d. 4. Less. c. 5. dub.6. Reb.l.2.

stantia. Dicitur: *jus*. Quia usus non consistit tantùm in usu actuali, sed in facultate utendi, quæ post usum permanet, ut videre est in commodato. Dicitur: *Utendi tantùm*. Ut distinguatur ab usufructu, qui est jus non modò utendi, sed etiam fruendi re aliqua aliena, ut statim dicetur. Dicitur: *Re aliena*. Ut distinguatur à jure, quod dominus habet in re sua. Dicitur: *Ad suum dumtaxat, non autem ad aliorum commodum*. Quia purus rei usus alicui concessus non potest alteri dari, aut vendi. Dicitur: *Salva illius substantia*. Ut distinguatur ab usu, per quem res omninò consumitur, ut jus utendi pecunia, pane, vino, oleo, &c. quorum usus datur per mutuum.

Mol. tr. 2. d. 5.

97 Igitur in usu parum est juris. Nam qui jus habet utendi fundo alieno, solùm habet jus sumendi poma, olera, flores, fœnum, & lignua ad usum quotidianum. Poterit etiam in eo ambulare, & commorari, ita dumtaxat, ut domino fundi molestus non sit, nec impediat eos, per quos opera rustica exercentur. Non tamen potest donare, aut vendere quidquam horum alteri, nec locare, aut concedere alteri jus ad ea emolumenta percipienda, quod tamen potest usufructuarius. Unde qui usum habet domus, potest ipse solus in ea habitare cum uxore, liberis, servis, ac famulis; potest etiam hospites recipere. Quòd si usus domus ad mulierem pertineat, poterit vir habitare cum ea, atque adeo tota utriusque familia, non potest tamen jus illud in alterum ullo pacto transferre, facultatem illi, ut in ea habitet, tribuendo. Illud tamen advertendum, si non usus, sed habitatio alicujus domus testamento alicui relicta sit, vel aliqua alia ratione concessa, nomine habitationis censetur illi concessum quoddam jus medium inter usum, & usumfructum, de quo statim, ut habetur §. sed si cui inftit. de usu, & habitatione. Differt verò habitatio à nudo usu domus; quoniam usuarius, cui usus domus concessus est, non potest eam locare; is verò cui concessa est domus habitatio, potest eam locare, & acquirere sibi pretium locationis; differt verò habitatio ab usufructu; quoniam usufructus multis aliis modis finitur, habitatio verò solùm finitur morte ejus, cui concessa est, ut habetur in jure. Finitur autem usus, sicut & usufructus, si usuarius cedat suum usum proprietario, vel ipse proprietatem acquirat, vel si usuarius eo non utatur tempore ad præscribendum proprietatem rei immobilis necessariò, juxta infrà de præscriptione dicenda, vel si destruatur res, in qua habetur usus, ut si domus, cujus habebas usum, incendio pereat, aut corruat; tunc enim ita finitur usus, ut neque areæ usus maneat, vel morte naturali usuarii. Quid verò dicendum de media, vel maxima usuarii capitis diminutione, vide apud Mol.

Leg. habitatio, cod. de usufructu & habit.

Mol. tr. 2. d. 9.

98 Tertia juris species est usufructus, qui sic definitur: *Est jus utendi re aliena, salva illius substantia*. Et distinguitur à simplici usu, de quo proximè, quia usufructuarius habet jus percipiendi fructus provenientes ex re qualibet, in qua usufructus constitutus est, quocumque titulo constituatur; dum ipse, & res perdurat, quorum dominium acquirit eo ipso, quòd illos percipit, de quibus proinde potest pro libito disponere: usuarius verò non potest uti re, cujus usum habet, nisi in suum privatum commodum; unde non potest jus suum in alterum transferre, quia est jus merè personale: usufructuarius autem potest locare rem, ex qua fructus recipit, non jus suum alienare, sine consensu proprietarii.

99 Quarta est jus servitutis: *Estque subjectio, seu obligatio, qua res aliena alicui servit*. Ut ager Petri dicitur tibi servire, ut transeas per illum, ad quem transitum jus habes. Hæc autem servitus vel est urbana, nempe subjectio illa, qua ædes tuæ non possunt altius attolli, ne officiant vicini luminibus, ut in tuum parietem possit immitti tignum à vicino, & multæ aliæ, de quibus in nostris Ordinationibus, [h] vel est rusticana, illa scilicet, qua tibi per fundum alienum in agrum tuum liber patet transitus aut pedestris, aut cum jumento, vel curru, aut aquæductum trahere, & id genus aliæ.

Less. du. 6. Reb. c. 3. n. 51. & q. 8. sect. 5.

h Lib. 2. tit. 68.

100 Quinta est jus possessionis quæ vel est facti, & definitur à Juristis: [i] *Apprehensio, vel detentio rei corporeæ cum animo dominii, & juris adminiculo*. Vel est juris. Et definitur: *Ius insistendi alicui rei tamquam sua non prohibita possideri*. Alii verò dicunt possessionem facti esse occupationem rei corporeæ factam proprio nomine; possessionem verò juris esse effectum possessionis actualis, esse-

i Less. dub. 9. & seq. Reb. q. 8.

Digitized by Google

esseque jus retinendi, & utendi re occupata ab aliquo tamquam proprio ejus domino. Dicitur autem *Possessio occupatio rei corporea.* Quia res incorporeæ, quæ tangi, & videri non possunt, ut servitutes, obligationes, & similes non dicuntur possideri, sed quasi possideri. Verùm jam ex suprà dictis de dominio constat etiam res incorporeas possideri. Additur: *Proprio nomine*. Quia rem occupans nomine alterius non dicitur possidere, sed potius ille cujus nomine agit.

l Less.c.4. 101 Porrò objectum [l] dominii sunt res corporeæ, vel quasi corporeæ sub cœlo existentes. Cùm enim homo creatus fuerit, ut præesset [m] piscibus maris volatilibus cœli, & bestiis terræ: potest, spectata harum rerum natura, earum dominium comparare, citra injuriam alicujus. Licèt autem jure naturæ unus homo non habeat dominium in alterum hominem, quia omnes homines naturæ conditione sunt æquales: jure tamen [n] gentium, & civili potest unus homo fieri servus alterius, esseque sub ejus dominio quatuor modis. Primò jure belli; licèt ex consuetudine Christianus à Christiano in bello captus servus non fiat. Secundò jure nativitatis, ut qui nascitur ex matre serva, partus enim sequitur ventrem. Tertiò ex justa condemnatione, ut si quis in pœnam criminis ad servitutem damnetur. Quartò ex emptione, ut si quis se, aut filium vendat juxta conditiones juris civilis. Notandum autem dominium in hominem non esse ita absolutum, ut in alias res corporeas; quia dominus non potest pro suo arbitrio servum pœnis afficere, & multo minus occidere.

m Gen.1. 26.

n Less.c.5. dub.4. Reb. q.9

102 Non habet tamen homo dominium vitæ [o] suæ, aut membrorum corporis sui, licèt ei ad usum concessa sint, sitque quasi custos eorum, & administrator. Unde potest eorum usum locare, & periculo exponere, quando recta ratio dictaverit. Prob. quia in nullo casu licet se ipsum occidere, aut membra amputare, nisi ad vitam totius salvandam; posset autem, si vitæ, & membrorum dominium haberet. Habet tamen dominium famæ, & honoris sui; aliàs non posset injuriam famæ, & honoris, quam injustè passus est, remittere, & condonare. Unde ex D. Thom. unusquisque potest pro suo arbitrio pati detrimentum famæ, & honoris, nisi hoc vergat in detrimentum, aut scandalum alterius, ut dictum est lib. 8. c. 11. Imò aliquo modo habet homo dominium bonorum spiritualium, quę sua industria, & cooperatione comparat, quia nulli homini facit injuriam illa prodigendo, dum peccat.

o Less.c.4. dub.10. & 11. Reb. q.7. sect.5.

103 Sola autem creatura intellectualis [p] est capax dominii. Prob. quia cùm dominium sit potestas liberè disponendi de re aliqua, solùm potest convenire creaturæ liberæ, qualis est sola intellectualis. Unde infantes sunt capaces dominii, quia sunt rationales, licèt pro ea ætate disponere non possint, aliàs adulti dormientes dominium non haberent. Filii familias ex juris dispositione habent dominium bonorum castrensium, & quasi castrensium, & usumfructum eorum. Bonorum verò adventitiorum habent solum dominium, seu proprietatem; pater verò habet usumfructum, nisi filio relinquatur sub ea conditione, ut Pater usumfructum non habeat, vel tantùm relinquatur ususfructus rei, non autem dominium; quia ususfructus non constituitur supra usumfructum. Servi nullius rei externæ habent dominium; quidquid enim acquirunt, domino acquirunt, nempe per illa ministeria, quæ domino debentur ratione servitutis. Possunt tamen habere dominium rerum, quas dominus dederit cum translatione dominii, & eorum, quæ ab aliis dantur ea conditione, ut ad ipsos, & non ad dominum pertineant, aut etiam eorum, quæ aliqua arte, vel propria pecunia lucrati fuerint, sine domini injuria.

p Less.c.4. Reb.q.7. n.4.

104 Id circa dominium notandum, aliud dici directum, [q] seu proprietatis; aliud indirectum, seu utile. Quæ distinctio solùm habet locum in bonis, quæ dantur in Emphyteusim, seu feudum. Qui contractus est quasi medius inter venditionem, & locationem; quando quis rem suam immobilem alteri, hoc est, Emphyteutæ fruendam tradit ad longum tempus sub certa pensione solvenda in recognitionem dominii directi; sive tempus illud sit perpetuum, sive ad unam, vel plures vitas, modò non sit breviùs decennio. Distinguitur verò Emphyteusis à feudo ex parte pensionis, quæ si consistat in obsequio, & servitio personali, dicitur feudum; si in solutione reali pecuniæ, frumen-

q Less.c.5. dub.1.n.4. Reb.2.p.l. 3.q.4.n.17

menti, vel rei similis, dicitur Emphyteusis; & tam Emphyteuta, quàm Feudatarius habet dominium utile, & indirectum rei; dominus verò dominum directum.

SECTIO II.

De modo acquirendi dominium.

105 SUppono ad acquisitionem dominii requiri titulum, seu causam fundandi dominium, ut cùm dicimus Petrum habere dominium equi: quia illum emit, vel per donationem accepit. Et sic de cæteris. [a] Dico ergo primò: Res, quæ sub nullius dominio sunt, fiunt primò occupantis, ita ut qui primò illas capit, acquirat earum dominium, quibus proinde sine injustitia privari non possit. Prob. quia cùm res illæ ad usum hominum creatæ sint, optimo jure introductum est, ut in particulare illius dominium transeant, à quo primò occupantur. Unde tam feræ, quàm aves, & pisces, qui nullius sunt, fiunt illius, qui eas venatur, aucupatur, & expiscatur.

a Less. c. 5. Reb. 1. 5. q. 14. s. 1.

106 Unde [b] sequitur primò, animalia natura sua mansueta, ut sues, oves, boves, galinas, & similia non fieri primò occupantis, estò domini sui potestatem evaserint; quia adhuc censentur sub illius dominio. Secundò animalia, & aves, quæ usu mansuefiunt, v. c. cervos, pavones, columbas, & similes, non posse ab aliquo capi, quandiu ex libera vagatione redire solent ad domum, ad columbarium &c. maximè verò, quando amiserunt totalem consuetudinem redeundi; quia tunc censentur se in naturalem libertatem recepisse, & sub nullius esse dominio. Tertiò, animalia fera, & silvestria, quæ usu non mansuefiunt, ut lepores, perdices, & similes non posse capi, quandiu sunt sub custodia alicujus in loco non satis amplo circumsepto, in quo facilè capiuntur, quia censentur esse sub ejus dominio: posse autem capi, si locum illum, & potestatem evadant, quia jam nullius sunt. Et idem est de piscibus inclusis in certis piscinis, & vivariis. Quartò, feras, quæ includuntur in locis valde amplis, & vastis; esse primò capientis: quia cùm ob vastitatem loci earum captura sit difficilis, & incerta, naturali libertate potiri censentur.

b Less. du. 6. Reb. s. 7.

107 Sequitur quintò, avem, vel animal extractum à laqueo, vel reti alterius, pertinere ad dominum laquei, & retis, qui per ea jus acquisivit ex nostris Ordinat. [c] Si tamen non benè irretitum erat, ita ut luctando se expediturum, & fugiturum probabiliter foret, nisi ab altero præoccuparetur; tunc divisio fieri debet pro ratione operæ ab utroque impensæ. Si verò animal vagum persequaris, quod in alienum rete incidat, similiter erit dividendum, si nec sola venatoris persecutio, nec solus laqueus satis esset ad capturam. Quod si persecutio probabiliter sufficiebat, nihilque aberat, quin caperetur, cùm more humano nihil juverit laqueus alienus, in quem casu incidit, non erit dividendum, sed totum erit persequentis. Sextò, si animal vagum à te lethaliter percussum fugiat, & ab altero capiatur, capientis erit, si illud non persequaris. Si verò persequaris, ad te pertinebit, cùm per vulnus, & persecutionem jus ad illud acquisieris. Si tamen persecutio tua non sufficeret ad capturam, vel dubium de ea foret, capienti adjudicari videtur, cùm in dubio melior sit conditio capientis. Septimò, quamvis peccet, qui in loco, & tempore prohibito venatur non tamen tenetur ad restitutionem ferarum, aut avium, quas capit, si illæ in nullius erant dominio.

c Lib. 5. tit. 62. n. 6. Less. dub. 10. & 11. Reb. s. 4.

108 Infertur etiam primò, [d] gemmas, ambarum, & similia, quæ in littore maris inveniuntur; aurum, quod flumina, & torrentes ad suas ripas emittunt, in nullius esse dominio, & fieri primò occupantis. Venæ verò auri, argenti, & aliorum metallorum de jure gentium sunt in dominio illius, cujus est ager, in quo generantur. De jure tamen civili deputantur Principi, ubicumque reperiantur, adeòque non sunt primò occupantis. Apud nos, excepta Transmontana regione, fas est cuique eas venas metallorum inquirere, & extrahere, quinta parte Regi reservata, etiam ante sententiam, cum quibusdam aliis conditionibus, quæ habentur in Ordinationibus. [e] Unde qui in alieno fundo hujusmodi venas reperit, non tenetur in hoc Regno partem aliquam dare domino fundi, licèt teneatur ad satisfactionem injuriæ, & damni, si quod cavando dedit.

d Less. du. 12. Reb. q. 15. s. 2.

e Lib. 2. tit. 38. §. 8.

109 Infertur secundò, [f] thesaurum, qui nihil aliud est, quàm vetus depositio

f Less. dub. 15. & seq. Reb. s. 2. à n. 12.

fitio pecuniæ, aut rerum pretiosarum, de cujus domino, aut occultatione nulla est memoria, spectato jure naturali, & gentium, cùm dominum non habeat, fieri primò occupantis; spectato tamen jure civili, [g] si inveniatur in proprio fundo, totum esse inventoris, estò ante de illo sciret, & eo animo fundum emerit. Inventus verò fortuitò in agro alieno, ex æquo dividendus est inter inventorem, & dominum agri. Quæsitus verò de industria, inconsulto domino, totus est domini post sententiam. Si dominium agri divisum sit, ita ut alter habeat directum, alter utile; dividendus est inter illos. Inventus ex domini consensu, dividendus est juxta conventionem factam. Inventus in loco publico, qui nullus est, verbi causa, in via, ad solum inventorem spectat. Si locus publicus jure à Principe possideatur, ut silva, dimidia pars fisco cedere debet. Inventus per artem magicam, aliamve prohibitam, ad fiscum pertinet. Intellige post sententiam, etsi sit inventus in agro proprio, vel qui nullius sit. Si verò in agro alieno, ea tantùm medietas adjudicanda est fisco, quæ aliàs fuisset inventoris. Quia æquum non est, ut dominus agri privetur sua medietate propter crimen alterius, si illius particeps non fuit.

g L. nemo Cod. de thesauris.

110 Infertur tertiò, [h] bona vacantia, quæ ab intestato sine hæredibus relinquuntur, non esse primò occupantis, sed ex jure communi pertinere ad fiscum; & apud nos ex Regis pietate captivis redimendis applicantur. [i] Bona verò derelicta, quæ dominus ita abjicit, ut in numero rerum suarum habere nolit, ex jure gentium, & civili communi fiunt primò occupantis, & idem est de jure nostro, cùm non comprehendantur nomine vacantium. [l] Nota verò bona, quæ urgente tempestate jactantur ad mare, regulariter habenda non esse pro derelictis, quia non jactantur cum eo animo, sed quia tempestas aliud non patitur. Quod à fortiori est verum de illis, quæ ex naufragio evadunt, & ad littora devehuntur. Imò illa capientes animo retinendi, si sint bona Christianorum Catholicorum, & non Pyratarum, excommunicantur in Bulla Cœnæ; ut dicetur c. 8. Quando verò prædicta bona alioqui peritura à te servantur, estò non fiant tua, poteris illa retinere, donec dominus appareat, & tibi solvat laborem tuum.

h Reb. f. 2. n. 7.

i Ord l. 2. tit. 26. n. 15. & l. 1. t. 89. n. 1.

l Less. dub. 18. Reb. n. 8. 9. & 10.

111 Dico secundò, legitimus modus comparandi dominium rei, quæ est alicujus, est per voluntatem domini dominium suum in alterum transferentis. Prob. quia naturalis æquitas non patitur, ut dominium rei alienæ in alterum transferatur, nisi per domini voluntatem. Unde per donationem, venditionem, permutationem, dominium in alterum transfertur post traditionem, non verò ante, nec per solam promissionem.

112 Id notandum [m] ex dispositione juris civilis aliquando acquiri dominium rei alienæ sine consensu domini per legitimam præscriptionem, quæ nihil aliud est, quàm *acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore à jure præscripto*. Ubi per dominium intelligitur non solùm proprietatis, sed etiam utilitatis: & per rem alienam, non tantùm intelligitur mobilis, sed etiam immobilis. Ea autem est vis præscriptionis, ut pro utroque foro dominium transferat. Unde elapso termino possessionis, non teneris restituere rem, quam legitimè præscripsisti, estò postea cognoscas cujus fuerit, & dominus verè appareat, quod durum videri non debet; quia justè potuit Princeps, ob bonum publicum, statuere, ut post longam possessionem dominium transferatur, ne dominia diu incerta maneant, & lites fugiantur.

m Less. l. 2. c. 6. dub. 1. Reb. 2. p. l. 1. q. 5.

113 Requiritur [n] autem primò ad legitimam præscriptionem possessio saltem civilis, qua quis nomine suo possideat, nam merè naturalis, seu corporalis non sufficit. Secundò, bona fides, quæ tunc habet locum, cùm quis ex prudenti æstimatione judicat rem, quam possidet, esse suam. Tertiò, titulus probabiliter præsumptus, seu qui, estò verus non sit, verus tamen existimetur ab eo, qui rem possidet, ut si equum emit à latrone, quem existimabat verum ejus dominum. Hæc tamen conditio, licèt ordinariè requiratur, absolutè necessaria non est, cùm interdum res aliqua possideatur sine ulla memoria tituli. Quartò, tempus legitimum à jure præscriptum, quod interruptum non sit.

n Less. à dub. 2.

114 Circa tempus hæc accipe. [o] Res privatorum mobilis bona fide cum titulo

o Less. à dub. 7.

titulo possessa triennio præscribitur. Si-ne titulo, non nisi spatio triginta annorum. Res verò immobilis privatorum bona fide, & cum titulo possessa præscribitur per possessionem longi temporis, nempe decem annorum inter præsentes, & viginti inter absentes. Sine titulo requiritur possessio longissimi temporis, hoc est, triginta annorum tam inter præsentes, quàm inter absentes. Res mobilis Ecclesiæ etiam Rom. præscribitur triennio, sicut, & privatorum. Immobilis verò Ecclesiæ Romanæ non nisi post centum annos; aliarum verò Ecclesiarum, post quadraginta ex jure communi.

p Less. à dub. 2.

115 Circa bonam [p] fidem adverte primò ignorantiam vincibilem sive juris, sive facti non sufficere ad præscriptionem, quia tollit bonam fidem. Secundò, ignorantiam invincibilem facti sufficere, quia non tollit bonam fidem. Et idem est, si sit juris dubii; quia in dubiis possumus utramque partem sequi, non tamen si sit juris clari; quia leges, à quibus præscriptio vim habet, statuunt, ut juris ignorantia non prosit, quod saltem de jure claro debet intelligi. Unde potest præscribi equus emptus à fure, quem putabas dominum, quia ignorantia est facti; non autem si sciens esse furem, existimabas eum posse vendere rem alienam; quia est ignorantia juris clari.

SECTIO III.

Quid sit justitia, & quæ ejus species?

116 a D. Tho. 2.2. q. 58. a.1. Less. l. 2. c.1. Reb. 1.p. l.1. q. 3. sect. 1.

Ex dictis de jure intelligitur quid sit justitia, quæ definiri solet: [a] *Perpetua, & constans voluntas jus suum unicuique tribuendi.* In qua definitione justitia sumitur pro speciali virtute morali, per quam homo ordinatur ad alterum, reddendo unicuique quod suum est. In quo differt ab aliis virtutibus, quæ sunt ad alterum, quia hæ non reddunt alteri jus suum eo modo, quo justitia; quæ proinde, cùm deficiant à perfecta ratione justitiæ, dicuntur virtutes ei annexæ, seu partes potentiales justitiæ propter affinitatem, quam cum illa habent.

b D. Tho. q. 80.

117 Quod ut intelligas, nota ex D. Tho. [b] dupliciter aliquam virtutem ad alterum deficere à ratione justitiæ. Primò, in quantum deficit à ratione æqualis. Sic deficit Religio erga Deum, Pietas erga parentes, & similes, quæ æquale reddere non possunt. Secundò, in ratione debiti, sic deficiunt reliquæ virtutes ad alterum; quia justitia respicit strictum debitum; aliæ verò debitum tantùm morale, seu quod est ex honestate, sive tale debitum adeo sit necessarium, ut sine eo morum honestas conservari non possit, ut veritas, gratitudo, & similes; sive sit tantùm necessarium secundùm quid ad morum honestatem, ut liberalitas, affabilitas, &c.

118 Nota secundò, jus illud, seu opus justum æquale, quod ex justitia alteri debetur, supponere in illo jus exigendi, & respectu talis juris dicitur debitum, & æquale. Ideo enim debes Petro decem, quia in Petro est jus exigendi à te decem. Et ideo opus illud solvendi decem, dicitur æquale, quia commensuratur juri, quod Petrus habet totidem à te exigendi. Unde cùm dicitur justitia reddere unicuique, quod suum est; duo indicantur. Primum, justitiæ munus esse constituere æqualitatem. Secundum, æqualitatem non semper esse æqualitatem arithmeticam rei ad rem; quia si non potes reddere decem, quæ debes, non excusaris à reddendo quinque, quæ reddere potes.

119 Porrò justitiæ propriè dictæ tres sunt species. [c] Prima dicitur justitia commutativa, & versatur inter privatas personas reddendo unicuique suum, secundùm arithmeticam proportionem: cujus formale objectum est honestas, quæ intrinsecè reperitur in servanda æqualitate inter unum, & alterum. Ejus verò partes integrantes sunt facere bonum, quod debetur proximo, & vitare malum illius, quando ex justitia illud vitare tenemur, servando æqualitatem in iis, quæ ad alterum pertinent.

c Less. du. 4. Reb. l. 2. & 3.

120 Secunda dicitur distributiva, [d] quæ versatur in rectè distribuendo; & dividitur in remunerativam, & punitivam. Remunerativa est, quæ inclinat ad honores, magistratus, munera, & beneficia publica, aliaque id genus pro cujusque dignitate, & meritis, secundùm geometricam proportionem, dispensanda. Punitiva est, quæ similiter nocentes pro meritis suppliciis, & pœnis affici curat. Utraque autem est in Re-

d Less. dub. 4. Reb. l. 2. & 4.

Digitized by Google

Repub. seu in Principe, qui eam gubernat, ad quem hæc præstare pertinet erga membra ipsius Reipub.

121 Tertia dicitur generalis, seu legalis, [e] qua quisquis rectè se habet circa bonum commune Reipub. quod bonum Arist. vocat justum, legitimum, & legale, utpote quòd leges præcipuè intendunt, cùm boni communis gratia sanciantur. Estque hæc justitia virtus distincta à præcedentibus; quia illæ respiciunt bonum particulare alterius, & dicuntur justitiæ particulares; hæc verò respicit bonum commune, unde dicitur generalis. Et ideo D. Thom. [f] ait hanc virtutem esse in Principe, Rectoribusque Reipub. architectonicè, quatenus per leges ea præcipiunt, & statuunt, quæ ad bonum commune, optimamque Reipub. administrationem pertinent, ut unusquisque se gerat, ut bonum commune, Reipublicæque perfectio postulat. Addit verò subditis inesse eamdem virtutem tamquam in mandantibus executioni illa, quæ per Rectores ad commune constituta sunt. Et Arist. docet objectum illius esse justum, non ut idem est, ac æquum, quod opponitur iniquo, quod injuriam involvit; quia eo modo spectatum est objectum justitiæ particularis; sed ut idem est, atque legitimum, seu quod à lege præscribitur, legive consonat, cui adversatur injustum in ea significatione, qua is, qui à lege discedit injustus dicitur. Est ergo virtus ista ad alterum, nempe ad bonum commune, Rempublicamque ipsam, & dicitur justitia, quatenus qui ductum illius sequitur, eique se accommodat, legibus bonum commune respicientibus, quas Reipub. decus, ac perfectio postulat, se adæquat.

e Less. du. 3. Reb. f. 1.

f q. 58. a. 6.

CAPUT III.

De contractibus.

122 JUstitia commutativa, quæ versatur inter personas privatas, maximè exercetur in contractibus humanis, ex quibus oritur obligatio restituendi, in qua cognoscenda Parochus debet esse peritus, ut oves suas dirigere valeat in re frequentissima. Dicam igitur 1. de contractibus in communi. 2. discurram per particulares, ut appareat in quo in illis justitia, vel injustitia reperiatur.

SECTIO I.

De contractibus in communi.

COntractus dupliciter accipitur. 1. latè pro mutua conventione, ex qua saltem ex una parte consurgit obligatio. Juxta quam acceptionem promissio acceptata, & donatio dicuntur contractus, quia obligationem pariunt ex parte promittentis, & donantis. 2. strictè pro conventione, ex qua utrinque nascitur obligatio, & definitur: *Ultro citroque obligatio ex partium voluntate, & pactione consurgens*. Juxta quam acceptionem promissio, & donatio non sunt contractus; quia non pariunt obligationem ex parte promissarii, & donatarii, sed sunt pacta quædam. [b] Obligatio autem orta ex contractu est naturalis, & in conscientia, & simul civilis, quia jus humanum concedit actionem ad talem obligationem. 123

a Le. l. 2. c. 17. du. 1. Reb. 2. p. 1. 1. q. 1.

b Less. dub. 4. Reb. q. 1. n. 10.

124 Omnis contractus ad sui valorem requirit internum consensum, qui debet esse liber, & ex intentione se obligandi signo aliquo externo declaratus. Quamvis autem stando in jure naturali consensus metu extortus sufficiat ad valorem contractus; quia quod per metum fit, simpliciter est voluntarium, & liberum, ut latè probat Sanch. [c] quidquid in contrarium conetur Reb. dicens contractus lucrativos, seu gratuitos, v. c. promissionem, & donationem initos ex quocumque metu, etiam levi, esse irritos, ac nullos jure naturæ, nec rei dominium transferre; & idem [d] inferius docens de contractibus onerosis, cujusmodi sunt transactio, emptio, locatio, & similes, quos eodem jure dicit irritos, & nullos, non solùm si fiant ex metu gravi, sed etiam levi. Communis tamen sententia est, quam retulimus ex Sanc. Utraque [e] autem in eo convenit, ut qui per contractum initum ex metu injusto quamvis levi aliquid acquisivit, teneatur ad restitutionem in foro conscientiæ; quia quod ita acquiritur, per injustitiam comparatur, & ideò justè retineri non potest. Quod intellige, modò contrahens fuerit alteri causa metus; nam si metus aliundè incussus fue-

c Lib. 4. matr. d. 8.

d 2. p. 1. 1. q. 5. n. 9. 15. & 16.

e Sanc. d. 9. Less. c. 17. dub. 6.

fuerit, non erit obligatio restituendi, cùm contrahens injuriam non intulerit. Intellige etiam modò metus fuerit causa præcipua, vel conditio, sine qua non fuisset initus contractus.

f Sanc.d.8. Less.dub.6

125 Nihilominus f ex dispositione juris civilis possunt, & solent rescindi in foro externo per sententiam judicis contractus initi ex metu cadente in virum constantem, si injustè ab extrinseco incussus sit, non autem si metus sit justus, aut levis. Et idem est, si res acquisita per talem contractum translata sit ad alium, qui metum incussit, potest enim irritari, quia res transivit cum suo vitio. Non tamen negandum, aliquos contractus esse ipso jure positivo irritos de facto, si fiant ex metu gravi injusto, ut est matrimonium, resignatio beneficii, testamentum &c.

g Less. dub.6. Reb. q.6.

126 Contra substantiam consensus ad contractum requisiti est g error, seu dolus. Unde error circa substantiam reddit contractum jure naturæ irritum. Ut si putes te gemmam emere, vitrum tibi vendatur. Deest enim consensus, quia non intendis emere vitrum, sed gemmam. Error verò circa accidentia, si sit tantùm concomitans, non irritat contractum; quia per hujusmodi errorem consensus substantialis non tollitur. Ut cùm emis equum hispanum putans bæticum, empturus licèt non tanti, estò scires non esse bæticum. Si tamen dolus alterius contrahentis ad causam contractui, estò error sit circa solam qualitatem, deceptus potest in foro conscientiæ contractum rescindere, quia per injuriam extortus fuit consensus; deceptor tamen tenetur contractum implere, si deceptus velit, quia fraus, & dolus nemini patrocinatur. Dixi: *Alterius contrahentis*. Quia si dolus aliundè veniat, contractus valet, dummodo contrahens non habeat voluntatem conditionatam non contrahendi, nisi res, de qua agitur, tali qualitate affecta sit; tunc enim defectu consensus, contractus erit irritus, & nullus.

h Less. dub.1.

127 Licèt autem h ad omnem contractum requiratur consensus, alii sunt contractus, qui dicuntur perfici consensu, illi nempe, qui certam verborum formam non exigunt, ut emptio, locatio, & similes. Alii dicuntur perfici re, qui scilicet traditionem rei exigunt, ut mutuum, depositum, commodatum. Alii dicuntur perfici verbis, qui videlicet certam verborum formam postulant, ut stipulatio, quæ interrogatione unius, & responsione alterius perficitur. Alii scriptura, qui sine illa non valent, ut Emphyteusis.

128 Porrò contractus i dividitur primò in nominatum, & innominatum. i Less.dub. 3.Reb.q.1. l.2.
Nominatus est, qui habet speciale nomen, ut emptio, mutuum, locatio. Innominatus, qui non habet nomen speciale, sed tantùm generale contractus; cujus sunt quatuor species, nempe, do, ut des; do, ut facias; facio, ut des; facio, ut facias. Secundò dividitur in contractum bonæ fidei, & stricti juris. Contractus bonæ fidei est, qui recipit benigniorem interpretationem, quam judex sequi potest, ut sunt regulariter onerosi. Contractus stricti juris est, qui æquitatem illam non recipit, sed judex tenetur stare verbis, & dispositione contrahentium, cujusmodi sunt contractus gratuiti. Tertiò dividitur in contractum lucrativum, seu gratuitum, & in onerosum, seu non gratuitum. Gratuitus est ille, in quo non intervenit onus, sed mera gratia, & liberalitas, ut promissio, donatio, mutuum. Onerosus est, in quo vicissim est onus, ut emptio, locatio &c.

129 Non l omnes personæ sunt capaces contrahendi ex dispositione juris positivi; istæ sunt Religiosi, filii familias, pupilli, minores, mancipia, & conjuges circa alienationem bonorum immobilium sine consensu alterius conjugis. m Quamvis negari non debeat posse prædictas personas naturalem obligationem contrahere circa aliqua, quæ non noceant iis, quibus subjectionem debent. Inter contractus quidam à jure prohibentur, ne fiant, quia sunt contra bonos mores, ut promissio pro maleficio patrando, & generaliter quod sine turpitudine, & peccato fieri non potest. Alii propriè non prohibentur ne fiant, redduntur tamen irriti à judice, si fiant, quales sunt, qui in favorem partis non probantur à jure. Prioribus dicitur jus resistere; posterioribus verò non assistere.

l Reb.q.8. Less. du.8.

m Reb.q.8 Less. du.8.

130 Dubium n est, an isti contractus, si juramento confirmentur, firmi reddantur? Duo sunt certa. Primum, quando lex contractum prohibet, quia est contra bonos mores, peccatum est juramentum addere, nec propterea firma-

n Less.du. 7. Reb. q. 9.n.2.

mabitur contractus. Prob. quia prohibitio legis juste obligat sub peccato; ergo qui jurat impleturum contractum à lege prohibitum, peccat, & non obligatur; quia est juramentum de actu illicito, quod non obligat ex regula 58. de regul. juris in 6. Unde non obligat promissio jurata de maleficio committendo, nec donatio omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum, nec pactum de non revocando testamento, nec similia à jure prohibita. Et ideo sine relaxatione juramenti potes non implere, quod jurasti.

o Reb. n. 3. Less. n. 56.

131 Secundum est, [o] quando lex contractum non prohibet, sed irritum reddit in favorem contrahentis, ut contingit in cessione, quam facit filia de bonis paternis contenta dote; alienatio bonorum facta à minore pubere sine solemnitatibus juris; alienatio fundi dotalis facta à marito de consensu uxoris, fideijussio facta à muliere, donatio inter conjuges, & similes, si juramento confirmentur, obligabunt; quia juramentum tunc non est de re prohibita, & illicita. Unde cùm vergat in utilitatem alterius habeatque materiam congruam, obligabit. Dixi: *In favorem contrahentis*. Quia [p] si contractus sit irritus principaliter in favorem publicum, nec licitè, nec validè obligationem pariet in aliquo foro; quia jus publicum tolli non potest per factum privatum. Unde pactum juratum à clerico de renuntiando privilegio sui fori nec licitè servari potest, quia tale beneficium non est personale, sed in favorem publicum statui ecclesiastico indultum. Similiter non obligabit juramentum additum pacto de non denuntiando malefactorem potestati publicæ, quia tale pactum irritatur in favorem publicum.

p Reb. n. 7. Less. n. 56.

q Less. d. 7. Reb. n. 6.

132 Notandum autem [q] aliud esse pactum firmari juramento, aliud obligari ex juramento. Nam quando qui jurat, potest sine peccato implere, tenetur ex juramento, non tamen firmatur pactum aliàs reprobatum ob peccatum creditoris, quia si firmaretur, jus acquireret ad actionem sibi illicitam. Unde pactum de solvendis usuris non firmatur juramento, & consequenter licèt ob Dei reverentiam ratione juramenti solvendæ sint, non tamen ex vi pacti, quia nullum est. Et ideo si petatur relaxatio juramenti, non tenebitur solvere. Et si solvat ex vi juramenti, poterit summam solutam repetere in judicio, quia usurarius nullum jus acquisivit. Est etiam alia differentia, quia quando contractus firmatur juramento, ejus obligatio transmittitur ad hæredes, sicut obligationes aliorum contractuum; quando verò contractus invalidus manet, non ita; quia obligatio juramenti est personalis.

SECTIO II.

De Promissione, & Donatione.

Promissio [a] facta homini non est contractus rigorosus, sed pactum, constat ex dictis: *Estque datio fidei firma, & spontanea de re licita*. Dicitur: 133
Datio fidei. Ad excludendam pollicitationem, quæ est solius offerentis promissio, non autem propria promissio, cùm aliud sit offerre fidem, aliud dare; non enim datur fides, nisi quando acceptatur, cùm dare, & accipere correlativa sint. Unde nec promissio merè interna, nec etiam exterius manifestata est completa promissio, quæ obligationem pariat ante acceptationem. Dicitur: *Firma*. Quia debet esse plenè deliberata, & cum animo se obligandi. Dicitur: *Spontanea*. Quia debet esse liberalis non per vim, metum, aut dolum extorta. Quia talis non obligabit juxta sententiam ex Rebel. s. 1. adductam, quæ saltem in pactibus liberalibus probabilior videtur. Dicitur: *De re licita*. Id est, quæ sine peccato impleri possit; quia ad peccatum nemo potest obligari. Unde licèt nulla sit promissio pro homicidio, aliove peccato patrando; post peccatum obligat, quia jam licita est impletio. Et ideo teneris dare, quod promisisti.

a Reb. 2. p. L. 1. q. 1. Less. l. 2. c. 18. dub. 1.

134 Igitur promissio, [b] ut sit perfecta, debet fieri per verba, aut signa alia externa, & per eadem acceptari. Unde ante acceptationem revocari potest sine injuria promissarii, qui nondum jus acquisivit. Quando promissio est merè liberalis, satis est taciturnitas promissarii, ut acceptare censeatur, quia qui tacet, consentire videtur, quando est in suum favorem. Filius, dum est sub patria potestate, pro patre acceptare potest, servus pro domino, Religiosus pro monasterio; mandatarius, negotiorum gestor, & procurator pro mandante, & con-

b Reb. q. 2. Less. duo. 5. 6. & 7.

Digitized by Google

& constituente; Tabellio, & Notarius publicus pro absente, & quilibet privatus pro causa pia.

135 Promissio acceptata obligat in conscientia. Alii dicunt obligare ex virtute fidelitatis; communis tamen [c] sententia docet obligare ex virtute justitiæ. Rebel. [d] distinguit: Si promittens solùm se voluit obligare ex fidelitate, non obligari ex justitia, sed solùm ex fidelitate sub veniali; si se voluit obligare ex justitia, ex ea obligari sub mortali ex genere suo. Quæ distinctio non displicet, quia tota vis obligandi provenit ex intentione. Si tamen verè promittat cum animo se obligandi, non restringendo intentionem ad solam fidelitatem, tenenda est communis sententia, quòd obliget ex justitia, & sub mortali. Notat tamen Sanch. ad hanc obligationem sub mortali non satis esse promittere quantitatem illam, quæ sufficit ad furtum mortale, sed requiri quadruplo majorem, quia credendum est in re tam levi neminem se graviter obligare velle.

c Sanc. l. 1. mat. d. 5. à n. 10. Less. du. 7. d Reb. q. 4.

136 Ex promissione [e] liberali, quæ est nudum pactum, non datur actio in foro civili, nisi vestiatur solemni stipulatione, aut traditione, aut juramento: in foro verò Canonico actio conceditur. In foro conscientiæ, in quo veritate standum est, datur obligatio sub mortali, quando materia est capax juxta dicta. Potest autem revocari promissio acceptata ex iisdem causis, ex quibus donatio revocari potest. Et similiter non valebit in casibus, in quibus non valet donatio, de qua statim dicam.

e Reb. q. 5. Less. dub. 8 n. 55.

137 Donatio [f] etiam est pactum gratuitum, quo res de præsenti datur, & debet habere conditiones promissionis, ut nempe sit spontanea, firma, ac de re licita, & debet acceptari, ut obliget: facta autem causæ piæ à quolibet acceptari potest. Et licèt ante acceptationem revocari possit; post illam non potest, nisi ex causis postea dicendis, sed obligat in conscientia ex virtute justitiæ sub mortali ex genere suo, & sub onere restituendi.

f Less. c. 18. dub. 2.

138 Donatio excessiva [g] non valet quoad excessum, si fiat sine insinuatione, quæ apud nos fit à Rege, vel à senatoribus Palatii, qui videre debent, an fiat voluntariè absque vi, dolo, vel fraude, & tunc concedere licentiam, si conveniens videatur. Dicitur autem excessiva, quæ fit à viro ultra trecentos cruciatos; à fœmina ultra centum & quinquaginta. Estò autem donatio sit nulla in foro externo, quoad excessum, valet tamen quoad taxatam quantitatem. Si facta sit causæ piæ non indiget insinuatione, quamvis sit excessiva.

g Reb. q. 6. Less. du. 13 l. Ord. l. 4. tit. 84.

139 Similiter est irrita [i] donatio omnium bonorum præsentium, sive excedat, sive non excedat prædictam summam. Si sit omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum, etiam est illicita, quia censetur contra bonos mores privare se potestate testandi, quod jure positivo illicitum est, nisi fiat ex causa rationabili, verbi causa, propter Religionis ingressum, vel propter Ecclesiam, aut pauperes, juxta Christi consilium: [l] *Vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Docet tamen Reb. [m] si nulla concurrat vis, fraus, nec injuria creditorum, nec præjudicium uxoris, aut filiorum, nec obstet extrema, aut gravis necessitas donantis, quamvis sit peccatum veniale contra prohibitionem legis humanæ, non esse tamen mortalem donationem omnium bonorum tam præsentium, quàm futurorum, nec eam acceptare; cùm mortaliter non peccet is, qui se privat potestate testandi, & qui omnia bona sua tempore mortis in mare projicit; nec item mortaliter peccare donatarium, retinendo quidquid per eam donationem datum fuit, quandiu donator in eadem voluntate præstiterit, cùm volenti, & consentienti non fiat injuria. Peccabit tamen mortaliter, si invito donatore, vel ejus hærede, post ejus mortem retineret, nisi constaret donatorem in prima voluntate decessisse, & confirmasse in morte totam donationem; tunc enim donatarius securè retinere potest, quia causa mortis fas est sine ullo termino donare.

i Less. dub. 13. Reb. q. 7. Ord. l. 4. tit. 45 §. penult.

l Matth. 19. 21. m Reb. q. 8

140 Porrò donatio revocari potest ex variis titulis. [n] Primò ex ingratitudine, ut constat ex nostris ordinat. quæ quinque causas ingratitudinis numerant. Primò, si donatarius gravi injuria verbali donatorem sive præsentem, sive absentem afficiat. Secundò, si ligno, vel ferro percutiat. Tertiò, si grave damnum procuret, estò effectus non sequatur. Quartò, si vitæ, saluti, aut statui insidiatus fuerit. Quintò, si alius promissionem intuitu donationis factam non impleverit.

n Reb. q. 9. Less. dub. 1 Lib. 4. tit. 55.

141 Se-

Digitized by Google

o Reb. q. 10. Less. n. 10. p Reb. q. 11 Less. n. 111

141 Secundò, titulo novæ [o] prolis supervenientis non cogitatę. [p] Quia mens donantis, tacitaque conditio subesse præsumitur, ut stet donatio, dummodo postea filios non suscipiat, cùm nemo præsumatur velle alium filio suo, quoad bona sua, anteponere. Tertiò, titulo inofficiositatis, quando per donationem filius, vel hæres necessarius sua legitima portione privatur. Unde donatio re ipsa inofficiosa revocabitur quoad prædictorum legitimas, in quibus eis nocumentum datum est. Si facta fuit animo defraudandi hæredes, revocabitur in totum, per sententiam tamen judicis, quia est pœna imposita tali donationi, quæ ante sententiam non obligat. Quartò, titulo notabilis mutationis rerum supervenientis, quæ si occurrisset, nec donares, nec promitteres: cùm enim promissio, & donatio vim suam habeant ex sola intentione donantis, & promittentis, non debent obligare ultra intentionem ipsorum rationabiliter interpretatam.

q Reb. q. 12. Less. n. 144.

142 Donatio [q] causa mortis differt à donatione inter vivos, de qua hactenus; quia etsi per traditionem dominium transferat, hoc transfertur revocabiliter. Unde licèt res sit à donatario vendita, aut aliter distracta, eamdem potest donator, dum vivit, exigere, non solùm cum fructibus pendentibus, sed etiam cum perceptis, nisi bona fide consumpti sint; tunc enim solùm poterit exigere id, in quo donatarius factus est ditior cum re ipsa. Donatio verò inter vivos est irrevocabilis, & solùm revocari potest ex causis suprà assignatis, si fuit merè gratuita, & liberalis. Quod addo, quia si donatio fuit remuneratoria ob merita, & obsequia, quæ illam merebantur, nec ob prædictas causas revocari poterit. Plura de donationibus, & promissionibus sub modo, conditione, & demonstratione tradunt DD. quæ magis pertinent ad forum externum. Vide [r] Reb. & Sanch. latè materiam tractantes.

r Reb. à q. 13. Sanch. toto l. 6. de mat.

SECTIO III.

De mutuo, & usura.

143 a Reb. l. 8 Less. c. 20. dub. 1.

Mutuum [a] est contractus, in quo quis tradit alteri rem suam ad usum, ut statim fiat accipientis, & restituat postea tantumdem ejusdem rationis, & qualitatis. Unde materia mutui regulariter est res usu consumptibilis, ut pecunia, triticum, oleum, &c. Et distinguitur à materia commodati, cujus traditur usus, non dominium, ut cùm commodas vestem, torquem, equum, & similia post certum tempus in individuo tradenda. Justitia autem mutui in eo consistit, ut mutuans non plus exigat, aut accipiat à mutuatario, quàm ei dederit; si autem plus aliquid accipiat, id usura dicitur.

144 Unde contractus, [b] quo aliquid exigitur ultra sortem ex vi mutui, seu propter usum rei mutuò datæ, est usurarius, & lucrum inde receptum dicitur usura, quæ est intrinsecè mala contra jus naturale, Canonicum, & nostrum regium; & ab omnibus Theologis reprobata. Prob. autem quia injustum est in contractu oneroso plus ab alio accipere, quàm ei tribuas, sicut & velle aliquid pro usu rei non tuæ, seu in alterius dominium translatæ, & aliundè ad æqualitatem compensatæ: sed res mutuò data transit in dominium mutuatarii, ut dictum est: ergo sicut injustum est, vendito pane pro justo pretio, aliquid insuper velle pro usu illius; ita est injustum pro pecunia, quam mutuò das, quę æquali summa tibi compensatur, aliquid exigere pro usu illius. Unde omnia pacta, quibus mutuatario imponis onera pretio æstimabilia, usuraria sunt; quia per ea intendis accipere lucrum ex mutuò. Et ideo non licet obligare mutuatarium, ut conducat domum tuam, emat in tua officina, deferat triticum ad tuum molendinum, ut tibi præstet munus à lingua, ab obsequio, & à manu, de quibus lib. 8. c. 4. sect. 7. §. 5. agendo de simonia, ut cum tali persona matrimonium ineat, ut tibi, vel alteri remittat injuriam, pro qua justam satisfactionem exigere potest. Idem est de similibus oneribus pretio æstimabilibus.

b Reb. q. 1. f. 2. Less. dub. 3 & 4. Ord. l. 4. tit. 67.

145 Cum hoc tamen stat, quòd possit mutuans aliquid accipere supra sortem sine labe usuræ ex variis titulis. Primus est [c] ex donatione liberali, & gratuita, si ita verè sit, & nulla obligatio intercedat, sed absoluta, & simplex animi gratitudo; non enim erit usura accipere, quia non ob mutuum principaliter provenit, sed ob gratitudinem.

c Reb. q. 16 f. 5. Less. du. 5.

146 Secundus est damnum [d] emergens ex mutuo. Quia hoc non est vendere usum pecuniæ, tritici, &c. sed dam-

d Reb. q. 5. Less. dub. 10.

damnum proprium vitare, quod licitum est. Nemo enim tenetur cum suo damno beneficium alteri præstare. Debet autem damnum ex mutuo proveniens esse certum, aut saltem probabile. Si damnum sit certum, quia, verbi causa, ut tibi succurrerem, vendidi rem meam minoris, quàm eram suo tempore venditurus, statim possum pacisci de damno, quia præsens, & certum est. Si sit tantùm probabile, licitè possum pacisci antequam eveniat, & accipere ultra sortem, quamvis in re non eveniat, dummodo non paciscar de toto damno formidato, quia adhuc incertum est, & minus æstimatur, quàm præsens. Quando damnum non est probabile, possum pacisci sub conditione. Mutuo tibi hac lege, ut si quid damni ex mutuo mihi acciderit, illud resarcias, quod etiam licet.

147 Tertius [e] est lucrum cessans ex mutuo, quando aliquis ratione mutui impeditur, ne aliquid lucretur; tunc enim potest pacisci de lucro cessante, quod non est minus æstimabile, quàm damnum emergens, modò sit spes proxima, & probabilis lucri, qualis non habetur, nisi ex pecunia negotiationi destinata. Pactum autem fieri debet, sicut proximè diximus de damno probabili. Qui pecuniam in arca otiosam habere debet, non potest ex hoc titulo aliquid accipere supra sortem sine usura.

[e] Reb. q. 5. & 6. Less. dub. 21.

148 Quartus est onus [f] mutuandi. Quia obligare se ad mutuandum, quoties aliquis eget, est aliquid pretio æstimabile, sicut & labor in numeranda pecunia, aut tritico mensurando. Quo titulo excusantur, qui in montibus pietatis, in quibus pecunia, aut alia res mutuabilis exposita est ad mutuandum egentibus ea lege, ut aliquid moderatum solvant pro expensis, ad conservationem montis pro sustentatione ministrorum. In particularibus verò personis mutuantibus hic titulus non videtur habere locum.

[f] Reb. q. 13. Less. dub. 23.

149 Quintus est periculum [g] sortis, & molestia in ea recuperanda, quod pretio æstimabile est, pro quo aliquid licitè accipi potest. Nam mutuans potest exigere, ut mutuatarius eum indemnem servet, dato fidejussore: unde si remittat fidejussorem, & in se suscipiat periculum sortis, potest aliquid pro eo onere accipere, sicut fidejussor accipere posset. Oportet autem, ut probabile sit periculum amittendæ sortis, & quod mutuatarius non sit persona secura, quia aliàs erit usura palliata.

[g] Less. du. 13.

150 Sextus est pœna [h] conventionalis, quando mutuans init pactum cum mutuatario, ut si statuto tempore non solvat, teneatur aliquid solvere in pœnam moræ. Cùm enim ille, qui est in mora culpabili, peccet contra justitiam retinendo alienum, invito domino, aliqua pœna dignus est, quæ ex conventione partium imponi potest. Unde etiam sequitur licitum esse pactum legis commissoriæ in pignoribus, quando ponitur in pœnam; Potest enim mutuans pignus pro mutuo accipere ea conditione, ut pignus fiat mutuantis, vel pro vendito habeatur, si non solvat termino præfixo, & ita fieri solet in montibus pietatis. Cavendum tamen est, ne pœna apponatur ad palliandam usuram, seu ex intensione aliquid exigendi ratione mutui, neve pœna exigatur, quando mora non est culpabilis.

[h] Reb. q. 9. & 10. Less. dub. 15.

151 Septimus est. [i] Quando mutuas rem tempore, quo minus valet, & redditur tibi tempore, quo plus valet, nullo existente pacto, aut probabilitate illius majoris valoris, nec illius gratia mutuasti: v. c. dedisti mutuum modium tritici, quando minus valebat; postea casu accidit, ut plus valeat, cùm reddi debet; poteris licitè accipere modium in eadem mensura, estò plus valeat, quia in eadem esses recepturus, si minus valeret. Si tamen probabiliter sciebas plus valiturum, quia mutuasti in novo solvendum in Majo, & obligasti, ne antea solveretur spe lucri, usura est, nisi servaturus eras ut eo tempore venderes: tunc enim ratione lucri cessantis posses eamdem mensuram accipere, esto plus valeret, detrahendo aliquid pro periculo corruptionis, cui triticum erat expositum, si apud te esset.

[i] Reb. q. 8. Less. dub. 17.

152 Aliter dicendum [l] de pecunia. Si enim mutuasti centum ducatos valentes decem regales, & postea Princeps auxit valorem ducati ad quindecim regales; non tenetur mutuatarius reddere tot nummos, quos accepit, sed illos, qui adæquent valorem centum ad rationem decem regalium. Nam in pecunia pretium ab ipsa non distin-

[l] Reb. l. 11. q. 15.

gui-

guitur; unde aucto pretio, mutatur pecunia, non sic triticum; & qui tunc daret eosdem nummos quos recipit, daret centum & quinquaginta ducatus, quod esset injustum, & usurarium. Si tamen æquè dubium erat tempore restitutionis ducatur plus, vel minus valituros, non esset usurarium pactum, quo obligares, ut tibi restituerentur tot nummi in eadem materia; quia cùm fuerit æquale periculum, & commodum, par est utriusque conditio. Si verò probabilius erat monetam plus valituram, & eam servaturus eras, usque ad tempus restitutionis etiam pactum est licitum ratione lucri cessantis; secus si servaturus non eras; quia jam aliquid acciperes supra sortem ratione mutui. Si autem probabilius esset pecuniam minus valituram, & tu statim eam eras distracturus, nisi mutuam dedisses; etiam licitum est pactum, quia potes te indemnem servare. Si denique servaturus eras; probabilius est non posse eumdem valorem exigere; quia esset plus velle, quàm dedisti.

m Reb.l.8. q.1. Less.d.33. 153 Illud non omittendum [m] triplicem esse speciem usuræ: nempe mentalem, explicitam, & palliatam. Mentalis est, cùm quis mutuat ea intentione, *ut ex lucro mutuum accipiat*, eam tamen intentionem exterius non manifestat; debet autem intentio esse recipiendi principaliter ex mutuo, quia si intendat recipere titulo gratitudinis, non erit usura. Quando autem lucrum recipit ex intentione mutui peccat, & tenetur ad restitutionem. Explicita est, quando jam pactum ratione mutui est expressum. Palliata autem fit primò, quando pactum de lucro ratione mutui non est expressum, sed nutu, vel consuetudine, aut alia via indicatur. Secundò quando mutuum occultatur sub colore alterius contractus; quòd multipliciter fit, ut cùm fingitur vendi, quod non est. Ut si des centum agricolæ fingendo te emere boves, quos non habet ad vendendum, & postea fingas te illos locare pro viginti. Est usura palliata, quia in re est mutuum tantùm 100. pro 120. Tertiò cùm vendis rem, quæ ad summum valet 20. & pro dilata solutione petis 25. usura est. Quia perinde est, ac si mutuares 20. pro 25. postea reddendis. Si emis rem, quæ ad minus valet 30. & quia anticipatè solvis, das tantùm 20. usura est. Quia idem est, ac mutuare 20. ut tibi dentur postea 30. cùm vendis mercem tuam summo pretio justo, expectata solutione, & iterum rem eamdem emis ab eodem emptore infimo pretio, soluta pecunia, usura palliata est; perinde enim est, ac si mutuares minus exacturus postea plus. Et sic sunt infiniti modi palliandi usuram, quos hominum malitia excogitavit, qui ad restitutionem obligant.

SECTIO IV.

De Contractu cambii.

Cambium est [a] contractus, in quo pecunia permutatur pro pecunia. Dividitur autem in siccum, & reale. Siccum est, quod in re est mutuum sub ficto nomine cambii. Ut cùm das Eboræ pecuniam Petro ibidem solvendam, confectis litteris, ac si Romæ solvenda foret, ut sub specie translationis pecuniæ lucrum supra sortem accipias. Reale est illud, quo una pecunia verè commutatur cum alia. Et dicitur minutum, quando una pecunia mutatur cum alia præsente diversæ rationis, v.c. aurea pro argentea, argentea pro ærea, magna cum parva. Dicitur verò locale, quando pecunia in uno loco traditur, ut in alio solvatur, sive campsarius det hic pecuniam campsori, ut eam alibi recipiat; sive campsor hic det pecuniam campsario alibi recipiendam. Porrò qui pecuniam dat ad cambium dicitur campsor; qui recipit, campsarius appellatur. 154 a Reb.lib. 11.q.1.& 3. Less.c.23. dub...

155 Dico ergo primò. [b] Cambium siccum illicitum est, & usurarium. Probatur, quia ideò dicitur siccum, quia caret humore, seu justo titulo accipiendi lucrum ex pecunia tradita: cùm enim pecunia non deferatur ad eum locum, in quo solutio fingitur fieri, non alio titulo lucrum reportatur, quàm ratione temporis, quo solutio expectatur; quod illicitum est, & usurarium, quia datur pro mutuo palliato sub specie, & nomine cambii. b Reb.q.u. 1.n.1. Less.d.12.

156 Dico secundò. [c] Cambium reale minutum licitum est, quamvis in c Reb.q.4. & 5.

Less. d. 2. eo aliquid accipiatur supra valorem monetæ à lege constitutum. Prob. quia officium cambiendi in gratiam campsariorum, occupatio, & labor numerandi, pecuniæ puritas, antiquitas, commoditas, & similia sunt pretio æstimabilia, pro quibus aliqua compensatio moderata à campsoribus exigi potest non præcisè prout est pecunia taxata à Principe, sed ut est res quædam, & ex aliis titulis assignatis.

d Reb. q. 6. Less. d. 3. & 4.

157 Dico tertiò. Cambium reale [d] locale cum moderato lucro licitum est, sive campsor det pecuniam alibi recipiendam, sive accipiat alibi tradendam. Probatur, quia in utroque casu est quædam virtualis translatio pecuniæ pretio æstimabilis, quæ compensationem meretur; levatur enim campsarius magno onere, quod sibi subeundum foret, transferendo realiter pecunias ab uno ad alium locum valde distantem cum multis periculis, quibus talis translatio exposita esse solet. Dixi: *Cum moderato lucro*. Quia non capio qua justitia mercatores hic in Lusitania accipiant 1050. ut dent Romæ 600. vel dent Romæ 600. ut hic accipiant 1050. Anno enim 1645. & duobus sequentibus dabant 600. pro 880. Postea singulis sex mensibus 50. auxerunt usque ad præsentem statum. Notandum autem jam eo tempore auctum fuisse monetæ valorem in Lusitania, quia hoc augmentum factum fuit anno 1641. Unde deprehendi facilè potest, quem titulum habere possint ad tam immensum lucrum exigendum.

e Reb. q. 6. n. 9. Less. d. 7. n. 61.

158 Dubium autem est, an liceat cambium cum [e] recambio, quando nempe campsarius accipit pecunias solvendas Romæ à correspondente campsoris, qui postea eamdem pecuniam per litteras in Lusitaniam remittit, ut ibidem campsarius eam solvat cum cambio, & recambio? Et quidem quando campsor scit campsarium non habere Romæ pecunias nec actuales, nec in credito, quibus Romæ solvere possit, cambium est fictum, & usurarium. Probatur, quia in tali casu non existit pecunia Romæ, quæ mutari debeat cum præsenti in Lusitania accepta, prout requiritur ad verum, & reale cambium: ergo est fictio, & usura palliata sub specie, & nomine cambii.

f Reb. q. 6. n. 9. Less. n. 71.

159 Si tamen campsarius [f] sponte petat à campsore, ut sibi assignet aliquem, qui ipsius nomine pecuniam in Lusitania acceptam Romæ solvat, campsorque suum correspondentem ei offerat, qui ex propriis pecuniis debito satisfaciat, quique jam ut creditor campsarii litteras secundi cambii ad eum dirigat, ut summam solvat campsori, à quo primum eam in Lusitania accepit, non quidem tamquam suo creditori virtute primi cambii, quia hoc debitum jam extinctum supponitur, sed tamquam creditori correspondentis, cujus ipse campsarius per secundum cambium factus est debitor; aliqui cum formidine licere dicunt. Verùm sine illa illicitum, & usurarium haberi debet, quia in rei veritate totus ille circulus non aliò tendit, quàm ut specie cambii pallietur usura, seu lucrum ex mero mutuo, datum enim fuit mutuum in eodem loco solvendum cum illo duplicato lucro sub nomine cambii.

SECTIO V.

De Venditione, & Emptione.

Hic contractus [a] est quotidianus, in quo multæ fraudes, & injustitiæ committi solent ex utraque parte, maximè verò ex parte vendentium. Est igitur venditio contractus, quo datur merx pro pretio; emptio autem, quo datur pretium pro merce. Estque contractus justus, quando pretium est æquale rei valori, injustus verò, quando est inæquale, sive pretium valorem excedat, sive ab illo excedatur. Ad judicandum [b] autem de valore rei non solùm est considerandа perfectio entitativa illius, sed usus, & necessitas, copia, & inopia, & multitudo, & paucitas vendentium, & ementium, labor susceptus in re procuranda, ex quibus omnibus, & aliis id genus augetur, vel minuitur mercium valor. 160

a Reb. l. 9. q. 1. s. 1. Less. c. 21. d. 1.

b Reb. l. 7.

161 Quare pretium, [c] quod, omnibus spectatis, taxatur à Principe, omninò justum est, consistitque in indivisibili, ita ut neque augeri, neque justè minui possit, & appellatur pretium legitimum. Quia verò communiter pretium rerum vena-

c Reb. l. 5. & q. 2. Less. d. 2.

venalium per legem determinari non potest, ejus constitutio communi prudentum judicio relinquitur, & vocatur pretium arbitrarium, & naturale; habetque latitudinem supremi, medii, & infimi. Unde potest mercator sine injustitia easdem merces uni vendere vilius, & alteri carius intra latitudinem justi pretii naturalis, non autem si pretium sit à lege taxatum, quia hoc est indivisibile.

162 Sunt autem variæ [d] causæ, quæ variant justum pretium naturale. Prima est copia, vel inopia mercium; copia enim minuit pretium, quod antea erat justum; & inopia auget, quando hæc fraude non inducitur, qua mercatores solent facere monopolium emendo omnes merces, aut eas abscondendo, ut inopia appareat, & sic pretium augeatur, quod augmentum est injustum. Secunda est copia, vel inopia emptorum. Cùm enim multi sunt emptores, crescit pretium; cùm verò pauci, minuitur; quia multitudo emptorum inopiam inducit mercium; paucitas copiam; unde quæ venduntur sub hasta, vel à proxenetis vilius emi possunt, quàm communiter valent, dummodo absit fraus, qua aliqui solent rogare coemptores, ne emant, ut ipsi vilius emant, quod non licet. Similiter potest carius vendi, cùm emptores inter se certant augendo pretium, dummodo etiam absit fraus, qua venditor solet secretò emptores falsos supponere ad augendum pretium, quod etiam injustum, & illicitum est. Tertia est modus emendi; vilius enim emuntur merces, quæ simul in magna quantitate emuntur, quàm quæ per partes. Ad has causas facilè reduci possunt aliæ, si quæ sunt augendi, vel minuendi pretium rerum venalium.

163 Ad vitandas autem fraudes, quæ solent contingere ratione pretii, nota primò, res ad ornatum, & delectationem pertinentes non habere pretium naturale certum, sed tanto posse vendi, quantum venditor extorquere possit citra fraudem. Unde non est injustum grande pretium accipere pro statua antiqua, pro gemma, pro cane, pro accipitre, & sic de aliis, ut docet Tolet. [e] licèt Less. [f] contradicat non sine probabilitate.

[d] Reb. q. 1. sect. 7. Less. d. 4.

[e] Lib. 8. c. 48 n. 1.

[f] Less. d. 3.

164 Nota secundò, [g] nec vendentes res ad vitam necessarias posse excedere justum pretium sive legitimum, sive naturale sine culpa mortali sub onere restituendi, cùm est notabilis excessus; nec emptores posse vilius justo emere, sub eadem culpa, & onere. Et licèt in foro externo non cogatur venditor ad damnum resarciendum, nisi cùm vendit supra medietatem justi pretii; nec emptor, nisi quando emit infra prædictam medietatem: aliter est in conscientia. Nota tertiò, posse venditorem supra justum pretium exigere damnum [h] emergens, quod vendendo patitur; ut si res valens centum tibi valdè commoda erat, & precibus emptoris vendis, potes exigere pretium pro damno, quod vendendo pateris, admonito tamen de hoc emptore, si fortè velit. Et idem est de emptore, si in gratiam venditoris emat, & damnum ex emptione patiatur. Similiter potest quis carius justo vendere ob lucrum cessans certò, aut probabiliter eventurum, juxta majorem, aut minorem probabilitatem lucri, monito tamen emptore. Non tamen licet titulo lucri cessantis rem nunc carius vendere, quia futuro tempore plus est valitura, nisi illam usque ad illud tempus esset servaturus.

165 Ad vitandas fraudes, [i] quæ contingunt ratione rei venditæ, nota hanc posse committi, cùm est vitium in substantia rei, in quantitate, vel in qualitate. In substantia contingit, cùm venditur id, quod non est, pro eo, quod emptor esse putat: ut si ei vendas non aurum pro auro, non argentum pro argento, non gemmam pro gemma, &c. Hic contractus est nullus & mortaliter injustus cum onere restituendi. In quantitate, cùm venditur non libra pro libra, non mensura pro mensura. Solent enim aliqui venditores pondera, & mensuras falcatas habere, ut decipiant emptores, graviter in hoc peccantes cum onere restitutionis. In qualitate, cùm v. c. venditur equus cæcus pro non cæco; mancus pro non manco; senex pro novo; vinum aquatum pro puro; pannus putridus pro sano, &c.

166 Circa hoc vitium qualitatis adverte primò, vendere rem [l] vitiosam tanti, quanti venderetur, si non haberet vitium, injustitiam esse obli-

[g] Reb. q. 1. Less. d. 4.

[h] Less. d. 4. Reb. q. 1 s. 7. n. 38.

[i] Less. d. 11. Reb. qu. 4. 9. & 10.

[l] Less. à n. 91.

gantem ad restitutionem, & mortalem, si materia levis non sit. Adverte secundò, licèt controversum sit inter DD. an teneatur venditor admonere emptorem de vitio rei manifesto, & alii negent, dummodò rem vendat ut vitiosam, non accipiendo tantum pro ea, ac si vitiosa non esset: alii verò doceant non teneri admonere de vitio, si videat hoc ab emptore non adverti. Probabilius videtur non teneri ex justitia, si emptor poterat advertere, & ex sua negligentia non advertit, teneri tamen ex m L. ff. n. 93. charitate, m si vitium sit in magnum emptoris damnum sub mortali; aliàs sub veniali. Aliter dicendum, si emptor advertere non poterat, quia erat inexpertus, & vitium ignorans. Tunc enim tenebitur ex justitia admonere de vitio manifesto, ac si esset occultum, quia respectu talis hominis occultum judicari debet.

n L. ff. n. 56. 167 Adverte n tertiò, si vitium sit occultum, non satis esse dare pro justo pretio, quantum valet res sic vitiosa, sed vitium esse à venditore manifestandum. Primò, quando vitium est in damnum emptoris, ut si vendas equum militi; cujus vitium occultum est periculosum in bello. Si vendas vinum, quod scis parum duraturum, ementi ad conservandum. Secundò, cùm res ita vitiosa est inutilis emptori, ut si vendas medicinas veteres, quæ vim non habent ad medendum; injustè facis, licèt pretium justum exigas. Tertiò, cùm venditor novit, aut probabiliter credit emptorem emere ad revendendum, tenetur vitium manifestare, ne emptor ille revendat tanto pretio, ac si res vitium non haberet. Extra hos casus, si aliqua causa rationabilis existat, mendaciumque non intercedat, licebit vendere justo pretio non detecto vitio rei occulto. o Adverte quartò, etiam emptorem o Less. n. 81. Reb. q. 8. n 13. teneri manifestare venditori rustico, & ignaro valorem rei venditæ, v. c. si rusticus, vel ignarus vendat vili pretio gemmam magni valoris, ambarum, & similia, quæ non agnoscit; tenetur emptor ei veritatem aperire, & dare justum pretium valoris, aliàs peccabit mortaliter cum onere restituendi.

168 Ad vitandas denique fraudes in modo vendendi, & emendi, cùm res venditur credito, aut anticipata solutione. p Nota primò, licere rem vendere p Less. d. 6. & 7. summo pretio cùm venditur credito, & emere infimo, cùm emitur anticipata solutione; non licere autem supra totum justum pretium vendere rem, quia credito venditur, nec emere infra infimum, quia anticipatè solvitur. In quo omnes conveniunt. Unde peccant cum onere restituendi mercatores, qui in fine nundinarum, cùm res jam minus valent ob emptorum inopiam, vendunt merces credito eodem pretio, quo valebant in medio nundinarum, quando ob copiam emptorum majus erat; nec excusari eò quòd ipsis tanti steterunt, quia merces huic periculo sunt expositæ, ut minus, & plus valeant, & aliquando mercator perdat, aliquando lucretur; nec semper possunt vendi pluris, aut tanti, quanti steterunt. Similiter peccant sub eodem onere illi, qui videntes agricolas non posse terras, & vineas excolere, aut pecora nutrire præ inopia, pecunias subministrant emendo anticipata solutione minoris, quàm res creditur suo tempore valitura, quod est usura palliata obligans ad restitutionem.

169 Nota secundò, q rem tanti de- q Less. d. 7. n. 62. Reb. q. 11. n. 8. bere vendi, aut emi, quanti valet, aut valitura probabiliter creditur tempore, quo res ipsa traditur. Unde si in Januario emis modium tritici tradendum mense Augusto solvendo anticipatè, potes emere pretio, quod probabiliter creditur tunc habiturum, sive tunc minus, sive plus valeat, quia satis est, quòd ematur probabili pretio tunc futuro. Similiter si mercator r sciat r Less. d. 5. paulò post multas merces adventuras, & pretium minuendum; licitè potest suas vendere pretio tunc currenti, quin de futuro admoneat. Et idem est, si sciat intra breves dies pretium à Principe taxandum, potest licitè vendere pretio majori tunc currenti. Similiter si vendas merces solvendas post sex menses, quando magis valebunt, quàm cùm eas tradis; non potes vendere pretio futuro, sed præsenti, nisi merces servaturus eras usque ad illud tempus, & precibus emptoris cogaris tunc vendere; tunc enim poteris exigere pretium tunc probabiliter futurum, & de eo pacisci, licèt postea contingat merces minus valere.

Digitized by Google

170 Ab hac communi doctrina aliqui excipiunt merces illas, quæ non possunt vendi, nisi credito, vel anticipata solutione. Unde dicunt sericum, cujus magna copia fertur ad aliquas civitates, quòd si venderetur soluto pretio, vilius, justo venderetur propter paucitatem emptorum, solere vendi credito aliis mercatoribus, donec ipsi revendant, & habeant unde solvant, posseque exigi pretium, quod probabiliter creditur valiturum tempore solutionis. Similiter dicunt merces, quæ aliter vendi, aut emi nequeunt, quàm anticipata solutione, ut sunt merces lanarum, quas mercatores aliter habere non possunt, quàm anticipando solutionem, qua pastores expensas faciant, posse emi pretio, quo valent tempore solutionis, quod non licet in aliis mercibus. [f] Ita voluit excusare Sotus has venditiones, & emptiones, quæ ab aliis communiter reprobantur ut usurariæ. Quia in primo casu non est aliud, quàm ob expectatam solutionem augere pretium, quod ex natura rei copia mercium minuit. In secundo ob anticipatam solutionem minuere justum pretium lanarum, quod habebunt, quando extiterint, nam quando res non est, pretium non habet, nisi in spe. Nec video quomodo mercatores non possint habere lanas, nisi ita emant; quia possunt anticipatè emere, solvendo statim pro pretio, quod habebunt tempore tonsionis, vel quod tunc probabiliter creduntur habituræ. Unde isti emptores excusandi non sunt ab usura, nisi ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, si verè detur. [t] Lessius tamen excusare conatur.

f Reb. qu. 11. n. 9.

t Dub. 7.

171 Nota tertiò [u] fraudem committi solere in venditione cum pacto de retrovendendo. Quando emptor obligatur ad rem venditori revendendam, quoties suum pretium acceperit. Quæ venditio secundùm se licita est, sive fiat indeterminatè, sive cum conditione, ut, nisi intra tot annos redimatur, res sit omninò emptoris. Ut autem tunc absit usura palliata, duo requiruntur. Primum est, ut qui emit, intentionem habeat emendi, & qui vendit, vendendi; quia aliàs esset usura, & mutuum virtuale cum lucro; acciperet enim postea capitale, & fructus rei, quæ dicitur vendi, pro lucro. Secundum est, ut cùm revenditio fit, non plus accipiatur à venditore, quàm ei datum fuit.

u Less. d. 14.

SECTIO VI.

De Censibus.

172 Census est [a] contractus, quo emitur jus percipiendi certam pensionem ex re fructifera alicujus. Is verò, qui tale jus emit, dicitur censualista; qui vendit, & obligatur ad pensionem solvendam, dicitur censuarius. Est autem contractus iste licitus, si debitè fiat, quia per illum emitur res pretio æstimabilis, nempe jus percipiendi pensionem ex re fructifera domini, qui sicut gratis tale jus dare poterat, ita pro justo pretio vendere potest.

a Reb. lib. 10 q. 1. & 2. Less. c. 22. d. 1. 2. & 3.

173 Ut autem contractus iste justè, & licitè fiat, requiritur primò ex jure naturæ, ut census constituatur in re aliqua fructifera, ex qua suo tempore pensio solvi possit. Secundò, ut census ematur justo pretio, quale censetur, quod vel à lege, vel consuetudine, vel prudentum judicio taxatum fuerit. Tertiò, ut si res censui subjecta pereat; censualistæ pereat, quoad jus percipiendi fructus, quia res domino suo perit; nisi pereat culpa censuarii, aut per alium contractum specialem rei censualis assecurationi provisum sit. Quartò, ut non possit censuarius rem vendere, aut quovis alio modo alienare sine consensu censualistæ, saltem quando periculum est, ut pensio imposita difficiliùs à novo rei domino obtineatur.

174 Licitum etiam est census vendere cum pacto [b] retrovendendi posito in gratiam venditoris, ita ut venditor possit censum redimere, quando voluerit, sicut licet in aliis venditionibus, modò venditor minuat de pretio juxta æstimationem gravaminis, quod imponitur emptori. Et licèt DD. communiter dicant licitum esse pactum illud in favorem emptoris, ita ut teneatur venditor pretium acceptum restituere, quoties emptor voluerit: id tamen periculosum est, & minimè consulendum, quia obligare venditorem ad redemptionem census, percepta interim pensionem,

b Reb. q. ult. §. 5. diff. Less. d. 9. & 10.

Digitized by Google

idem in re esse videtur, ac dare pecuniam mutuam suo tempore restituendam, & aliquid accipere supra sortem, quod usurarium est.

c Reb. q. 6. Less. d. 12. 175 Hæc de jure [c] naturæ satis erant ad censum. De jure verò positivo aliquot hodie conditiones requiruntur, quas postulat Pius V. in suo diplomate. *Cùm onus*: Quorum aliquas prius apposuerat Martinus V. aliàs verò Callistus III. Quia verò apud nos receptum est prædictum diploma Pii, non nisi juxta illud potest hic contractus celebrari, & ideò ejus conditiones breviter exponendæ sunt.

d Reb q. 6. à n. 1. Less. d. 12. à n. 77. 176 Est igitur prima, [d] ut census non nisi supra re aliqua immobili, quæ de sua natura sit fructifera, & quæ nominatim suis finibus designata sit, constituatur. *Supra re*: Significat omnem censum personalem esse prohibitum, & irritum; non tamen quòd supra pluribus rebus constitui non possit; licèt tutius sit supra una tantùm censum collocare: *Immobili*. Significat non posse censum institui supra re mobili, sed supra immobili, aut quæ pro immobili habeatur, ut sunt vectigalia, & alia jura, imò supra censum antiquum majorem novus aliquis minor creari potest, ut aliqui satis probabiliter docent. *Sua natura fructifera*: Significat rem non solùm debere esse fructiferam, sed sufficientem ad omnes in posterum pensiones solvendas, & expensas, si quæ faciendæ sunt. *Suis finibus designata*: Significat prohiberi, & irritari censum supra re, quæ non sit certa, & determinata, ut si fiat supra omnibus bonis censuarii confusè, & indeterminatè acceptis.

e Reb. à n. 7 Less. n. 80. 177 Secunda, ut non valeat, nisi fiat pecunia [e] numerata, præsentibus testibus, & notario in actu celebrationis instrumenti, non autem priùs recepto integro, justoque pretio; solutiones insuper, quas anticipatas vocant, nec fieri, nec in pactum deduci posse. Ex qua conditione duo constant. Primum, non sufficere quòd censuarius se pretium, vel partem antea recepisse fateatur, sed integrum numerata pecunia solvendum esse modo dicto, nec satis esse loco pecuniæ rem aliquam æquivalentem solvere, v. c. dare pro pretio equum, boves, oves, & similia, quæ pecuniæ numeratæ non sint. Nec valebit, si ambo conveniant, ut in actu celebrationis numeretur integrum pretium venditori, & postea restituatur totum, vel pars emptori, quia esset legem illudere. Secundum est, non posse solutiones pensionum anticipatè fieri, antequam actu debeantur. Quia magis id videretur lucrum pro mutuo, quàm emptio pensionis.

178 Tertia, ne ulla pacta indebita [f] & conventiones adjungantur, quibus censuarius extra naturam contractus obligetur. Ubi prohibet: Primò, solutiones pensionum anticipatas in pactum deduci. Secundò, irritas reddit omnes conventiones directè, vel indirectè obligantes ad casus fortuitos eum, qui aliàs ex natura contractus omninò non teneretur. Tertiò prohibet pactum auferens, vel restringens facultatem alienandi rem censitam, declaratque, ut res ipsa semper, & liberè, ac sine solutione laudemii tam inter vivos, quàm ex ultima voluntate alienari possit, invito domino census, ubi tamen res censita vendenda fuerit, præcipit, ut dominus census omnibus aliis præferatur, eique denuntietur, quibus conditionibus vendenda sit, atque ut per mensem à die denuntiationis expectetur. Quartò irrita decernit pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas medio juramento creditoris liquidandas, aut rem censui subjectam, aut aliquam ejus partem amittere, aut aliud jus ex eodem contractu, sive aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere. Quæ omnia hujusmodi pacta irrita decernuntur. Quintò omninò prohibet censum augeri, & novum creari super eadem, vel alia re in favorem ejus, aut personæ pro eo suppositæ pro censibus temporis vel præteriti, vel futuri; sicut etiam annullat pacta continentia solutiones onerum ad eum spectare, ad quem aliàs de jure, & ex natura contractus non spectarent, & omnem impositionem pœnæ, cujusmodi est, qua venditor concedebat facultatem emptori capiendi propria authoritate rem censitam ob cessationem solvendi pensionem, & similes.

f Reb. à n. 10. Less. à n. 81.

179 Quar-

Digitized by Google

g Reb. à n. 17. Less. à n. 88. 179 Quarta, g ut re censita in totum, vel pro parte perempta, vel infructuosa effecta, pereat census ad ratam, quia aliàs census realis converteretur in personalem, quod illicitum est. Si tamen res, vel ejus pars per culpam censuarii interiret, aut infructuosa redderetur, licèt census similiter periret, haberet tamen dominus illius contra censuarium actionem doli, vel aliam, quoad census pretium, totumque interesse lucri cessantis, & damni emergentis.

h Reb. à n. 20. Less. à n. 92. 180 Quinta, h ut semper liberum sit censuario, quoties voluerit, censum redimere reddendo idem pretium, & irrita est omnis pactio in contrarium, v.c. si census intra triennium, certumve tempus non redimatur, maneat omninò irredimibilis, & similes. Non tenetur tamen censualista partem pretii acceptare, censumque redimere per partes.

i Reb. à n. 4. Less. à n. 94. 181 Sexta, i ut nunquam censuarius cogatur ad censum redimendum. Hæc tamen conditio non tollit, ut notat Reb. quòd fideijussor censuarii possit bona fide pacisci cum eo, ut censum redimat, eumque ab obligatione liberet. Dixi: *Bona fide*. Quia si ex secreta conventione cum censualista fideijussor tale pactum exigeret; jam indirectè per tertiam personam censuarium cogeret ad redimendum censum, quod expresè prohibetur, & irritum decernitur.

SECTIO VII.

De Emphyteusi, & Feudo.

182 a Less. c. 2. dub. 9. Reb. l. 13. q. 1. Emphyteusis a est contractus, quo quis tradit rem suam immobilem cum translatione dominii utilis, retento directo, sub certa pensione solvenda, idque vel in perpetuum, vel ad unius, aut plurium vitam, vel ad certum tempus, quod non sit minus decennio. Dividitur in Ecclesiasticam, & communem, seu profanam. Illa in bonis Ecclesiæ, & pii loci; hæc fit in bonis non Ecclesiasticis.

183 Conditiones hujus contractus sunt. Prima, ut Emphyteuta quotannis teneatur solvere pensionem sive in pecunia, sive in fructibus, juxta factam conventionem. Secunda, ut amittat rem emphyteuticam, si non solverit per duos annos, si sit Ecclesiastica, nisi sibi consulat brevi satisfactione; vel per tres si sit profana. Tertia, ut non teneatur solvere pensionem, si res pereat sine culpa illius, quoad totam: si verò pereat tantùm ex parte, non solvat totam pensionem, nisi sit valde modica. Quarta, ut rem amittat, si eam notabiliter deteriorem reddat. Quinta, ut non possit vendere jus emphyteuticum, nisi proprietario priùs monito, ut ipse emat, si velit, & alioqui si ante vendat, cadat in commissum. Sexta, ut quoties res venditur, aut alienatur cum licentia domini directi, alienatione voluntaria, accipiens pro investitura solvat laudemium prædicto domino, id est, quinquagesimam partem pretii, ex jure communi, apud nos quadragesimam.

184 Feudum b propriè sumptum est contractus, quo retento dominio directo, datur alteri res immobilis quoad dominium utile sub onere exhibendi fidelitatem, & obsequium aliquod personale. Unde in eo distinguitur ab Emphyteusi, quòd in hac solvatur pensio realis, in illo verò servitium personale. Qui dat in feudum, dicitur Infeudator, seu dominus feudi, qui verò accipit, dicitur feudatarius, seu vassallus. b Less. d. 10

185 Porrò feudi c variæ sunt conditiones præter eas, quæ ex illius definitione sumi possunt. Prima, ut vassallus non teneatur servitium personale exhibere domino, nisi interpellatus. Secunda, ut amittat feudum, si requisitus obsequium debitum denegaverit. Tertia, ut feudum etiam amittat, si illud sine consensu domini alienaverit. Quarta, ut debeat à domino investiri, eique tunc, juxta formam consuetam, fidelitatem jurare. In his tamen, aliisque ad feudum spectantibus variæ locorum consuetudines attendi debent; de quibus Juristæ. c Less. d. 10.

186 Contractus liberaticus, d seu datio ad libellum, dicitur cùm Emphyteuta, vel feudatarius rem illam, quam in Emphyteusim, vel in feudum accepit, simili contractu tradit tertio; ad quod tamen, si in decennium fiat, requiritur domini consensus, ita ut sit quasi sub emphyteusis, & sub feudum. d Less. d. 1. n. 9.

SECTIO VIII.

De locatione, & conductione.

187 a Reb. lib. 14 q. 1. Less. c. 24. d. 1.

LOcatio [a] & conductio est unus, & idem contractus, sicut emptio, & venditio, in quo res, vel persona ad usum, vel fructum alicui conceditur pro pretio. Et ex parte dantis dicitur locatio, ex parte verò recipientis dicitur conductio.

188 Variæ sunt locatoris obligationes. [b] Prima, ut teneatur manifestare conductori vitia rei locatæ, quod ni faciat, tenebitur restituere conductori damna, quæ illi obvenerunt ex vitio rei locatæ, dummodò ex culpa theologica non admonuerit. Si tamen non admonuit, quia vitia inculpabiliter nesciebat, vel quia inculpabiliter oblitus est, non tenebitur in foro conscientiæ. Si vitium rei erat occultum, & res ita vitiosa, ut ad usum, ad quem locata fuit, prorsus non inserviret, in neutro foro poterit pensionem exigere nec ipsam retinere, imò ad damna restituenda tenebitur. Unde qui equum assuetum se in aquam dimittere, locavit ad merces transferendas, tenetur ad restitutionem damni, quod inde conductor passus est non admonitus de vitio equi, si vitium sit manifestum, locatori tamen constet esse conductori occultum, ita ut si vitium suspicaretur, rem non conduceret: in conscientia tenebitur ad damna, licèt in foro externo excusetur, quia quod omnibus notum est, conductori quoque notum jura præsumunt.

b Reb. q. 4. Less. d. 6.

189 Secunda, [c] tenetur non solùm ad expensas necessarias factas à conductore in sarcienda re conducta, sed etiam ad utiles, quæ duraturæ sunt post tempus locationis, non tamen ad eas, quas fecit ad sui usum, commodum, & voluptatem, quæ separari à re conducta, absque ejus detrimento, facilè possunt. Sunt autem expensæ necessariæ illæ, quibus res locata indiget, ne pereat, aut deterior reddatur, vel ad usum necessarium deservire valeat. Utiles verò, quæ secundùm voluntatem locatoris expressam, vel saltem debitam fiunt. Excipiendum tamen est, nisi aliter inter contrahentes conventum fuerit.

c Reb. q. 9.

190 Tertia, [d] tenetur ad onera, vel tributa imposita rei locatæ, seclusa consuetudine loci in contrarium; qui enim sentit commodum, debet sentire & onus. Unde tenetur ad taxam, ad tributum, si pro domo locata solvi consuevit, ad reficiendam viam ante domum, si hic sit usus. Non tamen tenetur ad onera imposita fructibus, quia illos non percipit, nec eorum commodum; quare hæc ad conductorem pertinent.

d Reb. q. 9

191 Quarta, [e] tenetur idem locator ad non repetenda rem locatam, ante tempus locationis finitum, nisi conductor abutatur re conducta, eam destruendo, aut notabiliter deteriorem reddendo; quo casu conductor tenetur solvere damna, quæ locator injustè patitur, ob malum usum rei suæ, vel nisi pretium solvat tempore constituto. In uno casu poterit sine ulla culpa conductoris rem sibi repetere, si nimirum superveniat inopinatus eventus, quo ipse indigeat domo sua, quia ejus domus inopinato casu corruit, aut fuit combusta, nec aliam commodè invenire potest. Idque extendunt DD. si domus locata necessaria sit pro filio, vel filia, matre, vel sorore. Debet tamen prædicta necessitas esse inopinata.

e Reb. q. 10. Less. d. 7.

192 Quinta, [f] si res locata est fructifera, tenetur locator totam pensionem remittere, si sterilitas, vel calamitas anni tanta fuit, ut conductor nihil ex re collegerit. Si verò sterilitas tanta non fuit, de jure communi remittenda est pensio pro rata sterilitatis. [g] De jure verò nostro conductoris est eligere, vel solvere totam pensionem, vel omnes fructus, detracto sibi semine. Non tenebitur verò quidquam remittere, si præcedentium annorum fertilitas præsentem sterilitatem compenset, vel si anni sequentes eamdem compensent, potest locator repetere quidquid remisit. Nec tenebitur remittere, quando pensio consistit in aliqua quota parte fructuum, in quo casu locator, & conductor sunt quasi socii damni, & lucri. Nec si à principio conventum fuerit, ut conductor quovis eventu teneatur ad integram pensionem; quod pactum justum esse potest, si de pensione consueta detrahatur quanti æstimabitur illa renuntiatio casus fortuiti.

f Reb. q. 7. & 8. Less. d. 3.

g Ord. l. 4. tit. 27.

193 Con-

Digitized by Google

h Sil. ver. Locatio. 193 Conductor [h] suas etiam habet obligationes. Prima est, ut non possit uti re conducta, nisi ad eum usum, ad quem concessa est. Unde si contra voluntatem locatoris saltem implicitam, vel debitam, re ad alium usum utaris, peccas mortaliter, sub onere restituendi damnum inde, vel casu fortuito proveniens. Dixi: *Saltem implicitam, & debitam*. Quia si conducas meum equum Ulyssiponem, & postea illo utaris Conimbricam; quo ego illum facilè loco, & tibi locarem, si peteres, non peccas in illo usu, neque teneris ad restitutionem, si in eo itinere absque tua culpa intereat, quia non fecisti contra voluntatem locatoris, nec expressam, neque implicitam, aut debitam.

194 Secunda est, ut non possit rem locatam dimittere ante terminum locationis, nisi ex consensu locatoris, & si absque eo dimittat, tenetur ad pensionem ex integro solvendam. Tertia, tenetur finito tempore locationis, eamdem rem, numero, & integram restituere, nisi fortè perierit, vel deterior effecta sit absque levi culpa conductoris. Quarta, tenetur tempore debito pensionem solvere; tempus autem debitum est illud, quod inter ipsum, & locatorem constitutum fuerit; & si nullum sit constitutum, erit quod in loco consuetudo obtinet.

i Reb. qu. 11. Less. d. 4. 195 Solvendum est prætérea justum stipendium [i] famulis, qui suas operas locant, modò debitam operam præstent. Illud autem justum censetur, quod habita ratione obsequiorum, temporis, aliarumque circumstantiarum tale à prudentibus existimatur, aut pro quo famuli similes operas communiter locare solent. Unde cùm herus non teneatur ex justitia aliquid dare famulo, supra pretium, de quo inter ipsos conventum est, non potest famulus occulta compensatione uti, surripiendo aliquid, estò stipendium ipsi non videatur adæquatum. Non potest famulus ab eo discedere, ante finitum tempus, nisi ex causa justa malæ tractationis. Si autem absque ea discedat; tenebitur in foro conscientiæ solvere damna, quæ herus injustè patitur. [l] Nostræ Ordinationes decernunt, quòd famulus, si dominum deserat absque ejus culpa, restituat stipendium, si fortè jam accepit, & ulterius gratis inserviat tempore, quod restabat: si verò stipendium non accepit, deobligatur herus à solutione, & ipse compelletur per judicem, ut inserviat toto tempore. Hæc tamen lex, cùm sit pœnalis, non obligat ante sententiam.

l Lib. 4. tit. 34.

196 Similiter herus [m] non potest famulum expellere ante finitum tempus conductionis, sine culpa notabili ipsius famuli; & si expellat, tenetur illi integrum stipendium solvere, ut statuunt Ordinationes nostræ. [n] Si tamen famulus expulsus nihil detrimenti accepit, quia statim invenit herum, à quo æquale stipendium reciperet, non tenebitur stipendium promissum in conscientia solvere, nisi post sententiam; quia lex illa, nullo damno secuto, censetur pœnalis, quæ non obligat ante sententiam. Unde ante illam tenebitur famulum expulsum recipere, & retinere intra constitutum servitii tempus, & integram mercedem solvere, imò & damni secuti compensationem facere, ut si aliquid insumpsit, quod non foret consumpturus, quia herum non invenit.

m Reb. q. 13.

n Lib. 4. tit. 34.

SECTIO IX.

De societate, assecuratione, fideijussione, pignore, & hypotheca.

Contractus societatis est, [a] cùm aliqui inter se conveniunt, ut contributa pecunia, aut aliis rebus idoneis ad lucrandum, commune lucrum faciunt, quod, sicut & damnum, pro ratione, & rata cujusque, dividunt inter se. Spectato autem eo, quod justitia requirit, plus lucrari debet, qui confert pecuniam, & operam suam, quàm qui solam pecuniam, aut solam operam impendit. Similiter si sors, quam quilibet contribuit, casu pereat, vel culpa sociorum levissima, contribuenti perire debet. Quia id est discrimen inter societatem, & mutuum, quòd in mutuo sors data alienatur, & dominium ejus transfertur in mutuatarium, cujus proinde solius est periculum, & damnum, si casu, vel culpa etiam levissima pereat: in societate autem qui sortem confert, eam non omninò alie- 197

a Reb. l. 2. q. 1. 2. & 3. Less. c. 25. d. 1. & 2.

Digitized by Google

alienat à se: ergo sicut commodum, & lucrum ad eum spectat, sic etiam periculum, & damnum.

198 Potest tamen in hoc contractu fieri, ut quis justè sortem suam indemnem, [b] & certum lucrum percipiat, si duo alij contractus adjungantur, assecurationis nempe, & venditionis, v. c. inis societatem cum mercatore, & contribuis mille, estque spes, ut is singulis annis lucraturus sit 300. cujus dimidia pars, v. g. jure societatis tibi debetur unà cum sorte; sed quia ad te etiam pertinere deberet ejusdem sortis periculum; ut mercator illud in se suscipiat, & tibi sortem assecuret, in hujus oneris compensationem, relinquis ei majorem partem lucri sperati, ut scilicet duæ partes ad ipsum, & tertia ad te pertineat. Et rursus quia spes hujus lucri incerta est; adhuc partem hanc lucri sperati, nempe 100. in spe vendis eidem pro 50. aut 60. Et sic tandem justè id lucrum facis, & sortem servas indemnem.

b Reb. q. 4. Less. d. 3.

199 Contractus assecurationis est, [c] quo quis periculum rei alienæ in se suscipit obligando se pro certo pretio ad eam compensandam, si pereat, estque quædam quasi emptio, qua securans vendit suam obligationem præstandi alteri rem ejus indemnem. Ad cujus contractus justitiam requiritur, ut eventus rei sit incertus, saltem quoad notitiam. Unde si assecurans certus sit rem esse in tuto, injustè pretium petet, & tenebitur restituere. Si res nondum est in tuto, estò privata scientia scias non fore periculum, licere nihilominus pretium ordinarium assecurationis recipere docet Less. quamvis aliqui negent. Si certò scias rem tuam jam periisse, non poteris pacisci de ejus assecuratione, ut docet idem Less.

c Reb. lib. 16. q. unic. Less. c. 28. dub. 4.

200 Fidejussio [d] est contractus, quo quis alienam obligationem suscipit implendam, si principalis debitor non impleat. Pro quo licet pretium recipere, eò nullum periculum timeatur, quod ferè semper datur, quia est quid pretio æstimabile. Fidejussor non plus obligatur, quàm debitor principalis: unde si hujus obligatio fuit nulla, talis erit obligatio fideijussoris. Fideijussor regulariter non potest conveniri, nisi facta priùs executione in principali debitore, & constet ipsum non esse solvendo. Dixi: *Regulariter*. Quia aliqui sunt casus, in quibus fideijussor priùs, quàm debitor principalis, convenitur, de quibus Ordinationes nostræ. [e] Debitor tenetur de omni damno sua culpa accidenti fideijussori, si debitor sua culpa non solvit, non tantùm ipsum debitum, sed etiam damnum, & expensas omnes compensare. Si verò sine sua culpa, v. c. ob impotentiam in qua se non posuit culpa sua, ad solum debitum videtur teneri.

d Reb. lib. 16. q. unic. Less. c. 18. d. 1. 2. & 3.

e Lib. 4. tit. 59.

201 Pignus [f] est contractus, quo debitor dat creditori rem aliquam mobilem, vel immobilem, ut sit pro debito obligata, ex qua solutio peti possit. Non licet creditori uti pignore contra voluntatem domini, quia est res aliena ad securitatem tantùm, & non ad usum tradita. Si tamen utatur, debet valorem usus, sicut & fructus omnes, si res oppignorata sit fructifera, computare in sortem, deductis expensis, quia alioqui foret usura. Non possunt oppignorari, quæ non possunt vendi, v. c. res Ecclesiæ. Unde res immobiles, & mobiles pretiosæ cultui divino dicatæ non possunt oppignorari, nisi in necessitate, in qua vendi possunt, ut Ecclesiæ, & egentibus subveniatur. Creditor, qui pignus accepit, potest illud alteri oppignorare, sed non pro majori quantitate, nec potest illud vendere, debitore non solvente, nisi post biennium, & eo priùs monito.

f Reb. lib. 16. q. unic. Less. c. 28. d. 5 & 7.

202 Hypotheca [g] in eo distinguitur à pignore, quòd non tradatur creditori, sitque rei immobilis, pignus verò ordinariè sit res mobilis, quæ creditori traditur. Duobus autem modis contrahitur hypotheca, expressè, & tacitè. Expressè contrahitur primò conventione partium, & dicitur conventionalis. Secundò, decreto judicis, ad quam requiritur, ut quis mittatur in possessionem, seu detentionem rei authoritate Judicis. Tacitè contrahitur, quando legis dispositione constituta est; id autem jure communi fit in multis casibus, quos numerant [h] DD.

g Reb. lib. 16. q. unic. Less. c. 28. d. 6.

h Sil. ver. pignus q. 2. Mol. to 2. d. 526. Less. c. 28. d. 6.

SE-

SECTIO X.

De commodato, precario, deposito, sponsione, & ludo.

203 Commodatum [a] est contractus, quo res aliqua mobilis, vel immobilis, quo ad solum usum gratis conceditur ad certum aliquod tempus explicitè, vel implicitè determinatum. Explicitè, ut si dicas: Commodo tibi equum, vel domum ad unum mensem; implicitè, ut si dicas: commodo tibi equum, ut eas, redeasque Conimbrica; tunc enim implicitè tantum tempus determinatur, quantum necessarium est ad commodè conficiendum illud iter. Precarium est, quo conceditur petenti res utenda non ad certum tempus, in quo differt à commodato, sed donec concedens repetat.

a Lef. c. 27. Reb. lib. 16. q. unic.

204 Commodator non potest repetere rem, ante definitum tempus, absque injustitia, absolutè loquendo. Dixi: *Absolutè loquendo*. Quia si commodanti damnum impendeat ex carentia rei suæ, poterit eam justè repetere, licèt simile damnum impenderet commodatario ex rei repetitione facta ante tempus. Quia, ut benè ait Nav. [b] In commodatione intelligitur hæc tacita conditio: *Nisi interea contigerit rem fore necessariam commodanti*. De quo vide etiam Less. [c] Mol. [d] qui alios referunt.

b c. 17. nu. 182

c Dub 3.
d Disp. 294.

205 Depositum [e] est, quando aliquid traditur custodiendum, ut integrum reddatur, & communiter est res mobilis, ut pecunia, vestis, triticum, vel se movens, ut equus. Si depositarius bona fide existimet depositori non displiciturum, si re deposita utatur, licebit uti; aliàs non, & si usus sit pretio æstimabilis, tenebitur solvere pretium, si dominus illud velit. Si depositum sit res usu consumptibilis, eaque tradita sit certo numero, pondere, & mensura, non videtur depositarius peccare saltem graviter illa utendo, si certus sit se tantumdem ejusdem bonitatis habiturum, quando est tradenda. Secus, si pecunia sit arca inclusa, vel aliquo sigillo munita.

e Less. d. 2. Reb. l. 16. q. unica.

206 Si depositum [f] tantùm cedat in commodum deponentis, depositarius solùm tenetur ex dolo, & culpa lata, si res apud ipsum pereat, vel deterior fiat. Si verò cedat in commodum utriusque, tenetur etiam ex culpa levi, ut si pretium pro custodia accipiat. Unde sartores, molitores, & similes artifices, quibus res aliqua traditur polienda, vel immutanda; item nautæ, aurigæ, caupones, & similes, apud quos res deponitur, tenentur ex culpa levi, quia depositio etiam in ipsorum commodum cedit. Et probabile est teneri etiam ex culpa levissima non solùm in foro externo, de quo non est dubium propter leges id statuentes, sed etiam in foro conscientiæ, si res ipsis expresè custodienda tradatur; id enim leges ad fraudes, quæ à talibus committi solent, excludendas meritò constituere potuerunt. Secus tamen, si quis rem suam, ipsis tantùm videntibus, in navi, aut diversorio ponant. Si depositio fiat in commodum solius depositarii, eo fine ut re utatur, tenebitur de culpa levissima. Et idem est de commodatario, & de accipiente pignus in suum solum commodum.

f Less. d. 3. Reb. prox.

207 Dicitur autem culpa [g] lata, cùm quis facit, aut omittit, quod ut plurimùm non faciunt homines similis professionis, v. c. si quis rem apud se depositam relinquat in loco publico, licèt inadvertenter. Levis verò dicitur cùm quis facit, aut omittit, quod non faciunt homines similis professionis diligentes, ut si depositum relinquas in tuo cubiculo, sed ostium non claudas. Levissima dicitur, cùm quis facit, vel omittit, quod nec faciunt, nec omittunt similes homines diligentissimi, ut si ostium obserasti, sed non tentasti, an esset clausum.

g Less. c. 7. d. 6. Reb. lib. 1. q. 10.

208 Si depositarius, [h] aut commodatarius dubitet, an depositum, aut res commodata sua culpa perierit, & facta diligentia, dubium perseveret, non tenetur in conscientia ad restitutionem. Quia in dubio non præsumitur delictum. In foro tamen externo, si res propriæ manserunt incolumes, præsumitur de dolo, nisi probent casu periisse, & non potuisse simul cum rebus suis servari, v. c. ab incendio liberari; tunc enim non tenebitur, quia cessat doli præsumptio.

h Sanch. 2. de matr. d. 41 n. 19. Less. c. 27. d. 5.

209 Sponsio [i] est contractus, in quo duo de veritate aliqua, aut eventu alicujus rei certantes invicem aliquid spondent, ut id ejus sit, qui veritatem

i Less. c. 26. dub. 2.

Digitized by Google

tem assecutus fuerit, v. c. certo tecum sub 20. ducatis perdendis, vel lucrandis illam civitatem obsessam captam iri. Ut licitè fiat, requiritur primò, ut fiat super re dubia. Secundò, ut sit æqualitas in re, quæ spondetur, & æqualis incertitudo. Tertiò, dubius eventus in utroque. Quartò, ut uterque in eodem sensu accipiat id, de quo certatur. Si in re, quæ spondetur, sit inæqualitas, & hæc alteri parti, cujus pecunia est major, nota sit, isque nihilominus spondere velit, valet contractus, quia scienti, & volenti non fit injuria; si autem ignota sit, non potest alter lucrari; quia non est æqualis conditio utriusque, nec æquale periculum. Per se & jure naturæ licita est sponsio etiam de futuro eventu, qui damnum proximi conjunctum habet, v. c. Petrum intra annum esse moriturum. Esto enim detur occasio optandi, vel machinandi mortem Petro, id est per accidens; idem enim periculum est in censu vitalitio. Et si sponsio de re illicita, v. c. plus altero potaturum, sit peccaminosa, quod in ea lucratur, non est obnoxium restitutioni.

210 Ludus est contractus, [l: Lef. c.26. d 1. Reb. l.12. q.1.& 2.] quo ludentes inter se paciscuntur, ut victori cedat, quod deponitur. Est jure naturæ licitus, si debitæ conditiones adsint, & aliunde non interveniat scandalum, aut justa prohibitio, aut iniquitas se misceat, nec peccati sit occasio. Quia sicut quilibet suæ rei dominus potest eam alteri absolutè donare, sic etiam sub aliqua conditione, sive ex industria, sive ex fortuna pendeat.

211 Qui rei [m: Lef.d.5. Reb.q.4.] dominus non est; & qui dominus est, non tamen potest alienare, non potest in ludo perdere. Unde qui lucratur à Religioso, à filio familias, à pupillo, & minore, tenetur restituere; sicut & ipsi tenentur restituere, quidquid lucrati sunt; quia qui perdere non potest, lucrari non valet, quoniam debet esse par utriusque periculum. Si tamen filius familias alatur à parentibus in loco distanti, vel Religiosus à monasterio, poterunt ex alimentis concessis aliquid moderatum insumere in ludo honesto. Quia talis communiter præsumitur voluntas parentum, & Prælatorum.

213 Tenetur [n: Lef. d.2. Reb.q.3.] restituere, qui vincit in ludo decipiendo, ac per fraudem, & injuriam alterum pertrahit ad ludendum, ut si dissimulet se planè ignarum ludendi, ut alterum multò imperitiorem provocet, qui alioqui ludere noluisset: aut si convitiis lacessat, ad quæ vitanda alter consentit in ludum, aliter non consensurus. Licèt probabile sit, dum quis minis, aut convitiis ad ludum est inductus, & perdit, victorem non teneri restituere, quia talis absolutè voluntariè lusit. Communis sententia est teneri restituere eum, qui lusit certò præsciens se victurum, quamvis aliqui negent, si dolus abfuit. [o: Dian. p. 7. t.9.res. 62.] Quia nemo tenetur ex justitia suam peritiam adversario declarare; sed qui perdit, suæ temeritati imputare debet, quod ausus fuerit cum eo ludere, cujus scientiam non noverat.

214 Non tenetur restituere, [p: Reb. q. 3.n.5. Less. d. 1. n.13.] qui utitur astutiis illis, quas regulæ ludi, & consuetudo receptas patitur, cùm uterque sciat tales astutias esse solitas, & tacitè in illas consentiat, v. c. si potiores chartas habens, & securus de victoria augeat sponsionem; vel simulet metum, ut adversarius augeat: si sciens se inferiores chartas habere, dissimulet, & augeat sponsionem, ut sic relinquatur sibi, quod erat appositum. Si inspiciat chartas alterius ex sola ipsius negligentia, & absque fraude: si eas noscat inter ludendum, quas ante non signavit.

215 Qui [q: Reb.q12. 1.n.5. Less. n.13.] verò vincit faciendo contra leges ludi, utendo fraudibus non adhiberi solitis, vel colludenti ignotis, v. c. qui suffuratur chartas, vel signis à tergo notat, vel utitur notatis, aut iis, quas ante novit, ignorante socio, aut arte quadam eas componit; si ita se collocet, ut possit videre chartas socii, vel alium constituat, à quo admoneatur, & sic de aliis: tenetur restituere non tantùm lucrum, sed insuper quantum alteri valebat spes lucrandi.

216 Licèt aliqui dicant illum, qui lucratur in ludo prohibito, teneri ad restitutionem lucri; [r: Less.d.5. Reb.q.15.] communis sententia docet, non teneri ante sententiam judicis; qui verò [s: Less. d.4.] in tali ludo perdit, non tenetur solvere, quod in eo amisit; & si solvat, potest solutum repetere in judicio, non solùm ipse, sed ejus etiam hæredes. [t: Less.d 5. n.31.] Si tamen ludens habeat animum non solvendi, vel

vel repetendi, quod perdiderit non potest lucrari, atque adeò nec retinere, quod est lucratus, quia fraudulenter recipit, nec alter vellet cum eo ludere, si id sciret.

217 Peccant graviter, qui totos se ludibus tradunt, cùm sciant in gravia se inde peccata labi, aut impotentes fieri ad debita solvenda, ad alendos filios, & uxorem. [u] Peccant etiam, si ludus lege positiva prohibitus sit, ut est lusus alearum, & taxillorum, & similes, qui magis in fortuna, & casu, quàm industria fundantur. Quamvis laici, per se loquendo, vel nullum peccatum, vel solum veniale committant. Clerici verò mortaliter delinquant. Quod intellige si crebrò, & per longum tempus luserint, non autem si per breve tempus, & causa recreationis, & absit scandalum. Quia canones id prohibentes non videntur recepti, nisi quatenus id fieret cum periculo scandali. Dicunt enim DD. prædictis legibus per contrariam consuetudinem ita derogatum esse, ut non tantùm laici, sed neque clerici peccent, si principaliter pro recreatione, & moderato lucro ludant.

u Reb. q. 1. n. 10. Less. d. 5.

SECTIO XI.

De Testamentis, ut ultimis voluntatibus.

218 *Testamentum* [a] *est voluntatis nostræ justa sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult, cum directa hæredis institutione.* Per ultimam particulam testamentum discernitur ab omnibus aliis ultimis voluntatibus; maximè verò à codicillo, qui non fit ad instituendum hæredem, sed ad aliquid in testamento positum explicandum, mutandum, addendum, vel detrahendum, ut ad legata instituenda, substitutionem faciendam, &c. unde clausula codicillaris testamento addita eam vim habet, ut si ob defectum alicujus solemnitatis testamentum non valeat, qua testamentum, seu quoad institutionem hæredis; valeat tamen, qua codicillus. [b] Quare legata in eo relicta solvenda erunt; & si testator non habens filios instituat hæredem extraneum, institutio illa directa habebit vim substitutionis commissariæ, & qui ab intestato succedit tenebitur illi tradere bona, retenta solùm quarta eorum parte. Si verò habeat filios, illi habebunt solam legitimam, extraneus autem sic institutus habebit reliqua.

a Less. c. 19. d. 1. Mol. t. 2. d. 124.

b Mol. t. 2. d. 132. Less. c. 19. d. 2.

219 Porrò ex dispositione juris communis requiruntur ad testamentum septem testes rogati, masculi, & puberes, qui omnes testamentum subscribant, & si deficiat aliqua ex dictis solemnitatibus, testamentum erit nullum. [c] Ex jure verò nostro in testamento aperto, præter tabellionem, requiruntur quinque testes masculi, puberes, liberi, vel habiti pro liberis, qui non sunt furiosi, muti, & surdi, nec cæci, nec prodigus, cui prohibita sit administratio suorum bonorum; nec ille, qui nominatur hæres, nec filius ejus, qui sit sub ejus potestate, nec pater, sub cujus potestate sit hæres, nec fratres hæredis instituti, si omnes sint sub patris potestate. Legatarii tamen testes esse possunt.

c Ord. l. 4. tit. 80. & 81.

220 Testamentum [d] verò clausum erit scriptum vel à testatore, vel ab alio de ejus mandato, & subscriptum à testatore, si ab eo scriptum non fuit; & si nesciat scribere, vel non possit, subscribetur à persona, quæ illud scripsit. Testator autem tradet illud tabellioni coram quinque testibus, qui habeant qualitates de quibus proximè, & coram illis rogabitur à tabellione, an sit illud suum testamentum, illudque habeat pro bono, firmo, & valido? Et si affirmet, faciet illicò instrumentum approbationis: quod subscribetur ab omnibus quinque testibus, & à testatore, si sciat, & possit scribere; sin minus subscribet pro illo aliquis ex testibus, declarando subscribere pro illo, quia ille vel nesciebat, vel non poterat scribere. Et aliter non valebit testamentum. Et tabellio incipiet instrumentum approbationis in aliqua parte folii, in qua sit scripta aliqua pars testamenti. Si verò omnia folia sint scripta, ita ut non possit instrumentum approbationis incipere in aliquo folio, in quo sit pars testamenti; ponet tabellio suum signum publicum in aliqua parte testamenti, & instrumentum in alio folio, in quo testamentum involutum consuatur; & declarabit in testamento esse suum signum publicum, quia non erat folium, in quo inciperet instrumentum.

d Ord. l. 4. t. 80.

Si

Digitized by Google

Si verò testamentum scriptum fuerit à testatore, aut ab alia privata persona, & non habuerit instrumentum publicum approbationis à tergo, nec fuerit scriptum à tabellione: testator, cujus manu testamentum scriptum fuerit, aut subscriptum; vel persona privata, à qua fuit scriptum, & subscriptum, habeatur loco tabellionis, ita ut, præter ipsum, sint quinque testes, vt suprà, qui omnes subscribent in testamento, quod prius coram ipsis legetur.

221 Potest etiam fieri testamentum nuncupativum voce tenus sine aliqua scriptura tempore mortis instantis, cui præsentes erunt sex testes, quorum aliquot possunt esse mulieres, eò quòd fiat tempore mortis, in quo facile inveniri non possunt alii testes: si tamen testator ab ea infirmitate convaluerit, tale testamentum erit nullum.

222 Ad omnem codicillum sive apertum, sive clausum, sive scriptum, sive nuncupativum ex jure communi quinque testes necessarii sunt, nec est necesse quòd sint rogati, nec masculi. *f* Ex jure verò nostro sufficiunt quatuor testes sive masculi, sive fœminæ puberes, & liberi, aut reputati pro liberis, ita ut præter tabellionem, aut eum, qui scripsit, sint quatuor, ita vt omnes testes nominati in instrumento approbationis subscribant. In parvis oppidulis, ubi facile inveniri non possunt tot testes, satis erunt tres sive homines, sive mulieres. Hæ sunt solemnitates, sine quibus nec testamentum, nec codicillus valebit, & dicitur minus solemne.

f Ord. lib. 4 tit. 86.

223 Est autem controversia inter DD. an testamentum minus solemne factum ad causam profanam valeat, saltem in foro conscientiæ, & pariat obligationem naturalem? Prima sententia affirmat, & consequenter ait licitè retineri, quod ex tali testamento possidetur, sive titulo hereditatis, sive legati. Et consequenter heredem ab intestato, si sciat voluntatem defuncti fuisse eam, quæ est in tali testamento, teneri in conscientia restituere hereditatem, & solvere legata eis, quibus debentur ex tali testamento, & ni faciat, posse illos uti occulta compensatione. *g* Ita graves DD. qui dicunt leges annullantes talia testamenta, non tollere obligationem naturalem, sed solùm non assistere illis, nec dare actionem aliquam institutis per illa.

g Mol. t. 2. d. 81. Less. dub. 3.

224 Secunda sententia est omnino opposita, docetque ex talibus testamentis nullam oriri obligationem naturalem? Fundamentum est, quia nemo dubitat posse potestatem publicam irritare contractus, & actus humanos sibi pertinentes in utroque foro; qua potestate sæpè usa est, ut patet: sed leges absolutè irritantes testamenta minus solemnia ipso jure, & ipso facto, satis explicant voluntatem efficacem irritandi pro utroque foro, utuntur enim eisdem verbis, & clausulis, quibus irritant illos actus, qui pro utroque foro nulli censentur: ergo ex talibus testamentis nulla etiam obligatio naturalis oritur. Maximè quia leges non solùm non assistunt tali testamento, sed ei resistunt, nullum declarant, & adjudicant hereditatem heredi ab intestato, quod esset injustitia, si valeret pro foro conscientiæ, quo enim jure poterat res Petri ab illo auferri, & ab alio possideri? Igitur si voluntas defuncti potuit sine solemnitate testamenti dominium transferre in heredem ab eo institutum, & de ea voluntate satis constet, injustum foret hereditatem alteri adjudicare, maximè quando solemnitas legis defuit sine ulla culpa, quæ posset per annullationem puniri. Accedit: Quia si tale testamentum validum foret in foro conscientiæ, solùm annullaretur in externo in pœnam, quod factum fuerit absque juris solemnitatibus; quo posito, testamentum non esset nullum ipso facto, nec sententia retrotraheretur, sed solùm obligaret à puncto, quo lata fuit; quæ omnia sunt contra usum, & praxim, quæ damnanda non est. Additur quod esset perturbatio conscientiarum, si diceremus heredem ab intestato, qui habet sententiam pro se, teneri ad restituendam hereditatem, aut utrumque posse illam justè retinere. Quare hæc sententia mihi est non solùm probabilior, sed omnino vera, pro qua sunt plures, & graviores DD. videndi apud citatos.

h Vasq. t. 2. d. 164 c. 4. & de test. c. 3. Sanc. 1. de mat. d. 7. n. 16. Cov. de testam c. 10.

225 Tertia sententia *h* has duas conciliare conatur, quatenus docet testamentum minus solemne quadam ra-

tione

Digitized by Google

tione esse validum, quadam invalidum. Validum, quia in illo institutus potest capere hereditatem, si nemo ei se opponat, & retinere, donec judex eam in alium transferat. Invalidum, quia heres ab intestato potest eam procurare, capere, & retinere, estò sciat voluntatem defuncti aliam fuisse, & institutus eam jam occupaverit. Ita graves DD. [i] quod non esse improbabile judicat Less. Quia, ait, dubium non est, quin legislatores ita potuerint statuere, ut tale testamentum non esset in conscientiam validum ante sententiam judicis, & per eam annullaretur, vel declararetur irritum ex vi legis. Hæc sententia probabilis est, & secura in conscientia, & quodammodo temperat rigorem primæ, & secundæ, ut patet, magis tamen accedit ad secundam, quam simpliciter præferendam putamus, ut etiam ratio Lessii convincit.

i Sot.4.de iust.q.5.a.3.Banh.q.61.d.5. Soar.5.de leg.c.32.n.7. Laym.lib.2.t.4.c.17.

226 Dixi: *Factum ad causam profanam*. Quia si testamentum minus solemne factum sit ad causam piam, quia heres institutus est pia causa, v.c. anima, Ecclesia, monasterium, hospitale, pauperes, &c. valet etiam in foro [l] externo cum illis tantùm solemnitatibus, quæ sunt juris gentium, nempe cum tribus, aut duobus testibus. Ita cap. Relatum 1. de testamentis. Ubi Pontifex mandat, ut judex causas, in quibus agitur de his, quæ relicta sunt ecclesiis, tractet non secundùm leges, sed secundùm canones, duobus, vel tribus dumtaxat legitimis testibus requisitis. Quod etiam in foro civili seruandum docent DD. quia Pontifex potuit hac in re legibus civilibus derogare. Unde sequitur primò legata pia in testamento profano minus solemni relicta esse solvenda. Secundò, legata profana relicta in testamento ad causas pias minus solemni valida esse, esseque solvenda. Quia accessorium sequitur principale.

l Cov.c.11 de test. Less. dub.2. Mol. d.134.

227 Testari [m] non possunt primò impuberes, id est, masculus ante 14. annum completum, & fœmina ante 12. expletum. Secundò, filiusfamilias, qui, si pubes sit, potest testari de bonis castrensibus, & quasi castrensibus: de adventitijs, quæ ei ante clericatum obvenerunt, non potest testari ad causas profanas, estò pater consentiat; potest tamen ad causas pias de patris consensu; si verò post clericatum obvenerunt, absolutè testari potest absque consensu patris. Tertiò testari non possunt, qui commiserunt aliquod crimen, cui in jure annexa est pœna, qua ipso facto sint intestabiles, de quibus Less. n. 39. Quartò clerici testari possunt ad causas etiam profanas tam de rebus patrimonialibus, quàm de aliis, quæ suo labore, & industria congregarunt, quàm etiam de iis, quæ ex proventibus beneficiorum subtraxerunt. De his verò, quæ ex beneficio congruæ sustentationi superfuerunt, si jus scriptum spectetur, testari nequeunt, nec ad pias quidem causas; ex consuetudine tamen multis in locis recepta possunt de his testari ad pia opera; peccant verò mortaliter, si de his disponant ad causas profanas, relinquendo consanguineis divitibus, vel sponte sinendo, ut in illa bona succedant ab intestato. Si enim mortaliter peccant disponendo de his profanè inter vivos, ut omnes DD. docent, quia sunt bona Christi pauperibus debita, multò magis peccabunt disponendo per testamentum. Valet tamen dispositio, quia habent dominium talium bonorum. Quintò damnati ad mortem naturalem, vel civilem, ut relegati in exilium perpetuum, vel damnati ad carcerem perpetuum, testari non possunt, nisi ad pias causas.

m Less. dub.4. Ord.tit.81 Mol.à d.136.

228 De illis, qui non possunt institui heredes, vel succedere ab intestato solùm inserviunt, quæ tangunt filios illegitimos, quorum alii [n] dicuntur spurii, qui nempe nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & nativitatis erat aliquod impedimentum dirimens, ob quod contrahere matrimonium non poterant: alii dicuntur naturales, qui scilicet nati sunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, & nativitatis nullum erat impedimentum dirimens.

n Mol. tr. 2.d.167. Less. dub. 6.

229 Igitur filii spurii ex vi juris communis, [o] non possunt à patre institui heredes, nec illi succedere ab intestato. Et si pater illis in testamento aliquid relinquat, præter alimenta, nihil per hoc illis juris acquiritur, sed pertinet ad legitimos heredes. Unde etiam est, quòd à patre non possint

o Mol.& Less. proximè.

substi-

substitui substitutione vulgari, aut fideicommissaria: quia perinde est capere immediatè à patre, ac ab alio ex patris ordinatione. Quare si pater heredem instituens roget eum, ut hereditatem restituat spurio, illeque promittat se facturum, non tenebitur implere promissum, quia promissio fuit nulla contra leges. Si verò heres nihil promisit testatori de hereditate restituenda spurio; potest eam illi dare ex sua liberalitate, & spurius accipere, quia accipit non à patre, sed ab alio domino, quod leges non prohibent. Et idem est, estò promiserit patri; quia cùm promissio nulla fuerit, si postea dat, liberaliter dabit.

p. Mol. d. 167 Less. dub. 6. 230 Nec etiam potest spurius p institui heres à matre, aut eidem succedere ab intestato, estò nullam aliam prolem habeat. Quia qui non potest succedere patri, non potest succedere matri, nisi in aliquo jure sit de hoc exceptio: sed nulla in jure extat de successione spurii in bonis maternis, sicut extat de alijs illegitimis: ergo. Excipiunt aliqui spurium conjugati ex soluta, & sacerdotis ex soluta uno, vel altero concubitu susceptum, eò quòd tales concubitus legibus non puniantur, quod Lessio non videtur improbabile, licèt verius dicat oppositum, quod etiam sequitur Mol. quia verè tales concubitus legibus damnantur, estò rariùs puniantur. Alij dicunt spurium posse retinere ea, quæ mater ipsi reliquit, donec per judicem privetur, modò notabiliter non noceat legitimis filiis. Quod non videtur improbabile, præsertim de matre non illustri, ut probat Less.

231 Dixi: *Ex vi juris communis*. Quia ex jure nostro poterat esse in hac parte aliqua variatio: q Sed Molina concl. 3. probat ex jure Lusitano idem omnino esse de spurio quoad successionem paternam, ac de jure communi. Et concl. 4. quoad successionem maternam. Quod deducit ex Ordinat. r denegantibus parentes succedere filio clerici, aut concepto ex quocumque alio damnato, aut punibili coitu; quæ consequenter negant filium spurium succedere patri, aut matri.

q d 167.

r Lib. 4. t. 93.

232 Filius naturalis ex vi juris communis potest à patre institui heres universalis, si ipse careat heredibus legitimis descendentibus, aut ascendentibus, quibus debetur portio legitima. Similiter totum relinqui potest nepotibus, sive nati sint ex filio naturali, sive ex spurio, quia nulla lex id vetat. Si tamen filius naturalis non instituatur heres, non succedit patri ab intestato, nisi in duabus unciis, id est, in sexta parte bonorum. Si pater habeat filios legitimos, non succedit cum illis ab intestato, potest tamen ei relinqui uncia, hoc est, duodecima pars bonorum omnium. Succedit matri carenti filiis legitimis etiam intestatæ, ut hæres ex asse; habenti autem filios legitimos succedit ex æquo cum illis.

233 Dixi: *Ex vi juris communis*. f Quia ex jure nostro filius naturalis hominis plebei succedit æqualiter patri cum legitimis. Et si non fuerint legitimi, succedit in totam hæreditatem paternam. Quod etiam locum habet in filio naturali suscepto ex serva sua, vel aliena, si per mortem patris liber evaserit. Filius verò naturalis hominis nobilis non succedit in hæreditatem cum filiis legitimis, nec cum legitimis ascendentibus. Si verò pater non habeat descendentes, vel ascendentes legitimos, potest disponere de bonis suis, prout ei placuerit; & si intestatus discedat, succedent consanguinei proximiores, non autem filii naturales. Quia filii naturales non succedunt patri ab intestato, nisi quando nati sunt, pater erat plebeus; si autem tunc erat plebeus, quamvis postea factus sit eques, & nobilis, non perdent filii naturales hereditatem, sed succedent eodem modo, ac si pater adhuc esset plebeus. Si eques, vel nobilis non habuerit filios alios, vel descendentes legitimos, & habuerit patrem, vel matrem, aut alios ascendentes legitimos, poterit tertiam suam, aut partem illius relinquere filiis naturalibus. Si autem non habeat descendentes, nec ascendentes legitimos, poterit in testamento relinquere omnia bona sua filiis naturalibus, si velit, vel disponere alio modo, prout ei placuerit. Hæc de successione in bona paterna. De successione verò in bona materna, cùm nostræ Ordinationes nihil circa hanc materiam statuant, idem apud nos dicendum est, quod suprà diximus servandum de jure communi.

f Ord. lib. 4 tit. 92. Mol. d. 167.

234 Sub-

Digitized by Google

[a] Ord. lib. 4 c 87. Less dub. 7. Mol à. d. 181. 234 Substitutiones [a] sunt sex. Prima dicitur vulgaris, quando testator substituit aliquem sub conditione, nempe si is, qui instituitur hæres, nolit, aut non possit esse hæres, vel quia mortuus est ante testatorem, vel quia factus est incapax, tunc enim succedit substitutus. Secunda dicitur pupillaris. Quando pater filio suo impuberi sub sua potestate constituto aliquem substituit, ut ei succedat, si moriatur ante pubertatem, quando ipse testari non potest. Tertia dicitur exemplaris. Cùm pater filio amenti, vel surdo, & muto, aut prodigo, cui interdicta sit administratio, à se instituto aliquem substituit. Quarta dicitur fideicommissaria, quando hæres gravatur, ut hæreditatem totam, vel partem alicui restituat, qui fideicommissarius dicitur. Quinta dicitur reciproca, quando aliqui sibi vicissim substituuntur. Ut si dicas: instituo Petrum, & Paulum meos hæredes, & eos invicem substituo. Sexta dicitur compendiosa. Ut si quis dicat: Instituo filium meum hæredem, & quandocumque ex vita discesserit, substituo ei Petrum. Qui, si filius moriatur ante patrem, succedet ex vulgari. Si filius fiat hæres, & moriatur in ætate pupillari, succedet ex pupillari; si verò filius moriatur post ætatem pupillarem, succedet ex fideicommissaria. De quibus vide DD. citatos.

CAPUT IV.

De Restitutione.

235 [a] Less. l. 2. c. 7 d 4. Reb. 1. p. l 2. q. 1. RESTITUTIO [a] est actus justitiæ commutativæ, quo proximo redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est, aut contra ejus voluntatem retinetur. Dicitur: *Actus justitiæ commutativæ*. Quia sola hæc facit in rebus æqualitatem, & sola obligat ad restitutionem, non autem aliæ virtutes, contra quas fortè peccatum fit. Dicitur: *Quo proximo redditur*. Quia justitiæ munus est non solùm dare proximo, quod ei debemus; quod propriè dicitur solvere debitum: sed etiam reddere, quod ab eo accepimus, aut abstulimus; quod dicitur restituere, id est, iterum in sua potestate ponere. Dicitur: *Quod ab eo ablatum est*. Nempe per injustam acceptionem furando, aut rapiendo, vel damnificando in bonis, persona, vita, fama, honore, &c. Dicitur: *Vel acceptum est*. Videlicet per justam, & licitam actionem habendi, v. c. per mutuum, aliumve licitum contractum. Dicitur: *Vel contra ejus voluntatem retinetur*. Ut comprehendantur ea, quæ bona fide tamquam nostram possidemus, quæ etiam restitutioni sunt obnoxia, postquam aliena esse cognoscimus, dum legitima præscriptio non intervenit.

236 Duæ igitur assignantur [b] radices, ex quibus nascitur obligatio restituendi. Prima dicitur res accepta. Secunda injusta acceptio. Ad primam reducitur obligatio solvendi, quæ debentur ex justo contractu, ex re aliena bona fide habita, ex re aliena inventa, ac sine culpa accepta. Ad secundam pertinet restitutio ex furto, & rapina, ac qualibet injusta actione, & damno per illam illato. Quia verò sæpè contingit, quòd res injustè accepta apud injustum acceptorem perseveret, non immeritò addi potest tertia radix, nempè res injustè accepta. [b] Less. d. 1. Reb. qu. 2.

SECTIO I.

De Restitutione ratione rei acceptæ.

DICO primò, [c] quando res justo titulo accepta est, v. c. per commodatum, depositum, pignus, vel locationem, reddenda est domino tempore statuto completo; nisi res periisset absque tua malitia, vel negligentia; quia nempe res furto sublata est, perdita, vel mortua, absque tua culpa, aut negligentia, tunc enim ad nihil teneris. Probatur, quia res sic habita non erat sub tuo dominio: ergo domino suo periit, non tibi. Si autem periit ex tua malitia, quia v. c. rem vendidisti, aut alio modo alienasti, vel convertisti ad eos usus, ad quos non accepisti: quia v. c. accepisti equum vel locatum, vel commodatum, ut in eo ires Conimbricam; tu verò eo usus fuisti pro oneribus, pro pistrino, vel torculari, teneris ad restituendum valorem. Et idem est, si periit ex tua negligentia, quia non adhibuisti in re conservanda diligentiam debitam. 237 [c] Reb. 1. p. l. 2. q. 17. s. 1. Tol. l. 5. c. 24.

238 Quod ut intelligas nota primò con-

contractus, quibus dominium non transfertur, esse in triplici differentia. Quidam enim cedunt in utilitatem solius dantis, ut depositum: quidam in utilitatem solius accipientis, ut commodatum, & pignus; alii tam danti, quàm accipienti utilitatem afferunt, ut locatio, & conductio. Nota secundò [d] negligentiam, seu culpam dividi à Juristis in latissimam, latiorem, latam, levem, & levissimam. Latissimam vocant dolum apertum. Latiorem dolum præsumptum. Latam dicunt contingere, quando aliquid fit, aut omittitur, quod homines ejusdem conditionis, non solent facere, aut omittere. Levem quando fit, vel omittitur, quod diligentiores non facerent, vel omitterent. Levissimam quando quis facit, aut omittit, quod à diligentissimis non fieret, vel omitteretur.

d Less. li. 2. c. 7. d. 6. Reb. 2. p. li. 1. q. 10.

239 Ex his duo collige. Primum est, nullam [e] esse obligationem compensandi damnum ex prædictis contractibus fortuitò ortum. Quia cùm eventus sit inopinatus, quem humana providentia prævidere, & impedire non potest, absque ulla culpa evenit, ac proinde nemo de eo justè teneri debet. Excipe primò, nisi culpa præcesserit casum fortuitum, ut si equum commodatum Conimbricam usque, Bracharam ducas, & in eo itinere rapiatur à latronibus, vel alio casu pereat. Dixi: *Commodatum*. Quia si locatus esset, & dominus ejus Bracharam etiam locare facile solet, eòque tibi locaret, si id ei manifestares, non credo teneri te de casu fortuito in eo itinere contingenti, quia fuit tacita domini voluntas, ut dixi cap. præcedenti sect. 8. Excipe 2. nisi intercedat mora culpabilis, & interim res casu pereat. Dicitur autem esse in mora culpabili, qui à die, vel ab homine interpellatus rem non reddit, cùm possit, & teneatur reddere. Excipe 3. nisi ex pacto te expresè obliges ad casum fortuitum. De quo tamen non teneris, si generaliter te obliges ad omnem casum; quia casus fortuitus, cùm extraordinariè contingat, non comprehenditur sub verbis generalibus.

e Less. d. 8. n. 36. & seq. Reb. q. 10.

240 Secundum est. [f] In his contractibus, qui sunt in gratiam solius accipientis, teneri accipientem de culpa, seu negligentia etiam levissima. Quia æquitas justitiæ non patitur, ut qui sine ullo suo commodo rem suam tibi tribuit ad tuam utilitatem, damnum sentiat ex tua culpa, quantumvis levissima. In illis verò, [g] qui sunt in gratiam solius dantis, accipiens non tenetur, nisi de culpa lata, quia cùm inde nullum commodum reportet, satis est, quòd teneatur in re aliena custodienda eam diligentiam adhibere, qua quis res suas similes conservare solet, quod est teneri de culpa lata. [h] In illis denique, qui in commodum utriusque redundant, tenetur accipiens de culpa levi, non de levissima. Quia cùm ex una parte commodum percipiat, æquum est, ut magis obligetur, quàm in secundo casu, & sic teneatur non tantùm de culpa lata, sed etiam de levi. Ex altera verò, cùm etiam redundet in commodum dantis, ratio postulat, ut accipiens non teneatur de culpa levissima, ut in primo casu, in quo dans nullũ commodũ habet.

f Less. d. 8. n. 40. Reb. q. 10. n. 8

g Less. nu. 41. Reb q. 10. n. 10.

h Less. n. 42. Reb. q. 10. n. 7.

241 Dico secundò, [i] bona inventa, quæ dominum habent, v.c. pecunia inventa in via, aut alio loco, quæ non sit thesaurus antiquus, qui jam dominum non habet, aut res alia, quæ non sit primi occupantis, de quibus diximus cap. 2. sect. 2. hoc modo restituenda est. Debet inventor facere sinceram diligentiam, ut dominum inveniat, expensis sumptis ex ipsismet rebus, si opus sit; & si dominus compareat, tenetur ei restituere rem cum fructibus, si fortè illos fecit, ut si esset animal, quod aliud peperit, deductis expensis. Domino verò non comparente, debent restitui pauperibus ex communi sententia DD. quia hæc est præsumpta voluntas domini, ut si rem suam habere non potest, pauperibus distribuatur pro ejus anima. Si tamen inventor sit pauper, potest eas res incertas sibi applicare maximè de consilio Episcopi, vel confessoris. Et si post applicationem dominus compareat, nihil ei restituere tenetur, si debita diligentia ad eum inveniendum præcessit. Et idem est, si inventor non pauper authoritate Pontificis prædicta bona sibi applicavit per bullam Compositionis, prædicta diligentia præcedente, quia per eas applicationes transierunt res in ipsorum dominium, quæ proinde ut propriæ aliis non debentur.

i Less. c. 14. d. 6. & 7. Reb. 1. p. l. 2. q. 12

242 Dico

l Less. c. 7. d. 5. Reb. 2. n. 5.

242 Dico tertiò, [l] qui aliquid titulo justo ab alio accepit, v. c. per mutuum, emptionem, & similem contractum licitum, tenetur tantumdem dare, ac accepit, vel pretium, cujus factus est debitor ratione contractus, ad quod tenentur etiam heredes, si debitor ante mortem non satisfecit, & fidejussores, si hi se obligarunt, non alia persona.

243 Non tamen tenetur reddere fructus. Unde si mutuò accepisti pecunias, & cum eis lucratus fuisti, nihil de lucro restituere teneris. Si per emptionem accepisti prædium pro mille solvendis in fine anni, ad illa mille solùm teneris, non ad fructus rei, quæ jam erat tua, & tibi fructificare debuit. Si habuisti pecunias in deposito, eisque usus fuisti ad negotiandum, non teneris aliquid de lucro restituere domino. Similiter si vasa, aut vestes habeas in pignus, & eis utens aliquid lucratus fuisti, non teneris reddere lucrum, sed rem, & id solùm, in quo fortè ex tali usu deterior facta est.

m Reb. 2. p. l. 1. q. 4. n. 3. Less. c. 10. d. 10. n. 69.

244 Si tamen [m] fuisti in mora culpabili reddendi mutuum, depositum, vel pretium emptionis, vel quid simile, teneris ad damnum emergens, & lucrum cessans, v. c. si habens unde solveres, ludendo, vel prodigendo, aut similia faciendo in causa fuisti, ut non habeas ad solvendum. Imò quamvis non malè pecunias expenderis; si tamen sciebas te mense sequenti solvere debere, & prius absque necessitate pecunias in aliis negotiis expendisti; teneris creditori damnum emergens etiam solvere; quod nempe incurrit coactus ex tua dilatione, ut si ob eam domum vendidit minoris, quàm valebat, vel pecunias accepit sub usuris. Dixi: *Quod creditor coactus incurrit*. Quia si aliter sibi poterat prospicere, quàm damnum incurrendo, non teneberis de damno illo; sed de lucro cessante, si fortè expositurus erat pecunias ad negotium, vel alio modo cum illis lucraturus, quod non fecit, quia culpa tua eas non habuit tempore, quo illas dare tenebaris.

n Less. c. 14. d. 1. n. 1 Reb. q. 5.

245 Dico quartò, [n] qui rem alienam bona fide habet, quia suam existimat, eò quòd nescivit esse furem, à quo emit, vel alium justum titulum habere putat, tenetur eam restituere, cùm primùm novit esse alienam. Prob. quia posita hujusmodi cognitione rem alienam retineret, invito domino, ac adeo peccaret contra justitiam, inciperetque esse possessor malæ fidei, si statim non restitueret. [o] Unde tenetur rem domino reddere, non exigendo ab eo pretium, quo eam fortè emit; quia sicut nec retinendi jus habet, ita nec pretium à domino exigendi, quod à fure sibi est repetendum. Si autem velit, potest rem reddere furi, ut ab eo suum pretium recipiat, ut ipse eam domino restituere possit.

o Reb. 2. p. l. 2. q. 11 n. 2. & q. 9. Less. d. 3.

p Less. du. 1. n. 5. Reb q. 3.

246 Si verò res, [p] durante bona fide, consumpta esset, non tenetur restituere, nisi id, in quo factus est ditior; unde si in nihilo factus est ditior, ad nihil tenetur. Prob. quia non tenetur rem restituere ratione injustæ acceptionis, cùm bona fide possederit, & consumpserit, adeoque sine injustitia; neque ratione rei acceptæ, cùm ea jam non extet, nec aliquid ex illa, ut supponitur. Teneretur tamen restituere ratione rei acceptæ, si inde factus fuit ditior, quia jam haberet in bonis suis amplius, quàm habere deberet. Ille autem dicitur factus ditior ex re aliena bona fide consumpta, qui quibusdam sumptibus pepercit, quos aliàs ex re sua fecisset, seu qui aliquid habet, quod aliàs non habuisset.

q Less. d. 1. à n. 4 & du. 2 Reb. 3. & 4.

247 Hinc colliges, [q] si rem alienam tibi datam bona fide accipias, & postea dones, ad nihil te teneri, quia ditior factus non es. Si vendidisti, teneris totum pretium domino restituere, quia in eo factus es ditior. Si emisti, & eodem pretio, vel minori vendidisti, ad nihil teneris ex eodem fundamento. Si pluris vendidisti, teneris restituere excessum, nisi hic fuit fructus industriæ tuæ, quia fortè rem aliò transtulisti, ubi pluris valebat. Si res periit vel casu, vel culpa tua, ad nihil teneris, quia in nullo factus fuisti ditior. Teneris tamen restituere quidquid per rem illam lucratus fuisti, & ratione illius habes, quod aliàs non habuisses. Similiter quoties re aliena utendo sive donata, sive empta fuerit, aliqua de patrimonio tuo servasti, quod aliàs fueras consumpturus, id restituere teneris,

ris, quia in eo ditior effectus es. Si vendidisti, & totum rei pretium consumas in aliis rebus, in quibus nihil fores de patrimonio tuo consumpturus, quia splendidius vixisti, quàm si res tibi donata non foret; ad nihil teneris, quia estò per occasionem rei alienæ lautius te habuisti, nihil tamen amplius in bonis tuis reperis post consumptionem, quàm aliàs fores habiturus. Si ad cœnam invitatus cibos magni pretii bona fide comedisti furto tamen ablatos; solùm teneris ad summam, quam expendisses, si domi tuę cœnasses. Si æquè dubites, an ex re aliena bona fide habita, ejusve fructibus ditior factus sis, communior sententia docet meliorem esse conditionem possidentis, & consequenter te non esse judicandum factum ditiorem. Si fructus rei sive naturales, sive mixti extent, restituendi sunt, deductis expensis; si non extent, sed bona fide consumpti sunt, solùm debes restituere id, in quo factus es ditior.

248 Nota [z] verò illum, qui re aliena bona fide accepta dubitare incipit, an sit aliena, teneri sufficienter inquirere veritatem, & si facta sufficienti inquisitione, non comperit esse alienam; posse eam retinere, vendere, & quolibet modo distrahere, quia in dubiis melior est conditio possidentis; dum verò fit inquisitio, non potest ea uti, si res est usu consumptibilis; si verò usu non consumitur, potest ea uti, modò intendat, usus pretium solvere casu, quo constet esse alienam. Si posita sufficienti diligentia, domino non comperto, res bona fide consumatur, solùm tenetur ad id, in quo factus est ditior, si postea tandem constet de vero domino. Si autem superveniente dubio non adhibuit sufficientem diligentiam ad veritatem inquirendam, tenetur non modò ad restitutionem rei, si extet, & ad id, in quo factus est ditior, sed insuper ad restitutionem omnium fructuum, quos post dubium percipit; quia ex eo tempore mala fide, & injustè possidere cœpit. Imò probabilius est possessorem malæ fidei non solùm teneri ad restitutionem fructuum, quos ex re aliena percepit, sed omnium etiam eorum, quos dominus ex ea percepisset.

z Less. d. 4. Reb. q. 5. à n. 7.

SECTIO II.

De Restitutione ratione injustæ acceptionis.

249 Dico primò, ex injusta aceptione tenentur [a] restituere latrones, fures, raptores, usurarii, & omnes illi, qui injustos contractus exercent, omnesque possessores malæ fidei, qui res alienas injustè retinent. Prob. quia omnes isti justitiam commutativam violant; ergo tenentur inæqualitatem ab ipsis injustè factam tollere, reducendo proximos ad eam æqualitatem, quam justitia postulat, restituendo totum damnum, quod injustè intulerunt.

a Reb. 1. p. li. 1. q. 5. Less. l. 2. c. 2. du. 5.

250 Unde sequitur primò, [b] omnem illum, qui habet rem injustè acceptam, teneri illam domino restituere. Et ideo ad id tenetur fur ipse, & qui à fure dono, vel pretio habet, si sciebat esse furem, & rem furtivam, tenetur rem domino restituere absque ullo pretio; quia rei dominium non habet, ut pro ea pretium recipere possit, licèt illud à fure exigere valeat. Et idem est, si quando emit, dubitabat venditorem esse furem, & rem furtivam, quia mala fide possidere cœpit. Quare si postea constet de veritate, res domino reddenda est sine pretio. Nota verò teneri prædictos eamdem numero rem restituere, nec satisfacere, dando aliam similem, aut valorem, nisi in aliquibus casibus. Primò, si dominus rei valorem sponte velit accipere, quia volenti non fit injuria. Secundò, si res deperdita, alienata, vel consumpta sit, valor restituendus est. Tertiò, cùm res est multò pejor facta, valor restituendus est, aut res cum valore supplente defectum, prout dominus elegerit.

b Reb. q. 9. r. 6. Tol. l. 5. c. 17. n. 5.

251 Sequitur [c] secundò, omnem possessorem malæ fidei, quomodocumque res aliena pereat apud ipsum, teneri ad restitutionem. Et ideo tam fur, quàm qui à fure scienter emit equum, v. c. tenetur valorem restituere, sive ei furto sublatus fuerit, sive alteri vendiderit, sive mortuus fuerit. Excipe, nisi eodem modo apud dominum foret periturus; quia tunc ratione furti non fuit domino damnum subsecutum, cùm non minus habeat, quàm habere

c Less. c. 12. du. 7. Reb. q. 7. Tol. n. 6.

Digitized by Google

habere deberet. Quidquid sit de foro externo, in quo in pœnam furti potuit in tali casu restitutio imponi. Si tamen equus à domino erat vendendus, vel etiam donandus, vel pro alia re commutandus, nemo dubitat teneri furem ad restitutionem, si venditio, vel commutatio facienda esset ante interitum. Sicut si antecipatè apud furem periret, ut si rem alienam, antequam apud dominum esset peritura, sponte destruat, cùm in eo casu contra justitiam peccet, seu ex occasione præcedentis acceptionis, seu injustæ detentionis postea contra voluntatem furis pereat, cùm damnum ex injusta acceptione subsecutum sit, saltem tamquam ex occasione. Unde inferes, si quid alienum accipias, & retineas in navigatione, postea verò naufragio pereat, quod in eodem periturum erat, si non caperetur, restituendum non esse; secus si illud injustè consumeres ante naufragium; sicut restituere teneris, si equum alienum occidas, qui die sequenti fuerat ab hostibus de manu domini capiendus, vel alio simili casu periturus.

d Reb.q.9 n.6.Less.c. 16.du.3. Tol.n.8.

252 Sequitur tertiò, [d] licèt aliqui dicant posse possessorem malæ fidei licitè rem furi tradere, ut ab ipso [illegible]m pretium recuperet; omnes tamen conveniunt, si pretium non possit recuperare à fure, teneri rem domino reddere, absque ullo pretio. Et probabilius est non licere eam furi tradere, nisi certus sit, quòd fur eam domino restituat. Quia nulla videtur causa, cur non solùm ratione rei acceptæ, sed etiam injustæ acceptionis non teneatur ad restitutionem domino faciendam, etiam cum jactura pretii, cùm mala fide à fure acceperit; perinde enim est rem alienam scienter emere sibi appropriandam, ac si eam ab ipso domino de novo furaretur; unde eidem domino novam injuriam facit, quam non resarcit reddendo rem furi verisimiliter non restituturo, sed tertiam injuriam addit, perinde, ac si rem ex igne extractam rursus in ignem projiceret.

e Reb.q.6 Less.c. 12. dub.1.6.& 17.

255 Sequitur quartò, [e] possessorem malæ fidei teneri restituere rem, & fructus ejus, secundùm majorem valore, quem habuit à tempore injustæ acceptionis, quando apud ipsum consumpta, vel deterior facta est, si morosus fuit in re restituenda, quando majoris valoris extitit. Nam totus ille major valor rei internus pro quocumque tempore, quo dominus re sua caruit, ad ipsum pertinet non minus, ac res ipsa: ergo si per injustam, culpabilemque moram rem non restituit, quando habebat majorem valorem, causa fuit injusta talis damni, ac proinde totam illam majorem æstimationem restituere tenetur, vel restituendo rem ipsam, si extet, insuperque æstimationem detrimenti, si res postea minus valeat; vel totam æstimationem rei pro tempore, quo plus valuit, ad electionem domini, qui nec debet cogi, ut rem suam recipiat absque compensatione illius majoris valoris, qui ad ipsum pertinebat, nec item ut recipiat æstimationem rei suæ, & non rem ipsam. Dixi: *Si morosus fuit*. Quia si quando valor rei accrevit, non fuit in mora culpabili restituendi; vel res si apud dominum fuisset, ad eum majorem valorem non pervenisset, quia probabiliter antea fuisset consumenda, vel vendenda, non tenetur excessum illum valoris restituere, si postea fortè deterior facta sit, aut vilior sine culpa; nam in eo nullum damnum domino culpabiliter dedit.

256 Sequitur quintò, [f] possessorem malæ fidei teneri ad restituendum totum damnum emergens, & lucrum cessans, quod domino evenit ex mora restitutionis, v. c. fur, & qui ab eo equum locari solitum emit, illum detinent per duos menses otiosum, non solùm tenentur equum restituere, sed etiam quod dominus lucraturus esset illis mensibus cum suo equo, quod est lucrum cessans. Imò si ex carentia equi, & lucri prædicti domino damnum evenit, restituere tenentur, quia utriusque fuerunt causæ injustæ. Unde qui furatus est modium tritici, quando vili pretio stabat, quod dominus servaturus erat ad vendendum tempore carioris pretii, vel ob ejus carentiam, opus illi fuit aliud carius emere, tenetur ad restituendum illud lucrum cessans, vel damnum emergens.

f Reb.q.5. n. 1. Less. dub.17.n. 116.Tolet. n. 7.

257 Dico secundò, [g] quæ dicta sunt de possessore malæ fidei, qui per injustam acceptionem rem habet alienam certam, & certi domini, pari modo intelligenda sunt de illis, qui per injustitiam bona incerta acceperunt, ut

g Reb q. 11 Less. c. 14.dub. 6.

accidit illis, qui falcatis ponderibus, ac mensuris multa variis vendiderunt, singulos defraudantes injusto pondere, & mensura. Et de illis, qui nonnullos, quos non noverunt, injustè defraudarunt. AEquum enim non est, ut quis per injuriam proximorum ditescat. Modi autem, quibus ista incerta restituenda sint, assignantur à DD. si enim à communitate sublata sint, ut contingit vendentibus per minuta, eidem communitati restituenda erunt, vel augendo mensuras, & pondera, vel in aliquod opus commune. Alia, quæ à privatis incognitis accepta sunt, in pauperes, & alios pios usus distribui debent, juxta piam voluntatem dominorum præsumptam.

SECTIO III.

De restitutione ex injusta actione, & damno per illam illato.

258 [a] INitio cap. diximus ad injustam acceptionem reduci injustam actionem damni illativam; neque enim ex qualibet actione mala nascitur obligatio restituendi, nisi sit contra justitiam. Unde mulieres accipientes pretium pro sua turpitudine, non tenentur ad restitutionem, quia licèt actio sit mala, non est contra justitiam, quamvis pretium sit excessivum, si liberè donetur. Potest tamen aliquando aliqua injustitia immisceri, ratione cujus teneatur. Primò, si ille, qui dat, dare non potest, ut si sit servus, aut filius familias, aut non habens proprium in tanta quantitate. Secundò, quando per fraudem plus extorquetur, ut si fœmina non virgo, se virginem fingat, aut quæ communiter se aliis tradit, mentiatur se tradi solis nobilibus, sicque ob fraudem plus extorqueat.

a Less. c. 14. dub. 8.

259 Dico [b] ergo primò. Qui injustè aliquem impedit à consecutione rei, quam alias esset habiturus, tenetur eidem restituere damnum illatum. Prob. quia fuit causa injusta per actionem injustam. Ut autem actio sit injusta tria requiruntur: primò, ut impeditus possit justè habere rem, à qua impeditur, si enim justè eam habere non potest, quovis modo impediatur, non debetur ei restitutio, quia ejus jus non impeditur, & ideo qui impedit indignum à beneficio, licèt peccare mortaliter possit, non tenetur aliquid restituere, quia non impedit jus illius, quod nullum habet, si indignus est. Secundò, ut habiturus esset, nisi impediretur; non enim dicitur verè impedimentum, nisi cùm impeditur res, quæ verè habenda foret. Tertiò, ut impediat per modum injustum, v. c. per dolum, vim, aut fraudem, ut si imponat falsum testimonium, vel detegat crimen occultum, vel cogat, aut decipiat ne compareat, indeque perdat beneficium, hæreditatem, legatum, aut donationem. Tunc enim tenebitur valorem restituere, juxta certitudinem, vel probabilitatem illius.

b Less. c. 12. dub. 18 Reb. 1. p. l. 3. q. 1. & 2.

260 Dico secundò. Qui damnificat [c] proximum contra justitiam in quocumque genere boni, tenetur ad restitutionem, maximè autem ille, qui ut causa principalis proximo damnum intulit, ut fur, homicida, usurarius, incendiarius, &c. Prima pars constat ex dictis, omnis enim causa injusta damni restituere tenetur. Secunda verò est manifesta, quia si damnum injustè datum est resarciendum ex justitia, æquitas enim maximè postulat, ut ab eo resarciatur, qui illud re ipsa, & nemine mandante intulit: de mandante enim, & aliis cooperatoribus conclusione sequente dicendum est.

c Less. c. 7. du. 5. Reb. li. 2. q. 10. se. 3.

261 Id verò notandum, ut quis ex damno extra contractum illato, de quo modò loquimur, nam de dato ex vi contractus dictum est sect. 1. restituere teneatur, requiri culpam [d] theologicam, quæ verè sit peccatum coram Deo, in damno inferendo. Prob. quia ex damno illato non oritur obligatio restituendi, nisi qui illud intulit, sit injustus, & qui patitur, sit rationabiliter invitus: sine culpa autem theologica, quæ sit verè peccatum coram Deo, nemo est injustus, neque qui sic damnum patitur, est rationabiliter invitus, quia aliter vellet rationabiliter impossibile: ergo &c. Unde non tenetur ad damni compensationem, qui hominem occidit putans invincibiliter esse feram, neque qui domum, aut segetes proximi casu incendit sine ulla voluntate, & peccato, quo etiam modo suas potuit incendere.

d Less. c. 7. dub. 6. n. 26. Reb. l. 2. q. 10. sect. 4. n. 18.

262 Dubium autem est, an quis tenea-

Digitized by Google

teneatur resarcire damnum grave datum ex culpa tantùm veniali, v. c. ex inadvertentia levi? Aliqui apud Less.[e] dicunt teneri sub veniali. Benè tamen impugnantur ab ipso, quia obligatio in materia gravi non potest esse, nisi sub mortali, quia pendet ex gravitate materiæ, posito præcepto naturali, vel positivo: sed non tenetur sub mortali, ut concedunt: ergo neque sub veniali. Mirum enim esset solùm sub veniali obligari ad restitutionem decem millium aureorum, nec posse hominem hoc se peccato veniali liberare, nisi restituendo tantam summam. [f] Rebel. ait non obligari in conscientia ad totum damnum; posse tamen esse tam notabile, ut sub mortali teneatur ad partem; rursusque tam levem posse esse culpam venialem in suo genere, ut nec ad centesimam partem; & tam gravem, ut ad decimam teneatur. Quod non placet, quia ultra quòd nihil certi statuat, ponit culpam mortalem, ubi damnum datum est ex culpa veniali. Quare verius est, quod cum aliis docet [g] Less. nullam tunc esse obligationem compensandi damnum; quia cùm solùm venialis culpa intercessit, ex quadam animi inconsideratione, censetur damnum quasi fortuitò contigisse. Quis enim in hujusmodi rebus periculosis aliquando non admittit aliquam negligentiam? Rarissimè tamen huic talia damna accidunt: ergo quasi casu fortuito censeri debent contigisse.

e Less. du. 7. n. 28.

f Reb. s. 4. n. 17.

g Less. du. 6. n. 28.

263 Dico tertiò. [h] Qui cooperantur ad damnum injustè inferendum, resarcire illud tenentur ordine postea præscribendo. Illi verò cooperari censentur, qui his versibus continentur:

Jussio, consilium, consensus, Palpo, recursus;
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Unde tenetur jubens [i] damnum inferre; qui principaliter movet per suum mandatum. Non tamen tenetur, si mandatum revocavit, eaque revocatio mandatario intimata sit. Neque qui delictum sive nomine suo factum, sive non factum nomine suo, postea ratum habet. Quia ratificatio facti non est causa efficax damni. Tenetur [l] consulens, qui per suasiones, consilia, & preces ad damnum inferendum movet, sine quibus damnum non inferetur. Nec satis erit revocare consilium, si rationem moventem dedit, quæ, non obstante revocatione, movet, & persuadet. Non tamen tenetur, qui parato ad furandum decem, consulit, ut furetur tantùm quinque; vel parato ad grave damnum inferendum, consulit, ut minus inferat; quia tunc non est causa minoris damni, sed majus impedit, ac adeo negotium damnificati utiliter agit.

h Less. c. 13 du. 1. Reb. q. 14. s. 2.

i Reb. s. 3 Less. du. 3. à nu. 11.

l Reb. s. 4. Less. c. 14.

264 Tenetur consentiens [m] in damno inferendo, quando damnum ab ejus consensu pendet, non autem si ab eo non pendeat. Unde si damnum inferri non potest sine consensu potestatis publicæ, v. c. judicis, aut similis; ille tenetur, sicut & suffragatores, sine quorum suffragio damnum non sequeretur. Non tamen tenentur qui suffragati sunt, postquam res jam victa est per plura suffragia, quia isti, licèt peccent, damnum jam non inferunt; nisi fortè suffragia essent publica, & esset spes, quòd per sua justa alios averterent; vel nisi omnes prius conspirassent ad damnum inferendum. Non tamen excusarentur priores, estò scirent posteriores in idem damnum conspiraturos; sicut non excusatur, qui damnum intulit sciens ab alio inferendum fuisse.

m Reb. s. 5 Less. à c. 22.

265 Tenetur Palpo, [n] seu adulator, qui per adulationem, sive laudando, sive per exprobrationem, contumeliam, irrisionem, aliumve similem modum aliquem ad delictum provocat, non solùm quando directè intendit movere ad damnum inferendum, sed etiam quando indirectè, quia cogitavit, aut saltem dubitavit damnum inde secuturum. Tenetur qui securitatem [o] præbet ad damnum inferendum, ut receptator malefactoris, quando eum formaliter recepit ut talem, vel prædam conservando, vel domum ad securitatem præbendo, ut inde exeat sine periculo ad damnificandum. Non autem, si tantùm recipiat materialiter, vel tamquam amicum, vel ut aliquid lucretur ex hospitio, vel ex alia simili causa, quæ ordinem non habeat ad damnum inferendum. Tenetur [p] qui participat in crimine arma, aliave instrumenta tribuendo ad damnum inferendum. Qui damnificatorem adjuvat in crimine committendo; qui eum comitatur, assistendo, explorando; aliisve modis audaciam præbendo; qui rem à fure accipit, custodit,

n Reb. s. 6. Less. n. 25.

o Reb. s. 6. à n. 36. Less. n. 26.

p Reb. s. 7. Less. n. 28.

Digitized by Google

dit, vel emit, licèt non adjuverit.

q Reb. f. 8. Less. du. 9.

266 Tenetur q mutus, qui non impedit damnum vociferando, cùm ad id teneatur ex officio, nisi ex justa causa proprii damni excusetur. Qui non consulit, aut præcipit, quando ad id tenetur ex officio; non autem, si ad clamandum, & impediendum ex sola charitate teneretur; licèt tacendo, & non impediendo graviter peccare possit. Tenetur non obstans, qui non resistit, & impedit damnum inferendum, cùm ad id ex officio teneatur, ut sunt judices, & custodes urbis; famuli, quorum curæ res domini traditæ sunt, si absque gravi suo damno, & periculo resistere possunt, & impedire, ne damnum inferatur. Tenetur non manifestans, qui non manifestat malefactorem, vel ad damnum impediendum, vel ad illud jam illatum resarciendum. Unde tenentur testes ex ipso officio testis ad restitutionem damni, si juridicè interrogati veritatem non manifestant.

r Reb. q. 15. Less. c. 13. d. 4. & 5

267 Circa obligationem prædictorum cooperatorum advertenda r sunt tria. Primum, quando multi sunt causa totius damni, qui communi consilio devastarunt vineam, vel domum, aut segetem incenderunt, singuli tenentur in solidum totum damnum restituere, si alii nolint ad suam partem concurrere. Quando verò non sunt causa totius damni, quilibet tenetur ad suam partem. Secundum, inter omnes prædictos cooperatores ille primò tenetur restituere, qui rem injustè acceptam apud se habet, vel mala fide consumpsit. Quando verò damnum datum est sine lucro alicujus, ille prius tenetur, qui mandavit: deinde executor, & postea reliqui in defectu priorum, prout magis, aut minus fuerunt causa damni illati. Tertium, quando ille, qui principaliter tenetur, damnum restituit; alii, qui accessoriè, & in illius defectum obligantur, ad nihil tenentur. Quando verò restituens non est debitor principalis; principales ei restituere debent, inferiores verò ab ea obligatione liberi sunt, quia non tenetur secundus, nisi in defectu primi; neque tertius, nisi in defectu secundi, & sic de alijs.

f Less. q. 9. d. 17. Reb. q. 10. sect. 4. n. 23.

268 Dico quartò. Nemo f in conscientia tenetur ad resarciendum damnum datum per servum, aut animal suum, aut etiam per filium, si absque culpa sua datum sit. Quia sine culpa non est causa talis damni, nedum injusta, ut constat ex dictis. Ex jure tamen positivo tenetur servum, vel animal tradere noxæ, si nolit damnum compensare, non tamen ante judicis sententiam, ut docent probatiores Theologi. Non tamen tenetur filium noxæ dare, quia est liber, & pro suo delicto conveniri potest. Si tamen servus, aut filius tua culpa damnum dederint, ut si jusseris, suaseris, aut impuleris, vel si negligens fueris in præcavendo, ne animal tuum damnum inferat negligentia lata, quæ culpam theologicam gravem infert, teneris in conscientia damnum ex integro resarcire, nec satis erit servum, vel animal noxæ dedere, nisi damnificatus eo contentus sit.

SECTIO IV.

De circumstantiis restitutionis.

Circumstantiæ restitutionis variæ numerari solent, nempe *Quid, quantum, cui, quomodo, quando, quo loco, & quo ordine.* Quoad priores duas nimirum: Quid, & quantum, satis constat ex dictis, quid, & quantum restituendum sit, solùm addo circa damnum datum in rebus, quæ nondum ad perfectum valorem venerunt, ut quando destruitur seges, occiditur pullus equinus, &c. Restituendum a esse quantum res erat valitura in sua perfectione, deductis expensis, quas dominus erat facturus, & computatis periculis, quæ intersunt usque ad perfectionem. Quia verò domini nollent vendere talia pericula, restitutio videtur facienda aliquantò major, quàm periculum valet, quando damnum ex malitia datum est, ut cum Soto docet Tolet. & alii: licèt Less. b oppositum credat. 269

a Reb. q. 6. n. 2. Tol. l. 5. c. 24. n. 2.

b Less. c. 12. d. 18.

c Reb. q. 21. Tolet. c. 13.

270 Igitur quoad circumstantiam *Cui.* Dico primò. c Bona certa regulariter domino suo restituenda sunt, & idem est de damno illato, illi esse restituendum, cui illatum est. Id enim postulat æqualitas justitiæ commutativæ. Dixi: *Bona certa.* Quia incerta pauperibus, aut piis locis restituenda sunt, ut constat ex suprà dictis. Dixi: *Regulariter.* Quia quando contingit, quòd

Digitized by Google

quòd res non usurpatur à proprio domino, sed ab alio justè rem alienam habente, ut est commodatarius, depositarius, conductor, administrator, habens pignus, &c. His res est restituenda, quia ad prædicta res retinendas habent jus, quo privari non possunt sine injustitia. Unde regula generalis est illi faciendam esse restitutionem, à quo res accepta est. Quæ tamen fallit in latrone, cui res tradenda non est, sed domino, juxta superius dicta. Fallit etiam in puero, qui proprium non habet, & in furioso, qui rem suam conservare non potest. Cùm non extat dominus, nec ille, à quo res sublata est, restituendum est hæredibus pro rata si multi sunt. Quando nec dominus, nec hæredes sunt, computanda erit res inter bona incerta, & restituenda pauperibus, aut piis locis.

271 Quoad circumstantiam: *Quomodo*. Dico secundò, restitutio potest fieri per te ipsum, vel per [d] aliam personam intermediam, dummodò probabiliter sis certus illam domino redditurain. Hoc tamen est discrimen, quòd si restituas per tertiam personam securam, cui prudenter fidere poteras, & postea contingat, ut aufugiat, aut domino non reddat commodatum, conductum, depositum, pignus, & similia, quorum tu non habebas dominium, sed dominus, ad amplius non teneris; quia cùm res perierit non ex malitia, aut negligentia tua, non tibi periit, sed domino; unde non jam teneris ad restitutionem. Aliud erit, si restituas mutuum, aut debitum ex alio contractu, vel ex damno illato, quia res tibi perit, quia ejus dominium habebas, quandiu non pervenit ad manus alterius, cui facis restitutionem. Unde si tertia persona non restituat, tu iterum restituere teneris, donec creditor satisfactus sit.

d Reb. q. 13 f. 3. Tol. c. 24. n. 2.

272 Quoad circumstantiam: *Quando*. Dico tertiò. [e] Qui debet restituere ex contractu, tenetur restituere tempore condicto, & si culpabiliter sit in mora, tenetur ad resarcienda damna, quæ creditori oriuntur ex dilatione; quia eorum est causa injusta. Qui verò tenetur ex injusta acceptione, aut ex damno injustè dato, tenetur restituere, quàm primum potest. Quia præceptum restituendi rem alienam proximo, seu non retinendi alienum, est negativum, quod obligat pro semper. Unde qui, cùm potest, non vult restituere, mortaliter peccat, & quo magis differt, gravius peccat, & quoties se offert occasio commoda restituendi, & non vult statim restituere, aut non curat advertere, rursus mortaliter peccat. Et ideò monet benè Tolet. multùm falli illos, qui debita, cùm possint, nolunt solvere, differentes usque ad mortis testamentum; & qui sic discedunt, secundùm communem sententiam in peccato discedere. Monet etiam peccare illos, qui bona habent dubia, de quibus certi non sunt, an propria sint, & differunt id elucidare usque ad testamenta, in quibus etiam ut dubia relinquunt, cùm teneantur statim, cùm commodè possunt, id declarare, & si fortè debent, restituere.

e Reb. q. 17. f. 1. & 2. Tolet. c. 24. n. 4.

273 Quoad circumstantiam: *Loci*. Dico quartò. [f] Si obligatio restituendi oritur ex contractu, restitutio est facienda in loco, qui in contractu exprimitur, & si nullus exprimitur, in loco, ubi res accepta fuit; quia talis locus videtur designatus ad restitutionem. Unde si Eboræ equum conduxisti, & aliò deduxisti, teneris sumptibus tuis Eboram reducere, ibique domino tradere. Si res bona fide possessa restituenda sit, restitutio debet fieri in loco, in quo repereris, & si aliò sit transferenda ad dominum, id non restituentis expensis, sed domini sumptibus faciendum est. Res mala fide possessa restituenda est in loco, in quo dominus possideret, si ei ablata non fuisset, ac adeo expensis tuis eò est deferenda, quia justitia postulat, ut dominus servetur indemnis.

f Reb. q. 13. f. 2. Tol. c. 25. n. 4. Less. c. 15. d. 8.

274 Quoad circumstantiam: *Ordinis*. Dico quintò. [g] Quando bona debitoris sufficiunt ad omnia debita solvenda, nullus ordo est necessarius in restitutione facienda. Quando verò non sufficiunt, aliquis ordo servari debet. Primò enim solvenda sunt debita certa, quàm incerta. [h] Nam æquitas naturalis postulat, ut priùs avertatur damnum personæ certæ, & notæ, quàm incertæ, & ignotæ; maximè quia cùm creditor est incertus, restitutio facienda est pauperibus, qui longè minus jus habent in bona debitoris, quàm creditor certus. Excipe, nisi res debita creditori incerto extet eadem numero, quia tunc ab ea incipere debet restitutio, quia est alie-

g Reb. q. 19. Tol. c. 25. Less. eodo c. 15.

h Less. d. 1. Tol. c. 25.

aliena; & debitor tenetur creditoribus certis satisfacere ex bonis propriis non ex alienis.

275 Secundò, quando debitor habet apud se rem alterius, quocumque modo illam habeat, sive per furtum, sive per depositum, sive per emptionem, pretio nondum soluto, ipsa [i] est priùs restituenda domino. Quia æquitas non patitur, ut res, quæ extat, alteri potius tribuatur, quàm domino, aut venditori, maximè quia [l] venditor, de quo solùm poterat esse dubium, quia dominium transtulit, censetur tacitam quandam hypothecam habere in rem venditam, dum ei pretium non solvitur.

[i] Reb. qu. 19 n. 2. Less. d. 2 & 4.

[l] Reb. n. 14.

276 Tertiò, debita contracta ex contractu oneroso, vel ex injusta acceptione, aut damno dato, priùs solvenda sunt, quàm orta ex contractu gratioso, v. c. ex donatione, legato, &c. Nam major fieret injuria, si priora debita negarentur, quàm si posteriora. Unde si bona testatoris non sufficiunt ad donationes, & legata; solvenda priùs sunt, quæ debentur titulo emptionis, locationis, mutui, furti, damni illati, &c.

277 Quartò. Qui habet creditores hypothecarios, quibus bona sunt hypothecata, & chirographarios, qui solam personam obligatam habent, priùs solvendum [m] est illis, quàm istis. Ideò enim bona alicui obligantur, ut ex iis fiat solutio, si aliter omnibus solutio fieri non potest. Quando verò res pluribus est hypothecata, & non sufficit ad solvendum omnibus, ille regulariter est præferendus, cui priùs hypothecata fuit, juxta regulam juris: *Qui priùs est tempore, potior est jure*. Dixi: *Regulariter*. Quia interdum præfertur posterior tempore, ut si res hypothecata fuit empta, constructa, vel conservata pecunia ab illo mutuo accepta, & sic de aliis, de quibus tractant Juristæ; & potest videri Rebellus, & Lessius.

[m] Reb. à n. 6. Less. d. 5. Tol. n. 2.

278 Quintò. Post solutionem factam creditoribus hypothecariis, si quid superfit, solvenda sunt debita merè personalia sive ex contractu oneroso, sive ex delicto orta, neque necesse est, ut in solvendis hujusmodi debitis aliquis [n] ordo servetur, eò quòd bona debitoris non magis sunt obligata creditori ex contractu, quàm ex delicto, aut è contra. Et aliunde nullo jure statuitur aliquis ordo servandus in solutione hujusmodi debitorum. Excipiendi tamen sunt creditores privilegiati, qui ex privilegio juris habent jus prælationis inter creditores chirographarios non privilegiatos, ita ut totum debitum exigere possint, antequam quidquam aliis solvatur; tales sunt Respub. quæ pecuniam alicui credidit, creditor ex causa funeris, sponsa, quæ dotem dedit, matrimonio non secuto, & alii de quibus DD.

[n] Less. d. 6.

279 Sextò. Inter creditores personales non privilegiatos non est habenda ratio [o] temporis, sed si quid, postquam privilegiatis satisfactum est, superfit ex bonis debitoris, inde pro rata solvendum est; seu juxta proportionem debitorum. Sicut autem hypotheca, & privilegium, ita diligentia in petendo creditorem facit potiorem, quamvis aliàs sit posterior tempore. Unde ex probabili sententia potest debitor tuta conscientia, & sine obligatione satisfaciendi aliis creditoribus, petenti integrè satisfacere.

[o] Less. d. 5. & 6.

280 Septimò. Quando inter creditores carentes titulo prælationis aliquis est pauper, nonnulli dicunt posse debitorem titulo paupertatis ei priùs satisfacere. Alii [p] verò negant, nisi paupertas sit extrema, aut saltem gravis; quia cùm omnes creditores habeant æquale jus in debitorem, non potest unus aliis præferri sine eorum injuria.

[p] Less. d. 7.

SECTIO V.

Quando liceat restitutionem differre, aut omittere?

Dico primò. Restitutio variis de causis differri potest. Prima, [a] quando probabiliter timetur eam futuram creditori graviter perniciosam, maximè si ea abusurus sit ad grave damnum proximo inferendum, quo casu teneberis saltem ex charitate eam differre, nisi ex dilatione grave malum tibi immineat. Secunda, si debitor longè majus damnum patiatur in propriis bonis ex præsenti restitutione, quàm creditor ex dilatione illius, [b] ut si non possit restituere, nisi se ipsum vendat, aut infamet, vel nisi vendat rem suam multò viliùs, quàm valeat. Quia tunc creditor censetur irrationabiliter invitus in dilatione. Unde sequitur pri- 281

[a] Reb. qu. 17 s. 3. nu. 18. Less. c. 16. dub. 4.

[b] Less. d. 11. n. 21. Tol. lib. 5. c. 27. Reb. s. 4. à n. 22.

Digitized by Google

primò, posse debitorem licitè differre solutionem, quam facere non potest, nisi à proprio statu licitè acquisito notabiliter excidendo. Secundò, non teneri [e] mulierem cum infamiæ nota, aut vitæ periculo adulterium suum manifestare, ut impediat hæreditatem filii spurii, quia recta ratio non patitur, ut vita, & fama, quæ sunt bona superioris ordinis, periculo exponantur pro bonis temporalibus. Unde satis erit, quòd persuadeat tali filio ad renuntiandum. Vel si hoc non obtineat, ut ex bonis, de quibus liberè disponere potest, satisfaciat filiis legitimis, quantum potuerit. Tertiò, si debitor sit in extrema necessitate, & impotentia restituendi. Quia nemo tenetur ad impossibile, essetque creditor irrationabiliter invitus, si vellet sibi fieri restitutionem tempore, quo omnia sunt communia. Et idem est, si in gravi necessitate. Quamvis si non sit extrema, & creditor sit in simili, juxta communiorem sententiam, non possis differre. Quartò, [e] si debitor faciat cessionem bonorum, quæ fit, cùm bona, quæ habet, relinquit creditoribus inter se dividenda, juxta debitorum proportionem, retinendo sibi aliquid ad suam qualemcumque, & suorum sustentationem. Cùm tamen per talem cessionem debita non extinguantur, sed quasi sopiantur; manet obligatio restituendi, cùm debitor redierit ad pinguiorem fortunam; & ideò dicitur causa differendi.

e Less. c. 10. d. 7.

e Less. d. 3.

282 Dico secundò, variis ex causis potest etiam omitti restitutio. Prima, ex condonatione [f] creditoris sive expressa, sive tacita. Debet tamen condonatio esse libera absque ignorantia, metu, vi, aut dolo dantibus illi causam. Unde non est liber ab obligatione restituendi, qui intuitu paupertatis fictæ obtinet condonationem debiti, & minus qui per vim, aut metum cogit, ut sibi debitum remittatur. Hoc autem intelligitur quando creditor condonare potest, & in casibus à jure non exceptis. Secunda, [g] sufficiens compensatio facta à creditore. Si enim tibi constet creditorem tuum se occultè compensasse, non teneris ei amplius debitum restituere; quia jam inter te, & illum constituta est æqualitas, quam justitia postulabat, nec creditor potest acceptare restitutionem, quam illi offers, post talem compensationem, nisi fortè ad occultandam compensationem à se factam, ut tibi modo convenienti satisfaciat. Tertia, si quantum debes tuo creditori, solvas [h] creditori illius. Quia tunc in foro conscientiæ liber manes ab obligatione restituendi, estò debita sint diversæ rationis. Quamvis in foro externo id restringatur ad debita, quæ ex eadem causa proveniunt; ut si debeas Titio decem pro conductione domus, quam Petrus eodem pretio ipsi prius locaverat. Quarta, [i] si res legitimè præscripta sit in bona fide, & cum aliis conditionibus ad legitimam præscriptionem requisitis, de quibus cap. 2. sect. 2. Postea non teneris illam restituere, estò scias cujus fuerit, dummodo hoc cognoscas post præscriptionem, quia si ante dominum scias, non erit præscriptio. Quinta, si debita [l] erant incerta sive inventa, sive per furtum, & usuras acquisita, & restituta sunt pauperibus, vel tibi tamquam pauperi applicata, vel per compositionem Pontificis, excusaris à restitutione, estò dominus postea compareat; licèt aliqui oppositum credant, quando tibi sunt applicata vel tamquam pauperi, vel per compositionem. Tunc enim dicunt rem esse restituendam, si extet, vel si extet id in quo factus es ditior, quod est probabile. Verius tamen videtur, quod dicimus. Quia sicut præscriptio omninò excusat, ita & applicatio bona fide facta, sive per compositionem authoritate Pontificis.

f Less. d. 2. Tol. c. 16. n. 1. Reb. q. 17. s. 3.

g Less. d. 11. Tol. n. 4.

h Less. d. 5.

i Less. d. 7. Tol. n. 6. Reb. sup.

l Less. d. 11. & c. 14. d. 6.

SECTIO VI.

De restitutione bonorum particularium.

Damnum solet inferri proximo in variis bonorum generibus, nempe in bonis temporalibus; in bonis vitæ, & membrorum per homicidium, & mutilationem; in fama per detractionem; in honore per contumeliam, irrisionem, & c. ac denique per stuprum, & adulterium, ac tamdem in bonis spiritualibus. Quia verò ex dictis satis constat de restitutione facienda in bonis temporalibus fortunæ, quæ sunt bona inferioris ordinis, de restitutione aliorum bonorum, quando in illis proximus injuriosè, ac injustè læditur, dicendum superest ad complementum materiæ. 283

284 Dico [a] ergo primò. Qui proximum

a Less. c. 8. d. 1.

Reb. l. 4. q. 14. mum læsit in bonis spiritualibus, aliquando tenetur ex justitia aliquid præstare, primò v. c. qui vi, fraude, vel metu aliquem ad peccandum induxit, tenetur ex justitia ipsum suæ libertati restituere, vim, fraudemque tollere, ne in posterum simili modo peccet. Prob. quia uti vi, fraude, vel metu, est contra justitiam; ergo justitia obligat ad tollendum. Similiter decipere aliquem falsa doctrina circa fidem, bonos mores, imò & artes humanas, est contra justitiam; ergo qui id fecit, tenetur ex justitia fraudem patefacere. Qui verò precibus, suasionibus, exemplo, modisque similibus sine vi, fraude, aut metu aliquem induxit ad peccatum; non tenetur ex justitia curare, ut corrigatur, quia volenti non fit injuria. Idem docet Less. de eo, qui etiam per vim, & fraudem induxit: quia qui sic inductus peccavit, & scit se per Dei gratiam resurgere posse, & non curat, censetur damnum spirituale condonare. Oppositum tamen alii docent, omnesque conveniunt in utroque casu teneri ex charitate curare, ut convertatur magis, quàm alii.

285 Qui aliquem abduxit ab ingressu religionis, [b] vel jam novitium à profitendo, vel professum à monasterio, si solùm precibus id faciat, licèt peccet sine gravi causa abducendo, non tenetur restituere religioni damnum inde secutum, quia non fuit causa injusta: tenetur verò, si vi, vel fraude illum retraxit; quia fuit causa injusta damni privando injustè religionem spe commodi temporalis, quod ex illius ingressu, vel professione perceptura erat: similiter tenetur satisfacere damno spirituali illius, quem per injuriam avertit à pio proposito, ei suadendo ingressum, & detegendo fraudes, quibus illum retraxit; non tamen tenetur pro illo religionem ingredi, neque alium quærere, qui ingrediatur.

b Less. c. 8. d. 5. Reb. l. 4. q. 15.

286 Qui aliquem injustè læsit in bonis [c] naturalibus animi, privando memoria, aliquo sensu, vel usu rationis per venenum, maleficium, aut alium modum injustum; tenetur ex justitia damnum removere, si potest; si autem non potest, tenetur non solùm veniam petere pro illata injuria, sed etiam damna inde secuta restaurare, ut si sic læsus non possit amplius artem, vel officium exercere, quo sibi victum comparabat. Licèt autem aliqui probabiliter teneant obligari justum damnificatorem ad restitutionem pecuniarum pro his damnis præcisè consideratis, arbitrio boni viri; oppositum tamen est probabilius: quia talia damna, cùm sint in bonis ordinis superioris, non sunt pretio æstimabilia, eò quòd nihil sit, quod illis censeatur æquivalens.

c Less. d. 2. Reb. q.

287 Dico secundò. Qui proximum injustè læsit in bonis corporis, aliquando [d] tenetur ad aliquam restitutionem. Ut conclusio explicetur recolendum est ex lib. 8. cap. 8. de quinto præcepto Decalogi, quando quis injustè proximum occidat, aut mutilet, quando verò justè, & sine culpa. Qua doctrina posita; qui proximum injustè occidit, vel vulneravit, tenetur primò ad expensas, quæ fiunt in curatione, quarum fuit causa efficax injusta. Secundò, juxta aliquos tenetur ad expensas funeris. Hoc tamen est limitandum, quia cùm tales expensæ necessario aliquando sint faciendæ, solùm tenebitur homicida ad excessum, si fortè sint majores, quàm alioqui fuissent, quia v. c. extra patriam homo fuit occisus.

d Less. c. 9. d. 19. & 14. Reb. l. 3.

288 Tertiò, tenetur ad [e] resarcienda damna temporalia, quæ oriuntur ex tali occisione iis, quos per suam artem, officium, industriam, & laborem mortuus alebat, spectata spe lucri, quod poterat comparare, deductis iis, quæ in sui sustentatione consumere debebat. Nec ab hac obligatione liberabitur, si injustè erat aliàs occidendus, quia alter fuisset obligatus; ergo & tu, qui prævenisti. Neque si homicida pœnam talionis sustinuit; quia pœna infligitur, non ut damnum parti læsæ compensetur, sed ut injuria Reipub. & legibus illata vindicetur. Excusaretur tamen, si occisus vel morte naturali, vel aliàs justè per sententiam erat occidendus: tunc enim qui injustè præveniret, non teneretur ad hanc restitutionem, quamvis injustitiam committeret, quia non inferret damnum pecuniarium, eò quòd tam brevi tempore nihil esset lucraturus. Excusaretur etiam qui injustè occideret provocatus ad duellum, quia saltem tacitè cessit juri suo provocans occisus.

e Less. d. 19. 20. & 21. Reb. q. 13. n. 4.

289 Porrò restitutio [f] ista hæredibus necessariis, nempe patri, si occisus carebat filiis, & uxore. Filiis, & uxori, si illos, & illam habebat; non autem iis,

f Less. d. 26. Reb. q. 14.

Digitized by Google

iis, qui succederent ab intestato; & multò minus extraneis, si hæredes instituti sint, quia isti non reputantur una persona cum occiso, ac adeò damnum non censetur illatum in re ipsorum. Nec etiam illis, quos occisus liberaliter alebat. Nec etiam creditoribus, ex satis probabili sententia; quia creditor non habet jus in debitorem, nisi in quantum se extendunt bona, quæ actu habet, vel quæ verisimiliter esset habiturus; cùm verò homicida restituat hæredibus, in quos obligatio defuncti transfertur, quæ ipse putatur lucraturus, non facit injuriam creditoribus, qui possunt ab hæredibus solutionem petere. Si autem homicida, aut mutilator moriatur, tenentur hæredes ex ejus bonis ad hanc restitutionem, quia sicut succedunt defuncto in ejus bona, & jura, opus est succedant in onera, & obligationes, quibus ex justitia tenebatur.

g Reb. q. 11.

290 Nota verò [g] ad hanc restitutionem teneri etiam judicem, & testem injustum. Illum, si sibi non subditum condemnet ad mortem, vel in ea causa à sua jurisdictione exemptum, vel subditum morte aliàs dignum, non servato ordine juris, aut procedendo ex privata scientia, aut crimen per injuriam extorquendo. Testem verò, si scienter, aut ex ignoratia graviter culpabili falsum testificatus est, ex cujus testimonio mors injustè secuta est. Similiter si legitimè interrogatus fraude declinet actum testificandi, quia tenetur ex justitia falsò accusatum suo testimonio indemnem reddere, & consequenter non testificando est injusta causa mortis. Et idem dicendum de iniquo accusatore, qui innocentem accusat ad mortem, qua secuta ad prædicta damna tenetur.

291 Non desunt, qui dicant non solùm pro damnis prædictis, sed etiam præcisè pro damno vitæ, membri, vel cicatricis deberi restitutionem pecuniariam, arbitrio boni viri taxandam, sed contrarium est probabilius, & ferè commune [h] inter DD. Quia licèt pro vita, vel membro servi necessario debeatur restitio pecuniaria, quia pretio æstimatur; non tamen pro vita, membro, vel cicatrice hominis liberi; quia sunt bona alterius ordinis, quæ pretio æstimari non possunt. Unde nulla pro his præcisè debetur restitutio, quia est impossibilis aliqua proportionata.

h Less. d. 13.

292 Dico tertiò. [i] Qui virginem defloravit constitutam extra parentum curam, & liberè consentientem, ad nihil tenetur. Quia volenti non fit injuria. Si verò sit sub cura parentum, ipsis tenetur restituere damnum secutum, ut competens matrimonium filiæ inveniant, quod propterea sine majori dote non invenient; nisi ipsi in stuprum consenserint, quia tunc ad nihil tenebitur. Si vi, aut fraude defloravit, tenetur, vel ipsam ducere, vel damnum reparare dotando, vel augendo dotem, ut competentes nuptias inveniat, quamvis matrimonium non promiserit. Si tamen postea æquè commodas nuptias invenit, ita ut nihil detrimenti acceperit, non tenetur ei quidquam necessariò restituere; quia neque pro pudicitia adempta, quæ cùm irreparabilis sit, pretio non æstimatur; neque pro damno secuto, quia nullum re ipsa fuit. Quid autem dicendum sit, quando virginem defloravit sub spe matrimonii vera, vel ficta, dictum est lib. præcedenti cap. 8. sect. 1.

i Less. c. 3. dub. 2. Reb. q. 12.

293 Dico quartò. [l] Qui adulterium commisit cum uxore proximi, si nullum aliud damnum secutum est, non tenetur quidquam pro hac injuria marito illata rependere. Probatur, quia injuriæ ab omni damno separatæ non debetur ex justitia, nisi satisfactio per signa doloris, petitionem veniæ, &c. Quæ locum non habent, quando injuria ignoratur: unde nisi agnoscatur à marito, non tenetur adulter ad talem satisfactionem; nec si agnoscatur, nisi sciat illam velle, quam rarò homines volunt. Si tamen proles ex adulterio nata sit, de qua adultero moraliter constet esse suam, tenetur ad eam alendam à tertio anno post nativitatem, & ad restitutionem bonorum, quæ illi ex communi hæreditate tamquam proli legitimæ obveniunt, quia per injustitiam causa fuit, quòd filii legitimi ea portione sibi debita frauderentur, licèt aliqui hoc negent.

l Less. d. 5. & 6. Reb. lib. 4. q. 10.

294 Dico quintò. [m] Qui proximum injustè læsit in fama, tenetur ad restitutionem famæ læsæ. Quando autem hæc læsio injustè fiat diximus lib. 8. cap. 11. indeque constat duobus modis solere homines injustè infamari. Primò, falsum crimen eis imponendo, ex quo sequatur infamia. Secundò, verum crimen propalando, sed occultum.

m Less. c. 11. d. 20. Reb. lib. 4. q. 8. 9. & 10.

In

Digitized by Google

In primo casu tenetur infamator omnem industriam adhibere, ut falsa illa opinio deleatur, significando se deceptum fuisse, aut falsum dixisse, aut etiam mentitum esse, sicut viderit opus esse, ut alii credant, adhibito etiam juramento, aut etiam testes, si aliter non putentur credituri, & rei gravitas id postulet. In secundo tenetur etiam ad restitutionem famæ, quantum possit sine mendacio. Probat autem Less. sine hoc posse dicere se mentitum fuisse, & falsum dixisse; ad hoc tamen non teneri, quamvis sit modus valde accommodatus, & efficax. Potest etiam dicere deprehendisse se fuisse deceptum, vel errasse in eo, quod dixit: se malè, & iniquè locutum fuisse de proximo, petereque, ut eam opinionem deponant. Quamvis hic modus parùm utilis videatur; quia inde homines saltem astuti magis confirmabuntur. Et tandem laudando infamatum, & honorificè de eo loquendo, cùm se occasio tulerit; qui modus necessarius est, si aliis non utatur.

295 Nota [n] verò primò, si seria revocatione dictorum, per quæ proximum infamasti, ejus infamia non abstergatur, non teneri te infamiam pecunia compensare. Quia fama est bonum superioris ordinis, cui pecunia non æquivalet, & tu solùm teneris restituere, quod ablatum est. Si tamen per judicem condemnatus sis ad pecuniariam satisfactionem, vel si transigas de certa pecuniæ summa cum infamato, teneberis ex justitia eam solvere. Nota [o] secundò, si famam restituere nequis sine propriæ vitæ periculo, non teneris illam restituere. Quia nemo tenetur restituere bona inferioris ordinis, cum jactura bonorum ordinis superioris: tenetur tamen cum periculo propriæ famæ. Si verò ex infamia, quam sparsisti, periculum vitæ proximo immineat, teneris illam cum eodem periculo reparare ratione damni, quod inde sequitur ejusdem ordinis. Nota tertiò, damnum secutum ex infamia totum esse reparandum, quia ortum est ex actione injuriosa. Unde si ex tua infamatione quis perdidit officium, vel beneficium, quod jam habebat, teneris de toto damno, si impeditur ab eo obtinendo, teneris restituere, quantum valebat spes obtinendi; arbitrio boni viri.

n Less. d. 16.

o Less. d. 15. & 19.

296 Adverte [p] etiam ex aliquibus capitibus posse te excusari à famæ restitutione. Primò, ex justa condonatione facta ab eo; cujus infamia non redundat in alios. Secundò, ex justa compensatione, si ab eo, quem infamasti, pari modo sis infamatus. Tertiò, si fama alio modo jam sit recuperata. Quartò, si infamia jam abiit in oblivionem, & non est periculum, quòd iterum revocetur. Quintò, si crimen occultum, quod aliquibus revelasti, alia via fiat publicum. Sextò, si restitutio sit impossibilis post tuam retractationem. Septimò, si non possit fieri sine vitæ periculo ex dictis. Octavò, si non possit fieri sine amissione famæ, quæ sit longè majoris momenti, ut si vir illustris infamavit plebeum, non tenetur cum jactura sui nominis revocare, sed satis erit illum laudare in eo genere, in quo infamavit. Nonò, si bona fide persuasus esse verum, & publicum, narrasti, nec possis sine jactura famæ tuæ revocare. Decimò, si nulla fuit secuta infamia, vel quia infamator erat nullius fidei, vel quia illi, apud quos infamavit, sciebant similia. Unde infamia non fuit notabiliter aucta.

p Less. d. 26 Reb. qu. 13.

297 Dico sextò. [q] Honor læsus injustè per contumeliam, irrisionem, vel susurrationem ex justitia restituendus, seu compensandus est. Quando autem honor per has actiones injustè læditur diximus lib. 8. cap. 11. sect. 4. Probat. Quia qui ita honorem læsit, fecit veram injuriam contra justitiam commutativam; ergo ex eadem justitia reparanda est. Hæc autem compensatio ordinariè fit per petitionem veniæ cum signis doloris. Potest etiam fieri honorifica salutatione, aut compellatione; qui modus satis videtur in personis majoribus erga inferiores offensas. Nota verò hanc satisfactionem deberi, sive honor læsus fuerit privatim coram solo offenso, sive publicè coram aliis, apud quos danda est satisfactio, si probabile est aliquid honori apud ipsos detractum fuisse.

q Less. c. 11. d. 17 Reb. q. 12.

CA-

CAPUT V.

De peccatis.

298 LIb. 8. cap. 15. sect. 1. dictum est quid sit peccatum, quid mortale, & veniale. Quia tamen in ordine ad confessionem, cujus Parochus est minister ordinarius, opus est scire species peccatorum, numerum, & circumstantias, quæ omnia ex Trid. [a] in confessione explicanda sunt, & de illis judicium ferendum, visum est Parochum nostrum de his instruere abstinendo, quoad poterimus, ab speculationibus, quæ in hac materia sunt frequentes, & valde subtiles. Dicam igitur: Primò, de peccato omissionis, & commissionis. Secundò, de diversitate specifica peccatorum. Tertiò, de multiplicatione numerica. Quartò, de circumstantiis mutantibus speciem, & aggravantibus, ac minuentibus intra eamdem, ut Parochus sciat pœnitentes suos examinare de his necessariis ad integritatem confessionis, quando viderit illos deficere in eorum explicatione.

[a] Sess. 14. c. 4.

SECTIO I.

De peccato omissionis, & commissionis.

299 QUamvis peccatum definiatur ab Aug. Factum, dictum, vel concupitum contra legem Dei. Ubi solùm peccatum commissionis comprehendi videtur. Theologi tamen ibi per *Factum* intelligunt non solùm, quod fit contra legem, sed etiam quod contra eamdem omittitur. Quia Dei lex non tantùm violatur faciendo id, quod prohibet, sed etiam non faciendo, seu omittendo id, quod præcipit.

300 Peccatum igitur adæquatè dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. Probatur, quia peccatum consistit in transgressione legis, seu præcepti: legem verò, & præceptum nemo transgreditur, nisi faciendo id, quod prohibet, aut non faciendo, quod præcipit: sed quando fit quod prohibet, dicitur commissio, quia fit seu committitur, quod lex prohibet; quando autem omittitur, quod lex præcipit, dicitur omissio, quia omittitur, & non fit, quod fieri præcipitur: ergo peccatum adæquatè dividitur in peccatum commissionis, & omissionis. Patet consequentia, quia nulla est lex, nullumque præceptum, quod non prohibeat, vel præcipiat. Quare quando violatur lex prohibens, quæ dicitur præceptum negativum, v. c. *Non furtum facies, non mæchaberis, &c.* est peccatum commissionis. Quando autem violatur lex præcipiens, quæ dicitur præceptum affirmativum, v. c. *Honora Patrem, & matrem, audies Missam diebus Festis, &c.* est peccatum omissionis.

301 An autem peccatum omissionis dari queat sine ullo omninò actu? quæstio est magis ad speculationem, quàm ad mores pertinens. Illud certum, sive fiat sine ullo actu, quod non repugnat, sive per actum positivum, ut frequentius fit, esse peccatum omissionis, si violatur præceptum affirmativum, ut cùm Missam præceptam non audis, sive te habeas merè negativè, nullum actum faciendo, sive positivè dicas: Nolo audire Missam, vel aliquid facias incompossibile cum Missa eo tempore, quo erat audienda.

302 Nota verò omissionem interdum contingere, quando non est in potestate hominis facere, quod præcipitur; nec impedire, ne fiat, quod prohibetur. Ut quando omittitur Missa præcepta tempore somni, vel ebrietatis; quando hominem occidis in ebrietate, vel moritur ex veneno antea propinato. Tunc enim illæ omissiones externæ propriè [b] peccata non sunt, sed effectus peccati à te commissi, cùm antea causam liberè posuisti, ex qua postea sequuntur, quando impediri nequeunt. Unde quando somno te applicasti, prævidens fore, ut Missam non posses, propter somnum audire, quando te inebriasti prævidens ebrietatem Missam, suo tempore, impedituram, tunc peccasti peccato omissionis, quia Missam liberè omittere voluisti in alio, nempe in causa impeditiva liberè volita. Similiter quando venenum propinasti, vel te inebriasti prævidens fore, ut ebrius hominem occideres, tunc commisisti peccatum homicidii in causa liberè volita, ex qua postea sequitur homicidium.

[b] Vasq. 1. 2. d. 94. c. 1. Less. lib. 4. c. 3. d. 14.

303 Licèt autem peccatum omissionis, & commissionis in esse naturæ, seu materialiter spectatum specie differant; quia

quia alterum est negatio actus præcepti; alterum actus positivus prohibitus; aliquando tamen esse possunt ejusdem speciei [c] in ratione moris, & peccati, si versentur circa eamdem virtutem, secundùm eamdem rationem spectatam. Ut videre est in omissione contra votum affirmativum, & commissione contra negativum. In commissione furti, & omissione restitutionis. In omissione, & commissione contra obedientiam. Unde discrimen essentiale inter peccatum omissionis, & commissionis petendum est ex motivo, seu ex ratione virtutis, quæ offenditur, de quo sect. seq.

c D.Th.1.2.q.72.a.6. Suar. ibi t.5.d.3.s.1. n.3.

SECTIO II.

De diversitate specifica, & essentiali peccatorum.

304 DUo consideranda sunt in quolibet peccato personali, nempe res, quæ dicitur peccatum, & dici solet peccatum materiale, & deformitas moralis, per quam constituitur in ratione formali peccati. De qua multa disputant Theologi, quæ ad nostrum institutum non inserviunt. Materiale peccati est actus humanus voluntarius, & liber contra præceptum negativum prohibens talem actum; vel omissio actus præcepti per præceptum affirmativum, ut sect. 1. dictum est. Formale verò est deordinatio quædam, seu privatio honestatis alicujus virtutis, quæ inesse debuerat, vel absolutè, vel saltem supposita operatione humana, ad quam liberè determinamur.

305 D. Thom. agens [a] de distinctione specifica peccatorum, solùm tractat de distinctione eorum secundùm esse materiale, nihil dicens de distinctione secundùm esse formale deordinationis, & malitiæ. Cujus rei varias rationes assignant commentatores, præcipua mihi est, quia cognita essentia materialis peccati, consequenter cognoscitur essentia, seu ratio deordinationis, & malitiæ, quæ est privatio honestatis. Nam licèt [b] distinctio specifica malitiæ per se primò sumitur ex honestate, & rectitudine opposita, qua materiale peccati privatur; cùm hæc sit per se annexa objecto actionis, vel omissionis humanæ, ita ut specialis privatio honestatis consequatur speciale objectum; fit ut cognita ex objecto diversitate spefica actionis, aut omissionis, cognoscatur etiam diversitas specifica privationis, & malitiæ, ut docuimus tractando hanc materiam.

a 1.2.q.72. a.1.

b Soar.t.2. t.3.d.7.s.7. n.9.

306 Tria igitur principia distinguendi species peccatorum assignant Theologi, quæ tandem in idem recidunt. [e] Primum est objectum formale, à quo peccata suam speciem sumunt tam in esse naturæ, quàm in esse moris, & peccati. Prob. primò in peccatis commissionis, quæ sunt actus positivi voluntatis, de quibus non est dubium, quod à diversis objectis formalibus diversas species sumant in esse naturæ, & physico, quia id commune est omnibus actibus voluntatis, & intellectus. Idemque constat de esse formali, & ratione peccati; quia specialis deordinatio, & malitia per se est annexa speciali objecto actionis humanæ: ergo sicut ex objecto formali proximè, & immediatè sumitur diversitas essentialis actionis, ita ex eodem causaliter, mediatè, & remotè sumitur diversitas essentialis deordinationis, & malitiæ. Nam eo ipso, quod voluntates furandi, & fornicandi specificantur in esse naturæ per commoditatem furti, & delectationem veneream, quæ tamquam bona movent, & intenduntur, deordinatio, & malitia, seu privationes honestatum justitiæ, & castitatis, per quas illæ voluntates constituuntur in ratione specifica talium peccatorum, specificantur per illas honestates, quarum sunt carentiæ, & quibus objecta talium voluntatum objectivè privantur.

e Soa proximè.

307 Id tamen notandum [d] peccata commissionis, secundum esse formale deordinationis, & malitiæ, non solùm sumere speciem ex objecto formali, fine, & motivo, sed sæpissimè ex materiali, & circumstantiis illius. Unde potest actus esse ejusdem speciei in esse naturæ, & habere diversas rationes peccati in esse moris, si in objecto materiali sit specialis deformitas diversa à deformitate finis, vel afficiatur specialibus circumstantiis. Nam velle occidere hominum ex motivo vindictæ, actus est ejusdem speciei in esse naturæ, sive persona occisa sit laica, sive Ecclesiastica; & tamen habet diversam malitiam sacrilegii

d Soar.5. q.3.& 4. Vasq.11. d.11.c.2.

by Google

legii ex circumstantia personæ cognita, & indirectè volita. Similiter velle fornicari, actus est ejusdem speciei in esse naturæ; qui tamen potest habere multas malitias & rationes peccati, tam ex parte personæ peccantis, si habeat votum, vel statum matrimonii, quàm ex parte complicis, si iisdem circumstantiis afficiatur.

368 Prob. secundò in peccatis omissionis, quæ actus positivos non requirunt, in quibus vel intervenit voluntas positiva omittendi, & non faciendi, quod præcipitur, vel saltem voluntas indirecta, & interpretativa, quæ suo modo objectum suum habet, à quo voluntas movetur ad non faciendum. Unde à tali motivo, seu objecto formali speciem suam habet omissio in esse naturæ; in genere verò moris, & peccati illam habet ex specie actus debiti ex præcepto affirmativo, qui omittitur. Unde omissio Missæ debitæ in die festo essentialiter differt ab omissione eleemosynæ debitæ pauperi graviter indigenti, non solùm in esse naturæ, sed etiam in esse moris, & peccati, quia diversum habet objectum, & deformitatem, & sic de aliis.

e Soa. l.7. 369 Secundum principium est diversa oppositio cum virtute. e Quoties enim duo peccata diversis virtutibus opponuntur, inter se specie differunt propter diversam honestatem, cui opponuntur, & qui privantur. Imò contra eamdem virtutem specificam versantur sæpè peccata specie diversa; ut videre est in avaritia, & prodigalitate contra unam liberalitatem; in timore, & audacia contra unam fortitudinem; in intemperantia, & insensibilitate contra unam temperantiam; in furto, homicidio, detractione, & contumelia, quę diversa peccata sunt contra unam, & eamdem virtutem justitiæ commutativæ; in fornicatione, & ebrietate contra eamdem temperantiam, & sic in multis aliis.

370 Ratio autem est. Quia licèt una virtus habitualis habeat unam specie honestatem habitualem, potest habere plures actuales inadæquatas secundùm inadæquatos conceptus, ut videre est in prædictis. Nam liberalitas inclinat ad dandum, & retinendum cum mediocritate, cujus proinde diversa honestas inadæquata est dare, & diversa retinere; primæ opponitur avaritia, secundæ prodigalitas. Fortitudo inclinat ad audendum, & timendum cum mediocritate, cujus duæ sunt honestates partiales, audere nempe, & timere; primæ opponitur timor, quando non est timendum; secundæ opponitur nimia audacia, quando non est audendum, quæ dicitur temeritas. Temperantia inclinat ad comedendum, & bibendum cum mediocritate, cujus sunt duæ honestates inadæquatæ, nimirum comedere, & bibere quod est necessarium, & abstinere à superfluo, quarum primę opponitur insensibilitas, secundæ commessatio, & ebrietas. Justitia commutativa inclinat ad servandum unicuique jus suum, quod tamen habet partes actuales diversas ratione diversæ materiæ, pro cujus diversitate diversos actus justitiæ actualis exercet ille, qui proximis jus illæsum servat in bonis fortunæ, famæ, honoris, & vitæ, quibus opponuntur peccata specie diversa, nempe furtum, detractio, contumelia, & homicidium. Et idem est de temperantia, si ponatur species infima, cujus altera pars moderatur delectationes gustus circa esculenta, & poculenta, altera delectationes venereas tactus. Prima vulgariter dicitur temperantia, secunda castitas, quibus duo vitia respondent, nimirum intemperantia, & luxuria. Et sic de aliis, quæ facilè occurrent.

371 Igitur peccatum tam secundùm materiale, quàm secundùm formale specie diversum est, non solùm quando opponitur diversæ virtuti, sed etiam quando opponitur uni, & eidem, quæ habet honestates inadæquatas. Prob. quoad primum, quia materiale peccati, seu actus specificatur ab objecto formali, quod semper est aliqua ratio boni inferioris; sed hæc ratio boni est diversa, quoties peccatum opponitur prædictis virtutibus, ut consideranti patebit: ergo &c. Prob. quoad secundum, quia tali objecto annexa est deformitas, & privatio honestatis vel totalis, vel inadæquatæ, & partialis valde diversa sufficientissima ad diversificandum peccatum in esse moris, & malitiæ, ut constat ex dictis.

372 Tertium principium est oppositio cum diverso præcepto f formaliter sumpto. Quod ut intelligas, adverte præcepta posse esse solùm materialiter f Soa. l.7. n. 2. Sanch. 1 decal. c. 14. n. 9.

diversa, quando præcipiunt, vel prohibent idem, vel diversum objectum sub eodem fine, & motivo, seu sub intuitu ejusdem virtutis: sic lex naturalis, & positiva prohibent homicidium ex eodem fine, & motivo justitiæ, seu intuitu ejusdem justitiæ. Sunt autem formaliter diversa, quoties idem, vel diversum objectum præcipitur, vel prohibetur sub diverso fine, & motivo, & intuitu diversæ virtutis. Sic præceptum non occidendi clericum est formaliter diversum à quinto præcepto Decalogi non occidendi, quia hoc prohibet homicidium sub intuitu justitiæ, illud sub intuitu religionis, cui fit injuria, occidendo personam Deo sacram. Et idem est de præcepto non furandi absolutè, & non furandi rem sacram, & de multis aliis.

373 Igitur licèt quando violantur plura præcepta solùm materialiter diversa, non sint plura peccata diversa specie; tamen quando præcepta formaliter diversa sunt, plura sunt peccata essentialiter diversa, estò actus sit unus, & idem. Prob. quia quando violantur plures obligationes specie diversæ, plura sunt peccata saltem formaliter ratione diversarum disconvenientiarum essentialiter diversarum cum natura rationali: sed tunc violantur plures obligationes specie diversæ, & plures virtutes diversæ: ergo &c.

374 Unde sequitur primò homicidium, aut percussionem Clerici, aut Religiosi duplex esse peccatum specie diversum; alterum injustitiæ contra præceptum non occidendi; alterum sacrilegii contra præceptum prohibens homicidium personæ sacræ intuitu Religionis. Et idem est in furto rei sacræ, in pollutione, fornicatione, aut effusione sanguinis in loco sacro. In fornicatione soluti cum conjugata, aut conjugati cum soluta. In fornicatione, vel pollutione clerici in sacris, aut alterius habentis votum castitatis. In eo, qui habens votum jejunandi feria sexta, non jejunat occurrente simul vigilia. Et sic de aliis.

375 Alia ratio est, quando violantur plura præcepta solùm materialiter diversa. Quia tunc datur una tantùm specie deformitas, & privatio unius tantùm rectitudinis specificæ per omnia illa præcepta intenta, unaque oppositio cum eadem virtute. Unde non committit duo peccata specie diversa, qui furatur, vel occidit, ex eo quòd violet præceptum naturale, divinum positivum, & humanum non furandi, aut non occidendi; quia omnia illa præcepta prohibent sub eodem motivo, & intuitu ejusdem virtutis: neque qui in die Dominica, in qua occurrit festum, non audit Missam, neque qui non jejunat in quadragesimæ die, in quo occurrit vigilia ob eamdem rationem, quia sunt solùm plura præcepta materialiter diversa.

SECTIO III.

De diversitate numerica peccatorum.

Quia non solùm species peccatorum, sed etiam numerus explicandus est in confessione, videndum est, quando peccata numericè multiplicentur. Aliqui dixerunt, quando eodem die occurrunt duo precepta ejusdem rationis; v. c. jejunandi, ratione vigiliæ occurrentis in quadragesima, aut quatuor temporibus, vel audiendi Missam ratione Dominicæ, & festi simul occurrentis, duo esse peccata contra duplex præceptum. Id [a] tamen negant communiter DD. Quia sicut tunc per unicum jejunium, & unam Missam satisfit utrique præcepto; ita unum est peccatum Missam, vel jejunium omittere, quia est omissio unius actus, uniusque perfectionis debitæ. Confirmatur, quia nemo dicit committi duo peccata ab eo, qui semel furatur, eò quòd violat duo præcepta naturale, & positivum non furandi; ergo similiter in casu præsenti. Unde satisfacit, qui in confessione dixerit se uno die Missam non audivisse, vel non jejunasse; quia ea circumstantia duplicis præcepti nec notabiliter peccatum aggravat intra eamdem speciem, ut propterea explicanda sit. 376

377 Multiplicantur verò peccata numero ratione diversorum [b] objectorum, quorum quodlibet ad unum peccatum sufficit, si inter se non sint unibilia. Unde qui unico actu vult occidere duos homines, duo peccata formaliter committit, & duo homicidia, estò eodem ictu illos occidat, quia singuli sunt materia integra homicidii, quorum quilibet jus habet ad bonum vitæ. Dixi: *Quando objecta unibilia non sunt*. Quia licèt

[a] Soar. de pœn. d. 11. s. 4. & l. 5. de voto c. 6. Sanc. 1. decal. c. 14 n. 10. Azor. 1. p. l. 4. c. 2.

[b] Sanc. 1. de mat. d. 15. n. 6. Azor. c. 4. q. 3.

licèt unus aureus sit materia furti, non proinde velle furari decem, erunt decem peccata; quia decem illa unibilia sunt in uno damno tertii, & faciunt unum furtum gravius; nisi velis ea decem à decem hominibus usurpare, quia tunc erunt decem furta, ratione diversi damni illati decem hominibus. Et eadem voluntas à decem surripiendi, decem peccata numero formaliter erit. Unde qui tres homines eadem simul contumelia afficit, vel de tribus simul detrahit, imponendo omnibus idem crimen, tria peccata contumeliæ, vel detractionis committit; qui tres assertiones falsas eodem juramento attestatur, trium juramentorum reus est. Et sic de aliis.

378 Duplex in hac quæstione est difficultas principalis. Prima circa multiplicationem numericam peccati purè interni, quod in animo consummatur, ut odium, delectatio morosa, & consensus inefficax in aliquod peccatum, &c. In qua omnes [c] conveniunt multiplicari, quoties interrumpitur, & de novo iteratur; si interruptio fiat per retractationem contrariæ voluntatis, aut per formalem voluntatem interrumpendi, aut si interruptio sit longi temporis, estò contingat modo naturali absque speciali advertentia, vel directa voluntate, ut per somnum, aut naturalem distractionem, & postea actus repetatur.

c Soa. f. 5. à n. 11. Vasq. 1. 2. d. 75. c. 2. & 3.

379 Quando verò interruptio est minima, & naturalis absque speciali advertentia, & voluntate interrumpendi, aliqui non improbabiliter credunt totam illam collectionem actuum prædicto modo interruptorum esse unum numero peccatum, & ita contingere illis, qui per horam sunt in aliqua delectatione prava circa idem objectum, quod moraliter fieri non solet, quin interim cogitatio ad alia rapiatur, licèt statim ad eamdem redeant. [d] Oppositum tamen tenendum est, dicendumque illam brevem interruptionem sufficere, ut prædicti actus interrupti sint peccata numero diversa tam physicè, quàm moraliter, & in ordine ad confessionem; quia re vera sunt diversi actus eliciti ex diverso usu libertatis, & diversam numero malitiam habentes; unde ut diversa sunt in confessione dicenda.

d Soa. f. 5. à n. 14. Vasq. c. 1. Azor. t. 4. q. 4. Pal. t. 2. d. 3. p. 2.

380 Notant tamen DD. satisfacere pœnitentem, si confiteatur illam actuum multitudinem modo possibili. Cùm verò moraliter sit impossibile illum numerum distinctè cognoscere, satis erit illum declarare per modum unius moræ diuturnæ, in qua committi solet, humano more loquendo, hujusmodi multitudo peccatorum, quæ aliter declarari sufficienter non potest. Hoc tamen non est illam declarare per modum unius peccati, sed per modum unius confusæ multitudinis in illa mora inclusæ. Cum quo stat, ut si quis cognoverit, quot habuerit interruptiones actuum, illos declarare teneatur.

381 Secunda difficultas est circa multiplicationem peccati, quod per opus externum consummatur, cujusmodi est voluntas furandi, occidendi, fornicandi, & similes, quæ cum opere externo unum peccatum constituunt in genere moris. [e] In qua omnes conveniunt toties multiplicari, quoties ipsi actus externi multiplicantur, hoc est, quoties furaris, occidis, vel fornicaris, nisi contingat quòd eodem impetu idem actus externus repetatur, ut si tres ictus inimico infligas, eamdem contumeliam ter repetas, eamdem rem ter eodem, vel diverso juramento confirmes. Quia tunc unum erit peccatum, eò quòd omnes illi actus externi uniuntur in eadem voluntate, à qua procedunt.

e Az. t. 1. 4. q. 5.

382 Quia verò ante consummationem actus externi solent sæpissimè voluntates interrumpi, & renovari; difficultas est, quæ interruptio requiratur, ut peccatum censeatur multiplicari? [f] In qua conveniunt omnes primò, quoties prima voluntas per pœnitentiam, aut contrarium propositum interrumpitur, & postea renovatur, esse diversum numero peccatum, quia nova voluntas incipit. Secundò, quoties qui peccatum intentavit, perficere non potuit, & tædio, ac lassitudine desistens, postea de novo idem peccatum tentat, vel si peccandi voluntatem magna temporis mora interrumpat per alia negotia, ita ut jam prima voluntas finita videatur, & animus saltem virtualiter mutatus, si postea voluntas renovetur, diversum erit peccatum, quia tales actus non possunt moraliter uniri. Tertiò, quando idem actus externus continuatur, estò voluntas aliquando cesset, & sæpius repeta-

f Soa. f. 5. à n. 19.

Digitized by Google

petatur, unum est peccatum, quia omnes illæ voluntates repetitæ uniuntur in eodem opere externo tamquam in una materia, estò executio operis externi per multum tempus duret.

383 Quartò, quando multiplicantur plures actus externi pertinentes ad idem consummandum, ut si ex intentione occidendi inimicum arma quæras, venenum emas, præpares, inimicum quæras, explores, & tamdem occidas, unum est peccatum, quia tota illa series actionum procedit ex eadem voluntate, cum qua, & cum fine intento uniuntur. Excipe, nisi actiones illæ externę habeant specialem malitiam aliunde, vel saltem numero distinctam quasi completam. Ut si ex prædicta intentione gladium fureris, aut alium inducas, ut sit socius criminis, aut ex intentione fornicandi, nuntium mittas, qui fœminam inducat ad consensum. Tunc enim peccata sunt distincta, & ut talia in confessione explicanda. Quintò, quando actus tam interni, quàm externi, qui ad unum consummandum ordinantur, interrumpuntur per somnum, prandium, aut simile negotium ordinarium ad opus intentum impertinens, & postea repetuntur, & continuantur, unum est peccatum. Hæc est communis sententia DD. fundata in communi hominum sensu, quo loqui solemus de actibus moralibus tam bonis, quàm malis.

384 Quamvis autem certa regula dari non possit ad cognoscendum, quando peccatum externum possit dici unum, non obstante divisione unius actionis ab alia. Quia cùm tota hæc unio sit moralis, recurrendum tamdem est ad arbitrium prudentum, & usum circa pluralitatem, vel unitatem actionis; quod multùm pendet ex circumstantiis, & qualitatem actionis. Quia aliquæ sunt, quarum partes facilius uniuntur, quàm aliæ. In casu tamen communi de homicidio, fornicatione, & similibus, erit una actio humana, quando quis ob talem finem domo egreditur, quærit inimicum, vel amicam, licèt ad hoc aliquot dierum iter efficiat, quamvis interim dormiat, prandeat, & ad alia negotia communia divertat; quia sicut moraliter non interrumpitur prior intentio, ita nec tota illa actio. Dixi: *Communia*. Quia si interruptio sit extraordinaria longi temporis, tollet quidem unitatem moralem actionis humanæ, licèt intentionem non revocet.

385 Notandum verò est, licèt repetitio illorum actuum novum peccatum non constituat, juxta dicta, in confessione declarandum esse tamquam circumstantiam notabiliter aggravantem, ad quod satis erit declarare tempus, quo duravit intentio illa usque ad operis consummationem. Quia per hoc satis moraliter intelligitur duratio intentionis, interruptiones, & repetitiones, quæ moraliter contingere solent.

386 Ex quibus sequitur primò, [g] peccatum retinendi alienum, seu non restituendi, quandiu procedit ab eadem voluntate non retractata, quamvis sæpiùs repetita, non interrumpi per somnum, nec per alia negotia, imò nec per impotentiam restituendi, aut per usum rei alienæ, sed semper esse unum, & idem peccatum continuatum. Quia omnes illæ voluntates repetitæ uniuntur in eadem omissione externa. Dixi: *Non retractata*. Quia si prima voluntas non restituendi fuit retractata per propositum restituendi, & postea iterum nolit restituere, diversum peccatum erit, quia jam omissio non provenit à prima voluntate, sed ab alia diversa, licèt aliter procedat P. Soar. [h] satis probabiliter. Sequitur secundò, tactus libidinosos, qui præcedunt copulam illicitam, efficere unum peccatum cum illa; quia ad illam ordinantur tamquam ad opus consummatum, quos proinde non oportet in confessione explicare, quia, explicata copula, sufficienter intelliguntur. Quod etiam credo, estò prædicti tactus præcesserint sine copulæ intentione, quæ tamen postea sequatur ex illorum incitamento, quia semper ad illam natura sua ordinantur. Quidquid in hac parte opinentur graves DD. inter quos est Cardin. de Lugo, & alii authoritatis bonæ. Sequitur tertiò, tactus, oscula, & amplexus, qui sequuntur post copulam habitam, esse diversum peccatum, & non explicari in confessione per ipsam copulam. Quia neque sunt partes illius, neque ex natura rei ex illa sequuntur, sed ex malitia operantis tamquam nova copula inchoata, ad quam per-

g Lug. de pœn. d. 16. à n. 549. Reb. 1. p. l. 2. q. 17. f. 2.

h Sect. 5. n. 31.

Digitized by Google

perficiendam ordinantur. Licèt oppositum non sit improbabile ex gravium DD. sententia, quæ tamen maximè displicet P. Soar.[i] Et meritò propter rationem datam. Sequitur quartò[l] eum, qui habet voluntatem non recitandi officium per mensem, plura committere peccata, quia licèt voluntas fuerit una, opus omissum multiplex est, nec una omissio ordinatur ad aliam, aut habet connexionem cum alia. De illo, qui statuit omittere officium integrum unius diei, licèt non desint, qui dicant committere tot peccata, quot sunt horæ, probabilius est unum tantùm committere, quia omnes horæ uniuntur ad unum officium componendum.

i Soa. l. 5. n. 17. & 22. Vasq. 1. 2. q. 91. dub. 5 n. 35.

l Soa. l. 4. de horis canon. c. 25. Azor. 1. p. l. 10. c. 7. q. 4.

SECTIO IV.

De circumstantiis peccatorum.

387 DOctrina de circumstantiis peccatorum maximè necessaria est Parocho, & cuilibet confessario, quia cùm sæpè addant peccato malitiam specie diversam, quæ ex Concilio Trident. in confessione necessariò explicanda est; sæpè verò aggravent intra eamdem speciem, quæ gravitas, quando est notabilis, etiam aperienda est, ex probabiliori sententia, ut dictum est lib. præcedenti cap. 5. sect. 3. opus est habere sufficientem notitiam de talibus circumstantiis; quam dabimus discurrendo breviter per omnes, quæ inveniri possunt, & in hoc versu continentur.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?

§. I.

De circumstantia Quis.

388 HAEc circumstantia significat conditionem personæ peccantis, ex qua aggravari peccatum docent communiter DD. dicentes gravius peccare personam fidelem, quàm infidelem; sanctiorem, quæ majora à Deo beneficia accepit, quàm minus sanctam; habentem dignitatem, quàm non habentem. [a] Notant verò hanc majorem gravitatem ex conditione personæ, si talis conditio non addat specialem obligationem, nec mutare speciem, nec aggravare notabiliter intra eamdem, & consequenter non opus esse explicari in confessione.

a Sanc. 7. de mat. d. 27. n. 31.

389 Si verò conditio, & status personæ habeat annexam specialem obligationem, gravitas peccati potest esse diversæ speciei, [b] ut contingit in habente votum, qui ratione illius culpam habet, ubi antea culpa non erat. Vel si votum est de re aliàs prohibita, vel præcepta, præter culpam ordinariam aliis communem, addit novam sacrilegii ratione voti. In conjugato, qui ratione status, fornicando præter culpam ordinariam fornicationis omnibus communem, addit aliam injustitiæ contra fidem debitam conjugi. In Episcopo, vel Parocho, qui si in gravi periculo mortis non ministrent Sacramenta, ultra culpam contra charitatem aliis sacerdotibus communem, addunt culpam contra justitiam, ex qua ad id tenentur ratione officii. In clerico in sacris habente beneficium; qui omittens divinum officium; præter culpam similibus clericis communem contra religionem, addit culpam injustitiæ ratione collati beneficii. Potest etiam notabiliter aggravari peccatum intra eamdem speciem ratione personæ, ut videre est in Episcopo, qui strictius tenetur, ratione officii, succurrere pauperibus, quàm alii. Unde potest sæcularis peccare solùm venialiter, non succurrendo, ille verò mortaliter.

b Sanch. proximè.

390 Seclusis tamen specialibus obligationibus ratione voti, officii, aut status, dignitas personæ non aggravat notabiliter peccatum, nec illud mutat de veniali in mortale. Unde si sacerdos, vel Religiosus blasphemet, vel pejeret, solùm peccabit peccato blasphemiæ, vel perjurii graviori quidem, non tamen notabiliter, nisi adsit scandalum, quæ circumstantia omni statui, & conditioni communis esse solet, ut postea dicendum est. Nota verò circa votum, peccatum contra castitatem in habente votum illius, addere malitiam sacrilegii ejusdem rationis, sive votum sit simplex hominis sæcularis, sive religiosi, sive solemne professi, sacerdotis, aut etiam Episcopi; & unumquemque ex istis satisfacere, dicendo in confessione se peccasse contra castitatem, cujus habet votum, quin teneatur exponere se esse religiosum, professum, sacerdotem, aut

aut Episcopum. Nam omnia vota castitatis sunt ejusdem rationis per se, & essentialiter, sive sint simplicia, sive solemnia; sive ordini, sive professioni annexa, & solùm differunt accidentaliter ex Ecclesiæ institutione statuentis per aliqua dirimi matrimonium, & non per alia, neque aliqua ex his personis tenetur ad continentiam, nisi ratione voti.

d Sanc. 5. decal. c.6. n.10.

391 Nota [d] secundò, habentem votum castitatis non peccare contra votum, si consilio, vel auxilio causa sit, ut alii contra castitatem delinquant. Quia licèt illud peccatum scandali activi grave sit, & contra castitatem, non est tamen contra votum propriæ castitatis, per quod quis solùm promisit castitatem suam. Si verò à te inductus habeat votum castitatis, tu quidem contrahis malitiam incontinentiæ, & sacrilegii, ad quas induxisti, sed nec tunc teneberis explicare te habere votum, quia contra tuum non peccasti. [e] Nota tertiò, peccatum fornicationis in eunucho aggravari ex conditione impotentiæ ad generandum, addereque malitiam specie diversam contra naturam. Quia frustratur finis, ad quem natura copulam ordinavit; cùm nulla ibi possit esse spes, aut intentio generationis.

e Sanc. 7. de mat. d. 5. n. 14. Less. l. 4. c. 3. n. 45.

392 Nota [f] quartò, circumstantiam virginitatis, quidquid aliqui dicant, non addere specialem malitiam supra fornicationem, neque illam notabiliter aggravare, ita ut debeat in confessione exprimi neque à viro, neque à fœmina. Unde confessor non benè faciet interrogando fœminam, an antea fuerit virgo. Neque obstat, quòd stuprum ponatur ab omnibus diversa species luxuriæ. Quia jam lib. 8. cap. 9. sect. 3. diximus quomodo id sit intelligendum, nempe ex parte viri, quando per vim virginem agnoscit; hic enim malitiam stupri contra justitiam addit. Nota quintò, circumstantiam conjugii aggravare peccatum fornicationis addendo malitiam adulterii contra justitiam in utroque conjuge fornicante. De circumstantia verò sponsalium diversimodè loquuntur DD. Nam aliqui non sine probabilitate negant. [g] Alii probabilius affirmant in utroque sponso addi malitiam injustitiæ contra jus imperfectum ad rem, quod jam habent ad corpus alterius. Sanch. verò ait hanc in sponsa esse mortalem, & necessariò confitendam, in sponso verò solùm venialem.

f Sanc. d. 14. n. 5. Less. l. 2. c. 10. dub. 1. Soa. de pœn. d. 22. f. 4. n. 6.

g Lugo de pœn. d. 16. n. 178. Sanc. 1. de mat. d. 2. n. 6.

§. 2.
De circumstantia Quid.

Ad hanc circumstantiam pertinent primò illa, quæ se habent ex parte rei volitæ. Secundò personæ, ad quas terminatur peccatum. Tertiò ea quæ ex peccato oriuntur. Quoad primum, [h] si res volita divisibilis est, peccatum aggravatur ex majori materia. Unde gravius est furtum duorum aureorum, quàm unius; centum, quàm viginti. Hoc autem est intra eamdem speciem, & si fit augmentum notabile, notabiliter aggravat, debetque in confessione explicari. In peccato sodomiæ [i] diversa gravitas ex parte agentis, ac patientis necessariò explicanda, quia ex parte agentis intervenit propria pollutio, quæ non est ex parte patientis, ut patiens est. [l] Peccatum odii, quo proximo desideratur malum, ut malum illius, aggravatur ex malo desiderato. Unde gravius est desiderium mortis, quàm infamiæ; hujus, quàm detrimenti bonorum. Quod augmentum speciem mutat, quia addit malitiæ contra charitatem ex fine, malitiam diversæ injustitiæ actualis in hac, vel illa materia, quod augmentum necessariò est explicandum, quidquid Diana à nobis suprà relatus Doctores aliquos non contemptibiles referens contrarium dicat. 393

h Sal. t. 2. t. 13. d. 5. f. 6.

i Lug. n. 243.

l Soa. d. 6. de charit. f. 2. Bellan. ibid. d. 29. n. 61.

394 Peccatum [m] jactantiæ, quando aliquis se jactat de aliquo peccato, aggravatur ex diversa specie peccati, sive adsit, sive absit complacentia illius. Quia non solùm offenditur Dei reverentia per jactantiam de re, quæ fuit offensa ipsius, sed etiam virtus, contra quam fuit peccatum: ergo non solùm est ibi malitia finis, nempe gloriæ inordinatæ, sed medii hujus, aut illius peccati, quod cum jactantia explicari debet. [n] Quintò, consilium de re illicita aggravatur ex re, quæ consulitur, habetque præter malitiam contra charitatem, alteram contra virtutem, cui opponitur peccatum, quod consulitur, quæ proinde est explicanda in confessione.

m Sanc. 1. decal. c. 3.

n Lug. n. 275.

395 Quoad secundum, duobus modis potest aggravari peccatum ex circumstantia personæ, ad quam terminatur.

o D.Tho. 1. 2. q. 73. a. 9. tur. o Primò ratione personæ offensæ, quæ vel Deo sit conjuncta, vel nobis, aut in se magis publica, & excellens. Ubi notandum primò, aliquando posse esse mortale respectu unius, quod respectu alterius esset solùm veniale, ut contumelia, & detractio, quæ esset venialis respectu personæ vilis, potest esse mortalis respectu personæ excellentis. Secundò, aliquando ex circumstantia personæ offensæ addit malitiam specie diversam, ut si occidas, aut vulneres clericum, addis sacrilegium; si patrem, addis impietatem. Tertiò, quando peccatum ex persona non redditur mortale, nec accipit diversam specie malitiam, non aggravatus notabiliter, ita ut explicari necessariò debeat.

396 Igitur quoad primum genus personarum, licèt aliqui dicant omnem injuriam factam sacerdoti, aut personæ ecclesiasticæ addere malitiam specie diversam propter specialem reve-
p Lug. n. 310. rentiam statui debitam, p verius est id solùm habere locum in injuriis, quæ respiciunt vitam, & corpus, quales sunt occisio, vulneratio, quæ specialiter prohibentur per jus Canonicum, intuitu religionis, non verò, quæ honorem, famam, aut fortunas lædunt.

q Lug. n. 299. 397 Quoad secundum, q odium parentum, omnisque injuria, quæ lædit vitam, corpus, famam, honorem, salutem, & incolumitatem, addit specialem malitiam contra pietatem debitam parentibus, non tamen injuria in bona per furtum, nisi sit tam gravis, ut parentes gravissimum inde damnum patiantur, cum quo stare non posset debitus erga ipsos amor; quia tunc etiam offenditur pietas erga illos. Idemque erit, quamvis filius non desideret malum parentum ex affectu odii, quia malum ipsorum est; sed vel ob majojorem libertatem, aut ut bona eorum potiatur, quia adhuc talis affectus graviter opponitur amori, quem filius parentibus debet, & pietati ipsis debitæ.

398 Eadem autem doctrina applir Lug. n. 304. canda est peccatis parentum r in filios. Nam licèt majus sit debitum filiorum erga parentes, quàm parentum erga filios: est tamen tanta conjunctio, & obligatio parentum in filios, ut negari non possit specialis turpitudo in eorum peccatis cum hac differentia, quòd facilius peccent mortaliter filii in parentes, quàm illi in filios. Unde percussio, & contumelia, quæ in filio esset mortalis; in parentibus vel nullum peccatum foret, vel leve ratione authoritatis, & potestatis corrigendi. Hæc tamen differentia materialis est, nam formaliter ejusdem ferè sunt conditionis. Unde odium, vel gravis offensa parentum erga filios, quando talis ex circumstantiis judicetur, novam addit malitiam ex speciali conjunctione naturæ cum illis.

399 Et idem dicendum est de avis, f proavis, & aliis ascendentibus respectu nepotum, & similium descendentium, & vice versa: de uxore respectu viri, & de viro respectu uxoris. f Lug. à n. 307. Inter fratres verò non est tam stricta obligatio. Unde non sufficit omne illud malum, quod satis est erga parentes, sed multò gravius requiritur ad communicandum specialem malitiam contra amorem illis debitum ex naturali conjunctione, quale esset fratricidium, mutilatio, aut gravis vulneratio, infamatio notabilis, depauperatio, & odium, quo similia mala desiderantur. De aliis verò consanguineis magis remotis, licèt aggravetur culpa, addaturque nova malitia specie diversa; hæc non videtur gravis, & quæ necessariò in confessione explicari debeat.

400 Quoad tertium, ex nobilitate, & excellentia personæ offensæ non additur malitia specie diversa, licèt possit esse mortalis, quæ respectu alterius esset venialis. Nisi sit Princeps, vel superior, cui specialis reverentia debetur ex virtute observantiæ, quæ potest offendi per occisionem, percussionem, contumeliam, aut gravissimam detractionem, & similia, quæ dignitatem specialiter lædere possent. Similiter si persona offensa sit insignis benefactor, communicabit specialem malitiam ingratitudinis, quia plus amoris sæpè debetur tali benefactori, quàm fratri, aut sorori. Unde si istorum offensio addit specialem malitiam, eam addet offensio istius.

401 Secundò aggravat peccatum persona; ad quam terminatur, in materia castitatis. Unde tale peccatum sive operis, sive cordis terminatum ad personam habentem votum castitatis, addit malitiam sacrilegii: ad personam conjugatam, malitiam adulterii: ad con-

sanguineam, vel affinem, cum qua fit impedimentum dirimens, malitiam incestus; quæ malitiæ specie diversæ sunt, & ut tales in confessione explicandæ. Quæ verò hic dici poterant tam de incestu naturali, quàm de similitudinario, quàm etiam de spirituali, dicta sunt lib. 8. cap. 9. sect. 2. ubi egimus de incestu, & sacrilegio in materia castitatis.

t Sanc. 7. de mat. d. 5. n. 12. & 13.

402 Id notandum. [t] Si fidelis baptizatus peccet cum infideli non baptizata, & vice versa; malitiam specialem contrahet contra Religionem, cujus intuitu prohibetur inter ipsos matrimonium, & consequenter copula. Et idem est de persona Catholica cum hæretica propter eamdem rationem. Nulla tamen contrahitur specialis malitia ab illis, inter quos est impedimentum dirimens ratione criminis, quia inter hos non est prohibitio ratione alicujus virtutis, quæ per copulam specialiter offendatur, sed in pœnam criminis. Et idem est de illis, inter quos solùm est impedimentum conditionis, v. c. inter liberum, & servam; inter servum, & liberam. Illud tandem addendum in omnibus casibus, in quibus copula addit malitiam specie diversam supra fornicationem, ratione personæ, cum qua habetur; intelligendum pariter de copula sodomitica, ut benè probat Card. [u] de Lug. [x] & deducitur ex P. Sanc.

u Lug. à n. 34. 5.
x Lib. 9. de mat. d. 46. n. 18.
z Sanc. 1. decal. c. 7. a n. 1.

403 Quoad tertium, certum [z] est aggravare peccatum pravum eventum, seu nocumentum, quod ex illo sequitur, si sit prævisum, & intentum, vel saltem formaliter volitum, communicareque propriam malitiam, quam in se habet; ut si propinasti venenum prævidens posse inde homicidium sequi, idque intendisti, vel saltem voluisti, illa propinatio habet malitiam homicidii ex circumstantia nocumenti, & sic de aliis. Idemque est, quamvis nocumentum solùm sit volitum indirectè, & interpretativè, quia prævisum fuit, nec impeditum, cùm potuerit, & debuerit impediri, sive sequatur ex nostra actione aliàs bona, sive mala. Quod etiam intellige de nocumento spirituali, quod dicitur scandalum contra charitatem, quoties ruina spiritualis proximi sequitur ex nostra actione sive mala, sive indifferenti, sive etiam bona.

404 Nocumentum verò casuale, quod non solet frequenter sequi ex actione, si intentum non sit, nec prævisum, estò sequatur ex actione nostra illicita, peccatum non aggravat, neque imputatur in culpam. Quia nihil imputari potest, quod non sit voluntarium saltem indirectè: quod autem prævisum non fuit, voluntarium non est: ergo non imputatur. Unde quæ contingunt in ebrietate, si nullo modo prævisa fuerunt, nec imputantur, nec ebrietatem aggravant; maximè verò, si prævisa fuerint, & diligentia adhibita non fuit, ut impedirentur.

405 Quando nocumentum non sequitur per se ex tua actione, sed tamquam ex occasione, qua alius liberè abutitur ad peccandum, licèt illam directè non aggravet, nisi facta fuit ex intentione, ut alius peccet, aggravat tamen indirectè; si potes, & teneris peccatum alterius impedire, non verò aliter. Prob. quia ad voluntarium indirectum saltem morale, quod omninò requiritur, ut aliquid imputetur in culpam, utraque illa conditio necessaria est: ergo nisi impedias auferendo occasionem, indirectè vis tale peccatum, quod proinde tibi imputabitur. Quando verò tenearis, vel non tenearis impedire, consule Sanch. lib. 1. Decalogi. Cap. 7.

406 Quando [a] verò nocumentum per se sequitur ex tua actione, estò nec intentum, nec directè sit volitum, si tamen aliquo modo prævideatur, aggravat actionem tuam. Sic mors secuta ex propinatione veneni, illam aggravat; homicidia aggravant bellum injustum; aliorum peccata aggravant tua scandalosa, ex quibus moventur ad illa patranda. Et generaliter præstare domino obsequia, quæ suaptè natura ad peccatum ordinantur, v. c. invitare concubinam ad peccandum, portare scripta, & internuntia ad duellum, ex talibus eventis, si sequantur, aggravantur. [b] Idemque est, quando nocumentum ex tua actione per se sequitur saltem moraliter, quia ex se ad pravum aliorum usum destinantur, ut si vendas idola gentili, aut vestes superstitiosas ad falsum cultum, si facias synagogam Judæis, &c. aggravatur tua actio ex eventu, estò hic pendeat ex aliorum voluntate. Ex quibus sequitur, quando actio tua aggravatur ex circumstantia

a Azor. 1. p. 1. 8. c. 12. q. 6.
b Azor. proximè.

tia

Digitized by Google

tia eventus, debere explicari in confessione, quia regulariter mutat speciem, aut saltem novum peccatum addit.

§. 3.
De circumstantia Vbi.

407 UBi significat circumstantiam loci. In quo advertendum [c] est locum sacrum aliquando non esse circumstantiam, sed totam causam malitiæ, ut in illis actionibus, quæ de se nullam habent, nisi quia prohibentur fieri in loco sacro, ut est placitum in causa sanguinis, judicium sæculare, mercatus, sepelire excommunicatum vitandum, aut paganum in loco sacro, extrahere ab Ecclesia eos, qui gaudent ejus immunitate.

c Soa. t. de Rel. l. 3. c. 4. 6. & 7.

408 Quando verò est circumstantia, peccatum aggravat [d] addendo malitiam diversæ speciei contra Religionem, ob irreverentiam illatam loco sacro. Et contingit in tribus, quæ per jus Canonicum specialiter prohibentur in illo fieri, intuitu Religionis. Quorum primum est furtum vel rei sacræ, vel rei non sacræ Ecclesiæ tamen dicatæ, vel commodatæ, aut speciali curæ commissæ. Licèt autem furtum alterius rei in Ecclesia factum hanc malitiam contrahere aliqui non sine probabilitate affirment: probabilius est oppositum. Quia non est furari de loco sacro, cùm res ad locum non pertineat. Qui furatus est rem sacram de loco sacro, v. c. calicem, aut similem rem benedictam; debet explicare rem, & locum. Quia cùm tres sint species sacrilegii, nempe circa personas, locum, & res sacras, duæ in eo furto species inveniuntur.

d Soa. c. 5.

409 Secundum est [e] homicidium voluntarium culpabile, quod non fit in propriam defensionem, & sanguinis effusio secuta ex percussione, mutilatione, aut vulnere. Unde non satis est percussio sine sanguine. Tertium est voluntaria seminis humani effusio, sive per pollutionem, sive per copulam etiam inter conjuges, quando non fiat ex necessitate, quæ dabitur, si longo tempore detineantur in Ecclesia, & sit periculum incontinentiæ. Hoc autem intelligitur, sive effusio seminis sit notoria, sive occulta.

e Soa. c. 2.

410 De aliis peccatis etiam externis negat probabili [f] sententia specialem malitiam contrahere ratione loci; quia nullum aliud prohibetur ab Ecclesia, ob intuitum reverentiæ loci. [g] Probabilius tamen videtur affirmandum de peccatis externis; quia, posita sanctitate loci, ex natura rei illi reverentia debetur. Unde peccata externa erunt contra talem reverentiam, & consequenter addent malitiam sacrilegii ratione loci. Notant verò communiter DD. hanc malitiam in actionibus, quæ specialiter non prohibentur ratione loci sacri, plerumque esse venialem, nisi in illis sit tanta fœditas, ut prudentis judicio gravis injuria loci censeatur, ut esset bestiarum stabulatio, sacrificium idolorum, repræsentatio valde profana, tactus valde impudici, &c.

f Sanc. 9. de mat. d. 15. n. 4.

g Soa. c. 4. & 7.

§. 4.
De circumstantia Quibus auxiliis.

411 AD hanc circumstantiam pertinent instrumenta [h] quibus peccatum committitur, quæ si sint inanimata, ut gladius, pugio, sclopetum, &c. regulariter non aggravant peccatum saltem notabiliter, nisi sint specialiter prohibita; & tunc malitia erit alterius speciei gravis, vel levis, juxta gravitatem prohibitionis; vel continent specialem malitiam contra aliam virtutem, ut si ad peccandum usus fuisti Sacramentis, sacramentalibus, aliisque rebus sacris; tunc enim instrumenta addent peccato malitiam specie diversam contra Religionem, [i] si instrumenta sunt animata, ut homo, vel mulier, quibus utaris vel ut sociis, vel ut mediatoribus, aggravas peccatum addendo malitiam scandali necessariò explicandam; nec excusaris, si quis paratus esset ad faciendum, quod petis; quia quoties quis petit, quod alius sine peccato facere non potest, ad peccandum inducit, estque causa peccati illius, quæ est malitia scandali. Si denique instrumenta sint dæmones, quibus utaris ad peccandum, quærens eorum auxilium expressè, vel tacitè, aggravas peccatum per additionem novæ malitiæ superstitionis, quæ potest esse valdè diversa, secundùm diversos modos, quibus contingere solet, de quibus diximus lib. 8. cap. 4.

h Soar. de pœn. d. 22. f. 4 n. 16. Lug. d. 16. n. 475.

i Soa. proximè. Sanch. 1. decal. c. 6. à n. 12.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

De circumstantia Cur.

412 HAEc circumstantia significat finem extrinsecè moventem ad peccandum; solus enim finis extrinsecus est circumstantia; quia intrinsecus operis recurrit cum objecto formali tribuente peccato primam malitiam. Unde si hominem occidas ex priori intentione furandi res suas, addis homicidio malitiam furti ratione finis extrinseci, qui circumstantia est talis homicidii, quia occidis, ut fureris. [l] Hinc sequitur primò, si finis habet malitiam, medium verò illam non habeat, ut si ex fine fornicandi divitias licitè compares, media aliàs bona extrinsecè vitiantur per malitiam finis, cujus tamen malitiam satis erit tunc confiteri; sicut etiam si media habeant solam malitiam venialem, & finis mortalem, ut si ex eadem intentione fornicandi officiosè mentiaris. Secundò, si tam medium, quàm finis habeat propriam malitiam, utraque erit explicanda; sive sit specie diversa, ut si occidas, ut forniceris; sive solo numero, ut si ad dominum occidendum prius occidas servum, qui illum custodit. Tertiò, quando medium habet malitiam, finis verò illam non habet, medium non aggravatur ex fine, ut quando ex fine studendi, Missam præceptam omittis; non teneris finem declarare, sicut nec si habeat solam malitiam venialem.

l Soa. f. 4. n. 8. Lug. à n. 479.

§. 6.

De circumstantia Quomodo.

413 HAEc [m] significat intensionem actus, & varios modos peccandi ex violentia, crudelitate, ignorantia, passione, malitia, contemptu, consuetudine, &c. Intensio notabiliter aggravat intra eamdem speciem. Quia verò regulariter à nobis non percipitur, deobligamur ab ea explicanda, nisi prodeat in signa, & effectus externos, v. c. in diuturnam durationem, & frequentiam actuum, in nimiam solicitudinem, ac cogitationem peccati patrandi; tunc enim tenebimur hos effectus explicare, quia notabiliter aggravant, & aliquando multiplicant peccata numero, ex iis tamen satis explicabitur gravitas intensionis.

m Soar. n. 13. Beilan. d. 7. n. 14.

414 Violentia [n] sæpè addit malitiam specie diversam, ut patet in furto violento, quod est rapina; in fornicatione violenta, quæ addit malitiam raptus. Eadem addit modus operandi cum crudelitate, & feritate, ut constat in eo, qui inimicum occidens illum in frusta secat, vulnera post mortem multiplicat, cor extrahit, linguam abscindit. Unde tales circumstantiæ mutant speciem, & sunt explicandæ.

n Lug. n. 497.

415 Passio, & ignorantia peccatum non aggravant, sed potius minuunt; malitia verò, seu peccare ex scientia absque passione, aggravat, non tamen notabiliter, & ideo per se loquendo, non est de necessitate confessionis. Dixi: *Per se*. Quia cùm peccatum ex conscientia erronea possit esse mortale, quod, sublata ignorantia, esset veniale, vel nullum; & peccatum scienter factum possit esse mortale, ex conscientia verò erronea veniale, vel nullum; si ignorantia sit invincibilis, per accidens explicanda erit ignorantia, quando hæc mutatio contigerit. Quamvis quando peccatum fuit ex sola conscientia erronea, satis sit dicere: Furatus sum id, quod putabam alienum. Non servavi festum, non audivi Missam, non jejunavi, cùm putarem me ad id obligari. Peccatum ex malitia potest aggravari ex contemptu, ita ut de veniali fiat mortale, ratione contemptus, vel addat novam malitiam mortalem contemptus, si ex se jam erat mortale, & utraque est declaranda.

416 Peccatum [o] aggravatur ex consuetudine, non tamen notabiliter. Unde non est necessariò explicanda, nisi per accidens, non ut pravitas culpæ declaretur, sed ut confessario constet de statu pœnitentis, quod sæpè fieri non potest, nisi explicando consuetudinem, aut diuturnitatem peccati, aut occasionem illius.

o Soa. n. 15 Lug. d. 14. f. 4.

§. 7.

De circumstantia Quando.

HAEc circumstantia significat duo. 417
Primum tempus, in quo fit peccatum, nempe diem festum, ex quo aggravari peccatum, vel per additionem malitiæ sacrilegii contra religionem

nem

nem propter sanctitatem diei, vel intra eamdem speciem, docuerunt multi ex antiquis. p Communis tamen, & probabilior sententia utramque gravitatem negat. Quia Ecclesia ad sanctificationem festorum solùm præcipit Missam, & prohibet opera servilia; alia verò peccata diem festum specialiter non offendunt, nullam enim habent sanctitatem intrinsecam, quæ violetur, sicut habes locus sacer per consecrationem, vel benedictionem.

p Sua.n.11. & t. 2. de Relig. l. 2. c. 18.

418 Secundum est q duratio peccati, quæ illud aggravat intra eamdem speciem notabiliter, si duratio judicio prudentis sit notabilis. Nam verè judicium mutat, habere voluntatem occidendi, fornicandi, & sic de aliis pro uno instanti, aut brevissimo tempore, ac per horam, vel diem. Unde declaranda est talis circumstantia durationis, quando fuerit notabilis. Et per hæc habet Parochus quidquid ex materia de peccatis opus est in ordine ad confessionem, suppositis iis, quæ aliis in locis jam dicta sunt.

q Sal. t. 13. d. 5. f. 7.

CAPUT VI.

De conscientia

419 CUm conscientia sit regula proxima humanarum actionum, seu judicium practicum particulare ordinatum ad operandum, quo quis judicat hanc, vel illam rem esse bonam, vel malam, faciendam, vel fugiendam; visum est notitiam dare Parocho, ut scire valeat, quando pœnitens contra hanc regulam operetur, quandoque peccavit ex ignorantia, ex dubio, & probabilitate non sufficiente, aut ex scrupulo; ut tamquam magister veritatem doceat, qua ignorantiæ expellantur, dubia resolvantur, probabilitas eluceat, scrupuli evanescant. Dicam igitur de conscientia recta, de erronea, de probabili, de dubia, & scrupulosa.

SECTIO I.

De conscientia recta.

420 COnscientia a recta, quæ alio nomine dicitur recta ratio, tunc datur; cùm quis verè judicat operationem, quæ verè est bona, esse bonam, & quæ verè est mala, esse malam. Unde qui operatur secundùm hanc conscientiam, benè operatur; quia facit, quod recta ratio proponit ut bonum; & fugit, quod ipsa proponit ut malum. Operari verò, quod ipsa dictat esse peccatum, peccatum est; & quidem mortale, si ipsa dictat esse mortale; veniale autem, si ipsa dictat esse veniale. Quia semper proponit, quod in re est.

a Soa. t. 12 r. 3 d. 12. f. 1. n. 7.

421 Dicitur conscientia recta à DD. obligare, quatenus proponit bona facienda ex præcepto, & mala ex eodem fugienda, non quòd ipsa obliget ratione sui, sed quia proponit veram obligationem. Cùm enim lex, b & præceptum obliget, cùm sufficienter proponitur; non possit autem melius proponi, quàm per rationem rectam, quæ verè, & certò proponit legem, & præceptum, quod est à parte rei, sine ambiguitate, aut formidine, ratione illius dicitur obligare. Et hæc satis de conscientia recta, quæ magis explicabitur ex dicendis de conscientia erronea, quia utraque in modo tendendi in objectum, illudque proponendi maximè assimilatur, quatenus utraque ita tendit per firmam adhæsionem, ut recta veritatem contineat, erronea verò falsitatem.

b Sua. f. 4. n. 1. & 2.

SECTIO II.

De conscientia erronea.

COnscientia erronea seu errans tunc datur, cùm quis determinatè judicat esse malum id, quod verè est bonum, aut esse bonum, quod verè est malum, & peccatum. Est autem duplex: altera vincibilis, & culpabilis, quæ provenit ex ignorantia, quæ humana industria deponi potest, & debet, non tamen deponitur. Altera invincibilis, & inculpabilis, quæ provenit ex ignorantia, quæ humana industria depelli non potest, nec debet deponi. 422

423 Inter illas est magna a differentia. Nam invincibilis, & inculpabilis si proponat voluntati ut honestum, quod non est turpe, aut indifferens, regulabit actionem voluntatis honestam, non minus, quàm si objectum verè esset honestum. Quia objectum tribuit honestatem actionibus voluntatis,

a Vasq. 1. 2. d. 58. c. 1. Sanc. 1. Decal. c. 11. n. 17.

Digitized by Google

tis, prout proponitur ab intellectu: sed eodem modo proponitur objectum honestum per notitiam falsam, ac per veram, eodemque modo movet sub ratione boni honesti: ergo voluntas non erit minus bona, imò habebit eamdem speciem honestatis, & virtutis, ac si conscientia fuisset recta, & objectum re ipsa honestum.

b Vasq. d. 59. c. 2. Sanc. c. 11. n. 2.

424 Deinde si proponat[b] objectum tamquam bonum præceptum, vel tamquam malum prohibitum, licèt id, quod proponit ut præceptum, revera sit prohibitum; & quod proponit ut prohibitum, re ipsa sit præceptum; ita obligat, ut peccatum sit ab illa discordare, vel amplectendo, quod proponit ut prohibitum, vel fugiendo, quod proponit ut præceptum. Nam talis homo, quantùm est ex se, ita agit, ut præcepta sibi proposita contemnat, illaque in affectu violet: ergo in affectu suo violat, quod apud Deum perinde est, ac si re ipsa violaret: unde conscientia invincibiliter erronea obligat ad id, quod proponit tamquam præceptum, aut prohibitum, non ratione sui, sed ratione præceptorum, quæ proponit, quæ respectu hominis perinde se habent, ac si verè essent, & ideo obligant sub mortali, vel veniali, prout gravitas præcepti proponitur. Et consequenter peccata contra conscientiam erroneam speciæ variantur pro ratione præceptorum, ac virtutum, quæ existimantur offendi, verbi causa, existimabas esse hodie diem festum, aut diem jejunii; si Missam non audisti, nec jejunasti, perinde peccasti, ac si præcepta Missæ, aut jejunii existerent. Si rem tuam accepisti, quam alienam putabas, furtum commisisti, ac si res esset aliena, & sic de aliis. Si putabas aliquid esse malum, & illicitum, non attingendo, an esset tale mortaliter, aut venialiter, non concipiendo exponi te dubio peccandi mortaliter; æquè ferè probabile est peccasse te mortaliter, & peccasse solùm venialiter, quia pro utraque parte sunt plures, & graves DD. magni nominis.

c D. Tho. 1. 2. q. 19. art. ult. Vasq. d. 60. c. 3.

425 At conscientia[c] vincibiliter erronea, si proponat ut honestum id, quod in se est turpe, non regulabit actionem voluntatis honestam, sed turpem. Nam voluntas tendit in objectum re ipsa turpe, à cujus turpitudine non excusat ignorantia vincibilis, quæ involuntarium simpliciter non causat. Aliter verò erit, si proponat ut honestum, quod secundùm se est indifferens. Quia tunc voluntas non habet, unde malitiam accipiat; habet autem unde bonitatem hauriat, quia tendit sub ratione boni in id, quod malum non est.

426 Si verò proponat ut præceptum, quod in re est turpe, & prohibitum; aut ut turpe, & prohibitum quod in re est bonum, & præceptum; nullo modo excusat à peccato, sed semper peccatum committes, sive facias, quod conscientia dictat, sive contra opereris. Quia si facis contra conscientiam, violas præceptum, quod tibi proponit, & in tuo affectu illud vis violare, quia putas extare. Quòd verò etiam pecces operando secundùm conscientiam, patet; quia ignorantia illa est à culpabilis: ergo non omninò excusat à culpa contra præceptum, quod in re datur, & in re violatur, licèt illam aliquantulum minuat.

427 Unde dicunt DD. licèt nemo teneatur deponere conscientiam invincibiliter erroneam, teneri tamen ad deponendam illam, quæ vincibiliter erronea est, ut utriusque partis periculum declinetur. Prob. quia ignorantia vincibilis est culpabilis; ergo tenetur quis veritatem inquirere, & conscientiam deponere. Patet consequentia, quia constitutus in tali statu peccat, quamcumque partem eligendo: sed tenetur peccatum vitare, illudque vitare potest, aliter non peccaret: non potest autem alia via utrumque peccatum vitare, nisi deponendo talem conscientiam: ergo illam deponere tenetur, faciendo diligentiam debitam, ut veritatem sciat.

428 Si tamen facta diligentia, quam quis potest, & tenetur facere, veritatem non assequatur; potest enim contingere, quòd culpabiliter ignores, quia culpabiliter noluisti veritatem scire; postea verò facias omnem moralem diligentiam, ut veritatem compares, quam tamen comparare non potuisti, jam non peccabis, operando juxta conscientiam, quia reddita est invincibilis, quæ à peccato excusat. Quare licèt homo teneatur conscientiam vincibiliter erroneam deponere, faciendo prædictam diligentiam; quandiu illam non facit, & conscientiam non deponit, tenetur se illi non difformare; quia teno-

Digitized by Google

tenetur regi per rationem: ergo si hic & nunc judicat se teneri ad aliquid faciendum, vel omittendum, quandiu judicium non mutat, tenetur sequi tale dictamen; quia aliàs temerè, & sine ratione ab illo recederet: quamvis simul peccet illud sequens, quoniam culpabiliter veritatem ignorat. Neque ista perplexitas simpliciter talis est, quia ab illa potest homo exire faciendo debitam diligentiam, ut dictum est.

429 Utrùm verò sit majus peccatum, durante tali conscientia, agere contra illam, an secundùm illam? [d] certa regula dari non potest; quia aliquando gravius erit agere contra, ut videre est in illo, qui culpabiliter putaret se teneri ad mentiendum, ut liberaret innocentem, cujus vita est in discrimine; qui si non mentiatur, eatque contra conscientiam, peccabit peccato homicidii; si verò mentiatur, & operetur conformiter ad conscientiam, peccabit solùm peccato mendacii venialis: patet autem gravius esse peccatum homicidii, quàm venialis mendacii. Aliquando gravius erit facere secundùm conscientiam illam; ut cernitur in eo, qui culpabiliter crederet teneri se sub veniali ad furandum quantitatem notabilem, ad subveniendum pauperi, qui si furetur, opereturque secundùm conscientiam illam, peccabit mortaliter, si verò non furetur, solùm peccabit venialiter: constat autem longè gravius esse peccatum mortale, quàm veniale: ergo aliquando gravius erit operari secundùm conscientiam istam, quàm contra illam, & vice versa. Unde major gravitas in materia præsenti non est sumenda ex eo, quòd quis operetur secundùm, aut contra conscientiam vincibiliter errantem, sed ex qualitate præcepti, quod violari creditur.

d Sanc. c. 11.n.15. Vasq. d 60 c.2.n.10.

SECTIO III.

De Conscientia probabili.

430 PRobabilis conscientia fundatur in opinione probabili, qua quis ex rationibus non levibus, aut ex gravi DD. authoritate uni parti contradictionis assentitur non sine formidine oppositæ. Unde conscientia probabilis fundari potest vel in opinione probabili ab intrinseco, seu ex rationibus; & ab extrinseco, seu ab authoritate, & potest esse una probabilior, quàm altera, vel æquè probabilis cum opposita. Potest una esse magis tuta, quàm alia, quando nempe in una parte periculum esse non potest, quod in altera reperitur.

431 Igitur conscientia probabilis satis [a] est ad honestè operandum. Prob. quia in hac vita, ut plurimum, habere non possumus judicium certum de honestate objecti, & operationis, sed plerumque solùm probabile: sed nemo tenetur ad impossibile: ergo satis est ad honestè operandum judicium probabile, quod sanè prudens est, & cordatum.

a Sanch. c. 9.n.18. Vasq. d. 62.c.5.

432 Hinc sequitur [b] primò semper licitum esse sequi opinionem probabiliorem etiam minus tutam, relicta tutiori minus probabili. Prob. quia qui sequitur probabiliorem minus tutam, non operatur leviter, & temerè, sed prudenter, & rationabiliter: ergo licitè operatur, & sine ullo periculo errandi in praxi, vel peccatum committendi. Sequitur [c] secundò, licitè posse nos sequi opinionem æquè probabilem minus tutam, relicta æquè probabili tutiori. Prob. quia opiniones æquè probabiles sunt æquè consentaneæ rationi: ergo non est cur unam potius, quàm alteram eligere debeamus, neque cur in praxi una sit altera tutior, quidquid sit, speculativè loquendo; qua ratione potest una esse alià tutior. Sequitur [d] tertiò licitum esse sequi opinionem minus probabilem, dummodo sit verè probabilis, relicta probabiliori, & tutiori. Hæc est communis sententia inter graviores DD. recentiores, licèt habeat contra se non paucos maximè ex antiquioribus. Prob. quia qui operatur secundùm opinionem probabilem, operatur prudenter, & rationabiliter: ergo operatur honestè, & sine ullo periculo peccandi. Sequitur [e] quartò, licitum esse operari contra propriam opinionem, quam quis probabiliorem judicat. Prob. quia licèt aliquis judicet unam partem ut probabiliorem, adhuc potest judicare oppositam ut probabilem, non solùm ex authoritate DD. sed etiam ex rationibus, & consequenter formare judicium practicum conscientiæ, quòd licitè, & honestè operetur, non obstante quod opposita sibi probabilior appareat, illamque tamquam propriam præferendam existimet. Sequitur [f] quintò, licitum esse operari juxta opi-

b Vasq. c. 4. Sanc. 2. de mat. d. 41.n.9.

c Vasq. proximè. Azor. 1. p. l.2.c.16.

d Vasq n. 14. Sanch. 14. & 1. Decal. c. 9. n.14.

e Vasq. & Sanc. sup. & n.19.

f Vasq. n. 18. & 19. Sanc.n.16.

opinionem probabilem aliorum, quando quis ex principiis intrinsecis nulli parti adhæret, sed dubius est, formando judicium, quòd sibi liceat sequi opinionem probabilem, DD. Quod maximè verò habet in hominibus indoctis, qui non possunt per se judicare de certitudine, & probabilitate rerum moralium. Imò etiam in doctis, nisi certi sint de veritate oppositæ partis. Quia tunc habent conscientiam rectam, & certam, contra quam non licet operari; neque possunt oppositam, quamvis gravissimorum Doctorum, probabilem judicare, sed falsam. Si tamen hanc certitudinem non habeant, sed vel dubium, vel solam probabilitatem, possunt aliorum opinionem sequi, quam probabilem judicare debent ex DD. authoritate.

433 Sunt tamen aliqui, in quibus doctrina tradita aliquale dubium habere potest. Primus est vir doctus, qui ab aliis consulitur, qui potest [g] consulere juxta opinionem, quam ipse probabiliorem existimat, & regulariter meliùs faciet, si ita consulat, quia ita melius fungitur munere suo, consulendo id, quod probabilius credit. Potest etiam consulere contra propriam opinionem, quam credit probabiliorem, secundùm opinionem aliorum, quam probabilem judicat. Imò addit Sanch. melius facturum, si aliquando ita consulat, quando nimirum judicat opinionem sibi probabiliorem fore difficilem petenti consilium; quia sic consulendo infirmitati petentis consulit, & ab illo peccandi periculum avertit.

g Vasq. d. 62. c. 9 Sanc. c. 9. n. 19.

434 Secundus est confessarius [h] sive proprius, hoc est, Parochus, sive voluntarius, qui Parochus non est. Uterque enim potest absolvere pœnitentem juxta opinionem ipsius pœnitentis, relicta propria, qua, v. c. putat ipsum teneri ad restituendum, vel ad aliquod aliud onus, pœnitens verò oppositum probabiliter putat, vel ex se, si doctus sit, vel ex opinione aliorum, à quibus est instructus. Prob. quia pœnitens, sequendo opinionem probabilem, prudenter, & licitè procedit: ergo est dispositus, ac proinde absolvendus. Imò uterque tenetur absolvere; quia audita confessione etiam voluntarius est minister necessarius, & tenetur ex ipsa Sacramenti institutione, & confessoris officio pœnitentem dispositum absolvere. Quod etiam est verum, estò confessarius falsam reputet opinionem pœnitentis, si illa probabilis reputatur à Doctoribus, quia tunc non sequitur, sed permittit talem opinionem.

h Vasq. c. 7 n. 19. Sanc. n. 28. & 29.

435 Tertius [i] est judex, qui, quando fuerint duæ opiniones æquè probabiles circa jus, licèt melius faceret partes componendo, potest sententiam ferre, pro qua maluerit. Quia in jure æquali non magis debet uni parti, quàm alteri: ergo poterit pro qua maluerit judicare, quia etiam habet arbitraria, quæ solùm in hoc casu locum habere possunt. Quod est intelligendum, nisi altera pars possideat: quia tunc non licebit contra possessorem judicari in pari causa, in qua melior est conditio possidentis, & reo favendum est potius, quàm actori. Si tamen unam partem probabiliorem existimet, tenetur secundùm eam judicare, quia constitutus est judex, ut sententiam ferat secundùm id, quod est magis consonum equitati, & juri. Limitant aliqui hoc in judice inferiori, quando opinio, quam ipse probabiliorem existimat, est minus communis, & minus recepta in praxi, & ipse meritò timet, quod ejus sententia à superiori revocabitur, indeque minus prudens, & doctus reputetur. Si major probabilitas sit ex parte facti, tenetur sententiam ferre pro meliori probatione. Si probatio sit æqualis, debent litigantes se componere, vel rem dividere. Quia non est ratio, cur potius pro una, quàm pro altera sententiam ferat, nisi aliqua pars possideat; tunc enim pro possessore judicandum est.

i Sanc. n. 45. & 47. Say. l. 1. c. 11. n. 4.

436 Quartus est advocatus. [l] De quo certum est non posse consulere, vel patrocinari, & tueri causam manifestè injustam, quia esset operari contra propriam conscientiam. Potest tamen suscipere causam clientis, licèt existimet causam adversarii esse æquè, vel magis probabilem, dummodo admoneat clientem de æqualitate, vel minori probabilitate, idque sive cliens sit reus, sive actor; sive causa sit civilis, sive criminalis etiam sanguinis, quidquid aliqui contradicant. Non potest verò patrocinari causæ, quæ adeo parum habet probabilitatis, ut in eam raro, vel nunquam judices inclinent, nisi admonito seriò cliente, qui si, veritate cognita, velit litigare, sibi debet imputare damna,

l Sanc. n. 53. & 52. Vasq. d. 64. c. 1.

Digitized by Google

na, ad quæ tenebitur advocatus, si tam in isto casu, quàm in superioribus, in quibus causa est dubia, propter probabilitatem utriusque partis, causam clientis dicat esse certam, aut veritatem dubii non aperiat; ut cliens possit, ea cognita, desistere.

m Sanc 6. decal. c. 5. Vasq. d. 62. c. 6.

437 Quintus m est subditus, de quo certum est posse obedire Prælato contra propriam opinionem, qua non solùm probabiliter, sed etiam probabiliùs credit illicitum esse, quod ei præcipitur, si simul probabiliter judicet licitum esse. Quia licitum est, relicta propria opinione, alienam sequi, si probabilis judicatur. Non licebit tamen obedire, si per errorem, vel evidentiam judicet illicitum, quod ei præcipitur. Quia esset operari contra conscientiam rectam, aut erroneam, quod non licet. Addo: Quando licitè obedire potest, ad id teneri; quia obedire tenetur, quoties licitè potest. Potest verò non obedire, quando habet opinionem probabilem, quod in tali casu non teneatur obedire, quia potest opinionem probabilem sequi, quando non præponderat possessio Prælati: sed eo ipso, quod habet opinionem probabilem, quòd non teneatur obedire, vocatur in dubium possessio, & potestas Prælati in subditum, quoad illum casum: ergo. Potest item non obedire quando opinio probabilis versatur circa jurisdictionem Prælati, quia probabile est non fuisse legitimè electum. Quod debet intelligi ante possessionem, quia si jam sit in pacifica possessione, tenetur subditus obedire, quandiu ab ea non dejicitur.

n Sanc. n. 38. & seq.

438 Sextus est medicus, n de quo certum est non ei licere applicare medicamentum probabile, aut dubium, relicto certo; quia esset exponere infirmum vitæ periculo, & operari imprudenter. Potest verò applicare medicamentum probabile, vel dubium, quando mors ægroti judicatur certa, & nullum est medicamentum certius, quod pro tunc applicari possit, estò probabilius sit, quòd possit nocere. Quia tunc conformius est prudentiæ, & voluntati infirmi tale medicamentum applicare. Aliter o dicendum si judicet infirmum non moriturum ex defectu curationis, aut non majori periculo exponi, quàm exponatur per tale remedium. Quia tunc prudentia dictat tutiorem partem esse eligendam. Licebit tamen, si probabilius sit, adhibito tali remedio, infirmum evasurum, quàm non adhibito moriturum. Quando nullum est medicamentum certum, non licet applicare probabile, relicto probabiliori. Quia charitas postulat, ut infirmo occurratur per remedium certius, ad idque tenetur medicus ex justitia, ratione officii. Si opinio, quam medicus probabiliorem judicat, sit minus recepta inter medicos, non potest illa magis recepta uti. Quia ageret contra propriam conscientiam, si sit medicus, apprimè doctus, qui non levibus fundamentis illam probabiliorem judicat, nisi aliud formet judicium.

o Sanch. à n. 39. Vasq. c. 4.

439 Septimus p est minister Sacramentorum, de quo certum est primò, posse in gravi necessitate uti materia, & forma probabili, relicta probabiliori, aut certa, qua uti sibi pro tunc est impossibile. Quia opinio probabilis satis est ad formandum dictamen conscientiæ ad benè operandum. Nec fit injuria Sacramento, quia administratur meliori modo, quo tunc potest in proximi utilitatem. Certum est secundò, extra casum necessitatis illicitum esse uti opinione minus probabili, vel etiam probabiliori contra communem Ecclesiæ usum præscribentem, ut tali modo, cum tali materia, & forma administretur. Quia operari contra Ecclesiæ præceptum, vel usum habentem vim præcepti illicitum est. Certum est tertiò, secluso etiam præcepto, & usu Ecclesiæ, posse esse illicitum contra charitatem debitam proximo, uti opinione minus tuta non solùm probabili, sed etiam probabiliori, relicta tuta, aut tutiori. Quia charitas obligat, ut si proximo applicari potest remedium certum, non eligatur dubium. Quartò, licèt multi, & graves DD. existiment, per se loquendo, seclusa charitate proximi, & præcepto, ac usu Ecclesiæ, licitum esse sequi opinionem probabilem, relicta certa, vel minus probabilem, relicta probabiliori circa materias, & formas Sacramentorum; oppositum q est longè probabilius. Quia esset exponere Sacramentum periculo, ut invalidè ministraretur sine ulla necessitate, quod esset contra reverentiam Sacramentum debitam, ac adeò contra virtutem religionis.

p Soa. t. 3. d. 12. s. 6. Sanc. n. 33.

q Soa. to. 3. in 3. p. d. 16. s. 2. Bellan. de Sacram. q. 60. a. 8.

SE-

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Conscientia dubia.

440 Conscientia dubia tunc datur, cùm quis determinatè nescit, an aliquid sit bonum, vel malum; licitum, vel illicitum, sive suspendendo judicium, ad utrumque, sive positivè dubitando. Hoc autem dubium vel est speculativum, quando quis extra operis exercitium quasi in communi dubitat, an aliquid liceat. Vel practicum, cùm in ipso operis exercitio dubitat, an liceat id, quod facit.

441 Conveniunt [a] igitur DD. primò, cum conscientia speculativè dubia licitum esse operari. Quia cum dubio de objecto in communi potest quis in particulari, & practicè non dubitare propter aliquas rationes, quas habere potest ad deponendum dubium. Cum conscientia verò practicè dubia nemini licitum esse operari, nisi partem tutam, in qua non sit periculum peccati. Quia qui operatur dubitando, an sibi liceat hoc, vel illud facere, aut omittere, vult malitiam, quam in objecto timet, exponiturque periculo faciendi malum, de quo dubitat, ac proinde committit peccatum, quod dubitat se committere: [b] *Qui enim amat periculum, peribit in illo:* ut docet Scriptura.

a Vasq. 1. 2. d. 65. c. 1. Sanch. 1. de mat. d. 47. n. 6.

b Eccl. 3. 27

442 Conveniunt [c] secundò: Ut dubium in praxi deponatur, liceatque operatio, de qua dubitatur, adhibendam esse sufficientem diligentiam, ut veritas compareat. Quia, ista non præmissa, vel homo operatur cum dubio practico, quod non licet, vel temerè, & imprudenter, ac sine causa rationabili dubium deponit; unde peccatum non evadet. Si verò præmissa debita diligentia, veritas non compareat, & dubium adhuc perseveret, requirunt causam aliquam rationabilem, ut dubium in praxi deponatur, & formetur judicium practicum, quod hic, & nunc liceat operatio.

c Sanc. 1. Decal. c. 10. n. 7.

443 Conveniunt [d] tertiò: Si post debitam diligentiam veritas non compareat, neque ulla ratio probabilis, quæ illam ostendat, possessionem esse causam sufficientem ad dubium deponendum, & licitè operandum, non solùm in materia justitiæ, de quo nemo dubitat, sed etiam in quacumque alia, juxta communiorem sententiam DD. fundatam in regula utriusque juris: *In pari causa melior est conditio possidentis.* Ille verò dicitur possidere, pro quo stat præsumptio in foro externo, dum de veritate non constat, ut latè probat Sanch.

d Sanch. à n. 11. Soa. d. 40. de cens. s. 5. à n. 14.

444 Unde sequitur primò: [e] Si aliquis bona fide rem possidere cœpit, & postea dubitet, an sit aliena, factaque sufficienti diligentia, adhuc dubius hæreat, posse illam licitè retinere, & alienare. Quia in dubio melior est conditio possidentis. In dubio verò restituendi, vel aliquid solvendi, si obligatio est certa, quòd debeas, dubium verò, an satisfeceris; teneris satisfacere, quia possessio stat pro obligatione, cui, cùm sit certa, non satisfit per solutionem dubiam. Et idem est de aliis obligationibus certis, v. c. dubitas, an recitaveris officium, ad quod obligaris ratione ordinis, vel beneficii; aut coronam, ad quam obligaris ex voto, teneris recitare; quia possessio, & præsumptio stat pro obligatione; quæ cùm sit certa, nihil contra ipsam probatur, dum dubitatur de impletione.

e Sanc. n. 9.

445 Sequitur [f] secundò: Si dubites, an sit lex aliqua, & facta diligentia adhuc manes dubius; non teneris legem observare. Quia possessio est pro libertate voluntatis. Et idem est, si constat de lege, dubium verò, an hæc, vel illa materia sub ea comprehendatur. Quia perinde est, ac dubitare, an lex sit de re illa. Aliter dicendum, si dubium sit, an lex fuerit recepta, vel usu abrogata. Quia tunc possessio est pro lege, dum nihil contra illam probatur de eo, quod dubitas.

f Sanc. n. 32 Soar. n. 15.

446 Sequitur [g] tertiò: Non obligare votum, nec juramentum promissorium, de quibus dubitas, an emissa fuerint. Quia non est possessio pro illis, sed pro tua libertate. Aliter erit, si certus sis de voto, aut juramento emisso; dubites verò, an habueris deliberationem, aut animum, & intentionem te obligandi. Quia possessio, & præsumptio est pro voto, & juramento, dum non constat de defectu deliberationis, aut intentionis; quia præsumuntur facta, ut communiter fieri solent cum debita deliberatione, & intentione.

g Sanc. n. 36. Soa. 4. de voto c. 5. n. 7.

447 Sequitur [h] quartò: In dubio an peccato mortali consenseris, aut commiseris, teneri te illud sub eo dubio confiteri. Quia possidet præceptum confessionis ex universali usu Ecclesiæ omnium DD. calculo confirmato, qui omnes intelligunt obligare præceptum ad

h Sanch n. 6. & 68. Soa. de pœn. d. 22. f. 1. 3.

ad confitenda peccata illa dubia; quod non leviter sumitur ex Trident. excipiente ab hac obligatione sola venialia; & ex ratione, quia in dubiis, ubi possessio non favet, dubitanti, pars tutior est eligenda: tutius autem est confiteri illa peccata: ergo. Et idem à fortiori est de peccato, quod constat fuisse commissum, dubitatur verò an sit mortale, aut veniale, si tamen postea constet peccatum sub dubio confessum, verè fuisse commissum, debes illud iterum confiteri ut certum. Quia non plenè fuit subjectum clavibus. Aliter dicendum de peccato, de quo dubitabatur, esset ne mortale, an veniale, estò postea constet fuisse mortale. Quia hoc integrè confessum fuit: neque enim opus est, ut scias fuisse mortale, sed sufficit, quod illud declares, ut commissum fuit. Teneris etiam confiteri peccatum, quod scis fuisse commissum, dubitas verò, an fuerit in confessione expressum. Quia certus es de præcepto obligante, dubitas verò an ei satisfeceris; unde possidet præceptum, quia obligationi certæ non satisfit per dubiam satisfactionem, ut suprà dictum est.

448 Sequitur quintò [i]. In dubio de valore matrimonii posse conjugem dubium reddere debitum petenti, qui dubius non est, deponendo dubium in praxi, quia cùm sit in possessione, illa defraudari non debet ob dubium alterius. An verò possit etiam petere? Negant multi, quod verum est, ante diligentiam adhibitam, non verò postea. Quia cùm contraxerit bona fide, ut supponitur, potest uti re, de qua dubitat, an sit sua, deponendo dubium in praxi ratione possessionis, in qua est. Si uterque bona fide contraxit, & postea uterque dubitet; neuter potest petere, ante diligentiam adhibitam; postea verò maximè ratione possessionis. Si ante diligentiam alter petat; alter nec tenetur, nec potest reddere. Quia possessio, ante diligentiam, non confert jus utendi re, de qua dubitas, an sit tua. Si alter dubius tantùm sit, petatque à non dubitante, ante diligentiam, hic conscius dubii alterius negare potest. Quia petens non habet jus petendi. Potest etiam reddere. Quia cùm sit in possessione, nec dubitet de valore matrimonii, non est cur non possit uti sua possessione, tam petendo, quàm reddendo. Si matrimonium mala fide contractum est, ille, qui dubius contraxit, non potest petere, quia est possessor malæ fidei; tenetur tamen reddere alteri bona fide possidenti, ne illum privet sua possessione. Si verò uterque mala fide contraxit neuter non potest petere, nec reddere; quia non est fundamentum ad dubium in praxi deponendum, quia uterque est possessor malæ fidei, cui possessio suffragari nullo modo unquam potest. Si tamen arbitrio prudentis rationes ita probabiles sint ad persuadendum matrimonium valere, ut efficiant probabilem opinionem de ejus valore, quamvis probabiliùs sit matrimonium non tenere, possunt & reddere, & petere, quia in moralibus satis est sententiam probabilem amplecti, quæ est in causa, ut dubium in praxi deponatur, ut benè Pater Sanchez lib. 2. de Matrimonio disput. 42. num. 9. & alii plures DD. qui postea scripserunt.

[i] Sanch. 2. mat. d. 41. Bell an. de Sacram. d. 34. dub. 10.

449 Sequitur sextò. [l] In dubio alicujus censuræ, si sit dubium juris, quia dubitatur, an lata sit censura pro tali delicto, si dubium perseveret, post factam diligentiam, nemo tenetur gerere se tamquam censuratum. Quia melior est conditio possidentis, & quia hoc dubium est, an detur lex imponens censuram, in quo, post factam diligentiam, lex non obligat, ut suprà diximus. Et idem est, si dubitetur, an judex sententiam excommunicationis protulerit, vel verba, quibus judex, vel jus eam protulit, sint dubia, an latam, aut ferendam sententiam contineant. Aliter dicendum, si constet de lege, aut de sententia, & dubitetur an fuerit recepta, vel abrogata, aut an fuerit sufficiens causa ad sententiam ferendam, vel an appellatio præcesserit, aut secuta fuerit. Quia in his dubiis possidet censura, dum contra illam nihil constat. In dubio etiam facti, quando constat latam esse censuram ob tale delictum, dubitas verò an illud commiseris, non teneris te gerere ut censura affectum, post factam diligentiam, quia cùm nullus sit textus decernens in dubio facti censendum aliquem censuratum, valet regula, quod in dubio melior est conditio possidentis. Unde etiam in dubio de censura alterius, non debes

[l] Sanch. 1. Dec. c. 10. à n 56. Soar. c. 40. de censur. s. 5.

Digitized by Google

illum vitare, quia faceres ei injuriam, privando illum possessione sua, qua in dubio nemo privari debet.

450 Sequitur septimò, in dubio irregularitatis, [m] sive dubium sit juris, sive facti, illicitum esse operari contra irregularitatem, ante sufficientem diligentiam. Post eam verò, si dubium sit juris, nemo censendus est irregularis. Quia in dubio melior est conditio possidentis in omni materia, maximè verò in ista, quia irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in jure; talis verò non est, si de ea dubitatur. Unde si ante diligentiam, ordines recepisti, peccasti quidem; sed postea facta, & dubio perseverante, potes in ordine ministrare. Quia in dubio juris non es irregularis. In dubio verò facti quando certò constat in jure statutam esse irregularitatem alicui delicto, dubitas verò an tale delictum commiseris; non es irregularis. Quia omnia jura clamant in dubiis reum esse absolvendum, quasi sola negatio probationis ad id sufficiat, sed quoties factum est dubium, manet delictum non probatum: ergo irregularis reputandus non eris.

m Sanch. à n. 2. Soar. s. 9. n. 6.

451 Excipe dubium [n] homicidii, in quo jura specialiter irregularitatem imponunt, quando in re secutum est, dubitatur verò, an ex tua actione, quia est fundamentum dubitandi, an aliunde venerit, in dubio eris irregularis quoad ordines capiendos, & eorum exercitium. Unde DD. inferunt communiter, si dedisti causam abortui, qui revera secutus fuit, dubitas verò, an fuerit fœtus animatus, debere te haberi pro irregulari. Oppositum tamen est valde probabile, quia non constat de homicidio, sed de eo dubitatur. Non eris autem irregularis ob abortum contingentem ante 40. diem à conceptione. Quia dubium de homicidio non est rationabile, sed leve; cùm fœtus rarissimè animetur ante 40. diem. Nec si dubites, an mutilaveris; quia mutilatio non est propriè homicidium. Neque laicus, qui dubitat, an in bello justo aliquem occiderit; quia occisio in bello justo non venit nomine homicidii. Consulens homicidium, qui dubitat, an illud ex suo consilio secutum fuerit, est irregularis, quia cùm irregularitas imponatur consulenti; quandiu est dubium, an consilium cooperatum fuerit; possessio est pro consilio, quia præsumitur fore, ut sine illo alter non occiderit.

n Sanch. proximè. Soar. s. 6.

SECTIO V.

De Conscientia scrupulosa.

ILle dicitur habere conscientiam [a] scrupulosam, qui ex insufficientibus, & levibus indiciis rem bonam, & licitam credit esse malam, & illicitam; diciturque scrupulosus, qui frequenter patitur hujusmodi molestias. Est enim scrupulus, propriè loquendo, vehemens apprehensio ex levibus fundamentis, quæ assensum alterius partis non excludit, sed titubare aliquantulum cogit, propter dubium de opposita. Unde scrupulus non dicit formaliter assensum, quem scrupulosus habet de una parte; sed dubium leviter fundatum, quod habet de opposita, licèt minus propriè appellari etiam possit scrupulus assensus ex levibus conjecturis ortus, aut suspicio, quæ aliquando habetur, quòd res sit mala, & illicita. 452

a Sanch. c. 9. n. 2. Vasq. d. 66. c. 1. n. 8.

453 Scrupuli varias [b] causas habere solent. Nam aliquando oriuntur ex melancholia, & debilitate imaginationis; aliquando ex ignorantia, quæ est in causa, ut homo non discernat inter licitum, & illicitum; sæpè ex suggestione dæmonis, cujus est laqueos inducere, sæpè ex nimio timore servili, quem generat nimius amor proprius; sæpè ex superbia, & aliquando ex divina permissione ad hominem humiliandum, & exercendum, ad ejus meritum, & coronam.

b Regin. l. 13. num. 118.

454 Potest autem scrupulosus [c] licitè operari cum conscientia scrupulosa, quamvis scrupulus non deponatur. Nam, ut quis licitè operetur, sufficit judicium probabile de honestate operationis, quod scrupulosus non amittit per scrupulum, sive sit dubium, & timor leviter fundatus; sive judicium, aut levis suspicio de parte opposita, ut dictum est: ergo potest, imò debet operari contra scrupulos.

c Sanch. c. 10. n. 50. Pal. c. 1. d. 4. p. 1.

455 Remedia [d] contra scrupulos sunt. Primum, ut scrupulosus suam agnoscat infirmitatem, quam facilè deprehendere potest ex facilitate timoris,

d Sanch. à n. 81. Soar. t. 2. t. 3. d. 12. sect. ult.

itized by Google

ris, & inquietudinis in dubitando, aut judicando de rebus agendis. Secundum, ut omninò stet dictis confessarii, aut viri docti, illis perfectè obediendo, quia utriusque dictum satis est, ad deponendum scrupulum. Tertium, ut frequenter operetur contra scrupulos, illos contemnendo, nec rationibus, quæ repræsentantur, satisfacere conetur. Quartum, ut habeat aliqua principia, quibus utatur. Primum sit, advertat, si bona fide procedat, animo placendi Deo, & mediocrem diligentiam adhibeat ad non peccandum, practicè non errare, quamvis aliquando contingat, quòd scrupulativè erret. Secundum, sciat quòd in rebus moralibus non est necessaria, neque possibilis omnimoda certitudo ad benè operandum. Tertium, si semel habeat circa aliquod factum consilium viri docti, aut confessarii, in alio simili eodem utatur, absque nova interrogatione. Quartum, sciat dubium, quod in non scrupulosis esset fortè rationabile, in scrupuloso pro nihilo esse habendum. Et hæc circa scrupulosos de futuro, seu circa agendum.

e Sanch. n.82. Soar. n.6.

456 Circa [e] scrupulosos de præterito, si scrupulus est, utrùm consenserit peccato, si bona fide procedit, & habet firmum propositum non peccandi mortaliter, si ei non constet de consensu, credat esse scrupulum sine fundamento. Si est, an peccatum, ejusque circumstantias confessus fuerit. Si mediocrem adhibuit diligentiam, & bona fide confessus fuit ea, quæ pro tunc occurrerunt, sit securus, & non curet de repetendis, nisi ei evidenter constet, quod per oblivionem aliquod peccatum emissum fuerit. Unde dicunt DD. hominem in hac re valde scrupulosum non debere fateri, nisi quæ potest jurare esse mortalia, & nunquam confessa.

f Sanch. n 6. Vasq. d. 67. c. 2. ad fin.

457 Porrò [f] Parochus, & quilibet confessarius, qui similes habet pœnitentes, curet de eorum remedio, illis persuadendo, quòd hac maxima via impediunt profectum spiritualem, quem intendunt. Unde doceat eos, ut nihil mortale esse credant, nisi tale certò, & sine ulla formidine agnoscant. Deinde frequenter, & ut plurimùm, non admittat eorum dubia, nec excipiat ad se venientes, gratia interrogandi de dubiis, sed cum bono modo, & charitate abjiciat, ac exterreat. Quos denique verè novit hac infirmitate laborare, non sinat scrupulos confiteri, sed ea solùm, quæ apertè novit esse peccata, eorumque dubia in meliorem partem interpretetur.

CAPUT VII.

De Censuris.

NOtitia censurarum Parocho, & cuilibet Confessori maximè necessaria est, ut constabit ex dicendis. 458
Est igitur censura pœna Ecclesiastica spiritualis privans hominem Christianum his, vel illis bonis spiritualibus Ecclesiæ, estque triplex, nempe excommunicatio, suspensio, & interdictum, quibus non parum accedit irregularitas, licèt censura non sit, de qua proinde etiam dicendum erit.

SECTIO I.

De Excommunicatione.

EXcommunicatio duplex est, major, & minor. [a] Major definitur: *Censura Ecclesiastica privans hominem Christianum omnibus bonis communibus Ecclesiæ*. Primò, suffragiis; unde non licet pro tali excommunicato Missæ Sacrificium offerre, nec publicas Ecclesiæ orationes fundere, licet tamen personæ particulari pro eo orare, & facere quascumque orationes, imò in memento Missæ licet Sacerdoti, ut personæ particulari pro eo orare. Secundò, privat participatione Sacramentorum tam activa, quàm passiva, ita ut nec Sacramenta ministrare, nec ea recipere possit, absque peccato mortali. Tertiò, privat externis bonis communibus, quæ in hoc versu continentur: 459

a Tol. l. 1. c. 4. & 11. Soar. de cens. d. 8. s. 10. & 11.

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

460 *Os* [b] significat osculum pacis, de quo specialiter jura loquuntur, & comprehendit quodcumque signum amicitiæ, & benevolentiæ excommunicato exhibitum, & omnem confabulationem, & sermonem, sive secretò, sive palàm, sive mutuò, sive loquendo tantùm, aut aures præbendo: locutionem

b Tol. c. 11. Soar. d. 15. s. 1.

Digitized by Google

item per literas, nuntium, vel nutus; missionem denique, & acceptionem munerum, & similia.

c Soar. d.12.

461 *Orare*. [c] Significat interesse cum excommunicato Sacrificio Missæ, & quibuscumque Divinis Officiis, v. c. Horis Canonicis, Processionibus, Orationibus publicis, Benedictionibus, & similibus cæremoniis Ecclesiasticis, quæ solemniter fiunt ab aliquo ordine clericali. Non solùm enim prohibentur excommunicati his Divinis Officiis interesse, sed ministri ea coram ipsis ministrare, & fideles illis coassistere.

d Soar. d.15.f.1.

462 *Vale*. [d] Significat omnem salutationem honorificam, quæ excommunicatis neganda est. Et licèt aliqui dicant illum, qui reverentiam exhibet, vel resalutat excommunicatum, ei assurgendo, caput detegendo, aut simile signum usitatum exhibendo, si non loquatur; non peccare, nec incurrere excommunicationem minorem, maximè si non intendat resalutare, sed se non ostendere inurbanum. Hoc tamen in rigore juris verum non est; quia in illo simpliciter prohibetur omnis communicatio; hæc autem reverentiæ significatio, estò nutibus fiat, communicatio est non minor, quàm alia locutio facta nutibus, quæ, ut constat ex dictis, ita prohibetur, ut excommunicatis exhibenda non sit.

e Soar.f.1.

463 *Communio*. [e] Hìc significat externas aliquas communicationes, sub aliis vocibus non comprehensas. Qualis est cohabitatio, cooperatio, seu societas in aliquo negotio, vel exercitio. Unde non licet habitare in eadem domo per modum societatis cum excommunicato, aut dormire in eodem lecto; quamvis dormire in diversis lectis positis in eodem cubiculo non videatur prohibitum, si ibi non dormiant per modum societatis, vel ad idem negotium. Et idem est de manentibus in eadem domo, ita ut quisque suis attendat negotiis; vel de dormientibus in eodem lecto non per modum societatis, sed ut quisque ibi suam capiat quietem, quod potest contingere, quando duo perveniunt ad idem diversorium, & utrique eorum unus tantùm lectus conceditur. Non licet item contractum inire cum excommunicato, quamvis contractus valeat; nec opus gerere, quod mutuam operam postulet, ut mutuò ædificare parietem, & similia, ambulare, iter agere per modum societatis, &c.

464 *Mensa*. [f] Significat communicationem in cibo, & potu. Quæ communicatio formaliter est intelligenda, quando quis alterum invitat, aut invitatur, aut quando communem, & socialem vitam agunt, ut fieri solet in Seminariis, & Monasteriis, in quibus qui in eodem Refectorio comedunt, licèt in diversis mensis, censentur communicare in mensa. Et idem est, quando plures simul invitantur, quos una mensa non capit, sed pluribus accumbunt in eodem cubiculo. Secus erit, si accumbant in mensis dispositis in diversis domibus; tunc enim qui non accumbunt in mensa excommunicati, non censentur moraliter idem simul, nec formaliter communicare in mensa, sicut neque ille, qui divertit ad cauponam, ad quam etiam divertit excommunicatus, qui possunt in eadem mensa edere, dummodo quisque suum habeat catinum, nec comedat per modum societatis.

f Soar.f.1.

465 Privationes [g] istæ, secundùm jus antiquum, procedebant in quolibet excommunicato majori excommunicatione. Hodie verò post Const. Ad evitanda non procedunt, nisi in nominatim excommunicatis, postquam denuntiati, & declarati fuerint, & in notoriis clericis percussoribus, qui nulla tergiversatione celari possint, qui solùm sunt non tolerati, seu vitandi. Cum his enim duobus non licet ulla communicatio ex dictis; licet verò cum aliis, qui denuntiati non sint, estò sint nominatim excommunicati, omnis communicatio tam in humanis, quàm in divinis. Quod privilegium, cùm solùm fuerit concessum in favorem fidelium, non extenditur ad ipsos excommunicatos, qui proinde, estò tolerati sint, non possunt communicare cum fidelibus, & peccant se ingerendo ad eorum communicationem, quamvis fideles non peccent eos admittendo.

g Tol.c.12. Soar.d.9. sect.2.

466 Sunt tamen [h] aliqui casus, in quibus communicatio licet cum excommunicato vitando, seu non tolerato, qui casus continentur in hoc versu:

h Tolet.c. 11. Soar.d.15. à f.3.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile significat verba ad salutem excom-

Digitized by Google

communicati pertinentia; licet enim illum hortari, ut sibi consulat, & resipiscat. *Lex* significat Matrimonium. Quia licet uxori cohabitare, convesci, reddere, & petere debitum, & similia. *Humile* significat officium servorum, familiarium, & filiorum, quod denegandum non est excommunicato. *Res ignorata* significat ignorantiam. Qui enim excommunicationem, seu potius declarationem ignorant, excusantur à peccato communicando, à quo non excusarentur, si à fide digno audirent hominem esse declaratum. *Necesse* significat gravem necessitatem consilii, refugii, eleemosynæ, &c. Extra hos casus non licet communicare cum excommunicato vitando. Ubi nota hos casus non procedere de communicatione in divinis, quia hæc nec uxori, nec servis, nec filiis licet, nec cuiquam alteri, nisi esset ignorantia.

467 Nota. [i] Qui communicat cum excommunicato in crimine, ob quod est excommunicatus, confirmando illum in sua contumacia, quod dicitur participare in crimine criminoso, est similiter excommunicatus eadem excommunicatione majori: communicare in divinis regulariter est peccatum mortale: in humanis est veniale, nisi adsit contemptus, vel sequatur scandalum, & incurrit excommunicatio minor, de qua paulò post dicendum erit.

[i] Soa. d. 17. s. 2.

468 Alii numerantur [l] effectus excommunicationis majoris. Primus collatio beneficii facta excommunicato, quæ ipso jure est nulla, sicut & quodlibet rescriptum impetratum à Papa, nisi sit circa ipsam excommunicationem. Secundus, non potest eligi ad beneficium Ecclesiasticum, nec postulari, præsentari ad beneficium, & idem est de qualibet etiam electione sæculari. Tertius, non potest exercere actum jurisdictionis absque peccato. Et si sit denuntiatus acta, & sententiæ sunt nullæ. Quartus, non potest exercere actum ordinis, v. c. celebrare, ordinare, confirmare, absolvere, neque exercere aliquem actum minoris etiam ordinis, aliter fit irregularis. Qui à non tolerato ordines recipit, suspensus est. Qui verò ab eodem absolutionem Sacramentalem recipit, non manet absolutus, defectu jurisdictionis, qua privatur. Aliter dicendum de tolerato, licèt hìc absolvendo peccet, & fiat irregularis. Quintus, qui tenebantur obnoxii vinculo fidelitatis, aut juramenti, liberantur à tali vinculo, durante excommunicatione, non tamen liberatur debitor ab obligatione solvendi creditori excommunicato. Sextus, privatur [m] actu juridico accusandi, testificandi, patrocinandi, procurandi, defensio tamen non negatur. Septimus, non toleratus privatur Ecclesiastica sepultura, estque exhumandus, si jam sepultus sit, & sepeliendus in loco profano, non sic toleratus, quia cui possumus communicare vivo, possumus & mortuo. Octavus, non potest percipere fructus beneficiorum suorum, nec post absolutionem fructus temporis præcedentis: & si perseveravit in excommunicatione ultra annum potest privari beneficiis, quæ obtinet, & est suspectus de hæresi.

[l] Tol. c. 13. Soar. d. 13. & tribus sequent.

[m] Soa. s. 4. s. c. 4.

469 Circa [n] excommunicationem majorem hactenus declaratam notabis. Primò, illam non contrahi, nisi per peccatum mortale cum contumacia in Ecclesiam. Est autem contumacia, cùm quis sciens aliquid esse prohibitum ab Ecclesia sub excommunicatione, illud nihilominus facit. Unde ignorantia excommunicationis ab illa contrahenda excusat. Secundò, excommunicationem esse vel à jure, vel ab homine. Illa continetur in jure, hæc ponitur per sententiam judicis, vel per præceptum superioris. Ad illam non requiritur monitio, quia jus est loco monitionis; ad hanc verò requiritur, quia aliter non erit contumacia. Tertiò, aliam esse excommunicationem latæ sententiæ, aliam ferendæ, quæ dicitur comminatoria. Illa incurritur ipso facto, commisso crimine, cui est annexa: hæc autem non ita, sed supposito delicto, debet per superiorem infligi. Quartò, excommunicationem non posse imponi ob peccatum merè præteritum, nisi fuerit prohibitum, sub pœna excommunicationis ferendæ.

[n] Tol. c. 8. Soar. d. 18. sect. 3.

470 Excommunicatio [o] minor privat sola participatione passiva Sacramentorum, & electione passiva ad beneficia, & incurritur solùm per communicationem prohibitam cum excommunicato vitando, quamvis talis communicatio fuerit solùm venialis ut regulariter est communicatio humana. Unde qui aliquod Sacramentum recipit

[o] Tol. c. 17. Soar. d. 24.

cipit cum hac excommunicatione mortaliter peccat, non tamen fit irregularis, estò celebret. Qui sacramenta administrat, videtur venialiter peccare, propter aliqualem irreverentiam; mortaliter verò, qui beneficium accipit; talis tamen electio, & collatio non est ipso jure irrita, sed irritanda.

471 Porrò ab [p] excommunicatione minori potest absolvere quilibet confessarius; imò si ita excommunicatus sola haberet venialia, posset ab ea absolvi à quolibet simplici Sacerdote, qui à venialibus absolvere potest. Ab excommunicatione majori, si non sit reservata, potest absolvere quilibet confessor, qui à mortalibus potest absolvere. Si sit reservata, solùm habens authoritatem sive ordinariam, sive delegatam, aut beneficio Bullæ, vel Jubilæi, aut per aliud privilegium. Qui verò in mortis articulo absolvere possit à reservatis, dicetur lib. 11. cap. 3. cùm de moribundis agemus.

p Tolet. c. 16. & 17. Soar. d. 19. & 8.

SECTIO II.

De Suspensione.

472 *Suspensio* [a] *est censura Ecclesiastica impediens Clericum usu officii, aut beneficii Ecclesiastici*. Dicitur: *Usu*. Quia in suspenso remanet officium, aut beneficium quoad titulum, & solus impeditur usus. Nam si auferatur quoad totum, quod humana potestas auferre potest, non erit suspensio, sed depositio, aut degradatio, de quibus infrà. Unde patet solum clericum esse capacem hujus censuræ.

a Tolet. l. 1. c. 42. Soar. d. 25.

473 Suspensio in genere [b] triplex est. Alia ab officio, alia à beneficio, alia ab utroque. Per *officium* intelligitur tam officium ordinis, quàm jurisdictionis Ecclesiasticæ. Per *beneficium* intelligitur quodlibet beneficium, sive curatum, sive dignitas, sive Canonicatus, &c. Suspensio, quæ est solùm ab officio, aliquando est à toto officio, quando privat usu ordinis cujusque, & simul usu jurisdictionis. Aliquando à parte, ut quando est à solo ordine, aut à sola jurisdictione. Quæ est à solo ordine, potest esse à toto ordine, vel à parte, v. c. à Sacerdotio, à Diaconatu, aut alio inferiori. Quæ est à sola jurisdictione, aliquando est à tota, aliquando à parte. Similiter quæ est à beneficio, aliquando est à toto aliquando à sola parte, puta à fructibus percipiendis, vel ab aliquo alio ad ipsum pertinente. Suspensio, vel est à jure, vel ab homine, aliquando ad certum tempus majus, vel minus, prout determinatum fuerit vel à jure, vel ab homine: aliquando ad tempus indeterminatum, donec resipiscat; & hæc est propriè censura, alia est pura pœna. Quando est in perpetuum, est depositio, vel degradatio.

b Tol. c. 41. Soar. d. 2.

473 Nota verò primò. [c] Quando suspensio fertur simpliciter, non limitando ab officio, vel beneficio: est totalis, & suspendit ab omnibus. Quando est à solo ordine, non suspendit à jurisdictione. Si sit à Pontificalibus tantùm, solùm suspendit ab exercitio eorum, quæ pertinent ad ordinem Episcopatus, non verò à jurisdictione. Suspensus ab ingressu Ecclesiæ privatur potestate exercendi ordinem in Ecclesia, & audiendi divina in ipsa; non verò privatur à jurisdictione, aut potestate celebrandi, extra Ecclesiam, aut percipiendi sacramenta, aut orandi in Ecclesia, quando ibi non fiunt divina officia.

c Tolet. c. 43. Soar. d. 26.

474 Nota secundò. [d] Suspensus simpliciter ab ordine, est suspensus à quolibet ordine. Suspensus ab ordine majori, non ob id suspenditur à minori, seu inferiori. Unde suspensus à sacerdotio, non suspenditur à Diaconatu; suspensus ab ordine Pontificali, non suspenditur à Sacerdotio, & sic de aliis; suspensus verò ab ordine inferiori, suspenditur etiam à majori. Unde suspensus ab aliquo ordine non potest ad majorem ascendere. Suspensus à collatione ordinum, nullum potest conferre. Suspensus simpliciter ab officio, suspenditur & ab ordine, & à jurisdictione, quia officium & ordinem, & jurisdictionem significat.

d Tolet. c. 43. Soar. d. 26.

475 Nota tertiò. [e] Suspensus à beneficio, non est suspensus ab officio ordinis, & jurisdictionis, nisi jurisdictio competat ratione beneficii, à quo est suspensus; quia suspensus à principali, suspenditur ab accessorio. Suspensus ab officio non ob id suspenditur à beneficio: quia cùm suspensio aliquando fit ab officio, aliquando ab officio, & beneficio; non potest suspensio à beneficio includi in suspensione ab officio: erit tamen suspensus ab illis fructibus bene-

e Tolet. c. 41. Soar. d. 27.

beneficii, qui dantur ob usum officii, & ab actibus beneficii, qui sunt actus ordinis, vel jurisdictionis. Suspensus ab administratione Ecclesiæ, vel beneficii tam in temporalibus, quàm in spiritualibus, non est suspensus ab ordine.

f Tol. cap. 45. Soar. d. 29. & 27.

476 Quoad f effectus suspensionis adverte primò. Suspensus exercens id, à quo est suspensus, mortaliter peccat. Secundò. Suspensus ab ordine, vel ab aliquo includente suspensionem ordinis, non solùm peccat, sed etiam fit irregularis, exercendo actum ordinis. Tertiò. Suspensus privatur à communione aliorum in eo, in quo est suspensus, ita ut peccet communicando cum aliis; alii peccent communicando cum ipso in tali actu mortaliter, si sit actus ordinis; venialiter in aliis extra ordinem, ex parte participantis, si suspensus sit nominatim denuntiatus, nam ante denuntiationem licet fidelibus communicare cum censuratis, ut suprà dictum est.

g Tolet. c. 46. Soar. d. 39.

477 Circa absolutionem g suspensionis nota primò. Quando suspensio est ad tempus translacto tempore, cessat suspensio absque absolutione; ante tempus verò impletum, auferri non potest sine absolutione, sicut nec suspensio perpetua. Si est ab homine, absolutio pertinet ad eum, qui sententiam tulit, vel ad ejus successorem, aut eorum superiorem. Si est à jure, & habet tempus determinatum, non verò potest tolli ante completum tempus, nisi à conditore juris, aut æquali, aut superiori, non verò ab inferiori, estò nullam habeat reservationem. Si est à jure perpetua, & reservata, pertinet ad eum, cui reservatur. Si non est reservata, & fuit imposita ob contumaciam potest Episcopus absolvere. Si est imposita propter delictum, seu in pœnam delicti, in quo Episcopus dispensare non possit, multi credunt non posse Episcopum ab ea absolvere, sed oppositum est probabilius, quia eo ipso quod conditor canonis sibi absolutionem non reservavit, aliis videtur concessisse, nempe Episcopus.

h Tol. c. 40. Soar. d. 30

478 Degradatio ad suspensionem h reducitur: *Estque suscepti ordinis perpetua depositio, non ablatio*. Quia Ecclesia non potest characterem ordinis semel impressum auferre, aut potestatem illius, potest tamen in perpetuum auferre ejus legitimum usum. Dixi: *Legitimum*. Quia Sacerdos degradatus potest validè consecrare, & Episcopus ordinare, non tamen licitè, quia gravissimè peccabunt. Cùm verò degradatio sit ordinis depositio, degradatus privatur omni officio, & beneficio, quæ in ordine fundantur. Degradatio vel est verbalis, vel actualis. Verbalis fit per Episcopum, cujus est degradare pronuntiando verba, quæ habentur cap. degradatio de pœnis in 6. Actualis fit, cùm verba ipsa proferuntur, & re ipsa exercentur, denudando paulatim à vestibus, quibus fuit ordinatus. Degradatus actualiter perdit privilegium canonis, & fori; non sic verbaliter solùm degradatus, nisi postea sequatur incorrigibilitas. Tradendus curiæ sæculari actualiter degradandus est. Degradatus verbaliter potest ab Episcopo restitui; actualiter verò à solo Papa.

SECTIO III.

De Interdicto.

Interdictum a *est censura Ecclesiastica privans usu quarumdam rerum divinarum, quatenus usus quidam est*. Per has ultimas particulas distinguitur ab aliis censuris, quia excommunicatio privat usu rerum divinarum, quatenus in illis est quædam communicatio cum aliis; suspensio privat aliquo usu, prout competit ex officio, vel beneficio; interdictum autem privat usu, ut sic. 479

a Tol. c. 51. Soar. d. 32. f. 1.

480 Interdictum b vel est locale, vel personale. Locale est, cùm interdicitur locus, estque vel generale, cùm interdicitur totum Regnum, Provincia, Diœcesi, Civitas, aut oppidum. Vel particulare, cùm interdicitur Ecclesia determinata, v. c. talis Parochia. Personale est, cùm interdicitur persona, in quo differt à locali, quod inmediatè terminatur ad locum. Unde si persona est immediatè interdicta, nullibi rebus divinis uti potest. Si locus est immediatè interdictus: extra illum illis uti potest. Dividitur etiam in generale, & particulare. Generale respicit aliquod corpus politicum multarum personarum, & personas singulas, ut sunt partes talis communitatis. Particulare respicit determinatam, vel determinatas

b Tol. c. 51. Soar. f. 2.

tas personas, dummodo ad singulas per se tendat.

e Tol. c. 53. Soar. d. 33. 481 Primus [e] effectus interdicti est privatio Sacramentorum, quæ simpliciter necessaria non sunt. Unde non prohibetur Baptismus etiam solemnis, nec confirmatio, quæ ejus complementum reputatur; neque pœnitentia non solùm moribundis, sed neque sanis, neque Eucharistia per modum viatici. Prohibetur verò Eucharistia extra casum necessitatis, seu illis, qui non communicant per modum viatici; Extrema unctio, & Sacramentum Ordinis. De Matrimonio duo sunt certa. Alterum, validè celebrari; alterum non posse celebrari solemniter quoad benedictiones nuptiales. An verò quoad substantiam licitè celebrari possit? Negat Soar. stando in rigore juris; quia numquam in jure invenitur exceptum. Unde concludit nec in loco interdicto, nec personaliter interdictis id licere de rigore juris. Quia tamen multi Doctores affirmant, quamvis sine fundamento, credit id non esse improbabile saltem ex consuetudine, quæ potuit hanc exceptionem facere. [d] Est autem peccatum mortale ex genere suo, percipere, vel ministrare Sacramenta prohibita in loco interdicto, vel personis specialiter, aut generaliter interdictis, in quolibet loco. Ministrantes autem irregulares fiunt, non tamen Parochus assistens Matrimonio; quia nec est minister, nec ejus assistentia est actus ordinis. Nec propter usum passivum aliqua pœna incurritur, quia recipere non est actus ordinis.

d Soar. f. 2. & 3.

e Tol. c. 53. Soar. d. 34. 482 Secundus effectus est privatio [e] omnium divinorum officiorum, quorum primum est Sacrificium Missæ. Hæc tamen hodie non prohibetur simpliciter, quia singulis diebus potest dici, tempore interdicti generalis in singulis Ecclesiis, & Monasteriis submissa tamen voce, januis clausis, excommunicatis, ac interdictis exclusis, & Campanis non pulsatis. Excludendi autem sunt non solùm personaliter interdicti, & qui interdicto causam dederunt, sed etiam omnes laici, qui privilegium non habent, non tamen Clerici etiam in minoribus. Excipiuntur quatuor festivitates Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Virginis Assumptæ pro solis primis diebus, quibus postea addita est festivitas Corporis Christi cum toto octavario, in quibus permittitur publicè cum tota solemnitate consueta. In Ecclesia tamen specialiter interdicta non potest dici Missa, nisi semel in hebdomada ad renovandum Eucharistiam, cum supradictis conditionibus. Quando verò interdictum est personale, ex vi illius omnibus personis tam generaliter, quàm specialiter interdictis est prohibitum tam celebrare, quàm ministrare, quàm etiam assistere Sacrosancto Sacrificio Missæ in quocumque loco sive interdicto, sive non interdicto. Neque quoad interdictum speciale loci, aut personale concessum est in jure aliquod privilegium.

483 Quoad alia divina officia, [f] f Tol c. 52. Soar. f. 3.
qualia sunt Horæ Canonicæ, Officium Virginis, & Defunctorum, Psalmi Graduales, & Pœnitentiales cum Litaniis, Sacramentalia, verb. caus. Benedictio Olivarum, Cinerum, Candelarum, Aquæ sanctæ, Olei, Chrismatis, Fontis Baptismalis, Consecratio, aut Benedictio Templi, ejusque expiatio, Benedictio Paramentorum, & Vasorum sacrorum, Benedictiones Nuptiales, & similia, idem est dicendum, quod de Missa, nempe interdicto generali locali posse, & debere dici Horas Canonicas januis clausis, voce submissa, & cum aliis conditionibus, de quibus suprà, ita ut laici nec admittantur, nec possint audire. Et idem est de aliis Divinis Officiis, exceptis Benedictionibus Nuptialibus, quæ cùm laicis dari debeant, iisque assistere non possint, prohibentur. In illis verò solemnitatibus, in quibus Missa publicè celebrari potest, possunt etiam alia divina officia cum tota solemnitate celebrari incipiendo à primis Vesperis usque ad Completorium sequentis diei. In interdicto locali speciali prohibitum est Divina Officia celebrare, eaque audire in tali loco; neque aliquid circa hoc est immutatum per jus novum cap. Alma mater. In personali verò tam generali, quàm speciali prohibentur ita interdicti Divinis Officiis assistere ubique, neque aliquid immutatum est per illud cap. nisi quoad illas festivitates exceptas.

484 Cir-

Digitized by Google

[g] Tol. c. 53 Soar. l. 3. 484 Circa [g] hos duos effectus notabis in nullo interdicto prohiberi privatam horarum recitationem, imò ad eas teneri omnes, qui alias obligantur, submisse ne ab aliis audiantur. Neque dari signum ad salutationem angelicam, ad concionem, eamque audire in Ecclesia; ad Eucharistiam deferendam infirmis, aut illam comitari cum psalmis, hymnis, & precibus, quæ non sint horæ canonicæ; assistere distributioni Eucharistiæ: illamque adorare extra Missam, adorare crucem in Venere sancto, absque laudibus dici solitis; orare in Ecclesia oratione privata, & similia, quæ non sunt officia divina. Notandum deinde quando conceditur viaticum moribundis, intelligi omnes, qui sunt in periculo mortis, sive per ægritudinem, sive quia morte violenta plectendi sunt, sive quia periculosam navigationem, aut bellum sunt ingressuri, sive prægnantes, quæ periculum in partu timent. Qui verò dedit causam interdicto, & personaliter interdictus specialiter, ut viaticum accipiat debet prius satisfacere, aut si non potest, debitam cautionem dare, & absolvi prius à censura, ante absolutionem à peccatis.

485 Notandum etiam in illis festivitatibus, in quibus interdictum suspenditur quoad divina officia, nihil speciale concedi circa usum Sacramentorum. Quia tamen non est improbabile eos, qui possunt in interdicto assistere sacrificio Missę, posse de illo participare communicando, etiam est probabile in illis diebus posse assistentes communicare de consecratis, in ipso sacrificio, non de præconsecratis. [h] Notandum denique omnes Ecclesiasticos quodcumque interdictum violantes, celebrando divina officia præter id, quod in jure conceditur, peccare mortaliter. Et si violent exercendo actum proprium sui ordinis eo modo, quo à laicis exerceri non potest, fieri irregulares: laicos verò graviter peccare, violando quodlibet interdictum, nullam tamen pœnam, vel censuram incurrere.

[h] Soar. s. 4. 5.

[i] Tol. c. 53 Soa. d. 35

486 Tertius [i] effectus interdicti est privatio ecclesiasticæ sepulturæ, qua privantur omnes tempore interdicti localis generalis, nisi à jure, vel ab homine privilegium, aut exceptionem habeant, quam quidem habent omnes ecclesiastici, dummodo causam non dederint interdicto, nec fuerint specialiter interdicti, & interdictum observaverint, cum aliquibus conditionibus. Prima, ut sepeliantur in cœmeterio, quamvis probabile sit in ipsa ecclesia sepeliri posse. Secunda, ut non pulsentur campanæ, cessentque omnes solemnitates Ecclesiasticæ, quibus corpora mortuorum deferri solent. Tertia, ut cum silentio tumulentur, Missa verò, & alia officia consueta in ecclesia fieri possunt, januis clausis, & voce submissa non solùm pro clericis, sed etiam pro laicis, quamvis isti in loco sacro sepeliri nequeant citrà privilegium. Graviter verò peccant, & ipso jure excommunicantur, qui tempore talis interdicti corpora mortuorum sepeliunt in loco sacro. In interdicto locali speciali, si æquivaleat generali, quia omnes Ecclesiæ sunt specialiter interdictæ, idem dicendum, quod dictum est de generali. Si verò non æquivaleat, quia sunt aliæ Ecclesiæ non interdictæ, probabilius est, non posse clericum sepeliri in interdicta. Si persona sit specialiter interdicta, carere debet sepultura ecclesiastica, estò sit clericus, de quo idem dicendum, si fuit causa interdicti localis, quia censetur specialiter interdictus. Interdicti personaliter generaliter possunt sepeliri in loco sacro, dummodo locus interdictus non sit: quia post const. ad Evitanda, qui non est nominatim interdictus, non est privandus ecclesiastica sepultura. Qui est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, quod est partiale interdictum, privatè potest in ea celebrare, audire divina officia, ac in ea sepeliri, dare, aut recipere in ea sacramenta.

487 Ad interdictum accedit cessatio à divinis, quæ propria [l] censura non est, ut docent communiter DD. sed est pura prohibitio divinorum sive particularis, sive universalis imposita in signum afflictionis Ecclesiæ, cùm, adhibitis omnibus aliis remediis, nihil profecit, unde est quædam quasi viduitas, & luctus Ecclesiæ. Privat autem omnibus divinis officiis adeò, ut sit probabile neque duos sacerdotes [l] Tol. c. 56. Soa. d. 39.

tes

tes posse simul dicere officium, quamvis oppositum sit etiam probabile, & tutum. Et solùm conceditur Missa semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam pro infirmis. Privat usu sacramentorum, concesso baptismo parvulorum, quod probabile est extendi ad adultos, poenitentia morientium, & viatico. Unde in Parochiis, ubi non servatur Eucharistia, poterit sacerdos celebrare pro dando viatico. Neque in cessatione à divinis aliquid operatur privilegium cap. Alma mater, pro festivitatibus suprà exceptis, juxta probabiliorem sententiam. Quamvis autem DD. communiter dicant prohiberi etiam ecclesiasticam sepulturam; oppositum probat Soar. à n. 31. hanc non prohiberi seclusis officiis divinis, & signis campanarum, si cessatio separata sit ab interdicto. Quia verò regulariter cum illo adjuncta est, ideo non licet. Violantibus cessationem à divinis nulla in jure imponitur poena, nisi Religiosis, quibus imponitur poena excommunicationis, si illam non servent.

SECTIO IV.

De Irregularitate.

488 a Tol. c. 57 Soa. d. 40. de cens. IRregularitas non est a censura, sed quædam poena ecclesiastica censuris valde affinis prohibens primam tonsuram, & ordines suscipere, vel in jam susceptis ministrare. Ille enim est irregularis, qui præter communem aliorum regulam impeditur ab ordinibus licitè, ac dignè suscipiendis, aut in susceptis ministrare.

b Tol. c. 57. 489 Porrò irregularitas b interdum accipitur latè pro impedimento, & inhabilitate ad ordines, undequaque talis inhabilitas proveniat. Et ita foemina, & homo non baptizatus possunt dici irregulares, quia jure divino inhabiles sunt ad ordines. Non agunt tamen DD. de hac irregularitate, sed de illa, quæ solo jure canonico inducta est, & sic definiri potest: *Est impedimentum solo jure canonico inductum reddens hominem inhabilem ad ordinum susceptionem, aut ad eorum usum secundùm varietatem irregularitatum.*

c Tol. c. 57 490 Dicitur: *Impedimentum c seu inhabilitas.* Quia non est censura; non enim infligitur ut poena medicinalis ad emendationem, & correctionem, ad quam ordinatur censura, sed ad ostendendam inhabilitatem, seu indecentiam, & indignitatem subjecti ad fines prædictos, & ideò sæpè est sine culpa. Dicitur: *Canonicum.* Quia nulla, irregularitas est ab homine, sed solùm à jure, unde non incurritur, nisi in illo sit expressa.

491 Irregularitas in genere duplex est, altera ex delicto, altera ex defectu. Quæ est ob delictum non contrahitur, nisi ob peccatum mortale, cui est annexa, quod sit externum, & consummatum, v. c. irregularitas ex homicidio non contrahitur per solam voluntatem occidendi, neque per quamcumque diligentiam, & operationem adhibitam, ut sequatur, si actu non est secutum. Unde ignorantia, aut inadvertentia, quæ excusat à tali delicto, excusat etiam ab irregularitate illius. An verò ignorantia solius poenæ, seu irregularitatis excuset ab illa incurrenda? Probabilius est non excusare. Quia non infligitur propter contumaciam, sed propter indecentiam, & indignitatem subjecti, quæ indignitas consequitur, posito delicto, etiam cum ignorantia poenæ, licèt aliqui non omnino improbabiliter existiment prædictam poenæ ignorantiam ab irregularitate excusare in foro interno. d Tol. c. 57 Soa. sect. 3

492 Irregularitas ex delicto multiplex est. Nempe ex delicto hæresis, aut apostasiæ à fide; homicidii, aut mutilationis voluntariæ, & interdum ex homicidio causali secuto ex opere illicito; ex delicto iteratæ receptionis, aut collationis Baptismi; ex illicita ordinum susceptione, aut ministratione, præsertim ab impeditis per censuras, de quibus latè P. Soar. e Tol. à c. 68 Soar. a. d. 42.

493 Irregularitas ex defectu f non exigit peccatum, sed solùm defectum. Oritur autem ex multis capitibus. Nam alia est ex defectu corporis, quando aliquis tali defectu corporis laborat, ut ordinis executionem impediat, vel notabilem deformitatem, aut horrorem contineat. Hi autem defectus possunt esse vel in sensibus, vel in membris, vel in ipsa membrorum improportione, & monstruositate, f Tol. c. 61. Soa. d. ult. s. 2

te,

Digitized by Google

te, vel etiam ex morbis præsertim incurabilibus, & similibus.

g Tol. c. 64 Soar. se. 1. 494 Alia est g ex defectu animi, nempe ex defectu scientiæ. Qui enim carent scientia ad ordines requisita, de qua lib. 9. cap. 7. sect. 3. irregulares censentur. Vel ex defectu usus rationis, ut infantes, amentes, furiosi, quibus possunt adjungi dæmoniaci, seu arreptitii. Vel ex defectu antiquitatis in fide, ut neophyti, qui ex Judæis, Mahometanis, vel Paganis recenter ad fidem conversi sunt. Alia est ex defectu h Sacramenti matrimonii, sic bigamus est irregularis. Bigamus autem dicitur, qui duas uxores habuit licèt virgines, aut etiam unam jam viduam, quæ priùs cum alio nupta fuit.

h Tol. c. 56 Soar. d. 49.

495 Aliæ sunt ex diversis defectibus. Primò i ex defectu natalium. Unde omnes illegitimi sunt irregulares. Alia ex defectu originis, ut mancipia. Alia ex defectu ætatis requisitæ, de qua ætate dictum est loco suprà citato. Alia ex defectu bonæ famæ. Unde infames sunt irregulares, sive tales sint per infamiam juris, quæ per leges, & canones imposita sit; sive per infamiam facti, quæ incurritur ex aliquo gravi, & publico delicto, propter quod delinquens à Jurisprudentibus judicatur infamis. Alia est ex defectu lenitatis; sic ministri justitiæ in causa sanguinis sunt irregulares, & alii, qui ad mortem alterius etiam justè infligendam cooperantur, de quibus consule Soar. qui omnes exactè explicat.

i Tol. à c. 58. Soar. d. 48. & duobus seq.

l Soa. d. 40 s. 3. n. 23 & se. 2. 496 Id notandum, l irregularitatem aliquando esse totalem, & tunc privat licita receptione, & usu omnium ordinum. Aliquando esse partialem; & tunc privat receptione, aut usu alicujus ordinis. Notandum etiam irregularem, si ordinetur absque dispensatione, peccare quidem mortaliter, non tamen incurrere novam irregularitatem, esse tamen incapacem novi beneficii, quia hoc datur propter officium, & usum ordinum, ad quæ irregularis inhabilis est. Est item incapax jurisdictionis ordinariæ, quæ requirit usum ordinum, & impeditur ab usu antiquæ, si fortè illam habebat.

m Tol. c. 88. So. d. 41 497 Irregularitas m tollitur per dispensationem, quæ ad Pontificem pertinet. Possunt tamen Episcopi ex Concilio Trident. n dispensare in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea, quæ provenit ex homicidio voluntario, & iis exceptis, quæ fuerint deductæ ad forum contentiosum, & in quibusdam aliis levioribus, ut videre est apud Soar.

n Sess. 24. c. 6. de ref.

498 Et hæc de irregularitate sufficiant. Cùm enim ad Parochum non pertineat ejus dispensatio, nec impediat usum pœnitentiæ, aut aliorum Sacramentorum, quorum ipse est minister, satis fuit hæc dixisse quasi in genere, & indicasse DD. qui materiam latè discutiunt.

CAPUT VIII.

De Excommunicationibus reservatis in Bulla Cœnæ.

DEclarata natura censuræ, & excommunicationis, declarandæ sunt, quæ continentur in Bulla Cœnæ, quia omnes sunt reservatæ a Pontifici; quarum proinde Parochus plenam notitiam habere debet, ne contingat absolvere sine potestate. Unde tam ipsi, quàm omnibus animarum curam habentibus, & cuilibet deputato ad audiendas confessiones in eadem Bulla præcipitur, ut ejus transumptum apud se habeant, legant, & percipiant: dicitur hæc Bulla Cœnæ, quia singulis annis in Jove sancto, quo celebratur Cœna Domini, cum magna solemnitate, & cæremoniis publicatur à Pontifice Rom. sunt autem excommunicationes illæ ab homine, habent tamen vim juris à tempore Pii V. non solùm quia generaliter fulminantur, sed quia earum efficacia durat mortuo etiam Pontifice, & durant sede vacante, de quo postea. Ut autem meliùs censuræ istæ intelligantur, priùs tenor ipsius Bullæ præmittendus est.

a Tol. li. 1 c. 18. Soar. decent. d. 21 Say. l. 3. de cens. c. 1. 1. & 3.

SECTIO I.

Ponitur textus Bullæ Cœnæ.

PAstoralis Romani Pontificis vigilantia, & solicitudo, cùm in omni Reipublicæ Christianæ pace, & tranquillitate procuranda, pro sui muneris a

neris officio assiduè versatur, tum potissimum in catholicæ fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate, atque integritate retinenda, & conservanda maximè elucet. Nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, ad circumventionem erroris; sed omnes occurrant in unitatem fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque se in hujus vitæ societate, & communione lædant, aut inter se alter alteri offensionem præbeat: sed potiùs in vinculo charitatis conjuncti, tamquam unius corporis membra sub Christo capite, ejusque in terris Vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successore, à quo totius Ecclesiæ unitas dimanat, augeantur in ædificationem, atque ita divina gratia adjutrice, sic præsentis vitæ quietè gaudeant; ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sanè causas Romani Pontifices Prædecessores nostri, hodierna die, quæ anniversaria Dominicæ cœnæ commemoratione solemnis est, spiritualem Ecclesiasticæ disciplinæ gladium, & salutaria justitiæ arma, per ministerium summi Apostolatus, ad Dei gloriam, & animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quàm fidei inviolatam integritatem, publicam pacem, & justitiam, Deo auctore, tueri, vetustum, & solemnem hunc morem sequentes.

3 Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, quoscumque Hussitas, Wiclephistas, Luteranos, Zuinglianos, Calvinistas, Hugonottos, Anabaptistas, Trinitarios, & à Christiana fide Apostatas, ac omnes, & singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, & cujuscumque sectæ existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet eorum defensores, ac eorumdem libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes; sine auctoritate nostra, & sedis Apostolicæ scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore; nec non Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.

4 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos cujuscumque status, gradus, seu conditionis fuerint. Universitates verò collegia, & capitula, quocumque nomine nuncupentur, interdicimus; ab ordinationibus, seu mandatis nostris, ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium, ad universale futurum Concilium appellantes; nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore, appellatum fuerit.

5 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Cursarios, ac Latrunculos maritimos discurrentes mare nostrum, præcipuè à monte Argentario usque ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defensores.

6 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui christianorum quorumcumque navibus, seu tempestate, seu in transversum (ut dici solet) jactatis, vel quoquo modo naufragium passis, sive in ipsis navibus, sive ex iisdem ejecta in mari, vel in littore inventa, cujuscumque generis bona, tam in nostris Tyrrheni, & Adriatici, quàm cæteris cujusque maris regionibus, surripuerint; ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque prætextum excusari possint.

7 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, preterquam in casibus sibi à jure, seu speciali sedis Apostolicæ licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

8 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falsarios litterarum Apostolicarum, etiam in forma brevis, ac supplicationum, gratiam, vel justitiam concernentium per Romanum Pontificem, vel Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatorum,

Digitized by Google

rum, nec non falsò fabricantes litteras Apostolicas, etiam in forma brevis, etiamque falsò signantes supplicationes hujusmodi nomine Romani Pontificis, seu Vicecancellarii, aut gerentium vicem prædictorum.

9 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sarracenos, Turcas, & alios christiani nominis hostes, & inimicos, vel Hæreticos, per nostras, sive hujus sanctæ Sedis sententiam expresse, ac nominatim declaratos, deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stamnum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes tam ex ipso canape, quàm alia quacumque materia; & ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus christianos, & catholicos impugnant; nec non illos, qui per se, vel alios de rebus statum Christianæ Reipublicæ concernentibus in christianorum perniciem, & damnum ipsos Turcas, & christianæ Religionis inimicos, nec non hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, quibusvis personis, Principibus, Rebus publicis per nos, & sedem prædictam hactenus concessis, de hujusmodi prohibitione expressam mentionem non facientibus.

10 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, seu invadentes eos, qui victualia, seu alia ad usum Romanæ curiæ necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam curiam adducantur, vel afferantur prohibent, impediunt, seu perturbant, seu hæc facientes defendunt per se, vel alios, cujuscumque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & status etiam si Pontificali, seu Regali, aut alia quavis Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate.

11 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes, & recedentes ab eadem, sua, vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam à nobis, vel nostris, judicibus non habentes, illam sibi temerè vendicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

12 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad urbem causa devotionis, seu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem.

13 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes sanctæ Romanę Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos à suis Diœcesibus, Territoriis, Terris, seu Dominiis ejicientes: nec non ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, vel favorem.

14 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas Ecclesiasticas quascumque, vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis, & negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes, aut Procurantes, negotiorumque gestores, Advocatos, Procuratores, & Agentes, seu etiam Auditores, vel Judices super dictis causis, vel negotiis deputatos, occasione causarum, vel negotiorum hujusmodi, occidunt, seu quoquo modo percutiunt, bonis spoliant, seu qui per se, vel per alios directè, vel indirectè delicta hujusmodi committere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

15 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Ecclesiasticos, quàm sæculares cujuscumque dignitatis, qui prætexentes frivolam quamdam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm justitiam concernentium. Necnon citationum, inhibitionum, sequestrorum, monitoriorum, processuum, executoria-

rialium, & aliorum decretorum, à nobis, & à Sede Apostolica, seu à Legatis, Nuntiis, Præsidentibus, Palatij nostri, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque judicibus, & Delegatis Apostolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut aliàs ad curias seculares, & laicam potestatem recurrunt, & ab ea, instante etiam Fisci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, sequestra, monitoria, & alia prædicta capi, & retineri faciunt, quive illa simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarii, super hujusmodi litterarum, & processuum executione, instrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus interest, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, seu eorum agentes, consanguineos, affines, familiares notarios, executores, & subexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, & regnis ejiciunt, bonis spoliant, perterrefaciunt, concutiunt, & comminantur per se, vel alium, seu alios publicè, vel occultè; quive aliis quibuscumque personis, in genere, vel in specie, ne pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, seu gratiis, vel litteris impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recursum habeant, seu gratias ipsas, vel litteras à dicta Sede impetratis utantur, directè, vel indirectè prohibere, statuere, seu mandare, vel eas apud se, aut Notarios, seu Tabelliones, vel aliàs quomodolibet retinere præsumunt.

16 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & singulos, qui per se, vel alios authoritate propria, ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apostolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias causas spirituales, & spiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commissariis nostris, aliisque judicibus Ecclesiasticis avocant, illarumve cursum, & Audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione, tamquam judices interponunt, quive partes actrices, quæ illas committi fecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, à censuris, & pœnis in illis contentis absolvi, per statutum, vel aliàs compellunt, vel executionem litterarum Apostolicarum, seu executorialium, processuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt; vel suum ad id favorem consilium, aut assensum præstant, etiam prætextu violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint, aut supplicari fecerint, nisi supplicationes hujusmodi coram nobis, & Sede Apostolica legitimè prosequantur, etiam si talia committentes fuerint Præsidentes Cancellariarum, Consiliorum, Parlamentorum, Cancellarii, Vicecancellarii, Consiliarii ordinarii, vel extraordinarii quorumcumque Principum Secularium, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, seu Vicarii fuerint.

17 Quive etiam eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumque, personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum Tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter juris Canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore: nec non qui statuta, ordinationes, constitutiones, Pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel aliàs quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint, vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut aliàs quovis modo restringitur, seu nostris, & dictæ Sedis, ac quarumcumque Ecclesiarum juribus quomodolibet directè, vel indirectè,

Digitized by Google

ctè, tacitè, vel expressè præjudicatur.

18 Nec non qui Archiepiscopos, Episcopos, aliosque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos ordinarios quomodolibet hac de causa, directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, Procuratores, familiares, nec non consanguineos, & affines, aut aliàs impediunt, quominus sua jurisdictione Ecclesiastica, contra quoscumque utantur, secundùm quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorum, vel etiam ab ipsis delegatorum quorumcumque sententias, & decreta, aut aliàs fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias curias seculares recurrunt, & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, aut delegatis prędictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt, & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

19 Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad nos, & Sedem Apostolicam, & quascumque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

20 Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera Clericis, Prælatis, & aliis personis ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali, & expressa licentia imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt. Nec non qui per se, vel alios, directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alii Potentatus quicumque, etiam Regnis, Provinciis, Civitatibus, & Terris quoquo modo præsidentes, Consiliarii, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quàm in aliis Conciliis generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

21 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscumque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illos proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique ejusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illa perperam abutuntur, etiam si talia committentes fuerint Consiliarii, Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

22 Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, vel alios directè, vel indirectè sub quocumque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, & detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corsicæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ, Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarumque terras, & loca, ac terras specialis commissionis Arnulphorum, civitatesque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem castelli, Turdetum, Ferrariam, Comachum, & alias civitates, terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecta,

jecta, nec non supremam jurisdictionem in illis nobis, & idem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt; nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

23 Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcumque his litteris contenta, quousque alii hujusmodi, processus à nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omnino sortiri.

24 Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus; nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo, cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, Secularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militiarum Regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis; nec non laicis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus, per nos, & dictam Sedem, & cujusvis Concilij decreta, verbo, litteris, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

25 Quod si fortè aliquis contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, graviùs contra eos spiritualiter, & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

26 Declarantes, ac protestantes quamcumque absolutionem etiam solemniter per nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint; ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præmittitur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri, & cassari, ac nos de revocatione hujusmi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem aut quoscumque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel successorum nostrorum quamocumque tempore continuatam, in præmissis omnibus, & singulis, ac quibuscumque juribus sedis Apostolicæ, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, undecumque, & quandocumque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse, aut debere.

27 Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus suprà dictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscumque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis, vel præeminentiæ fuerint, etiam si, ut præmittitur, Pontificali, Imperiali, Regali, seu quavis ecclesiastica, & mundana præfulgeant dignitate, vel eorum Regnis, Provinciis, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatorarum derogatoriis concessis, etiam continentibus quòd excommunicari, & anathematizari, vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus, & dignitatibus eorum, mentionem, nec non consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcumque longissimis, & aliis quibuslibet observantiis, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

28 Quæ omnia, quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur,

præ-

præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, & omninò revocamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

29 Ut verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas processus ipsos continentes valvis Ecclesiæ sancti Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de urbe] appendi faciemus, ut iis, quos processus hujusmodi concernunt, quòd ad ipsos non pervenerint, ad quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur. Insuper ut processus ipsi, & præsentes litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta, eò fiant notiora, quò in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut per se, vel alium, seu alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

30 Cæterum Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, aliique locorum Ordinarii, & Ecclesiarum Prælati, nec non Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, & quorumvis ordinum Regulares, ad audiendas peccatorum confessiones, quamvis auctoritate deputati, transumptum præsentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere, & percipere studeant. Volentes earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo Judicis ordinarii Romanæ curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem in judicio, & extra illud, ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur; si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostram excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ *1656.* Pontificatus nostri anno primo.

SECTIO II.

Explicatur prima clausula Bullæ Cœnæ.

TEnor hujus clausulæ habetur n. 3. in qua profertur excommunicatio contra Hæreticos, & de hæresi suspectos. Comprehenditque undecim genera personarum. Primum est Hæreticorum cujuscumque nominis, & sectæ, & Apostatæ. Secundum credentium Hæreticis. Tertium Receptatorum Hæreticorum. Quartum Fautorum. Quintum Defensorum. Sextum legentium Hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine authoritate sedis Apostolicæ, si scienter id faciant. Septimum Retinentium libros Hæreticorum. Octavum Imprimentium Hæreticorum libros. Nonum Defendentium tales libros. Decimum Schismaticorum. Undecimum eorum, qui ab obedientia Romani Pontificis se subtrahunt, vel recedunt.

31 Igitur quoad primum genus. Hæreticus, ut diximus lib. 8. cap. 1. sect. 3. est qui aliquem habet errorem contra fidem cum pertinacia, vel qui cum eadem dubitat de re aliqua fide credenda, vel qui res fidei solùm probabiles existimat. Non tamen satis est ad excommunicationem hic Hæreticis impositam incurrendam, hæresis merè interna, seu error contra fidem, nullo externo signo expressus, ut docent communiter Theologi. Et ratio est: Quia Ecclesia non potest

Tol. l. 1. c. 19. Soa. de cens. d. 21. sect. 2. Say. li. 4. de censur. c. 4 n. 11.

Digitized by Google

test præcipere, nec prohibere actus, de quibus sententiam ferre non valet. sententia enim, & lex in eo differunt, quod lex sit præceptum universale; sententia verò sit ipsius legis in particulari declaratio, applicatioque coactionis; sed circa actus internos, qui exteriùs nullo modo manifestantur, non potest Ecclesia sententiam ferre, cùm sententia non feratur, nisi in illud, quod cognosci potest, cujusmodi non sunt actus purè interni, soli Deo cogniti; ergo Ecclesia non potest propter tales actus sententiam excommunicationis proferre, atque adeo Hæretici purè mentales censura contenta in hac prima clausula non innodantur.

Say c.4.n. 25. Sof d.5. 33 Neque etiam satis est ad hanc excommunicationem incurrendam hæresis purè externa, sine errore, vel dubio in intellectu, quæ invenitur in illis, qui fidem exteriùs negant, aut Idola exteriùs colunt ex metu, aut alia humana causa, retenta interiùs fide. Fundamentum est, quia excommunicatio hujus clausulæ fertur contra Hæreticos; sed Hæretici tantùm externi non sunt verè Hæretici, cùm errorem non habeant contra fidem, in quo hæresis consistit; ergo non comprehenduntur sub hac excommunicatione, quæ solos verè Hæreticos comprehendit, quales non sunt, qui mente non errant contra fidem, licèt fortè tales in foro externo Hæretici præsumantur.

34 Quapropter illi soli comprehenduntur sub hac excommunicatione, qui errorem habent circa fidem in intellectu, illumque exteriùs manifestant verbo, vel signo alio externo, etsi occultissimo, quod à nemine videatur, vel audiatur. Notandum verò est primò, non satis esse hæresim manifestari per signa de se indifferentia, quæ de se tam ad fidem, quàm ad hæresim retorqueri possunt. Ut si quis tenens in mente, *Deus non est trinus*: capite annuat, vel dicat: Ita est. Fundamentum est, quia signa illa non sunt de se manifestativa hæresis internæ, cùm de se æquè applicari possint ad assensum fidei, vel hæreticum, vel etiam ad alium quemcumque; ergo qui talia signa profert, adhuc manet intra limites hæretici mentalis, qui, ut diximus, non excommunicatur in hac clausula.

Say.n.18. & seque. Sof. dis. 6.

Say n. 30. Sof. disp. 6.

Sof. dis. 6.

35 Notandum est secundò, non comprehendi sub hac censura illum, qui verbo, vel signo externo hæresim perfectè proferat, quam mente non habet, licèt alteri diversæ adhæreat. Ratio est: Quia hæreticus iste, quoad hæresim, qua infectus est, censetur hæreticus purè mentalis, cùm verba, & signa, quæ profert, illam non explicent; quamvis aliam, cui ipse non assentitur, perfectè ostendant, respectu cujus hæreticus purè externus dicendus est, qui, ex dictis, sub hac excommunicatione non comprehenditur.

Sam. c. 8. n. 24. 36 Notandum est tertiò, neque comprehendi sub hac censura illum, qui suam hæresim internam profert in somno, aut ebrietate. Ratio est: Quia excommunicatio non imponitur ob hæresim externam materialem, quæ solùm est in verbis materialibus, sed ob hæresim formatam, quæ provenit ab actu interno, à quo actus externus informatur, quod hic non datur, ut per se patet.

37 Notandum quartò, non comprehendi sub hac clausula hæreticum mentalem, qui suam hæresim manifestat in confessione, vel extra illam, petendi consilii causa. Ratio est. Quia actus confessionis bonus est, & pius, ac extra judicium humanum, & homo si contritus sit, debet absolvi; ergo non potest contrahere censuram, qui hæresim internam ita manifestat in ordinem ad peccati sui remedium; & idem est, si consilium petat in ordine ad eumdem finem. Aliter dicendum esset de illo, qui fictè confiteretur, non animo deponendi errorem, sed ut illum alteri communicaret ad infectionem. Unde de hoc docet cum multis Dian. non teneri confessarium ad sigillum, quia talis non habuit animum faciendi confessionem, nec illam fecit.

Dian. p. 5. tr. 11. Ref. 16.

Sof. dis. 7. n. 5. 38 Notandum quintò, non comprehendi sub hac censura, qui suam internam hæresim exteriùs manifestat per jocum; quia non manifestat, ut asserat, sed loquendi gratia. Licèt oppositum defendat cum aliis Sola. Quod probat, quia in illa manifestatione jocosa datur vera hæresis actualis manifestatio, in qua vel actualis, vel salem

Digitized by Google

tem virtualis hæresis assensus includitur; ergo per illam censura incurretur. Quod confirmari potest, Quia ille est hæreticorum mos, ut per jocum tentent animos audientium, ut eos in suos pertrahant errores.

Say c.5.n.1. 39 Secundum genus personarum, quæ excommunicantur in hac clausula, sunt credentes Hæreticorum, qui dicuntur illi, qui errorem in fide expresse, & explicitè non habent, sed implicitè. Ut si quis diceret se velle mori in fide Calvini, eamque profiteri. Iste satis diceretur credens Hæretici; quia hæresim implicitè, & in alio profiteretur. Sicut inter Catholicos multi implicitè credunt aliqua, quæ explicitè tradit Ecclesia. Ille verò credens Hæretici verè hæreticus esset, & cum Hæreticis excommunicatus. Eodem modo diceretur credens Hæreticorum, qui crederet Hæreticorum erroribus in communi, & in confuso, judicans eos veram doctrinam sequi.

Soa. de fid. d.24.f.5. 40 Quare dubium est, an excommunicentur, qui credunt non Hæreticorum erroribus, sed personis? v.c. qui credunt eorum verbis, jussionibus, & operibus, qui eorum litteras hinc, inde deferunt, illis serviunt, alimoniam conferunt, ducatum præstant, eos visitant, & similia in eorum gratiam operantur. In quo dubio certum esse debet illos inter credentes Hæreticorum habendos, & excommunicari, qui Hæreticorum doctrinam audiunt, illamque approbant; & licèt nondum consentiant eorum erroribus, eo tamen animo ad eos audiendos accedunt, ut parati sint illis fidem præstare, si eorum rationes efficaces judicaverint. Nam qui hoc animo accedunt jam dubitant de veritate veræ fidei, & consequenter ut credentes Hæreticorum excommunicantur.

41 Non tamen excommunicatur, qui non credens illorum erroribus, personis credit, eis obediendo, serviendo, & communicando in quibusdam actionibus civilibus. Nam credere personis, & tractare cum illis in rebus, quæ ad fidem non pertinent, ex humana affectione fieri contingit; aliàs catholici viventes inter Hæreticos, ex communi consortio, quod cum illis habent, efficerentur Hæreticorum credentes, quod tamen non est dicendum. Sed quid de illo, qui semel, vel bis vadit ad eorum conciones? Respondeo si non credat erroribus, non ex eo dixi credentem Hæreticorum, nec excommunicari, maximè si eat ex curiositate absque animo addiscendi eorum doctrinam. Imò esto sint credentes interni, qui doctrinam eorum bonam judicent, si alio signo externo suam non indicent credulitatem, nisi quia semel, aut bis ad eorum conciones convenere, non excommunicabuntur. Quia hoc non est sufficiens suæ credulitatis signum, ut benè cum aliis docet Sosa. Excusantur etiam ab hac excommunicatione, qui ex ignorantia credunt Hæreticorum erroribus sine pertinacia, maximè si Hæretici sint ignoti, nec ut tales declarati. Sof.d.8.

42 Tertiò excommunicantur Receptatores Hæreticorum, qui dicuntur illi, qui vel domi, vel aliis in locis Hæreticum recipiunt, & occultant, ne veniat in manus judicum Ecclesiæ, ut sic evadat judicium, & pœnas debitas. Unde qui ob alios fines recipit, & occultat, ne v.c. occidatur à latrone, ne capiatur à judice seculari ob alia crimina, non dicitur formaliter Receptator hæretici, nec istam censuram incurrit. Et quidem in jure dicitur Receptator, qui vel semel hæreticum occultat, nec requiritur frequentatio actuum, ut præter alios benè notavit Sosa. Say c.5.n.3. Soa. 11. sect. 5.

43 Non desunt qui credant ad hanc censuram incurrendam tamquam hæretici Receptatorem, opus esse, ut motivum recipiendi, & occultandi sit favor hæretici, quà talis, non autem satis esse, si alia de causa recipiat, & occultet, v.c. quia amicus est, consanguineus, vel affinis. Unde existimant eum, qui occultat patrem, filium, uxorem, maritum, imò & fratrem, aut sororem, vel etiam amicum, quia tales sunt, non verò in favorem hæresis, non incurrere excommunicationem hujus canonis. Moventur, quia hæc censura fertur in Receptatores Hæreticorum ratione hæresis; sed receptans tales personas licèt favorem præstet homini hæretico, non intendit formaliter favorem hæresis, sed hominis, ad cujus bonum procurandum movet ratio naturalis amicitiæ, aut sanguinis conjunctio. Quam sententiam proba- Sof.d.9.n.3. Sof.d.10. Vg l.hic.

bilem putat Sosa, sed oppositam credit probabiliorem. Cui ego magis adhæreo, & quia est juxta praxim sancti officii, ut habetur in Repertor. Inquisit. Verbo Receptatores. Et quia rarò quis, qui hæreticus non sit, receptat, & occultat hæreticum ratione hæresis, sed ex alio motivo naturali amicitiæ, & similium. Unde rarus, vel nullus esset, qui hanc censuram incurreret. Sos. d. 9.

44 Aliqui tamen sunt casus, in quibus hæc censura non incurritur. Primò, quando quis recipit metu mortis coactus, aut alterius gravissimi damni. Cùm enim nulla lex humana obliget per se cum probabili vitæ discrimine, aut alterius damni gravissimi; neque hæc quæ humana est, cum eodem obligabit. Secundò, cùm Recipiens ignorat hominem, quem recipit, & occultat, hæreticum esse. Quia tunc hominem recipit, non hæreticum. Si tamen à ministris moneatur se hæreticum inquirere, ille nolit illum tradere, censuram incurret; quia cessabit ignorantia, & jam occultabit; quà hæreticum. Tertiò, cùm quis recipit, & occultat illum, qui quæritur ut hæreticus; recipiens tamen certò novit innocentem esse, & minimè hereticum. Nam censura solùm ligat recipientem, & occultantem hæreticum, qui verè talis sit. Unde qui certò sciret talem hæreticum non esse, non innodaretur hac censura, casus tamen iste videtur metaphysicus; quia rarò constare potest occultatum innocentem. Si tamen certò constaret, casus veritatem contineret.

45 Quartò excommunicantur Hæreticorum Fautores, qui dicuntur illi, qui Hæreticis favent. Tribus autem modis potest quis hæretico favere, nempe omissione, facto, & verbo. Omissione, ut si ea omittat quis facere, quæ ad Hæreticorum capturam, punitionem, procedendumque contra eos in causa fidei, necessaria sunt. Non dicuntur autem fautores ex hac omissione, nisi qui tenentur ea facere, quæ omittunt, vel ex officio, vel ex juramento. Unde Domini, vel Magistratus, qui requisiti ab Episcopo, vel Inquisitore, non exercent officium suum, capiendo, custodiendo, & familiares, qui omittunt capturam sibi commendatam, & testis, qui juridicè interrogatus, ut hæretico faveat, non dicit veritatem, & generaliter qui tenentur ex officio hæreticum capere, judicare, punire, &c. Fautor dicitur, & excommunicationem incurrit. Non verò qui ad hæc non tenetur nec ex officio, nec ex juramento. Unde personæ privatæ, quæ nec ex officio, nec ex juramento tenentur ad Hæreticorum causas concurrere, si ea facere omittant, quæ ad eorum capturam, & ad procedendum contra eos necessaria sunt, ex vi hujus clausulæ non excommunicantur, nec dicuntur Hæreticorum Fautores, estò illos non denuntient, ad quod ex charitate tenentur. Tol. c. 19. n. 7. Sos. d. 11. n. 9.

46 Facto dicitur Fautor ille, qui alimoniam, equum, arma, & similia Hæretico præstat, ut fugiat, & se liberet à manibus judicum, & similia faciunt in ordine ad hæresim, ut impunita maneat. Non desunt tamen, qui excusent ab hac censura faventes Hæretico, non ut Hæreticus est, sed ut amicus. At exceptio non videtur probanda, quam falsam appellat Tolet. verbo Fautor dicitur, qui verbis, aut litteris Hæretico favet, vel patrocinando, ut liberetur, vel dicendo iniquè Inquisitores contra eos procedere, & similia. Qui ergo favent aut omissione, aut facto, aut verbo modis proximè indicatis, hac censura innodantur, sive sint personæ publicę, sive privatæ. Tol. c. 19. n. 9.

47 Quintò, excommunicantur Hereticorum Defensores. Hi autem dicuntur illi, qui potentia, authoritate, vel armis tuentur hæreticum, ut tutò vivat, ne capiatur à judicibus fidei, examinetur, & puniatur. Qui defendit, ut fugiat, ne fiat executio justitiæ. Unde censuram incurrit quicumque impedit, ne homo, quem novit hæreticum, ad manus judicis in causa fidei examinandus, vel puniendus deveniat. Similiter excommunicatur, qui patrocinatur hæretico, ut talis est, & Notarius, qui suum ministerium adhibet in simili causa. Non tamen dicuntur defensores, nec censuram hanc incurrunt, qui ab Inquisitoribus deputantur ad causas Hæreticorum tuendas, neque qui in eis scribunt.

48 Aliqua tamen sunt advertenda. Primò, qui defendit Hæreticum, Sosa d. 11.

quando

Digitized by Google

quando non quæritur in causa fidei, licèt sciat ipsum esse hæreticum, non dicitur defensor hæretici, nec censuram istam incurrit. Secundò, qui defendit hæreticum, quem ministri, ut hæreticum quærunt, sciens ipsum esse innocentem, non dicitur defensor hæretici, nec censuram incurrit, ut diximus de fautore. Punietur tamen in foro externo tamquam hæretici defensor. Quia tamen re ipsa defensor hæretici non est, non ligabitur hac censura. Tertiò, qui defendit, aut patrocinatur illi, quem credit esse hæreticum, si re vera hæreticus non sit, excommunicationem hujus Canonis non incurrit; non enim defendit hæreticum, cujus solus defensor hoc anathemate percutitur. Nec sufficit conscientia erronea, ut censura incurratur, licèt graviter peccet. Quartò, qui patrocinatur hæretico in judicio, probabiliter credens habere justam causam, non excommunicatur, licèt postea constet causam non fuisse justam. In isto enim casu defensio fuit justa. Si tamen sciat causam esse injustam, & illam defendat, excommunicationem non effugiet.

49 Sextò, excommunicantur legentes scienter libros Hæreticorum hæresim continentes, aut de Religione tractantes, estò errorem non contineant, sive legant ad eos impugnandos, sive ad aliquam eruditionem depromendam, sive ex quocumque alio fine, si legant, absque authoritate Sedis Apostolicæ. Tria autem requiruntur, ut hæc censura incurratur. Primum, quòd libri sint Authorum Hæreticorum. Secundum, ut hæresim contineant, aut de Religione tractent. Tertium, ut scienter legantur: ut quis autem legere dicatur ad effectum incurrendi hanc censuram, satis est, quòd librum oculis percurrat cum advertentia ad ea, quæ in eo scripta sunt, quamvis ore nihil exprimat, dummodo intelligat, quæ legit. Parum verò refert, an liber impressus sit, an manu scriptus. Satis etiam est legere Hæreticorum quaterniones, aut scripta quæcumque hæresim continentia, aut de Religione tractantia, cùm hæc omnia ad libros reducantur, & librorum nomine veniant. Non tamen satis est legere epistolas Hæreticorum de iisdem materiis, quidquid aliqui dicant, quia epistolæ in vulgari acceptione non veniunt nomine librorum.

Tolet. c. 19. n. 10. Sayr. c. 5. n. 12. Sota d. 13.

50 Volunt autem aliqui ad hanc censuram incurrendam satis esse paucas lineas legisse talium librorum, oppositum probabilius credo. Quia parvitas materiæ, ut censent communiter Doctores, à peccato mortali excusat, parum enim pro nihilo reputatur, sed ubi non datur culpa mortalis, excommunicatio major non incurritur; ergo talis lectio à censura excusatur, sicut & lectio illorum, qui ignoranter legunt, quia videlicet ignorant Authorem libri esse hæreticum, aut si sciant hæreticum esse, ignorant tamen talem in eo materiam contineri. Utrumque enim requiritur, & quòd sciat librum esse Authoris hæretici, aut hæresim continere, aut de Religione tractare, ut patet ex particula *Scienter*, qua utitur Bulla. Non incurres tamen hanc censuram, si librum legas gentilis, aut judæi, quamvis hæresim contineat, quia non est liber hæretici. Neque etiam incurres, si legas Hæreticorum libros, qui ex professo hæresim non continent, nec de Religione tractant, quamvis obiter hæresim aliquam contineant; quamvis Soar. oppositum videatur existimare. Ratio verò est, quia in secunda regula indicis libri Hæreticorum hæresim continentes, aut de Religione tractantes omnino damnantur, alii verò ab eisdem editi, erroribus expurgati permittuntur, ut constat ex regula octava; ergo non eodem modo prohibentur libri, qui ex professo de Religione tractant, vel hæresim ex professo continent, ac illi, qui per occasionem hæresim aliquam immiscent. Cùm in Bulla solùm prohibeantur sub censura libri Hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, illi tantùm videntur prohibiti, qui de ea materia ex professo tractant; quidquid interim sit de excommunicatione contenta in indice librorum prohibitorum. Qui autem audierit legentem tales libros, estò id suaserit, excommunicationem non incurret, quia verè non legit; quod solùm hic sub hac excommunicatione prohibetur.

Tol. c. 19. n. 10. Say. n. 12. Gre. n. 34. Sosa c. 13. n. 8.

51 Illud verò notandum, non innodari hac censura illum, qui legit libros catholicorum, in quibus hæreses, & Hæreticorum argumenta referuntur,

tur, quia sub hac clausula solùm prohibentur libri Hæreticorum, quales illi non sunt, estò eorum argumenta contineant. Similiter non prohibentur libri in quibus solùm continentur scholia, & annotationes ab Hæreticis addita, ea scilicet ratione, quia libri Hæreticorum non sunt. Advertit tamen Soar. hoc esse intelligendum, dummodo commentarii non sint tam copiosi, ut potiùs ex iis, quàm ex textu libri constent. Hoc tamen, inquit Sosa, magis fundatur in scrupulo, quàm in ratione, quia re vera libri à catholicis editi, catholicorum libri sunt, illorumque proprii nuncupantur, quantumcumque habeant copiosos Hæreticorum commentarios.

Sosa d. 13. n. 7.

52 At quinam dicuntur libri de Religione tractantes? Respondeo dici omnes illos, quibus Sacra Scriptura, vel aliqua eius pars explicatur; vel etiam illos, qui tractant de theologia scholastica, de culto Deo debito, de Religione christiana, de statu Religionis, ac de Ecclesiasticis. Nam Religio non solùm accipitur pro virtute, cujus proprium est cultum Deo exhibere, sed etiam pro congregatione hominum Deum colentium, in qua acceptione comprehendit statum Christianorum, statum Clericorum, & statum Religiosorum. Non verò comprehendentur libri, qui catenæ vocantur: quia in hujusmodi libris nulla, vel paucissima Hæretici de suo apponunt, sed Patrum, & Doctorum dicta referunt, quæ conducunt ad expositionem locorum scripturæ, quæ ab eis collecta in unum rediguntur. Hujusmodi enim libri, juxta regulam quintam indicis permittuntur, dummodo si quæ habeant expurganda, deleantur. Qui verò de Religione tractant, etsi hæresim non contineant, nullatenus conceduntur.

Sosa d. 3. n. 9. & 10.

53 Legentes verò reliquos libros prohibitos non comprehenduntur sub censura hujus clausulæ, sed considerandæ sunt regulæ indicis Romani, prohibitiones Episcoporum, & Inquisitorum, & pœnæ, quibus illos prohibent.

54 Septimò, excommunicantur retinentes libros Hæreticorum, quos legere non licet, scienter apud se, vel apud alios, sive publicè, sive occultè, eos non tradentes Inquisitoribus, cùm primum possunt. Si autem absque tuo incommodo tradere non possis, satis esse comburere docet Azor. Idemque ferè docet Sosa, quatenus ait non innodari hac censura, qui illos comburit, quia in Bulla solùm prohibetur tales libros retinere, qui autem comburit, non retinet. Illud tamen advertendum, censuram te evadere, si brevissimo tempore tales libros retineas, postquam advertisti tibi prohibitos esse. Unde si eos tradas brevi, vel cum brevitate comburas, non incurres hanc censuram, quia parvitas materiæ, ut jam diximus, excusat à peccato mortali, sine quo excommunicatio major non incurritur.

1 p. li. 8. c. 16. q. 8.

55 Octavò, excommunicantur imprimentes prædictos libros, & quomodolibet ad impressionem cooperantes, nimirum illi, qui immediatè, & proximè ad impressionem concurrunt, & propriè dicuntur imprimentes, patroni item officinæ, facientes expensas pro impressione, ordinantes, & componentes, typos attramento intingentes, torcularia prementes, chartam madefacientes, aut madefactam torculari supponentes, exemplar impressum, aut typos ipsos corrigentes. Nam hi omnes per se sunt causæ proximæ talis impressionis. Correctorem non excommunicari docet Ugol. Quod non placet. Quia non minus proximè quàm alii, ad impressionem concurrit. Similiter excommunicantur, qui tales libros transcribunt, ut imprimantur, ex eadem ratione.

Sayr. c. 5. n. 17. Sosa d. 17.

Sayr. c. 5. n. 17. Sosa d. 17.

56 Nonò, excommunicantur, qui tales libros publicè, vel occultè defendunt. Defendere autem censentur, ut notat Sayr. qui libros illos bonos esse affirmant, vel non debere comburi, vel dicunt esse permittendos ob sententiarum gravitatem, ob sermonis elegantiam, vel ob rerum, quæ tractantur, ordinem, vel qui impediunt, ne ab Inquisitoribus capiantur, & comburantur. Nec opus est, quòd credant doctrinam in eis contentam esse veram; nam qui hoc sibi persuaderet, hæreticus esset, & per aliam particulam eiusdem clausulæ cum ipsis Hæreticis excommunicaretur. Quare sufficit, ut illos defendat, etiam disputationis, vel confabulationis gratia,

Sosa d. 19. n. 4 Sayr. c. 5. n. 18.

Digitized by Google

tia, publicè, vel occultè, sive verbo, sive scripto, sive etiam facto, ut significant particulæ illæ: *Quomodolibet, ex quavis causa publicè, vel occultè, &c.*

57 Decimò, excommunicantur Schismatici, sive habeant hæresim conjunctam, putantes Papam non esse Christi Vicarium, & Caput totius Ecclesiæ Christi, sive talem hæresim non habeant, de quibus egimus lib. 8. cap. 3. sect. 5. explicantes, quid sit schisma. Maximè autem excommunicantur Schismatici, qui hæretici non sunt, ut benè notat Tolet. Nam Schismatici, qui à fide per hæresim separantur, & negant Papam caput Ecclesiæ, manifestè excommunicantur cum Hæreticis; ergo per hanc particulam excommunicantur Schismatici, qui hæretici non sunt. Hi sunt, qui alium Pontificem à vero Romano eligunt, & ipse electus, & qui ei obediunt. Item negantes Romanum Pontificem esse caput Ecclesiæ sive verbo, sive facto, ei obedientiam negantes, dummodo id sibi non persuadeant.

Tol. c. 19 n. 11. Sosa d. 18. n. 6.

58 Undecimò, excommunicantur illi, qui se ab obedientia Romani Pontificis pertinaciter subtrahunt, & recedunt, licèt Schismatici non sint, non enim omnis inobediens Papæ schismaticus est. Prob. quia istæ particulæ non sunt explicatio præcedentium, ut patet ex illis verbis: *Et eos, qui se à nostra, &c.* Quæ verba ostendunt distinctionem personarum, sed non sunt aliæ personæ, quibus verba illa possint accommodari, præter nominatas; ergo hæ hoc loco specialiter excommunicantur. Hæ sunt, quæ scientes aliquod, mandatum esse Romani Pontificis, obedire nolunt, sive maneant in terris, in quibus Pontifex ut supremum caput Ecclesiæ cognoscitur, sive ad alias declinent, dummodo credant ipsum verè esse caput Ecclesiæ, de quo præter alios Sosa. Itaque qui pertinaciter non vult obedire mandato Pontificis ab ejusque jurisdictione recedit, recusando obedientiam debitam, erit excommunicatus per hanc ultimam particulam hujus clausulæ.

Sosa proximè.

SECTIO III.

Explicatur secunda clausula Bullæ Cœnæ.

TEnor hujus clausulæ habetur n. 4. In ea fertur excommunicatio contra appellantes à mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium generale. Actio principalis prohibita in hac clausula est appellatio ab ordinationibus, seu mandatis, vel sententiis Romani Pontificis, ad generale Concilium futurum. Accessoriæ sunt tres. Prima, dare auxilium. Secunda, dare consilium. Tertia, dare favorem. Et licèt Soar. & alii eximant ab hac censura dantes consilium, ideo est, quia non exprimebantur in Bulla, quam ipsi explicant, qui tamen exprimuntur in modernioribus Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri septimi. Illud autem advertendum, pro diversitate appellantium diversam imponi pœnam, quia si sint personæ veræ cujuscumque status, gradus, seu conditionis, excommunicantur, si verò sint universitates, collegia, vel capitula, interdicuntur, eò quòd excommunicari non possunt. Cap. Romana de sent. excommunicationis in 6. 59 Soar. h. c. Sosa d. 20.

60 Per hanc igitur clausulam excommunicantur omnes personæ cujuscumque status, & conditionis, quæ ab ordinationibus, mandatis, vel sententiis indubitati Pontificis Romani ad futurum generale Concilium appellaverint sive materia sit indubitatæ, sive dubiæ justitiæ, sive etiam manifestæ injustitiæ. Fundamentum est, quia appellatio fit ad superiorem, sed in his, quæ ad Ecclesiam pertinent, Romanus Pontifex est omnibus superior, etiam Concilio generali; ergo ab eo ad Concilium appellare, foret ejus supremam authoritatem in Ecclesiam denegare, dareque occasionem Schismaticis, quòd stare non potest absque suspicione contra fidem. Sosa d. 20.

61 Non tamen innodaretur censura contenta in hac clausula, qui à sententia, mandato, vel ordinatione dubii Pontificis tempore schismatis, appellaret ad generale Concilium futurum. Quia tempore schismatis, quando est dubium, an aliquis sit ve-

Digitized by Google

rus Papa ad Concilium generale spectat id definire, & determinare; ergo etiam causas decidere, quæ à dubio Pontifice fuerunt decisæ; igitur sic appellantes hac censura non innodabuntur.

Sof. d. 20. n. 6. 62 Licèt autem aliqui existiment hanc censuram incurrere illos, qui appellant à vero, & indubitato Pontifice ad Concilium generale præsens, vel ad provinciale futurum. Probabilius tamen est oppositum. Fundamentum est; quia lex pœnalis non excedit proprium casum, sed lex contenta in hac clausula, est pœnalis, ut patet, & non loquitur, nisi de appellantibus ad Concilium generale futurum; ergo non est extendenda ad appellantes ad generale præsens, neque ad provinciale præsens, sive futurum, licèt idem contemptus supremæ Pontificis potestatis in hac etiam appellatione contineretur. (Sofa d. 21.)

Soa. cla. 1. Sofa d. 21. 63 Dantes autem auxilium, consilium, vel favorem, ut quis appellet à Pontifice ad Concilium generale futurum, non incurrunt hanc censuram, nisi appellatione posita. Patet ex verbis clausulæ: *Nec non eos, quorum auxilio, consilio, vel favore appellatum fuerit*. Quibus manifestè ostenditur non excommunicari tales personas, nisi appellatio sequatur. Nam verbum *Appellatum fuerit* dicit actum appellationis secutum.

64 Nec etiam tali excommunicatione innodabitur ille, ex cujus confidentia aliquis appellavit, nisi talis confidentia sequatur ex vi consilii præstiti, vel alicujus pacti, aut promissionis antecedentis. Ratio est, quia iste nullo modo fuit causa per se talis appellationis, nec ad eam censetur concurrisse. Unde si quis ex amicitia, vel consanguinitate, aut alia ex causa sibi persuadeat, quod apud amicum, vel consanguineum favorem, vel auxilium inveniet, & ideo appellet; non proinde amicus, vel consanguineus excommunicationem incurret: secùs verò, si auxilium, vel favorem promisit, quia tunc ad talem appellationem interponendam concurrere censetur. (Soa. prox. Sofa n. 2.)

65 Nec etiam innodabitur hac censura ille, qui post factam appellationem, auxilium, vel favorem præstiterit appellanti ad resistendum mandatis Pontificis, sub specie talis appellationis; non enim excommunicabitur ex vi hujus clausulæ. Ratio est, quia in ea excommunicantur dantes auxilium ad appellandum, unde actio dantis auxilium debet antecedere, vel concomitari ipsam appellationem; ergo actio, de qua loquimur, quæ subsequitur appellationem jam interpositam, non comprehenditur in hac clausula. (Soa. & Sofa prox.)

66 Si autem appellantes ad Concilium generale, fuerint capitulum, collegium, universitas, vel similis communitas, non excommunicantur, sed interdicuntur, ut diximus. Quid autem, & quotuplex sit interdictum, dictum est cap. præcedente Sect. 3. videbitur ergo interdictum, quod hic incurritur, esse locale. Et quia, cùm sit pœna imposita pro culpa, restringenda videtur, & favorabiliter interpretanda; sed restrictior, & favorabilior interpretatio est, quæ interdictum indefinitè positum, quale est hoc, pro locali interpretatur; ergo. Et quia Pontifex intendit punire appellantes, non verò innocentes; ergo videtur intelligendum de interdicto locali, ne dicamus interdici personas illius communitatis, quæ non peccarunt.

67 Dicendum tamen interdictum hoc esse personale. Fundamentum est, quia verba legis, vel statuti interpretanda sunt juxta vulgarem eorum acceptionem; sed vulgaris acceptio illorum verborum. *Capitulum, collegium, universitas, communitas* est quòd de personis intelligatur, non verò de locis, ut patet ex Doctoribus, qui illa in exempla personalis interdicti frequenter adducunt; ergo, quamvis materia sit pœnalis, de personali interdicto intelligenda est. Confirmatur, quia locus nihil est aliud, quàm persona quædam ficta constans ex pluribus hominibus. Unde dicitur Collegium Doctorum, Capitulum Canonicorum; ergo de personis intelligitur. Accedit, quia nomine capituli locus intelligi non potest; nam in capitulo, quà capitulum est, non exercentur divina officia; ergo nomine capituli intelligendus est non locus, sed personæ. Cùm enim appellatio fiat nomine totius capituli, omnes ad illud spectantes censentur culpabiles; ergo & puniti per interdictum. Sofa d. 23. Say. c. 4. n. 8. Sofa d. 23. n. 7.

68 Hoc autem interdictum incurritur,

ritur, non solùm quando tota communitas appellavit, sed etiam quando major pars. Si verò minor pars appellationi consenserit, aut major pars, quæ appellat, legitimè congregata non sit, interdictum non incurritur, omnes tamen appellantes excommunicantur, cùm enim quæ fiunt à minori parte, non dicantur fieri à tota communitate, nec quando ea communitas legitimè congregata non est, ab ipsa, sed à singulis personis censenda est fieri appellatio; ergo singulæ excommunicabuntur. Interdictum autem, quod communitas incurrit, generale est. Nam illud interdictum personale generale est, & non particulare censetur; quando totum capitulum, v. c. interdicitur; sed ita contingit in proposito; ergo &c. Ex quo sequitur, si quis postea fiat de corpore capituli, cum aliis interdicendum, ut colligitur ex cap. 1. dist. 17. traduntque Doctores apud Sayr.

69 Illud tandem notandum si appellatio fiat favore, auxilio, aut consilio communitatis, per hanc clausulam interdici, ut patet ex textu, ubi Pontifex id expressè dicit. Nam excommunicat appellantes, & si qui appellat, sit communitas, eam interdicit. Et postea addit: *Necnon eos, qui auxilio, consilio, vel favore.* Ad quos proculdubio præcedentes censuræ extenduntur, accommodatè tamen, non enim est major ratio, quare excommunicatio præcedens particulares personas dantes auxilium, consilium, vel favorem ad appellandum comprehendat, quàm præcedens interdictus, communitates; cùm particula: *Nec non* eodem modo præcedentia omnia conjungat.

SECTIO IV.

Explicatur tertia clausula Bullæ Cœnæ.

70 Tenor hujus clausulæ habetur nu. 5. In ea fertur excommunicatio contra piratas maris Ecclesiæ, præcipuè contra discurrentes à monte Argentario usque ad Tarracinam. Personæ principales, contra quas fertur, sunt tres, nempe piratæ, cursarii, & latrunculi. Accessoriæ sunt aliæ tres, videlicet fautores, receptatores, & defensores. Notandum verò est, piratas, cursarios, & latrunculos dici illos, qui principaliter versantur in mari ad deprædandum. Unde non censentur piratæ mercatores, qui suæ negotiationi incumbentes, aliquos in via casu deprædati sunt. Sensus autem hujus clausulæ per sequentes conclusiones declarabitur.

71 Dico primò, licèt aliqui graves Doctores censeant hìc excommunicari non solos piratas, & latrones maritimos, qui discurrunt per mare Ecclesiæ, sed omnes deprædantes in mari Christianorum; probabilius tamen est solos latrones maritimos, qui discurrunt per mare Ecclesiæ, præsertim à monte Argentario usque ad Tarracinam, hoc loco excommunicari. Fundamentum est, quia in hac clausula hi soli exprimuntur; ergo cùm sit materia pœnalis, & odiosa, extendi non debet ad casus non comprehensos: non comprehenduntur autem, ut patet, quicumque piratæ, & latrones maritimi, qui deprædantur in quolibet mari Christianorum; ergo non comprehenduntur quicumque, sed qui solùm deprædantur in mari Ecclesiæ. Tolet. c. 10. n. 5. Sosa d. 25. n. 2. Sayr. c. 7. n. 6. Sosa d. 25. n. 2.

72 Dico secundò, licèt probabile sit latrones maritimos, qui nullam deprædationem exercuerunt, censuram hujus Canonis non incurrere, ut docet Sayr. & Sosa; probabilius tamen est tales piratas discurrentes per mare Pontificium, licèt nihil deprædati fuerint, mansisse excommunicatos. Fundamentum est, quia in hac clausula nulla alia actio nominatur, præter discursum per mare Pontificis, cùm in Bullis antiquioribus exprimerentur actiones deprædandi, quæ ideò in novioribus omittuntur, ut etiam solos discurrentes ad effectum deprædandi comprehendat, etiam deprædatione non secuta. Et ratio est, quia non tantùm deprædatio, sed & navigatio ad illum effectum, est actio injuriosa Romano Pontifici, & sufficiens ad excommunicationem incurrendam; ergo illam incurrunt, qui ad deprædandum navigant, estò per accidens nullam faciant deprædationem. Tol. c. 2. n. 7. Soar. in hac clauf. Tol. c. 10. Soar. hic. Sayr. c. 7. n. 6.

73 Dico tertiò. Qui in solis fluminibus deprædantur, non incurrunt hanc censuram. Ratio est, quia Pontifex hoc loco censura ferit latrunculos maritimos; sed latrunculi fluviales non sunt maritimi; ergo non comprehen-

dun-

duntur in hac clausula. Maximè verò comprehenderentur latrones maritimi, qui flumina ad mare Pontificium pertinentia ingrederentur, & in eis aliquid deprædarentur; vel in terris maritimis ejusdem maris. Ratio est; quia tales per mare Pontificium discurrunt ad deprædandum, quod satis est ad censuram istam incurrendam, & in eodem mari deprædari censentur, cùm ex illo flumina ingrediantur, & loca maritima spoliant. Itaque latrones maritimi appellantur, & in eodem mari deprædari censentur. Similiter innodantur eadem censura latrunculi fluviales, si inde ad mare exeant, in eoque deprædentur navigantes mare Pontificium, vel loca sita ad litora ejusdem maris, quia jam fiunt latrunculi maritimi, quos hæc clausula comprehendit. Non verò innodabitur hac censura, qui exiret de navi, & aliam ascenderet, ibique varia committeret furta; quia Pontifex eos tantùm latrones excommunicat, qui alias naves, aut loca mari Pontificio adjacentia spoliat, vel deprædandi causa discurrit per tale mare; sed hujusmodi latrunculi, qui ad alium finem navigant tale mare, licèt in navibus aliorum furta committant, sub censura hujus clausulæ non comprehenduntur. Tolet. c. 2. Soar. in hac clauf. Sayr. c. 7. n. 4.

74 Dico quartò. Mercatores, qui ex officio, & primaria intentione officium piratarum non exercent, si aliquos casu in prædicto mari deprædati sint, non innodabuntur hac censura. Ratio est, quia materia hujus censuræ, sicut & cæterarum est pœnalis, ac proinde restringenda; ergo cùm in ea sermo fit de piratis, intelligenda est de iis, qui ex officio nauticum latrocinium exercent. Patet consequentia, quia, ut benè Sayr. ut aliquis dicatur pirata, cursarius, & latrunculus, requiritur primò, quod latrocinium ex primaria intentione exerceat, illud enim inspicitur, quod principaliter agitur, lege si quis nec casu ff. si certum petatur. Secundò quòd indifferenter se habeat in spoliando, ita ut non unam tantùm nationem, sed indifferenter omnes, cùm possit, spoliet: sed qui hoc semel, aut bis fecit, has conditiones non habet; ergo &c. Meritò tamen ait Sosa eos; qui non solùm semel, aut bis, sed pluries; licèt secundaria intentione, navigantes deprædantur, comprehendi sub censura hujus clausulæ; quia secundaria intentio non tollit denominationem, quæ procedit ex multiplicatione actuum. Cùm ergo ex pluribus actibus furti, fures, & latrones tales denominentur, non est cur non comprehendantur sub hac censura. Sosa d. 28. n. 3.

75 Dico quintò. Non comprehenduntur sub hoc Bullæ Canone, qui in prædicto mari deprædantur titulo belli, sive justi, sive injusti. Ratio est, quia tales homines verè, & propriè non sunt dicendi latrones, cùm solam injuriam illatam sive veram, sive creditam vendicare studeant; ergo non excommunicantur; cùm in pœnalibus ultra propriam significationem non fiat extentio. Advertit tamen Sosa, si quis bellum injustum moveret animo deprædandi illos, quibus bellum indicit, non effugere hanc censuram. Quia in eo casu daretur verè, & propriè furtum, & deprædatio maritima ex primaria intentione. Nam bellum, ut supponitur, solùm indicitur, ut medium ad deprædandum; ergo &c. Sosa d. 29.

76 Dico sextò. Qui solos deprædantur infideles, sive justè, sive injustè id faciant, non comprehenduntur in hoc Canone. Fundamentum est, quia non est probabile velle Ecclesiam protegere infideles, præsertim inimicos, sub tam gravi censura, qui vel Ecclesiam totius viribus oppugnant, vel de illius gremio non sunt; ergo qui solos deprædaretur Turcas, Mauros, Hæreticos, & Gentiles, non excommunicaretur per hanc clausulam. Excipit tamen Ugolin. & benè, quando infideles, ut sunt Judæi, pacificè vivunt inter Christianos, & in terris Christianorum, ut vivunt in Italia. Quæ exceptio probabilis est, quia istorum deprædatio cederet in Apostolicæ Sedis injuriam, cui Pontifex obviare intendit. Tol. c. 2. Soar. hic n. 21. Sayr c. 7. n. 9.

77 Addendum præterea est, non comprehendi sub censura hujus Canonis eos, qui concedunt repræsalias, quæ dantur, cùm in recompensationem damni, vel injuriæ, ad personas, vel eorum bona capienda aliqui exeunt. Ratio est, quia si repræsaliæ sunt justæ, nulli in earum exercitio fit injuria. Si verò injustæ sunt, dummodo non assumantur ut medium ad deprædandum, sed ad reparandum damnum datum, censeri debet sufficiens titulus, ut qui Sosa d. 30. n. 3.

eas

Digitized by Google

ea exercent, latrones non dicantur. Unde licèt tales aliquando excommunicentur, ut habetur cap. 1. de injuriis in sexto, censuram tamen hujus clausulæ non incurrunt, quæ solos latrunculos maritimos, & cursarios ad deprædandum comprehendit.

78 Dico septimò. Innodantur censura hujus clausulæ omnes Receptatores horum piratarum, auxilium eis dantes, aut favorem, sub quibus certè comprehenduntur, qui voluntariè remigant in triremibus talium piratarum, qui voluntariè gubernant eorum naves, qui ibi militant ad eos defendendos, & reliqui omnes, qui fautorum nomine censeri possunt. Dixi: *Voluntariè*, quia qui coacti apud hos piratas remigant, vel eorum naves gubernant in aggressione ad deprædandum, regulariter non excommunicantur, quia lex humana ordinariè non obligat cum vitæ periculo, ut est communis doctrina Theologorum; sed quando coacti remigant, vel gubernant, datur probabile vitæ periculum, ut est manifestum, occiduntur enim, nisi remigent, & flagellantur ad mortem; ergo clausula hujus Canonis, cùm sit lex humana, miserrimos istos captivos cum tanto periculo non obligat. Quamvis autem consilium dantes non exprimantur in hac clausula, comprehendi sub auxilio docet Tolet. cum aliis, licèt probabilius neget Soar. Sayr. Sosa cum aliis, quia re vera dare consilium non est præbere auxilium.

Soar. hic n.61. Tol. c.24. Sayr. c.7. n.8. Sosa d.31.

SECTIO V.

Explicatur quarta clausula Bullæ Cœnæ.

79 Tenorem hujus clausulæ habes n. 6. In ea excommunicantur rapientes bona Christianorum naufragantium. Unde materia hujus censuræ est in latrocinium, furtum, seu rapina bonorum naufragantium Christianorum. Actio prohibita est una tantùm, nempe furari prædicta bona Christianorum naufragantium sive in navibus adhuc existentia, sive ex iisdem jam ejecta, sive in litore inventa, cujuscumque generis ea bona sint, & in quocumque mari; neque excusat ab hac censura privilegium, aut consuetudo aliqua, aut longissimi, & immemorabilis temporis possessio, aliusve quicumque prætextus. Ubi notandum, nomine Christianorum, non venire hìc Hæreticos, & Apostatas, qui ad Paganismum, vel Judaismum, aut ad aliquam Hæreticorum sectam recesserunt, sed solos Christianos catholicos, quia Pontifex videtur velle defendere solos catholicos. Neque enim par est, ut bona inimicorum Ecclesiæ sub tanta censura teneantur. Unde qui surripuerit bona naufragantium infidelium, sub hac censura non comprehenditur. Sayr. c.8. Sosa d.25.

80 Notandum tamen est primò, ut hæc censura incurratur, satis esse ea bona semel surripuisse. Illi verò ea surripere dicuntur, qui accipiunt ea animo non restituendi, vel animo sibi retinendi quoad dominium, possessionem, aut usum, quamvis, mutato animo, statim restituant. Ratio est, quia Pontifex excommunicat surripientes hujusmodi bona, quatenus per ea furtum committunt; sed in hoc casu verè committitur furtum; ergo incurritur censura. Neque mutatio animi, & restitutio statim facta efficiunt, quòd antecedenter non fuerit furtum commissum. Idem dicendum, quando aliquis prædicta bona surripit, ut illis ad certum tempus utatur, & postea verò domino reddat. Quia per talem acceptionem, & usum rei verus dominus damnificatur, estque actio illa verè furtum, ut benè Sayr. & Sosa multique alii. Tol. c. 21. Sayr. c.4. n.18. Sayr. c.8. n.3.

81 Notandum est secundò non innodari hac censura illum, qui ex naufragio talia bona accipit, animo reddendi dominis, cùm cogniti fuerint, eaque illis servandi, donec compareant. Fundamentum est, quia quandiu in ea intentione perseverat, nec ratione acceptionis, nec ratione retentionis peccat, cùm tales sint actus virtutis. Neque Pontifex intendit prohibere acceptionem, vel retentionem, nisi ut vitetur malum miserorum naufragantium; cùm ergo per talem acceptionem, & retentionem, consulatur naufragantibus, ne bona eorum pereant, non potest excommunicari, qui eo fine accipit, & retinet. In quo conveniunt omnes Doctores. Si verò quis ea bono animo accipit, & servat; illo tamen postea mutato, illa sibi retinet, excommunicationem incurrit. Ratio est, quia in genere moris idem est accipere rem alienam, invito domino, ac retinere animo Sayr. c 4. Sosa d. 31. n.3. Soar.n.31. Sosa d. 31.

animo non reddendi, sed qui accipit manet excommunicatus; ergo & qui retinet. Cùm primùm enim animum mutavit, surripuisse censendus est, atque adeo ex tunc excommunicationem incurrisse.

82 Notandum tertiò, ut hæc censura incurratur, duo requiruntur, nempe ut materia, quæ surripitur, sit materia peccati mortalis, pro quo solo incurritur excommunicatio major. Et quòd surripiens sciat bona, quæ surripit, esse naufragantium Christianorum. Nam hæc censura ponitur pro culpa surripientium bona Christianorum naufragantium; sed talis culpa formaliter non committitur, nisi ab eo, qui scit, aut scire tenetur bona illa esse hujusmodi; ergo &c. Unde qui inculpabiliter ignorat bona, quæ surripit, esse naufragantium Christianorum, quamvis sciat esse aliena, non manet excommunicatus. Neque etiam simplices, & rustici, qui vel nesciunt de excommunicatione posita; vel credunt sibi licere ea bona surripere, ignorantia, inquam, quæ excuset à culpa mortali, hac censura non ligabuntur.

Soar. n. 29. Sosa d. 33. n. 5.

83 Notandum quartò, non innodari hac excommunicatione illum, qui per furtum, rapinam, vel gratuitam donationem accipit prædicta bona naufragantium à primo surripiente. Patet ex ipsa clausula Bullæ, in qua de primo tantùm surripiente sermo est, non verò de secundo, vel tertio. Neque enim censura, cùm sit pœna, ultra proprium casum extenditur, ut sæpè diximus. Quòd autem pateat ex clausula Bullæ, inde constat, quia utitur his verbis: *In ipsis navibus, sive ex iisdem ejecta in mari, vel in litore inventa surripiunt*. Quæ verba manifestè ostendunt Pontificem solùm loqui de primo surripiente. Et confirmatur, quia in Bullis antiquioribus erant verba, quæ secundos surripientes comprehendebant, ut videre est in Bulla Gregorii Decimitertii, quæ verba hodie sublata sunt: ergo quantumcumque secundus, vel tertius latro, aut gratis accipiens sciant bona illa injustè fuisse è naufragio usurpata, censura hac non innodabitur.

84 Limitarem tamen prædictam doctrinam cum Doctoribus citatis, nisi fortè eo loco, & tempore, & cum iis circumstantiis accipiantur à primo surripiente; quòd moraliter censeantur isti secundarii immediatè surripere, v. c. quando in ipso actu, quo primus latro sumpsit, statim taliter partem alicui tribuit, ut accipiens furti particeps censeatur. Vel quando primus latro surripit, & illicò secundus hoc ipsum ab eo rapit, vel furatur, quæ prudentis judicio expendenda sunt. Similiter excommunicatur surripiens ab eodem naufragante in ipso naufragio postquam sua bona accepit, ut patet, sunt enim bona naufragantis; quod non erit, si ea postea in domo sua recondita habeat, indeque capiantur. Unde etiam sequitur eum, qui ex vi alicujus pacti antecedentis, accipit à primo surripiente talia bona, si pactum tale sit, ut ratione illius dicatur concurrere ad furtum tamquam particeps illius excommunicari per hanc clausulam. Nam talis homo dicitur fur, estque particeps in primo furto; ergo censetur inter primos surripientes. Unde omnes, qui dant auxilium ad primum furtum, sunt illius participes, ut quando latro non potest navium ascendere, nisi alter scalam ministret, aut humeris sublevet, vel si quis mandet, ut fiat furtum, & generaliter omnes concurrentes ad tale furtum, sine quibus furtum non fieret. Si tamen quis hujusmodi bona surripiat ab eo, qui ea bono animo accepit, ut vero domino tradenda servaret, non excommunicabitur, quia licèt in genere surripientium sit primus, in genere accipientium ex naufragio, primus non est, ut patet.

85 Notandum quintò, sæpè tempore tempestatis jactari merces in mare, ad navium exonerandam. De quibus sic jactatis dubium est, an qui eas acceperit, hac censura innodetur? Communis resolutio est innodari, si bona illa non habeantur pro derelictis; secùs verò, si pro derelictis habeantur. Prima pars inde probatur, quia tempestas, quæ cogit projicere merces in mare, pro naufragio reputatur: sed qui surripit bona ejecta ex navibus quomodocumque naufragium passis, excommunicatur; ergo si ea, quæ surripiuntur, non habeantur pro derelictis, excommunicatio incurretur. Secunda pars inde est manifesta, quia ea, quæ habentur pro derelictis, fiunt primi occupantis, cùm dominus ea mente abjiciat, ut ea

in numero rerum suarum habere nolit; ergo qui ea accipit, non excommunicatur, quia injuriam domino non irroget.

86 Difficultas tamen est in cognoscendo, quæ habeantur pro derelictis? certè quæ non voluntariè, sed coactè à domino projiciuntur, non habentur pro derelictis, quia semper dominus ea vult recuperare, si possit. Unde Sosa cum aliis docet non evadere hanc censuram, qui surripit res illas statim perituras, estò eas dominus comparaturus non esset, quia res illæ, quandiu non pereunt, ad verum dominum pertinent: neque enim ex naufragio illarum dominium amisit; ergo qui illas accipit domino non restituturus, verum dominum naufragium passum spoliat, atque adeo excommunicatur, dummodò res illæ pro derelictis non habeantur. Quòd autem illæ cum vitæ periculo, aut sine illo liberentur, solùm facit, ut verus dominus plus teneatur solvere pro labore in illis liberandis impenso, non verò dat justum titulum ad illas retinendas.

Sosa d. 37. 87 Notandum sextò, non evadere hanc censuram, qui accipiunt bona ex navi, quæ vetustate, aut igne perit. Quia omnibus illis modis navis naufragium patitur. In Bulla enim dicitur: *Quomodocumque naufragium passis*. Unde ad naufragium solum requiritur, quòd navis cum iis, quæ in ea sunt, in totum, vel in partem pereat, sive tempestate, sive incendio, sive vetustate, sive alia quacumque de causa pereat, sive ad saxa, sive ad syrtes illidatur, dicitur naufragium passa. Quod etiam est, cùm navis semifracta ex bello submergitur, vel ad littus jactatur. Neque enim ad naufragium opus est, ut hæc in navi contingant, dum navigat, & per mare discurrit, sed sufficit si ei accidant, dum est in portu sub anchora. Porrò navis nomine venit omne genus navigii, triremis, vel cymbæ.

88 Quæres autem, utrùm innodetur hac censura, qui bona Christianorum naufragantium usurpat, si navis naufragium passa, sit propria infidelium pretio conducta? Respondeo affirmativè. Nam qui surripit bona Christianorum naufragantium excommunicatur; sed prædicta bona, per hoc, quòd in navibus infidelium asportentur, non desinunt esse bona Christianorum; ergo &c. Sed quid si bona infidelium asportentur in navi fidelium pretio similiter conducta? Respondeo ea usurpantem non excommunicari, quia Bulla solùm loquitur de bonis Christianorum; bona autem illa, ex eo quod asportentur in navi fidelium, non desinunt esse infidelium; ergo qui illa surripuerit, hac censura non innodabitur. Quid verò de bonis fidelium ab infidelibus injustè captis, apud quos naufragium passa sunt? Respondeo non innodari, qui talia bona surripuerit, quia licèt talia bona, quoad dominium, sint Christianorum; quoad possessionem, & usum sunt apud infideles; ergo non censentur bona naufragantium Christianorum. Aliter dicendum, quando fideles Christiani bona infidelium rapuerunt, quia, cùm possessio, & usus talium bonorum sit apud fideles, ab illis immediatè surripi censentur; ergo qui ea surripuerit ex naufragio, innodabitur. Sed quid dicendum de bonis Christianorum, quæ infideles deferunt in suis navibus cum assecuratione illa reddendi certo loco, quomodocumque pereant? Respondeo non excommunicari eos, qui ea ex naufragio surripuerint. Ratio est, quia bona illa non censentur fidelium, quoad damnum secutum ex naufragio, vel furto, cùm si pereant, infidelibus pereant. Unde cessat ratio censuræ, quæ est, ne Christianis detrimentum ex naufragio sequatur. Aliter dicendum, si Christiani eadem obligatione infidelium bona in suis navibus deferant; quia cùm illa bona fidelibus pereant, eò quòd sunt apud fideles; quoad custodiam cum obligatione reddendi, qui ea surripit ex naufragio, damnum infert Christianis, & non infidelibus; ergo, &c. Sosa d. 15.

89 Sed quid dicendum de Christianis piratis naufragium patientibus? Sayrus probabile putat hujusmodi bona surripientes non excommunicari. Oppositum tamen judico cum Sosa ea ducto ratione, quia in Bulla Pii V. fiebat hæc exceptio, ut non excommunicarentur surripientes bona piratarum Christianorum naufragantium; in aliis verò Bullis similis exceptio non fit, sed absolutè sermo est de bonis Christianorum naufragantium. Constat ergo Pontifices posteriores hunc casum non excipere, & meritò, quia Christiani regula-

Digitized by Google

gulariter non exercent piraticum officium, nisi erga hostes nominis Christiani ad vindicandas injurias ab ipsis Christianis illatas; ergo qui talia bona ex naufragio surripuerit, censuram istam non evadet.

90 Sed quid faciendum de bonis naufragantium? In Auth. de naufr. lib. 2. dicitur, quòd si dominus illorum intra annum ea non repetat coram judice, postea non audiatur in judicio. In Ordin. verò nostris lib. 2. tit. 12. sancitur, ut si dominus intra sex menses non compareat, tradantur in libertatem captivorum, ea tamen lege, ut quandocumque verus dominus comparuerit, ei sua bona restituantur, soluto tamen pretio inventori pro suo labore in re custodienda. Quare dicendum est, si facta tota morali diligentia, ut deprehendatur, quis sit verus illorum bonorum dominus, & ipse non appareat, licitum esse ea ad aliquos usus applicare, juxta ea, quæ docent Doctores de rebus, quarum domini, post factam moralem diligentiam non comparent, ut benè Soar. & Sayr. & licèt Sosa adhibeat moderationem, dummodo post applicationem, vero domino comparenti, quidquid de bonis illis extiterit, restituatur; sicut & illud, in quo, qui expendit, factus est ditior. Quæ moderatio probanda non est, nisi ex sola æquitate. Quia facta applicatione, vel per judicem, vel per Bullam compositionis, vel titulo paupertatis, jam bona illa fiunt propria expendentis. Unde postea domino comparenti restitutio non debetur ex justitia, sed ex sola quadam æquitate, & pietate.

Soar. hic n. 4. Sayr. c. 8. n. 7. Sosa d. 38.

SECTIO VI.

Explicatur quinta clausula Bullæ Cœnæ.

91 Hujus clausulæ tenor habetur n. 7. In ea fertur censura in imponentes nova pedagia, & gabellas, omneque genus tributorum. Actiones, quæ prohibentur, sunt tres. Prima, imponere in terris suis nova pedagia, seu gabellas, aut tributa. Secunda, pedagia, seu gabellas augere. Tertia, hujusmodi pedagia, seu gabellas exigere. Non est autem in hac clausula sermo de pedagiis, gabellis, ac tributis impositis personis Ecclesiasticis, quia de his agitur inferiùs in clausula decimaoctava; sed solùm agitur de impositis laicis. Notandum verò, olim sola pedagia fuisse prohibita sub hac censura, hodie verò addi & gabellas, ut comprehendantur omnia tributa in quacumque materia, & ex quacumque causa imposita fuerint, ut benè notant Doctores.

92 In hac igitur clausula certum est primò, excommunicari illos, qui absque legitima authoritate gabellas, & tributa imponunt, vel augent, sive causæ, & modus sit justus, sive injustus. Illos verò esse dominos non supremos, qui nempe superiorem in temporalibus agnoscunt, & civitates non liberæ, quæ sine authoritate supremi domini, tributa imponunt, vel augent.

Tol. c. 21. Soar. hic n. 41. Sosa d. 39. n. 3.

93 Certum est secundò, non excommunicari habentes legitimam potestatem ad impositionem tributorum, ex quacumque justa causa eis competat. Fundamentum est, quia Pontifex per hanc clausulam intendit auferre potestatem imponendi tributa saltem justa ab iis, qui de jure illam possident, quales sunt Imperator, Reges, & Principes supremi, ac Respub. liberæ nemini subjectæ; sed solùm intendit, ne potestatem non habentes eam usurpent, populumque novis gabellis opprimant, ut communiter docent Doctores.

Soar hic n. 36. Sayr. c. 9. à n. 13. Sosa d. 40. Tol. c. 21.

94 Dubium verò est, utrùm habentes potestatem imponendi gabellas, & tributa, v. c. Principes supremi, in hac clausula aliquo modo comprehendantur? comprehendi inde videtur probari, quia Bullæ antiquæ excommunicabant omnes potestatem non habentes, qui in terris suis nova imponebant pedagia, ut videre est apud Nav. At in Bullis modernorum Pontificum non ita censura hæc fertur, sed absolutè in eos, qui hujusmodi pedagia, & gabellas imponunt, præterquam in casibus sive à jure, sive ex speciali Sedis Apostolicæ licentia permissis; ergo videntur comprehendi supremi Principes, cùm in hac parte excedunt potestatem sibi à jure concessam.

Nav. c. 27. n. 61.

95 Nav. Tolet. & Sayr. docent non comprehendi sub hac clausula nisi eos, qui ad imponenda tributa potestatem non habent. Unde docent, estò tributa

Digitized by Google

buta ab eis imposita aliunde sint injusta, non excommunicari per hanc clausulam supremos Principes potestatem habentes ad tributa imponenda. Imò Tolet. ait Pium Quintum interrogatum à quodam Rege ita ei respondisse.

96 Nihilominus Sosa docet hanc opinionem probabilem non esse. Fundamentum est, quia Pontifex in hac clausula non tantùm excommunicat eos, qui imponunt tributum, ad illud imponendum potestatem non habentes; sed eos, qui illud imponunt in casibus sibi à jure non permissis. Cùm ergo non habentibus potestatem ad tributa imponenda, in nullo casu permittatur ea imponere, sermo est de illis, qui talem habent potestatem, quibus in multis casibus ea imponere non licet. Additur, quia mens Pontificis potiùs videtur inspicere excessus habentium potestatem, quàm non habentium; eò quòd non habentes, si velint tributum imponere, facilè à superioribus, cùm illos habeant, cohiberi possunt; habentes autem potestatem, quia superiorum non cognoscunt, non est à quo cohibeantur, facilèque possunt excedere in ruinam populorum, & propriarum animarum dispendium; quibus malis Papa tamquam communis pater tenetur occurrere. Et ita docet Tabien. Graffius, Soar. & alii.

Tabiena pedag. n.6 Graf. hic a.1. 66 Soar. hic n.39.& 40. Sosa d. 41.

97 Unde Principes supremi, qui injusta tributa imponunt, sive ex parte causæ materialis, cùm nimirum imponuntur supra materiam indebitam, ut in iis, quæ emuntur ad necessariam sustentationem, sive ex parte causæ finalis, cùm tributum non imponitur pro bono publico, hac censura innodantur. Excommunicantur præterea per hanc clausulam exactores, seu ministri, & officiales, qui tales gabellas, & tributa exigunt, sive imposita sint à non habentibus potestatem imponendi, sive illam habeant, quando eis à jure non permittitur. Patet ex verbis hujus clausulæ: *Prohibita exigunt*. Nempe, quæ per hanc clausulam prohibentur.

SECTIO VII.

Explicatur sexta clausula Bullæ Cœnæ.

Tenor hujus clausulæ habetur n. 8. In ea excommunicantur falsificantes litteras Apostolicas. Actiones in ea prohibitæ sunt quatuor. Prima, falsificare litteras Apostolicas etiam in forma Brevis. Secunda, falsificare supplicationes gratiam, vel justitiam concernentes per Roman. Pontificem, aut Vicecancellarios, aut eorum locum gerentes, aut de mandato Rom. Pontificis signatas. Tertia, falsò fabricare litteras Apostolicas etiam in forma Brevis. Quarta, falsò signare supplicationes sub nomine Rom. Pontificis, seu Vicecancellarii, aut prædictorum vices gerentium. 98

99 Litteræ autem Apostolicæ dicuntur Bullæ plumbeo sigillo signatæ, quæ à Datario, id est, Ecclesiæ Notario, cum sigillo, & subscriptionibus solitis expediuntur. Brevia dicuntur rescripta sub nomine Papæ expedita, quæ non plumbo, sed cera rubra signantur, & expediuntur sub annulo Piscatoris. Supplicationes sunt petitiones in scriptis factæ, Papæ, Vicecancellario, vel eorum vice gerentibus, & propriè dicuntur illæ, quæ fiunt ad instantiam partis; secundùm tamen communem loquendi usum, etiam dicuntur, quæ motu proprio à Papa conceduntur, continentque vel gratiam, vel justitiam. Et quia usus loquendi præfertur significationi propriæ; efficitur, ut supplicationes hoc loco, juxta communem acceptionem, sumantur, & dicantur signaturæ, cùm Pontifex, aut Vicecancellarius subscribunt: *Fiat*.

100 Notandum verò primò est, hanc censuram latam fuisse in jure communi cap. ad Falsariorum, de crimine falsi. Licèt in hac clausula Bullæ in parte sit restrictior; quia non comprehendit utentes litteris falsis, nec impetrantes, nec fautores, & defensores falsariorum, nec falsificantes per alios, quod jus commune comprehendit in cap. illo. Sed comprehendit solos falsarios per se, qui per se falsificant. In parte verò est latior, quia

quia ibi comprehenduntur tantùm falsificatores litterarum Apostolicarum, hic verò non solùm hi, sed etiam signantes supplicationes gratiam, vel justitiam concernentes etiam nomine Vicecancellarii.

Sosa d. 41. 101 Notandum secundò, per litteras Apostolicas non intelligi litteras Pœnitentiariæ Apostolicæ, nec Legatorum, aut Nontiorum, nec quarumcumque Congregationum Cardinalium, nec Archiepiscoporum, aut quorumcumque inferiorum Prælatorum. Quia tales litteræ non expediuntur nomine Romani Pontificis, sed nomine eorum, nempe nomine Summi Pœnitentiarii, nomine Cardinalium, Legatorum &c. unde falsificantes istorum litteras non incurrunt hanc censuram, nec comprehenduntur sub hac clausula. His prænotatis.

102 Certum est apud omnes falsarium esse prædictarum litterarum eum, qui litteras Apostolicas ita mutat, ut valentes faciat non valere, aut viceversa, non valentes faciat valere; aut valentes faciat magis valere; sive falsificatio fiat in scriptura, sive in plumbo, sive in sigillo. Unde quotiescumque mutatur sensus litterarum contra mentem Pontificis, quamvis hoc fiat per mutationem unius tantùm litteræ, vel puncti, incurritur censura hujus Canonis.

Sosa d. 41. 5 103 Sosa cum Graff. dicit: Si quis falsificavit litteras Apostolicas, quamvis illis non utatur, excommunicari per hunc Canonem. Quia in eo casu, inquiunt, datur vera falsificatio litterarum Apostolicarum; nec Pontifex loquitur de utentibus, vel non utentibus litteris falsificatis, sed de falsificantibus. Quod ego admitterem de falsificantibus in ordine ad usum, licèt ille postea non sequeretur. Nam si quis jam esset determinatus ad non utendum, vel quia jam non esset locus ad usum, vel aliunde, esset actio tantùm otiosa, & nullatenus nociva, nec mortaliter peccaminosa, quia non esset in ordine ad aliquem effectum. Addunt deinde: Si quis rasit aliquam clausulam animo addendi novam, & postea pœnitentia ductus eamdem, quam raserat, scripsit, non innodari hac censura. Quia in tali casu nulla facta est mutatio, nec falsificatio, & animus non sufficit sine falsificatione, ad censuram incurrendam.

104 Non desunt graves Doctores, qui affirment satis esse ad incurrendam hanc censuram, si quis in prædictis litteris vel unum punctum mutet, aut unam corrigat litteram, sensu etiam non mutato, nisi mutent illi, quibus ex officio incumbit. Sed oppositum tenendum est, quando sensus non variatur, ut litteræ fiant validæ de non validis, aut ex validis validiores. Nam tales verè non sunt falsarii, ut satis sumitur ex cap. Circumstantia, de crimine falsi. Et probatur. Quia hoc loco prohibetur litterarum falsificatio, quæ vera, & propria non datur per solam materialem mutationem, sed requiritur formalis, ad quam necessaria omninò est sensus mutatio, quia ut docent Doctores, ut quis puniatur de crimine falsi, tria requiruntur. Primum, mutatio veritatis. Secundum, quòd mutetur cum dolo, Tertium, cum præjudicio. Falsitas enim definitur mutatio veritatis cum dolo, & jactura: sed nullum ex tribus invenitur in hoc casu, quia veritas non mutatur, cùm idem sensus retineatur, ut supponitur. Nec datur dolus, cùm mutatio non fiat ad decipiendum, neque ex tali mutatione damnum aliquod sequitur; ergo &c. Et hæc est communis sententia Doctorum. Tol. c. 21. Suar hic à n 46. Sayr. c. 10. n 11. Sosa d. 41. n. 6.

105 Majus dubium, quando mutatio fit quoad sensum, sed ad mentem Pontificis secundùm se, at contra id, quod in litteris habetur? Ut si petisti dispensationem pro tertio gradu consanguinitatis, &, per errorem amanuensium positus fuit idem gradus affinitatis? Sosa probabilius credit incurri censuram hujus Canonis, quia, inquit, est mutatio magni momenti. Et licèt mens Pontificis fuerit concedere juxta mutationem factam, intentio ejus non est, ut error litterarum per alios, quàm per ministros ad id deputatos, corrigatur. Et confirmat, quia non licet novas litteras fabricare in prædicto casu, easque supponere pro expeditis; ergo nec expeditas, sic mutando, corrigere. Tandem quia in hac clausula non prohibetur falsificatio mentis Pontificis, sed litterarum Apostolicarum: ergo non evadit censuram, qui talem mutationem facit, esto sit ad mentem Sosa d. 41. n. 8.

Pon-

Pontificis, quæ re vera fuit concedere, quod petebatur, & per inadvertentiam scribentium positus fuit unus gradus pro alio.

Sayr. lib. 5. c. 10. n. 11. Ugol. hic § 2. Reginac. lib. 9. n. 2. Bonac. disp. 1. q. 7. p. 2. Palaus, to. 5. d. 3. p. 7. n. 5.

106 Hæc sententia probabilior videtur. Nihilominus non desunt, qui hos à censura excusent, maximè quando, quod in litteris conceditur, est majus eo, quod petebatur, ut patet in exemplo adducto, & in eo qui peteret dispensationem in tertio gradu, & litteræ per errorem continent dispensationem in secundo ejusdem generis. Quia, inquiunt, tales non tam dicuntur falsificare litteras Apostolicas, quàm eas corrigere, juxta mentem Pontificis; ergo dici non possunt incurrere censuram impositam falsificantibus. Si autem hinc inferas: Ergo etiam non incurret prædictam censuram, qui in eo casu integras litteras conficeret, juxtà mentem Pontificis. Negant illationem, quia hoc gravis materia esset, & non posset stare fine falsificatione subscriptionum, & sigillorum; in quo esset propria falsificatio, quæ non esset in nostro casu, ultra quod materia esset valde levis. Quam sententiam non improbarem maximè in aliquo casu, in quo difficilis esset secundus recursus ad Pontificem. Quia verò casus iste frequens esse solet propter incuriam scribentium, qui unum pro alio ponunt cum magno partium damno, prudentia dictabit ex circumstantiis quid in hac parte fieri debeat.

107 Dubium etiam est, utrùm comprehendantur sub hac censura utentes litteris falsificatis? Respond. negativè. Ratio est, quia diversum quid est falsificare litteras, & uti falsificatis, ut constat ex cap. Ad falsariorum de crimine falsi; sed Pontifex in hac clausula solùm meminit falsificantium; ergo non intendit alios comprehendere. Dixi: *Non ligari hac censura utentes litteris falsificatis*; quia tales excommunicantur in dicto cap. Ad falsariorum, sed ea excommunicatio non est reservata. Unde etiam sequitur non innodari censura hujus clausulæ falsificantes litteras Apostolicas per alios, neque defensores, fautores, &c. quia Pontifex solùm loquitur de falsificantibus, non verò de falsificantibus per alios, neque de fautoribus, aut defensoribus, quos si vellet comprehendere, nominaret, ut nominat in cap. Ad falsariorum: cùm ergo lex ista licèt pœnalis sit, extendenda non est ad personas in ea non expressas.

108 Sed quid de impetrantibus litteras subreptitias, & obreptitias, quæ nempe conceduntur ad petitionem, in qua falsitas exprimitur, vel veritas tacetur? Respond. non comprehendi sub hac censura, neque enim tales litteras Apostolicas falsificant, licèt incurrant pœnas impositas in cap. Ad falsariorum, ut ex illo patet. Nav. c. 27. n. 51. Soar. inc. n. 60.

SECTIO VIII.

Explicatur clausula septima Bullæ Cœnæ.

Tenor hujus clausulæ habetur nu. 9. In qua fertur excommunicatio contra eos, qui deferunt usui belli idonea ad infideles, & eis revelant pertinentia ad statum Reipub. Christianæ. Continet autem clausula ista duas partes. In prima excommunicantur aliqua genera personarum. In secunda annullantur privilegia fortè concessa super delatione harum rerum. 109

110 Circa primam partem notandum est primò, excommunicari in ea quinque genera personarum. Primò, deferentes res hoc Canone prohibitas ad Turcas, Sarracenos, aliosque Christiani nominis hostes. Secundò, qui prædictos de rebus ad statum Christianæ Reipub. concernentibus in Christianorum perniciem per se, vel per alios certiores faciunt. Tertiò, personæ, quæ ad id dant auxilium. Quartò, dantes consilium. Quintò, dantes quomodolibet favorem.

111 Notandum est secundò, personas, ad quas prohibentur prædicta deferri, vel admoneri, esse Sarracenos, Turcas, & alios Christiani nominis hostes, & inimicos, vel etiam Hæreticos per Sedem Apostolicam declaratos. Sarracenorum autem nomine intelliguntur omnes Mahometicæ perfidiæ sectatores. Nomine inimicorum Christiani nominis veniunt Judæi, & Pagani. Hæreticorum nomine Apostatæ, dummodo declarati sint per Sedem Apostolicam; quę declaratio fit, quando eorum Regna, Provinciæ, & Civitates, ut Hæreticæ à Sede Apostolica declarantur, ut nostris ferè temporibus declarata fuit Isabella Regina Angliæ, ejusque Regnum. Quia verò hodie nullus est ita expressè, & nominatim

tim declaratus, non procedit hæc censura contra deferentes prædicta ad Hæreticos.

112 Notandum est tertiò, res prohibitas deferri tredecim esse. Prima, sunt equi, per quos intelliguntur etiam muli, & asini, & quæcumque animalia, quæ ad sarcinas deportandas inservire possunt. Secunda, arma, per quæ intelliguntur tam offensiva, quàm etiam defensiva. Tertia, ferrum, cujus nomine non veniunt clavi, cùm ad præliandum instituti non sint, nisi deferantur in tanta quantitate, ut ex illis confici possint instrumenta bellica, vel nisi necessarii sint ad ligneas machinas construendas, aut ad alium usum bellicum. Quarta, filum ferri. Quinta, stagnum. Sexta, chalybs. Septima, omne metallorum genus. Octava, bellica instrumenta, quorum nomine veniunt etiam tympana, tubæ, fistulæ, & similia. Nona, lignamina, quorum nomine intelliguntur omnia ligna, ex quibus confici possunt naves, triremes, & quæcumque machinæ, aut instrumenta ad præliandum, imò & naves ipsæ, triremes, &c. Decima, canapis. Undecima, funes ex quacumque materia. Duodecima, ipsa materia funium. Decimatertia, alia hujusmodi, quibus Christianos impugnare possunt, ut salnitrum, sulfur, &c.

113 Est autem difficultas utrùm per illa verba: *Et alia hujusmodi*, intelligantur merces, & victualia? Tolet. docet non comprehendi sub hac clausula eos, qui merces, victualia, & similia, belli etiam tempore, deferunt ad hostes fidei. Quia his, inquit, non oppugnantur Christiani. Melius tamen dicunt Soar. & Sosà istos comprehendi, si hujusmodi victualia, & quæcumque merces in tali tempore, & opportunitate, deferantur, ut moraliter censeri possint instrumenta, & auxilium ad bellum Christianis gerendum. Comprehenduntur etiam sub illis verbis deferentes milites, triticum, carnes, vinum, & similia. Comprehenduntur etiam deferentes pecuniam, quia licèt non sint instrumenta ad præliandum, tamen, cùm sint magnum auxilium ad prælium, & excommunicentur dantes auxilium, hi, qui pecunias deferunt excusari non possunt.

Tol. c.23. n.10.

Soa. hic n. 51. Sosa in annot. sextus.

114 Neque ab hac censura excusari possunt illi Christiani, qui existentes in aliqua terra infidelium, prædicta deferunt ad alios, qui Catholicos impugnant, quia verè deferunt, quæ hic deferri prohibentur. Negat Tolet. & alii ex antiquioribus apud Sosam comprehendi eos, qui mandant prædicta deferri; quia censura, inquiunt, lata contra deferentes, non comprehendit mandantes, maximè quia in hac Bulla aliquando mandantes exprimuntur, aliquando tacentur, quod est argumentum non comprehendi, nisi quando eorum sit expressa mentio. Hoc tamen potuit esse verum tempore Bullæ, quam Tolet. & alii explicant, non tamen hodie, quia in præsenti Bulla Alex. VII. sicut & in Bulla Innoc. X. & Urbani VIII. sunt hæc verba: *Deferunt, vel transmittunt*. Quod ultimum significat mittentes transferri. Accedit, quia per hanc clausulam non solùm excommunicantur deferentes, sed etiam auxilium, vel favorem quomodolibet prestantes: nemini autem dubium esse potest, quin mittere ad infideles contenta in hac clausula, sit auxilium, & favorem eis præstare. Excommunicantur igitur non solùm deferentes, sive nomine proprio, sive alieno deferant, sed etiam mandantes deferri.

Tol. c.23. n.5.

115 Sed quid, si prædicta non deferas, sed infidelibus vendas in patria tua venientibus, ut ea emant? Negant aliqui apud Sosam, quia vendere in patria tua, non est deferre ad infideles; ergo tales non comprehenduntur. Fateor quidem prædictos non excommunicari ex vi particulæ *deferentes*, quia verè non deferunt, excommunicari tamen, quatenus sic vendendo, favorem præstant infidelibus contra Christianos. Et idem censeo, si illis vendas, quos certò scis ea ad infideles esse missuros, vel delaturos; sive ipsi infideles ad civitates Christianorum veniant, sive in ipsis pacificè vivant, sive vendas Catholico ad deferendum. Idem similiter dico, si gratis donentur ab aliquo Principe, vel viro potente, propter idem fundamentum.

Sosa d.47.

116 Censeo nihilominus non excommunicari hìc donantem gladium, equum, hastam, sclopetum Principi, aut duci infidelium, sive ex gratitudine, sive ex liberalitate, sive ad conciliandam gratiam. Non solùm ex parvitate materiæ, sed etiam ex intentione Pontificis, quæ quidem non est hos com-

comprehendere sub hac clausula, cùm hæc inter primates, & duces communiter fieri soleant. Neque hoc est favere, vel præstare auxilium contra Christianos, quia per unum equum, vel gladium non adjuvantur infideles contra Catholicos, & reducitur ad parvitatem materiæ.

117 Sed quid, si prædicta deferas ad infideles, non tamen vendas, nec tradas? Non desunt, qui dicant te innodari, quia re vera deferens fecisti contra Canonem. Probabilius tamen est te non innodari, ut cum Silv. Vivald. docet Sosa. Fundam. est, quia delatio prædictorum prohibetur in ordine ad venditionem, & traditionem, ne infideles habeant instrumenta, quibus Christianos impugnare valeant; ergo, si non sequatur effectus, nimirum venditio, & traditio, non incurretur excommunicatio ista, quæ solùm propter actum completum incurritur. Aliter dicendum, si re vera vendidisti, & tradidisti, quamvis statim pœnitentia ductus illa recuperes, rescindendo factam venditionem; secutus enim fuit effectus prohibitus, & per actum completum lex violata fuit.

Sosa d. 49. n. 3.

118 At quid, si prædicta deferas ad infideles, & vendas, non ut eis utantur contra Christianos, sed contra alios infideles, quibus bellum gerunt? Respond. te hac innodari censura. Quia hæc manent apud ipsos, ut postea possint cum iisdem Christianos impugnare; nisi quæ detulisti, talia essent, ut certum foret non permansura, post bellum factum contra tales infideles. Idem dicendum est, si deferas, & vendas illis, quibus tanta est abundantia, ut illis non egeant ad Christianos impugnandos, propter idem fundamentum, & quia impugnare actu est finis, in hac verò clausula media prohibentur, ex quibus actualis impugnatio potest provenire. Cùm ergo ex hujusmodi delatione, & venditione Christianorum impugnatio sequi possit, & per accidens sit, quòd non sequatur, manifestum est sub hac clausula prohiberi.

Tol. c. 28. n. 11. Sosa d. 49. n. 8.

119 Circa secundam partem, in qua censura fertur contra illos, qui Turcas, & alios Christiani nominis hostes certiores faciunt de rebus ad statum Christianæ Reipub. pertinentibus, dicendum est censuram non incurri, nisi quando ea, de quibus certiores faciunt, talia sunt, quæ communem statum Christianæ Reipub. concernant, idque cedat in damnum, & perniciem ipsius, tam quoad temporale, quàm quoad spirituale Religionis. Unde revelans aliquid infideli in damnum hujus, vel illius particularis Catholici, hanc censuram non incurrit, nisi talis esset persona, ex cujus occasione notabilis jactura Christianæ Reipub. sequeretur. Ligantur autem isti certiores facientes, sive id faciant per se, sive per alios. Unde etiam nuntius, & litteras deferens de hac re, innodatur, dummodo sciat, quid deferat.

120 Circa tertiam partem, in qua censura fertur contra dantes auxilium, consilium, vel favorem, notandum est, solùm comprehendi illos, qui id faciunt in damnum Christianorum, referrique, tam ad eos, qui hostes certiores faciunt, quàm ad illos, qui prædicta deferrent, vel transmitterent. Unde Princeps, qui à suis portubus permitteret ista deferri ad hostes Christiani nominis, censura innodaretur, quia præstaret auxilium. Similiter qui milites mitteret, & milites ipsi, qui auxiliarentur, & qui pecunias mitteret; quia nulla re alia majus auxilium impenditur. Et generaliter qui quomodolibet, auxiliaretur, & faveret prædictis hostibus contra Christianos. Communiter eximuntur ab hac censura remigantes in triremibus Turcarum contra Christianos; quia id faciunt metu mortis, vel gravissimi damni corporalis. Ecclesia autem non obligat per suas leges cum tanto periculo, & damno, de quo Soar. & Sosa, qui ponit varios casus, in quibus possunt excusari, licèt Tolet. cap. 24. n. 8. eos eximere non audeat.

Soar. hic, Sosa d. 51.

121 Illud tandem notandum est, revocari per istam clausulam omnia privilegia, quibus à Summis Pontificibus fuit concessum, ut quæ hoc loco prohibentur, ad infideles deferri possent, quæ quidem privilegia de prohibitione hujus Bullæ expressam mentionem non faciunt. Non placet tamen, quod ait Tolet. nimirum, non revocari per hanc Bullam privilegia deferendi merces, & exercendi commercia, cùm hæc, ut diximus, non parum afferant infidelibus auxilii, quod in hac clausula expressè prohibetur. In hoc tamen ad

temporis circumstantias inspiciendum est; quia in uno tempore erunt hæc auxilia, in alio talia non erunt.

SECTIO IX.

Explicatur octava clausula Bullæ Cœnæ.

122 TEnorem hujus clausulæ habes nu. 10. In ea fertur excommunicatio in eos, qui impediunt illos, qui victualia, & alia necessaria Romam convehunt. Actiones prohibitæ sunt quatuor. Prima, impedire eos, qui victualia, & alia ad usum Romanæ curiæ necessaria adducunt. Secunda, eosdem invadere. Tertia, prohibere, impedire, & perturbare, ne prædicta ad curiam Romanam adducantur. Quarta, per se vel per alios, qui prædicta faciunt, defendere. Comprehendit autem hæc censura universaliter omnes, cujusvis sint status, & conditionis; non tamen consulentes, auxiliumve præstantes.

123 Nomine autem Romanæ curiæ non intelligitur sola familia Papæ, sed omnia, & quæcumque tribunalia Sedis Apostolicæ, ita ut Romana curia sit locus, ubi est Sedes Apostolica, & ubi tractantur causæ, lites, & negotia. Unde si Pontifex, ejusque tribunalia Romę non essent, non excommunicarentur impedientes, ne prædicta adducerentur Romam, excommunicarentur verò, qui impedirent, ne prædicta, ad locum, in quo tunc esset Sedes Apostolica, adducerentur. Romana igitur curia est civitas Romana, quatenus in se habet Sedem Apostolicam. Nec opus est, ut censura incurratur, quòd res, quæ impeditur, in usum totius curiæ deferatur; sed satis est, quòd in usum aliorum curialium, vel etiam unius deferatur, aut ut indeterminatè vendatur. Non verò si determinatè feratur pro aliquo, vel aliquibus, qui non pertinent ad curiam. Licèt Sosa in annot. circa textum hujus clausulæ credat non excommunicari impedientem rem, quæ alicui particulari personæ defertur, sive ut ei donetur, sive ut eidem vendatur, cùm talis res ad usum Romanæ curiæ non deferatur, sed ad usum determinatæ personæ. Pro qua sententia adducit Graff. & Sayr. quæ quidem sententia probabilis est; probabilior verò opposita, quam sequitur Ugol. Nam si ego impedirem, ne res deferretur ad istum, tu, ne deferretur ad alium, & sic de reliquis sigillatim, nemo censuram incurreret, & intentio Bullæ frustraretur; ergo ad usum curiæ Romanæ deportari dicenda sunt, quæ singulis personis de curia deportantur, & quæ deferuntur, ut publicè in ea vendantur, sive ab ipsis deferentibus, sive ab aliis, ut quæ deferuntur ad stabularios, macellarios, pistores, & similes, qui emunt, ut curiæ revendant.

124 Nomine victualium veniunt omnia, quæ sunt ad vitam humanam necessaria, ut sumitur ex Leg. verbo victus, ff. de rerum significat. Ubi dicitur: *Verbo victus continentur, quæ esui, & potui, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini necessaria sunt; vestem quoque victus habere vicem: cætera quoque quibus tuendi, curandive corporis nostri gratia utimur, ea appellatione significantur.* Ergo nomine victualium intelliguntur victualia cujuscumque generis, quæ sint necessaria, vel absolutè, vel saltem commoda, & utilia. Maximè autem, quia Bulla dicit: *Victualia, seu alia ad usum Romanæ curiæ necessaria;* ergo non solùm excommunicantur impedientes ne victualia deferantur, sed etiam qui impediunt deferri quidquid ad usum Romanæ curiæ necessarium est, & utile, v. c. frumentum, vinum, oleum, animalia viva, & mortua, ligna, papyrus, pannus, serica, fructus arborum, & similia.

125 Nota verò primò, ut hanc censuram incurras, debere te injustè impedire prædicta. Unde si Princeps, vel Respub. utens jure suo, vel suæ utilitati consulens, prohibeat, ne triticum, aut quodlibet aliud genus victualium è finibus suis extraheretur, ut Romam deportetur, nec malè aget, nec censuram incurret. Similiter si grassante peste in Romana curia, interdicat suis civibus, ne prædicta deferant; quia hoc non est tam prędictarum rerum delationem impedire, quàm curare, ne ad locum peste infestum cum mercibus abeuntes, inde iterum ad locum, à quo fuerunt digressi, revertantur, cum tam certo damno civitatis, vel periculo illius. Similiter si pater prohibeat filio, ne victualia Romam deferat, propter probabile periculum latronum, vel propter aliquod malum, quod ei proba-

Sayr. c. 12. Sosa hic n. 64 Sosa d. 33.

Digitized by Google

habiliter timet eventurum, in hanc censuram non incurret.

Sosa d. 53. 126 Nota secundò, si res tuas nolis vendere, ut Romam deferantur, non innodandum te hac censura, estò desint aliæ similes, quæ deferantur. Quia hoc non est in rigore impedire, ne res Romam deportentur, sed est uti rebus tuis pro tua voluntate, ad quod jus habes. Neque enim lex ista prohibet, ne libere utaris re tua. Item si absque vi res tibi emas, & ita impedias, ne Romam deferantur, censuram non incurres, quia non tractas impedire, sed negotium tuum agis. Licèt si absque causa, ex sola intentione impediendi, ne Romam deferantur, eas emas, censura innoderis; quia impedis re ipsa, idque intendis. Non tamen incurres, si nolis vendere victualia, cùm possis, & ex charitate tenearis, ut Romam deferantur. Nam impedire dicit actionem positivam, non verò negationem actionis; sed nolens vendere, non impedit actione positiva; ergo &c. Accedit, quia per hanc clausulam nemo impeditur uti re sua pro sua libertate; quamvis in utendo aliquando peccet contra charitatem; ergo absque violatione hujus legis potest non vendere.

Sos. proximè. Sosa d. 54. & 53.

Sosa d. 54. 127 Nota tertiò, si propter odium volentis res deferre; ne ex delatione aliquid lucretur, victualia deferre impedias, censuram te incursurum. Similiter incurret minister justitiæ, qui requisitus, ut auferat impedimentum ab alio positum, ne victualia deferantur, & non vult auferre, ut curiæ noceat, non incurret, quia non impedit per actionem, sed per negationem. Limita verò, nisi ad hoc specialiter constitutus; nam per specialem obligationem officii, quam non adimplet, censetur positivè concurrere. Similiter si te obligasti ad deferenda victualia ea intentione, ut vel non deferas, vel taliter, ut eorum penuria afficiatur curia, excommunicaberis, quia manifestè ponis impedimentum per actionem positivam antecedentem, scilicet per obligationem, qua dolosè te obstrinxisti ad victualia deferenda.

128 Nota quartò, eum, qui spoliat pecuniis deferentes victualia in odium curię, ne rursus illa audeat deferre, hanc censuram incurrere; nam verè, & formaliter invadit deferentem, ut injustè impediat, ne ea deferat. Non tamen incurret, si spoliet pecuniis deferentem talia victualia, tantummodo ut latro. Ratio est, quia materia hujus censuræ, est actio contra Sedem Apostolicam, qua offenditur in suis victualibus; at qui sic spoliat, nec impedit delationem victualium, nec intendit Sedis Apostolicæ injuriam, sed de suo tantùm curat latrocinio; ergo non excommunicatur. Similiter non excommunicatur, qui scienter spoliat pecuniis euntem ad emenda victualia, ut in curiam deferat, nisi ea intentione id faciat, ne victualia deferantur. Prima pars ostenditur, quia spolians in hoc casu, nec intendit impedire victualium delationem, nec Sedis Apostolicæ injuriam; ergo non excommunicatur. Secunda inde constat, quia non potuit majus impedimentum apponere delationi victualium; sed qui impedit, excommunicatur per hanc clausulam; ergo &c. Tandem qui ipsa victualia, quæ deferuntur in curiam, deprædatur, hac censura innodatur, si sciebat ea in curiam deportari. Ratio est, quia non potuit majus impedimentum apponere, quàm furando ea, quæ deportabantur &c. Similiter excommunicantur, qui in odium curiæ obligant deferentes victualia ad solvenda injusta pedagia; qui enim hoc faciunt, impediunt, & perturbant victualium delationem. Aliter dicendum de exigentibus justa pedagia, vel etiam injusta omnibus universaliter imposita.

Sosa d. 55. Sayr. c. 12. n. 4.

SECTIO X.

Explicatur nona clausula Bullæ Cœnæ.

TEnor hujus clausulæ habetur numero undecimo. In ea ponitur excommunicationis pœna contra lædentes eos, qui ad curiam Romanam veniunt, vel ab ea recedunt, & sine jurisdictione vexantes eos, qui ibi commorantur. Materia autem hujus censuræ sunt actiones, quibus offenditur Sedes Apostolica in personis, quæ sub sua quasi protectione sunt. Quia videlicet ad eam veniunt, in ea commorantur, vel ab eadem recedunt, quos oportet securos esse tam in prima, quàm in secunda via, quàm etiam dum in curia detinentur, alias deterrebuntur homines Sedem Apostolicam pro suis negotiis adire. 129

130 Actiones in hac clausula prohibitæ, sunt quinque, videlicet, interficere, mutilare, spoliare, capere, & detinere, sive hæ propria, sive aliorum opera fiant. Personæ, circa quas prohibentur hujusmodi actiones, sunt venientes, recedentes, aut in curia commorantes, cum hac tamen differentia, quia ut incurratur hæc censura ob aliquam istarum actionum circa venientes, aut recedentes à curia, satis est ipsos interficere, mutilare, spoliare, &c. sive per se, sive per alios. Ut autem incurratur ob prædictas actiones circa commorantes in eadem curia, necesse est, ut authoritate temerè usurpata aliquid istorum in eos exerceatur. Tres igitur partes continet clausula ista.

Tol. c. 25. Soa hic, n. 65. Sayr. c. 12. n. 3. Sosa d. 57. n. 2.

131 Circa primam de venientibus ad Sedem Apostolicam notabis, non intelligi de omnibus, qui veniunt Romam, sed de illis tantùm, qui veniunt ratione Pontificis, quia nimirum aliquod negotium, prætensionem, gratiam, vel quid simile cum Pontifice habent, vel immediatè, vel mediatè cum tribunalibus ejusdem, quę eamdem Sedem Apostolicam, & authoritatem Pontificis repræsentant, & ejusdem judicant authoritate, causasque expediunt. Unde qui veniunt ratione stationum, aut indulgentiarum, vel quolibet alio intuitu pio, quàm ratione Pontificis, modo explicato, non dicuntur venire ad Sedem Apostolicam, neque qui eis nocuerit, incurret hanc censuram, licèt incurrat sequentem, ut videbimus sect. sequenti. Quare qui læderet Romam venientes, quando ibi non esset Sedes Apostolica, hanc censuram non incurreret; maximè verò si læderet venientes ad eum locum, in quo tunc esset Sedes Apostolica. Quia verè læderet venientem ad curiam, Sedemque Apostolicam.

Sayr. n. 8. Sosa n. 3.

132 Non tamen innodaretur hac censura, qui venientes, ut prædictum est, vel recedentes occideret, mutilaret, &c. propter delictum aliquod sive publica, sive privata authoritate id faceret. Ratio est, quia Pontifex non intendit per hanc clausulam defendere viros criminosos; aliàs censura hæc pravis hominibus ad facinora perpetranda occasionem præberet. Unde si occidas unum ex istis re invadentem in tui justam defensionem, vel alio modo justo, neutiquam reus hujus censuræ efficieris. Et per hæc explicata est prima, & secunda pars de venientibus ad curiam Romanam, ab eaque recedentibus.

133 Circa tertiam partem de morantibus in curia, nota per hos intelligi primò illos, qui occasione curiæ Romæ detinentur, quos ad curiam venisse diximus. Unde cives Romani, artifices, & similes, qui aliis de causis Romæ morantur, propter quas ibi morarentur etiam si curia Pontificis alibi sita esset, non dicuntur commorantes in curia formaliter, neque ipsos lædentes comprehenduntur sub hac clausula. Nota secundò, intelligi etiam ipsos curiales, qui Romæ sunt ratione curiæ Pontificiæ, sive immediatè Pontifici inserviant, sive mediatè, quia inserviunt Cardinalibus, Episcopis, vel Prælatis, qui curiæ assistunt, illique inserviunt; quidquid in contrarium dicat Sosa, qui ait hos commorantes referendos esse ad illos, qui venerunt ad curiam causa suorum negotiorum; non verò, qui in curia commorantur, illique in serviunt modis prædictis, quæ quidem sententia valde probabilis est. Sosa d. 57. n. 5.

134 Illud tamdem advertendum. Ut hæc censura contrahatur, satis esse respectu venientium, & recedentium à curia, ut fiat aliqua actio ex illis, quas suprà retulimus poni in hac clausula. Respectu verò commorantium id satis non esse, sed requiri, ut fiant ex authoritate usurpata, ut nimirum fiant quasi à judice, & habente potestatem. Unde qui ex hac potestate usurpata mandaret fieri aliquam ex prædictis actionibus, & qui ex ea easdem exequeretur, hac innodaretur censura. Quapropter qui non usurpando authoritatem ordinariam, nec delegatam, occideret, mutilaret, spoliaret, &c. commorantes in curia, sive per se hoc faceret, sive per alios, per hunc Canonem non excommunicaretur. Patet ex verbis clausulæ. Dixi: *Per hunc Canonem*. Quia per alium excommunicaretur, ut patebit ex clausula sequente. Ideo non excommunicatur hoc loco, qui commorantes in curia ut fur spoliat, vel ut inimicus occidit. Soa hic, n. 66. Sosa d. 58.

SE-

Digitized by Google

SECTIO XI.

Explicatur decima clausula Bullæ Cœnæ.

135 TEnor hujus clausulæ habetur numero 12. In ea fertur excommunicatio contra omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu deprædantes Romipetas, seu peregrinos ad urbem, causâ devotionis, seu peregrinationis accedentes, vel in ea commorantes, vel ab ea recedentes, & in his dantes auxilium, consilium, vel favorem. Actiones, propter quas ponitur hæc censura, satis patent ex contextu à nobis summatim relato.

136 Per Romipetas verò hoc loco intelliguntur illi, qui devotionis causâ Romam veniunt, sive equestri, sive pedestri via. Unde non intelligitur civis Romanus, qui Romam petit, qui licèt Romipeta dici possit, non tamen Romam pergit devotionis causâ, nec dici potest peregrinus, sicut neque ille, qui Romam peteret, ut amicum, vel consanguineum inviseret. Nomine verò peregrinorum veniunt etiam & Hæretici, & Schismatici, dummodo Romam veniant devotionis causâ, imò & Judæi, qui Christiani fieri volunt; hacque intentione Romam se conferunt.

137 Nota verò primò, hunc Canonem non respicere Papam, curiamve Romanam, unde si Papa, & curia alibi esset, ut per annos fuit Avenione, adhuc percutientes Romipetas, aliasve ex dictis actionibus exercentes, per Canonem hujus clausulæ excommunicarentur; cùm hæc censura in favorem visitantium limina Apostolorum, & alia illius urbis sanctuaria sanciatur, ut patet ex contextu.

138 Nota secundò, per prædictas actiones incurri hanc censuram, si fiant injustè, non verò si justè fiant, ut pro justa defensione, vel ratione delicti pro crimine commisso: & sint actiones sufficientes ad peccatum mortale, sine quo excommunicatio major, & tam gravis non incurritur. Nec excommunicatur percutiens eum, qui Romam venit curiositatis causâ, aut ut amicum invisat, licèt postea per occasionem limina Apostolorum visitare intendat, cùm devotio principalis causa veniendi esse debeat. Si tamen æqualiter venires & devotionis, & alterius negotii causâ, excommunicaretur, qui te percuteret, aliamve ex prohibitis actionibus in te exerceret, quia verba clausulæ illi convenirent. Non tamen ligaretur, qui peregrinum ab alio mortuum spoliaret, vel ab eo vivo aliquid clam furaretur, quia mortuus propriè non dicitur spoliari per deprædationem, cùm deprædari propriè fit per vim, & apertè aliquid alicui auferre. Neque qui aliquam ex prædictis actionibus exerceret in illum, qui postquam iter arripuit, vel Romam pervenit, animum peregrinandi mutavit, aut loca pia Romana visitare noluit, quia jam desinit esse peregrinus, & verè Romipeta in eo sensu, quo hìc Romipeta accipitur.

139 Nota tertiò, incurrere hanc censuram illum, qui aliquam ex dictis actionibus exercet in peregrino, dum Romæ commoratur pro explendis suis devotionibus, pro quibus venit, seu quandiu habet animum recedendi. Unde si causâ devotionis Romæ moreris, jam non recessurus, peregrinus amplius non diceris, neque censuram istam incurret, qui te offenderit. Sicut non ligabitur, qui te percusserit, antequam è domo tua proficiscaris, nec postquam ad illam jam pervenisti; quia antea non dum eras peregrinus, & postea peregrinus esse desivisti.

140 Nota quartò, ut dantes auxilium, consilium, vel favorem ad prædictas actiones, excommunicentur, censuramque incurrant, requiri quòd sequatur effectus, aliàs in hanc censuram non inciderent, ut ex Graff. notat Sosa. Quia verba hujus clausulæ cum effectu intelligenda sunt, ut habetur Leg. 1. §. Hæc autem verba ff. quod quisque juris. Nec mandans occidere clericum, vel id consulens, excommunicatur, nisi effectu secuto; ergo idem in hoc casu. So a d. 59.

SECTIO XII.

Explicatur undecima clausula Bullæ Cœnæ.

TEnorem hujus clausulæ habes n. 13. In ea fertur excommunicatio in eos, qui offenderent sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, & alios Prælatos. 141

Digitized by Google

tos. Unde materia hujus censuræ est sacrilegium, quo Ecclesia in suis principalibus membris læditur. Actiones, quæ principaliter prohibentur, sunt octo, nempe interficere, mutilare, vulnerare, detinere, capere, carcerare, hostiliter insequi, ejicere è suis locis. Actiones accessoriæ sunt quinque, videlicet, mandare, ratum habere, auxiliari, consulere, favere. Personæ verò, quæ prædictis actionibus offendi prohibentur, sunt sex, scilicet, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, Sedis Apostolicæ Legati, & Nuntii.

Soa. hic n. 69. Sayr. c. 15. n. 5. Tol. c. 25. Sosa d. 50. & 51.

142 Ut igitur incurratur hæc censura per quamlibet ex prædictis actionibus, satis est, quòd Cardinalis sit nominatus, quamvis non dum acciperet galerum, seu capellum. Jam enim est Cardinalis, cùm capelli acceptio sit quædam cæremonia accidentalis; non tamen satis est, quòd Episcopus sit nominatus, imò nec confirmatus; quia non dum est Episcopus, sed talis fit per consecrationem: sufficit tamen, quod sit consecratus, quamvis non dum possessionem acceperit, vel jam renuntiaverit. Non ligantur autem hac censura, qui modis prædictis offendunt familiares prædictarum personarum, ipsarum ratione, & intuitu. Nam Bulla in hac clausula loquitur de solis illis, qui prædictas personas offendunt, non verò de offendentibus earum familiares, estò sint Clerici, aut Religiosi, quos si offendas, incurres quidem excommunicationem Papæ reservatam in cap. Si quis suadente, non verò istam, quæ in hac clausula continetur. Ut benè notavit Sosa.

143 Non tamen ligatur hac censura, qui in domo, vel castro obsidet aliquam ex prædictis personis, non ut eam detineat, sed ut ruborem, & verecundiam incutiat. Neque qui eadem de causa ei facit aliquos insultus injuriosos. Quod inde probatur, quia tales actiones, ut patet ex contextu clausulæ, non sunt ex illis, quæ hic prohibentur sub hac censura. Neque etiam incurrit, qui ejectionem comminatur, non tamen exequitur. Si verò quis ejiceret, vel cum effectu juberet exire de locis hic prohibitis, ligaretur hac censura, qua etiam ligarentur ministri, officiales, imò & lictores, & quilibet alii, qui mandatum in hac parte exequerentur. Ligantur etiam prædictas personas hostiliter insequentes animo graviter offendendi. Id enim significat *Hostiliter insequi*, nempe ut hostem, & inimicum capitalem, ut notat Silv. Sayr. & communiter alii.

144 Ligantur etiam ratas habentes actiones hic prohibitas; quando eorum nomine factæ sunt, non autem si factæ non sint nomine eorum. Quia, ut habetur in regula 9. de regulis juris in 6. Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum. Excipe, quando fierent nomine alieno, si factum habeat tractum successivum, ut est detentio, aut incarceratio, & tu ratum habes, dum potes actionem impedire, & non impedis. Quia tunc censeris detinere, estò à principio talis detentio, vel carceratio tuo nomine facta non fuerit. Si autem quod nomine tuo factum est, ratum non habeas, quod nempe nomine tuo factum fuerit, licèt in se ratam habeas actionem factam, eò quòd vel gaudeas, vel delecteris de facto, laudes, aut etiam præmiis afficias eos, qui talia injustè operati fuere, excommunicationem istam non incurres; quia non habens ratum, quod nomine suo factum est, ut suo nomine factum, non dicitur ratum habere, ut probat Silvest. verbo consensus n. 6. si verò nomine tuo factum reprobes, non incurres, estò postea approbes, nisi approbatio tua sit continuatio facti, ut dictum est. Sosa d. 64.

Sosa d. 64. Sayr. c. 15. n. 9.

145 Mandantes fieri quamlibet ex actionibus hic prohibitis, si mandatum revocent, & revocatio ad mandatarium pervenit ante actionis executionem, censuram hanc non incurrent, quamvis mandatarius, non obstante revocatione, compleat, quod prius mandatum fuerat. Aliter dicendum de consulente. Ratio diversitatis est, quia mandatarius, non nisi virtute mandantis operatur; unde, mandato revocato, jam non operatur in virtute mandantis, sed in propria; qui verò consilium accepit, in virtute propria operatur motus tamen à consilio, quod semper durat, & suadet, estò à consulente revocetur. Similiter tam mandantes, quàm consulentes prædictas actiones, effectu non secuto, censuram non incurrunt, quia verba absolutè prolata cum effectu intelligenda sunt. Neque obstat, quòd in cap. Pro humani de homicidio in sexto excommunicatur

catur

Digitized by Google

catur mandans occidere Christianum per Assassinos, quamvis effectus non sequatur. Quia casus illius textus specialis est, ex quo ad alios non sic expressos non sumitur argumentum.

Sosa d. 61. Sayr. c. 15. n. 12. & 13. 146 Præstantes auxilium, consilium, vel favorem ad actiones prædictas, ligantur, quando auxilium, consilium, vel favor fuerunt efficacia, ita ut effectus fuerit secutus. Auxilium autem præstatur, cùm das instrumenta, vel occultas in loco, ex quo exire possit, qui malè operaturus est, vel illum comitaris, aut audaciorem reddas, &c. Consilium datur, suadendo rationibus, rogando, impellendo, vel securitatem ostendendo. Favor præstatur, quando comitaris, vel defendis, ut tutò operetur. Si autem per auxilium, consilium, vel favorem, nihil adjicias, quia inde non sunt secutæ actiones hic prohibitæ, non incurres censuram istam; quia dare auxilium, consilium, vel favorem, eatenus prohibentur, quatenus sunt causa actionis principaliter prohibitæ; ergo quando ad talem actionem non adjiciunt, hac censura non innodantur. Tunc igitur dans auxilium, consilium, vel favorem, excommunicatur, cùm ex illis alius movetur ad operandum, non verò quando aut non movetur, aut non magis, quàm antea in suo malo proposito firmatur, quod in aliis etiam materiis generale est.

147 Sed quid de defensoribus, & receptatoribus interficientium personas, aliasque actiones hic prohibitas committentium? Respondeo hos non comprehendi in hac clausula, ut ex illa patet. Nihilominus hac censura ligantur, quando ex eorum receptatione, vel defensione crimen committitur, quia hujusmodi receptatores, & defensores verè, & propriè ad crimen perpetrandum auxilium, & favorem præstiterunt, ut benè Navarrus, & ex illo Sosa. Si tamen post commissum crimen, prædictos defendas, aut receptes, sive ut amicos, sive formaliter ut criminosos, in censuram hujus Canonis non incides, ut benè Soarius, quia ad crimen nec auxilium præstas, nec favorem.

Nav. c. 27. n. 67. Sosa d. 65.

Soa. hic, n. 72. 148 Quid autem de ejicientibus prædictas personas è locis, in quibus munus suum explere debent? Respondeo excommunicationem incurrere eos, qui prædictas personas ejiciunt è locis in quibus ordinariam habent jurisdictionem, imò & delegatam, vel etiam nullam, ut sunt illi Nuntii, quibus nulla commissa est jurisdictio, qui nempe mittuntur pro nudo ministerio, verbi causa pro ambasciata. Et qui ejicit è regno Episcopum, qui renuntiavit Ecclesiam suam, in quam jam non habet jurisdictionem, vel Episcopum titularem, qui illam numquam habuit.

SECTIO XIII.

Explicatur duodecima clausula Bullæ Cœnæ.

Tenor hujus clausulæ habetur numero decimotertio. In ea fertur excommunicatio in lædentes eos, qui qui ad curiam Romanam recurrunt pro negotiis suis. Quoad personas offendentes, ac lædentes est censura universalis, comprehenditque omnes cujuscumque dignitatis, ac præeminentiæ. Persona verò offensa ad novem genera extenditur personarum. Prima, recurrentes ad Romanam curiam in suis causis, & negotiis. Secunda, hujusmodi causas, vel negotia in eadem curia prosequentes. Tertia, procurantes. Quarta negotiorum gestores. Quinta, advocati. Sexta, Procuratores. Octava, auditores super dictis causis, vel negotiis deputati. Nona, Judices etiam deputati super eisdem causis, vel super negotiis. Actiones principales, quæ prohibentur, sunt tres. Prima, occidere. Secunda, quoquo modo percutere. Tertia, bonis spoliare, sive hæc per se, sive per alios, sive directè, sive indirectè quis faciat. Actiones accessoriæ sex numerantur. Prima, prædicta committere. Secunda, exequi. Tertia, procurare. Quarta, in eis dare auxilium. Quinta, dare consilium. Sexta, dare favorem. 149

150 Circa hanc censuram adverte primò, ea non ligari prædictas actiones exercentes in personas prohibitas, nisi quando prædictarum causarum, & negotiorum occasione id faciunt. Causæ autem, & negotia ex his esse debent, quorum tractatio ad curiam pertinet, ut non obscurè ostendunt verba illa clausulæ: *Ad Romanam curiam super eorum causis, & negotiis occurrentes.* Unde percutiens venientem ad Romanam curiam super aliqua causa à curiæ jurisdictione aliena, non excommunicatur.

tur. Adverte secundò, non puniri hac censura exercentes has actiones, ex quacumque ratione committantur in prædictas personas, sed solùm, si fiant occasione causarum, aut negotiorum. Non enim tam intenditur hic favor personarum, quàm causarum, ne illarum cursus, aut expeditio, vel executio, aut litterarum impetratio, aut alia hujusmodi impediantur. Quod fieret, si personæ, per quas hæc sunt tractanda, ea ratione prædictis actionibus afficerentur. Adverte tertiò, per curiam Romanam intelligi omnia, & singula tribunalia Papæ, tam quæ pro spirituali, quàm quæ sunt pro temporali dominio Pontificis instituta. Imò & protectores Religionum, & alios quosvis à Papa deputatos pro quibusvis negotiis.

151 Quæres autem, utrùm excommunicetur per hanc clausulam ille, qui prædictas actiones exercet in illum, qui per alios, vel etiam per litteras ad Sedem Apostolicam recurrit? Respondeo affirmativè, dummodo ratione talis recursus exerceantur. Fundam. est, quia homo verè, & propriè ad curiam Romanam recurrit; nam recurrere in causis, & negotiis ad aliquem judicem, seu ad aliquod tribunal, nihil est aliud, quàm illuc negotia, vel causas transferre, ut de eis ibi tractetur, ad quod non requiritur personalis recursus; ergo qui per alium recurrit verè, & propriè recurrit. Unde qui illum offendit per actiones hìc prohibitas, ob dictum recursum, censuram hujus Canonis non evitat. Confirmatur; quia intentio Pontificis in hac clausula ea est, ut nimirum defendantur, qui in suis causis, & negotiis ad Sedis Apostolicæ protectionem confugiunt; sed hæc ratio æqualiter invenitur in recurrente per se, & per alium, vel etiam per litteras; ergo &c. Sayr. c. 16. n. 5. Sosa d. 65.

152 Addit Sosa non incurrere hanc censuram illum, qui prædictas actiones exerceret in istos recurrentes, terminatis jam causis, pro quibus recurrerunt, quia, inquit, post terminationem causarum, ille jam non dicitur recurrens ad Sedem Apostolicam. Quod est intelligendum, si jam sit in domo sua; quia si percutiatur, antequam redeat, vel antequam è curia recedat, vel dum est in via, innodabitur illum offendens, quia gaudet hoc quasi privilegio, seu immunitate, donec in domum suam redeat, ut benè idem Sosa n. 3. estque doctrina hæc conformis à nobis dictis in clausula 10. sect. 11.

153 Sed quid, si criminaliter accuses recurrentem ad Sedem Apostolicam? Respondeo primò, non incurrere te hanc censuram, si criminaliter accuses, justè tamen, licèt ex odio, & occasione causæ ad Sedem Apostolicam delatæ. Ratio est, quia Pontifex per hanc censuram non intendit privare aliquem jure suo, solùm enim vult auferre impedimenta, ut cuique liberum sit ad Sedem Apostolicam recurrere; sed justè accusans habet jus ad accusandum; ergo cùm illud integrum perseveret, sine timore hujus censuræ accusare, accusationemque, usque ad finem prosequi valebit. Sayr. c. 16. n. 4. Sosa d. 65. n. 2.

154 Respondeo secundò, si ad Sedem Apostolicam justè recurrentem injustè accusas ratione talis recursus, ex qua accusatione illi sequatur pœna mortis, percussionis, aut amissio bonorum, hanc censuram non effugies. Ratio est, quia exercens per alios actiones prohibitas in hac clausula, excommunicatur, ut patet ex contextu; sed tu sic accusans, exerces actiones in ea prohibitas per judices, & ministros; ergo excommunicatione hujus Canonis innodaberis. Non tamen, nisi postquam accusatio pervenit ad inflictionem pœnæ. Nec si pœna sit alia, quàm aliqua ex iis, quæ in clausula exprimuntur.

155 Respondeo tertiò, estò injustè criminaliter accuses eum, qui injustè recurrit ad Sedem Apostolicam, ut talem recursum impedias, hanc censuram non incurres, estò pœna injusta sequatur ex illis, quæ in clausula exprimuntur. Ratio est, quia Pontifex non intendit favere injustis delationibus causarum: ergo non defendit hìc injustè recurrentes. Nota tamen non dicendum injustè recurrere, qui rationem probabilem habet ad suum recursum, estò sententia contra eum lata fuerit, quia qui causam probabilem habet, causam injustam non prosequitur.

156 At quid, si recurrentem ad Sedem Apostolicam bonis spolies titulo justæ compensationis? Respondeo non innodari te hac censura, si verè ille tibi debet, & utaris justa compensatione in casibus, in quibus illam Doctores licere docent, estò id facias ratione recursus aliàs non facturus, quia animus, & in-

Digitized by Google

& intentio tua non facit actionem compensationis injustam, cùm semper sit acceptio veri debiti. Accedit, quia Pontifex nullo modo per hanc clausulam impedit debiti recuperationem, imò neque qui suum recuperat, dicitur spoliare, propriè loquendo, cùm rem sibi debitam accipiat. Utrùm verò si recurrentem injustè infames, hac censura innoderis? Respondeo negativè, quia non spolias bonis, de quibus loquitur Pontifex, spoliatio enim bonorum, de bonis temporalibus intelligitur. De quo vide Sosam, qui pro utraque parte argumenta proponit, & dissolvit.

Sosa d. 70.

SECTIO XIV.

Explicatur decimatertia clausula Bullæ Cœnæ.

157 HAbetur tenor hujus clausulæ nu. 15. In ea fertur excommunicatio in appellantes à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad laicam potestatem. Materia hujus clausulæ, & sequentium est sacrilegium, quo offenditur authoritas Sedis Apostolicæ, ejusque suprema, & spiritualis jurisdictio. Dividitur autem clausula ista in duas partes. In prima excommunicantur appellantes, & impedientes executionem litterarum Apostolicarum per laicam potestatem. Estque censura, quoad personas universalis, utpote quæ comprehendit omnes tam ecclesiasticos, quàm sæculares, cujuscumque dignitatis sint, ita ut quicumque aliquid ex prohibitis per hunc Canonem facit, per illum excommunicetur.

158 Actiones in hac prima parte prohibitæ plures sunt. Prima, pretextu frivolæ appellationis à gravamine, vel futura executione litterarum Apostolicarum ad curias sæculares, & laicam potestatem recurrere. Secunda, hujusmodi appellationes à laica potestate facere admittere, etiam instante Fisci procuratore. Tertia, facere, ut litteræ Apostolicæ capiantur, & retineantur. Quarta, prædictarum litterarum executionem impedire. Quinta, illud idem prohibere. Sexta, impedire, vel prohibere instrumenta, vel acta confici super executione earumdem litterarum. Septima, acta, vel instrumenta confecta tradi parti, cujus interest, impedire, vel prohibere. Octava, aliquam ex personis infra nominandis capere. Nona, easdem percutere, & vulnerare. Decima, carcerare. Duodecima, detinere. Decimatertia, ex civitatibus, locis, & regnis ejicere. Decimaquarta, bonis spoliare. Decimaquinta, perterrefacere. Decimasexta, concutere. Decimaseptima, comminari. Ut autem censura posita propter prædictas actiones incurratur, satis est, quòd sive per se, sive per alium, seu alios, sive publicè, sive occultè exerceantur. Personæ, contra quas prædictæ actiones fieri prohibentur, octo numerantur. Prima, partes actrices. Secunda, earum partium agentes. Tertia, consanguinei. Quarta, affines. Quinta, familiares. Sexta, Notarii. Septima, executores. Octava, subexecutores. Litteræ, quas impedire non licet, sunt primò litteræ Apostolicæ etiam in forma Brevis gratiam, vel justitiam concernentes. Secundò citationes. Tertiò inhibitiones. Quartò sequestra. Quintò monitoria. Sextò processus. Septimò executoriales. Octavò quæcumque alia decreta, sive litteræ prædictæ emanent à Romano Pontifice, & Sede Apostolica, sive à Legatis, Nuntiis, Præsidentibus palatii, & Cameræ Apostolicæ Auditoribus, Commissariis, aliisque judicibus, & delegatis Apostolicis. Excommunicanturque non solùm prædicta absolutè prohibentes, sed etiam impedientes, ne executioni, sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine, mandentur.

159 In secunda parte hujus clausulæ excommunicantur impedientes recursum ad Romanam curiam, in qua aliqua personarum genera memorantur. Prima, prohibentes, ne aliqui ad curiam accedant, vel recursum habeant, pro quibusvis eorum negotiis prosequendis, vel gratiis, litteris, & indultis impetrandis; neve gratias ipsas, & litteras impetrent, seu impetratis utantur. Secunda, statuentes, ne prædicta fiant. Tertia, ad ipsum mandantes. Quarta, prædictas litteras, gratias, seu negotia, quomodolibet apud se, aut Notarios, seu Tabelliones retinentur. Excommunicanturque istorum aliquod facientes, sive directè, sive indirectè, dummodo tamen cum præsumptione id fa-

Digitized by Google

faciant. Ex quo sequitur non excommunicari illud facientes per ignorantiam, etiam si culpabilis sit, ut notat Sayr. quia juxta doctrinam communiter receptam, lex puniens præsumentem, non comprehendit illum, qui bona fide ignoranter, imprudenter, sive inadvertenter operatur, ut ex Cardin. notat Nav. apud Sosam in annot. hic.

Sayr. c. 17. n. 8.

160 Notabis ergo de hac clausula nihil omninò dicere Nav. Tolet. & Soar. non quia clara sit, ut piè interpretatur Possev. hic, sed quia illius materia est valde controversa inter Principes sæculares, & Papam. Nam in aliquibus Regnis litteræ Apostolicæ non dantur executioni, nisi priùs examinentur, & placeant, ponaturque regium *Exequatur*, quod aliqui conantur liberare ab hac censura, alii non audent. In aliis recurritur ad curiam sæcularem contra injuriam certò inferendam, quæ nulla alia via arceri potest. Quod alii excusant titulo defensionis naturalis. Alii condemnant, quia recursus deberet fieri ad potestatem ecclesiasticam. Sed si ista est, quæ gravat, quid faciendum? Multi dicunt Papam certiorem factum adhibiturum remedium saluti, & incolumitati utriusque Reipub. ecclesiasticæ, & sæcularis; dum tamen illud non adhibet, non excusant ab hac censura, estò non desint Doctores Canonistæ, ac Theologi, qui dicant licitum esse talem recursum. Verùm hic recursus ad curiam sæcularem contra sacros Canones esse videtur manifestè, quos Papa eorum Author, & non Doctores, debet interpretari; interpretatur verò per hanc clausulam Bullæ satis clarè id non licere. Ita satisfaciunt multi.

161 Respondent aliqui excusari Principes sæculares, eorumque ministros per consuetudinem, de qua constat, & allegatur à Menochio, eò quòd privilegiis firmata sit. Dicunt tamen alii consuetudinem hanc non excusare, quia licèt de consuetudine satis constet, privilegia non ostenduntur; cùm tamen sæpè evenerit necessitas ostendendi; quæ si extarent, ostensa fuissent. Unde concludunt neque consuetudinem immemorabilem aliquorum regnorum excusare, quia damnatur à Conciliis, & decretis Pontificum; maximè verò in hac Bulla expressissimè. Respondent aliqui privilegia ista fuisse concessa à summis Pontificibus, neque credi posse de Principibus catholicis, quòd sine illis tales recursus auderent admittere, & si non sunt ostensa, ideo esse, vel quia cùm sint concessa à tempore immemorabili, jam non extant, nisi in libris, à quibus referuntur; vel quia numquam fuerint petita à legitimo superiore, qui solus est Papa.

De retinenda poss. rem. 1.

162 Dicunt, quamvis talia privilegia re vera fuissent concessa, de quo dubitant, per hanc Bullam toties promulgatam, esse revocata. Respondent non revocari per Bullam, quia cùm fuerint concessa ex concordata per modum contractus inter Pontificem, & Principes; ut revocarentur, deberet fieri specialis, & individua revocatio per clausulam specialiter revocatoriam, quod tamen non fit, neque per generalem, ut fit in multis aliis hujus Bullæ clausulis. Unde cùm Pontifici constet de hac consuetudine immemorabili, quæ non potuit sine privilegio introduci, illamque non revocet, censetur illam permittere, & tolerare, ubi viget. Dicunt tolerare, non quia approbet, sed quia huic malo commodè occurrere non potest. Respondent potuisse quidem suam voluntatem indubitanter declarare, quod faceret, si diceret. Non obstante qualibet consuetudine etiam immemorabili in contrarium quolibet privilegio confirmata, quod cùm non faciat, si positivè non approbat, saltem tacitè permittit. Et consequenter, inquiunt, contra illos, apud quos viget hæc consuetudo, Bulla non procedit. Dicunt satis expresè voluntatem suam declarare. §. *Declarantes, & protestantes*, qui habetur n. 26. & prohibendo librum, qui dicitur Manus Regia, ubi de his privilegiis, & consuetudine longus est sermo.

163 Ecce cur Doctores suprà citati hanc clausulam proponunt, & sequentes eidem affines, sine ulla explicatione, ne aliquam partem videantur offendere. Unde multi dicunt debuisse Pontificem rem hanc explicare, quam certè non ignorat, cùm vicinam habeat Siciliam, cujus Monarchia, sic enim appellant tribunal Regium, ad quod fiunt isti recursus magis exorbitantes, quàm in nullo alio Regno, satis sibi perspecta sit. Nos in hac parte nihil statuimus contenti attigisse breviter fundamenta utriusque partis, expectantes ultimam Pontificis declarationem.

d by Google

nem. Quare solùm dicam aliqua, quæ certa sunt; alia tantùm proponam, ut proponuntur à suis Authoribus, nihil decidendo, nec judicium nostrum interponendo.

164 Dico ergo primò, excommunicari per hanc clausulam personas privatas, quæ prætextu frivolæ appellationis à gravamine, & executione litterarum Apostolicarum, ad potestatem laicam recurrunt, dubitandum non est; cùm id in hac clausula expressè contineatur, cùm verò textus loquatur de frivola appellatione, dubium est, utrùm omnis appellatio sit frivola in materia præsenti, quando scilicet, appellatur à Pontifice, & à contentis in ejus litteris ad potestatem laicam, ejusque tribunalia? Resp. affirmativè, ratio verò est, quia appellatio frivola est, quæ fit sine justa, & legitima causa, ut sumitur ex Glossa in cap. Cùm appellationibus frivolis de Appellat. in 6. sed ita se habet omnis appellatio à Sede Apostolica ad sæcularem potestatem, cùm in illa potius invertatur, quàm servetur ordo judicii; nam ordo postulat, ut appellatio fiat ab inferiori ad superiorem; cùm ergo potestas Ecclesiæ, maximè Pontificia, sit superior sæculari, verè frivola est appellatio à potestate ecclesiastica, & ab executione litterarum Apostolicarum, ad sæcularem potestatem, ejusque Magistratus. Unde in nullo casu est licita appellatio à mandatis Apostolicis ad laicam potestatem, ejusque ministros, aut tribunalia. Nam appellatio est recursus à minori ad majorem judicem: sed indubitatum est inter Catholicos potestatem secularem esse inferiorem ecclesiastica, hancque illi non subordinari; ergo non licet ab illa ad sæcularem appellatio. Neque illi, qui concedunt hos recursus, de quibus agimus, eos appellant appellationes, propter rationem factam.

165 Dico secundò: Non solùm Magistratus sæculares, qui tales appellationes excipiunt, & ex vi illarum authoritativè, & quasi judices prohibitas hic actiones exercent, sed etiam particulares personæ, quæ hujusmodi appellationes interponunt coram judicibus sæcularibus, & per eos tamquam per publicam authoritatem tales actiones fieri procurant, excommunicantur. De Magistratibus est res clara, nec minus clara de particularibus personis. Nam hìc excommunicantur facientes acceptari, facientes capere, &c. Sed hujusmodi actiones à particularibus personis exerceri possunt, & solent, cùm Magistratus ad instantiam partis, & personæ particularis prædictas actiones præstent; ergo non solùm de Magistratibus, sed etiam de particularibus personis censura intelligitur.

166 Dico tertiò: Personæ Ecclesiasticæ, quæ actiones hic prohibitas faciunt sive recurrendo per appellationem ad potestatem laicam, sive eas accipiendo tamquam ministri, & judicando de illis in tribunali laico, cui sæpè perficiuntur, hujus censuræ reæ efficiuntur. Ratio est, quia in hac clausula nulla inter personas ecclesiasticas, & sæculares fit discretio, sed de omnibus absolutè sermo est, ut constat ex contextu; ergo cùm nulla sit ratio, quæ ecclesiasticas personas excuset, certum est in hac clausula comprehendi, cùm ipsæ majorem injuriam irrogent Pontifici ratione status.

167 Consulentes fieri hujusmodi appellationes, & reliquas actiones prohibitas, hac censura non innodantur, quia non exprimuntur in clausula. Comprehenduntur verò mandantes; nam qui mandat appellationem acceptari, litteras Apostolicas capi, & retineri, & similia; facit quod in hac clausula expressè prohibetur; ergo certissimè excommunicatione hac innodatur, cùm sub nomine *Admitti, capi, & retineri facientis*, mandantes comprehendantur. Dum ergo in clausula dicitur: *Per se, vel per alium, seu alios*, mandantes intelliguntur, qui enim mandat per alium impedit, & perturbat: ergo licèt mandantes non exprimuntur per verbum *mandare*, exprimantur tamen per verba æquivalentia, quæ intelligi non possunt, nisi de verè mandantibus.

168 Dubium igitur non est de appellatione, quam certum est non licere ad laicam potestatem, pro impedienda executione litterarum Apostolicarum; sed de recursu per modum querelæ, & implorationis auxilii, quando sequitur injuria irreparabilis, aut quæ difficilè reparari potest, & Pontifex multùm distat, nec est ecclesiasticus judex, qui possit, aut velit violentiam auferre, & impedire, dum recurritur ad Pontificem? Negant plures, affirmantque

que constanter neque hoc modo licere recurrere ad laicam potestatem, ejusque tribunalia sæcularia, inter quos est Azor. & Sayr. qui alios referunt.

169 In contrarium verò stat consuetudo antiquissima ab antiquissimo tempore servata in Regnis Hispaniæ, Lusitaniæ, & Galliæ, secundùm quam ad curiam sæcularem, nempe ad Regem, regiaque tribunalia fit recursus, quando sive laici, sive Ecclesiastici per vim, & violentiam etiam censuris opprimuntur à judicibus Ecclesiasticis; & idem fit, quando litteræ Apostolicæ vim inferunt, ut injuria, & vis per Regem auferatur, donec Pontifex, ad quem appellatum est, respondeat de rei veritate informatus. Quam consuetudinem probat Covar. Gregor. Lopes, Zaval. Sosa, & alii. Fundam. principale est, quia justa defensio est licita, & de jure naturæ: sed in casibus, de quibus loquimur, non est qui defendat oppressum, nisi Rex, ejusque tribunalia: ergo licitum est ad illum recurrere, non per modum appellationis, sed per viam querelæ ad justam defensionem, illique licet suos cives defendere ab injusta oppressione, & illata, seu inferenda violentia. Patet consequentia, quia clausula Bullæ, in cujus explicatione immoramur, non videtur prohibere hunc recursum, sed solùm illum, qui fit per appellationem; sed hìc non appellatur ad regem, nec ipse, ejusve ministri cognoscunt de causa principali, sed de sola vi, ac violentia; ergo non videntur facere contra Bullam, quando nec ad ipsos appellatur, nec ipsi appellationem accipiunt, nec de causa cognoscunt, de qua agnoscunt, & sententiam proferunt illi, ad quos legitimè appellatum est.

170 Confirmant primò, quia si qua esset ratio, ob quam in tali casu non liceret recurrere ad laicam potestatem, ea esset, quoniam ab ecclesiastico judice ad sæculare Regis tribunal nullo modo adire liceret; sed hoc est falsum, si de omni recursu, ac de omni casu intelligatur, nam ut habetur cap. Filiis, & Nepotibus 16. q. 7. Quando ecclesiastici, etiam Episcopi, aut Metropolitani bona Ecclesiæ defraudaverint, Regis auribus intimari non differatur. Ubi Glossa verbo *Regis* dicit faciendum id esse, ut Rex ecclesiasticum corrigat, quia per ecclesiasticum judicem corrigi non potest. Idemque habetur in alio casu cap. Petimus 11. q. 1. ex Concilio Carthagin. Quod etiam habet locum, addit Glossa citata, quando Ecclesiasticus negligens fuerit; ergo non absolutè illicitus est omnis recursus ad Regem, quando non fuerit per modum appellationis, tamquam ad judicem competentem causarum Ecclesiasticarum.

170 Confirmant secundò magis in particulari ad rem præsentem: quia vel Pontifex in expeditione litterarum Apostolicarum, quæ cedunt in præjudicium tertii, procedit ex informatione falsa, vel ex informatione diminuta; sed quocumque ex his modis litteræ expediantur, si non sit facilis recursus ad ipsum Pontificem, instetque malum irreparabile, aut quod facilè reparari non potest ex illarum executione, illicitum non erit recurrere ad laicam potestatem. Nam litteræ, quæ expediuntur, supposita falsa, aut diminuta informatione, subreptitiæ sunt, aut obreptitiæ, talesque falsæ censentur cap. Ad falsam de crimine falsi; litteræ autem falsæ, cùm non obligent in conscientia, justè detineri possunt, & per appellationem ad Pontificem malè informatum, seu benè informandum, impediri, ne executioni mandentur. Quòd si per inferiores ministros ecclesiasticos tali appellationi non differatur, vis infertur appellanti, à qua per Principis sæcularis auxilium se defendere poterit, donec Romanus Pontifex verè, & legitimè informetur. Accedit, quia litteræ subreptitiæ, vel ipso jure sunt nullæ, vel saltem annullandæ, juxta Glossam in cap. Ad audientiam de Rescriptis; ergo nulla injuria fit Pontifici per hunc recursum, sed potiùs ejus suprema authoritas juvatur, & defenditur. Unde concludunt licitum esse parti offensæ hunc recursum, & Principi defendere sic oppressum ad se recurrentem, neutrumque hac excommunicatione posse innodari.

171 Imò addunt prædicti Doctores in casu prædictæ violentiæ, & injuriæ manifestæ teneri Principes sæculares defendere ad ipsos recurrentes, sive laici sint, sive ecclesiastici, impediendo litterarum Apostolicarum executionem, à qua ad Pontificem jure appellatur. Fundamentum illorum est, quia Principes sæculares licitè possunt executio-

Digitized by Google

cutionem prædictarum litterarum impedire, ut hactenus probarunt: ergo tenentur impedire. Patet consequentia, quia Principes, & Reges ex officio tenentur defendere sibi subditos. Antecedens probatur, tum quia ex dictis licitum est clericis, & laicis ad Regem recurrere in prædictis casibus violentiæ; ergo ipsis licet in eisdem eos defendere, cùm vel maximè, quia hujusmodi defensio non minuit authoritatem Pontificis, sed potiùs ipsam juvat, impediendo injustam executionem, donec ipse informetur, & tandem informatus decernat, quid faciendum: tum denique, quia quando justa appellatio ad Pontificem injustè impeditur, pro Pontificis authoritate facit, qui executionem injuriosam mediis accommodatis suspendit. In quo puncto ego nihil definio, sed propono quod docent citati Doctores.

172 Majus dubium est, an liceat potestati sæculari litteras Apostolicas examinare, ut vel executioni mandentur, vel impediantur, si justa ratio postulaverit? Certè in hac clausula id expressè prohibetur sub excommunicatione per ea verba: *Qui impediunt, & prohibent simpliciter, vel sine eorum beneplacito, & consensu, vel examine executioni mandari*. Unde Azor. & non pauci alii docent nullo modo sustineri posse usum retinendi, & examinandi litteras Apostolicas per laicam potestatem.

173 Non desunt tamen Doctores, qui oppositum defendant, inter quos est Covar. Zaval. Vivald. & Driedo. Juxta quos ait Sosa disp. 76. non esse omninò illicitum examinare litteras Apostolicas gratiam, vel justitiam concernentes, ad Pontificem omni cum humilitate, & obedientia informandum de inconvenientibus, & damnis, quæ ex earum executione sequi possunt, probantque ex cap. Si quando de Rescript. Ubi Pontifex concedit, quòd quando rescriptum Papæ videtur repugnare, ei exponantur causæ, quare mandatum ipsius nec adimpleatur; ergo ante litterarum Apostolicarum executionem illicitum omninò non erit examinare, an aliquid contra justitiam, aut bonum commune contineant. Quod confirmari potest ex antiquo usu in Regnis Hispaniæ, quorum Reges catholici hoc utuntur. Ad hæc tamen dici potest per hanc Bullam, ejusque præsentem clausulam corrigi, quidquid

Covar. pract. qq. c. 35 à n. 4. Zaval. to. 4. pract. qq. q. 897. à n. 291. Vivald. hic à n. 102. Dried. l. 2. de libert. Christ. c. 2.

per jus antiquum huic sententiæ favere poterat, reprobarique, & damnari talem Hispaniarum, & aliorum Regnorum usum, in quibus fortè viget, qui post tot repetitas reprobationes singulis annis factas, corruptela potiùs, quàm usus, & consuetudo dici debet. Addit verò Sosa n. 4. illicitum esse de hac re legem sancire, quia talis lex derogaret authoritati Pontificis; quodammodo enim prædictas leges sancientes facerent potestatem suam sæcularem ecclesiasticæ superiorem, in suorum mandatorum exercitio, maximamque occasionem exhiberent, ut Ecclesia, ejusque mandata in contemptum venirent, ac despectum.

174 Infert verò licere petere à legatis Apostolicis litteras suarum legationum, & jurisdictionum. Quia, inquit, ut aliquis credatur legatus, litteras suæ legationis ostendere debet. Cap. Nobilissimus dist. 97. Et Glossa ibi verbo signatis. Cap. cùm in jure de potest. Judicis deleg. Et ratio est, quia aliter contingere poterit, ut aliquis sine litteris, vel cum litteris falsis se legatum introduceret, ut in hoc nostro Lusitaniæ Regno contigisse fertur, ut refert Paramus de origine Inquisitionis, lib. 2. titulo 2. c. 15. n. 6. Notat etiam idem Sosa n. 8. quando Reges litteras Apostolicas retinent, & examinare faciunt, id non facere tamquam judices, sed ut boni communis, & suorum civium conservatores, quia ad Regis officium pertinet bonum commune conservare civesque suos à violentiis defendere. Hęc propono ex suis Doctoribus, sed neque assero, neque approbo.

SECTIO XV.

Explicatur decimaquarta clausula Bullæ Cœnæ.

Tenor hujus clausulæ habetur num. 175
16. In qua fertur excommunicatio contra impedientes litterarum Apostolicarum, aut aliarum expeditionum executionem, & contra avocantes caussas ecclesiasticas ab ecclesiasticis judicibus; estque clausula ista affinis præcedenti, materia est sacrilegium commissum contra authoritatem Sedis Apostolicæ, in causarum spiritualium, & spiritualibus annexarum cognitione per lai-

Digitized by Google

laicam potestatem, & in impeditione executionis litterarum Apostolicarum per eamdem.

176 Actiones in hac clausula prohibitæ sunt sex. Prima, avocare causas spirituales, vel spiritualibus annexas à quibuscumque judicibus ecclesiasticis. Secunda, impedire earumdem causarum cursum, & audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes. Tertia, interponere se tamquam judices de illarum cognitione. Quarta, compellere partes actrices, quæ committi fecerunt prædictas causas, ad revocandum, vel revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, vel alias litteras in eis decretas. Quinta compellere easdem partes ad faciendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, absolvi à censuris, & pœnis in illis contentis, aut ad consentiendum eosdem absolvi. Sexta, impedire quomodolibet executionem litterarum Apostolicarum, executorialium, processuum, & decretorum prædictorum. Actiones accessoriæ prohibitæ sunt tres. Prima, præstare ad prædicta favorem. Secunda, dare consilium. Tertia, præstare assensum. Ut autem censura hujus clausulæ incurratur, satis est, ut prædictas actiones faciat aliqua ex personis, de quibus statim, sive eas faciat per se, sive per alios.

177 Fertur autem hæc censura in octo genera personarum. Primò, contra præsidentes Cancellariarum, Conciliorum, & Parlamentorum. Secundò, contra Cancellarios, seu Vicecancellarios. Tertiò, contra Consiliarios ordinarios, vel extraordinarios quorumlibet Principum sæcularium, quacumque præfulgeant dignitate. Quartò, contra Archiepiscopos. Quintò, contra Episcopos. Sextò, contra Abbates. Septimò, contra Commendatarios. Octavò, contra Vicarios. Prætextus verò, qui ab hac censura nullatenus excusant, sunt sex. Primò, prætextus quarumlibet exemptionum. Secundò, prætextus gratiarum. Tertiò, prætextus litterarum Apostolicarum. Quartò, prætextus violentiæ prohibendæ, vel aliarum prætensionum. Quintò, prætextus informandi summum Pontificem. Sextò, prætextus supplicandi, aut supplicari faciendi, nisi supplicationes hujusmodi coram Pontifice, & Sede Apostolica legitimè prosequantur.

178 Notandum verò est primò, in hac clausula non comprehendi, nisi judices illos sæculares, & Magistratus, qui causas ecclesiasticas ad se avocant authoritate judiciaria, prætextus litterarum Apostolicarum, seu privilegii Apostolici, quas litteras, & privilegia clausula ista supponit vel non esse, vel falsò confingi, vel certè revocat, si fortè sint, & quæcumque fuerint. Unde non incurreret hanc censuram Princeps, vel magistratus ejus, qui agerent hic prohibita, non prætextu privilegii Apostolici: sed ex alio titulo, nempe ex sua protervia, vel prætextu defendendi subditos ab injusta oppressione, interim dum Pontifex sincerè informatur, maximè quia tunc se judicem non faceret causæ, sed defensorem innocentis, donec supremus Judex informatus decernat, quod justum fuerit. Licèt fortè possit incurrere censuram præcedentis clausulæ, si intra terminos illius delinquat, juxta ibi dicta.

179 Notandum est secundò, licèt in clausula ista exprimantur illi tantùm sæculares, qui authoritate propria judiciali, & laica faciunt, quæ hìc vetantur, certum tamen est comprehendi eos ecclesiasticos, qui à Principibus sæcularibus in jurisdictione laica ministri constituuntur, si authoritate sæculari causas ecclesiasticas ad se avocant, ut communiter docent Doctores. Fundam. est, quia in hac clausula absolutè fertur censura contra omnes avocantes causas ecclesiasticas ad tribunal sæculare, nulla facta discretione inter laicos, & ecclesiasticos; ergo certum esse debet hac excommunicatione obligari ecclesiasticos illos, qui causas ecclesiasticas jurisdictione laica avocant ab ecclesiasticis judicibus, cùm vel maximè quia in fine clausulæ expressè nominantur Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Commendatarii, & Vicarii, ut comprehendantur quicumque fuerint, qui authoritate sæculari prædictas causas avocaverint. Unde si persona ecclesiastica ad se avocaret causam ecclesiasticam authoritate etiam ecclesiastica, per hanc clausulam non excommunicaretur, licèt alioqui malè faceret, si ad eum non pertineret de tali causa cognoscere.

180 No-

Digitized by Google

180 Notandum est tertiò, non effugere censuram istam Judices sæculares, qui avocant ad se causas Ecclesiasticas, de quibus hìc est sermo, prætextu violentiæ prohibendæ, aut informandi, seu supplicandi Pontificem. Patet ex verbis clausulæ, quibus expressè talis avocatio prohibetur facta etiam prætextu violentiæ, aut informandi, seu supplicandi Pontificem. Unde omnes ferè conveniunt, si detur violentia ex parte judicum Ecclesiasticorum, ad quam auferendam sæculares Judices implorantur, nullo modo illis licere causam avocare, nisi priùs Ecclesiastici Judices superiores ab illis, qui violentiam patiuntur requisiti succurrere nolint. Contra libertatem enim Ecclesiasticam est, quòd prætermisso, sine causa, Judice Ecclesiastico ad quem vim, & injuriam auferre pertinet, sæcularis Judex in tali causa se intromittat, cùm per hoc ordinarius causarum cursus impediatur; libertatem, & authoritatem Ecclesiasticam quàm maximè labefactari quis non videt? Quare priùs per supplicationem, quod remedium Pontifex concedit, & assignat, ad Judicem Ecclesiasticum recurrendum est, ut violentiam auferat, quam si auferre contemnat, ad superiores Judices Ecclesiasticos adire oportet, antequam sæcularis judex quoquo modo se intromittat in causa ad se avocanda. Aliàs censura hujus clausulæ innodari dubitandum non est, docent omnes Doctores, & manifestè constat ex Bullæ contextu.

181 Dubium totum est, quando, vel non est Judex Ecclesiasticus, qui violentiam impediat, & injuriam avertat, vel quando ille requisitus succurrere oppresso negligit, an possit sæcularis se intromittere, causam ad se avocando? In quo DD. sect. præcedenti citati num. 173. Similiter docent, quando omni medio ordinario prætermisso, non est alia via depellendi injuriam à Judice Ecclesiastico factam, vel quando est periculum in mora, licitum esse judici sæculari causam Ecclesiasticam ad se avocare, propter rationes ibi factas. Addunt verò nullo modo licere tali Judici judicare de meritis causæ principalis, sed solummodò cognoscere posse, an detur in ea violentia, & injuria. Unde si Judex Ecclesiasticus ad Regis supplicationem violentiam auferre nolit, justam appellationem concedendo ad Pontificem, sitque periculum in mora accedendi ad superiorem illius, vel ad Papam, dicunt licere Judici sæculari sibi prædicto modo avocare causam; quia aliàs, inquiunt, nunquam violentia tolleretur, nec propulsaretur injuria, nisi Judices Ecclesiastici Regis supplicationi annuerent. Cùm ergo de jure naturæ sit, ut ajunt, vim vi repellere, si aliter ab illa non cessatur, licebit sæculari Judici Ecclesiasticum compellere, ut abstineat, donec superior Ecclesiasticus justè provideat. Et hac via volunt liberare ab hac censura usum tribunalis, quod apud nos est, quod dicitur *da coroa*. Utrùm benè, ipsi viderint. Ergo nihil definio, sed refero, quod invenio apud Doctores, qui certè usus non videtur satis juxta litteram hujus clausulæ procedere.

182 Nam Bulla id expressè videtur prohibere, dum in sua de hac reprohibitione addit: *Etiam prætextu violentiæ prohibendæ*. Quæ verba denotare videntur præcipuum titulum, sub cujus specie, & prætextu Principes sæculares, eorumque Magistratus aliqua facere solent, quæ videntur hujus clausulæ dispositioni contraria, quæ credunt sibi licere, ne aliquis sine justa causa, & absque vera Pontificis informatione, à suo beneficio deturbetur, aut aliam similem gravem injuriam, & violentiam patiatur, quàm postea aut vix, aut nullo modo possit reparare. Quod, inquit Nav. ut ubique ferè servatur, ita multi jure munire conantur; an verò satis muniant, nec ne; Sanctissimi Domini Nostri definitioni remitto. Ut etiam facit Soar. & omnes Ecclesiæ filii.

183 Illud tamen notandum impedientes prædictas causas, prætextu supplicandi Pontificem, illumque informandi, non esse hujus censuræ reos, si supplicationem verè prosequantur, quia id expressè continetur in hac clausula. Unde sequitur primò, si postea per veram impotentiam supplicationem non prosequantur, censuram hanc non incurrere, quia non peccant mortaliter in non prosequendo ex impotentia excusante. Sequitur secundò, hac via posse excusari tuitivas hujus Regni, quando conceduntur ad informandum Pontificem.

SECTIO XVI.

Explicatur decimaquinta clausula Bullæ Cœnæ.

184 TEnor hujus clausulæ habetur n.17. In ea fertur excommunicatio contra Judices sæculares, qui Ecclesiasticas personas, vel ex eorum prætento officio, vel ad instantiam partis ad sua tribunalia trahunt, quique Ecclesiasticam libertatem tollunt, aut in aliquo perturbant, vel contra eam leges sanciunt, & statuta, seu pragmaticas.

185 Duas habet partes clausula hæc. Materia prioris est sacrilegium, quo offenditur authoritas Sedis Apostolicæ in personis Ecclesiasticis, quatenus earum libertas offenditur, quantùm ad immunitatem fori. Actiones in ea prohibitæ sunt tres. Prima, tales personas trahere ad sua tribunalia. Secunda, trahi facere. Tertia, id directè, vel indirectè procurare. Personæ, quæ ad dicta tribunalia trahi prohibentur, sunt omnes, quæ, juxta sacros Canones, gaudent privilegio fori, imò & communitates Ecclesiasticæ, nempe Capitula, Conventus, Collegia, &c. Dummodò trahantur præter juris Canonici dispositionem. Materia secundæ partis est sacrilegium, quo offenditur Sedes Apostolica, quantum ad libertatem Ecclesiasticam in aliis rebus, quæ personæ non sunt. Actiones prohibitæ quatuor nnmerantur. Prima, leges, statuta, pragmaticas, & quævis decreta facere contra libertatem Ecclesiasticam. Secunda, eadem ordinare. Tertia, publicare. Quarta, illis jam factis uti. Id verò advertendum, in cap. Noveritis de sententia excommunicationis esse similes prohibitiones sub excommunicatione, cum majori quadam extentione, quàm in hac clausula, quia comprehendit plures personas, quamvis talis censura, prout ibi ponitur, non sit reservata.

186 Notabis autem circa primam partem, innodari hac censura trahentes personas Ecclesiasticas ad tribunalia sæcularia, non quocumque modo, sed contra Sacros Canones. Illud enim significat illa particula: *Præter juris Canonici dispositionem*. Unde illam non contrahit Judex sæcularis judicando personam Ecclesiasticam, quando hæc traditur brachio sæculari per suos legitimos Judices. Neque quando in causa civili proprius Episcopus concedit licentiam, ut sæcularis causam determinet, neque quando id fit per viam reconventionis in causa etiam civili, neque in causa feudi, neque quando pro defensione innocentis necessarium fuerit Clericum apprehendere; licèt tunc à laica potestate judicandus non sit. Neque quando in flagranti delicto, aut quando noctu obarmatus invenitur, potest enim tunc comprehendi à ministro laico suo legitimo judici sistendus, de quibus casibus videndus Sosa hic disput.82.

187 Circa secundam partem notabis primò, comprehendi in ea omnes offendentes libertatem, & jura Ecclesiastica per leges, & statuta illis quovis modo contraria, & quocumque colore edita; titulo etiam consuetudinis, aut privilegii. Unde comprehenduntur etiam personæ, quæ per modum communitatis tales leges, & statuta condunt. Quia dicitur in textu: *Quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint*. Nomine autem libertatis Ecclesiasticæ, intelligitur immunitas, privilegium, seu exemptio concessa communitati Ecclesiasticæ, tam quoad personas, quàm quoad res, quàm quoad loca; non tamen intelligitur speciale privilegium particularis Ecclesiæ, vel personæ, quia hæc directè non pertinent ad immunitatem Ecclesiæ, personarumque Ecclesiasticarum. Unde qui statuerit contra privilegia hujus Ecclesiæ, hujus, vel illius Religionis, aut personæ, quæ non conveniant ratione status communis Ecclesiastici, libertatem Ecclesiasticam non læderet, neque istam censuram incurreret. De quo vide Sosam disp.84.

168 Notabis secundò, licèt Soar. hic num. 88. satis probabile, & securum affirmet non excommunicari per hanc clausulam utentem consuetudine contra libertatem Ecclesiasticam, quia consuetudo, inquit, non est statutum, ordinatio, pragmatica, aut decretum; probabilius tamen esse oppositum. Nam consuetudo obtinet vim legis, imò est lex non scripta; sed

sed utens lege contra libertatem Ecclesiasticam excommunicatur per hanc clausulam; ergo & utens consuetudine. Confirmatur, quia qui verbo, & non scripto contra libertatem Ecclesiasticam legem statueret, illaque uteretur, procul dubio hanc excommunicationem incurreret; ergo in eamdem incidit, qui consuetudine utitur. Et à fortiori eamdem incurret, qui sententiis usu receptis contra libertatem Ecclesiasticam utitur. De quo vide Sosam disp. 80.

189 Notabis tertiò, scribentes tales leges, & statuta, ut publicentur, hanc excommunicationem incurrere. Probatur, quia omnes illi dicuntur publicare statuta contra libertatem Ecclesiasticam, qui ad talem publicationem concurrunt; sed prædictas leges, & statuta scribentes in ordine ad eorum publicationem, ad eam concurrunt; ergo excommunicantur. Ego verò oppositum probabile credo; quia purè scribentes nec ea statuta condunt, nec ea publicant, estò scribant ad publicationem; sed per hanc secundam partem hujus clausulæ solùm excommunicantur, qui talia statuta conficiunt, illaque ordinant, & publicant; ergo purè scribentes non videntur sub clausula comprehendi.

190 Notabis quartò, illum, qui dat nudum consilium ad condendam legem, aut statutum contra libertatem Ecclesiasticam, non excommunicari per hanc clausulam. Probatur, quia de dantibus consilium non loquitur in illa Pontifex, sed solùm de facientibus, ordinantibus, publicantibus, & utentibus; ergo purè consulentes non comprehenduntur. Dixi: *Purè consulentes*. Quia si habeant consilium, seu votum decisivum, sine dubio comprehenduntur, quia quando consilium est decisivum, verè, & propriè per illud lex, & statutum fit, ordinatur, & promulgatur, & dantes tale consilium authoritativè leges condunt, & statuta. Similiter comprehenduntur Consiliarii illi, quibus Rex committeret legem facere, & approbare, si illam in detrimentum libertatis Ecclesiasticæ ordinent. Patet, quia hic excommunicantur, qui quomodolibet legem faciunt, ex qua libertas Ecclesiastica in aliquo lædatur; sed qui ex commissione Principis legem hujusmodi constituerunt, quomodolibet illam fecerunt; ergo excommunicantur. Neque dicas vota hujusmodi Censorum non esse decisiva, sed consultiva, cùm ad Regem spectet illa approbare, vel reprobare; nam hujusmodi Censores, & Consiliarii ex commissione Regis suo modo decidunt, legemque ordinant, & promulgant: cùm ergo legem quomodolibet facientes excommunicentur; prædicti non possunt non excommunicari. Similiter quando tales leges ab aliqua communitate sanciuntur, omnes per suffragium, aut alio quovis modo ad illas faciendas, vel publicandas concurrentes, per clausulam excommunicantur, ut benè Soar. hic num. 88. Denique si tales leges à communitate constituantur, non solùm qui ad illas suffragantur, sed qui illis subscribunt, licèt suffragium negaverint, censura hac innodantur.

191 Notabis quintò, illam legem, & statutum censeri contra libertatem Ecclesiasticam, per quam libertas, seu immunitas Ecclesiastica tollitur, vel in aliquo læditur, aut aliàs quovis modo restringitur, imò & quando jus quarumcumque Ecclesiarum læditur. Patet ex clausula, in qua, postquam excommunicantur violantes libertatem Ecclesiasticam per has leges, & statuta, additur: *Ac quarumcumque Ecclesiarum juribus præjudicatur*. Non tamen comprehenditur, qui legem, vel statutum conderet contra privilegia à sæculari potestate Ecclesiæ concessa, quando adest justa causa, dummodò ab eo, qui privilegia concessit, aut ab habente æqualem potestatem id fiat, & dicta privilegia per Romanum Pontificem confirmata non sint.

SECTIO XVII.

Explicatur decimasexta clausula Bullæ Cœnæ.

Clausulæ hujus tenor habetur n. 18. 192
In ea fertur excommunicatio contra eos, qui impediunt Archiepiscopos, aliosque Superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscumque Judices Ecclesiasticos Ordina-

 rios,

Digitized by Google

rios, ne sua jurisdictione ordinaria utantur. Et contra eos, qui judicia fori Ecclesiastici illudentes, ad curias sæculares recurrunt, ut ab ipsis impediantur. Duas igitur partes continet præsens clausula.

193 In prima agitur de impedientibus Prælatos à sua jurisdictione, & solùm comprehendit illos, qui impediunt Ordinarios à jurisdictione fori contentiosi directè, vel indirectè; non verò qui impediunt Delegatos, neque Ordinarios ipsos, ut sunt Delegati Sedis Apostolicæ, quidquid in contrarium dicat Sayr. quia tunc non agunt, ut Ordinarii. Unde notat benè Soar. hìc num. 91. non innodari hac censura impedientes, ne judices delegati à Prælatis Ecclesiasticis suam jurisdictionem exerceant, licèt excommunicentur in cap. Quoniam de Immunitate Ecclesiastica in sexto, quæ tamen excommunicatio reservata non est.

193 Actio prohibita est, impedire judices ordinarios Ecclesiasticos, quicumque illi sint, ne sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscumque utantur, secundùm quod Canones, & Sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & Decreta Conciliorum Generalium, & præsertim Tridentini statuerunt. Modi, quibus prohibere non debent, sunt directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, consanguineos, affines, &c.

194 Notabis autem primò per verba illa: *Sua jurisdictione Ecclesiastica*. Manifestè ostendi non excommunicari hoc loco impedientes, ne Ecclesiastici aliàs Ordinarii, jurisdictionem laicam exerceant, quæ aliquando apud ipsos invenitur, quia de sola jurisdictione Ecclesiastica sermo est in hac clausula. Notabis secundò, circa illa verba: *Secundùm quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, &c.* Non excommunicari illos, qui ordinariam Prælatorum jurisdictionem impediunt, quando ipsi contra statuta per Canones, Constitutiones Ecclesiasticas, & Decreta Conciliorum Generalium procedunt.

195 Dubium verò est, utrùm excommunicentur illi, qui prædictos impediunt à sua jurisdictione, quando ipsi procedunt secundùm statuta Conciliorum Provincialium, vel etiam Synodalium? Et ratio dubitandi est, quia Pontifex solùm facit mentionem de Conciliis Generalibus. Respondendum tamen est etiam sic impedientes censura ista innodari: quia nomine Constitutionum Ecclesiasticarum intelligitur quæcumque lex, & statutum Ecclesiasticum; est enim Constitutio jus in scriptis redactum, seu jus scriptum.

196 In secunda parte agitur de illudentibus sententias, & decreta Judicum Ecclesiasticorum, per recursum ad curias sæculares; comprehenditque omnes hoc modo eludentes tam ordinarios, quàm delegatos; respicit enim actus ipsos, non autem personas, quas solas prima pars respiciebat. Unde tam procurantes prohibitiones, & mandata à judicibus sæcularibus, & tribunalibus ad prædictas sententias, & decreta impedienda, quàm tales prohibitiones decernentes, exequentes, aut dantes consilium, patrocinium, aut favorem, effectu secuto, excommunicantur.

197 Quod ut melius capias, adverte actiones principales, quæ in hac secunda parte prohibentur, esse quinque. Prima, recurrere ad curias sæculares, eludendo sententias, & decreta fori Ecclesiastici. Secunda, procurare à prædictis curiis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia ordinariis, aut delegatis prædictis decerni. Tertia, hæc eadem procurare, ne contra eosdem dentur executioni. Quarta, eadem decernere. Quinta, eadem exequi. Actiones accessoriæ sunt quatuor. Prima, in eisdem dare auxilium. Secunda, dare consilium. Tertia, dare patrocinium. Quarta, dare favorem.

198 Notabis verò circa illud verbum *eludentes*. Non excommunicari hoc loco recurrentes ad curias sæculares, quando sententiæ ab Ordinariis latæ violentiam, aut injustitiam continent. Nam elusorium idem est, ac vanum, & sine fundamento, ut colligitur ex leg. præter ff. de judicibus. Quidquid sit, an incurrant censuram latam in clausula decimatertia, & decimaquarta. Notabis etiam cum Sayro: Si Ordinarii Ecclesiastici pro suarum sententiarum, aut decretorum confirmatione, ad curias sæcula-

cula-

culares recurrant; non excommunicari tunc partes, quæ pro sententia, aut decretis illis tollendis, infirmandis in eadem sæculari curia procurant; quia in tali casu non ipsæ sunt, quæ ad curiam sæcularem recurrunt, & jurisdictionem ordinariam impediunt, cùm potiùs ab ipsis Ordinariis ad tribunal sæculare deducantur.

199 Dubium esse potest, utrùm recurrentes ad curias sæculares in causis mixti fori, comprehendantur sub hac excommunicatione? Causæ autem mixti fori sunt illæ, de quibus cognoscere potest tam Judex Ecclesiasticus, quàm sæcularis; in quibus datur præventio, ut qui causam prævenit, ac præoccupat, in illa sententiam proferat, & alter se non intromittat. Unde certum esse debet prævenire Judicem Ecclesiasticum in causa mixti fori, non satis esse ad incurrendam censuram contentam in hac clausula. Probatur autem, quia præventio, juxta jus commune, licita est; sed qui facit, quod sibi licet, non peccat; ergo non incurrit excommunicationem, cùm hæc non incurratur, nisi propter peccatum. Adde, quia prævenire Judicem Ecclesiasticum in tali causa, non est impedire injustè exercitium Ecclesiasticæ jurisdictionis, qua ratione intelligenda est prohibitio hujus Canonis; nam uterque Judex plenè, ac divisim in tali causa procedit. Cùm igitur causa sit communis, licitum est uni, vel alteri judici illam definiendam suscipere, & unicuique particulari uni, vel alteri se submittere sine injuria alterius, & absque ullo hujus censuræ timore.

200 Si tamen Judicem Ecclesiasticum, qui causam mixti fori prævenit, seu præoccupavit, impedias, ne circa illam procedat, vel sententiam ab eo in tali causa latam eludas, recurrendo ad curiam sæcularem, procurandoque prohibitiones, vel mandata pœnalia contra illum, hujus censuræ reus efficieris; quia qui hoc faceret impediret, ne Judices Ecclesiastici uterentur Ecclesiastica jurisdictione: utpote qui contra illos talis jurisdictione utentes, prohibitiones, ac mandata pœnalia procuraret, quod expressè in hac clausula sub excommunicatione prohibetur. Judex enim Ecclesiasticus, postquam laicam in prædictis causis prævenit, utitur jurisdictione sua Ecclesiastica, atque adeo illum impedientes faciunt, ne jurisdictione sua Ecclesiastica utatur. Idem dicendum, si causa talis sit, quæ ad Judicem Ecclesiasticum, & sæcularem simul pertineat, ita ut uterque simul sententiam proferre debeat; qui enim prædictis modis Ecclesiasticum impediret, hanc censuram non evaderet; nam verè impediret jurisdictionis Ecclesiasticæ justum concursum, quamvis Ecclesiasticus non sit in tali causa judex totalis, nisi in defectu sæcularis. Idemque dicendum de eo, qui in tali casu sententiam ab utroque juridicè latam eluderet; faceret enim injuriam Ecclesiastico in tali causa justè procedenti.

SECTIO XVIII.

Explicatur decimaseptima clausula Bullæ Cœnæ.

Habetur tenor hujus clausulæ n. 19. In ea fertur excommunicatio contra eos, qui usurpant Sedis Apostolicæ, & quarumcumque Ecclesiasticarum personarum jurisdictiones, vel earum fructus usurpant, aut sequestrant. Principales actiones in hac clausula prohibitæ sunt duæ. Prima, usurpare. Secunda, sequestrare. Quæ autem usurpari, & sequestrari vetantur, sunt quatuor, nempe jurisdictiones, fructus, redditus, proventus; dummodò hæc ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, ad Papam, ad Sedem Apostolicam, & ad quascumque personas Ecclesiasticas pertineant, & sine Romani Pontificis, vel ad id legitimam potestatem habentium facultate, quavis occasione, vel causa fiant. 201

202 Primùm igitur, quod in hac clausula prohibetur, est usurpatio jurisdictionis. Secundum usurpatio fructuum, reddituum, & proventuum. Quod autem inter hæc tria sit discriminis, non est nostri instituti explicare; satis enim est scire prohiberi usurpationem omnium, quæ proveniunt ex Beneficio, ex jure Ecclesiæ, vel Monasterii, qua-

cumque ratione proveniant. Prohibetur tandem prædictorum sequestratio, quæ nihil est aliud, quàm rei, de qua agitur, vel controvertitur, separatio, aut possessionis interdictio.

203 Notabis verò primò, circa usurpationem jurisdictionis, comprehendi sub hac censura usurpationem jurisdictionis non solùm Ecclesiasticæ, sed etiam sæcularis, & temporalis, quæ spectat ad Ecclesiasticas personas, ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, ac Beneficiorum Ecclesiasticorum. De spirituali, & Ecclesiastica res est manifesta. De temporali inde constat; quia Pontifex loquitur de jurisdictione, quæ ratione Beneficii Ecclesiastici ad personas Ecclesiasticas pertinet, nulla facta distinctione, aut commemoratione, quòd talis jurisdictio Ecclesiastica sit, & spiritualis, vel temporalis, & sæcularis; sed aliquando dominium, & jurisdictio temporalis ratione Beneficii Ecclesiastici convenit personis Ecclesiasticis, ut est manifestum; ergo qui talem jurisdictionem usurparet, per hanc clausulam excommunicaretur. Confirmatur, quia cùm hujusmodi jurisdictio Ecclesiastico Beneficio conjuncta sit, inter fructus illius computari debet; atque qui illam usurparet, excommunicaretur, sicut qui usurpat fructus, & proventus Beneficii. Neque dicas dominium, temporalemque jurisdictionem non convenire ratione Beneficii, sed ex libera donatione Principum: quia quæ liberè donata sunt Ecclesiæ, facta donatione, Ecclesiastico Beneficio conjunguntur, & ratione illius ad Ecclesiasticas personas pertinent.

204 Notabis secundò, eos, qui usurpant ea, quæ personis Ecclesiasticis competunt, non ex Ecclesiastico Beneficio, sed aliunde conveniunt, hanc censuram non incurrere. Ratio est, quia hoco loco solùm excommunicantur illi, qui usurpant ea, quæ ratione Beneficiorum ad Ecclesiasticos pertinent, de his enim tantùm loquitur Pontifex; sed quæ aliunde conveniunt Ecclesiasticis, non conveniunt ratione Beneficii; ergo &c. Hinc sequitur non excommunicari per hanc clausulam usurpantes Clericorum patrimonia, ad quorum titulum ordinati sunt, cùm ad illos non spectent ratione Beneficii, quidquid in contrarium dicat Ugolin. hic.

205 Notabis tertiò, circa usurpationem fructuum, redditutum, & proventuum; debere, ut hæc censura incurratur usurpari, ut tales sunt, hoc est, quando usurpatur jus ad ipsos, seu quando quis eos usurpat, ut ad se pertinentes, non verò quando usurpantur, ut res quædam utilis, & commoda, qua ratione fures, & latrones res alienas usurpare solent per furtum, aut rapinam. Nam Canon iste factus non est contra fures, & latrones, sed contra eos, qui fructus, & redditus Ecclesiæ usurpant, id est, non tamquam aliena bona, sed tamquam aliquid ad se pertinens, quasi jure proprio; quod benè declaratur ex verbo *usurpare*. Quod non significat quomodocumque capere, sed quasi jure proprio rem accipere. Et ex intentione Pontificis, qui, ut ait Caet. hoc loco, hanc censuram profert contra dominos temporales, qui redditus, & proventus temporales Ecclesiæ, & Beneficiorum solent usurpare, quod regulariter faciunt, quia existimant, vel fingunt existimare bona illa sibi ex aliquo apparenti titulo debita esse.

206 Notabis quartò, quamvis Caet. & Tolet. hic existiment hac censura non innodandum, qui usurparet tales fructus, & proventus, quando Ecclesia, vel Beneficium vacaret; quia tunc non pertinerent ad personam Ecclesiasticam: oppositum tamen tenendum esse, ut benè probat Soar. Sayr. Navar. Ugolin. & plures alii; quia tales fructus, redditus, & proventus verè sunt Ecclesiastici, pertinentes ad successores; at Pontifex per clausulam istam vult defendere jura, quæ Ecclesia ad illos habet; ergo qui eos usurparet eo etiam tempore, ab hac censura minimè liberaretur.

207 Notabis quintò, sub eadem censura prohiberi sequestrationem talium bonorum, nempe talium fructuum, & proventuum sine authoritate, & licentia illorum, ad quos pertinet: quia sequestratio est actus jurisdictionis, quæ in talia bona non pertinet nisi ad judices Ecclesiasticos, vel de illorum licentia. Unde

Judex

Judex sæcularis, qui absque licentia Episcopi, aut Vicarii sequestraret bona Beneficii, hanc censuram incurreret. Et similiter exequentes sequestrum; eò quòd exequens unum, & idem censetur cum mandante, cujus authoritate operatur. Unde delictum mandantis, & mandatarii exequentis unum est. Non autem incurreret creditor, qui faceret, & procuraret, ut tales fructus, & redditus sequestrarentur; quia in hac clausula non exprimitur faciens, & procurans sequestrari, sed sequestrans.

SECTIO XIX.

Explicatur decimaoctava clausula Bullæ Cœnæ.

208 Tenor hujus clausulæ habetur n. 20. In ea fertur excommunicatio contra eos, qui imponunt decimas, & alia onera personis Ecclesiasticis, Ecclesiis, Monasteriis, aut eorum fructibus. Actiones verò in ea principaliter prohibitæ sunt tres. Prima, sine speciali, & expressa licentia Pontificis collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera, quocumque modo dicantur, imponere personis Ecclesiasticis, & earum, ac Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, fructibus, redditibus, & proventibus. Secunda, eadem sine prædicta licentia exquisitis modis exigere. Tertia, sic imposita, etiam à spontè dantibus, & concedentibus recipere. Actiones accessoriæ sunt sex. Prima, per se, vel per alios directè, vel indirectè prædicta facere. Secunda, prædicta exequi. Tertia, procurare. Quarta, in eisdem dare auxilium. Quinta, dare consilium. Sexta, præstare favorem. Comprehenduntur autem in hac clausula omnes cujuscumque status, conditionis, præeminentiæ, dignitatis, quæcumque fuerit: & innovantur super his decreta per sacros Canones tam in Concilio Lateranensi novissimè celebrato, quàm in aliis Conciliis Generalibus edita, cum censuris, & pœnis omnibus in eis contentis.

209 Nota verò primò, non solùm comprehendi sub hac censura eos, qui imponunt prædicta onera ex bonis Beneficiorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, & Collegiorum solvenda, sed etiam ex ipsis personis Ecclesiasticis, estò beneficia non habeant, & ex bonis patrimonialibus solvere debeant; hoc enim significat verbum illud: *Eorum, & Ecclesiarum bonis*. Ut observant communiter Doctores hanc clausulam exponentes.

210 Excipe tamen primò, Ecclesiasticas personas, quæ sæculariter negotiantur; quia ab iis liceret exigere consuetas gabellas, sicut & à sæcularibus tali negotiationi impositas, ut ex variis capitibus juris Canonici, multisque Doctoribus docet Sosa disp. 92. nu. 3. Dicendus tamen non est negotiator Clericus ille, qui bona sua reservat, ut vendat tempore, quo plus valitura sunt, neque qui ea mittit ad locum, in quo plus valent. Unde inferes non licere tributum exigere ex sacchearo, v. c. aut aliis rebus in quibus Reges nostri Episcopis, & Clericis Ultramarinis stipendia solvunt, quando venditionis causa ad hoc Regnum, vel alium locum exportantur, quia id negotiari non est, sed potiùs est vendere suos fructus, ut domesticis necessitatibus provideant.

211 Excipe secundò ea bona Ecclesiarum, vel Ecclesiasticorum; quæ, antequam ad eos pertinerent, habebant annexum onus reale; hoc enim ex ipsis solvendum est, quamvis postea ad Ecclesiam, vel personas Ecclesiasticas pertineant. Ratio verò est, quia per hoc, quòd bona illa ad Ecclesiam, vel Ecclesiasticos deveniant, jus, quod quis super illis habebat, non amittitur; nulli enim per hoc, quòd res aliqua Ecclesiæ uniatur, fieri debet injuria, imò nec potest: ergo si ante habebant onus reale, hoc Ecclesia, & Ecclesiastica persona solvere debet, de quo quidem onere non est hic sermo, ut benè plures Doctores Canonistæ, quos refert Sosa disp. 92. num. 5.

212 Nota secundò, quando dicuntur innodari hac censura illi, qui has collectas, ac tributa recipiunt à spontè dantibus, intelligi, quando Clericis sunt imposita, qui spontè dicuntur dare, quando sine speciali alia vi, & coactione, præter impositionem, tribuunt; quod in hac clausu-

Soar. n. 99. Sayr. c. 12. n. 10. Sosa d. 93. n. 2. la satis exprimitur per illa verba: *Sive sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus recipiunt*. Quare si Clericus, ac totum Capitulum, vel Monasterium, vel tota communitas Ecclesiastica Provinciæ, vel Regni, ob communem necessitatem, sine impositione, spontè offerret, non incurreret censuram istam recipiens talem collectam, ut omnes concedunt. Si tamen onus Ecclesiis, aut Ecclesiasticis imponatur, sive ipsis tantùm, sive simul cum laicis, qui illud accipit, etiam à spontè dante, censura certè ligatur.

213 Nota tertiò, licèt aliqui Doctores Juristæ apud Sosam, dicant licitum esse imponere Ecclesiasticis tributa, vectigalia, & gabellas ad reparationem murorum, pontium, & viarum, & licèt in capite Non minus, de Immunitate Ecclesiæ dicatur, quòd obligari possint ad hæc onera solvenda, quando laicorum bona ad publicas necessitates non sufficiunt, hoc tamen per Bullam istam expresè prohibetur. Ultra quod in cap. Non minus non habetur, quod tributum Ecclesiasticis imponatur, sed volentibus Episcopo, & Clericis, subsidia per Ecclesias conferri poterunt, quod est valde diversum.

214 Nota quartò, in casibus rationabilibus, posse sæculares Principes imponere Clericis has collectas, consulta prius Sede Apostolica, ut ait Bulla in hac clausula; in urgente verò necessitate ait Possevinus, & benè in hoc loco num. 201. consulto Episcopo vice Sedis Apostolicæ, ipsoque annuente, posse imponi, si necessitas adeò urgeat, ut Pontificis licentia expectari non posset. Si verò necessitas evidens adeò urgeat, ut sit periculum in mora, nec sit aditus ad Pontificem, nec ad Episcopum, non est dubitandum posse Principem tales collectas Clericis imponere, paratum restituere; si Pontifex consultus non approbet, quia necessitas non habet legem. Ita cum aliis idem Possevinus.

215 Nota quintò, innovari per hanc clausulam super his collectis, quæ Ecclesiasticis imponuntur, decreta per sacros Canones edita tam in Lateranensi Concilio novissimè celebrato, quàm in aliis Conciliis Generalibus. Hæc autem decreta sunt duo. Nempe caput Non minus, & caput Adversus, de immunit. Ecclesiæ, in quibus excommunicantur, qui tales collectas imponunt, & in cap. Adversus, qui succedit in regimine ei, qui Clericis onera imposuerat, tenetur satisfacere, si primus non satisfecit; & si intra mensem non satisfecerit, cùm potuerit, incidit in excommunicationem, non, inquam, istam Bullæ, sed in aliam, quæ in capite illo imponitur, quæ nemini reservatur. Dubium verò esse potest, utrùm censuræ illorum capitum, supposito quòd in hac clausula, renoventur, eamdem habeant reservationem, quam cæteræ hujus Bullæ? Affirmat Tolet. cap. 29. num. 3. Negat verò Sosa disput. 94. num. 6. Quia, inquit, innovare, nihil est quàm rem reducere ad pristinum statum; ergo si antea non erant reservatæ, neque modò tales sunt.

SECTIO XX.

Explicatur clausula decimanona Bullæ Cœnæ.

Tenor hujus clausulæ habetur n. 21. 216
In ea fertur excommunicatio in Judices sæculares, qui in causis criminalibus procedunt contra personas Ecclesiasticas, seque in talibus causis interponunt. Actiones prohibitæ sunt sex. 1. quomodolibet se interponere in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas. 2. illas processare. 3. bannire. 4. capere. 5. sententias contra proferre. 6. sententias exequi. Dummodò hæc fiant sine speciali, specifica, & expressa licentia Sedis Apostolicæ. Personæ, contra quas hæc censura fertur, sex etiam numerantur. 1. quicumque Magistratus. 2. Judices. 3. Notarii. 4. Scribæ. 5. Executores. 6. Subexecutores. Sive hujusmodi sint Conciliarii, sive Senatores, Præsidentes, Cancellarii, Vicecancellarii, sive quovis alio nomine nuncupentur.

217 Notandum primò, circa illam particulam *quomodolibet*. Conjungendam esse cum omnibus actionibus hoc loco prohibitis, quæ quomodolibet exercitæ hac censura innodant eas exercentes; si absque licentia Sedis

dis Apostolicæ eas exerceant. Licentia autem, ut excuset, debet esse specialis, specifica, & expressa; idest, peculiaris, & propria. Unde non sufficit quòd concedatur per verba generalissima, nec generalia, sed debet esse expressa. Ideo non satis est, quòd sit implicita, & virtualis. Ex quo infertur necessariam esse declarationem delicti, & personæ in specie Soar. nu. 103. existimat sufficere licentiam ad cognoscendum de delicto in specie, etiam si concessio sit generalis, quoad personas. Unde non credit revocata esse privilegia, sub hac forma alicui concessa. Quæ sententia probabilis est, ut ait Soia in annot. ad hanc clausulam; quia verba illa: *Specialis, specifica, & expressa*, rem in individuo non significant.

218 Notandum secundò, illam dici causam capitalem, in qua agitur de crimine capitali, quod secundùm jura est illud, ex quo damnato vel mors, vel civitatis amissio, vel servitus contingit. Causa criminalis illa censetur, in qua agitur ad vindictam, & ad pœnam applicandam Fisco, non verò si applicanda sit parti, quia tunc dicitur agi civiliter, non criminaliter.

219 Notandum tertiò, personam Ecclesiasticam in hac clausula contentam esse non solùm Episcopum, Religiosum, nec omnes in sacris constitutos, sed etiam in minoribus, qui gaudeant privilegio fori, juxta Trident. Sess. 23. cap. 6. de reformation. si nimirum utantur habitu clericali, & tonsura, ac de mandato Episcopi alicui Ecclesiæ adscripti sint, &c. Procedentes contra omnes istos, seu quemlibet illorum, per actiones suprà recensitas in causis criminalibus, non solùm capitalibus, sed etiam non capitalibus, quæ nempe non merentur pœnam sanguinis, vel quando hæc decernitur, estò non detur executioni, hanc censuram incurrunt, nisi Clericus privilegium fori jam perdiderit, aut traditus sit à suis Judicibus curiæ seculari ab eadem puniendus, vel nisi habuerit licentiam à Pontifice modo explicato.

220 Quia verò in hac clausula prohibetur processare personas ecclesiasticas, processare autem sit contra aliquem inquirere, seu factum alicujus investigare; quæres, utrùm Judex secularis faciens informationem in causa criminali contra personam Ecclesiasticam, vel ipsam in occulto processans, aut ejus bona sequestrans, excommunicetur per hanc clausulam? Dicendum existimo primò, Judicem laicum posse capere informationem pro facto particulari, in quo sunt aliqui Clerici nominati inter laicos. Quia hoc non est Clericos processare, sed capere informationem de toto facto. Unde Judex, qui hoc fecerit, censuram non incurret. Et sic quando in aliquo facto criminali Ecclesiastici simul, & seculares concurrunt, eatenus Judex secularis poterit circa Ecclesiasticos dicta testium excipere, quatenus ad processandum contra laicos necessarium fuerit.

221 Dicendum secundò, quando non est aditus ad Prælatum, qui juridicè se informare possit de facto criminali alicujus personæ Ecclesiasticæ, & in eo continuatur, potest Judex secularis informationem facere, ut eam Prælato præsentet. In eo enim casu informatio illa habet potiùs rationem justæ defensionis, quàm processandi talem personam. Neque etiam condemnarem, si informationem verbaliter caperet, ut Prælato denuntiaret.

222 Dicendum tertiò, Judex secularis processans etiam occultè Ecclesiasticam personam in causa criminali, quamvis cum ea intentione, ut processum Prælato præsentet, non effugiet hanc censuram, quidquid in contrarium dicat Graffius. Ratio est; quia Pontifex hoc loco non solùm prohibet judicari, & condemnari personas Ecclesiasticas in causa criminali per Judices laicos, sed etiam per eosdem processari, sed processans juridicè in occulto, propriè, & verè dicitur processare; ergo qui id faceret, censuram hanc non effugeret. Neque enim animus præsentandi processum Prælato, illum excusat, cùm res sit absolutè prohibita, & non detur causa excusans, de quibus in superioribus.

223 Dicendum quartò, licèt Vivaldus in suo Candelabro ad hanc clausulam dicat probabile esse excu-

sari

sari Judicem secularem, qui contra personam Ecclesiasticam informationem faceret, quando aliàs testes recesserunt, qui in facto criminali illius testificari possunt; oppositum tamen est probabilius; quia quamvis recedant, qui testes esse possunt, ad Judicem laicum non pertinet dicta ipsorum recipere, neque media necessaria applicare ad justam talis personæ comprehensionem, & carcerationem, imò potiùs id sibi hìc expressè prohibetur sub hac censura contenta in ista clausula.

224 Dicendum quintò, quamvis idem Vivaldus eodem loco similiter probabile putet, posse Judicem secularem personæ Ecclesiasticæ bona sequestrare, ut ea tradat Prælato, ne criminosus fugiens ea deferat; oppositum tamen ut certum tenendum est cum communi aliorum Doctorum. Quia in tali casu sequestrare bona Ecclesiastici, est quomodolibet se intromittere in causis ejus criminalibus, quod hìc expressè sub censura prohibetur. Excipe, nisi fortè ex tali fuga cum illis bonis damnum aliquod vel communitati, vel innocenti sequeretur. Quia tunc non est visus Pontifex eam actionem prohibere.

225 Dicendum sextò, non effugere censuram istam Judicem secularem procedentem in causa criminali contra personam Ecclesiasticam jurisdictioni illius se voluntariè submittentem. Probatur, quia iste casus non excipitur in hac clausula, quæ comprehendit omnes, qui in causa criminali contra personas Ecclesiasticas procedunt sine ea licentia Papæ, de qua dictum est; ergo non est cur talis Judex non excommunicetur. Neque libera delinquentis subjectio Judicem excusare potest. Et quia ea non tollit, quominus in Ecclesiasticum procedat contra Bullæ dispositionem; & quia ille non potest renuntiare privilegio fori, quod est commune status clericalis, non proprium personæ, ut est commune, & tritum apud Doctores.

SECTIO XXI.

Explicatur vigesima clausula Bullæ Cœnæ.

Hujus clausulæ tenor habetur n. 226
22. In ea fertur excommunicatio in occupantes bona, & terras Ecclesiæ Romanæ, & illius jurisdictiones occupantes. Actiones principaliter prohibitæ sunt octo. Prima, præsumere invadere per se, sive per alios directè, vel indirectè, in totum, vel in partem, sub quocumque titulo, vel colore terras Ecclesiæ Romanæ, quæ in contextu clausulæ exprimuntur. Secunda, easdem destruere. Tertia, easdem occupare præsumere. Quarta, easdem detinere. Quinta, in eisdem terris, & locis jurisdictionem de facto usurpare. Sexta, eam jurisdictionem perturbare. Septima, retinere. Octava, vexare. Actiones accessoriæ sex numerantur. Prima, adhærere. Secunda, favere, seu patronum esse. Tertia, defendere. Quarta, dare auxilium. Quinta, dare consilium. Sexta, dare favorem, quomodolibet hoc fiat.

227 Excommunicantur ergo hoc loco illi, qui quocumque titulo prædictas terras, & loca invadunt. Quod est intelligendum, si invadant injustè, non verè si justè invadant. Unde si quis aliquam ex illis terris habuisset in feudum, & ab aliquo injustè occuparetur, posset illam invadere, sine timore hujus censuræ, quia justè invaderet ad suum recuperandum, neque enim Ecclesia censenda est velle injustitiæ, qua prædicta terra occuparetur, favere.

228 Notant deinde Doctores, invasores civitatum, & locorum Ecclesiæ, ut hac censura innodentur, opus non esse, quod illa invadant animo possidendi, & à potestate, & jurisdictione Ecclesiæ auferendi, sed sufficere, quòd invadant quomodolibet. Unde si in talibus civitatibus essent factiones, & altera factio extrà existens civitatem invadat, ut in ea principetur eo modo, quo potest, alii verò excludantur, tales invadentes excommunicabuntur: tum quia re vera invaderent, quod absolutè, & nulla facta distinctione, sub censura prohibetur;

Digitized by Google

betur; tum quia talis invasio verè esset civitati nociva, utpotè quæ cederet in aliqualem ejus destructionem.

229 Notat verò Soar. quacumque ratione aliqua ex actionibus supra positis fieret contra justitiam, sufficere ad incurrendam hanc censuram. Si tamen fieret bona fide, & ex probabili ratione, juxta Doctorum hominum judicium, non incurretur excommunicatio ista, quia sic operans excusaretur à culpa, sine qua excommunicatio non contrahitur, ut etiam notavit Caetanus.

230 Sed quid de illis, qui actu possident terras illas, de quibus mentio fit in hac clausula? Respondeo nostri instituti non esse examinare speciales titulos, quibus Catholici Principes terras illas possident, neque tales tituli nobis cogniti sunt. Quare solùm dicimus cum Caet. Soar. & Sosa, non excommunicari, si bona fide possideant, dummodo necessariam diligentiam adhibeant, ut veritas manifestetur. Quod an fecerint, ipsi viderint. Id tamen advertendum, bonam fidem, orto dubio, sine sufficienti diligentia stare non posse. Præsumptio tamen est contra tales Principes, quia non est credendum de pia matre Ecclesia, ejusque capite Romano Pontifice, quòd si vel saltem probabilem titulum in eis agnosceret, censuram tam gravem in eos singulis annis fulminaret.

SECTIO XXII.

Explicantur quatuor sequentes clausulæ appositæ in Bulla Cœna.

231 POst clausulas continentes excommunicationes, de quibus hactenus, aliquas addit Pontifex ad finem hujus Bullæ pertinentes ad excommunicationes prædictas, quæ ad octo reducuntur, quarum priores quatuor in hac sect. Posteriores in sequenti explicabuntur.

232 Prima habetur nu. 23. In qua Pontifex declarat velle se, ut Bulla hæc non expiret per mortem ipsius, sed ut duret, usque dum alia edatur vel à se, vel à suo successore pro tempore futuro. Unde licèt istæ censuræ sint ab homine, ut omnes ferè concedunt, habent tamen aliquid juris, quatenus non expirant per mortem imponentis, ut etiam communiter advertunt Doctores, qui videri possunt apud Sosam disput. 2. Sosa d. 1.

233 Secunda clausula habetur nu. 24. continetque reservationem prædictarum excommunicationum, quarum absolutio ita Sedi Apostolicæ reservatur, ut alteri non committatur, nisi in mortis articulo. Neque in tali articulo concedit Pontifex absolvendum quempiam, nisi prius facta satisfactione, aut præstita cautione de stando mandatis Romani Pontificis. Notat verò Sayr. & benè, si aliquando accedat confessarius ad absolvendum ægrotum, qui ita esset in extremis, ut non posset cautionem præstare, nec etiam juratoriam, posse, & debere pœnitentem absolvere; quia talis cautio solùm requiritur, quatenus possibilis est, & non aliter. Sayr. c. 25. n. 4.

234 Notandum tamen, si satisfactio commodè fieri potest, non est pœnitens absolvendus ab aliqua ex his censuris, etiam in mortis articulo cum sola cautione. Nam confessarius, ut rectè suo munere fungatur, tenetur obligare pœnitentem ad satisfactionem illam statim faciendam; ergo si pœnitens commodè potest satisfacere, ante absolutionem, obligandus est ad eam præstandam. Cùm enim cautio debeat esse sufficiens; si satisfactio commodè fieri possit, potius præstanda est, quàm cautio. Dixi: *Commodè.* Quia si ad satisfaciendum statim, opus esset rem suam notabiliter vilius vendere, obligandus non est ad statim satisfaciendum, sed cum sola cautione absolvendus est. Cautio autem, si fieri potest, debet esse pignoratitia, vel fideijussoria, & si neutra præstari possit, satis erit juratoria. Si tamen pœnitens absolvatur cum sola cautione, licèt potuerit statim satisfacere, valida erit absolutio; quia Pontifex ut pœnitens in mortis articulo absolvatur, nihil aliud exigit, quàm quòd cautionem præstet. De quo vide Doctores apud Sosam. Sosa d. 58.

235 Dubium verò est, utrùm non solùm in mortis articulo, sed etiam in mortis periculo, possit pœnitens absolvi ab his censuris? Mortis autem periculum in eo distinguitur à mortis articulo, quia hic censetur, cùm mors vel est certa, vel verosimiliter eventura.

Digitized by Google

tura. Periculum verò illud dicitur, unde mors frequenter solet accidere, ut in bello, in navigatione maris vehementer turbati, in fœminarum partubus, in morbo gravi, & similibus, de quibus prudentis arbitrio judicandum est. Plures, & graves Doctores docent in solo mortis articulo absolvendum esse pœnitentem ab his censuris. Fundam. præcipuum est; quia Pontifex solùm loquitur in hac clausula de mortis articulo. Nihilominus non desunt Doctores, quos refert Sosa, qui doceant absolvendum etiam in probabili periculo mortis, in quod magis inclinat ipse Sosà nu. 6. Et potest probari; quia privilegium interpretandum potiùs est secundùm intentionem concedentis, quàm secundùm verba cap. In his, de verb. significat. sed mens, & intentio Papæ ea est, ne quis discedat è vita ligatus, & in peccato; ergo non solùm intendit concedere facultatem ad absolvendum in mortis articulo, sed etiam in periculo illius probabili. Additur, quia secundùm jura articulus mortis, & periculum pro eodem accipiuntur: nam in cap. Si quis suadente 17. q. 4. expressè dicitur posse excommunicatum, ob Clerici percussionem, absolvi, urgente mortis periculo. Et in cap. Ea noscitur, de sententia excommunic. habetur posse eumdem absolvi infirmitatis tempore timore mortis. Cùm tamen in cap. Non dubium, cap. Quod de his, & cap. Quamvis eodem titulo, fiat solùm mentio de mortis articulo. Adde, quod glossa communiter recepta in cap. Pastoralis de offic. Judicis ordin. verbo præterquam, & plures Canonistæ, quos refert Sosà n. 5. dum quærunt, quis sit mortis articulus, dicunt eum dici constitutum in articulo mortis, qui prælium cum hoste commissurus est, vel qui naufragium periculosum patitur; quæ tamen inter mortis pericula nominantur. Et est quidem hæc sententia satis probabilis, quæ securè practicari potest, ne contingat, quòd constitutus in periculo mortis sine beneficio absolutionis è vita discedat. Maximè quia illam sequuntur Palud. Adrian. Vivald. Ugol. Emmanuel Rodriges apud Sosam n. 3. Deinde in eadem clausula revocantur omnia privilegia, per quæ absolutio talium excommunicationum extra mortis articulum poterat impendi ab alio, quàm à Romano Pontifice, & simul omnes facultates ad id ante concessæ per Concilia generalia. Ex qua tam ampla revocatione varia emergunt dubia breviter expendenda.

Sosa d. 99.

236 Primum est, an revocata sit per hanc clausulam facultas concessa Episcopis per Concilium Tridentinum, ut possent absolvere à casibus omnibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, etiam ab hæresi per se ipsos dumtaxat? Probabilior, & ferè communior sententia docet revocatam esse, ut pluribus rationibus probat Sanch. libro secundo in Decalog. cap. 11. nu. 26. Præcipua est, quia per hanc clausulam revocantur privilegia concessa ad id omnibus etiam Episcopali, aut majori dignitate præditis cujuscumque Concilii decreto: sed non est aliud concedens hanc facultatem Episcopis, nisi Triden. ergo hæc revocatur. Pro qua sententia multos more suo allegat Doctores, quam etiam sequitur Soar. & Card. de Lugo, & plures alii videndi etiam apud Dianam p. 4. tract. 4. Resol. 159. & 1. par. tract. 5. Resol. 2.

Trid. sess. 24. c. 6 de reform.

Sanc. 2. de calog. c. 11 n. 26. So. de pœn. d. 30. sect. 2 n. 11 & hoc loc. de cens. Lug. de fi. de d. 27. sect. 3. n. 46.

237 Opposita tamen sententia probabilis est, pro qua idem Sanch. n. 27. plures, & graves Doctores allegat, illamque probabilem appellat, sicut & Soar. citatus. Plures ex Recentioribus pro ea affert Diana locis allegatis, qui varias rationes allegant videndas apud ipsos. Unam breviter attingam, quæ sic habet: Lex posterior generaliter, & indistinctè loquens, limitanda est per specialem antiquiorem, si expressis verbis illi non contradicat: quamvis in lege nova sit clausula, *non obstante lege contraria*, quæ non possit cum hac sustineri per aliquam limitationem, vel distinctionem, ut multis citatis probat Sanch. & hoc ut jurium correctio vitetur: cùm ergo clausula hujus Bullæ reservans eorum casuum absolutionem, revocansque facultates absolvendi prius concessas, possit intelligi per aliquam limitationem, ut non contradicat legi priori Tridentini; nempe intelligendo revocari facultates, quæ concedunt absolutionem eorum casuum, quando publici sunt, sic intelligenda est. Neque obstat, quòd in hac clausula dica-

Sanc. li. 2. de mat. d. 24. n. 6.

dicatur: Etiamsi casus in genere, vel in specie in prædictis facultatibus concedantur; quia adhuc potest intelligi de casibus Bullæ Cœnæ non occultis, sive concedantur in genere, sive in specie; atque ita firmum manebit decretum Concilii Tridentini, quod eos casus non concedit, quando publici sunt, sed tantùm quando occulti. Confirmatur intellectus hic ex motu proprio Xisti V. quem refert idem Sanch. ubi revocans facultatem absolvendi à casibus contentis iniquæ susceptionis ordinum concessam Episcopis per Tridentinum, subdit hæc verba: *Etiam si crimen penitus occultum fuerit*. Quasi insinuans revocationem generalem facultatum non extendi ad casus occultos, quando de illis non fit expressa mentio, quam ibi fecit de concessis à Concilio Tridentino, quos revocare volebat: ergo à fortiori facta per hanc clausulam, quæ est generalis facultatum à Concilio generali concessarum, non facta mentione Tridentini, neque casuum occultorum, ad hos non erit trahenda: ergo Episcopi, non obstante revocatione contenta in hac clausula, adhuc possunt absolvere ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, qui fuerint occulti, ut eis concessit Trident. quam sententiam non solùm probabilem existimat Sosa, sed eam simpliciter sequitur, & præfert priori, de qua numero præcedenti, quæ sanè ob multitudinem Doctorum, qui eam sequuntur, tutò practicari potest.

Sosa d. 100. n. 7.

238 Secundum dubium est, utrùm revocetur per hanc clausulam facultas facta Inquisitoribus absolvendi hæreticos ad se venientes ab hæresi in foro conscientiæ? Et quidem dubium non est, ut notat Sanch. de facultate absolvendi ab hæresi in utroque foro, causa cognita, quia manifestum est hanc illos habere, non esseque revocatam, ut constat ex praxi; sed de sola facultate absolvendi in solo foro conscientiæ, quando hæreticus est occultus, nec coram ipsis delatus, sed secretò confitetur illis suam hæresim, quam aliqui, quos ibi refert Sanchez volunt concessam esse Inquisitoribus, ut absolvere possent pro foro conscientiæ prædictos hæreticos ad se venientes, & probant ex quadam constitutione Clementis VII. quæ incipit, Cùm sicut, quam refert Penam in Directorio Inquisitorum in fine, inter bullas Apostolicas pro officio Inquisitionis. In qua facultas conceditur Inquisitoribus, & eorum commissariis, præcedente tamen hæresis abjuratione. Quæ constitutio expressè in foro conscientiæ videtur loqui: nam ad absolvendum in foro externo, non est opus, ut talis hæreticus occultus sit, nec ad forum externum non delatus, quod petit ea constitutio, ut Inquisitoribus integrum sit ea facultate uti.

Sanc. lib. 2 in deca. c. 2. n. 1.

239 Probabilius tamen est Inquisitores non habere talem facultatem, ut docet Sanch. eo cap. 12. numer. 3. & Soar. de cens. disputat. 43. sect. 2. numer. 5. & disput. 21. de fide, sect. 4. numer. 15. Garcia de benef. Barbos. Farinac. & plures alii, quos sequitur Palaus. Fundament. est, quia non apparet aliqua constitut. Pontificia hoc eis concedens. Nam prædicta constitutio Clementis VII. ut ait Penam 3. p. Directorii Inquisitorum comment. 12. intelligitur de absolutione in foro externo, facta confessione coram notario, & secuta reconciliatione. Et Soar. ait illam concessionem fuisse personalem, & non perpetuam, quantùm ex ejus tenore colligi potest. Sanch. verò addit non fuisse eam facultatem concessam omnibus Inquisitoribus, sed solis ex ordine Prædicatorum in universa Italia constitutis, & constituendis.

Pala. tr. 4. de hær. d. 3. §. 1. n. 3.

240 Quia verò idem Sanch. eo numer. 3. dicit authoritate Doctorum se cogi dicere probabile esse Inquisitores habere prædictam facultatem, emergit dubium à nobis propositum, an hæc facultas, si fortè datur, revocetur per clausulam istam Bullæ Cœnæ? Videtur enim revocata per revocationem illam generalem: *Nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem absolvi posse, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis &c.* Et quidem probabilius est revocari, ut diximus de Episcopis. Licèt etiam probabiliter oppositum dici possit, ob rationem ibi assignatam, ut vitetur juris correctio, intelligendam revocationem illam de hæresi publi-

Digitized by Google

publica, non verò de occulta, quæ sola conceditur Inquisitoribus pro foro conscientiæ, si dicamus eam semel concessam fuisse: Et licèt non habeamus Doctores, qui affirment, sicut de Episcopis, eadem tamen ratio esse videtur in eodem casu.

241 Tertium dubium est, an per hanc clausulam revocetur facultas concessa in Bulla cruciata; ut confessor virtute illius electus possit absolvere à casibus Bullæ Cœnæ, quos ipsa concedit? Ratio dubitandi est, quia revocatio contenta in hac clausula est generalis. Dicendum nihilominus est non revocari. Ita ut certum supponit Sanch. quatenus ait: Ratione hujus clausulæ non censetur revocata facultas Bullæ cruciatæ concedentis cuilibet confessori posse absolvere semel in vita, & semel in mortis articulo, intra annum, in quo durat, à casibus Bullæ Cœnæ, quos scilicet, ipsa concedit. Ratio est, quia privilegia cruciatæ sunt per modum contractus onerosi, scilicet, quòd ut valeant, teneantur fideles tantam eleemosynam tribuere; privilegia autem, quæ hoc modo se habent, non revocantur per revocationem generalem, sed necessarium est, ut de illis fiat specialis mentio. Poterat enim Pontifex ea justè revocare, si justa causa daretur, ut benè probat Sosa; ea tamen non revocat per clausulam generalem. Sosa d. 102. n. 2. Accedit, quia si in Cœna Domini revocaret, quod in principio quadragesimæ concesserat, deciperentur fideles, quod de summo Pastore credendum non est. Addo si tempore Paschatis Bullam cruciatam expediat; quomodo hos casus concedit, si illos in Cœna revocaverit; ergo dicendum non est revocari per hanc clausulam casus Cœnæ in cruciata concessos.

242 Quartum dubium est, utrùm revocentur per hanc clausulam privilegia concessa Mendicantibus ad absolvendum ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis? Sosa conatur ostendere revocata non esse, sicut non revocantur concessa Episcopis per Sosa dis. 100. Tridentinum, nec concessa per cruciatam. Fundamentum, quod ex illo colligo, est, quia, inquit, frustra innovarentur talia privilegia, ut regulariter ab unoquoque Pontifice fieri solet, si in die Cœnæ forent revocanda; ergo non revocantur. Addit: quia de revocatione privilegiorum Mendicantium authenticè non constat, & cùm res sit magni momenti, publicanda esset in aliquo speciali decreto. Et quamvis concedatur Pium V. & Gregor. XIII. circa Bullas à se publicatas id declarasse, non id fecerunt alii Pontifices. Denique per Bullam Cœnæ non censentur revocatæ facultates Bullæ cruciatæ ad absolvendum à casibus, qui in ipsa conceduntur; ergo neque facultates Mendicantium. Quæ enim major ratio dari potest de revocatione istarum, quàm illarum? Cùm utraque facultas ad absolvendum ab eadem Sede Apostolica emanaverit: ergo si concessa in cruciata non revocatur, idem erit de concessa Mendicantibus.

243 Ego tamen nullum fundamentum invenio in hac sententia; quia in hac clausula expresè revocantur privilegia concessa Mendicantibus. Postquam enim statuit, ut à prædictis casibus, excepto mortis articulo, nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem absolvi possit. Addit: *Etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscumque personis Ecclesiasticis, secularibus, & quorumvis ordinum etiam Mendicantium, &c.* Quare ergo dicit non constare authenticè de revocatione privilegiorum Mendicantium? Aut ad quid requiritur speciale decretum distinctum à decreto ipsius Bullæ, in qua tam expresè revocata inveniuntur? Nec frustra renovantur privilegia Mendicantium per sequentes Pontifices, non enim renovantur quoad talem facultatem, quæ per renovationem non conceditur, sed quoad alias, quæ revocatæ non sunt. Quare verò non revocentur privilegia concessa per cruciatam, maximè verò concessa Mendicantibus, ea est, quia illa conceduntur per modum contractus onerosi, ut dictum est, ista verò merè gratiosè, ad quorum revocationem satis est illa expressio.

244 Respondet Sosa nu. 7. Pontificem non prohibere absolutè ratione indultorum absolvere, sed eorum prætextu; prætextum autem non excludere illud, quod fit legitima facultate interveniente, sed illud, quod sub aliquo velamine exercetur. Verùm hinc

hinc nihil concluditur, quia prætextus est absolvere sub velamine indultorum, quæ videntur quidem esse, & non sunt. Videntur esse, quia Mendicantes habent privilegium absolvendi à casibus Sedi Apostolicæ reservatis; non sunt, quia Pontifex declarat non esse quoad hos casus Bullæ Cœnæ, quos non vult comprehendi sub illa clausula generali, sed solos illos, qui in hac Bulla non continentur. Unde Paulus III. in Bulla quæ incipit, Dilecti Filii, concedens nostræ Societati eamdem facultatem, quàm priùs habebant alii Mendicantes ad absolvendum ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reservatis, statim excipit illos, qui continentur in Bulla Cœnæ, ut annotatur in compendio nostrorum privilegiorum, verbo Absolutio numero primo, & tamen negare non potest Sosa Societatem nostram pluribus abundare indultis Apostolicis, quàm omnes aliæ Religiones Mendicantium, quæ ab eisdem per participationem communicant. Maneat igitur certum per hanc clausulam revocari omnia Mendicantium privilegia quoad hos casus hujus Bullæ Cœnæ. Ubi etiam Pontifex declarat privilegia in posterum concedenda, vel innovanda, neque concedenda, neque innovanda quoad prædictos casus. Unde etiam solvitur ratio, quam idem Author fecerat de renovatione Privilegiorum, quæ solet fieri à Pontificibus, qui licèt ea renovent, non censentur ea renovare quoad hanc partem, ut in hac Bulla declaratur.

245 Tertia clausula habetur nu. 25. continetque excommunicationem latæ sententiæ contra eos, qui præsumpserint absolvere aliquem innodatum excommunicatione aliqua contenta in hac Bulla, aliter quàm in illa continetur, hoc est, extra mortis articulum. Hæc autem censura, licèt olim reservata fuerit in Bullis antiquiorum Pontificum, hodie non reservatur, ut notant communiter Doctores, nulla enim ponitur clausula, ex qua reservatio colligi possit, cùm in antiquis clarè poneretur, quæ quidem hodie sublata est, sicut sublatæ sunt speciales pœnæ, quæ olim addebantur, scilicet, suspensio ab officio prædicandi, legendi, audiendi confessiones, & ministrandi sacramenta. Quarum loco hodie addit Pontifex, se graviùs contra eos processurum spiritualiter, & temporaliter, prout noverit expedire.

246 Id tamen observandum est, ad hanc censuram confessoribus impositam incurrendam, requiri ut ex præsumptione, & temeritate quis absolvat ab his casibus Bullæ Cœnæ, ut patet ex contextu. Unde si quis confessarius absolveret ab his casibus ex ignorantia, quæ crassa non esset, aut affectata, vel ex oblivione, inadvertentia, vel alia simili de causa, quæ non argueret præsumptionem, & temeritatem, in hanc censuram non incurreret, ut cum aliis notat Navarrus, Sayrus, & Sosa. Nihil tamen faceret, neque enim ignorantia dat jurisdictionem, quam aliàs non habebat. Unde pœnitens non maneret absolutus, in quo omnes conveniunt, licèt bona fides posset excusare sic absolutum, quatenus existimans se verè absolutum, habet se, ac si invincibiliter ignoraret censuram.

247 Notat autem Ugolinus hic plures incurrere censuras confessarium illum, qui una absolutione plures pœnitentes à prædictis Bullæ casibus absolveret, sicut pluribus innodatur excommunicationibus, qui una percussione plures Clericos percuteret. Quæ sententia mihi verior videtur, quidquid in contrarium dicat Sosa in annotatione ad hanc clausulam. Neque ejus fundamentum aliquid valet, ait enim id colligi ex illis verbis: *Talibus excommunicatione, & Anathemate laqueatis, vel eorum alicui, &c.* In quibus, inquit, sub eodem tenore verborum excommunicat absolventem plures, vel absolventem unum. Verùm germanus sensus Pontificis is non est, sed sufficere unum tantùm semel absolvere, ut hæc censura incurratur.

248 Non tamen probo, quod idem Ugolin. docet non incurrere hanc censuram illum, qui non à censuris hujus Bullæ, sed à peccatis, pro quibus sanciuntur, absolveret, quia Pontifex, inquit, solùm loquitur de censuris, & inclusio unius exclusio est alterius, juxta regulas juris. Probanda tamen non videtur hæc doctrina primò, quia Pontifex absolutè loquitur de absolventibus prædictis censuris laquea-

laqueatos, quod diversum quid sonat ab eo, quod est absolvere à censuris. Secundò, quia summus Pontifex non reservat casus, nisi ratione censuræ; unde perinde est absolvere à peccatis Pontifici reservatis, atque absolvere à censuris, cùm nemo possit absolvi à peccatis, quin priùs absolvatur à censuris, quæ impediunt peccatorum absolutionem.

249 Quarta clausula habetur num. 26. in qua Pontifex declarat, & protestatur absolutionem solemnem in die Cœnæ faciendam, post publicationem hujus Bullæ, non comprehendere, nec suffragari ulli ex prædictis, qui aliqua ex his censuris innodati extiterint; quare nemo decipiatur credens Papam eo die absolvere generaliter excommunicatos omnes; quia nulla tunc datur absolutio ab excommunicatione, sed sola benedictio solemnis, quæ in diebus solemnioribus impendi solet. Significat igitur per hanc protestationem, quòd generalis illa benedictio, quæ eo die Cœnæ datur populo, non suffragari ulli excommunicato, nedum illis, qui per hanc Bullam excommunicantur ad effectum auferendi excommunicationem, absque ulla alia absolutione. Protestatur etiam nullam generalem absolutionem prodesse iis, qui censuras hujus Bullæ incurrerunt, nisi priùs cum vero proposito ulteriùs similia non committendi, ab his omnibus delictis destiterint.

250 Occasione tamen hujus doctrinæ inquiri potest, an valeat absolutio illa, quæ ad actum aliquem tantùm gerendum, aut gratiam obtinendam tribuitur, sub illis verbis: *Teque à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodlibet innodatus existis, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes, &c.* Qua forma absolutus ipso jure in eamdem incidit excommunicationem. Respondetur cum Rebuffo, & Ugolino apud Sosam in annot. circa hanc clausulam, valere ad effectum illum, ad quem consequendum confertur, excepto in casu hæresis, juxta caput excommunicamus primum de Hæreticis, & aliis casibus à Julio III. exceptis, quos ex Rebuffo refert idem Sosa.

SECTIO XXIII.

Explicantur ultimæ quatuor clausulæ additæ in Bulla Cœnæ.

PRima ex his quatuor, quæ est clausula quinta in ordine, habetur eodem num. 26. In ea declarat, & protestatur Pontifex neque per ullam absolutionem etiam Sedis Apostolicæ, neque per quoscumque actus contrarios tacitos, vel expressos, neque per tolerantiam, aut patientiam ejusdem Sedis quantocumque tempore continuatam, ullatenus præjudicatum iri juribus Sedis Apostolicæ. Nimirum in iis, quæ libertatem Ecclesiasticam concernunt, & continentur in clausula decimasecunda, & sequentibus; quoad eos verò, qui statuta contra libertatem Ecclesiasticam fecerint, protestatur eos nullatenus absolvi posse, nisi hujusmodi statuta contra libertatem Ecclesiasticam facta publicè revocaverint, & de libris, in quibus scripta fuerint, deleantur, & de tali revocatione Pontificem certiorem fecerint. 251

252 Sexta clausula habetur num. 27. Et in ea revocantur privilegia, quæ impediunt, ne aliqui in aliquibus censuris hujus Bullæ locum habeant. Revocantur enim per hanc clausulam quæcumque privilegia concessa Principibus, & Regibus quibuscumque, ut nequeant excommunicari, aut quæ impediant, quominus hæc Bulla locum in eis habeat, quocumque modo prædicta privilegia concessa fuerint, etiam per viam contractus. Hæc autem privilegia non revocantur simpliciter, & in totum, sed solùm ad effectum sententiarum hujus Bullæ, ita, scilicet, ut prædicta privilegia illis non prosint, quominus, si aliquid fecerint in Bulla Cœnæ prohibitum, in sententias excommunicationis ejusdem Bullæ incidant, ut quicumque, qui nullum habebant privilegium.

253 Dubium tamen est, utrùm Pontifex revocare possit privilegia per viam contractus, & remunerationis con-

Digitized by Google

concessa, quæ quidem de facto revocat in hac clausula. Videbitur enim non posse, quia talis revocatio esset injusta; cùm privilegia per viam contractus, & remunerationis concessa non sint meræ gratiæ, sed solutiones, & compensationes debiti, atque adeò si auferantur, inæqualitas, & injustitia constituitur, quod videtur illicitum. Accedit: quia de lege naturali est, ut pacta serventur; cùm ergo lex naturalis, quæ est divina, Principes etiam supremos obliget, Papam etiam obligabit; qui proinde non poterit revocare privilegia concessa per viam contractus, & remunerationis.

Silv. ver. privi. n. 6. Nav. ca. n. liceat. Sola dist. 100.

254 Communis tamen sententia est, posse Pontificem, stante causa justa, & rationabili, revocare prædicta Privilegia concessa per modum contractus, & remunerationis, quam tenet Silv. Nav. & plures ex Juristis Doctoribus, quos refert, & sequitur Sosa. Fundam. est, quia Papa tenetur in conscientia providere bono communi, & in ordine ad illud tollere omnia impedimenta, quæ ei adversari possunt, disponereque etiam potest de bonis particularium in ordine ad bonum commune spirituale animarum: ergo quando privilegia à se, vel à prędecessoribus concessa etiam per modum contractus, & remunerationis, ratione circumstantiarum occurrentium bono communi spirituali contradicunt, revocari ab eo licitè possunt. In hoc autem casu maximè contradicunt prędicto bono spirituali communi Ecclesiæ, quatenus Principes sęculares illis fulti, possent audere multa contra libertem Ecclesiasticam, & bonum commune Ecclesiæ: ergo justissimum est, quòd eam ob causam revocentur.

255 Quare ad objecta in contrarium respondeo, stante justa, & rationabili causa nulli particulari personæ, quæcumque illa sit, fieri injuriam in revocatione privilegii; cùm bonum commune particulari præponderet. Et licèt absolutè loquendo pacta, secundùm jus naturæ servanda sint, aliquando rescindi possunt, quando, scilicet, justa, & rationabilis causa intervenit, quia hoc etiam ipsum jus naturæ dictat; quando ergo jus naturæ affirmativum cum alio verè concurrit, attendendum est ad circumstantias, & illud servandum, quod magis obligat. Imò potius quod obligat minus, in tali casu cessare censetur. Licèt ergo Pontifex sine causa rationabili privilegia per modum contractus, & remunerationis concessa revocare licitè non possit, ipsa occurrente ipsi licere negandum non est: darì autem in hoc casu causam justissimam constat ex dictis. Quare dicta privilegia de facto revocat, illaque habet pro expressa, ac si de verbo ad verbum hic essent inserta, ut constat ex n. 28.

256 Septima clausula habetur num. 29. in quo agitur de publicatione hujus Bullæ facta Romæ per Pontificem, & facienda ubique terrarum per alios Prælatos. Fit autem non solùm ea publicatio per Pontificem, & deinceps appenduntur Bullæ processus ad valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, ad quas solet esse magnus populi concursus, ne horum processum detur ignorantia, per quam transgressores excusari velint.

257 Quamvis autem hæc publicatio Romæ facta satis sit, ut hæc Bulla, sicut & cæteræ Romæ publicatæ, ubique obligent, ut est communis sententia Doctorum, de qua diximus in materia de legibus; præcipit nihilominus Pontifex in hac clausula in virtute sanctæ obedientiæ omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinariis, & Prælatis ubilibet constitutis, ut per se vel per alium, seu alios prędictas litteras, postquam eas acceperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire judicaverint, etiam pluries, in Ecclesiis suis, dum in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent. Unde patet habere prædictos Prælatos singulosque Ordinarios obligationem gravem publicandi, & explicandi litteras hujus Bullæ saltem semel in anno, ut nemo suorum subditorum ignorantiam prætendere valeat. Quod præceptum utrùm observetur, ipsi viderint; ergo non vidi umquam, nec audivi, quod fieret talis publicatio. Fortè fit,

sit, sed numquam ad aures meas pervenit.

258 Nota autem primò, hanc obligationem non imponi Parochis, sed solùm majoribus Prælatis, & quibuscumque Ordinariis, quorum nomine Parochi non veniunt. Unde Parochus purus, qui non habet aliam jurisdictionem, quàm merè spiritualem ad sacramenta administranda, hanc obligationem non habet, neque ad illum pertinet hanc publicationem facere, ut benè notat Sosa in annot. hujus clausulæ num. 4. Ubi etiam benè advertit cum Ugol. non comprehendi sub hoc præcepto Episcopos titulares, quia ex quo Ecclesia carent, & subditis, verba illa eos non comprehendunt, cùm de Prælatis jurisdictionem, & subditos habentibus solummodo Pontifex in illis loquatur.

Say. c. 25. n. 12.

259 Notat verò Sayr. hoc præceptum non obligare, seu potiùs deobligare Prælatos illos, qui à potestate laica impedirentur, quominus legem istam publicarent. Hæc tamen sententia, licèt in eo casu, in quo à Sayro profertur, vera esse videatur, scilicet, quando publicatio nullius esset fructus, imò ex ea maxima perturbatio sequeretur, quæ cum fundamento timeri posset; absolutè tamen non est admittenda, sed ut benè notat Sosa n. 3. attendendum est ad circumstantias, ad qualitatem periculi, ad scandalum, quod sequeretur, si publicaretur. Nam si in odium, & injuriam fidei, aut Religionis, & ecclesiasticæ authoritatis hæc publicatio à sæculari potestate impediretur, certum est publicandam esse, etiam cum probabili periculo vitæ; eò quòd bonum fidei, Religionis, & Ecclesiæ particulari bono etiam vitæ præponderat. Unde licèt communiter Doctores dicant legem humanam non obligare, per se loquendo, cum probabili periculo vitæ, omnes tamen docent obligare, si ex illius violatione sequeretur contemptus fidei, odium Religionis, & Ecclesiæ, hoc est, si propter has rationes impediretur legis observantia; ergo si hæc publicatio à potestate sæculari impediretur in odium fidei, in despectum Religionis, & Ecclesiæ, facienda foret, etiam cum periculo vitæ.

Soa. lib. 3. de legib. c. 3. Azor. 1. p. l. 1. c. 11. Pal de legib. d. 1. c. 16.

260 At inter nos, quæ est potestas sæcularis, qui Reges tyranni, qui impediant publicationem hujus Bullæ? Quis in odium fidei, Religionis, & Ecclesiæ eam prohibet? Quod est periculum mortis, aut alterius damni gravis, quod timeatur? Cùm vivamus inter filios Ecclesiæ, inter Reges, Principes, & Magistratus Ecclesiæ obedientissimos; quam ergo rationem dabunt non observandi præceptum sic graviter impositum Prælati, quibus id incumbit, ne subditi sui ex ignorantia delinquant in materiis hujus Bullæ? Neque enim dicere possunt hujus præcepti obligationem esse per usum abrogatum, & jam non obligare; quia præceptum, quod singulis annis imponitur, non potest abrogari, quia semper renovatur. Unde non potest dari contra ipsum præscriptio, & abrogatio, sed potius contumacia in non obedientibus.

261 Id tamen notandum, quamvis Pontifex per hujusmodi publicationes intendat tollere ignorantias, & excusationes, quas quis allegare posset in transgressione hujus Bullæ, nihilominus si quis inculpabiliter illius censuras ignoret, excommunicationes in ea contentas non incurret, quia ignorantia inculpabilis sive juris, sive facti in foro conscientiæ à peccato excusat, sine quo censura non incurritur. Imò & in foro externo volens probare ignorantiam, audiendus est. Intendit igitur Pontifex, ne prædictæ hujus Bullæ leges, & prohibitiones ob ignorantiam violentur, ac etiam ne in foro externo ignorantiæ excusationes facilè admittantur.

262 Octava, & ultima clausula habetur n. 30. Continetque ordinationem Pontificis, qua ordinat omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, & Ecclesiarum Prælatis, nec non Rectoribus, cæterisque curam animarum exercentibus, & presbyteris sæcularibus, & quorumvis ordinum Regularibus ad audiendas peccatorum confessiones quavis authoritate deputatis, ut transumptum hujus Bullæ apud se habeant, illamque legere, & percipere studeant. Ad cujus ordinationis observantiam placuit in principio hujus capitis tenorem ipsius Bullæ præmittere, ut noster Parochus illum apud se habeat, illoque lecto cum declaratione singu-

Digitized by Google

singularum excommunicationum ipsius, obligationi sui muneris in hac parte satisfaciat.

263 Dubium tamen est, an clausula ista contineat præceptum rigorosum apud se habendi copiam, & transumptum hujus Bullæ? Et quidem per Bullam Pii V. obligabantur omnes, & singuli confessarii sub peccato mortali hos processus Bullæ apud se habere, ut ex ipsius verbis colligebatur, & notant Doctores, qui de ea scripserunt. Hoc tamen præceptum in aliis Bullis, & in ista positum non est, sed solùm dicit Pontifex, quòd confessarii Bullam hanc apud se habeant, quæ verba consilium tantùm sonare videntur, ut ait Sosa in annotat. ad hanc clausulam.

264 Ratio verò est, quia verba, quæ præceptum affirmativum significant, sunt præcipio, impero, mando, jubeo, ut constat ex cap. Exiit, de verborum significatione in sexto. Et ex clement. Exivi de paradiso, eodem titulo, docentque communiter Doctores apud Sanch. vel alia, quæ prædictis æquipollent, v. c. teneantur omnes, obligentur, nemini liceat, nemo possit, & generaliter omnia, quæ necessitatem important; cùm enim Princeps non intendat necessitatem naturalem, sed moralem, quæ fit per præceptum, hanc per verba illa intendit, ut docet. Soar. & multi alii. Cùm ergo Pontifex non utatur aliquo ex his verbis, sed solùm dicat absolutè: ***Transumptum præsentium litterarum apud se habeant***, non videtur præceptum imponere, sed consilium dare.

Sanc. l. 6. Dec. c. 47;

Soa. l. 3. de leg. c. 15. n. 6. Sanc. n. 36.

265 Probabilis quidem videtur hæc sententia, licèt opposita non sit minus probabilis. Fundam. est, quia licèt de verbis modi imperativi, qualia sunt, faciant, caveant, nemo audeat, & similia, magna sit controversia apud Doctores, an præceptum contineant; tamen in decretis Conciliorum, & Pontificum ferè semper legem continere docet Vasq. Palaus, Bonac. & alii. Primò, quia ex clement. Exivi citata ex materiæ gravitate ait Pontifex colligendum esse, quòd talia verba præceptum contineant: sed non habere hanc Bullam est materia gravis, propter periculum cui se exponit confessarius in audiendis confessionibus absolvendi sine potestate; ergo cùm Pontifex dicat: Penes se habeant, præceptum imponit. Unde Ugol. hoc loco docet teneri confessarium sub mortali hanc Bullam apud se habere; tum quia materia gravis est, tum etiam quia Pontifex non solùm vult, ut confessarii penes se habeant hos Bullæ processus, sed etiam ut in illis studeant, & eos diligenter legant & percipiant, quæ verba, inquit, peccatum mortale sonare videntur, si non observentur.

Vasq. 1. 2. d. 15ā. c. 3. n 24. Pal. de leg. d 1. p. 7. n. 3 Bo. de leg. q. 1. p. §. 4.

266 Probatur secundò ex Trident. in quo sacerdoti celebranti non præmissa confessione, ob inopiam confessoris, præcipitur, ut quamprimùm possit, confiteatur, his verbis: *Quamprimùm confiteatur*. Quæ verba continent præceptum juxta omnes, teste Vasq. Azor. & aliis: ergo similiter verba illa, *Penes se habeant*, præceptum continebunt, cùm materia gravissima sit, & magnæ necessitatis. Probatur tertiò, ex decreto Clementis VIII. de casuum reservatione, in quo præcipitur superioribus Religionum, ne utantur notitia confessionis ad gubernationem externam his verbis: *Caveant diligentissimè*, in quibus vim præcepti agnoscunt Doctores, qui de illo decreto scripserunt: ergo similiter ea verba clausulæ, *Penes se habeant*, præceptum continent obligans sub mortali, supposita gravitate materiæ, in quam cadunt.

Trid. sess. 13. c 7. de ref.

Vasq in 3. p. d. 208. Azor l. c. c. 31. q. 3.

267 Quidquid tamen sit, an verba ex se contineant præceptum, vel non contineant, ait Sosa hìc, & benè, quia cognitio casuum, qui continentur in hac Bulla, necessaria omnino est omnibus confessariis, & à fortiori Parochis, qui tales sunt ex officio; non excusantur saltem regulariter à culpa mortali, qui illos ignoraverint, juxta doctrinam Sancti Thomæ 1. 2. q. 76. art. 2. à Theologis communiter receptam, quæ docet singulos teneri scire ea, quæ ad eorum statum, vel officium spectant; cùm ergo ad officium Parochi, & cujuslibet confessarij pertineat exercere suam jurisdictionem, pro foro pœnitentiæ, ne contingat facere actus nullos, defectu debitæ scientiæ; hanc autem scientiam habere non possit, sine hac Bulla, ejusque lectione, tenetur ex præcepto, undecumque hoc proveniat, Bullam penes se habere, eamque legere, ac

 intel-

Digitized by Google

intelligere, idque sub præcepto vel expresso in Bulla per Pontificem, ut probabilius existimamus, vel saltem resultante ex jure naturæ, supposito officio Parochi, & confessoris.

268 Illud tamen notandum concessum esse nostræ Societati per Pium V. ut habetur in compendio nostrorum privilegiorum, satis fore, si in singulis collegiis, vel domibus unicum haberetur transumptum, quod in eo loco affigeretur, in quo omnes confessarii legere illud possent. Cùm autem omnes Mendicantes nostra privilegia participent, si illud non habeant proprium, hoc uti possunt, satisfacereque huic obligationi per unam Bullæ istius copiam affixam in loco communi, ubi ab omnibus videri possit, sive dicamus præceptum contineri in illis verbis: *Penes se habeant*, sive solùm colligatur ex natura officii, juxta proximè dicta. Et hæc sint satis pro tota Bulla Cœnæ Domini.

CAPUT IX.

De censuris Papæ reservatis extra Bullam Cœnæ.

269 PRæter censuras reservatas in Bulla Cœnæ, de quibus cap. præcedenti, sunt aliæ Pontifici etiam reservatæ, de quibus Parochus noster debet habere notitiam, ne contingat absolvere pœnitentes sine potestate. Advertat autem omnes casus reservatos Pontifici habere censuram annexam, ratione cujus reservantur, adeò ut sublata censura per legitimam absolutionem, jam casus, seu peccata reservata non maneant. Discurram igitur per libros juris Canonici, & si quæ sunt extra corpus juris, breviter referam.

SECTIO I.

De censuris Papæ reservatis in Decreto.

270 UNica est censura Papæ reservata in toto decreto, ut notant DD. [a] Hæc autem habetur in cap. si quis suadente Diabolo 17.q.4.per hæc verba: *Si quis suadente Diabolo, hujus sacrilegii vitium, vel crimen incurrerit, quòd in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat; & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus suscipiat mandatum.* Est autem Canon iste Innocentii II. editus in Concilio Lateranensi, & adeo generalis, ut utrumque sexum comprehendat.

a Tol.li.1. c.31. Suar. de cen. d. 22.f.1.Say. c.26.

271 Ut hæc censura incurratur requiritur [b] primò, manuum injectio, per quam intelligitur quicumque effectus violentus in personam, vel in adhærentia personæ. Unde manuum injectio dicitur projicere lapidem, aquam, pulverem, vel salivam per modo injuriæ, imò & tentio violenta sine ulla læsione, cap. Nuper de sent. excom. eripere è manibus, aut corpore aliquid per vim, ad frænos equi manus admovere, aut abscindere cingulum ephippii, aut ita furiosè persequi, ut Clericus cogatur se præcipitare, aut aliud discrimen pati ad se liberandum. Imò quilibet effectus realis injuriosus, estò non sit violentus, ut si percutias Clericum subjicientem se sponte verberibus, si non fiat jocosè, vel ipse Clericus se ipsum percutiat. Dicitur: *Effectus realis*. Quia verba injuriosa, comminatio, elevatio manus, vel ensis ad percutiendo, si effectus non sequatur, non est injectio manuum huic censuræ subjecta.

b Tol c.31. Sua n.21. Say.n.11.

272 Requiritur [c] secundò, ut sit *Injectio violenta*. Unde casualis etiam cum homicidio mortali, quia fortè non est adhibita diligentia, non inducit hanc censuram, quia non est violenta, aut injuriosa injectio. Tertiò, quòd sit suadente diabolo, idest, quod sit peccatum mortale, pro quo solo fulminatur excommunicatio major. Quartò, ut sit in Clericum, vel Monachum. Per *Clericum* intellige etiam eum, qui solam habet primam tonsuram, si alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputatus inserviat, vel ministret, estò sit conjugatus, dummodo cum virgine, & quamvis sit excommunicatus, interdictus, suspensus, aut irregularis, & quicumque, qui realiter degradatus non sit. Per *Monachum* intellige Monachos, & Regulares omnes professos, & eorum conversos, Monachas, earumque conversas, imò novitios, & novitias & milites Melitenses Sancti Ioannis.

c Tol.i n. 5.Say.n.4. & 5.

273 Nota [d] verò canonem istum per

d Tol à n. 7.& c.35.

Digitized by Google

Soar. n. 55 per alios extensum esse ad alia personarum genera, & primò ad mandantem, qui tamen si mandatum revocavit, ita ut revocatio pervenerit ad mandatarium, non incidet in hanc censuram, estò mandatarius postea manus injiciat, & percutiat. Et idem est, si moriatur ante mandati executionem, quia mortuus de novo excommunicari non potest. Aliter dicendum, si revocavit; sed revocatio ad mandatarium pervenire non potuit, ante delicti executionem. Secundò, ad ratum habentem, quod nomine, seu contemplatione ipsius factum est. Tertiò, ad consentientes per consilium, auxilium, vel favorem. Ubi adverte consulente non vitare hanc censuram, procurando dissuadere; qui si certus non sit de mutatione propositi, tenebitur admonere percutiendum saltem in generali, ut sibi caveat, & sic evitabit, estò effectus postea accidat. Quartò, ad non impedientes, cùm possint impedire. Quod verum est non solùm de illis, qui ex officio impedire tenentur, sed de omnibus, qui dolosè non impediunt, secus si ex negligentia, aut ut rumores fugiant.

e Tol. c. 34. à n. 5. Sayr. n. 3. 274 Nota [e] secundò, Judicem sæcularem, ejusque ministros capientes, incarcerantes, aut in custodia detinentes Clericum innodari hac censura, quatuor casibus exceptis. Primus est, quando traditus est curiæ sæculari, aut realiter est degradatus. Secundus, quando est incorrigibilis, & priùs depositus, & propter incorrigibilitatem excommunicatus, si post hæc perseveret incorrigilis. Tertius, si fiat de mandato proprii Prælati. Quartus, ex bono fine, nempe ad impediendum crimen, vel ob crimen commissum, ut suo Prælato præsentetur, quia tunc manus violenta non est.

f Tol. à n. 7. Sayr. n. 10. 275 Nota [f] tertiò, ex communi sententia hac censura innodari Clericum ipsum, qui ex ira, vel odio se ipsum graviter percutit. Ratio Doctorum est, quia Canon iste non tam factus est in favorem personæ, quàm ordinis clericalis. Et idem est de percutiente Clericum se voluntariè exponentem percussioni, ob eamdem rationem. Clericus verò ipse se exponens non est excommunicatus, sed excommunicandus.

g Tolet. c. 13. 276 Nota [g] quartò, in multis casibus non contrahi hanc censuram. Primò, si percussio fiat joco, estò jocus non sit cum modo, quia non fit suadente diabolo. Secundò, cùm fit casu ob eamdem rationem. Tertiò, quando fit vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. Quartò, cùm ex calore iracundiæ percutitur, vel occiditur Clericus in continenti inventus cum uxore, sponsa, matre, sorore, vel filia. Aliter dicendum, si inveniatur cum aliis personis remotioribus; licèt aliqui sub nomine matris, & filiæ non improbabiliter comprehendant omnes ascendentes, & descendentes. Quintò, cùm fit cum probabili ignorantia facti, quia percutiens ignorabat esse Clericum, vel quia signa Clericatus non apparebant, vel quia percussit noctu ignorando esse Clericum, quamvis percutiens daret operam rei illicitæ. Sextò, quando Clericus negotiationibus prohibitis se immiscet, & ter admonitus à Prælato non desistit. Et idem est, si relicto habitu, arma defert militaria, & ter admonitus se non emendat; vel si, relicto habitu, & tonsura, se non emendat post trinam admonitionem. Septimò, si Clericus facit se joculatorem, goliardum, buffonem, si per annum perseverat, aut si intra annum ter admonitus à Prælato non desistit. Vel quando publicè, & personaliter exercet officium tabernarii, aut macellarii, si ter admonitus non cessat; vel si cessavit, iterum revertitur, illi enim duo perdunt privilegium Clericale. Octavò, si mulier percutiat Clericum illam tentantem de stupro facto, & non solo verbo. Nonò, si admonitus ut à colloquio etiam honesto cum uxore abstineret domo, postea inveniretur cum ea etiam honestè loquendo, & detineretur per 20. horas ad tradendum eum suo judici, non contraheret hanc censuram. Soar. à nu. 33. Sayr. c. 23.

h Tol. c. 33. Soar. à n. 40. Sayr. à n. 11. 277 Nota [h] quintò, non contrahi hanc censuram ab illis, qui in correctionem, vel disciplinam Clericum leviter percutiunt. Hoc autem conceditur illis, qui curam habent Ecclesiæ, ut ex ipsa ejiciant turbantia Officia Divina, qui Clericos in minoribus officium turbantes possunt castigando percutere. Idemque possunt præstare Clerici seniores zelo devotionis erga solos Clericos in minoribus. Item Prælatis respectu subditorum, & magistris re-

respectu discipulorum, quibus licet percutere etiam sacerdotes: Episcopis quidem non per se, sed per alium Clericum, nisi hic deesset; sed quamvis adesset, & per se percuteret, non incurret hanc censuram. Abbati non licet per alium percutere monachum, vel conversum, sed per se ipsum, nisi necessitas urgeat, aliàs uterque incurret. Nota verò, quòd neque Abbati licet per laicum percutere; aliàs tam mandans, quàm exequens censura innodabitur. Unde aliqui non excusant eos, qui per laicos dant torturam Clerico; alii verò excusant ob consuetudinem, & quia non invenitur clericus, qui id possit, & velit facere. Et hoc est probabilius.

278 Magistris non licet castigare per alios; & si per laicos id faciant, non liberantur à censura, & secundùm aliquos etiam per Clericos. Idem conceditur dominis respectu illorum, qui sunt de familia, & patribus, ac propinquis secundùm carnem: his tamen non licet percutere ob correctionem, nisi Clericos in minoribus, juxta probabiliorem sententiam; quamvis patri id aliqui concedant etiam respectu filii sacerdotis. Debent autem castigare per se, non per alios, aliter censuram incurrent, maximè si id faciant per laicos. Duo adhuc adverte circa has personas. Primum, quando modus exceditur in percussione, & castigatione, non incurri censuram, si excessus sit parvus, vel subitus, ita ut nec sit dolus, nec peccatum mortale; aliàs contrahetur. Secundum, quando percussio fit prætextu correctionis, sed non ob correctionem, seu ex odio, vel vindicta, aut alia prava intentione, contrahitur censura; quia non aliter conceditur in jure talis facultas, nisi ob finem correctionis.

i Tol. c. 32. Soar. à n. 88. Say. c. 28.

279 Nota [i] sextò, licèt hæc censura sit reservata Papæ, esse aliquos casus, in quibus ab alio absolvi potest. Quod ut intelligas, adverte læsionem posse esse enormem, levem, vel mediocrem. Enormis est, quando est membri mutilatio, seu truncatio, aut vulnus membrum inhabilitans, vel effusio sanguinis in abundantia, non ex naribus, unde facilè effluit, sed aliunde: vel ratione personæ, ut si in Episcopum, aut Abbatem manus violenta injiciatur, aut in aliam similem personam, unde scandalum esset in populo. Levis est illa, quæ fit pugno, palma, manu, pede, ligno lapide non facientibus vulnus. Dicitur autem levis, non quia fiat sine peccato mortali, ob quod solùm hæc excommunicatio contrahitur, sed quia respectu enormis judicatur levis. Ad judicandum autem læsionem levem ferendum est judicium non solùm de facto, sed etiam de qualitate, & modo, & aliis circumstantiis loci, & personarum, propter quæ, quod in se leve est, potest esse grave. Læsio mediocris est, quæ est media inter enormem, & levem, de qua certa regula esse non potest, sed de illa judicabit Episcopus, & confessor.

280 Dico [l] ergo primò, ab hac censura contracta ex levi læsione potest Episcopus absolvere tam sæculares, quàm Clericos, à contracta ob læsionem mediocrem potest absolvere Clericos collegialiter viventes, si forte unus alterum percussit, non tamen ob enormem. Si Religiosus in claustro degens alterum percutiat leviter, vel mediocriter, potest absolvi à proprio superiore, si percussus fuerit alterius claustri, ab utroque superiore debet absolvi: si autem percussio sit enormis, à solo Papa. Si verò percussus à Religioso sit Clericus sæcularis, percutiens debet absolvi à Papa, non solùm si læsio fuit enormis, sed etiam mediocris; à levi à solo Episcopo, non autem à suo Prælato. Si ostiarius Principis, vel Prælati officii sui causa lædit Clericum, non animo injuriandi, sed ob detinendam turbam, absolvitur ab Episcopo, si levis, aut mediocris læsio fuerit, si autem enormis à solo Papa.

l Tol. c. 32. Soar. à nu. 61. Say. n. 19. & seq.

281 Dico [m] secundò, quando quis habet impedimentum temporale legitimum eundi ad Papam, ut quia habet inimicitias capitales, vel quia in via sunt hostes, à quibus sibi timet, vel ob alias causas, potest absolvi ab Episcopo, etiam ab enormi læsione, præstito juramento, ut cessante impedimento, ad Papam eat. Similiter absolvi possunt servi, quando crimen commiserunt in fraudem, ut se à domino liberarent, vel quando eorum absentia est in magnum detrimentum dominorum, qui in culpa læsionis non fuerunt, nisi læsio sit tam enormis, ut ad vitandum scandalum, vel tollendum

m Tol. c. 32. Soar. n. 61. Say. t. à n. 19.

Digitized

dum exemplum, sint mittendi ad Papam. Si tamen servus ad libertatem pervenerit, debet ire, quando ob enormem, vel mediocrem læsionem fuit absolutus ab Episcopo, & cum tali juramento est absolvendus, ut alii, qui habent impedimenta temporalia, qui omnes data opportunitate tenentur adire Papam; & si non adeant, sunt perjuri, & incidunt in eamdem censuram; non quia prima reviviscat, sed quia nova similiter reservata à jure lata contrahatur.

n To.c.31. So. à n.63. Say.à n.20.

282 Dico [n] tertiò, sunt aliqui casus, in quibus Episcopus potest absolvere ob quamcumque læsionem, primus, quando pueri ante annos pubertatis hanc censuram contraxerunt, hi enim facti grandiores non tenentur ire ad Papam, estò absolvantur post annos pubertatis. Secundus, quando sunt mulieres cujuscumque ætatis, & conditionis, inter quas à fortiori sunt Moniales. Tertius, quando sunt impotentes ad iter, ut claudi, cæci, & similes. Quartus, pauperes, qui non possunt sustentari, nisi labore suo, & mendici, qui mendicando solent sibi, & familiæ providere; aliter est, si sibi solùm prospiciunt, & soliti sunt mendicare, quia mendicando ire possunt. Utrique venientes ad pinguiorem fortunam ire tenentur, quia soli pueri, inter habentes impedimentum temporale, in jure excipiuntur. Cum his numerantur Monachi, qui non habent viaticum, & monasterium pauperrimum eis providere non potest. Quintus, si qui sunt in senili ætate. Sextus, personæ magnæ potentiæ ita delicatæ, ut laborem eundi sustinere non possint; tunc enim status personæ, & veritas negotii est intimanda Pontifici, ut de commisso crimine secundùm consilium ejus corrigantur, priusquam absolvantur ab Episcopo.

o Soa.à n. 61. Say.t.n. 26.

283 Dico quartò, [o] in articulo mortis quilibet potest absolvi ab hac censura non solùm ab Episcopo, sed etiam, si hic adiri non possit, à quolibet confessario, cum juramento, ut si convaluerit, adeat Pontificem, si læsio fuit enormis, vel mediocris, ita ut si convalescens non adeat, reincidat in eamdem censuram, ut dictum est de habentibus impedimentum temporale. Quia verò hoc speciale non est in hac censura, sed commune omnibus Papæ reservatis, de eo latiùs dicetur, cùm actum fuerit de moribundis lib. sequenti cap. 3.

284 Duo [p] adhuc hic advertenda sunt. Primum, quòd in omnibus his casibus, in quibus Episcopus potest absolvere ab hac censura, potest absolutionem committere sacerdoti. Secundum occultos excommunicatos in hac materia, estò læsio sit enormis, posse ab Episcopo absolvi in virtute Trident. concedentis Episcopis potestatem absolvendi à quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, quæ facultas revocata non est, nisi fortè quoad casus Bullæ Cœnæ, ad quam casus iste non pertinet. p To.c.31.

q Sess. 24. c.6.de ref.

SECTIO II.

De excommunicationibus Papæ reservatis in Decretalibus, Sexto, & Clementinis.

Prima habetur in cap. Quærenti de officio delegati. Ubi [a] excommunicatus à delegato Papæ, qui per annum manet in tali censura, non potest absolvi, nisi à Papa. Similis habetur cap. Dura de crimine falsi. Ubi præcipitur Episcopis, ut excommunicationem ferant contra habentes litteras Apostolicas falsas, si intra 20. dies eas non lacerant, aut resignant; quæ censura semel contracta Papæ manet reservata. Cap. verò significavit de sent. Excommun. Clericus, qui scienter, & sponte participat cum excommunicato à Papa, illum recipiendo ad divina officia, ipso facto excommunicationem incurrit Papæ reservatam, quod hodie est intelligendum de denuntiato. 285

a Tol.c.35. Soa.d.21. sect.2

286 Cap. Conquesti de sent. excommunicationis, rapientes res Ecclesiæ cum ipsius effractione, hoc est, fractione portarum, serarum, murorum, vel tecti, ipso jure sunt excommunicati, & si postea denuntientur, sunt absolvendi à Papa; ante denuntiationem possunt absolvi ab Episcopo, imò & à quolibet confessore. Per Ecclesiam autem intelligunt Doctores etiam hospitalia, & loca pia, Cap. Tua nos eodem titulo. Incendiarii, ex quo fuerint per sententiam Ecclesiæ publicati, mittendi sunt

Digitized by Google

ad Papam pro beneficio absolutionis, sive sint incendiarii Ecclesiarum, sive aliorum locorum. Non sunt tamen ipso jure excommunicati, sed excommunicandi cum mandantibus, consulentibus, & fautoribus. Notat verò Toletus, in illis locis, in quibus fuerit consuetudo, quod incendiarii locorum sint ipso jure excommunicati, talem consuetudinem esse servandam, quia consuetudo, inquit, est optima juris interpres, cap. cùm dilectus de consuetudine. Intellige autem de consuetudine legitimè præscripta, vel approbata à Prælato loci, quantum ad suos subditos, ut in casu simili notavit Angelus verbo excommunicatio 1. §. 6.

b Soar. f. 3. Tol. c. 33. à n. 7. Say. à n. 19.

287 In Sexto, [b] cap. Clericis de immunit. Ecclesiæ. Imponentes taleas Clericis, & solventes excommunicatione Papæ reservata feriuntur: sed quantùm ad solventes, sublata est hæc constit. per Clement. Quoniam de immunit. Eccles. Hæc tamen hodie pertinent ad Bullam Cœnæ clausula 18. Cap. Felicis de pœnis, excommunicantur insequentes Cardinales hostiliter, capientes, vulnerantes, occidentes, socii eorumdem mandantes, ratum habentes, quod intellige, si nomine eorum gestum sit, dantes ad id consilium, vel favorem, prædictorum aliquem receptantes, vel defensantes: sed hęc hodie continentur in Bulla Cœnæ, Clausula 11. cum extensione ad alias personas, ut ibi vidimus. Cap. Quicumque de sententia Excommunicationis, excommunicantur omnes, qui occasione alicujus excommunicationis latæ in aliquem, dant licentiam occidendi eos, qui promulgarunt talem sententiam, vel eos, qui observant prædictam excommunicationem; vel eos, qui nolunt conversari cum tali excommunicato. Et similiter qui dant licentiam capiendi aliquem prædictorum, aut illos gravandi in suis personis, bonis, vel etiam suorum, & qui tali licentia utuntur, & qui sine licentia ex se aliquid prædictorum faciunt. Qui tamen in bonis nocuerunt illa occasione, & intuitu, statim sunt excommunicati, nisi intra octo dies restituant, & satisfaciant omnia. Similiter qui dederunt licentiam, si, re integra, revocarunt, non incurrunt, alias ipso jure sunt excommunicati censurâ Papæ reservata, si per duos menses in ea permanserint.

288 Cap. Eos, qui eodem titulo. Qui ab excommunicatione Papæ reservata, ab eodem, vel ejus legato absolvitur, cum obligatione comparendi coram Ordinario, vel alio designato, ut sæpè fieri solebat, ad suscipiendam pœnitentiam, & satisfactionem parti læsæ exhibendam, & conditionem non implevit, cùm primum potuit, in eamdem excommunicationem ipso facto incidit eodem modo reservatam. Quæ dispositio est generalis ad omnes, qui ob eminentem necessitatem absolvuntur ab eo, qui de jure non potest absolvere; quæ absolutio semper datur sub onere postea comparendi, & qui talem conditionem non implet, incurrit novam censuram eodem modo reservatam eidem, cui prior fuerat reservata, sive esset à jure, sive ab homine.

289 In Clementinis, prima excom. Papę reservata habetur Clem. prima, [c] de hæreticis, contra Inquisitores, & in officium inquisitionis ab Inquisitoribus vel Episcopis substitutos, qui odii, gratiæ, seu amoris, lucri, aut commodi temporalis prætextu, contra justitiam, & conscientiam suam omittunt contra quemquam procedere, ubi procedendum est, aut alicui imponunt hæresis pravitatem, aut propterea eum ab ejus officio impediunt, & super hoc quoquomodo eum vexant. Si verò sint Episcopi, vel Episcopis superiores, qui hoc faciunt, non contrahunt excommunicationem, sed suspensionem ab officio per triennium.

c Tol. c. 30 Soa. sect. 4 Say à n 24

290 Secunda habetur in Clemen. Religiosi de privilegiis. Ubi ponitur excommunicatio Papæ reservata Religiosis, qui Clericis, aut Laicis sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habita priùs super his Parochialis presbyteri licentia speciali; aut qui excommunicatos à canone, præterquam in casibus à jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessa eisdem, vel à sententiis per statuta provincialia, aut synodalia promulgatis, seu ut verbis eorum utamur, *A pœna, & culpa absolvere quemquam præsumpserint*, quos

loco-

Digitized by Google

locorum ordinarii excommunicatos faciant publicè nuntiari &c.

291 Nota verò primò, hic non comprehendi Sacerdotes sæculares, qui similia præsumunt, neque novitios, qui verè Religiosi non sunt, & in pœnis lex non debet extendi. Secundò, satis esse specialem licentiam concessam à Parocho ad tale, vel tale Sacramentum, quamvis ex parte personarum tam recipientium, quàm ministrantium sit generalis. Tertiò, non incurri hanc censuram, si prædicta Sacramenta ministrentur aliis Religiosis; quia Constit. loquitur de Laicis, & Clericis. Quartò, nomine Parochi, à quo licentia haberi debet, venire omnem illum, qui eam legitimè concedere potest, ut est Episcopus, & Papa. Quintò, non extendi hanc censuram ad illos, qui absolvunt excommunicatos ab homine, ut patet ex littera, licèt malè absolvant. Sextò, non comprehendi illos, qui prædicta administrant dicenti se habere licentiam à suo Parocho, quia illi possunt credere. Septimò, non comprehendi eos, qui Pœnitentiam administrant sine licentia Parochi, neque alia Sacramenta, præter expressa. Neque obstat, quòd comprehendantur, qui præsumunt absolvere à culpa, & pœna, quæ per solam Sacramentalem absolutionem absolvitur. Quia in textu per absolutionem à culpa, & pœna intelligitur absolutio cum concessione indulgentiæ, ut omnes docent, & colligitur ex textu. Octavò, requiri præsumptionem, & non satis esse negligentiam, aut ignorantiam crassam. Nonò, non comprehendi illos, qui in casu extremæ necessitatis Eucharistiam, & Unctionem administrant, quidquid aliqui dicant, ut benè docet [d] Soar.

d De Sacr. d 72. s. 2. & de Pœn. d. 44. s. 2.

292 Tertia habetur in Clem. Si quis suadente de pœnis, contra percussores Episcoporum, interfectores, captores, incarceratores, detinentes, bannientes, ejicientes, qui hæc mandant, vel sunt socii, aut dant consilium, favorem, vel ratificant, aut scienter recipiunt illos. Similiter contra Potestates, Rectores, Consiliarios, Consules Balvinos, Scabinos, Advocatos, & Officiales, quocumque nomine nominentur, qui in aliquo horum culpabiles extiterint. Verùm, quod maximè advertere necessarium est, ferè omnes hi hodie in Bulla Cœnæ continentur clausula 11. licèt non omnes. Quarta habetur in Clement. Cupientes de Pœnis. Ubi excommunicatio Papæ reservata fertur in Religiosos, vel Clericos, qui inducunt aliquem ad jurandum, vel vovendum, aut promittendum, ut sepulturam apud eorum Ecclesias eligat, vel jam electam non mutet. Ubi nota non satis esse ad hanc censuram incurrendam inducere, ut eligat, vel non mutet, neque inducere ad vovendum, ut eligat in altera Ecclesia, ut patet ex tenore verborum.

293 Quinta habetur in Clem. Gravis de sentent. Excommunic. contra dominos temporales, & quoscumque, qui quomodolibet cogunt aliquem in loco interdicto celebrare divina, vel per præcones faciunt populum ad illa audienda convocari, & qui nunc hos, nunc illos ad audientiam eamdem conducunt, & qui prohibent, ne publici excommunicati, vel interdicti per illos, qui Missas celebrant moniti ab Ecclesiis exeant, & similiter ipsi non exeuntes.

SECTIO III.

De excommunicationibus Papæ reservatis in Extravagantibus, Tridentino, & extra corpus juris.

PRima habetur in Extrav. Detestandæ de Sepulturis, contra illos, qui cadavera hominum exenterant, incidunt in frustra, elixant, carnes ab ossibus separant, ut ossa in sepulturam distantem transferant. Quæ censura generalis est tam ex parte corporum, quia nullum excipitur, quàm ex parte id facientium. Unde extenditur ad mandantes. Nota tamen primò, non procedere contra eos, qui hoc faciunt in terris infidelium, ut ossa transferantur in terras fidelium; ut constat ex eadem Constitut. Secundò, neque in eos qui ista faciunt in corporibus vivis, nec quando fit in odium, vindictam, vel superstitionem, vel ratione anothomiæ, sed solùm quando fit causa transferendi in sepulturam remotam. Tertiò, neque quando exenterantur corpora Principum, & nobilium, ut conserventur, non ut transportentur. 294

294 a Tolet. cap. 36. Soar. s. 5. Sayr. n. 30.

295 Se-

Digitized by Google

295 Secunda habetur in Extrav. Sanè de Simonia, contra eos, qui dant, vel recipiunt aliquid ob ingressum Religionis per modum pacti, & conventionis, tam in Monasteriis virorum, quàm fœminarum. Ubi solùm punitur actio simoniaca ex reali pactione dandi, vel recipiendi aliquid temporale pro spirituali ad missione ad statum, seu habitum religiosum. Unde non incurritur talis censura primò, quando aliquid spontè datur, & recipitur in ingressu religionis. Secundò, quando datur, & recipitur non pro ipso ingressu, seu receptione, sed pro sustentatione ejus, qui ingreditur, quia Monasterium non habet sufficientes redditus ad illum alendum, estò pactum intercedat. De Monasterio verò diviti aliter est dicendum, quia non videtur quo titulo aliquid petatur, nisi pro ingressu, quod simoniacum est.

296 In aliquibus tamen casibus posset aliquid exigi in sustentationem, si nimirum numerus, quem Monasterium dives alere posset, esset expletus; vel si essent alii, quos expediret recipere, & omnes simul sine aliquo subsidio non posset, vel quia expedit augere redditus Monasterii ad augendum numerum Religiosorum cum sufficiente sustentatione. De Monasteriis etiam Monialium res non vacat scrupulo quando sunt ditissima. Quia tamen rarissima sunt, quæ non indigeant his subsidiis ad suam sustentationem, & consuetudo petendi dotes tolerata est post hanc Extrav. potuit contra illam prævalere, ideò videntur excusanda. Jam verò circa censuram res est sine scrupulo; quia plures Pontifices concesserunt, ut moniales nullam pœnam simoniæ incurrerent, propter pacta circa dotes, ut refert [b] Soar. Quæ concessio non liberat, sed auget scrupulum circa ea, quæ petuntur, vel ad communem usum domus, ut sacristiæ, vel ad commodum aliarum monialium, solo titulo consuetudinis, quæ reprobatur in hac Extrav. tamquam corruptela; nec vacat pacto saltem tacito, quia aliter non recipiuntur. Circa hanc materiam tandem advertendum est, quod disponit Concilium [c] Trident.

b Soar. n. 14.

c Sess. 25. c. 16. de ref. regul.

297 Tertia habetur in Extrav. Viam ambitiosæ, contra Religiosos Mendicantes transeuntes ad aliam Religionem non Mendicantium ex ibi numeratis, absque speciali licentia Sedis Apostolicæ, & contra recipientes illos. Postea factæ sunt aliæ concessiones omnibus ferè Religionibus, circa hunc transitum, quæ observandæ sunt, de quibus [d] Soar.

d Soar. n. 16.

298 Quarta habetur in Extrav. Cùm detestabile, de simonia, contra eos, qui simoniam committunt in ordine, vel beneficio, & quolibet officio spiritualis regiminis, quolibet modo dando, vel recipiendo, & contra mediatores, & procuratores, dummodo simonia sit realis, & consummata, quamvis occultissima.

299 Quinta habetur in Extrav. Etsi Dominici gregis secunda, de Pœnitent. & Remiss. Ubi Sixtus IV. comprehendit omnes, qui prætextu gratiarum ab ipso concessarum præsumunt absolvere simoniacos, mutilatores, vel occisores Clericorum in sacris, violatores Ecclesiasticæ libertatis, & à casibus Bullæ Cœnæ, vel dispensare, aut commutare quinque vota reservata, nisi in prædictis gratiis fiat horum expressa mentio, & derogatio hujus Extrav. Unde hodie vix aliquis incurrit hanc censuram; quia vix erit, qui id faciat sub tali prætextu. Qui verò absque illo faceret, quamvis malè faceret, liber esset, quia nunquam in ea fuit comprehensus.

300 Sexta habetur in Extrav. Grave nimis, de Reliq. & vener. Sanctorum, contra eos, qui affirmant peccare mortaliter, aut esse hæreticos, qui dicunt B. Virginem conceptam fuisse sine peccato originali, aut esse peccatum celebrare festum Conceptionis ejusdem, aut adesse concionibus, aut qui oppositam partem eadem censura damnat. Quæ Constit. confirmatur, & innovatur in [e] Trident.

e Sess. 5. in fin.

301 In Trident. [f] unica est excommunicatio Papæ reservata contra omnes tam Laicos, quàm Clericos in quacumque dignitate constitutos, qui alicujus Ecclesiæ, aut cujusvis sæcularis, vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumve locorum jurisdictiones, bona, census, aut jura etiam feudalia, & emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum, & pauperum necessitates converti debent; per se, vel alios vi, vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas Clericorum, aut Lai-

f Sess. 22. c. 11. de reform.

Digitized by Google

Laicorum, seu qualibet arte, vel quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumunt, seu impediunt, ne ab eis, ad quos de jure pertinent, percipiantur, eidemque censuræ subjicitur Clericus ipse ad id suppositus, ultra alias pœnas ibi expressas.

302 Extra corpus juris variæ sunt excommunicationes Papæ reservatæ in diversis Pontificum Constitutionibus. Quarum multæ non pertinent ad totam Ecclesiam, sed ad loca particularia; aliæ aut sunt revocatæ, vel non sunt in usu. Quare solùm indicabo paucas, quæ in usu haberi possunt. De reliquis consule, si placet, g Soar. & Sayr.

g Soar. f. 6. Sayr. c 31.

303 Prima est in quadam Constitut. Pauli II. quæ est 20. in Bullario contra Commissarios, & delegatos Sedis Apostolicæ circa causas alienationis rerum Ecclesiasticarum, qui si conscientiæ suæ prodigi in gravamen, aut detrimentum Ecclesiæ per gratiam, vel timorem, aut sordes alienationi consenserint, aut decretum, vel authoritatem interposuerint, si sint Episcopo inferiores, excommunicationem incurrunt non reservatam. Est tamen reservata, quæ ibi imponitur illis, qui dolo, vel fraude, aut per sordes, hoc est, iniquas donationes, aut promissiones, vel per impressionem, idest, importunam persuasionem, aut deprecationem alienationis decretum extorserint.

304 Secunda est in quadam Constit. Pii V. Intolerabilis, estque 87. contra eos, qui committunt crimen simoniacæ confidentiæ beneficialis, poniturque solis recipientibus, si detur ex confidentia etiam mentali; quæ tamen non contrahitur, si intentio dantis ita fit interna, & occulta, ut à recipiente nullatenus cognosci queat; quia tunc non potest recipere quasi consentiendo illi intentioni. Neque si cognoscens animum dantis non tamen intendat illi cooperari, sed decipere, quia verè non recipit in confidentiam.

305 Tertia habetur in alia Constit. ejusdem Pii, Quanta, estque 58. Ubi agit de beneficiorum collatione, præsentatione, &c. Et primò, suspendit Episcopo, & quoscumque beneficiorum collatores, ad quos pertinet resignationes beneficiorum admittere, si id faciant contra casus designatos, & contra formam ibi præscriptam. Deinde in eos profert excommunicationem reservatam, si post contractam prædictam suspensionem, actus, à quibus sunt suspensi, exercere attentaverint. Et hæc satis pro censuris, & casibus reservatis Pontifici.

CAPUT X.

De casibus reservatis Episcopis.

Quia etiam necessarium est Parocho, & cuilibet confessario scire casus suo Episcopo reservatos, à quibus absolvere non potest sine speciali licentia, vel legitimo privilegio, de illis agam in hoc cap. Quia verò, ut benè notavit a Nav. non cadit sub scientiam scire casus omnes, qui ubique terrarum Episcopis reservantur, eò quòd unaquæque Provincia in suo sensu abundet: dicam primò, de reservatis jure communi, aut per consuetudinem generalem, & postea de reservatis per Constitutiones particulares hujus Regni, ad cujus Parochos labor hic noster principaliter dirigitur. 306

a C. 27. n. 262.

SECTIO I.

De casibus reservatis Episcopis de jure communi.

Varios refert Nav. b ex Glossa in cap. Secundum de Pœnitent. & Remiss. in 6. & Doctoribus, quos citat, & tandem concludit unum tantùm, vel alterum esse, nimirum peccatum incendiarii, quando quis domos, segetes, aut res alias ex proposito incendit, vel ad id auxilium, aut consilium præbet, cap. Pessimum 23. q. 8. Alterum est peccatum, ob quod solemnis pœnitentia est imponenda, quæ ob solum peccatum notorium, grave, & scandalosum imponi debet, cap. Fin. 23. quæst. 6. Verùm quia solemnis pœnitentia non est jam in usu, unus tantùm casus remanet de jure communi Episcopis reservatus, nempe Incendiarii. 307

b Ubi proximè.

308 Huc pertinent alii casus, qui, teste eodem Nav. c sunt reservati Episcopis per consuetudinem generalem, aut quasi generalem, quos tangit Glos. Extrav. Inter cunctas de Privileg. Primus est, homicidium voluntarium, aut

c Ubi proximè.

realis

realis membri abscisio. Secundus, peccatum falsificandi scripturas, aut dandi testimonium falsum, aut tacendi verum coram Judice, & peccatum admissum ab advocatis, procuratoribus, & notariis ostendentibus scripturas partibus adversis. Tertius est, violatio libertatis, aut immunitatis Ecclesiæ, per quam injustè personis, aut rebus Ecclesiasticis injuria infertur: licèt hodie quoad multa hæc violatio contineat excommunicationem reservatam Papæ in Bulla Cœnæ, ut constat ex cap. I. Et consequenter videtur, quod omne sacrilegium in hac materia sit reservatum Episcopo per consuetudinem. Quartus peccatum retinendi incerta aliena. Ita Nav.

309 Huc etiam reduci possunt casus Papæ reservati, quando sunt occulti, qui Episcopis committuntur per Concilium [d] Trident. sic statuens: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, exceptis ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare; & in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostol. reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absolvere, imposita salutari Pœnitentia. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum.* Sed notandum hic non reservari casus Episcopis, sed reservatos Papæ ipsis committi.

d Sess 24. c.6 de ref.

310 Occulti verò casus sunt hoc loco, secundùm aliquos, qui probari non possunt. Communis tamen sententiam docet occultum dici, [e] quod non est publicum, estò ab aliquibus sciatur. Unde quod non est publicum in majori parte viciniæ, occultum dicitur, dummodo deductum non sit ad forum contentiosum. Si tamen deductum fuit, sed non probatum, & reus fuit absolutus, defectu probationis, occultum manet, quia non fuit deductum cum affectu. An verò casus prædicto modo occulti contenti in Bulla Cœnæ, qui fuerunt commissi Episcopis in Trident. sint hodie Episcopales? Altera sententia negat; quia existimat eam concessionem esse revocatam per ipsam Bullam Cœnæ, quatenus in ultima clausula habetur, ut à casibus in ipsa contentis nulla persona, etiam Episcopali dignitate prædita, absolvere possit, prætextu, cujuscumque facultatis, etiam per cujusvis Concilii decreta in genere, vel in specie concessæ. Altera satis probabilis docet adhuc posse Episcopos à prædictis casibus absolvere. Pro utraque sunt graves rationes, & gravissimi DD. qui videri possunt apud [f] Sanch. & Dianam, quam etiam probabilem dicit Soar.

e Sanch. 2 matr. d. 34 à n.55.

f Sanch. 2. Decal. c. 11 n.6. & 27. Dian. p 4. t.4. ref 159. & 1.p. t.5. ref.2. Soar. de cens. d.2. s.3. n.5.

SECTIO II.

Explicantur casus, qui reservantur Episcopis in hoc Regno Portugalliæ.

Quia iidem ferè casus reservantur in plerisque Diœcesibus hujus Regni, & sect. sequenti assignabimus eos, qui in unaquaque reservantur, ne cogamur eosdem in diversis locis explicare, omnes in hac sect. declarabimus, & postea veniendo ad singulas Diœceses addendum erit, quid in unaquaque fuerit peculiare. 311

§. 1.

Hæresis.

Quid sit hæresis diximus lib. 8. cap.1. sect.2. Unde constat hæresim esse errorem circa fidem, vel etiam dubium cum pertinacia; quando quis errat, vel dubitat de rebus fidei, quas scit teneri ab Ecclesia universali. Quando deest pertinacia, non est hæresis, sed error ex ignorantia, quam facilè quis deponit de veritate edoctus. 312

313 Quando est purè externa, quia quis externè protulit hæresim, vel fidem negavit ex metu, aut alio fine humano, ut accidit aliquibus inter infideles, sine errore, nec dubio in intellectu, non est propriè hæresis, nec alicui reservatur.

314 Quando autem error, vel dubium pertinax foras prodit per aliquod signum externum, est hæresis consummata, & reservatur Papæ in prima clausula Bullæ Cœnæ, ut dictum est cap.8. sect.2. A qua solus Papa, vel Inquisitores absolvere possunt. Quando verò error, vel dubium est purè internum, & mentale, non reservatur Episcopo, nisi clarè exprimatur, ut cum aliis docet [a] P. Sanch.

a 2. Decal. c.8. n.4.

315 Quæ-

Digitized by Google

315 Quæstio igitur est, quid sibi reservent Episcopi, quando hæresim absolutè reservant? Respondeo vel solùm declarare non posse confessarios absolvere ab hæresi occulta per accidens, quæ sibi per Trident. commissa fuit, quo sensu expresè loquuntur Constitutiones Eborenses, [b] & aliquæ aliæ, vel reservare peccatum hæresis, etiam quando quis ob ignorantiam excusatur à censura, ratione cujus reservatur Papæ: non verò reservare hæresim purè mentalem, nisi eam exprimant, à qua proinde quilibet absolvere potest, nisi eam sibi Episcopus reservet, ut plures reservant, ut videbimus sect. sequenti.

b Tit. 3. de sacram. conf. c. 6.

§. 2.

Blasphemia publica.

316 QUid sit Blasphemia dictum est lib. 8. cap. 4. sect. 7. §. 1. Duo requiruntur, ut hoc peccatum sit reservatum Episcopo, ubi illud reservatur. Primum est, ut sit Blasphemia formalis, hoc est, prolata ex intentione, & advertentia. Quia si proferatur ex aliqua indignatione repentina, sine intentione maledicendi Deo, vel Sanctis, aut sine advertentia sufficienti ad peccatum mortale, erit solùm materialis, & non reservata. Secundum est, quòd sit publica prolata coram multis; vel talis, ut publica reputetur. Non reservatur autem Blasphemia hæreticalis, de qua ibidem diximus, quia hæc pertinet ad Inquisitores, ratione hæresis adjunctæ, ut benè Pater [c] Sanch.

c 2 Decal. c. 32. n. 37.

§. 3.

Veneficia.

317 IN hoc casu reservantur peccata eorum, quos vulgò dicimus: *Feviceiros, Feiticeiras*. De quibus egimus lib. 8. cap. 4. sect. 6. Et sunt in multiplici differentia. Primò ad sciendas res occultas, & absentes, & dicitur superstitio divinationis, de qua ibi §. 3. Secundò, ad procurandam sanitatem, & alios effectus alioqui bonos, vel non malos per media inutilia, & superstitiosa; & dicitur vana observantia, de qua ibidem §. 4. Tertiò ad causandas infirmitates, amores turpes, & alia mala, & dicitur maleficium, de quo §. 6. Quartò ad effectus mirabiles impossibiles secundùm communem existimationem, & dicitur magia, de qua §. 5. Ultimò ad alios effectus superstitiosos, & magicos, de quibus ibidem. Quæ omnia non fiunt sine arte, & invocatione dæmonis, & absque pacto expresso, vel tacito cum illo. Et plerumque non sine adoratione dæmonis, & aliquando non sine abnegatione fidei.

318 Hæc autem peccata reservantur Episcopo per Constit. Episcopales cum hac differentia, quòd alicubi reservantur sola peccata veneficorum, & veneficarum, non autem peccata eorum, qui utuntur veneficiis ab ipsis confectis, & datis; alibi verò etiam peccata istorum reservantur. Quare Parochus videat sect. sequenti quid in sua Diœcesi in hac parte reservatum sit, ut securè procedat.

319 Et si fortè hos pœnitentes audierit, quærat ab ipsis, an pactum injerint cum dæmone? An obedientiam ei promiserint? An fidei renuntiaverint? Secundò, an exhibuerit ei honorem, & cultum? An commiserint sacrilegia contra sacram Eucharistiam, & alias res sacras? Tertiò, an in pacto intervenerit hæresis, credendo fidem nostram non esse veram, Sacramenta Ecclesiæ esse inutilia, aut alius error circa fidem? Quartò, an fecerit veneficia ex rebus sacris? Quia erit etiam sacrilegium, de quo infrà. Quintò, an crediderit veneficia habuisse virtutem naturalem ad eos effectus causandos?

320 Si autem deprehenderit intervenisse hæresim, remittat ad Inquisitores: si verò hæc non intervenit, remittat ad Episcopum, vel ab ipso obtineat facultatem absolvendi, procuretque, ut per veram pœnitentiam pactum abscindantur, & si fuerit aliqua chartas comburatur.

§. 4.

Sacrilegium.

DE Sacrilegio diximus lib. 8. cap. 4. sect. 7. §. 4. Ex quo loco suppono 321
Sacrilegium esse irreverentiam factam rebus sacris. Quia verò res sacræ sunt vel personæ, quæ habent ordines sacros, aut aliunde gaudent privilegio Canonis, vel habent votum castitatis.

Vel

Vel sunt loca, v. c. Templa, Monasteria, Hospitalia, & quæcumque authoritate Episcopi erecta in divinum cultum. Vel sunt res aliæ, quæ neque sunt personæ, neque loca, v. c. Sacramenta, vasa, & vestes sacræ, verba, reliquiæ, imagines sanctorum, &c. fit quòd tres sint species sacrilegii, in genere loquendo, circa personas, circa loca, & circa res alias sacras.

322 Dico ergo primò, nullum sacrilegium primæ speciei, quo offenditur persona sacra, comprehenditur sub hoc casu reservato. Ita recepta consuetudo interpretatur, teste Nav. [d] unde non habent casum reservatum subditi Episcopi, qui violant votum castitatis sive simplex, sive solemne; qui celebrant, vel administrant aliquod Sacramentum in peccato mortali, qui Eucharistiam recipiunt in peccato, qui faciunt confessionem sacrilegam, tacendo peccatum, vel circumstantiam necessariam. Dixi: *Sub hoc casu*, quia manus violenta in Clericum reservata est, in quinto casu, de quo postea. Unde etiam confirmatur comprehendi nullatenus hic sacrilegia primæ speciei, ad quam pertinet Clerici percussio.

d Cap. 28. n. 256.

323 Dico secundò, sacrilegium secundæ speciei, quo fit irreverentia loco sacro, hic reservatur Episcopo, quod committitur primò, quando in tali loco effunditur semen humanum etiam occultè per copulam etiam conjugalem, nisi conjuges per longum tempus detinerentur in Ecclesia, sive per sodomiam, sive per mollitiem. Secundò, quando injuriosè effunditur sanguis humanus, quia v. c. quis in loco sacro occidit hominem, vulneravit, vel percussit, ita ut secuta fuerit sanguinis effusio sufficiens ad culpam mortalem.

324 Tertiò, quando committitur furtum in Ecclesia, vel rei sacræ, v. c. Calicis, Sacrarum vestium, & similium. Vel rei non sacræ, quæ est sub tutela Ecclesiæ, v. c. tapetia, lampades, & reliqua, quæ inserviunt ad usum Ecclesiæ, vel fuerunt commodatæ, vel etiam conducta ad ejus ornatum, vel ibi deposita, ut in Ecclesia custodiantur. Juxta verò probabiliorem [e] sententiam non habet hunc casum reservatum, qui furatur in Ecclesia marsupium, tapetem, qui illuc deportatur ad sedendum, & similia, quia licèt furtum commiserit in Ecclesia, fuit tamen rei non sacræ, nec speciali Ecclesiæ custodiæ commissæ. Nec etiam qui furatur oblationes, [f] & similia pertinentia ad Parochum, aut ex illis, quæ sunt deputata ad sustentationem ministrorum. Quartò, habet hunc casum, qui frangit portas Ecclesiæ, aut alterius loci sacri, ut deprædetur, quæ ibi sunt; effectu etiam non secuto, qui destruit, vel incendit talia loca.

e Less. l. 2. c. 45 n. 14. Bellan. de pœn. d. 7. dub. 4. nu. 22.

f Reg. lib. 19. n. 6

325 Quintò, qui per vim extrahit delinquentem ex loco sacro, ad quem confugit, qui gaudeat ejus immunitate. [g] Loca autem, quibus competit immunitas, est omnis Ecclesia consecrata, aut benedicta, quamvis in ea Missa aut Divinum Officium nondum celebratum sit; & quamvis sit interdicta, polluta, vel etiam arruinata, dummodò sit spes, quod reædificetur, tectum, turris campanarum, Sacristia conjuncta, partes exteriores parietum, cœmeterium, monasteria, & domus Regularium, hospitalia, Palatium Episcopi, si non distet à sua Ecclesia ultra 40. passus. [h] Gaudet autem hac immunitate omnis fidelis Baptizatus etiam interdictus, & excommunicatus, dummodo non sit hæreticus cognitus. Imò gaudet etiam infidelis, si antequam confugit ad Ecclesiam, petierat Baptismum. Gaudent autem in eo casu, in quo delinquens mereretur mortem naturalem, aut civilem, vel membri mutilationem, aut pœnam sanguinis. [i] Non gaudent verò primò latrones famosi, qui in viis publicis deprædantur, occidunt, vulnerant, &c. Secundò, qui noctu de proposito incendunt segetes, & alios fructus agrorum. Tertiò, qui in loco sacro occidunt, mutilant, aliudve enorme crimen committunt, quod in tali loco facere decreverat. Quartò, qui occidit, aut vulnerat dolosè, quod dicimus: *Aleivosamente*, Et qui alia gravissima eodem modo committunt.

g Soar. t. 2. de Rel. lib. 3. c. 8. & 9.

h Soar. c. 10.

i Ord. l. 2. tit. 4 n. 15. Dian. t. p. t. de immunit. res. 3. & 4.

326 Unde committit sacrilegium reservatum Judex, aut officialis Justitiæ, qui per vim extrahit delinquentem è loco sacro gaudentem ejus immunitate, estò intus non esset; satis enim est, si portas, aut fores ejus apprehenderit, vel parietibus extimis adhæserit, licèt jam fuisset in carcere, ex eoque fugisset ad sacrum locum, aut è ma-

Google

è manibus satellitum se eripuisset, cùm jam duceretur ad supplicium. Non tamen [l] committit sacrilegium, nec casum reservatum, qui delinquentem capit in Ecclesia sponte se offerentem; nec qui blanditiis, vel etiam dolo, & promissionibus sine violentia è loco sacro extrahit. Neque qui comprehendit extra locum sacrum delinquentem ab aliquo particulari per vim extractum sine cooperatione Judicis, aut ministrorum Justitiæ.

l Soar. c. 13.

327 Dico tertiò, sacrilegium tertiæ speciei, quo offenduntur res sacræ, reservatur in hoc casu, ut quando quis [m] utitur verbis, aut sententiis Sacræ Scripturæ ad superstitiones, ad res ridiculas, vel miscet musicas lascivas cum sacris, vel tractat sacras imagines per contemptum, aut eas depingit indecorè, aut tractat irreverenter reliquias sanctorum, aut utitur vasibus, vel vestibus sacris ad usus profanos, Sacramentis, & illorum materiis ad res vanas, & superstitiosas. Et sic de aliis.

m Nav. cap.18. n.159.

328 Qui blasphemiam [n] simplicem profert in Deum, vel sanctos per verba injuriosa, abnegando Deum, vel sanctos ex iracundia, maledicendo, aut malum imprecando. Qui jurat per vitam, caput, aut membra pudenda Dei, aut sanctorum; per corpus, aut sanguinem Dei indignatus contra ipsum Deum; qua indignatione sublata, erit tantùm juramentum, & non blasphemia reservata. Qui maledicit creaturis etiam irrationalibus, quatenus sunt Dei creaturæ. Qui laudat Deum verbis turpibus ex intentione laudandi, qui seriò, & non jocosè jurat per falsos deos.

n Soar. t.3. de Relig. lib.1.c.4. Sanch. l.2. Decal. cap.32.

329 Duo hîc adverte. Primum, quamvis blasphemia semper sit gravis ex natura sua, posse aliquando esse venialem ex defectu deliberationis, & advertentiæ, & tunc non erit reservata, quia nullum peccatum veniale reservatur. [o] Secundum, non committere sacrilegium, qui reliquias secum habet in actu venereo, nisi illas habeat ex contemptu, nec si illas det meretrici ex benevolentia, & non in pretium turpitudinis.

o Dian. t.7. de circumst. aggrav. ref.18.

§. 5.

Injectio manus violenta in Clericum.

330 De hoc casu egimus suprà cap. præcedente sect. 1. ubi explicavimus censuram Papæ reservatam, ob hanc manuum violentarum injectionem. Diximusque, quæ personæ veniant nomine Clerici, quid intelligatur per manus violentæ, injectionem, quæ dicatur percussio enormis, levis, & mediocris, quando sit permissum Episcopo absolvere ab hac censura, & quando non.

331 Supposito autem, quod hic casus sit Papæ reservatus ratione censuræ, & quod illa sublata tollatur reservatio, non facilè video, quid in eo sibi Episcopi reservent; nisi dicamus reservare percussionem Clerici, & quidquid intelligitur per manus violentas in Clericum in eo casu, quo percutiens non contraxit censuram, vel ex ignorantia, aut inadvertentia ad illam, in quo casu percussio erit reservata Episcopo, non autem Papæ, saltem in foro interno, quia Papæ solùm reservantur casus ratione censuræ. Aut si dicamus nihil sibi reservare Episcopos, sed declarare non posse confessarios absolvere ab ista censura in casibus, in quibus ipsi possunt.

332 Notandum est autem primò, in quolibet casu, in quo quis non peccavit mortaliter injiciendo manus in Clericum, non habere casum reservatum. Unde illum non habet, qui per jocum, vel casu Clericum percussit, aut qui in justam defensionem vitæ, honoris, pudicitiæ, vel bonorum; cum moderamine inculpatæ tutelæ, Clericum percussit, vel etiam occidit.

333 Notandum secundò, non habere hunc casum, qui peccarunt quidem mortaliter percutiendo, si ignorarunt invincibiliter se Clericum percutere, quia non fecerunt formaliter injuriam Clerico, quem non agnoverunt; neque illos, qui mandarunt, vel alio morali modo concurrerunt ad percussionem Clerici, quia licèt incurrerint excommunicationem Papalem, non fuerunt in re percussores; Episcopi autem solùm reservant sibi realem percussionem.

334 No-

Digitized by Google

334 Notandum tertiò, si Episcopus absolvat à censura incursa ob hanc percussionem in casibus, in quibus potest, tolli reservationem peccati, à quo proinde poterit absolvere quilibet approbatus. Et idem est, si committat, ut ab ea approbatus absolvat. Si autem Papa, vel alius de ejus facultate ab eadem absolvat, consequenter ejus tollitur reservatio, etiam Episcopalis, ut tenet consuetudo, teste p Navarro.

p Nav. ca. 27. n. 255.

§. 6.
Excommunicatio major à jure, vel ab homine.

335 DE excommunicatione egimus hoc lib. cap. 7. sect. 1. ex quo loco constat, quid sit excommunicatio major, & minor; à jure, & ab homine. Quando ergo Episcopus reservat sibi excommunicationem majorem, non intelligit de reservatis Papæ, de quibus egimus cap. 8. & 9. Neque de illis, quæ imponuntur ab homine per sententiam specialem contra aliquam personam determinatam. Quoniam quæ sunt Papæ reservatæ, solùm possunt ab ipso absolvi, vel ab eo, qui ab ipso habuerit potestatem. Quæ verò sunt specialiter ab homine, absolvi debent à Judice imponente, vel ab ejus successore, aut superiore, & idem est de impositis ab homine per sententiam generalem, si imponenti reserventur. Intelligit igitur de illis, quæ nemini ab ipso jure reservantur, à quibus aliàs quilibet approbatus poterat absolvere, seclusa reservatione Episcopali; & de illis quæ sunt ab homine per sententiam generalem, in quibus nulla persona particularis exprimitur, & non reservantur imponenti.

§. 7.
Commutatio votorum.

336 DE voto egimus lib. 8. cap. 4. sect. 5. ubi §. 3. actum est de relaxatione voti per irritationem, dictumque dispensationem, & commutationem, quando fuerit in rem evidenter meliorem, posse fieri propria authoritate voventis; quando autem fuerit in rem æquivalentem, vel minus bonam, requirere authoritatem Prælati, licèt non sit improbabile posse voventem per se ipsum in rem æquivalentem commutare, ut docet Tolet. lib. 4. cap. 18. & inclinat cum aliis Saà verbo voti irritatio num. 10. q Probabilius tamen est necessariam esse authoritatem Prælati, ubi res non est evidenter melior. Commutatio igitur voti, quæ non fit in rem evidenter meliorem, reservatur Episcopo, nec Parochus, aut alius Confessarius potest commutare sine authoritate Prælati, aut sine privilegio, & erit commutatio nulla defectu potestatis. Possunt tamen virtute Jubilæi, aut Cruciatæ commutare vota, quæ ibi excepta non fuerint, etiam in rem æquivalentem parùm, minusve, attentis circumstantiis. Notandum verò hìc non reservari aliquod peccatum, nec tolli aliquam potestatem à Parocho, aut Confessario, sed declarari non posse illos commutare vota ex vi potestatis, quam habent ad absolvendum à peccatis. Unde absolvere possunt ab omnibus peccatis commissis contra omnia vota, etiam Papæ reservata, si talia peccata aliàs reservata non fuerint; non tamen votum aliquod commutare.

q Soar. l. 6. de voto c. 12 n 6. Sanch. l. 4. c. 50. n. 4.

§. 8.
Homicidium voluntarium.

DE homicidio egimus lib. 8. cap. 8. Quando reservatur homicidium voluntarium, intelligitur de illo, quod fuit peccatum mortale. Unde Judices, & ministri Justitiæ, qui juxta leges damnant ad mortem, eamque exequuntur, non habent casum reservatum, quia non peccarunt mortaliter. Et quamvis ex odio, vindicta, aut alia prava affectione justam mortis sententiam proferant, & exequantur, mortaliter peccent, illorum peccatum erit odii, vindictæ, &c. non autem homicidii, quod solùm in hoc casu reservatur. Neque habent casum reservatum, qui aliquem occidunt in defensionem vitæ, honoris, pudicitiæ, aut bonorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ; quia etiam non peccant, ut citato loco diximus. Neque qui occidunt in bello justo, propter eamdem rationem. Maximè verò, si bellum esset 337

Digitized by Google

set injustum, & ut tale cognitum: sed quia milites non tenentur examinare causas belli à suo Principe illati, si eis non constet de injustitia, possunt & debent justum reputare: ut diximus lib. 8. cap. 3. sect. 6. & quamvis in eo occidant, non habent casum reservatum. Unde constitutiones Episcoporum regulariter reservant homicidium commissum extra bellum, ut videbimus sect. sequenti, cùm de singulis Diœcesibus actum fuerit, licèt aliquæ addant *extra bellum justum*.

338 Reservatur autem non solùm homicidium voluntarium, quod tale est directè, quando quis sciens, & volens occidit ferro, aut sclopeto, &c. sed etiam quando est voluntarium indirectè, ut quando quis nollens occidere, fecit voluntariè actionem, ex qua communiter mors sequitur. Unde qui propinavit venenum, quod occidere solet, vel inflixit vulnus de se lethale, quamvis non habuerit intentionem occidendi, si mors sequitur, habet casum reservatum, quia posuit voluntariè actionem, ex qua regulariter mors sequi solet, quod homicidium à DD. [r] voluntarium appellatur. Aliter esset, si vulnus de se lethale non fuit, & ex aliquo accidente mors supervenit; quia iste non dicitur homicida voluntarius. Qui lethaliter vulneravit etiam cum animo occidendi; si ante mortem secutam, suam culpam plenè confiteatur, potest absolvi à quolibet approbato, quia adhuc casus non est reservatus. Nec, morte sequuta, tenebitur iterum confiteri, quia de novo non peccavit, & mors fuit effectus peccati, non autem novum peccatum.

r Bonac. d. 2. de contract. q. u't. sect. 1. p. n. 1.

339 Nota verò, quamvis leges civiles permittant marito occidere adulterum, & adulteram, & patri, ac fratri repertum cum filia, aut sorore; prædictos homicidas casum habere reservatum; quia sunt verè homicidæ voluntarii, & leges civiles non justificant actionem, sed eam impunitam relinquunt. Idem dicendum de eo, qui occiderit proximum de ejus licentia, ut accidit Amalecitæ [s] occidenti Saulem; quia nemo est dominus vitæ suæ, qui eam licentiam possit concedere. Qui mulieri prægnanti, post animatum fœtum, præbet medicinam ordinatam ad abortum, & fœtus occisionem, secuto effectu, habet casum reservatum; quia verè est homicida voluntarius, sicut & mulier ipsa, quæ talem medicinam accepit. Si verò fœtus animatus non erat, non habebit hunc casum, licèt possit habere alium, de quo postea. Neque etiam habebit casum reservatum, estò fœtus animatus fuerit, si non sit spes, quòd vivere possit; est tamen, quòd mater vivat, si ei applicetur medicina æqualiter ordinata ad sanitatem matris, & mortem [t] fœtus.

s 2. Reg. 1.

t Sanc. lib. de mat. d. 20.

340 Homicidium casuale, de quo egimus ubi suprà sect. 2. non est casus reservatus, estò aliquid culpæ admixtum habeat, & voluntarii in causa, quia nempe voluisti causam, verbi causa, ebrietatem, ex qua homicidium secutum fuit, non præmissa debita diligentia, ut evitaretur, & idem est de illis, qui tecta componunt, indeque tegulas projiciunt, non dato signo, ut transeuntes sibi caveant; & de eis qui vulnera inflixerunt non lethalia de se, ex quibus mors ob incuriam chirurgi, vel ex alio casu sequuta fuit. Ratio est, quia estò hìc peccatum fuerit ex negligentia mortaliter culpabili, vel ex injusta vulneratione, non fuit homicidium simpliciter voluntarium, quod solùm reservatur. Sed quid de his, qui concurrunt ad homicidium moraliter præcipiendo, consulendo, &c. qui non minus graviter peccant? Respondeo reservationem non extendi ad istos, nisi exprimantur; quia reservatio, cùm sit odiosa, strictè est interpretanda; sicut quando ponitur censura facienti aliquod delictum, hæc non extenditur ad mandantes, [u] consulentes, & similes moraliter concurrentes, ex eodem fundamento, nisi exprimantur.

u Avila 2. p. c. 2. d. 3. dub. 2.

§. 9.

Voluntaria membri mutilatio.

341 Mutilare membrum est illud abscindere. Nomine autem membri venit ea pars corporis, quæ habet distinctum officium, verbi causa, pes, manus, oculus, &c. De digito dubitatur, an sit membrum, cujus abscissio reservetur in hoc casu? Et quidem si tot digiti abscindantur, ut manus reddatur inutilis ad munus suum, affirmandum credo. Si verò sermo sit de uno,

Digitized by Google

vel altero digito, sine quo adhuc manus prosit, quamvis minus benè, credo non reservari; quia verba reservationis strictè accipienda sunt, & digitus magis est articulus membri, quàm membrum. Qui verò membrum debilitavit, sed non abscidit, casum reservatum non habet, quia non mutilavit. Adverte autem mutilationem membri, quæ reservatur, debere esse voluntariam. Unde in omnibus casibus, in quibus §. præcedenti quis à reservatione excusatur ob homicidium, excusatur à fortiori ob mutilationem membri, quæ non fuerit voluntaria, sed casualis, & per accidens.

§. 10.
Procuratio abortus.

342 ABortus fœtus jam animati ad homicidium pertinet, & reservatur in casu 8. ut ibi diximus. Quare quando constitutiones reservantes homicidium voluntarium, reservant procurationem abortus, intelliguntur de quocumque abortu, ante fœtus animationem. Est ergo abortus ejectio fœtus immaturi sive formati, sive informis; sive animati, sive inanimati. Procurare verò abortum, est studiosè, seu de proposito hoc agere, sive per se, sive per alium, ut fœtus ex utero præmaturè ejiciatur: quod variis modis contingere potest, nempe potionibus, herbis, percutionibus, & similibus. Casum igitur reservatum habent, qui, secuto effectu, prædicta remedia porrexerunt, vel sumpserunt, seu applicarunt, ut fœtus immaturè ejiceretur, estò supervixerit, & baptizatus fuerit, si modò immaturè ejectus fuit; quia hoc fuit propriè procurare abortum; & valdè per accidens contigit, quòd fœtus viveret. Et idem est de omnibus concurrentibus ad abortum, quia omnes illum procurarunt. Non intelligo autem de moraliter concurrentibus per consilium, & suasionem, quia procuratio dicit concursum physicum, & non solùm moralem. Non dabitur verò hæc reservatio, quoties abortus procuratio stare potest sine peccato, ut quando mulier est in vitæ periculo, & non datur aliud remedium, ut vivat, nisi pharmacum ex sua natura curativum talis infirmitatis, quamvis inde sequatur abortus. Vel etiam quando nulla est spes, quòd fœtus etiam animatus vivere possit, est tamen spes, quòd mater vivat, si ei applicetur remedium æquè ordinatum ad vitam matris, & mortem fœtus, ut cum multis * Sanch. * Lib. 9. de mat. d. 20.

§. 11.
Oppressio prolis.

343 OPpressio prolis est species homicidii contingens, cùm quis casu parvulum suffocat; nam si voluntariè id faciat, erit homicidium, non oppressio, ut sumitur ex cap. De infantibus, De his, qui filios occiderunt. Opprimere autem prolem casualiter, adhibita morali diligentia, ne opprimatur, non est peccatum, quia non est oppressio voluntaria neque in se, neque in causa, sive detur opera rei licitæ, sive illicitæ. Si autem diligentia adhibita non sit, & sequatur oppressio, erit peccatum, juxta gradum negligentiæ, & periculi oppressionis secutæ, quæ si pertingat ad culpam mortalem; erit reservata Episcopo, ubi hæc reservatio posita fuerit. Quare collocare secum infantem in lecto ad condormiendum, nisi adhibeatur debita diligentia, ne opprimatur, peccatum erit, & reservatum, si oppressio sequatur ex negligentia mortaliter culpabili, quod rarò puto contingere, quia mulier sive mater, sive nutrix regulariter sibi prudenter persuadet oppressionem probabiliter sequi non posse, eò quòd lectus sit capax, & quia infantem longè à se sufficienter collocavit.

§. 12.
Incendium ex intentione nocendi.

344 ID est incendium scienter factum, ac de proposito ex intentione dandi damnum, quod perveniat ad culpam mortalem. Unde non habet casum reservatum, qui casù, & absque intentione nocendi incendium fecit, quamvis fortè peccaverit ex negligentia culpabili; quia non fecit ex intentione nocendi. Neque ille, qui ignem applicuit locis incultis, ut pascua gregibus nascerentur, quamvis inde damnum aliquod secutum fuerit; quia non fecit ex intentione nocendi, sed nocumentum per accidens secutum est. Neque ille, qui segetes, vel quid simile incendit hostibus,

Digitized by Google

bus, cum quibus est bellum, si id faciat authoritate potentis bellum inducere, ut ait Silv. quomodo loquendi significare videtur aliter dicendum, si absque illa incendium exequatur.

§. 13.

Habere bona aliena, quorum dominus ignoratur.

345 QUamvis bona, quorum dominus ignoratur, & dicuntur bona incerta, quia incertus, seu incognitus est dominus eorum, sint in multiplici differentia; quoniam, vel sunt inventa, vel malè acquisita per usuras à diversis, qui postea nesciuntur, vel per alios contractus illicitos, aut per furta à personis ignotis, vel per pondera, & mensuras fallas, seu falcatas, ac diminutas, &c. advertit tamen Emmanuel Laurentius Soares in opusculo de casibus reservatis in diœcesi Ulyssiponensi, ex consuetudine solùm reservari retentionem bonorum, quæ inveniuntur deperdita, quorum domini ignorantur. Quæ quidem bona inventa, si facta diligentia, dominus non compareat, ex communi Doctorum sententia fundata in jure Canonico restituenda sunt pauperibus, sicut & alia bona incerta, juxta ea, quæ diximus in hoc lib. 10. cap. 4. sect. 2. n. 257. per pauperes verò loca etiam pia intelliguntur, ut notant communiter Doctores; & si ipse inventor verè pauper sit, potest ea, vel partem sibi applicare titulo paupertatis. Et si ea sibi vel alteri pauperi applicavit, non habet casum reservatum, quia jam restituit; nec domino postea fortè comparenti aliquid restituere tenetur, quia jam bona illa justè ad alium dominum transierunt. Hæc est communissima Doctorum sententia.

346 Nihilominus in omnibus Diœcesibus hujus regni, & in multis aliis extra illud, ut supponunt passim Doctores, hæc restitutio pauperibus facienda jubetur fieri authoritate Ordinariorum, modo in singulis Diœcesibus exprimendo sect. sequenti: & reservatur prædictis Ordinariis, hoc est, Episcopis prædictorum bonorum retentio, quæ certam summam ibidem explicandam excesserit: & si res assignatam summam non excesserit, adhuc jubent, ut authoritate Prælatorum distribuatur; dicunt enim constitutiones: *Si non pervenerit ad valorem assignatum, posse pœnitentem absolvi, dummodo tradat rem, vel ejus valorem personæ ad id deputatæ in diœcesi.* Probat autem hanc consuetudinem Hostiensis in cap. cùm tu, de usuris, & in cap. cùm sit, de Judæis, & alii, qui probant suam sententiam ex allegatis capitulis, potestque addi hæc ratio, quia talia bona sunt pro anima veri domini fideliter eroganda, & consequenter sunt divino cultui mancipata; ergo à solo Prælato divini cultus sunt dispensanda. Favet autem maximè huic sententiæ communis usus Episcoporum, qui ita utuntur. Sed Silv. [a] & Nav. multos alios Doctores referentes, quos sequitur Mol. disp. 747. num. 3. Vasques de restitutione cap. 5. §. 4. dubio 1. §. sed num, Petrus Navarra lib. 4. de restitutione cap. 1. num. 40. & 72. Rebellus 1. p. lib. 2. q. 12. sect. 3. num. 23. Et plures apud ipsos, docent non esse necessariam authoritatem Episcopi, ut bona prædicta pauperibus restituantur, nec Episcopos posse se intromittere in his bonis inventis dispensandis, invitis debitoribus, sed ipsosmet debitores posse authoritate propria prædicta pauperibus, quibus debentur, restituere modo suprà dicto §. antecedente, Episcopo neutiquam requisito, nisi ex consilio, non verò ex necessitate. Quod inde probant, quia quilibet obligatus licitè potest se exonerare, Instit. quibus modis tollitur obligatio, maximè ubi exoneratio nullo modo prohibita invenitur: sed in hac materia nulla in toto jure Canonico invenitur facta prohibitio, nisi fortè in quatuor casibus, quos referunt Doctores citati. Primus est, quando mortuo debitore, nullus relictus est hæres, vel executor ad restituendum, vel hæres, aut executor, qui relictus est, non implet, quod debet. Secundus, quando debitor restituere non vult, & in judicio agitur contra eum. Tertius, quando debitor restituens malè dispensaret, ut si distribueret bona illa amicis, qui non indigerent, in quo casu se potest Episcopus intromittere, ut iterum dispenset, quia non dicitur factum, quod aliter est factum, quàm debuit, ut jus proclamat reg. Qui ex timore, de Regul. juris. Quod intellige, si malè dispenset dolo, vel lata culpa, quia secundùm Inno-

Digitized by Google

nocentium in caput Sicut dignum, de homicidio, alia culpa in foro pœnit. non arctat ad restitut. Quartus, quando bona incerta sunt manifestorum usurariorum: quia tunc ad Episcopum pertinet dispensatio, cap. Quamquam, de usuris in 6. Extra hos ergo casus dicunt prædicti Doctores non posse Episcopos reservare sibi restitutionem incertorum, maximè eorum, quæ inveniuntur, talemque reservationem esse contra jus naturæ, & irrationabilem, quia impediret, seu difficilem redderet obligationem, quam homines habent exonerandi conscientias suas per restitutionem suorum debitorum, quod suadetur ex cap. cùm tu, de usuris, & cap. sicut dignum, de homicidio, §. eos juncta glos. & alia jura, quæ dicunt obligatum debere restituere, nulla facta mentione de authoritate Episcopi; vel si faciunt, dicunt solùm, quòd Episcopus debet procurare, ut sic fiat, non autem quòd ejus authoritas sit necessaria, ut patet ex cap. Religiosus, de testam. in 6. ubi hoc potest liberè executor testamentarius: ergo poterit principalis.

347 Hæc doctrina, ut patet, non procedit de reservatione peccati, quod committitur in retentione rerum inventarum; nemo enim negat posse Episcopos sibi reservare tale peccatum, ut præter alios, notavit Navarra, & Molina citati; sed procedit de reservatione dispensationis, seu restitutionis, quam Episcopi jubent ipsorum authoritate fieri. Quare certum est posse Episcopos sibi reservare absolutionem peccati mortalis, quod inventores eorum committunt sibi usurpando prædicta bona, vel differendo eorum restitutionem, maximè quando excedunt summam, quam constitutiones præscribunt. Quod verò attinet ad secundum punctum de restitutione facienda authoritate ipsorum Episcoporum, licèt Doctores dicant, quæ ex ipsis retulimus num. præcedente; ego reprobare non audeo omnes Episcopos hujus regni, nec alios extra illud, qui communiter idem videntur decernere in suis constitutionibus, ut prædicta bona eorum authoritate distribuantur. Moveor, quia decreta Episcoporum non sunt temerè carpenda, & increpanda sine manifesta ratione: sed hæc hìc non occurrit; licèt enim de jure naturæ sit, quòd bona incerta restituantur, & jus Canonicum fundatum in præsumpta voluntate dominorum decernat hanc restitutionem faciendam esse pauperibus; neutrum tamen decernit, qua authoritate facienda sit, nec prohibet fieri per Episcopos; ergo quòd ipsi se in hoc intromittant, nec est contra jus naturæ, neque contra positivum, sed valde rationabile, ut tamquam pauperum patres res convenientiùs dispensent. Accedit, quia communi consuetudine introductum est, ut hæc bona pauperibus erogentur authoritate Episcoporum; sed communis consuetudo, quando non est contra bonos mores, habet vim legis; ergo ita servandum est, ut benè Bonacina. Quapropter ego dicerem, si inventores rerum alienarum, qui post factam debitam diligentiam dominos non invenerunt, illas, vel illarum valorem pauperibus distribuerunt, antequam irent ad confessionem, licitè, & validè illas applicasse, quia regulariter istæ constitutiones Episcoporum ignorantur à personis vulgaribus: postquam verò confessarius exposuit dispositionem prædictarum constitutionum, teneri illas sequi, & restituere juxta illarum tenorem.

d. 1. de Restit. q. 3. p. 4. n. 4.

348 Ut autem retentio talium bonorum casus reservatus censeatur, requiritur primò, ut res inventa excedat valorem assignatum in constitut. Secundò, ut inventor mortaliter peccaverit in retinendo; quia non reservatur, quod mortale non fuit. Tertiò, quòd quando accedit ad confessionem, non dum restituerit, quoniam si jam restituit vel totum, vel partem, ita ut jam non retineat quantitatem reservatam, non habeat istum casum. Quapropter si inventor non peccavit mortaliter, quia semper habuit animum restituendi proprio domino, & illo non comparente, pauperibus, nec fuit in mora culpabili, non habet casum reservatum, & potest absolvi à quolibet approbato; dummodo restituat. Et idem est de eo, qui ante confessionem restituit, quamvis alioqui mortaliter peccaverit retinendo, vel consumendo, ut docent communiter Doctores, Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 14. nu. 5. Mol. d. 747. nu. 4. Rebellus 1. p. lib. 2. q. 12. sect. 3. num. 25. Bonacina de Resti-

Digitized by Google

Restitutione disp. 1. q. 3. p. 4. num. 2. quoniam, inquit Molina, approbantque alii, reservatio solùm erat, ut pœnitens adduceretur ad solvendum debitum: ergo si jam solvit restituendo pauperibus, casum reservatum non habet. Si autem non restituit potens restituere, aut si pro tunc non potest, licèt habeat propositum restituendi, cùm potuerit, non potest absolvi sine authoritate Prælati, aut sine privilegio Bullæ, vel simili; quia peccavit mortaliter retinendo, vel consumendo rem alienam; nisi consumpsisset in extrema, aut gravissima necessitate, quia tunc non peccavit.

349 Duo adhuc notabis. Primùm est, inventorem thesauri, qui verè thesaurus sit, non habere hunc casum reservatum. Ratio verò est, quia thesaurus, vel ad ipsum inventorem pertinet ex jure naturali, & gentium, vel ex civili variè dividendus est, ut diximus in hoc lib. 10. cap. 2. sect. 2. n. 109. Unde thesaurus dici non potest bonum, cujus dominus ignoretur, quando per leges habet dominum, cui debeatur. Quid autem sit thesaurus diximus loco citato. Secundum est, illum, qui invenit animalia mansueta, quorum domini ignorantur, nec, facta sufficienti diligentia, comparent, non habere hunc casum reservatum; quia talia animalia pertinent ad Regem, & tradenda sunt publicano, qui dicitur *Rendeiro do vento, vel do invento* ex nostris Ordinat. ergo cùm per leges habeant dominum, cui debeantur, non comprehenduntur sub hoc casu; ut benè in utroque casu suprà citatus Emmanuel Laurentius Soares. Lib. 3. tit. 76.

§. 14.

Decima non soluta Ecclesiis.

350 DE decimis egimus lib. 8. cap. 14. sect. 6. Non reservatur ubique retentio decimarum in eadem quantitate; unde in qualibet diœcesi sect. sequenti id explicabitur. Ut autem hæc decimarum retentio sit casus reservatus, tria requiruntur. Primum est, ut quantitas excedat summam præscriptam in constitutionibus. Secundum est, ut debitor peccaverit mortaliter in retinendo. Tertium est, ut quando decimarum retentor confitetur, nondum restituerit, vel aliquo modo non satisfecerit ei, cui decima debetur. Deficiente qualibet ex iis conditionibus, non habet debitor peccatum reservatum. Ita de tertio requisito, seu de tertia conditione, de qua sola dubium esse poterat, constitutiones Ulyssiponenses lib. 1. tit. 10. decreto 7. §. 4. Conimbric. titulo 4. constit. 4. Egitanenses lib. 1. titulo 8. cap. 14. Portalegrenses lib. 1. titulo 6. cap. 19. & licèt non omnes id explicent, ita intelligendæ sunt ex usu, & consuetudine, quæ est optima legum interpres, ut docet Emmanuel Laurentius Soar. in casibus reservatis Ecclesiæ Ulyssiponensis ad casum 6. & in simili docet Henriques, Molina, Rebelus, Bonacina, & alii, quos suprà retulimus n. 348. quia hæc reservatio solùm fit, ut pœnitentes adducantur ad solvendas decimas debitas; ergo si solverunt, vel aliquo modo satisfecerunt, aut se compoluerunt cum illis, quibus solvendæ sunt, casum reservatum non habent.

Quapropter qui non peccavit mortaliter ex aliqua causa excusante, non habet casum reservatum, & potest absolvi à quolibet approbato, si habeat propositum restituendi, data possibilitate. Secundò, qui peccavit mortaliter non solvendo decimas debitas, si quando accedit ad confessionem, jam satisfecit, vel se composuit cum parte, cui debentur, non habet hunc casum reservatum, & potest absolvi à quolibet confessore approbato, quia per satisfactionem, vel compositionem cessavit reservatio. Tertiò, qui mortaliter peccavit in retinendo decimam, necdum satisfecit, mittendus est à confessario, ut satisfaciat, vel se componat cum eo, ad quem pertinet eam accipere, declarando se esse illius debitorem in tali quota decimarum, ut eam possit condicto tempore colligere; & si hoc fecerit potest absolvi, quia jam per hæc cessavit reservatio, quæ absolutionem impediebat. Quartò, qui peccavit mortaliter in retinendo aliquid ex decimis, quod summam assignatam excedat, & pro tunc satisfacere non potest, nec audet se componere cum creditore, suum debitum declarando, quia timet executionem per censuras Ecclesiæ; si debitum excedat valorem constitutionum, non potest absolvi sine authoritate Prælati, vel

vel sine privilegio; benè tamen si non excedat, quia non habet peccatum reservatum, & alioqui non habet pro tunc potentiam faciendi, quod constitutiones decernunt. Quintò, hunc casum non effugit ille, qui ex fructibus quibuscumque, quos colligit, sibi usurpat vel semen, quod terræ mandavit, vel expensas, quas fecit in arando, seminando, metendo, &c. Vel in animalibus pascendis, nutriendis, & educandis; quia decimæ debentur ex fructibus, vel animalibus, nullis detractis expensis, nec extracto semine, quod quidem mortuum fuit, & quidquid colligitur fructus est, ex quo decima debetur pars, ut diximus agendo, de decimis loco suprà citato. Et potest videri Soar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 1. cap. 35. Bonac. de legibus disp. ultima p. 3. n. 17.

Notandum est autem primò, habere casum reservatum illum, qui retinet quantitatem assignatam, sive eam simul, & per modum unius retinuerit, sive per minuta, sive tota debeatur eidem Ecclesiæ, sive diversis: quia constitutiones indefinitè loquuntur de habente apud se prædictam summam. Secundò. Ille, qui non pertingit ad quantitatem assignatam, non habet casum reservatum, & potest absolvi, si habeat propositum solvendi quamprimùm. Quamvis enim constitutiones statuant, ut priùs satisfaciat, quàm absolvatur, non tollunt potestatem absolvendi, quia non est casus reservatus; reservatus autem esset, si tolleretur à Parocho, vel approbato potestas absolvendi. Unde si talis pœnitens, qui peccatum reservatum non commisit, habeat justam causam differendi solutionem, juxta regulas suprà datas cap. 4. sect. 5. potest, & debet absolvi habens propositum solvendi, cùm primùm commodè possit. Si verò non habeat justam causam differendi, observet confessarius constitutiones: quamvis si absolvat habentem propositum solvendi quamprimùm, validè absolvat, quia casus reservatus non est, in quem jurisdictionem non habeat: & constitutiones ita loquentes solùm indicant, quid confessarius ex officio facere tenetur, ut Ecclesia suas decimas habeat.

§. 15.

Juramentum falsum in judicio.

351 De juramento egimus lib. 8. cap. 5. Ubi sect. 3. diximus quid sit juramentum assertorium verum, & quid falsum. Quia verò in hoc casu solùm reservatur juramentum falsum in judicio; notandum est judicium esse illud, in quo quis legitimè interrogatur, hoc est, à judice competente, ordineque juris servato. Per judicem autem intelligo etiam illum, cujus est testes examinare. Qui ergo in tali judicio falsò jurat, negando veritatem, quam novit, aut illam celando, vel jurando rem dubiam pro certa, aut certam pro dubia, habet casum reservatum; quia juramentum assertorium, etiam in re minima, semper est peccatum mortale, ut loco citato dictum est. Idem dic de eo, qui in judicio utitur amphibologia, non interveniente causa justa excusante, quia tenetur se conformare cum intentione judicis interrogantis, & ni faciat, peccat mortaliter, habetque casum istum reservatum. Vide quæ diximus ea sect. 3. n. 287. circa hoc juramentum, quod in judicio præstatur.

352 Non habet autem casum reservatum, qui falsò juravit in judicio incompetenti, vel quia judex competens non erat, vel quia non servavit ordinem juris; quia perinde est, ac si juraverit extra judicium. Neque ille, qui bona fide juravit falsum, credens fuisse verum, si fecit diligentiam, quam negotium postulabat, ut verum juraret, quia solùm juravit falsum materialiter, & sine peccato. Nec ille, qui juravit amphibologicè, quando in judicio licitum est uti amphibologia, quia juravit verum conformando se cum sua intentione. Quando autem in judicio liceat uti amphibologia, vide loco citato, nu. 288.

§. 16.

Facere scripturam falsam, falsificare factam, uti illa.

353 Circa hunc casum advertendum est, si constitutiones utrumque conjungant per conjunctionem *Et*, non reservare unum sine altero; hoc est, non reservare falsitatem, vel falsificationem

nem sine usu illius, sed quando quis utrumque commisit. Si autem loquantur disjunctivè per disjunctionem *vel*, aut simili, utrumque per se satis erit, habebitque casum reservatum & qui falsificavit, & qui usus est falsitate. Intellige, si interveniat culpa mortalis; quia aliquando ex parvitate materiæ, & damni dati poterit esse venialis, sed raro: quia rarissimè fiunt istæ scripturarum falsitates, & falsificationes, aut usus earum in materia parva, & ad damnum leve. Nota verò non solùm dici facere scripturam falsam, vel illam falsificare, qui eam scripsit, sed maximè illum, ad cujus preces falsitas facta est, & cujus intererat falsitas facienda, quia ipse fuit tota causa falsitatis, quam defectu potentiæ, seu scientiæ non fecit, & ideo ab alio fieri voluit, ut meliùs occultaretur, & liberiùs damnum inferret. Unde licèt in aliis casibus per facientes non intelligantur, qui moraliter cooperantur, in hoc casu illum præcipuè intelligi existimo, propter rationem insinuatam, ad cujus petitionem, & in cujus obsequium falsitas facta est.

§. 17.

Matrimonia clandestina.

354 DE matrimonio egimus lib. 9. cap. 8. Hoc autem duobus modis potest esse clandestinum. Primò, quando celebratur sine Parocho, vel alio sacerdote de ejus licentia, & sine testibus, & tunc est nullum post Concilium Trident. Secundò, quando coram Parocho, & testibus, non tamen præmissis consuetis denuntiationibus, & hoc sine dispensatione Prælati, & absque ejus authoritate, & est matrimonium validum, si nullum obstat impedimentum dirimens, cujus dispensatio obtenta non sit.

355 Certum igitur est primò ante Trident. habuisse hunc casum reservatum, qui contrahebant clandestinè sine Parocho, & testibus; quia tale matrimonium valebat, eratque verè clandestinum. Idem nunc post Trident. dicendum credunt aliqui; quia licèt tale matrimonium sit hodie irritum, & nullum, constitutiones episcopales reservant hoc peccatum, quod quidem mortale est contra leges Ecclesiæ in re gravissima. Ego verò oppositum probabilius existimo; quia constitutiones reservant matrimonia clandestina, quæ matrimonia sint: quod autem celebraretur sine Parocho, aut alio sacerdote de ejus licentia, & sine duobus saltem testibus, matrimonium non esset: ergo non reservatur. Quod confirmo ex doctrina P. Sanch. docente talia matrimonia hodie non subjici pœnis matrimonii clandestini; quia quod nullum est, nullum producit effectum. Quamvis autem reservatio propriè non sit pœna, ad illam tamen accedit: cùm autem hoc matrimonium nullum sit, nec istum debet habere effectum. Lib. 5. de mat. d. 2. n. 5.

356 Certum est secundò reservari matrimonium contractum coram Parocho, & testibus, non præmissis denuntiationibus, nisi hæ prætermissæ sint de licentia Prælati, vel cum illa obtenta per causas falsas; quia hoc est hodie matrimonium clandestinum. Si tamen unica tantùm denuntiatio omitteretur absque Prælati licentia, ex aliquo accidenti, non esset peccatum reservatum, quia solùm esset veniale, ut docet Sanch. veniale autem non reservatur. Notandum autem, si præmissis denuntiationibus, & non apparente impedimento, matrimonium contrahatur coram Parocho, & testibus, dum Missam celebrat, licèt non ad id rogatis, non esse casum reservatum, quia servatur lex Tridentini, nec dici potest matrimonium clandestinum, licèt defuerit licentia Prælati. Et idem est, si domi contrahatur coram Parocho, & testibus, ac præmissis denuntiationibus, ac sine impedimento, estò ad id licentia concessa non fuerit, quia tale matrimonium non fuit clandestinum, sed in facie Ecclesiæ, idest, coram Parocho, & testibus, quod intelligitur per faciem Ecclesiæ, ut docet cum aliis P. Sanch. Lib. 5. de mat. d. 5. n. 5. Lib. 5. de mat. d. 6. à n. 4.

§. 18.

Copula inter sponsos, vel conjuges ante benedictiones.

AD reservationem hujus casus quoad primam ejus partem requiritur, quòd præcesserint vera sponsalia de futuro, sive jurata, sive non jurata, dummodo vera fuerint sponsalia, & quòd copula fuerit consummata, quæ etiam requiritur in secunda parte, 357

Digitized by Google

te, nimirum inter eos, qui de licentia matrimonium contraxerunt, quin simul benedictiones acciperent. Ego tamen non video, quid in hac secunda parte reservetur; quia est communis sententia Doctorum non esse peccatum mortale consummare matrimonium ante benedictiones, imò nec veniale, ut docet Sanch. [a] Unde solùm esset peccatum mortale, si id fieret ex contemptu, quod rarò evenire solet, & tunc posset reservari. Verùm cùm constitutiones absolutè loquantur de copula habita ante benedictiones, non procedunt de illa, quæ haberetur ex contemptu, sed videntur supponere quamlibet copulam ante benedictiones esse culpam mortalem, ut aliqui existimarunt. Hodie tamen audio Episcopum Conimbricensem D. Joannem Emmanuelem Conimbricæ, ubi hoc reservabatur, reservationem abstulisse, seu declarasse illam non subsistere.

a Lib. 3. de m at. d. 11.

§. 19.

Promoveri ad sacros ordines ante legitimam ætatem.

358 QUæ sit ætas legitima ad sacros ordines dictum est lib. 9. c. 7. sect. 3. Qui ergo scienter ante legitimam ætatem promotus est, absque dispensatione, habet casum reservatum, non tamen qui credebat se illam habuisse; quia ignorantia probabilis illum excusat à peccato, quod solùm reservatur. Aliter dicendum de habente ignorantiam crassam, quia hæc à peccato non excusat; & de eo, qui dubitavit de ætate, & diligentiam non fecit, ut eam certò sciret.

Tol. l. 1. c. 61. n. 4.

§. 20.

Ordinari sine patrimonio, pensione, vel beneficio.

359 COnstitutiones, quæ hunc casum reservant, non eodem modo loquuntur. Nam aliæ utuntur verbis positis in titulo. Unde non desunt, qui dicant non habere hunc casum reservatum illos, qui ordinantur cum patrimonio ficto, facto videlicet cum pacto, & obligatione dimittendi illud; quia, inquiunt, non ordinantur sine patrimonio. Quibus videtur favere Toletus, [a] quatenus ait obligationem illam dimittendi patrimonium valere, quod probat ex Concilio Trident. statuente, ne promotus tali patrimonio sine licentia Episcopi valeat renuntiare. Ex quo fit, inquit, ut ille verum titulum habeat. Verùm Concilium loquitur de patrimonio verè obtento à promoto, quod statuit renuntiari non posse sine licentia Episcopi; donec beneficium sufficiens adeptus sit; non verò de illo, quod habetur fictè cum pacto illud remittendi, cùm promotus fuerit. Quapropter ego non video, cur talis ordinatio reservata non sit. Quoniam ordinari cum patrimonio prædicto, vel simili modo ficto, idem est, ac ordinari sine patrimonio, ad illudendas leges Ecclesiæ; quod enim est fictum, re ipsa non est. Quare aliæ constitutiones addunt: *Vel cum patrimonio ficto*. Quod puto fecisse ad majorem declarationem; quod antiquiores non fecerunt, sed moderniores, quamvis eadem fuerit antiquarum intentio.

a Lib. 1. c. 46. n. 7. Sess. 21. c. 2. de ref.

§. 21.

Ordinari per saltum, aut cum licentia falsa, vel furtivè.

TRia hic reservantur. Primum ordinari per saltum, hoc est, assumere ordinem superiorem ante inferiorem, verbi causa, Diaconatum ante Subdiaconatum, vel Sacerdotium ante Diaconatum; quod est peccatum mortale hic reservatum. Secundum ordinari cum dimissoriis falsis, quod est ordinari cum licentia falsa. Tertium furtivè se ingerere ad sacros ordines, quando ab Episcopo celebrantur, quasi esset unus ex legitimè approbatis ad illos suscipiendos. Qui casus clari sunt, nec indigent majori explicatione. 360

§. 22.

Violatio sigilli sacramentalis.

DE sigillo sacramentali egimus lib. 9. cap. 5. sect. 5. §. 2. Ubi diximus nulla unquam ratione licere ejus violationem sive directam, sive indirectam. Si autem aliquando violatur, est casus reservatus in aliquibus diœcesibus. Notandum autem solùm reservari violationem hujus sigilli factam à confessario, quia solus ille per se tenetur servare sigillum, de quo proinde solo intelligendæ sunt constitutiones, 361

nes, non verò de aliis personis, quæ per accidens ad illud servandum teneri possunt; Juxta regulam 45. de regulis juris in 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.*

§. 23.
Solicitatio in confessione.

362 SI constitutiones aliud non exprimant, intelligendæ sunt, de solicitatione facta à solo confessario, non autem de facta à pœnitente, si fortè confessarium solicitavit, vel cum illo solicitante consensit, neque de illo, qui se finxit confessorem, cùm talis non esset, & ibi solicitavit. Quia solus confessarius dicitur absolutè solicitare pœnitentes. Contra quem procedunt varia diplomata Pontificia contra solicitantes, unde aliquæ constitutiones, quæ alias personas comprehendere voluerunt, eas expresserunt, ut sect. sequenti videbimus. Debet autem solicitatio fieri in ipso loco confessionis, sive fit in Ecclesia, sive extra illam, sive persona solicitata sit fœmina, sive masculus; quia utraque est vera solicitatio ad actus turpes, & secunda deterior, quam proinde Pontifices moderniores in suis bullis de solicitantibus comprehendunt.

363 Si solicitatio fiat extra locum confessionis, antequam confessio fiat, vel postquam finita est, non erit reservata, etiam si occasio solicitandi arrepta sit ex auditis in confessione; quia non fuit solicitatio in confessione, nec in confessionario, vel loco confessionis, sub prætextu confessionis. Aliter dicendum, si solicitatio fiat in ipso loco confessionis, ante inceptam, vel post absolutam confessionem, quia talis solicitatio ratione loci reputatur facta in confessione, & sub illius prætextu. Similiter habebit hunc casum reservatum, qui in ipso loco confessionis aliquos actus turpes habuerit cum pœnitente, estò nulla ad illos præcesserit invitatio, quæ solicitatio dicitur; quia verè fuit solicitatio in actu exercito: quem casum etiam habebit pœnitens consentiens. Ubi solicitatio pœnitentis etiam reservata fuerit. Omnia hæc sumuntur ex DD. qui explicant diplomata Pontificum de hac materia, de quibus vide [a] Bonacinam.

[a] Tom. 1. fine d. de enere denunt. p. 3.

§. 24.
Simonia.

DE simonia egimus lib. 8. cap. 4. §. 7. §. 5. Ubi eam divisimus in mentalem, conventionalem, seu confidentialem, & realem. Sunt ergo qui dicant reservari in hoc casu solam realem consummatam per traditionem pretii, & acceptionem beneficii, vel alterius rei spiritualis. Unde docent non habere hunc casum, qui recipit pretium, sed non dedit beneficium; neque qui dedit beneficium, & non recepit pretium, de quo conventum fuerat. Quia constitutiones, inquiunt, si aliud non exprimant, intelligendæ sunt de illa simonia, quæ fit vera venditio, & emptio rei spiritualis per mutuam traditionem pretii, & rei, quia est materia odiosa, quæ restringenda est. Quam doctrinam non reputo improbabilem, probabilius tamen judico loquendum fore in hoc casu, ut loquuntur Doctores de pœnis simoniæ, quæ non minùs restringendæ sunt, quia non minùs odiosæ, quas tamen incurrit, ut citato loco diximus, simoniacus non solùm per simoniam realem ex utraque parte completam, sed etiam per illam, in qua traditum est beneficium, & promissum pretium, licèt nondum sit traditum; vel datum est pretium, & promissum beneficium: cùm in utroque casu vera sit venditio, ac emptio realis, vera enim est venditio rei, cujus pretium accepisti, antequam eam tradas, veraque emptio rei pro qua pretium tradidisti, antequam eam accipias, si pactum præcessit de re vendenda, & emenda. 364

§. 25.
Sepelire excommunicatum in loco sacro.

INtelligitur hic casus de solo excommunicato non tolerato, & vitando; quia toleratus sepeliri potest in loco sacro, ut suppono ex dictis in hoc libro cap. 7. sect. 2. Poterat autem videri solos habere hunc casum, qui propriis manibus sepeliunt excommunicatum vitandum, quia reservatio strictè est interpretanda, ut sæpè dictum est. Credo tamen comprehendi etiam omnes illos, qui sua potentia, authoritate, vel imperio talem excommunicatum 365

Digitized by Google

tum faciunt sepelire in loco sacro. Quia Canones statuentes censuram contra sepelientes prædictum excommunicatum in loco sacro, sub iisdem terminis, extenduntur à Doctoribus [a] ad prædictas personas, quæ in rigore juris sepelire dicuntur, idque probant textibus, & optimis rationibus, de quo vide illos in materia de censuris. Si ergo tales personæ veniunt nomine sepelientis in materia tam odiosa; cur non in reservatione, quæ minùs odiosa reputatur.

[a] Sua.d.12. s.4 n.10. Sayr.l.3.c.35 n.13. Bellan. d.14.n.68.

§. 26.

Qui non sunt confessi annis præteritis.

366 PRocedit casus iste de illis, qui confessi non sunt tempore quadragesimę, quando fideles utriusque sexus obligantur ad annuam confessionem, ut dictum est lib. 8. cap. 14. sect. 4. Ut autem quis habeat hunc casum, opus est, ut saltem duobus annis non sit confessus, quia constitutiones illum reservantes loquuntur de annis in numero plurali, quæ locutio pluralis duos annos saltem postulat; juxta regulam 40. de regulis juris in 6. *Pluralis locutio duorum numero est contenta.* Secundò necessarium est, ut confessio culpabiliter fuerit omissa, quia sine culpa non est peccatum, quod reservari possit. Unde qui fuit in terris infidelium, ubi non habuit copiam confessoris, non habet hunc casum. Tertiò opus est, ut qui omisit confessionem, habuerit eo tempore peccatum mortale non confessum, quia si hoc non habebat, non obligabatur ad annuam confessionem, ut citato loco dictum est: sine violatione autem præcepti confessionis annuæ non incurritur hic casus, quia non est peccatum, quod reservari possit.

§. 27.

Homo uxoratus habens concubinam.

367 UT quis habeat hunc casum, requiritur, ut uxorem legitimam habeat, quia alitèr uxoratus non est: & quod habeat concubinam, cum qua inhonestè conversetur, sive hæc sit maritata, sive soluta. Dubium verò esse potest, utrùm dicenda sit concubina, quæ in propria domo non retinetur? Videtur negare Nav. [a] quatenus eam concubinam dicit, quæ in eadem domo permanet. Oppositum tamen existimo, quia concubina non dicitur à cohabitatione, sed à concubitu. Illa enim, ait Silv. [b] concubina dicitur, quæ habetur per modum uxoris. Et Tolet. [c] Non est aliud concubinatus, quàm fornicatio continuata cum determinata persona, ita ut sit velut cohabitatio quędam, ac si matrimonio conjuncta esset. Ubi illud, velut cohabitatio quædam, non significat propriam cohabitationem in eadem domo, sed commercium carnale ita continuatum, ac si matrimonio conjuncti essent, sive in eadem domo, sive in diversa commorentur. Et in hunc sensum loquitur Concilium Trid. [d] cùm de concubinis loquens, ait: *Uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas*, idest concubinas, *quandoque domi, etiam cum uxoribus alere, & retinere.* Eodem modo loquuntur nostræ Ordinationes, quatenus concubinas appellant tam illas, quæ domi retinentur, quàm quæ foris habentur. Ergo homo qui legitimam habet uxorem, & simul concubinam, sive in eadem domo, sive extra illam, habet hunc casum reservatum, ubi constitutiones illum reservant. Non autem sufficit, quòd homo uxoratus habuerit carnale commercium cum altera muliere semel, aut iterum, sed requiritur, quòd habitualiter cum illa conversetur, ut possit dici concubina, & ille concubinarius. Nota autem in hoc casu non reservari quemcumque concubinatum, sed solùm concubinatum hominis habentis uxorem. Nec etiam reservatur concubinatus fœminæ etiam maritatæ; quia constitutiones de solo concubinatu hominis uxorati loquuntur.

[a] Cap. 16. à n.10.
[b] Verbo concubina.
[c] Lib. 5.c.10.n.8.
[d] Sess.24.c.8.de ref.
Lib. 5. tit. 17.

§. 28.

Habere bona aliena subnegata.

NOta primò hunc casum non esse illum, de quo actum est §. 13. 368
quia ibi reservatur retentio bonorum, quorum dominus ignoratur: hic verò reservatur retentio bonorum, quæ dominis subnegantur, hoc est, retentio illorum bonorum, quorum domini sciuntur, eisque denegantur quasi non debita, vel quia creditores non habent, unde ea probent, vel quia debitores

vo-

Digitized by Google

volunt infringere probationes, vel quia fingunt se jam solvisse, quod debebant. Unde non videtur habere hunc casum, qui non solvit debitum, cujus fortè dominus obliviscitur, quia iste non subnegat debitum, nec dicit se non debere. Nota secundò, ut habeatur hic casus, debere bonum alienum, seu debitum subnegatum excedere valorem 300. regalium æreorum, seu *Tres tostoens*. Quia hæc summa assignatur à constitutionibus. Unde si debitum, quod subnegatur, hanc summam aliquo modo non excedat, non erit casus reservatus.

§. 29.
Qui recipit, vel dat pretium pro confessione.

369 UBi hic casus reservatur; illum habet, qui dat, vel recipit pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile pro confessione sacramentali, quasi pretium laboris, quem suscipit confessarius. Unde illum habet & confessor, qui accipit, & pœnitens, qui dat. Requiritur quòd detur præcisè pro confessione, seu labore in ea suscepto. Unde si pœnitens sponte det, vel ex liberalitate offerat, vel porrigat in eleemosynam; & confessor ex his titulis recipiat, neuter habebit casum reservatum: quia nec datur, nec recipitur præcisè ob confessionem; neque enim confessarius petiit in pretium sui laboris, nec pœnitens dedit in compensationem illius, estò aliàs non foret daturus. Nota verò, ut hic casus habeatur, opus esse, ut pecunia, vel res æquivalens detur in loco, in quo fit confessio, sive hæc fiat in Ecclesia, sive extra illam. Id enim significant verba constitutionis reservantis, ut constat ex ipsa.

§. 30.
Celebratio Missæ illius, qui ordinatus fuit cum dimissoriis falsis.

370 IN aliquibus diœcesibus reservatur Episcopo ordinatio cum dimissoriis falsis, de quo casu egimus §. 21. In aliis verò non reservatur hæc ordinatio, licèt fuerit graviter peccaminosa; sed reservatur celebratio Missæ facta ab eo, qui cum talibus dimissoriis falsis promotus fuit. Et sufficit, quòd sic promotus fuerit ad solum presbyteratum. Cùm enim sic ordinatus suspensus maneat, donec suus Episcopus cum eo dispenset, ut statuit Concilium Trident.[a] merito ejus celebratio tamquam gravissimè peccaminosa reservatur. Non intelligitur autem hæc reservatio de celebratione Missæ facta à sic promoto, postquam legitimè dispensatus fuit ab omni contracta suspensione, ob prædictam ordinationem; quia obtenta legitima dispensatione, potest licitè celebrare, ac sine peccato, quod solùm reservatur.

[a] Sess. 23. c. 2. de ref.

§. 31.
Peccatum sacerdotis habens annexam irregularitatem.

SUb his terminis invenio reservationem in aliqua diœcesi, quæ quidem multos casus comprehendit, quia in multis habere potest peccatum sacerdotis annexam irregularitatem, de quibus Tolet.[a] Primus est, si sacerdos excommunicatus excommunicatione majori celebret, aut aliquem ordinis actum exerceat, v. c. si baptizet solemniter, si audiat confessiones, vel aliud Sacramentum administret, & generaliter si aliquem actum alicujus ordinis etiam minoris exerceat, fit irregularis. Unde talis celebratio, seu ordinis exercitium, casus erit reservatus. Dixi: *Majori excommunicatione*. Quia si excommunicatio esset minor, licèt peccaret celebrando, non incurreret irregularitatem cap. Si celebrat, de Clerico excommunicato celebrante. Et idem est, si alium actum ordinis exerceret. Unde tale peccatum non esset reservatum, quia non haberet annexam irregularitatem. Nota tamen primò, non incurrere irregularitatem, nec habere casum reservatum sacerdotem celebrantem cum majori excommunicatione, si probabiliter ignoret se esse excommunicatum, secus autem si ignorantia sit crassa, cap. Apostolicæ, eodem titulo. Nota secundò, non incurrere irregularitatem, nec habere casum reservatum talem sacerdotem, si exerceat actus, qui non sunt ordinis, sed jurisdictionis, ut si visitet, puniat, excommunicet, beneficia conferat, &c. Nota tertiò, non effici irregularem, nec habere casum reservatum talem sacerdotem, si audiat Missam, aut recipiat Sacramenta, quamvis graviter pec- 371

[a] Lib. 1. c. 71.

cet,

cet, ingerendo se communioni fidelium.

372 Secundus casus est, si sacerdos suspensus majori suspensione ab officio, celebret, aut actum ordinis exerceat, irregularitatem incurrit, & consequenter casum habet reservatum, c. 1. de sent. excommunicationis in 6. Et idem est de sacerdote deposito, aut degradato. Nota verò primò, suspensum tantùm à beneficio, non contrahere irregularitatem celebrando, vel ministrando actum ordinis, quia ordo ad officium pertinet, à quo non est suspensus. Nota secundò, sacerdotem, qui suspenditur à confessario ad tempus, ne celebret, non fieri irregularem celebrando, estò peccet; quia ista suspensio non est censura: neque enim confessarius, quà talis, habet jurisdictionem ad ferendam censuram. Nota tertiò, neque irregularitatem incurrere sacerdotem, qui celebrat in peccato mortali, licèt graviter peccet, & dicatur suspensus à Deo; quia hæc suspensio non est censura, cujus violationi per celebrationem jura irregularitatem imponunt.

373 Tertius casus est, sacerdos personaliter interdictus, si celebret, actumve ordinis exerceat, fit irregularis, habetque hunc casum reservatum. Nam eadem est ratio sacerdotis personaliter interdicti, ac excommunicati, & suspensi, secundùm omnes Doctores. Nota verò primò, sacerdos, licèt non sit personaliter interdictus, si tamen celebret in loco specialiter interdicto, fit irregularis, nisi ex privilegio, vel à jure illi concessum fuerit in tali loco celebrare, cap. Is, cui de sent. excommunicationis in 6. Nota secundò, ille cui est interdictus ingressus Ecclesiæ, si in ea celebret, fit irregularis, ut constat ex eodem cap. non autem si extra Ecclesiam celebret, v. c. in oratorio. Nota tertiò, non fit irregularis sacerdos ille, qui celebrat in Ecclesia polluta, nisi sit aliter interdicta: unde consequenter casum hunc reservatum non habet.

374 Addo ad majorem intelligentiam hujus casus, si sacerdos non sit excommunicatus, nec suspensus, nec interdictus, sed solùm irregularis, si celebrat, licèt peccet, non contrahit irregularitatem, nec habet hunc casum reservatum, quia hæc reservatio non ponitur, nisi soli peccato sacerdotis, cui annexa est irregularitas. Ratio verò est, quia sacerdos irregularis, licèt celebrando, aut in ordine ministrando, graviter delinquat, non fit de novo irregularis, non invenitur enim in jure talis irregularitas nova; irregularitas autem sine textu expresso imposita non censetur, cap. Is, qui de sent. excommunicationis in 6.

§. 32.

Dispensatio in votis, aut juramentis absque potestate.

Sub his terminis invenio istam reservationem, qui quidem termini ambiguitatem pariunt; possunt enim facere duplicem sensum? Primus esse potest, quia cùm dispensatio in votis, aut juramentis sit actus jurisdictionis ecclesiasticæ, graviter peccat, qui in illis dispensat non habens ad id legitimam potestatem, vel per Jubilæum, aut Cruciatam, si eam concedant, vel per quodcumque aliud privilegium, vel per commissionem Ordinarii talem potestatem habentis, eamque quasi delegantis. Unde qui dispensaret in votis, aut juramentis non habens potestatem aliquo ex modis prædictis obtentam, actum nullum faceret, & committeret peccatum grave dignum reservatione. Utrùm autem in hoc sensu procedat proposita reservatio? Videant Parochi ex usu suæ diœcesis. Ego magis inclino, dum mihi de praxi non constat, nec de voluntate Prælati reservantis, sensum alium esse longè diversum, nimirum nihil sub illis terminis Prælatum sibi reservare, sed solùm declarare non posse Parochos, aliosve confessores approbatos dispensare ex vi sui muneris in aliquo voto, vel juramento, sed hanc potestatem ad ipsum Prælatum in solidum pertinere. Ducor ad sic existimandum, quia sub iisdem terminis reservatur in plerisque constitutionibus hujus regni commutatio votorum, de qua egimus §. 7. & tamen omnes intelligunt non reservari ibi peccatum commutantis sine legitima authoritate, & potestate, sed solùm declarari non posse Parochos, aut confessarios vota commutare, sed id ad Prælatum ipsum pertinere: ergo idem erit sensus verborum, quæ posita fuit in titulo, non alios præter Præla-

375

la-

Digitized by Google

latum, dispensare posse in votis, ac juramentis. At praxis Dioecesis, in qua hæc reservatio habetur, attendenda est.

§. 33.

Extrahere è loco sacro illum, qui ejus immunitate gaudet.

376 HOc est unum ex sacrilegiis, de quibus dictum est §. 4. & satis reservatum censetur in illis Dioecesibus, in quibus sacrilegium generaliter reservatur. In aliquibus tamen specialiter reservatur sub prædicta forma, postquam sacrilegium generaliter reservatum fuit, in quibus hæc extractio sacrilega satis continebatur, sed majoris expressionis gratia ponitur separata reservatio. Quomodo autem sit intelligenda, constabit ex dictis §. 4. n. 325. & sequenti.

§. 34.

Cohabitatio ante denuntiationes.

377 DEnuntiationes matrimoniales, quę præmitti solent ad matrimonium, non faciunt cohabitationem sponsorum licitam, ante contractum matrimonium de præsenti in facie Ecclesiæ. Sensus ergo hujus reservationis est, reservare cohabitationem sponsorum post celebratum matrimonium per verba de præsenti, quando Prælatus ob justas causas, ne matrimonia contrahenda malitiosè impediantur, dispensat, ut in facie Ecclesiæ contrahantur, ante præmissas denuntiationes, quæ tamen postea faciendæ sunt, ut decernit Concilium Trident[a] nisi Episcopus eas absolutè remiserit, quando ita judicaverit sine inconvenienti fieri posse. Unde casus, qui hic reservatur, est cohabitatio eorum, qui ita contraxerunt, antequam præmittantur tales denuntiationes; quam cohabitationem Prælatus prohibet, ne contingat matrimonii consummatio, antequam certò constet nullum subesse impedimentum. Quare meritò hanc prohibet cohabitationem, eamque sibi reservat.

a Sess. 24. c. 1. de ref.

§. 35.

Indorum invasio.

CAsus hic reservatur in aliquibus Dioecesibus ultramarinis, in quibus sunt Indi, qui sæpè à nostris Lusitanis invadi solent, dum in pagis commorantur, vel in suis occupationibus, extra illos, detinentur, vel ut fiant servi, & mancipia, vel ut sibi coacti inserviant, vel ob alios fines injustos. Hæc igitur invasio Episcopo reservatur, esto effectus, quem intendunt, ex aliquo principio impediatur; effectus enim impeditus non tollit, quominus invasio injusta posita fuerit. Reservatur autem invasio ista, sive Indi fuerint baptizati, & Christiani, sive pagani, & non baptizati; quia reservatio ponitur invasioni Indorum, quicumque illi fuerint. 378

§. 36.

Cognitio carnalis mulieris paganæ, vel hominis similiter pagani.

HIc casus reservari solet in Dioecesibus ultramarinis, in quibus Christiani vivunt promiscuè cum paganis, qui adhuc sacrum Baptismum non receperunt. Sicut igitur inter prædictas personas matrimonia sunt irrita, ob cultus disparitatem, ut diximus lib. 9. cap. 8. sect. 3. in sexto impedimento dirimente; sic carnalis copula specialem habet indecentiam, diversamque deformitatem inter personas ita dispares in cultu, propter quam Episcopo reservatur. Casum igitur hunc reservatum habet tam vir Christianus, qui carnaliter cognoscit mulierem paganam, seu gentilem, quàm mulier Christiana, quæ cognoscit hominem paganum, seu gentilem. 379

§. 37.

Venditio, vel emptio Indorum liberorum.

SOlent plerumque nostri Lusitani in locis ultramarinis, in quibus versantur, per maximam injuriam, & injustitiam, contra leges divinas, & humanas, & contra repetitas Regum nostrorum prohibitiones, capere miseros illos Indos, quos Deus, & natura liberos effecit, illosque vendere tamquam ser- 380

Digitized by Google

servos, & mancipia, de quo multa scribunt P. Molina,[a] & P. Rebel.[b] Reservatur igitur Episcopo peccatum hoc tamquam gravissimum, sive eorum, qui illos vendunt, sive eorum, qui emunt, nisi fortè per ignorantiam inculpabilem, quæ eos excusaret à peccato mortali, crederent esse veros servos illos, quos sic emunt.

a tract. 2. d. 32
b Lib. 1. c. 10.

§. 38.

Idololatria, & quilibet ritus gentilicos.

381 DE Idololatria, cultuque gentilico egimus lib. 8. cap. 4. sect. 6. §. 2. Igitur in aliquibus Diœcesibus ultramarinis, in quibus Christiani promiscuè vivunt cum paganis, & gentilibus, vel illos vicinos habent, reservatur Episcopo, & cultus quicumque idolorum, ac ritus, seu cæremoniæ gentilicæ. Intelligitur autem casus de illis, qui baptizati fuerunt, & postea ad idolorum cultum revertuntur, vel aliquo utuntur ritu gentilico. Procedit autem casus non solùm de Lusitanis à veteribus Christianis ortis, sed etiam de illis, qui olim fuere pagani, & semel fidem professi baptizati sunt, qui si revertantur ad idololatriam, ritusque gentilicos, casum habent Episcopo reservatum. Non intelligo autem procedere casum de illis, fide abjurata; ad antiquam idololatriam, & cultum idolorum ex animo revertuntur; quia isti verè sunt apostatæ à fide, ac Religione, quorum apostasia reservatur Pontifici in Bulla Cœnæ. Sed de illis, qui retenta fide, ex prava consuetudine, vel ut idololatris, quibus convivunt, morem gerant, vel ex alio simili fine, ritibus gentilibus utuntur, aut idola venerantur.

§. 39.

Venditio servorum, qui muti, aut surdi sunt, vel alia occulta laborant infirmitate, quam tacent, & celant.

382 EST commune commercium in aliquibus partibus, ac regionibus transmarinis huic coronæ subjectis, vendere, & emere servos, & mancipia, in quorum venditione, & emptione non paucæ solent committi injustitiæ, de quibus latè, præter alios, Molina, & Rebellus suprà. In hoc ergo casu reservatur illa, quæ committitur à venditoribus, qui servos, qui tales verè sunt, mutos, aut surdos, aliave occulta infirmitate laborantes, ac proinde inutiles vendunt tamquam sanos, & utiles, occultantes eorum defectus, & infirmitates, quod est peccatum injustitiæ in damnum Emptorum, quod in hoc casu reservatur.

§. 40.

Retinere apud se servos fugitivos, aut illos furari, vel aberrantes retinere.

IN eisdem regionibus transmarinis solent hæc contingere non infrequenter, quòd videlicet servos alienos fugitivos à dominis suis quis apud se retineat, illosve furetur, aut à dominis aberrantes recipiat in dominorum damnum. Tria igitur reservantur in hoc casu. Primùm, retinere apud se servos illos, qui fugiunt à suis veris dominis. Secundum, illos furari, ut vel divendat, vel ut eorum opera utatur. Tertium, eosdem à veris dominis aberrantes apud se ad eosdem fines retinere, non curando de eorum restitutione. Si tamen constet homines illos verè esse servos, & mancipia; domini verò vel sint absentes, vel ignorentur, nullum erit peccatum illos retinere, quoadusque domini veniant, vel donec ad illos remitti possint, aut quousque domini compareant. Si autem, facta morali diligentia, non constat de veris dominis, faciendum est de servis illis, quod diximus §. 13. de bonis inventis, quorum domini ignorantur. 383

§. 41.

Invadere iter facientes in viis publicis.

RESERVATUR in hoc casu crimen eorum, quos dicimus *salteadores de estradas*. Quorum crimen per leges civiles morte mulctatur, utpote Reipub. valde perniciosum. Hoc idem crimen in hoc casu reservatur, sive damnum datum iter facientibus sit grande, sive parvum, sive etiam nullum, quia scilicet invasus nihil secum deportabat, quod tales deprædari possent; nam adhuc isti verè invaserunt in via publica iter facientem. 384

§. 42.

§. 42.

Concubinatus, qui duraverit per tres annos, aut ultra.

385 QUid sit concubinatus, diximus §. 27. Nota verò primò, in hoc casu reservari concubinatum tam hominis soluti, quàm etiam uxorem habentis; & similiter concubinatum mulieris tam solutæ, quàm maritatæ, si verè concubina sit alicujus: uterque enim tam vir, quàm fœmina dicitur esse in concubinatu. Nota secundò, hunc concubinatum non reservari, nisi perveniat ad tres annos completos, vel ultra illos duraverit. Si verò ad hoc tempus non pervenerit, non erit casus reservatus, & potest absolvi à quolibet, si debita adsit dispositio.

§. 43.

Aliqua prohibita Parochis sub gravi censura.

386 IN aliquibus Diœcesibus ultramarinis mandantur Parochis, aliisque clericis sub gravi censura aliqua, quæ ratione censuræ, quæ Episcopo reservatur, eidem reservata censentur. Mandatur igitur primò non solùm Parochis, sed etiam quibuscumque aliis sacerdotibus, imò & quibuscumque personis, ne aliquis baptizet puerum, vel adultum aliquem si inter paganos permansurus sit, quamvis sit persona regia, vel in magno statu constituta. Hoc autem mandatur sacerdotibus in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab ordinibus per duos annos irremissibiliter. Secundò, mandatur sub pœna excommunicationis, ut linguam regionis, in qua sunt, addiscant. Hæc autem excommunicatio sub his terminis lata, comminatoria est, juxta ea, quæ diximus cap. 7. sect. 1. Tertiò, sub excommunicatione latæ sententiæ mandatur Parochis, ne petant pro assistendo matrimonio mancipium aliquod. Idem mandatur sub eadem pœna, ne petant pro dandis sepulturis. Quartò, sub eadem pœna mandatur ne à gentibus illis juramenta exigant, ne videlicet illos exponant mendaciis, & falsitatibus, quibus sunt addictę sub juramento proferendis.

SECTIO III.

De casibus reservatis Episcopis in singulis Diœcesibus hujus regni Portugalliæ.

EXplicavimus sect. antecedente omnes casus, quos in constit. Episcopalibus hujus nostri regni Lusitani invenimus Episcopis reservari, non quòd omnes in singulis Diœcesibus reserventur, sed alios in hac, alios in illa Diœcesi. Qua explicatione præmissa, discurram per singulas Diœceses, assignando casus illarum proprios, & quid in unaquaque peculiare fuerit, subjiciam, ne Parochus absolvat sine facultate Prelati, vel sine privilegio, quia sine potestate & jurisdictione & ille graviter peccabit. Explicationem verò suorum casuum petet ex loco cuilibet assignando. 387

§. 1.

De casibus reservatis in Diœcesi Bracarensi.

IN constit. Bracarensibus titulo 3. de Sacramento confessionis constit. 6. reservantur quatuordecim casus. Primus. Hæresis. De quo sect. præcedente §. 1. Secundus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Tertius. Venefici, & veneficæ. De quibus §. 3. Quartus. Homicidium voluntarium executioni mandatum. De quo §. 8. Quintus. Incendium de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Sextus. Sacrilegium. De quo §. 4. Septimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §. 6. Octavus. Habere aliquid alienum, cujus dominus ignoretur, quod excedat valorem centum quatrinorum, seu centum regalium æreorum, hoc est, *hum testam*. Si non excedat hanc summam, potest pœnitens absolvi, dummodo priùs tradat dictam pecuniam ad fabricam Ecclesiæ, cujus fuerit Parochianus. Si verò excedat, & in eo loco, seu confiniis illius, seu *termo* fuerit Provisor, vel Vicarius generalis, tradetur ei, coram notario officii sui, ut in opera pia expendat. Si autem ibi non fuerint, tradetur Parocho loci, cui mandatur sub pœna excommunicationis, & duplicatæ solutionis, ut eam summam consignet primò, qui talem Ecclesiam visitaverit, qui eam distribuat in opera pia, dummodo non inveniat certam informationem de domino, ad quem res pertineat. 388

Digitized by Google

neat. Hæc tamen regulanda sunt ex dictis §. 13. Et certè hæc tam limitata summa, quæ olim potuit esse materia gravis, hodie talis esse non videtur.

389 Nonus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quibus debentur, quæ excedant valorem centum regalium æreorum. Si autem hoc debitum decimarum hanc summam non excedat, poterit pœnitens absolvi, dummodo satisfaciat personæ, cui debetur. Et si aliquis sacerdos aliter absolverit in hoc casu decimarum non solutarum, sive excedant, sive non excedant dictam summam, nisi priùs satisfacta parte, cui debentur, incurrit excommunicationem majorem ipso facto. Ita constit. Bracharenses. Quæ tamen regulanda sunt ex dictis §. 14. Decimus. Matrimonia clandestina, & testes, qui illis adstiterunt. De quo §. 17. Undecimus. Commutatio cujuscumque voti. De quo §. 7. Duodecimus. Manus violentæ in clericum. De quo §. 5. Decimustertius. Qui ordinatus fuit per saltum, vel cum dimissoriis falsis, vel furtivè se ingessit ad ordines, intellige sacros. De quo §. 21. Decimusquartus. Testimonium falsum in actis, vel scriptura falsa in judicio. Circa quod adverte ex vi verborum solùm comprehendi illum, qui scripturam falsam protulit in judicio, non autem qui eam fecit falsam, vel factam falsificavit, si non protulit in judicio ad probandam falsitatem. De quibus duobus casibus, qui in hoc continentur §. 15. & 16. Hi sunt casus reservati in Diœcesi Bracharensi, ut constat ex constit. impressis anno 1538. In fine verò committitur Prioribus, Abbatibus, Rectoribus, ut possint absolvere ab omnibus casibus de jure reservatis Prælato, exceptis his quatuordecim. Quod intelligitur de reservatis ex jure communi, vel consuetudine generali, de quibus egimus sect. 1.

§. 2.
De casibus reservatis in Diœcesi Vlyssiponensi.

390 IN constit. antiquis Diœcesis Ulyssiponensis reservabantur decem casus, in novioribus verò editis sub Archiepiscopo DD. Rotherico à Cunha lib. 1. titulo 10. §. 2. Reservantur sexdecim. Primus. Hæresis, quæ non fuerit purè mentalis. De quo §. 1. Secundus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Tertius. Veneficia, nempe illa conficere, vel illis uti. De quo §. 3. Quartus est invocatio dæmonis, aut aliquid facere, in quo sit pactum tacitum, vel expressum cum ipso dæmone. De quo eodem §. 3. Quintus. Homicidium voluntarium executioni mandatum, extra bellum justum, vel extra defensionem propriam, aut proximi. De quo §. 8. In quo etiam comprehenduntur illi, quorum culpa, aut negligentia filii suffocati reperiuntur. De quo §. 11. Sextus. Incendium factum de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Septimus. Sacrilegium. De quo §. 4. Specialiter verò illud, quod committitur feriendo, vel injiciendo manus violentas in clericum, vel Religiosum, qui gaudet privilegio Canonis. De quo §. 5. Octavus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine alicui non reservata. De quo §. 6. Nonus. Juramentum falsum in judicio, vel actis judicialibus, aut coram superiore competente. De quo §. 5. Decimus. Decimæ non solutæ, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, seu *de duzentos reis*. De quo §. 13. Circa quem casum admonent constit. §. 4. Posse pœnitentes ab illo absolvi, si ante confessionem integrè satisfecerint. Si verò debitum ad ducentos regales non pervenerit, quamvis confessores absolvere possint, id non facturos, quin priùs pœnitentes moneant, ut personam, cui debentur, certiorem faciant. Si autem confessarius aliter absolverit, excommunicationem ipso facto incurret, à qua absolvi non poterit absque Prælati, vel Provisoris licentia.

391 Undecimus. Retinere bona aliena, quorum dominus ignoratur, quæ excedant valorem quingentorum regalium æreorum, hoc est, *de finco tostois*. De quo §. 11. Circa quem casum mandant constitutiones eodem §. 4. Si debitum non excedat prædictos quingentos regales, quod quidem non reservatur, posse Parochum id suo arbitrio pauperibus distribuere, si à pœnitentibus ei tradatur. Si autem prædictam summam excedat, tradendum Provisori, coram notario officii sui, si ille in loco fuerit, aut in confiniis, ut hic distribuat in opera pia. Si autem Provisor nec in loco, nec in confiniis fuerit, dandum tale debitum Parocho Ecclesiæ, cui sub excommunicatione mandatur, & sub pœna solvendi in duplo, ut

fic

sic accepta tradat visitatori, qui primus ejus Ecclesiam visitaverit, qui in visitatione de talibus debitis inquiret; & si facta suo arbitrio diligentia necessaria, bonorum illorum dominum non invenerit, ea expendet in operibus piis. Si verò pœnitens tempore confessionis debitum legitimè pauperibus jam distribuit, absolvendum fore, absque obligatione ad aliam restitutionem. De quo vide dicta §.13. Duodecimus casus. Matrimonia clandestina. De quo §.17. Decimustertius. Ordinari sine patrimonio, pensione, vel beneficio. De quo §.20. Vel etiam ordinari per saltum, vel sine dimissoriis, aut furtivè. De quo §. 21. Decimusquartus. Facere scripturam falsam, vel illa uti, vel etiam uti falsificata. De quo §. 16. Decimusquintus. Revelatio sigilli Sacramentalis à Sacerdote facta. De quo §. 22. Decimussextus. Solicitatio in confessione, aut occasione illius. De quo §. 23. Ubi nota, verba illa, *Aut occasione illius*, comprehendere quoque solicitationem factam extra confessionem, & locum illius, occasione eorum, quæ in confessione audita fuere.

§. 3.
De casibus reservatis in Diœcesi Eborensi.

392 IN Constit. Eborensibus titulo 3. de Sacramento confessionis, cap. 6. reservantur undecim casus. Primus. Homicidium voluntarium executioni mandatum extra bellum justum. De quo §.8. Secundus. Incendium ex intentione nocendi, antequam Incendiarius sit denuntiatus, postquam enim denuntiatus est, casus est Papalis. De quo §. 12. Tertius. Sacrilegium, scilicet, occidere in Ecclesia, vel cœmeterio; infringere cum violentia portas, vel seras sacrarii, aut Ecclesiæ, vel eas incendere; auferre ab Ecclesia delinquentem, qui ad illam confugit, furtum de loco sacro. Hæc sunt sacrilegia à Constit. assignata, de quibus §. 4. Unde ex tenore verborum alia sacrilegia, de quibus ibi, non videntur reservari. Quartus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §.6. Quintus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem trium millium regalium, seu *de tres mil reis*. Si autem non excesserint prædictam summam, poterit pœnitens absolvi, cum ea declaratione, ut dictam pecuniam, aut pignus ejusdem valoris tradat Vicario pedaneo, coram Notario officii sui. De quo §.13. Sextus. Decimæ non solutæ Ecclesiæ, cui debentur, quæ excedant valorem octogintorum regalium, seu *dous cruzados*. Si non excesserint, poterit pœnitens absolvi, dummodò satisfaciat. Et si Sacerdos aliquis aliter absolvere præsumpserit, excommunicationem majorem ipso facto incurrit, quod intellige, si retentio erat reservata. De quo §.14. Septimus. Commutatio quorumcumque votorum. De quo §.7.

393 Octavus. Manus violentæ in Clericum. De quo §.5. Nonus. Ordinari per saltum, vel cum dimissoriis falsis, aut furtivè se ingerendo ad ordines. De quo §.21. Decimus. Testimonium falsum in actis, vel in judicio, & scriptura falsa. Intellige in actis, vel in judicio exhibita. De quo §. 15. & 16. Advertendum autem est, juramentum, seu testimonium falsum in actis, vel in judicio, non reservari, nisi secutum fuerit damnum, & nocumentum tertii, ut declaratur in Synodo celebrata anno 1569. Per damnum autem intelligi debet illud, quod de justitia debebatur parti læsæ; non verò pœna, quæ alicui erat applicanda, & qua privatus est per juramentum falsum; quia hæc non debetur, nisi post latam sententiam, ut benè cum aliis Nav. [a] Undecimus. Hæresis specialiter reservatur Prælato, & non committitur Provisori, nisi quæ fuerit purè mentalis. Ubi notandum hæresim, quam sibi Prælatus specialiter reservat, esse illam, quæ est occulta per accidens, quam Concilium Trid. commisit Episcopis, & non eorum Vicariis. Quam commissionem sublatam esse per Bullam Cœnæ, est hodie communior, & probabilior sententia Doctorum, ut diximus sect. 1. Constitutiones verò Eborenses contrariam sequuntur. De hoc tamen casu diximus §. 1. In fine datur potestas Prioribus, Rectoribus, & Curatis absolvendi à casibus de jure Prælato reservatis, exceptis his undecim, qui reservantur in Constitutionibus. Intellige autem committi potestatem circa illos, qui reservantur de jure communi, vel per generalem consuetudinem, de quibus sect. 1. actum est.

a Cap. 25. n. 51.

Digitized by Google

§. 4.
De casibus reservatis in Diœcesi Conimbricensi.

394 IN Constitutionibus Conimbricensibus titulo 4. Constit. 4. reservantur quatuordecim casus. Primus est. Hæresis mentalis. De quo §. 1. Secundus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Tertius. Venefici, & veneficæ. De quo §. 3. Quartus. Homicidium voluntarium extra bellum. De quo §. 8. Quintus. Oppressio prolis. De quo §. 11. Sextus. Incendium de proposito, ex intentione nocendi. De quo §. 12. Septimus. Sacrilegium. De quo §. 4. Octavus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ nulli fuerit reservata. De quo §. 6. Nonus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoratur, quæ excedant valorem quadringentorum regalium, *seu unius cruciati*. Si verò non excedant, potest pœnitens absolvi, si ante confessionem satisfaciat, vel tradat dictam summam pro fabrica Ecclesiæ, cujus est Parochianus. Si autem excedant, & in loco, vel confiniis fuerit Provisor Episcopi, ei tradenda est coram Notario officii sui, ut in opera pia expendat. Et si ibi non fuerit, dabitur Parocho loci, cui sub pœna excommunicationis, & duplicatæ solutionis mandatur, ut tradat sic recepta primo visitatori, qui in opera pia expendat. Quæ omnia intellige juxta dicta §. 13. sect. præcedentis.

395 Decimus casus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quæ excedant valorem ducentorum regalium, seu *duzentos reis*. Si tamen satisfecerunt ante confessionem, possunt absolvi, cujuscumque summæ fuisset retentio. Et confessarii, qui aliter absolverint, excommunicantur ipso facto, sicut etiam si absolverint ab aliquo casu sive Pontifici, sive Ordinario reservato, sine legitimo privilegio. De quo tamen casu vide dicta §. 14. Undecimus. Copula cum sponsa post sponsalia jurata, ante contractum matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ: vel ante benedictiones nuptiales, si fortè domi contraxerunt de licentia Prælati, quamvis quoad hanc partem, audio reservationem abstulisse D. D. Joannem Emmanuelem. De quo §. 18. Duodecimus. Injectio manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Decimustertius. Ordinatio per saltum, vel cum licentia falsa, aut cum dimissoriis falsis, vel furtivè se ingerendo ad ordines. De quo §. 21. Decimusquartus. Juramentum falsum in judicio tam coram Judice Ecclesiastico, quàm sæculari, ordinario, vel delegato, quàm etiam coram Rectore Universitatis. De quo casu §. 15. Omnes alii casus de jure, vel consuetudine generali reservati Prælato, committuntur Abbatibus, Rectoribus, & Curatis.

§. 5.
De casibus reservatis in Diœcesi Egitanensi.

IN Constitutionibus hujus Diœcesis lib. 1. titulo 8. cap. 14. reservantur duodecim casus. Primus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Secundus. Venefica. Nempe qui, vel quæ veneficia efficit, vel illis utitur. De quo §. 3. Tertius. Invocatio dæmonis. De quo ibidem. Quartus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Quintus. Juramentum falsum in judicio, vel actis judicialibus. De quo §. 15. Sextus. Homicidium voluntarium extra bellum. De quo §. 8. Septimus. Incendium de proposito ex intentione nocendi, antequam incendiarius sit denuntiatus, seu declaratus excommunicatus, quia post talem declarationem, est casus Papalis, hoc est, Papæ reservatus. De quo §. 13. Octavus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, seu *de dous testois*. Si tamen pœnitens satisfecerit, vel deposuerit pecuniam, ut satisfaciat, poterit absolvi, quæcumque fuerit quantitas retenta. De quo §. 14. Nonus. Revelatio sigilli facta à confessario. De quo §. 22. Decimus. Excommunicatio major sive à jure, sive ab homine, quæ alicui reservata non sit. De quo §. 6. 396

397 Undecimus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem quingentorum regalium æreorum, hoc est, *quinhentos reis*. Usque ad hanc summam poterunt Parochi, pro suo arbitrio pauperibus distribuere. Si verò excedant illum valorem, mandatur Parochis, aliisque con-

confessoribus, ut intra mensem, à die traditionis sibi factæ, mittant ad Provisorem, vel Archipresbyterum prædictam summam, aut rem depositam, ut ipsi pauperibus distribuant. De quo §.15. Ubi notandum has Constitutiones loqui de omnibus bonis incertis, quorum dominus ignoratur, & non solùm de inventis, sed etiam quacumque via habitis, quod aliæ non exprimunt. Duodecimus. Peccatum Parochi, vel confessarii, qui ultra mensem apud se retinuerit, vel in suos usus converterit prędicta bona aliena, de quibus casu præcedenti, vel quævis alia, quæ in eorum manibus deposita fuerint via confessionis, ut restituantur. Ubi tamen ipsi restituerint sic deposita, tollitur reservatio, & poterunt à quocumque approbato absolvi. In fine committuntur Parochis, cæterisque confessoribus alii casus jure, vel consuetudine generali reservati Prælato, non tamen potestas dispensandi in iis, in quibus Prælatus dispensare potest. Qui autem absolverit à casibus his, aut à quolibet eorum sine speciali facultate, excommunicatur. Intellige autem, aut sine legitimo privilegio. Conceditur præterea confessoribus facultas absolvendi vagabundos à quibuscumque censuris, & peccatis Prælato reservatis. Et similiter ut possint absolvere Sacerdotes, & Clericos in sacris illius Diœcesis ab omnibus censuris, & casibus hic Prælato reservatis, exceptis his duobus, nempe revelatione sigilli, & non tradendi bona aliena intra mensem, juxta dicta in casu duodecimo.

§. 6.

De casibus reservatis in Diœcesi Lamecensi.

398 IN Constitutionibus Lamecensibus titulo de Confessione Constitut. 10. reservantur quindecim casus. Primus. Hæresis. De quo §. 1. Secundus. Homicidium voluntarium extra bellum. De quo §. 8. Tertius. Incendium de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Quartus. Sacrilegium. De quo §. 4. Quintus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine alteri non reservata. De quo §. 6. Sextus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem quadringentorum regalium æreorum, seu *quatrocentos reis*. De quo §. 13. Septimus. Matrimonia clandestina. De quo §. 17. Octavus. Commutatio qualiumcumque votorum. De quo §. 7. Nonus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Decimus. Juramentum falsum in judicio. De quo §. 15. Undecimus. Oppressio prolis. De quo §. 11. Duodecimus. Ordinatio per saltum. De quo §. 21. Decimustertius. Scriptura falsa, vel quæcumque alia falsitas in judicio, vel actibus judicialibus. De quo §. 14. & 16. Comprehendit autem solam personam, quæ fecit falsitatem, non autem eam, quæ utitur falsitate facta ab alia, quia Constit. eam non exprimit. Non tamen excluditur juramentum falsum in judicio: quia Constitutio reservat quamcumque falsitatem in judicio. Decimusquartus. Venefici, & veneficæ, augures, & divinatores. De quo §. 3. Decimusquintus. Blasphemia, & abnegatio publica. De quo §. 2.

§. 7.

De casibus reservatis in Diœcesi Visensi.

IN Constitutionibus hujus Diœcesis lib. 1. titulo 5. Constit. 12. reservantur quatuordecim casus. Primus. Hæresis. De quo §. 1. Secundus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Tertius. Veneficium, & quæcumque operatio personæ ex pacto cum dæmone tacito, vel expresso. De quo §. 3. Quartus. Ordinatio per saltum, vel cum dimissoriis falsis, aut furtivè se ingerendo ad ordines. De quo §. 21. Vel etiam qui ordinatur sine patrimonio, pensione, aut beneficio. De quo §. 20. Quintus. Qui fecit scripturam falsam, vel falsificavit factam, vel usus est illa. De quo §. 16. Sextus. Homicidium voluntarium opere consummatum extra bellum. De quo §. 8. Vel etiam voluntaria mutilatio membri. De quo §. 9. Septimus. Incendium de proposito, ex intentione nocendi, seu damnum inferendi. De quo §. 12. Octavus sacrilegium. De quo §. 4. Nonus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine, alicui non reservata. De quo §. 6. Decimus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, hoc est, *de duzentos reis*. De quo §. 13. Undecimus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, vel 399

Digitized by Google

personis, quibus debentur, quæ excedant valorem centum regalium æreorum: *seu decem reis*. De quo §.14. Duodecimus. Matrimonia clandestina. De quo §.17. Decimustertius. Manus violentæ in Clericum. De quo §.5. Decimusquartus. Juramentum falsum in judicio. De quo §.15. in fine committitur omni confessario absolutio ab omnibus casibus reservatis Episcopo de jure communi, aut consuetudine generali, de quibus dictum est sect.1.

§. 8.
De casibus reservatis in Diœcesi Algarabiensi.

400 IN Constitutionibus Diœcesis Pharensis, seu Algarabiensis, quæ olim dicebatur Sylvensis, titulo 3. cap.12. reservantur quindecim casus. Primus. Hæresis. De quo §. 1. Secundus Blasphematores publici. De quo §. 2. Tertius. Venefici, & veneficæ, quorum peccata ab aliquibus sciantur. De quo §.3. Quartus. Homicidium voluntarium datum executioni, extra bellum justum. De quo §. 8. Quintus. Incendium ex intentione nocendi, antequam denuntietur, nam post denuntiationem est casus Papalis. De quo §. 12. Sextus. Sacrilegium. De quo §.4. Cujus species continentur titulo 13. cap.1. Septimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §.6. Octavus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant quadringentos regales æreos, hoc est *quatrocentos reis*. Si autem non excedant, potest pœnitens absolvi, dummodò priùs tradat pecuniam ad fabricam Ecclesiæ, cujus est Parochianus. Si verò excedant, non disponetur de illis, donec consulatur Episcopus, aut ejus Vicarius Generalis, qui intra mensem certiores fient. De quo §. 13. Nonus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quibus debentur, quæ excedant quadringentos regales æreos, idest, *quatrocentos reis*. Si verò non excedant, poterit pœnitens absolvi, dummodò satisfaciat personæ, cui debentur. De quo §. 14. Decimus. Qui non fuerunt confessi annis præteritis tempore Quadragesimæ. De quo .26. Undecimus. Matrimonia clandestina, & testes illorum. De quo §. 17. Duodecimus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Decimustertius. Ordinatio per saltum, aut cum dimissoriis falsis, aut furtivè se ingessisse ad ordines. De quo §. 20. Decimusquartus. Commutatio quorumcumque votorum. De quo §. 7. Decimusquintus. Testimonium falsum in judicio, vel in actis, & scriptura falsa. De quo §.15. & 16.

§. 9.
De casibus reservatis in Diœcesi Portuensi.

IN Constitutionibus Diœcesis Portuensis, titulo de Confessione, reservantur tredecim casus. Primus. 401
Homicidium voluntarium executioni mandatum extra bellum. De quo §. 8. Secundus. Incendium de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Tertius. Sacrilegium. De quo §. 4. Quartus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §. 6. Quintus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem quingentorum regalium æreorum, seu *de quinhentos reis*. De quo §. 15. Sextus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quibus debentur, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, seu *duzentos reis*. De quo §. 14. Septimus. Commutatio qualiumcumque votorum. De quo §.7. Octavus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Nonus. Juramentum falsum in judicio. De quo §. 15. Decimus facere scripturam falsam, vel falsificare jam factam, aut uti illa. De quo §.16. Undecimus. Blasphemia, vel abnegatio Dei publica. De quo §. 2. Duodecimus. Venefici, & veneficæ, vel divinatores publici, quorum peccata ab aliis personis sciantur. De quo §. 3. Unde si fuerint omninò secreta, non reservantur. Decimustertius. Peccatum hæresis. De quo §.1.

§. 10.
De casibus reservatis in Diœcesi Mirandensi.

IN Constitutionibus hujus Diœcesis titulo 4. de Sacramento Confessionis Constit. 10. reservantur quatuordecim casus. Primus. Hæresis. De quo 402
§. 1. Secundus. Blasphemia, aut abnegatio Dei. De quo §. 2. Tertius crimen maleficii, aut divinationis. De

De quo §. 3. Quartus. Testimonium falsum in judicio. De quo §. 15. Quintus facere scripturam falsam, vel illa uti in judicio. De quo §. 16. Sextus. Homicidium voluntarium extra bellum. De quo §. 8. Septimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §. 6. Circa quod adverte contineri in his Constitutionibus quatuordecim excommunicationes, quæ si incurrantur, reservatæ sunt Prælato. Octavus. Matrimonia clandestina. De quo §. 17. Nonus Concubinatus hominis conjugati, seu habentis legitimam uxorem. De quo §. 27. Decimus. Ordinatio ante ætatem, vel furtivè, aut per saltum. De quo §. 19. & 21. Undecimus. Incendium de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Duodecimus. Sacrilegium. De quo §. 4. Decimustertius. Decimæ non solutæ Ecclesiæ, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, seu *duzentos reis*. De quo §. 14. Decimusquartus. Habere bona aliena, quæ excedant valorem tercentorum regalium æreorum, seu *de trezentos reis*. Sed nota hic non reservari retentionem bonorum, quorum dominus ignoratur, sicut in aliis Dioecesibus. De quo §. 13. Sed retentionem eorum, quæ dominis cognitis subnegantur. De quo §. 28. Hi casus habentur in Constitutionibus. Extra illas audio reservatam esse cohabitationem sponsorum ante contractum matrimonium.

§. 11.
De casibus reservatis in Dioecesi Portalegrensi.

403 IN Constitutionibus hujus Dioecesis lib. 1. titulo 6. cap. 19. reservantur tredecim casus. Primus. Blasphemia publica, quæ proferatur coram duabus saltem personis. De quo §. 2. Secundus. Veneficium, scilicet facere veneficia, illa petere, & uti. Unde sola petitio absque usu, non videtur reservata. De quo §. 3. Tertius juramentum falsum in judicio, vel facere scripturam falsam, aut uti illa in damnum tertii. Quare nec juramentum falsum, nec falsitas scripturæ, vel usus illius sine damno reservatus erit. De quo §. 15. & 16. Quartus. Homicidium voluntarium, extra bellum justum, opere consummatum tam exequentis, quàm mandantis. De quo §. 8. Quintus, incendium de proposito ex intentione damnificandi. De quo §. 12. Sextus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Septimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alteri reservata non sit. De quo §. 6. Octavus. Violatio sigilli Sacramentalis. De quo §. 22. Nonus sacrilegium. De quo §. 4.

404 Decimus. Ordinari sine patrimonio, aut cum ficto, aut per saltum, aut sine dimissoriis, vel cum illis falsis, quod perinde est; aut furtivè se ingerere ad ordines, aut ordinari ante legitimam ætatem. De quibus §. 19. 20. & 21. Undecimus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem quadringentorum regalium æreorum, seu quæ excedant *quatro centos reis*. De quo §. 15. Duodecimus. Decimæ non solutæ Ecclesiæ, cui debentur, quæ excedant valorem quadringentorum regalium etiam æreorum, idest, quæ excedant *quatro centos reis*. De quo §. 14. Decimustertius. Solicitatio in confessionario, tam ex parte confessoris, quàm ex parte poenitentis. Quod intellige ex parte confessoris, quamvis non sequatur effectus; ex parte verò poenitentis, sive ipsa solicitet confessorem, sive consentiat solicitanti. Reservatur etiam solicitatio facta ab illo, qui non est confessor, sed se talem fingit, si in loco confessionis solicitet. Vel etiam peccatum illius, qui, vel quæ solicitavit ad peccandum cum altera persona. Hæc autem omnia procedunt, sive solicitatio fiat ante inceptam confessionem, sive illa jam absoluta, dummodo fiat in loco confessionis. In fine ponitur excommunicatio confessoribus, qui absolverint ab his casibus, absque speciali licentia Prælati, vel sine legitimo privilegio, excepto mortis articulo, aut periculo.

§. 12.
De casibus reservatis in Dioecesi Elvensi.

IN Constitutionibus Dioecesis Elvensis titulo 6. §. 20. reservantur quindecim casus. Primus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Secundus. Sepelire in loco sacro illum, quem quis novit fuisse publicum excommunicatum. De 405

quo §. 25. Quod intellige, si non fuit absolutus nec ante, nec post mortem. Tertius. Decimæ non solutæ Ecclesiæ, cui debentur, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, seu valorem *de duzentos reis*. Si non satisfecit postquam confessarius assignavit tempus conveniens ad restituendum. De quo §. 14. Ubi nota posse confessarium prima vice absolvere habentem propositum satisfaciendi intra tempus ab ipso præscriptum. Si verò intra ipsum non satisfecit potens satisfacere, non potest deinceps absolvi, quia jam est casus reservatus. Quartus. Homicidium voluntarium. Quod intellige, extra bellum. De quo §. 8. Quintus. Abortus procuratus secuto effectu. De quo §. 10. Sextus. Simonia. De quo §. 24.

406 Septimus. Incendium de proposito factum, & qui consulunt, adjuvant, vel favent ad tale crimen. De quo §. 12. Octavus. Falsarii instrumentorum. De quo §. 16. Nonus. Venefici, & veneficæ. De quo §. 3. Decimus. Sacrilegia. De quo §. 4. Undecimus violatio sigilli Sacramentalis. De quo §. 22. Duodecimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alteri reservata non sit. De quo §. 6. Decimustertius. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem duorum millium regalium æreorum, seu excedant *dous mil reis*. De quo §. 13. Decimusquartus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Decimusquintus. Ordinatio cum patrimonio ficto, vel per saltum, aut cum dimissoriis falsis, vel se furtivè ingerere ad sacros Ordines. De quo §. 20. & 21.

§. 13.
De casibus reservatis in Diœcesi Leriensi.

407 NOn vidi Constitutiones hujus Diœcesis; sed viri fide digni à me consulti in ipsa urbe, ad me remiserunt casus, qui in ipsis reservantur, qui sunt undecim. Primus. Homicidium voluntarium extra bellum. Quia verò non fit mentio de bello justo, ut in plerisque aliis Constitutionibus, non reservatur homicidium commissum in bello, de cujus injustitia, vel constaret, vel dubitaretur. De quo §. 8. Secundus. Incendium factum de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Tertius. Sacrilegium. De quo §. 4. Quartus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §. 6. Quintus. Habere bona aliena, quorum domini ignorentur, quæ excedant valorem tercentorum regalium æreorum, hoc est, quæ excedant *trezentos reis*. Si autem non excedant, poterit pœnitens absolvi, dummodò priùs tradat debitum, vel pignus ad fabricam Ecclesiæ, cujus fuerit Parochianus. Et Prior, Vicarius, vel Curatus scribet sic receptum in libro fabricæ, ut non expendatur, nisi de authoritate Episcopi, vel Vicarii Generalis, aut Visitatoris. Si verò debitum excesserit prædictum valorem, tradendum est Provisori, qui per Notarium officii sui scribet quantitatem restitutionis factæ, ut illam expendat in operibus piis. Ubi autem fuerit Vicarius pedaneus, fiet hæc diligentia coram illo, ut dictum est de Provisore, & Notarius, qui restitutionem factam scripserit, ostendet terminum à se factum vel Episcopo, vel Visitatori in visitatione, ut de ejus mandato expendatur in operibus piis, sub certa pœna imposita Notario. De quo casu §. 13.

408 Sextus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quæ excedant valorem ducentorum regalium æreorum, seu *de duzentos reis*. Si autem pœnitens ante confessionem satisfecerit Ecclesiæ, vel personæ, cui debentur, poterit absolvi, quamvis debitum fuerit majoris quantitatis. De quo §. 14. Septimus. Juramentum falsum in judicio, vel actis judicialibus, vel coram Judice, aut Superiore competente. De quo §. 15. Octavus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Nonus. Peccatum eorum, qui ante celebratum matrimonium in facie Ecclesiæ, sponsas carnaliter cognoscunt. Ubi ex vi verborum reservatur peccatum sponsorum, non autem sponsarum. De quo §. 18. Decimus. Blasphemia publica. De quo §. 2. Undecimus. Facere veneficia, vel illa facta alteri dare, aut illis uti, vel etiam consulere personas, quæ veneficia faciunt, ad effectum illa habendi. De quo §. 3. Præterea imponitur excommunicatio ipso facto confessoribus, qui sine speciali licentia Ordinarii à prædictis casibus absolverint: intellige, vel etiam

Digitized by Google

etiam sine legitimo privilegio. Et conceditur, ut possint absolvere ab omnibus aliis casibus Episcopalibus. Quòd est intelligendum de casibus Episcopo reservatis de jure communi, vel de consuetudine universali, de quibus sect. 1.

§. 14.
De casibus reservatis in Diœcesi Funchalensi Insulæ Materiæ.

409 IN Constitutionibus Diœcesis Funchalensis Insulæ Materiæ titulo 5. de Confessione Constit. 5. reservantur Duodecim casus. Primus. Homicidium voluntarium extra bellum justum. De quo §. 8. Secundus. Incendium de proposito ex intentione nocendi. De quo §. 12. Tertium. Sacrilegium. De quo §. 4. Quartus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §. 6. Quintus. Habere bona aliena, quorum domini ignorantur, quæ excedant valorem sexcentorum regalium æreorum, seu quæ excedant *seiscentos reis*. Si non excedant, poterit pœnitens absolvi; dummodò pecuniam, vel pignus conferat ad fabricam Ecclesiæ, cujus est Parochianus. De quo §. 13. Sextus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quæ excedant valorem tercentorum regalium æreorum, hoc est, quæ excedant *trezentos reis*. Si autem non excedant dictam summam, poterit pœnitens absolvi, dummodò satisfaciat personæ, cui debentur. De quo §. 14. Septimus. Commutatio qualiumcumque votorum. De quo §. 7. Octavus. Manus violentæ in Clericum. De quo §. 5. Nonus. Juramentum falsum in judicio. De quo §. 15. Decimus. Venefici, & veneficæ. De quo §. 3. Undecimus. Divinatores. De quo ibidem. Duodecimus. Donatio, vel receptio pecuniæ, vel rei pecunia æstimabilis pro Confessione Sacramentali. De quo §. 29.

§. 15.
De casibus reservatis in Diœcesi Angrensi Insularum Tertiarum.

410 IN Diœcesi Angrensi Insularum Tertiarum reservantur undecim casus. Primus. Crimen Hæresis. De quo §. 1. Secundus. Blasphemia, vel abnegatio Dei. De quo §. 2. Tertius. Crimen veneficii, aut divinationis ab aliquibus personis scitum: sufficit autem, ut sciatur à duabus. De quo §. 3. Quartus est. Homicium voluntarium commissum extra bellum justum. De quo §. 8. Quintus. Incendium factum de proposito, ex intentione nocendi, antequam denuntietur, quia postquam incendiarius excommunicatus denuntiatur, est casus Papalis, hoc est, reservatus Papæ. De quo §. 12. Sextus. Matrimonium clandestinum, & testes, qui illi assistunt. De quo §. 17. Septimus testimonium falsum in judicio, vel in actis. De quo §. 15. Octavus. Scriptura falsa. De quo §. 16. Nonus. Sacrilegium. De quo §. 4. Decimus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, vel illis, quibus debentur, quæ excedant valorem centum regalium æreorum, id est, *decem reis*. De quo §. 12. Undecimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §. 6.

§. 16.
De casibus reservatis in Prioratu Crattensi nullius Diœcesis.

IN Prioratu Crattensi nullius Diœcesis ex antiqua consuetudine, & approbatione Prælatorum, observantur Constitutiones Diœcesis Eborensis. Et consequenter reservantur Prælato, hoc est, Provisori, qui jurisdictionem exercet quasi Episcopalem, iidem omnino, qui reservantur Archiepiscopo in prædictis constitutionibus. Qui proinde videndi sunt §. 3. hujus sectionis, eorumque explicatio locis ibidem assignatis, ne eadem repetamus. 411

§. 17.
De casibus reservatis in Ecclesia Thomarensi nullius Diœcesis.

IN Constitutionibus Ecclesiæ Thomarensis nullius Diœcesis editis anno 1554. titulo de Confessione Constit. 5. tres tantùm sunt casus reservati. Primus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo sect. præcedente, §. 6. Secundus. Manus violentæ in Clericum. De quo ibidem §. 5. Tertius. Relaxatio juramenti, & commutatio cujuscumque voti. De quo §. 7. 412

Digitized by Google

§. 18.
De casibus reservatis in Diœcesi Brasiliensi.

413 NOn potui videre Constitutiones hujus Diœcesis, accepi tamen à personis Religiosis fide dignis casus in ea Diœcesi reservatos esse vigintiduos. Primus. Manus violentæ in Clericum. De quo sect. præcedente, §.5. Secundus. Ordinatio per saltum. De quo §.21. Tertius. Juramentum falsum in judicio. De quo §.15. Quartus. Celebratio Missæ illius, qui ordinatus fuit cum dimissoriis falsis. De quo §.30. Quintus. Peccatum Sacerdotis, cui annexa est irregularitas. De quo §.31. Sextus. Dispensatio in votis, aut juramentis sine legitima potestate. De quo §.32. Septimus. Hæresis. De quo §.1. Octavus. Homicidium voluntarium extra bellum justum. De quo §.8. Nonus. Peccatum incendiarii commissum de proposito ex intentione damnificandi, antequam denuntietur excommunicatus, quia, post talem denuntiationem, est casus Papalis, seu Papæ reservatus. De quo §.12. Decimus. Sacrilegium. De quo §.4. Undecimus extrahere ab Ecclesia illum, qui ad illam confugit, gaudetque ejus immunitate. De quo eodem §.4. num.325. & sequenti.

414 Duodecimus. Furtum ex loco sacro. De quo ibidem num.324. Decimustertius. Excommunicatio major à jure, vel ab homine. De quo §.6. Decimusquartus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur, quæ excedant valorem assignatum in Constitutionibus, qui valor quantus sit, ad meas aures non pervenit, facta omni diligentia. Decimusquintus. Decimæ non solutæ Ecclesiis, quibus debentur, quæ excedant valorem quadringentorum æreorum, seu quæ excedant *quatrocentos reis*. De quo §.14. Decimussextus. Peccatum Blasphemiæ, quæ fit aliquibus cognita. De quo §.2. Decimusseptimus. Venefici, & veneficæ. De quo §.3. Decimusoctavus. Cohabitatio sponsorum ante denuntiationes, hoc est, cohabitationem eorum, qui matrimonium de præsenti contraxerunt, ante præmissas denuntiationes, dispensante ad id Episcopo, ex causa justa. De quo §.34. Decimusnonus. Invasio Indorum. De quo §.35. Vigesimus. Cognitio carnalis mulieris paganæ, vel hominis similiter pagani. De quo §.36. Vigesimusprimus. Venditio, vel emptio Indorum liberorum. De quo §.39. Vigesimussecundus. Matrimonia clandestina. De quo §.17.

§. 19.
De casibus reservatis in Diœcesi Angolana.

NEque etiam videre licuit Constitutiones Diœcesis Angolanæ. 415
Ut tamen accepi à personis religiosis fide dignissimis, in ea reservantur varii casus. Primus. Hæresis. De quo §.1. sectionis præcedentis. Secundus. Homicidium voluntarium extra bellum justum. De quo §.8. Tertius. Negligentia eorum, quorum parvuli inveniuntur suffocati. De quo §.11. Quartus. Incendiarius de proposito, & ex animo nocendi, antequam sit denuntiatus, quia si denuntiatus, declaratusque fuerit, habebit casum reservatum Papæ. De quo §.12. Quintus. Testimonium falsum in judicio, vel in actis judicialibus. De quo §.16. Septimus. Habere bona aliena, quorum dominus ignoretur; quæ excedant valorem quinque cruciatorum. Si hanc summam non excesserint, potest pœnitens absolvi, tradendo priùs pecuniam ad fabricam Ecclesiæ, cujus Parochianus est. Si autem prædictam summam excesserint, tradenda est Provisori, aut Vicario generali, si commodè fieri possit, ut eam insummant in operibus piis. Si verò pœnitens fuerit in parte remota, tradetur Vicario, Curæ, vel Capellano, ad eumdem finem, ut videlicet in operibus piis expendatur. De quo §.13.

416 Octavus. Matrimonium clandestinum, ejusque testes. De quo §.17. Nonus. Sacrilegium. De quo §.4. Decimus. Manus violentæ in Clericum. De quo §.5. Undecimus. Excommunicatio major à jure, vel ab homine, quæ alicui reservata non sit. De quo §.6. Duodecimus. Omne genus veneficiorum, invocatio dæmonis, consultatio illius, pactum cum illo, augures, divinatores. De quo §.3. Decimustertius. Blasphematores, vel abnegatores publici. De quo §.2.

De-

Digitized by Google

Decimusquartus. Idololatria, & quilibet ritus gentilicus. De quo §. 38. Decimusquintus. Ordinatio per saltum, aut cum dimissoriis falsis, aut se ingessisse furtivè ad sacros ordines. De quo §. 21. Decimussextus. Omnis commutatio votorum. De quo §. 7. Decimusseptimus. Vendere servos mutos, aut surdos, vel aliis infirmitatibus occultis affectos, eas malitiosè celando emptores. De quo §. 39. Decimusoctavus. Retinere apud se servos fugitivos, vel à dominis suis aberrantes, illosve furari. De quo §. 40. Decimusnonus. Qui carnaliter cognoscunt sponsas, ante matrimonium celebratum in facie Ecclesiæ, cum quibus sponsalia jurarunt, vel etiam ante acceptas benedictiones. De quo §. 18. Vigesimus. Decimæ non solutæ Ecclesiæ, quæ excedant sexcentos regales æreos, hoc est, *seiscentos reis*. Si tamen satisfecerunt ante confessionem, possunt absolvi, licèt quantitas fuerit major. Quod etiam intelligo, si satisfaciant ante absolutionem. Vigesimusprimus. Peccatum clerici, quod habet annexam irregularitatem. De quo §. 31. Nota verò, si constitutiones loquantur de sacerdote, non comprehendi clericos inferiores: si loquantur de clericis absolutè, comprehendi omnes clericos, quorum peccato annexa fuerit irregularitas. Vigesimussecundus. Dispensare in votis, aut juramentis. De quo §. 32. Vigesimustertius. Invadere in viis publicis iter facientes. De quo §. 41. Vigesimusquartus. Copula carnalis personæ christianæ cum pagana. De quo §. 36. Vigesimusquintus. Concubinatus durans per tres annos, vel ultra. De quo §. 42. Excommunicantur autem confessores, qui absolverint ex aliquo ex his casibus, vel ex alio reservato Pontifici, absque legitima facultate, vel privilegio. Præterea prohibentur sub censura omnia illa, de quibus egimus sect. præcedente §. 43.

CAPUT XI.

De Indulgentiis.

417 Quia in sequentibus acturus sum de jubileo, ac bulla cruciata, in quibus conceditur Parocho, aliisque confessariis ab ordinario approbatis facultas absolvendi à casibus reservatis tam Papæ, quàm Episcopis, & concedendi indulgentias in ipsis concessas; visum est non alienum à nostro instituto dicere in hoc cap. de indulgentiis, ut ibi dicenda clariora evadant, & ut Parochus in hac materia cum sufficienti notitia & operetur, & loquatur. Præmittam igitur primò aliqua ad cognitionem indulgentiarum. Secundò explicabo, quid sit indulgentia. Tertiò, dicam de causa finali, & efficiente illius. Quartò, de variis modis illius, quibus prodesse potest.

SECTIO I.

Præmittuntur aliqua ad cognitionem Indulgentiæ.

Quia Indulgentia definiri solet: *Remissio pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debita extra sacramentum facta, ex thesauri Ecclesiæ dispensatione*: ut sect. 2. explicabo. Præmitto [a] primò, hominem peccando mortaliter duo mala incurrere, nempe malum culpæ, & malum, seu reatum pœnæ. Culpa consistit in quadam deordinatione, seu aversione à summo bono, quæ remanet ex peccato actuali, & dicitur moraliter permanere in anima, habetque conjunctam privationem gratiæ sanctificantis, amoris, & amicitiæ Dei, quam sequitur odium, & inimicitia ipsius Dei, qua prosequitur hominem peccatorem, tamquam inimicum, & sibi invisum. Malum verò, seu reatus pœnæ est obligatio ad pœnam æternam inferni, cujus homo fit reus, & debitor per culpam mortalem. Similiter in peccato veniali, est sua culpa, & deformitas, seu deordinatio, levis tamen sine gratiæ privatione, aut aversione à summo bono simpliciter dicta, & reatus pœnæ temporalis debitæ tali deordinationi, quæ solvenda est sive in hac vita, sive in Purgatorio; cùm enim per peccatum veniale non perdat homo amicitiam Dei, nec reddatur inimicus, sed solùm remittat fervorem amicitiæ, & charitatis, non contrahit reatum pœnæ æternæ. 418

[a] Suar. de pœn. d. 10. s. 2, n. 4.

419 Præmitto secundò, non quoties remittitur [b] homini culpa, remitti simul totam pœnam, sed sæpè remitti tantùm partem pœnæ, cùm enim

[b] Trid. sess. 14. c. 8. Suar. d. 10. sect. 3.

enim remittitur culpa mortalis, remittitur etiam pœna æterna, quoad æternitatem, & sæpè mutatur in temporalem in hac vita, aut in Purgatorio solvendam. Quando verò remittitur culpa venialis, simili modo aliquando remittitur tota pœna, aliquando sola pars. Unde quamvis aliquando tota pœna remittatur, ut in Baptismo, & in aliis Sacramentis, quando fuerit vehemens contritio, & devotio suscipientis digna hujus effectus; non tamen hoc semper contingit extra Baptismum, sed frequentiùs contingit oppositum.

c Soa.d.37 f.3.n.7.& 8.

420 Præmitto tertiò, opera [c] bona hominum justorum in hac vita duo habere & esse meritoria, & satisfactoria. Sunt meritoria gratiæ, & gloriæ; nam justo per bona opera datur statim augmentum gratiæ, & post mortem major gloria gratiæ respondens. Sunt satisfactoria pro pœnis, quas debet pro peccatis mortalibus jam remissis quoad culpam, & non quoad totam pœnam, & pro venialibus, ita ut pro quantitate operum minuatur etiam quantitas pœnæ temporalis debitæ. Est autem discrimen inter meritum, & satisfactionem; quia nullus justus meretur alteri gratiam, aut gloriam de condigno, sicut meretur sibi; solus enim Christus Dominus omnibus meruit gratiam, & gloriam; nam quæcumque hominibus data est, aut dabitur, ex meritis Christi danda est. At unus justus potest satisfacere pro aliis, quoad pœnam, sicut pro se, si sua opera applicet aliis.

d Soa.d.51. f.1.n.2.

421 Præmitto quartò, [d] multos esse justos, qui aut nullius, aut modicæ sunt pœnæ debitores, quia vel nulla, vel paucissima, eaque venialia peccata committunt, quorum tamen opera sunt multò magis satisfactoria, quàm ipsi indigeant. Quod maximè verum est in Christo, qui nullum peccatum fecit, nec pœnam debuit; & tamen opera ejus fuerunt infinitè satisfactoria pro pœnis infinitis. Et in B. Virgine, quæ nullum etiam peccatum habuit; cùm tamen ejus opera fuerint excellentissimè satisfactoria. Et idem est cum proportione de sanctis Apostolis, Martyribus, Virginibus, Confessoribus, & infinitis aliis justis utriusque testamenti.

422 Præmitto quintò, quamvis ista satisfactio non profuerit ipsis sanctis, qui ea non indigebant, non tamen periisse: sed prodesse omnibus, qui satisfactione indigemus; nam, ut ait [e] Apostolus, omnes sumus unum corpus in Christo, ipse caput est, reliqui omnes membra. Cùm ergo caput virtutem in membra diffundat; & unum membrum, ratione unionis cum aliis sub eodem capite, aliis communicet id, quo non indiget; fit quòd omnes satisfactiones tam Christi Domini, quàm Matris ejus sanctissimæ, & omnium justorum à primo Abel justo usque ad ultimum, conserventur in divina acceptatione, & quasi depositæ in corpore Ecclesiæ, ut ex ipsis fiat communicatio membris indigentibus; unde dicuntur tales satisfactiones thesaurus Ecclesiæ militantis, qui quidem infinitus est, quia sola Christi satisfactio, quando aliæ, quæ sunt innumeræ, deessent, est infinita.

e Rom.12. 5.

423 Præmitto sextò, [f] in Ecclesia esse potestatem dispensandi bona hujus thesauri membris indigentibus. Ad quid enim esset thesaurus, si non esset clavis aperiens, & potestas aperiendi, & distribuendi? Hæc autem potestas est in Christi Vicario, qui potest dispensare fidelibus thesaurum istum. Quoties ergo dispensat, ut ex hoc thesauro satisfaciamus pro pœnis nobis debitis, talis dispensatio dicitur indulgentia. [g] Quare tria in hac materia certa in fide habenda sunt. Primum, esse in Ecclesia Christi hunc thesaurum infinitum satisfactionum Christi, & Sanctorum. Secundum, esse in Ecclesia potestatem dispensandi hunc thesaurum. Tertium, esse utiles, & prodesse fidelibus indulgentias, ut sæpè definitum est. Unde Pius IV. Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesia relictam illarumque usum populo christiano maximè salutarem esse affirmo.

f Soa.d.51.

g Trid.s.25. decret de indulg.

SECTIO II.

Explicatur, quid sit Indulgentia.

His præmissis facilè explicatur definitio [a] indulgentiæ suprà posita. Dicitur enim *Remissio*, quia per eam fit quædam condonatio, & relaxatio debiti, in qua simul intervenit mise- 424

a Tol. l.6. c.21.&12. Soa. de pœn d.29. f.4.

misericordia, & justitia ad eum modum, quo intervenirent in eo, qui esset debitor centum ducatorum, quæ ei darentur ex ærario publico, ut ea solveret. In quo esset misericordia, quatenus ei darentur illa centum; & esset justitia, quatenus debitum verè solveretur. Ita misericordia est, quòd alicui detur satisfactio ex thesauro publico Ecclesię, ad satisfaciendum pro pœnis peccatis suis debitis; & justitia, quia pœna debita verè solvitur, licèt per satisfactiones alienas sibi applicatas. Unde dixit benè D. Thom.[b] indulgentiam non tam esse remissionem, quàm commutationem pœnæ, qua unius pœna mutatur in pœnam alterius, quamvis dicatur remissio, condonatio, & relaxatio respectu illius, cui fit.

b In 4. d. 20. q. 1. n. 3

425 Dicitur *Pœnæ*, quia culpa non remittitur per indulgentiam, sed pœna debita culpæ. Culpa enim remittitur per sacramentum, vel per contritionem cum voto sacramenti, ut dictum est lib. præcedenti. Neque obstat, quòd aliquando in concessione indulgentiæ dicatur liberari fidelis à culpa, & pœna. Quia sensus est, liberari à culpa ratione confessionis, vel contritionis, quæ premittenda est ad lucrandam indulgentiam, quæ non prodest existenti in culpa mortali; non verò quòd ipsa indulgentia, ratione sui, remittat culpam. Unde indulgentia ratione sui solam pœnam remittit.

426 Dicitur *Temporalis*, quia pœna æterna, quæ debetur peccato mortali, non remittitur per indulgentiam, sed per sacramentum pœnitentiæ, aut contritionem cum voto sacramenti, ubi culpa remittitur, & consequenter pœna æterna illi debita, quæ quidem remittitur quoad æternitatem, & commutatur in temporalem, ut suprà dictum est. Unde hæc temporalis per indulgentiam remittitur, quia solam illam debet justus capax indulgentiæ.

427 Dicitur *Pro actualibus peccatis debita*, quia pœna æterna damni, seu carentia æterna visionis Dei debita peccato originali, non tollitur per indulgentiam, sed per Baptismum, aut dilectionem veram charitatis cum voto Baptismi. Aliæ verò pœnalitates, ut morbi, mors, & similes hujus vitæ, quas per peccatum originale contraximus, numquam remittuntur, quia sunt connaturales naturæ justitia originali destitutæ.

428 Dicitur *Extra Sacramentum facta*; quia virtute sacramenti remittitur aliquando pars pœnæ temporalis, & aliquando tota. maximè quando sacramenta cum magna devotione frequentantur ab illis, qui piè vivunt, quibus sæpè virtute illorum tota pœna prioribus peccatis debita in totum extinguitur. Non tamen dicitur indulgentia, sed effectus sacramenti. Unde indulgentia non habet ordinem ad Sacramentum, nisi quatenus hoc inservit, ut homo ponatur in statu gratiæ in quo sit capax indulgentiæ, quæ nemini in statu peccati prodesse potest.

429 Dicitur *Ex thesauri Ecclesiæ dispensatione*; quia licèt homo per bona opera, quæ facit, dum est in gratia, consequatur remissionem pœnæ peccatis suis debitæ, non tamen est indulgentia; quia non est satisfactio sumpta ex thesauro Ecclesiæ, sed solutio ex propriis. Neque etiam est indulgentia, quando quis applicat satisfactionem suam, v. c. jejunium, eleemosynam, aut aliud opus pœnale pro anima Purgatorii, aut etiam pro viatore: quia est satisfactio ex bonis particularibus, non ex communibus Ecclesiæ, in ejus thesauro asservatis.

430 Ex quibus constat quid sit indulgentia. Quòd verò ad nomen attinet, ideo remissio, seu commutatio prædicta indulgentia appellatur; quia quando hoc nomen in bonam partem sumitur, significat quamdam clementiam, & lenitatem, qua homo non exigit omnia secundùm summum rigorem justitiæ. Cùm igitur rigor justitiæ exigere videatur, ut qui debet pœnas, illas per se solvat, quando aliena satisfactio alicui applicatur, indulgentia dicitur, quando fit ex bonis communibus Ecclesiæ, ut dictum est.

SECTIO III.

De causa efficiente, & finali indulgentiæ.

Per causam efficientem intelligimus eam, quæ indulgentias concedere solet; 431

a Soar. de pœn. d. 55. Tol. l. 6. c. 25. solet; dicimusque solum [a] Pontificem habere hanc potestatem immediatè à Christo, à quo ei datur universalis potestas ligandi, & solvendi promissa, & data Petro, ac ejus successoribus. Concilio generali eamdem potestatem aliqui concedunt. Sed verius est eam non habere, nisi Pontifex in eo assistat; & tunc eam habebit ratione capitis, non ratione sui. Si verò non assistat solùm habebit eam, quam Pontifex concesserit; & si nihil concesserit, nihil habebit. Episcopi eam habent cum limitatione, nempe ad suam diœcesim. Archiepiscopi autem ad suam provinciam, in quibus ex juris b C. cum ex eo, & c. nostro de pœn. & Remiss. [b] canonici dispositione possunt concedere indulgentias temporales, non verò perpetuas, neque plenarias, sed unius anni in die Dedicationis Ecclesiæ; in aliis autem occasionibus solos quadraginta dies. Idem potest Legatus Pontificis in loco suæ legationis, quod Episcopi in suis Diœcesibus, addito quòd possunt eas perpetuas concedere. Præterea potest Pontifex hanc potestatem majorem concedere, quibus judicaverit concedendam.

432 Causa finalis dicitur ea, quæ movet ad indulgentiam concedendam. Circa quam adverte aliquam causam honestam, [c] & piam necessariam esse c Soar. d. 54. s. 1. ad indulgentiam concedendam, [c] quæ distincta sit ab ipso effectu indulgentiæ. Quia hæc potestas data est à Christo in ædificationem, non in destructionem: concessio verò sine causa esset in destructionem, ut benè probat Soar. Requiritur autem causa, non solùm ut licitè concedatur, sed etiam validè ex omnium sententia. Quia Pontifex non est dominus, sed dispensator thesauri Ecclesiæ: ergo non potest pro suo arbitratu validè illius bona dispensare, sed juxta Domini voluntatem, & intentionem, quæ est ut rationabiliter, & ex causa sufficiente bona ipsius dispensentur.

433 Sed quid, quando causa aliàs justa, & honesta proportionata non d Soar. s. 2. & 3. est? Resp. [d] saltem indulgentiam non esse omnino nullam, sed valere, quantum causa exigit. Valere autem quoad totum, quamvis causa sit exigua, & indulgentia magna, docent aliqui, e Tol. c. 28 n. 4. inter quos est Tolet. [e] quatenus ait: Licèt Pontifex peccet ex parva causa indulgentiam magnam concedens, hanc tamen valere quoad totum. Communis tamen, & verior sententia docet ad valorem talis indulgentiæ requiri causam proportionatam quantitati indulgentiæ, quamvis in hac proportione detur maximum, medium, & infimum, ut in pretio rerum; primò quia ea causa, quæ necessaria est, ut concessio sit recta, & justa; requiritur etiam ad valorem ejus: sed ut rectè & justè indulgentia concedatur, requiritur causa proportionata: ergo eadem requiritur ad ejus valorem. Secundò, quia Pontifices, quando loquuntur de concessione indulgentiarum, requirunt causam rationabilem: causa autem rationabilis debet esse justa, & proportionata. Tertiò, quia quantum concessio excedit causam, tantum conceditur sine causa justa, pro sola voluntate concedentis; ergo tantum habet nullitatis, seu quoad excessum est invalida: ergo ut sit integrè valida, causam requirit proportionatam.

434 Duo tamen notanda sunt. Primum, istam æqualitatem causæ consistere in quadam prudenti, & morali æstimatione proportionis, quæ servari debet inter medium, & finem, ita ut illa causa censeatur adæquatè proportionata indulgentiæ, ad quam obtinendam, & procurandam hic, & nunc, pensatis omnibus circumstantiis, & concessione talis indulgentiæ, prudenter æstimetur medium proportionatum, & conveniens. Secundum, [f] f Tol. c. 28 quemlibet inferiorem debere existimare Pontifices habere causas sufficientes ad concedendas indulgentias, quas concedunt, nec debere temerè judicare illorum facta; quamvis suo ingenio non appareant ita magnæ rationes, quas non opus est, ut semper attingant.

435 Ad indulgentiam, quæ toti Ecclesiæ conceditur, [g] regulariter re- g Soar. s. 4. quiritur causa communis immediatè pertinens ad utilitatem totius Ecclesiæ, vel saltem alicujus partis principalis ejus, ut unius Regni, vel Provinciæ. Ita probat usus Ecclesiæ, & ratio ipsa, quia causa debet esse proportionata effectui. Quando indulgentia non conceditur immediatè personis, sed mediante loco; satis est, ut causa locum immediatè attingat, aut Sanctum, qui in eo specialiter colitor,

Digitized by Google

tur, quia juxta modum indulgentiæ debet esse modus causæ, & utilitas ejus, quamvis enim hujusmodi locus particularis videatur, ejus tamen celebritas, & favor redundat in omnium fidelium utilitatem.

436 Id autem notandum, non oportere hanc utilitatem immediatè esse spiritualem, sed posse esse temporalem, ut est defensio Ecclesiæ ab hostibus ejus, expulsio famis, sterilitatis, pestis, & similium malorum à Deo impetranda. Quia sicut honestum est hæc à Deo petere, ita & adjungere favorem indulgentiæ, ut hujusmodi orationes devotiùs, & frequentiùs fiant. Nec necessaria est causa, quæ nascatur ex aliqua peculiari necessitate, aut malo imminenti, sed sufficientissima est Christiani populi reformatio, vel spirituale augmentum; nam populus multùm movetur ad pietatem, & frequentiam Sacramentorum per hujusmodi indulgentiarum concessiones, ut experientia docet.

437 Ad indulgentiam particularem, causa[h] particularis sufficit; nam sufficientia hujus causæ non fundatur in universalitate, sed in honestate, & proportione. Unde ad indulgentiam particularem alicujus Provinciæ, civitatis, vel Religionis satis est causa particularis, quæ respectu illius communis est; sic enim servatur proportio. Ad indulgentiam verò personalem sufficit causa personalis, quia illa est proportionata. Semper tamen debet esse distincta à fine intrinseco ipsius indulgentiæ. De quo plura DD.[i]

h Soa. sect. 4. n. 8.

i Soa. proxim. à n. 8

SECTIO IV.

De variis modis concedendi indulgentias.

438 SUppono[a] primò fuisse olim in Ecclesia morem imponendi graves, & diuturnas pœnitentias pro quolibet peccato mortale publico, aliquando septem annorum, aliquando plurium, secundùm gravitatem peccati, de qua re extant multi canones in decreto. Hæc autem pœna appellabatur canonica, non tamen respondebat omnino pœnæ, quæ secùndum Dei judicium responderet in Purgatorio tali peccato; ubi pœna, licèt fortè non esset tam longa quoad durationem, esset tamen acerbior, quoad intensionem, ut per se est evidens.

a Tol. l. 6. c. 23. Soar. c. 50.

439 Suppono[b] secundò, ex D. Thom. & aliis Theologis contra Caet. indulgentiam non solùm remittere pœnam, quæ secundùm canones, vel per confessorem infligenda esset, seu quæ eis in Purgatorio responderet, sed quæ secundùm Dei judicium in Purgatorio infligenda esset. Unde si per indulgentiam remittitur pœna unius peccati mortalis, quoad culpam remissi, nulla pœna pro illo restat solvenda in Purgatorio; & consequenter si remittitur pœnam omnium, liber est homo ab omni pœna. Quando verò in indulgentia conceditur annus, dies plures, vel pauciores, remittitur sola pœna, quæ homini in hoc mundo infligenda esset, secundùm canones, & quæ illi in Purgatorio responderet. Quare cùm homo plura peccata mortalia committat, ob quæ deberet secundùm canones plura annorum millia in pœnitentia transigere, si vita superesset, ideò aliquando conceduntur mille anni, duo, & plures indulgentiæ. Et hoc significat illa particula, *De injunctis pœnis,* quæ olim adjungebatur in concessionibus, & hodie omitti solet, quia jam ex usu intelligitur.

b Soar. s. 4. & 5. Tole. c. 23.

440 Suppono[c] tertiò, quando absolutè conceditur indulgentia sine limitatione temporis, & sine illa particula: *de injunctis pœnis*. Valere ad remissionem pœnarum, non solùm quæ in confessione, aut secundùm canones infligendæ forent, sed quæ in Purgatorio, secundùm justum Dei judicium, essent infligendæ, & hodie sub tali forma concedi solent. Unde sequitur illum, qui hodie lucratur indulgentiam, satisfacere per illam pœnitentiis impositis à confessore, & consequenter non teneri illas subire, ut omnes docent. Quamvis optimum consilium sit illas implere, & quia sunt partes sacramenti, & non constat ex parte nostra de consecutione indulgentiæ, & quia per opera injuncta consequitur homo augmentum gratiæ. Hoc tamen intelligitur de pœnis satisfactoriis, non de medicinalibus, quæ semper

c Soa. n. 10 Tol. c. 23.

per

Digitized by Google

per implendæ sunt. De aliis verò, debent confessores minores imponere in occasione Jubilęi, & similium indulgentiarum.

441 Ex his facilè intelligi possunt ᵈ varii modi concedendi indulgentias. Potest enim indulgentia esse vel totalis, vel partialis. Totalis est, quæ totam pœnam remittit, & secundùm formalem rationem unica est, & divisionem non recipit, dicique solet plenaria, & plenissima; quæ verba, licèt olim fortassè aliquod discrimen importarent, hodie nullum important, sed idem valent. Indulgentia partialis est, quæ remittit partem pœnæ; & hæc variis modis concedi solet. Primò enim conceditur limitata tertiæ, vel quartæ partis peccatorum, & intelligitur de pœna debita pro tanta parte peccatorum mortalium, & venialium, quanta signatur in indulgentia. Secundò, conceditur limitata indulgentia temporis, v. c. mille annorum, plurium, vel pauciorum. Et tunc remittitur pœna illa, quæ remitteretur, si homo toto illo tempore pœniteret secundùm canones, & consequenter pœna Purgatorii tali pœnitentiæ correspondens.

d Tol. c. 24 Soar. d. 5. s. 4. & 5.

442 Nota verò aliquando concedi ᵉ indulgentiam temporis limitati cum numero quarentenarum, quæ quarentenæ sunt dierum, & non computantur extra annos concessos, sed in illis clauduntur. Quod ut intelligas, adverte, quando olim pro peccato infligebatur pœna septem, aut plurium annorum, non semper fuisse æqualem pœnam subeundam, sed fuisse certos dies, in quibus acrior pœna dabatur, ut patet ex cap. Presbyter d. 82. & multis aliis; quæ acriores pœnæ dicebantur quarentenæ, seu carenæ. Unde quando hodie conceduntur tot quarentenæ, remittitur pœna Purgatorii, quæ remitteretur, si homo talem faceret pœnitentiam.

e Soar. s. 5. num. 14. Tol. c. 24.

443 Nota denique circa indulgentiam totalem, aliquando concedi ᶠ indulgentiam Jubilęi, aliquando per modum Jubilęi; neutra tamen differt per se ab indulgentia plenaria, seu plenissima, nisi ex adjunctò; quia frequenter in Jubilęo conceditur facultas absolvendi à casibus reservatis, & commutandi vota. Licèt autem Jubilęus olim concederetur centesimo quoque anno, postea quinquagesimo, hodie conceditur vigesimoquinto quoque anno, visitantibus Romæ limina Apostolorum, & alias celebres Basilicas. Solent tamen Pontifices ex gravissimis causis aliquando concedere eamdem indulgentiam, quæ conceditur in Jubilęo, quæ à plenaria non distinguitur, dicitur tamen per modum Jubilęi ad eam magis commendandam.

f Tol. c. 24 n. 1 Soar. supra.

SECTIO V.

Quibus Indulgentia prodesse possit?

444 INdulgentiæ prodesse possunt non solùm vivis in hac vita existentibus, ᵃ sed etiam mortuis in Christo existentibus in Purgatorio. Est veritas definita in Trident. ᵇ & comprobata usu Ecclesiæ, quæ indulgentias non solùm vivis, sed etiam mortuis applicat, & ratione probatur. Quia si bona opera fidelium prosunt aliis fidelibus justis vivis, & defunctis, multò magis proderunt satisfactiones Christi, B. Virginis, & Sanctorum, quæ servantur in thesauro Ecclesiæ, & per Pontificem dispensantur, & applicantur tam vivis, quàm mortuis existentibus in Purgatorio.

a Tol. c. 29. & 27 Soa. d. 52. & 53.

b Sess. 25. decret. de Purgat.

445 Diverso ᶜ tamen modo conceduntur vivis, ac defunctis. Nam vivis conceduntur per modum absolutionis, & potestatis juridicæ, quam Pontifex habet in vivos tamquam in sibi subditos, quos absolvit à pœnis ipsorum peccatis debitis, applicando pro eis tamquam dispensator fidelis satisfactiones thesauri Ecclesiæ. Mortuis verò, cùm jam non sint subditi Pontificis, conceduntur solùm per modum suffragii, ut ipsi Pontifices declarant, & semper declararunt.

c Tol. c. 26. Soa. d. 53. s. 2. & 3.

446 Est autem concedere indulgentias ᵈ per modum suffragii, liberare animas Purgatorii à pœnis, applicando solùm satisfactiones aliorum in pretium; sicut si aliquis esset in carcere ex judicis authoritate, ob debitum aliquod, & amicus procuraret, ut ex thesauro publico offerretur pro illo satisfactio, verè diceretur illum è carcere liberare, aliter tamen, ac judex, nam iste liberaret juridicè per modum potestatis, & absolutionis, amicus

d Tol. c. 26. n. 3. Soar.

Digitized by Google

amicus verò per modum adjuvantis, & offerentis pretium liberationis. Sic Pontifex per indulgentias liberat per modum adjutorii, offerendo id, quod solvere tenebantur; Christus autem judex acceptans satisfactiones oblatas liberat per modum potestatis, & absolutionis. Et hoc est liberare defunctos, ex parte Pontificis per modum suffragii, non per modum potestatis, quam in illos non habet.

e Tol. n. 4. 447 Ob aliam etiam [e] causam dicitur concedi indulgentia defunctis per modum suffragii, quia nempe vivi pro mortuis faciunt opera illa, quæ imponuntur ad consequendam indulgentiam. Et quia causa, pro qua conceditur vivis, etiam se extendit ad mortuos, vivi suffragantur mortuis, & in opere, & in causa; quantùm ad consecutionem indulgentiæ. Neque existimes indulgentias esse mortuis incertas, quia Ecclesia eas applicat per modum suffragii. Quia Deus semper eas acceptat, sicut etiam pro vivis, ex pacto divino, seu ex merito satisfactionum Christi, & Sanctorum volentis, & statuentis ut prosint membris ejus indigentibus.

f Tol. c. 16 n. 5. Soar. d. 54. s. 4. n. 6. 448 Nota [f] verò in illo, qui lucratur indulgentiam pro defuncto, non requiri statum gratiæ. Nam ratio satisfactionis, seu pretium pro pœnis, non est opus illius, qui fortè est in statu peccati, sed est indulgentia ipsa, & thesaurus meritorum Christi, & Sanctorum: illud verò opus particulare; per quod indulgentia applicatur, fit ab illo homine nomine Ecclesiæ, in qua nunquam deest gratia: sed opus, cùm ab aliquo fit nomine alterius, non perdit valorem, quamvis qui immediatè facit, non sit in gratia, patet in eo justo, qui facit eleemosynam per servum peccatorem: ergo cùm Ecclesia sit, quæ constituit vivos, ut lucrentur indulgentias pro defunctis, opera vivorum non perdunt valorem pro mortuis, licèt instrumenta, per quæ fiunt, mala sint.

g Soar. d. 52. s. 2. 449 Aliter dicendum de eo, qui sibi indulgentiam [g] lucratur: hic enim debet esse in statu gratiæ, existentibus namque in peccato mortali indulgentiæ non prosunt. Prob. quia satisfactio unius non prodest alteri, nisi quia conjunctus est ei in uno corpore mystico sub eodem capite Christo: sed hæc conjunctio fit per gratiam, qua justi inter se, & cum Christo uniuntur: ergo sine hac unione, in qua indulgentia fundatur, hæc prodesse non potest.

450 Notandum [h] deinde, quando aliquod opus, vel opera imponuntur pro lucranda indulgentia, talia opera implenda esse, aliter nemo lucrabitur indulgentiam. Quamvis autem optimum sit facere omnia opera in statu gratiæ, si tamen aliqua fiant in peccato, & ultimum fiat in gratia, indulgentia comparatur: quia satis est status gratiæ, quando indulgentia comparari debet, quod fit per ultimum opus. Unde quando datur indulgentia ter jejunantibus in hebdomada, facientibus eleemosynas, visitantibus Ecclesias, quamvis omnia hæc fiant in peccato, si tamen sint in gratia, quando communicant, si hoc sit ultimum opus, indulgentiam consequuntur, & ideo conveniens est, quod communio sit ultima. h Soar. s. 5

451 Considerandæ autem maximè sunt clausulæ, conditiones, & opera injuncta, sub quibus indulgentia conceditur, ut omnia impleantur. Nec enim licet facere unum opus pro alio, nisi in concessione id permittatur, ut sæpè permittitur judicio confessoris unum pro alio commutare. Ideo Indulgentiæ dicuntur tantum valere, quantum verba sonant.

452 Quamvis autem plures [i] teneant, quando in concessione dicitur: *Confessis, & contritis*. Non opus esse statim confiteri, nisi aliis verbis in concessione explicetur, sed satis esse illo anno fuisse confessum, & habere tunc contritionem cum proposito confitendi tempore debito. Tutius tamen est, licèt homo putet se esse contritum, & in gratia, vel habeat sola venialia, facere confessionem sacramentalem. Quia fortè Pontifex exigit confessionem non solùm ad habendam gratiam, & remissionem peccatorum, quoad culpas, quæ potest haberi per contritionem cum voto Sacramenti, sed etiam ut conditionem per se requisitam ad lucrandam indulgentiam. Non tamen nego, quod si ex verbis concessionis colligi possit confessionem requiri solùm propter statum gratiæ, si homo sit in gratia, i Soar. s. 5.

satis

Digitized by Google

fatis probabile esse lucrari indulgentiam, non præmissa confessione; sicut si non haberet, nisi venialia; sed tutius est in omnibus his casibus confessionem præmittere.

CAPUT XII.

De Jubileo.

453 POst notitiam indulgentiæ, visum est aliquid dicere de Jubileo, quod est quædam indulgentia plenissima cum aliquibus privilegiis. Solent enim Pontifices ob publicas necessitates, & ad excitandam fidelium devotionem, concedere plenissimam, qualis concedi solet in anno Jubilęi, sub quibusdam conditionibus, quæ regulariter sunt jejunium trium dierum, eleemosynæ, ecclesiarum visitatio cum oratione, confessio, & communio. Et durat ordinariè per duas hebdomadas, ut in una, vel altera possit quis lucrari indulgentiam; quamvis aliquando soleat majus tempus concedi. Solet etiam concedi absolutio à reservatis per quemcumque confessorem approbatum ab Ordinario loci & commutatio votorum. Ponam igitur primò tenorem Jubilęi. Secundò dicam de privilegiis concessis in Jubilęo. Tertiò de operibus faciendis ad illud lucrandum. Quartò de tempore, quo facienda sunt opera. Quintò de potestate confessoris eligendi. Sextò expediam aliqua dubia, quæ in hac materia occurrere solent; ut Parochus noster in ea scienter procedat.

SECTIO I.

Tenor Jubilęi.

N. Episcopus servus servorum Dei universis Christi Fidelibus præsentes litteras inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

454 DOminus, ac Deus noster excelsus, qui in omnibus operibus suis justus est, & misericors, justo licèt judicio, visitet in virga iniquitates nostras, & in verberibus peccata nostra, misericordiam tamen suam non amovet à nobis: temporalia enim immittens flagella, immensa benignitate, & charitate sua revocat nos ab iniquitatibus nostris, ut ad pœnitentiam adducamur. Id verò nos cogitantes, sicut pro nostra Pastorali cura, maximo cordis dolore afficimur, cernentes tantis, ac tam gravibus procellis in Germania, & vicinis Provinciis agitari Ecclesiam Dei, ita etiam speramus in Domino, quòd si cum pressuris, nos in vias suas revocantem audierimus dignos fructus agentes pœnitentiæ, de tribulationum procellis populum suum educet, & tranquillitatem Ecclesiæ suæ restituet. Hoc verò ut impetrare valeamus, in corde contrito, & humiliato orationibus ad Deum adeamus; scriptum est enim: *Orabitis me, & ego exaudiam vos: quæretis me, & invenietis, cùm quæsieritis ex toto corde vestro.* Nec desint orationi jejunia, eleemosynæ, & alia pia opera, memores Danielis, cujus verba, ex quo die apposuit cor suum, ut se affligeret in conspectu Dei, exaudita fuerunt: nam quòd attinet ad eleemosynas eas peccata purgare, ac facere, ut inveniatur misericordia, satis etiam divinis eloquiis admonemur. Quocirca, ut quantum cum domino possumus, fideles ad hæc alacrius peragenda invitemus, pro nostro Pastoralis officii munere, ex solemni Ecclesiæ Catholicæ more, ejusdem Ecclesiæ thesauros, quorum licèt nullis nostris meritis à Domino dispensatores constituti sumus, proferre, & largissimè erogare decrevimus. Itaque ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, omnes, & singulos utriusque sexus Christi fideles, tam in alma urbe nostra, quàm alibi ubique locorum constitutos, Apostolica authoritate paternè, enixèque requirimus, monemus, & in Domino adhortamur ad infrà scripta devotè peragendum, & adimplendum, ac ad Deum Patrem misericordiarum orandum, ut per viscera misericordiæ suæ fidem catholicam protegere; ab hostium conatibus, & insidiis defendere, Hæresim extirpare, Principibus christianis, pacem, & veram concordiam donare, ac præcipuè præsentibus Ecclesiæ necessitatibus subvenire dignetur. Quamobrem de omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus authoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam nobis

Domi-

Dominus meritis minimè suffragantibus, contulit, universis, & singulis Christi fidelibus in Alma urbe prædicta degentibus, qui solemnibus processionibus, quas ab Ecclesia Sanctæ Mariæ Angelorum nuncupata, ad Basilicam Sanctæ Mariæ Majoris, & ab Ecclesia Sanctæ Mariæ super Minervam, ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Anima pariter nuncupatam, feria quarta, & sexta, Nos sequenti hebdomada, unà cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Christianorumque Regum, ac Principum apud nos, & Apostolicam Sedem Oratoribus, omnibusque Prælatis, proceribus, universoque clero, & populo, agemus interfuerint; aut qui prædicta, vel illam sequenti hebdomada, easdem Ecclesias, vel duas illarum saltem semel visitaverint, ibique devotè, ut suprà, Deum oraverint: ac feria quarta, & sexta, ac Sabbato ejusdem, vel sequentis hebdomadæ jejunaverint: ac peccata confessi fuerint, atque in primo die Dominico, vel secundo, seu saltem alio dictarum hebdomadarum die, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter susceperint, & eleemosynas, ad libitum, prout charitas suggesserit, fecerint. Cæteris verò omnibus, & singulis fidelibus extra urbem existentibus in quibusvis civitatibus, terris, & locis, qui processioni ab Ordinariis locorum, vel eorum vicariis, seu officialibus, vel de eorum mandato, & ipsis deficientibus, per eos, qui ibi curam animarum exercent, prima, vel secunda hebdomada, postquam ad eorum notitiam hæ nostræ litteræ devenerint, indicendæ, & agendæ, interfuerint, vel Ecclesiam, seu Ecclesias per eosdem designandas saltem semel visitaverint, ibique, ut suprà, Deum oraverint: ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius ex duabus hebdomadis ab eisdem deputandis, jejunaverint; pariterque peccata confessi: ac sanctissima communione refecti fuerint: & eleemosynas similiter, pro arbitrio suo, fecerint: plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in anno Jubilęi, visitantibus certas Ecclesias intra, & extra urbem, concedi consuevit, tenore præsentium concedimus, & elargimur. Navigantes verò, aut iter agentes, ut cùm primùm ad sua se se domicilia receperint suprascriptis omnibus peractis, ut suprà eamdem indulgentiam consequi possint, & valeant. Regularibus autem personis utriusque sexus in claustri perpetuis degentibus, nec non aliis quibuscumque, tam Laicis, quàm Religiosis sęcularibus, seu Regularibus, in carcere, seu captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut confessarius, quem, ut infra, elegerint prædicta, & singula omnia, in alia pietatis opera, commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus. Cupientes autem omnes Christi fideles participes fieri hujus pretiosissimi thesauri, universis, & singulis utriusque sexus, tam Laicis Ecclesiasticis sæcularibus, & Regularibus cujuscumque ordinis, congregationis, & instituti, licentiam concedimus, & facultatem damus, ut sibi ad hunc effectum, eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam secularem, quàm cujusvis ordinis Regularem ex approbatis à locorum Ordinariis, qui eos ab omnibus excommunicationis, suspensionis, & aliis ecclesiasticis sententiis, & censuris, à jure, vel ab homine, quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicæ, etiam in litteris in die Cœnæ Domini legi solitis, contentis, & alias per quascumque Romanorum Pontificem prędecessorum nostrorum constitutiones, quarum tenores in præsentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiæ, & hac vice tantùm, absolvere, & liberare valeant. Et insuper vota quæcumque (Religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus pœnitentia salutari, aliisque ejusdem confessarii arbitrio injungendis. Quapropter tenorem præsentium, in virtute sanctæ Obedentiæ districtè præcipimus, atque man-

mandamus omnibus, & quibuscumque venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ac quibuscumque Ordinariis locorum, eorumque Vicariis, & officialibus, vel illis deficientibus, illis, qui curam animarum exercent, ut cùm præsentium litterarum transumpta, aut exempla acceperint, illa statim absque ulla mora, retardatione, vel impedimento, per suas Ecclesias, & Diœceses, Provincias, & civitates, oppida, terras, & loca publicent, & publicari faciant, & cleris, ac populis sibi subjectis, solemnes processiones, & supplicationes indicant, & celebrent; Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent. Non intendimus autem per præsentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, quoquo modo contracta, dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiæ. Neque etiam iis, qui à Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Prælato, seu judice ecclesiastico, excommunicati, suspensi, interdicti, seu aliàs in sententias, & censuras declarati, vel publicè denuntiati fuerint, nisi infra tempus celebrationis hujusmodi Jubilęi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus facultas absolvendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles Jubilęi indulgentiarum, ac facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, nec non Regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque ordinum, & congregationum, sive institutorum Regularium juramento, confirmatione Apostolica, vel qualibet firmitate alia roboratis statutis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, aut expressio habenda, vel quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret: illorum tenores, præsentibus pro expressis, hac vice specialiter, & nominatim, & expresse, ad effectum præsentium, derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem presentes nostrę litteræ, quæ ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam faciliùs deveniant, volumus, ut earumdem præsentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, ubique locorum, & gentium, eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis litteris, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Domini, &c.

Hic solet esse tenor Jubilęi, in quo aliquando aliqualis fit major extentio, aliquando minor, sed regulariter conceditur sub hac forma.

SECTIO II.

De Privilegiis in Iubilęo concedi solitis.

455 IN Jubilęo debet Parochus, & quilibet confessarius maximè advertere ad verba, & clausulas positas in brevi Apostolico concessionis, quia juxta illas expediri debent difficultates occurrentes, & dirigi pœnitentes. Nam licèt verba, & clausulæ soleant regulariter esse ferè eædem, aliquando solet esse aliqualis diversitas secundùm voluntatem concedentis.

456 Privilegia regulariter concessa ad tria capita revocantur. In primo est indulgentia plenissima omnium peccatorum in forma Jubilæi, hoc est, remissio omnium pœnarum peccatis debitarum in justo Dei judicio, juxta ea, quæ dicta sunt cap. præcedente.

457 In secundo est potestas facta omnibus, & singulis fidelibus, etiam Regularibus cujuscumque ordinis, aut congregationis eligendi sibi confessarium ex approbatis ab Ordinario, qui hac vice tantùm eos absolvere possit ab omnibus censuris, & casibus reservatis non solùm Ordinariis quibuscumque, sed etiam Sedi Apostolicæ, imò & à contentis in Bulla Cœnæ, nisi

nisi aliquis casus specialiter excipiatur, ut aliquando excipitur casus hæresis, quæ non sit purè interna, nec merè externa sine errore intellectus, sed vera hæresis interna signo aliquo externo manifestata.

458 Nota verò primò satis probabile [a] esse posse confessorem per Jubilæum absolvere ab hæresi reservata in Bulla Cœnæ, pro foro interno conscientiæ, quando universaliter conceduntur omnes casus Bullæ Cœnæ, & hæresis non excipitur. Quia quamvis regulariter in concessionibus generalibus non includatur hæresis: tamen cùm Jubilæus sit privilegium extraordinarium procedens à summa benignitate Pontificis ob universales necessitates Ecclesiæ, probabile est velle Pontificem etiam hæresim includere, nisi illam expresè excludat, ut interdum excludit. Unde sumitur sufficiens argumentum pro hac parte. Nam postquam Pontificibus constitit de hac controversia inter DD. an possint confessores virtute Jubilei absolvere ab hæresi? ut quæstionem dirimerent, expresè aliquando exceperunt crimen hæresis: ergo si postea in aliquo Jubilæo concedunt generalem facultatem absolvendi ab omnibus casibus Bullæ Cœnæ, nulla exceptione facta, videntur quidem ex industria exceptionem non fecisse, voluisseque indiscriminatim inter alios casus Cœnæ hæresim etiam comprehendere, & ad illam facultatem concedere.

[a] Soar. de cens. d. 7. s. 5. n. 22. Belan. de pœn d. 4. n. 126. Lorc. 2. 2. d. 45. n. 15.

459 Accedit, quia ita fuit responsum in sacra Pœnitentiaria anno 1617. Occasione Jubilei promulgati à Paulo V. ut refert Filliuc. [b] Romæ eo tempore scribens, qui triplicem rationem adhibet. Primam, quia id necessarium est ad finem recipiendi Jubilæum pro omnibus concessum, alioqui multi destituti essent necessaria facultate ad se disponendos pro ejus receptione. Secundam, quia expresè excipiuntur hæretici denuntiati: ergo non denuntiati poterunt absolvi, nam exceptio firmat regulam in contrarium. Tertiam, quia licèt sit opinio gravissimorum DD. in concessione generali casuum Bullæ Cœnæ, non venire casum hæresis, propter ejus enormitatem, id tamen nullo jure probatur, & alioqui viri doctissimi contrarium sentiunt, nempe in concessione indefinita casuum Bullæ Cœnæ venire etiam hæresim, & quemcumque alium, si expresè non excipiatur. Et hanc ait esse praxim Romanæ Pœnitentiariæ.

[b] tract. 8. n. 265.

460 Nota [c] secundò, non concedi in Jubilæo facultatem absolvendi excommunicatos, suspensos, aut interdictos ab aliquo judice nominatim declaratos, seu denuntiatos, nisi intra tempus Jubilæi satisfecerint, vel cum partibus concordaverint; nec hereticos, aut schismaticos specialiter denuntiatos; nec dispensandi in aliqua irregularitate.

[c] Soa. n. 21 & 29.

461 Nota [d] tertiò, posse tempore Jubilei quemcumque absolvi à censuris, & casibus Episcopo, aut cuivis, alii Ordinario reservatis, quamvis illorum non fiat expressa mentio: Prob. quia cùm Pontifex concedat casus sibi reservatos, à fortiori concedere casus Episcopo, & cuilibet alteri superiori reservatos. Cùm enim per illam concessionem concedat omnia, à quibus ipse potest absolvere, consequenter concedit omnes casus aliis reservatos, à quibus ipse Pontifex absolvere poterat tamquam supremus superior omnium superiorum. Et hæc est praxis, & usus Ecclesiæ.

[d] Soa. s. n. 14 & 15. Vasq. 3. p. t. 4. q. 92. du. 10. n 6. Dian 3. n. t. 4. ref. 4)

462 In tertio cap. est potestas commutandi vota, excepto voto castitatis perpetuæ, & Religionis, & aliquando etiam excipitur votum peregrinationis Jerosolymitanæ, ad quod consulenda sunt verba Bullæ, ut sciatur, quid concedatur, & quid excipiatur, quia aliquando, ut jam notavimus, est aliqualis variatio. Nota [e] verò si in Bulla Jubilæi solùm conceditur commutatio votorum, non posse commutari juramentum de eadem materia, nec votum juratum: Quia secundùm communem regulam à diversis non fit illatio: diversum quid autem est votum, & juramentum: ergo hoc non venit nomine voti. Hæc sunt privilegia in Jubilæo concessa, non obstantibus quibuscumque privilegiis in contrarium, quibus omnibus pro ea vice derogatur. Unde colliges nullam concedi facultatem dispensandi in aliqua irregularitate etiam pro foro conscientiæ; & quia talis facultas non exprimitur, imò sæpè specialiter excluditur,

[e] Nau. c. 27. n. 175. Filliuc. n. 282.

tur,

tur, & negatur, & quia talis dispensatio non est necessaria ad finem lucrandi Jubileum.

SECTIO III.

De operibus ad lucrandum Jubilæum.

463 SEx opera solent communiter injungi ad lucrandum Jubileum. Primum, visitatio Ecclesiæ assignatæ. Secundum, oratio in ea facienda. Tertium, jejunium trium dierum. Quartum, eleemosynæ. Quintum, confessio sacramentalis. Sextum, communio cum circumstantiis in Bulla expressis. Processiones verò, quæ fieri solent, non requiruntur, ita ut necesse sit illis interesse ad consequendum Jubilæum, quamvis qui intersunt, excusentur à visitandis Ecclesiis, si in Bulla exprimatur, ut solet exprimi.

464 Notandum verò satis esse semel eleemosynam facere, [a] & quamcumque arbitrio pœnitentis, ut expressè habetur in textu Bullæ, quamvis satis pium consilium sit plures facere, si commodè fieri possint. Similiter satis est unam, vel duas Ecclesias ex deputatis semel visitare, ibique orationes facere pro arbitrio, ad impetrandum id, quod Pontifex intendit.

a Fillius. n.174.

465 Notanda autem est Doctrina tradita cap. præcedenti sect. 5. §. notandum deinde, nempe quamvis sit optimum consilium omnia prædicta opera facere in statu gratiæ, id tamen non esse per se necessarium ad lucrandum Jubilæum; sed satis esse, quod quis sit in gratia, quando facit ultimum opus, & ideo ibi dixi convenientius esse, quòd communio sit ultimum opus, ad quam supponitur status gratiæ, qui si fortè non sit, ex aliquo defectu inculpabili, per ipsam communionem comparabitur, quia aliquando solet conferre primam gratiam, ut alibi dictum est.

466 Circa confessionem nota primò, hanc ad lucradum Jubilæum debere esse veram confessionem sacramentalem, validam, & formatam, qualis requiritur ad gratiam sanctificantem comparandam. Quia, ut sæpè dictum est, indulgentia non acquiritur, nisi ab eo, qui est in statu gratiæ, saltem cùm facit ultimum opus, in quo obtinetur indulgentia: sed prima gratia comparatur per confessionem sacramentalem: ergo confessio talis esse debet, ut gratiam conferat. Non tamen [b] negabo lucraturum indulgentiam, qui confessionem faceret validam, & informem in casu, in quo id DD. concedunt, de quo lib. præcedenti cap. 5. sect. 2. dummodo intra tempus Jubilei fictio recedat, & status gratiæ obtineatur, quando faciendum est ultimum opus. Si tamen confessio fuit invalida, & nulla, ex quorumcumque capite id contingat, non comparabitur indulgentia, quia defuit confessio.

b Henriq. li. 7. c. 9. nu. 5.

467 Sed quid de eo, qui fecit confessionem invalidam, & sacrilegam, sed in ultimo puncto per veram contritionem fuit justificatus, ita ut fecerit ultimum opus in gratia? Diana ait probabile esse, [c] quòd lucretur Jubileum, & citat Henriq. sed falsò, quia hic loquitur de eo, qui fecit confessionem veram, sed informem ex ignorantia. Fundamentum tamen esse potest, quia non requiritur ad lucrandam indulgentiam Jubilæi, quòd omnia opera præscripta fiant in gratia, ut dictum est: sed iste est in gratia, quando facit ultimum opus, ut supponitur: ergo, &c.

c Supr. resol. 148.

468 At opposita [d] sententia est communis, pro qua ipse Dian. plures refert. Prob. quia Pontifex ad lucrandum Jubilæum postulat veram confessionem, qualis est confessio valida: sed hic nullam fecit confessionem, confessio enim sacrilega non est confessio, sed fictio confessionis: ergo. Quæ sententia firmior erit, si confessio postulatur ad Jubilæum, non solùm ut comparetur status gratiæ, sed tamquam una ex conditionibus requisitis, ut requiruntur cætera opera, quod mihi ferè certum est; quia non video ex forma concessionis aliter postulari confessionem, quàm alia opera. Unde omnes, qui intendunt lucrari Jubileum, primo loco tractant de confessione tamquam de opere præcipuè requisito; quod non facerent, si crederent solùm requiri ad comparandam gratiam, quam multi cum fundamento credere possunt se habere. Cùm igitur talis homo præcipuum opus non fecerit, Jubileum non est lucratus.

d Sanchez. c. 7. d. 1. & multi apud Dian. proxime.

469 Jam verò qui ita fictè confessus

lus

sus est, estò gratis daremus Jubilęum lucratum fuisse, non posset, transacto Jubilęi tempore, absolvi [e] à reservatis, quæ ante commisit, à quocumque approbato, ratione confessionis factæ in Jubileo, quæ nulla fuit. Neque audiendi sunt, qui sibi oppositum persuadent ex eo, quòd qui nullam confessionem fecit de reservatis cum superiore, qui jure ordinario ab illis absolvere poterat, possit postea absolvi à potente absolvere à mortalibus. Quia iste jam comparuit coram Prælato, cui sua reservata manifestavit; unde sublata est reservatio; quæ quidem sublata non est in casu nostro, quia Jubilęus non tollit ipso facto reservationem, sed concedit, ut hæc auferatur per absolutionem sacramentalem, quæ cùm fuerit nulla, reservatio manet, quæ antea erat.

e Sanc. 8. mar d. 15. n. 21. Soar. de pœn. d. 31. s. 4. n. 9. & 14 Dia. ref. 152.

470 Nota secundò, dubium esse an aliquis possit lucrari Jubilęum sine confessione? Potest autem habere locum primò in eo, qui conscientiam non habet peccati mortalis. Hæc [f] res mihi dubia est, quia non satis constat ex tenore concessionis, an confessio postuletur præcisè ad comparandam gratiam necessariam ad lucrandam indulgentiam, an tamquam conditio sine qua non, ut requiruntur alia opera, ut dixi cap. præcedente, sect. 5. §. quamvis autem. Quare tutius est confessionem præmittere de venialibus, aut de jam confessis; quia licèt hæc non sint de necessitate confessionis, potest illorum confessio esse necessaria ad lucrandam indulgentiam Jubilęi tamquam conditio, ut requiruntur alia opera, nec est sufficiens ratio, ut credamus confessionem postulari solùm ad comparandam gratiam, cùm videamus alia opera ad id non postulari. Unde videmus omnes viros religiosos, pios, & spirituales confessionem præmittere, quamvis culpæ mortalis conscii non sint.

f Henriq. l. 7. c. 12. n. 2. Dian. resol. 150.

471 Quidquid tamen sit de consecutione indulgentiæ, certum esse debet, si quis sine confessione lucraretur Jubilęum, quia pro tunc conscius non erat culpæ mortalis, si transacto tempore Jubilęi recordaretur alicujus reservati, cujus tunc inculpatè fuit oblitus, non posse de illo à quolibet approbato [g] absolvi, sicut potest qui confessus est cum oblivione talis reservati. Prob. quia reservatio talis peccati nullo modo ablata fuit, quia nulla fuit absolutio neque indirecta illius, & Jubileus non tollit ipso facto reservationem, sed solùm confert confessario electo facultatem auferendi illam, per absolutionem, quæ in casu pręsenti non existit. In alio verò casu fuit pęnitens saltem indirectè absolutus de tali reservato tempore Jubilęi, & ideo potest postea à quolibet de illo directè absolvi, de quo postea. Unde non probo, quod in contrarium docent aliqui apud Dianam.

g Sanc. n. 21. Soa. nu. 24.

Henriq. li. 6. c. 16. & 6. Dian. 5. p. t. 4. reso. 150.

472 Potest secundò habere locum in eo, qui confessus non fuit ob inopiam confessoris, fecit tamen omnia alia opera præscripta, disponendo se per contritionem ad Eucharistiam. Casus videtur metaphysicus, illo tamen admisso, res est dubia ex proximè dictis, quia si confessio est conditio prærequisita, non potuit sine illa lucrari Jubilęum: si solùm postulatur ad gratiam comparandam potuit lucrari, si verè contritus omnia alia perfecit; non tamen poterit postea à quolibet approbato absolvi à reservatis, de quibus fuit contritus, quia neque indirectè de illis fuit absolutus tempore Jubilei, licèt Diana [h] oppositum probabile credat cum Sanctarel. & aliis adductis. Sed quod dico videtur convinci ex dictis §. antecedente. Crederem, quod iste homo tamquam impotens ad lucrandum Jubilęum pro tali tempore, defectu confessoris, illum possit lucrari postea faciendo confessionem, & alia opera in alia hebdomada, & tunc posse absolvi à reservatis, quia pro illo non est transactum tempus, ut constabit ex postea dicendis.

h Ref. 145

473 Circa communionem dubitari potest primò, an sine illa possit quis lucrari Jubilęum, ut si ultima die Dominica, qua statuerat communicare, aliquid inadvertenter deglutivit, aut bibit, indeque factus est impotens ad communicandum? Videtur affirmandum, quia in tali casu poterit confessarius commutare communionem in aliud opus pium ea die faciendum, ut docent graves [i] DD. Ego tamen, supposita impotentia implendi opus tam præcipuum, consulerem potiùs, ut confessor Jubilęum differret ad sequentem hebdomadam, in

i Henriq. c. 10. n. 6. Dian. ref. 151.

Digitized by Google

in qua omnia opera iterum fiant. Quia mihi certum non est, posse tam præcipuum opus commutari in aliud, nec intelligo facultatem factam confessori commutandi opera præscripta in alia, intelligi de confessione, & communione, quæ præcipuè intenduntur à Pontifice ad lucrandum Jubileum, tamquam opera per se gratiam conferentia, vel augentia ex opere operato.

474 Dubitari potest secundò, an per communionem sacrilegam sumptam in peccato mortali, lucretur Jubileum, qui in ultima periodo ponitur in gratia per contritionem, & sic facit ultimum opus? Diana [l] citans Henriq. partem affirmantem probabilem credit eo fundamento, quia ad lucrandam indulgentiam non requiritur, quòd quis sit in gratia toto tempore, quo singula opera facit, sed satis est, quòd sit in statu gratiæ, quando facit ultimum opus: ergo cùm iste realiter communicaverit, & fuerit in gratia, quando fecit ultimum opus, videtur non fraudandus indulgentia Jubilæi. Pro negativa plures adducit idem Diana, quia Pontifex ad lucrandam indulgentiam postulat communionem sanctam, & ritè factam, per quam Deus placari possit, & exorari; non verò sacrilegam, per quam offendatur, & implacabilis reddatur. Et puto hanc esse intentionem Pontificis, & aliter indulgentiam non concedere.

l Ref. 148.

475 Circa alia opera ita discurrit Henriq. [m] Expedit singula opera, quę præscribuntur, fieri in gratia, & sine mala circumstantia etiam veniali, id tamen necessarium non est, aliàs pauci fruerentur indulgentiis. Et quamvis cum opere bono admisceatur alius actus venialis, fortè non tollit valorem meriti à puro actu voluntatis; quia opus secundùm substantiam bonum licèt ex incidenti circumstantia sit peccatum veniale, sufficit ad consequendum opus operatum indulgentiæ: sicut veniale admixtum attritioni non tollit efficaciam Sacramento, vel martyrio, cujus effectus est ex opere operato. Communiter satis est hominem esse in gratia tempore operis principaliter injuncti, vel potiùs operis finalis, quo posito conceditur effectus indulgentiæ; priore enim opera injunguntur, ut dispositio remotè præparans ad effectum: & usus populi christiani interpretatur eam esse intentionem Papæ, ut quamvis operibus admisceatur indebita circumstantia, satis sit impleri in gratia opus fini proximum.

m Lib.7.c. 9.n.5.

SECTIO IV.

Quo tempore facienda sint opera ad Jubilæum consequendum?

SUppono primò, tempus habile ad lucrandum Jubilæum esse post publicationem factam ab Ordinario. Prob. quia ante talem publicationem, vel non habetur notitia certa de Jubileo, vel saltem non authentica. Accedit, quia Ordinarius debet assignare Ecclesias visitandas, quæ in publicatione assignantur. Filliuc. ait graves [a] AA. censuisse, quando notitia Jubilęi aliunde habita est certa, satis esse in rigore ad illud lucrandum, quòd ipse ait ex causa justa securè practicari posse, cui non repugnabo quoad aliquem moribundum, qui non posset expectare publicationem, vel similem causam urgentissimam, non verò aliter. 476

a tra 8.c. 10.n.167.

477 Suppono secundò, illum, qui lucraturus est Jubilęum, debere omnia opera præscripta facere intra [b] unam, vel alteram hebdomadam ex duabus assignatis; quia ita præscribitur in Bulla concessionis per hæc verba: *Intra hoc tempus prima, vel secunda hebdomada*. Unde non satisfaciet, qui partem operum fecerit in una hebdomada, & partem in alia.

b Henriq. l.7.c.11.n. 2. Dian. suprà resol.153.

478 Sed quomodo computandæ sunt istæ duæ hebdomadæ? Ratio dubitandi est, quia hebdomada incipit die Dominica, qua mundus incepit, & Christus resurrexit, & finitur in Sabbato sequenti; cùm igitur Jubilęus publicetur in Dominica, videtur prima hebdomada finiri in sequenti Sabbato; & secunda, quæ incipit in sequenti Dominica, videtur finiri in alio Sabbato. Nihilominus oppositum tamquam certum tenendum est, nempe hebdomadam, quoad Jubilęum, finiri in Dominica. Prob. quia in Bulla conceduntur duæ Dominicæ, præter illam,

Digitized by Google

illam, in qua Jubilęus publicatur, cùm enim publicatio fiat in Missa majori, & fideles sint imparati, illa dies aptam non est ad confessionem saltem, & communionem. Cùm igitur Bulla concedat duas Dominicas ad communicandum, postquam jejunatum est, necessariò id debet intelligi de duabus præter Dominicam publicationis: ergo quamvis quælibet hebdomada secundùm usum Ecclesiæ incipiat in Dominica, & finiatur in Sabbato; quoad Jubilęum [c] finitur in Dominica, quæ habetur quasi complementum hebdomadæ transactæ; in qua jejunatum est. Non tamen negarem Dominicam publicationis valere ad facienda aliqua opera Jubilei, & in ea jam incipere primam hebdomadam.

c Filliuc. n. 172. Dian. ref. 152.

479 Dubium tamen est, an confessio Jubilęi possit fieri in Dominica, quam diximus esse complementum primæ, & secundæ hebdomadæ? Negant aliqui, inter quos Filliucius proximè ait ex vigore Jubilęi non satisfacere, qui ea die confiteretur, quia Bulla dicit: *Intra hoc tempus prima, vel secunda hebdomada confiteantur, & Dominica prima, vel secunda sumant Eucharistiam*. Et dicit Clementem VIII. interrogatum ita respondisse. Verùm opposita sententia est communis DD. quorum aliqui dicunt ita Greg. XIII. consultum respondisse. Ratio autem sumitur ex dictis. Quia Dominica habetur pro complemento hebdomadæ præteritæ, in qua jejunatur: ergo qui in ea Dominica confitetur, id facit intra hebdomadam assignatam. Accedit, quia communio ea die fieri potest: cur ergo non confessio, quæ solet præcedere? Et hæc est praxis fidelium ita interpretantium voluntatem Pontificis.

d Henriq. c. 10. n. 8. Multi apud Dian. 1. p. t. 4. ref. 153.

480 Unde miror quòd Diana hanc sententiam solùm vocet probabilem, & magis, quòd dicat contrariam doceri ab Henriq. & aliis asserentibus omnia opera injuncta in Jubilęo esse explenda physicè intra hebdomadam unam. Quia, ut dixi, Dominica illa pertinet ad hebdomadam præcedentem; ut satis patet ex Henriq. qui id asserens capit. 11. num. 2. concessit cap. 10. num. 8. communionem fieri posse in Dominica, satis insinuans Dominicam illam ad præcedentem hebdomadam pertinere.

481 Dubitabis, an communio sumi possit in quolibet die hebdomadæ? Ratio dubitandi est, quia in Bulla dicitur: *Et Dominica prima, vel secunda sumant Eucharistiam*: Ergo ex vi Bullæ videntur non satisfacere alia die communicantes. Existimo tamen sola jejunia esse affixa diebus, Dominicamque non assignari pro communione ex necessitate, sed consilio, quia conveniens est, quòd ultimum opus sit communio, quæ hominem supponit in gratia ad consecutionem Jubilęi. Et hæc est praxis fidelium communicantium qualibet die sine discrimine, quæ à DD. approbari videtur, quatenus quærunt, an si jejunium Sabbati sit ultimum opus Jubilei, possit qui per illud opera implevit, postea vota commutare, & absolvi à reservatis de novo commissis? In quo supponunt posse sumi communionem pro lucrando Jubilęo qualibet die ante Dominicam.

482 Sed quid de eo, qui Jubilęum lucratus non fuit tempore assignato, poteritne illud postea lucrari? Respondeo primò, si illud non fuisti lucratus Eboræ, dum ibi duraret tempus, & postea inveniaris Ulyssipone, ubi Jubilęus durat, posse te lucrari. Ita Sanctarel. & Ugol. citati à Diana, [e] qui id certum dicit, & ego tale reputo, quia Jubilęus conceditur semel, dum tempus durat: se ibi durat: ergo illud lucrari poteris.

e 3. p. t. 4. ref. 152.

483 Respondeo [f] secundò, si tempore, quo Jubilęus fuit publicatus in tua patria, ex aliqua ignorantia invincibili, illius notitiam non habuisti, aut si ibi non eras, & quando pervenisti, erat finitum tempus præscriptum, posse te illud lucrari intra unam ex duabus hebdomadis sequentibus à die notitiæ. Et idem est, si notitiam Jubilęi habuisti in Sabbato, vel feria sexta ultimæ hebdomadæ. Licèt in hoc casu possit confessor tecum dispensare in jejuniis, quæ jam possibilia non sunt, commutando illa in alia opera pia. At melius erit illud lucrari in sequenti hebdomada, in qua omnia opera præscripta exequi possis.

f Diana proximè.

484 Sed quid si voluntariè noluisti lucrari Jubilęum, feria verò sexta, vel Sabbato secundæ hebdomadæ à Deo tactus voluntatem mutasti? Negant aliqui posse te lucrari Jubilęum;

leum; quia supposito, quòd noluisti tempore habili, non habes rationem differendi in aliam hebdomadam, & aliàs jam non suppetit tempus ad jejunia præscripta peragenda. Et hæc videtur probabilior sententia, licèt opposita g probabilis videatur; quia adhuc potes omnia implere, exceptis jejuniis, quæ confessarius poterit in alia opera pia commutare. Perinde enim te habes tunc, ac si esses impotens ad jejunandum, quo casu impotentiæ jejunia commutari possunt. Nota verò, quamvis incertum sit, an in tali casu lucreris indulgentiam Jubilęi, sententia enim probabilis non parit certitudinem verè te mansurum absolutum à casibus reservatis, & à censuris similiter reservatis, si illas confitearis, & idem est de votis commutatis, quia probabilis opinio confert jurisdictionem.

g Sanctar. c.7.dub 1. Dian. ref. 112. Filliuc.n.168

485 Dubitabis, an qui intra hebdomadam complevit omnia opera, ita ut ultimum fuerit jejunium Sabbati, si postea incidat in casum reservatum, vel in aliquam censuram, possit ab eis absolvi virtute Jubilęi? Negat Sanctarel. h quia jam lucratus est Jubileum per positionem ultimi operis: ergo non potest amplius ejus privilegiis uti. Oppositum tamen probabilius i existimo, quia adhuc est intra hebdomadam Jubilęi, quæ ex dictis finitur die Dominica: ergo potest in ea iterum confiteri, & communicare ex intentione Jubilęi, quia nemini prohibitum est opera pluries repetere pro eodem fine, intra terminum concessum.

h in Cap. 8. dub. 6.

i Dian. n. 1t133.

SECTIO V.

De potestate Confessoris electi in Iubilęo.

486 Confessor eligendus virtute Jubilęi debet esse approbatus ab Ordinario pœnitentis, vel saltem ab Ordinario loci, in quo sumitur Jubilęus, v.c. Eborensis debet eligere approbatum à suo Ordinario Eborensi. Et si accipiat Jubilęum Ulyssipone, approbatum ab Ordinario Ulyssiponensi; quia tunc ratione loci, in quo est, ille est Ordinarius. An verò eligi possit approbatus à quocumque Ordinario? Dicam cap. sequenti sect. 3. agendo de cruciata, de qua, & de Jubilęo, quoad hoc, est eadem ratio.

487 Quæres verò primò, à quo Ordinario debeat esset approbatus eligendus à Regularibus pro consequendo Jubilęo? Resp. primò, si in Bulla dicatur posse eligi approbatum ab Ordinario, sine alio addito, posse Regulares eligere aliquem ex approbatis à suo superiore ad excipiendas confessiones ipsorum Regularium; quia talis superior est Ordinarius ipsorum, & approbatus ab ipso, est approbatus ab Ordinario, quamvis ab Episcopo loci approbatus non sit. Et ita responsum sæpè fuisse à Sacra Pœnitentiaria docet Filliuc. a Quæ responsio a n.275. fundatur in benigna interpretatione vocis *Ordinarii*, & intentione Pontificis concedentis Jubilęum. Non potest tamen talis approbatus eligi à secularibus, quia non est approbatus ab Ordinario ipsorum.

488 Resp. secundò, si in Bulla concessionis addatur, ut regulariter addi solet: *Ab Ordinario loci*, solùm posse eligi aliquem ex approbatis ab Episcopo Diœcesis, vel ab Ordinario Prælato locorum nullius Diœcesis, quia isti solùm dicuntur Ordinarii locorum. Unde sequitur omnes Regulares posse eligere quemlibet ex approbatis à prædictis Ordinariis locorum, in quibus degunt, non solùm ex suo Ordine, sed etiam ex aliis, vel etiam seculares, quia expressè revocantur, quoad hoc, omnia privilegia, ut censuit sacra congregatio, docentque DD. omnes.

489 Sequitur etiam Moniales omnes posse tempore Jubilęi eligere quemcumque ex approbatis à prædictis Ordinariis sive ex sua Religione, sive ex alia, sive ex secularibus, neque earum superiores posse id impedire, nec benè facient, si id molestè accipiant, & hac via illas indirectè impediant à privilegio sibi concesso. Ipsæ verò religiosiùs agent, si cum sua Abbatissa priùs agant, conveniantque in postulando tres, vel quatuor, vel etiam plures pro omnibus, eosque ex sua Religione, ex quibus quælibet eligat, quem maluerit.

490 Quæres secundò, an semel electus possit relinqui, & alter eligi? Respondeo b posse, dummodo sit intra b Filliuc. n. 277. tempus assignatum pro lucrando Jubilæo,

Digitized by Google

læo, qui secundus habebit eamdem facultatem ad absolvendum, & commutandum. Dixi: *Dummodo sit intra tempus*. Quia si jam esset elapsum tempus Jubilæi, & primus ex causa justa legitimè distulisset Jubilæum, ad illum esset eundum, nec posset alter eligi, si casus sint reservati, aut vota commutanda.

491 Quæres tertiò, an Confessor electus possit absolvere à reservatis sub ea conditione, ut Jubilæum lucreris? Resp. negativè. [c] Quia absolutio peccatorum debet esse absoluta, non autem conditionata. Et quamvis censuræ possint absolvi sub conditione, seu ad reincidentiam, non tamen in Jubilæo, in quo conceditur facultas absolvendi simpliciter, & non ad reincidentiam. Unde si quis bona fide confiteatur reservata intendens lucrari Jubilæum, absolutus manet à peccatis, & censuris, estò postea mutata voluntate Jubilæum non lucraretur. Aliter erit, si absque intentione lucrandi confiteatur; quia tunc Confessor non habet facultatem, quæ non conceditur, nisi in ordine ad lucrandum Jubilæum, ad quod Confessio tua non ordinatur ex tua intentione, sicut ordinatur confessio alterius; licèt postea ille ordo, seu intentio non impleatur. Qui ergo non intendit lucrari Jubilæum, non habet privilegium, ut absolvatur à reservatis à quolibet approbato, neque ad vota commutanda: cum ea verò intentione etiam vota commutata manent, quamvis postea Jubilæum non lucreris.

c Soar. ubi s.

492 Dubitabis verò, an peccet mortaliter, qui absolutus à reservatis, vel commutatus in votis mutat postea voluntatem, & Jubilæum non lucratur? Respondet Soar. [d] si voluntariè id faciat, graviter peccare, idque docent pauci alii. Probabilius [e] tamen videtur oppositum, quia non apparet contra quam obligationem sit tale grave peccatum. Nam talis homo nihil promisit, nec confessarius, aut ipse Jubilæus, aut Papa aliquam obligationem imposuerunt. Unde satis est, quòd habuerit propositum lucrandi Jubilæum. Quòd verò postea sententiam mutat, peccatum non est saltem grave contra ullam gravem obligationem. Pactum enim implicitum, quod ibi Soar. agnoscit, videtur fundari magis in scrupulo, quàm in solida aliqua ratione.

d De pœn. d. 51. s. 4. n. 5 & 6. de voto c. 16. n. 11.
e Sanch. Dec. c. 54. n. 54. & 8. mat. d. 15. n. 24. Henriq. l. 6. c. 16. n. 6. Dian. 3 p. t. 3. resol. 145.

493 Quæres quartò, an confessor possit differre Jubilæum alicui pœnitenti ex causa justa? [f] Resp. posse, ut si pœnitens veniat in ultimis diebus, & ob angustiam temporis non possit eum commodè audire, quia habet multos casus intricatos, de quibus oportet libros consulere; aut quia est in proxima occasione peccandi, quam relinquere oportet, & præbere aliqua indicia emendationis, &c. In quo casu Diana [g] ex aliis ait posse tunc Confessorem à censuris absolvere, & casuum, ac votorum reservationem tollere, absolutionem verò peccatorum differre, & postea elapso tempore confessionem audire, à peccatis absolvere, & vota commutare; quia illa peccata, & vota jam non sunt reservata. A censuris concedo quidem posse statim absolvi, & consequenter peccata, quæ ratione illarum erant reservata Pontifici, manere non reservata; à peccatis verò, quæ per se sunt reservata Ordinariis sine censura, non video quomodo tolli possit reservatio, cùm ipse resolut. 150. dicat hanc non tolli, nisi per absolutionem. Et idem est de votis, quorum reservatio non tollitur, nisi per commutationem. Quare censeo omnia ista postea fieri posse, quia cùm causa fuerit incepta tempore habili non expirat jurisdictio, & ita DD.

f Henriq. l. 7. cap. 12. n. 5. Sanch. 8. matrim. d. 15. n. 17.
g Diana res. 147.

494 Sed quid, si pœnitens iste post elapsum tempus Jubilæi in novos casus reservatos incidat? Videtur hic ab illis absolvi non posse. Verùm aliqui oppositum probabile [h] credunt. Ratio esse potest, quia Pontifex per eam dilationem intendit inducere pœnitentes ad lucrandum Jubilæum: sed qui consensu Confessoris confessionem distulit, & in casus, ac censuras reservatas incidit, non potest lucrari Jubilæum, quin priùs ab illis absolvatur: ergo donec Jubilæum consequatur, confessarius electus habet facultatem illum absolvendi, ac si tempus Jubilæi non esset elapsum. Confir. quia Jubilæus est beneficium Principis nulli perjudiciale: ergo sine textu, aut efficaci ratione restringi non debet, quando ex causa justa ejus susceptio differtur.

h Diana proximè cum aliis.

SE-

SECTIO VI.

Expediuntur aliqua dubia circa Iubilaeum.

495 DUb. primum, an possit absolvi virtute Jubilæi, qui peccavit in confidentiam illius? [a] Resp. affirmativè, nisi in Bulla exprimatur, quòd reservata commissa in confidentiam absolvi non possint, quæ clausula regulariter non ponitur. Prob. quia quando talis clausula non ponitur, non restringitur potestas; quando ponitur restringitur: ergo si non ponatur, absolvi potest, non autem, si ponatur. Nota verò aliud esse peccare posita notitia Jubilæi, aliud in confidentiam ipsius; nisi enim notitia influat aliquo modo in peccatum, sitque ejus causa, non transit in confidentiam.

a Sanch. 4. Decal. c. 34. n. 18. Acosta q. 33. Dian. 1. p. t. 11. res. 16.

496 Dub. Secundum, an transacto tempore Jubilæi possit quis absolvi à quolibet approbato à peccatis reservatis oblitis in confessione facta pro lucrando Jubilæo? [b] Respondeo affirmativè, quia ablata est reservatio per absolutionem indirectam. Et ita docent omnes. Et idem dico de peccato spontè tacito ex justa causa, ne reveletur complex, in casibus, in quibus DD. id licere docent. Majus dubium, an absolutus virtute Jubilæi, quem postea lucratus non fuit, possit postea à peccatis oblitis absolvi à quocumque approbato? [c] Soar. videtur inclinare in partem negantem, licèt affirmantem dicat non improbabilem, quam cum aliis probabiliorem judico; quia cùm illa confessio valida fuerit, confessarius ab omnibus peccatis tam directè expositis, quàm indirectè ex oblivione omissis absolvit per legitimam potestatem, quam habebat: ergo sublata fuit reservatio, & consequenter potest ab illis postea absolvi à quocumque approbato, sicut ille qui lucratus fuit Jubilæum. Ubi nota, si quis confessus animo lucrandi Jubilæum absolvitur à censuris, & peccatis reservatis, & postea Jubilæum non lucratur, reservationem non redire, nec censuras; quia non fuit absolutus à censuris ad reincidentiam, ut dicunt, nec absolutio peccatorum data fuit, nec potuit dari sub conditione, quod Jubilæum lucraretur, sed absolutè, ut suprà dictum est; & idem est de votis commutatis, ut omnes docent. De illo, qui fortè Jubilæum lucratus est sine confessione, vel quia conscientiam peccati mortalis non habuit, vel quia non habuit copiam confessoris, omnia verò alia opera fecit, diximus sect. 2. non posse postea absolvi à reservatis à quocumque approbato, licèt non desint qui oppositum doceant, ut videre est apud Dianam. [d]

b Soar. ios. n. 20.

c Soar. de pœn. d. 31. s. . n. 23. n. 24. Sanch. 8. mat. d. 15. n. 22. & 4. Decal. c. 34. n. 45. Dian. 3. p. t. 11. resol. 147.

d 3 p. t. 4. resol. 150.

497 Dub. Tertium, an vota oblita, quæ quis non commutavit tempore Jubilæi, quia de eo non cogitavit, possint postea commutari, sicut possunt absolvi peccata reservata oblita? Affirmant aliqui [e] probabiliter. Sed [f] probabilius credo non posse. Ratio est, quia vota singulariter commutantur, vel dispensantur, ad quod requiritur specialis voti cognitio, & causæ commutationis; peccata verò, & censuræ generaliter absolvuntur, & non potest unum peccatum dimitti sine alio, nec dari absolutio permanente aliqua excommunicatione: ergo ex eo, quòd peccata oblita, vel censuræ possint postea absolvi, non sequitur idem de votis oblitis, vel quæ quis non curavit commutare tempore Jubilæi, quia circa illa nullam jurisdictionem acquisivit confessarius, quia ei non fuerunt exposita, neque in singulari, neque in confusò. Aliter dicendum, si tempore Jubilæi commutatio petita fuisset, & confessarius voluit cogitare de justa commutatione facienda, quia tunc causa fuit incepta, & ideò transacto Jubilæo poterit eam perficere, commutando. Nota verò illos, qui dicunt posse vota oblita commutari, transacto tempore Jubilæi, loqui de illis, qui Jubilæum lucrati sunt, non verò de aliis.

e Henriq. l. 7. c. 11. n. 4. Sanch. c. 34. n. 30.

f Soar. 6. de voto c. 16. n. 14 & 15. Filliuc. n. 179.

498 Dub. Quartum, an virtute Jubilæi possint commutari juramenta facta Deo ex facultate commutandi vota? Negant [g] aliqui, quia secundùm communem regulam à diversis non fit illatio: sed Jubilæus non concessit commutationem juramentorum, sed votorum, ut supponitur: ergo nisi specialiter concedet commutationem juramentorum, hæc commutari non poterunt. Nihilominus Soar. [h] oppositum probat non solùm de votis juratis, sed etiam de piis juramentis factis Deo. Quia, inquit, in morali æstimatione vota re-

g Filliuc. n. 182.

h Lib. 6. de voto c. 16.

Digitized by Google

reputantur, & ex intentione Pontificis cum votis comprehenduntur. Lege illum, quia satis doctè rem probat.

499 Dub. Quintum, an qui in prima hebdomada lucratus fuit Jubilæum, possit illud in secunda lucrari, faciendo de novo omnia opera injuncta, & absolvi à reservatis de novo commissis? Negat [i] communis sententia. Quia in Bulla concessionis expressè dicitur gratiam Jubilæi obtinendam esse in una è duabus hebdomadis disjunctivè: ergo semel in una sola potest quis Jubilæum lucrari, ejusque privilegiis uti. Et ita declarasse Clementem VIII. & sacram Congregationem Concilii, refert Filliuc. idque docet Soar. Sanch. Laym. & alii communiter, videturque si non certa sententia, saltem probabilior.

[i] Soar. c. 16. n. ult. Sanch. n. 30. Filliuc. [l] n. 261. & 278.

500 Nihilominus idem Filliuc. ait, stando in jure, oppositam sententiam esse probabilem, quia cùm lex, & privilegium non restringat, nec nos restringere debemus, idque absolutè docet Henriq. [l] adducens Nav. Angel. Rosel. & alios, Reginald. & plures apud Dian. qui eamdem probabilem judicat, sicut & Bonac. Probatur, quia si propter opera Indulgentia, & privilegia conceduntur, & duabus vicibus quis adimplet opera in tempore præscripto, non est ratio convincens, cur bis Indulgentiam non lucretur, & privilegiis non utatur. Secundò, quia est valde probabile Indulgentiam tempore limitato concessam, modò in ea non limitetur, ut semel tantùm acquiratur, posse plusquam semel comparari: ergo idem erit in Jubilæo duarum hebdomadarum, vel etiam Anni sancti. Tertiò, quia versamur in materia favorabili nulli perniciosa, quæ latam interpretationem admittit. Quartò, quia absolutio reservatorum potest sæpiùs obtineri ante consecutionem Jubilæi: ergo etiam potest obtineri, ipso obtento, si non sit transactum illius tempus. Juxta quam sententiam, à fortiori qui Jubilæum lucratus est Eboræ, poterit illud iterum lucrari Ulyssipone, si ibi sit tempore, quo ibidem celebretur.

[l] Henriq. l. 7. c. 11. n. 1. Reginald. l. 8. n. 64. Dian. 1. p. t. 17. resol. 49. & 3. p. t. 4. resol. 152.

501 Quare ad rationem in contrarium dici potest, illam particulam disjunctivam respicere commoditatem fidelium, ut qui non possit, vel nolit in prima hebdomada opera adimplere, adimpleat in secunda, indeque non sequi exclusionem, ut nequeat bis comparari ab eo, qui opera bis fecerit competenti tempore. Ad declarationem Clement. VIII. dicitur de ea non constare authenticè, & licèt constaret, comprehendisse solùm suum Jubilæum, quia fuisset declaratio suæ intentionis, non verò lex circa omnia alia. De declaratione Cardinalium etiam dicitur, non constare de illa authenticè, nec habere vim legis obligantis. Hæc dicunt AA. hujus sententiæ, quam negare non possunt esse probabilem, & securè practicari posse.

CAPUT XIII.

De Bulla Cruciata.

SEquitur dicendum de Bulla Cruciata, quæ in hoc Regno solet esse 502
continua, ut Parochus possit dirigere suos pœnitentes in ejus usu, quoad facultates, & privilegia in ea concessa. Hæc Bulla in principio concedebatur per tres annos, hodie per septem, & singulis publicatur, valetque suscipientibus per annum, à die publicationis usque ad publicationem sequentem, qua facta debet iterum sumi, ut valeat per alterum annum, & sic deinceps. Continet autem præter ipsam Bullam duas alias, alteram defunctorum, ut possint applicari defunctis Indulgentiæ concessæ per modum suffragii; alteram compositionis, ut quis se valeat componere circa bona incerta, & alia, de quibus in Bulla: Dicam igitur primò, de privilegiis in Bulla concessis. Secundò, explicabo difficultates, quæ in quolibet eorum occurrere possunt, ut confessores sciant, quid possint virtute Bullæ, & pœnitentes non ignorent, quæ sint ipsorum privilegia, & qua ratione illis uti debeant.

SECTIO I.

Tenor Bullæ Cruciatæ Plumbeæ.

PRima Bulla Cruciata, quam invenio typis datam, concessa huic 503
Regno in ea forma, in qua hodie est in usu, fuit concessa à Greg. XIV. anno salutis 1591. concessa autem fuit per triennium. Postea extensa fuit ad sexennium, tandem per alios Pontifices ad

Digitized by Google

ad septennium, in qua forma hodie perseverat. Ex hac autem, quæ plumbea dicitur, quia sigillo plumbeo signata est, eruitur illa, quæ vulgò circumfertur, & datur personis particularibus, quæ ejus gratiis gaudere cupiunt, sic ergo incipit.

504 Decens esse videtur, rationique maximè convenire, ut iis, qui pro Christianæ Religionis, & populorum illam excolentium tuitione, & defensione adversus Christiani nominis hostes militant, & corpora sua periculo mortis exponunt, congrua subventionis auxilia, ad eorum manutentionem, à Christianis populis suppeditentur, ipsique populi Christiani, ad id Romani Pontificis Christi Vicarii in terris hortationibus excitentur, spiritualibusque, & aliis gratiis, ad hoc propensiùs exequendum invitentur, præsertim cùm Catholicis Regibus, & Principibus temporales facultates deficiunt. Sanè charissimi in Christo filii N. Portugalliæ, & Algarabiorum Regis insinuatione accepimus, quod ipsorum Portugalliæ, & Algarabiorum Regnorum, & Dominiorum Coronæ Portugalliæ, facultates adeò reperiuntur exhaustæ, & attritæ, quòd ad supportationem onere ordinariorum vix sufficiant, cogaturque Rex ipse aliunde exquirere pecunias ad complementum eorumdem, & inter alia sibi, & Regnis prædictis incumbentia, illud molestum, & grave nimis sibi, & Regnis prædictis redditur, quòd ad reprimendum conatus, & incursus Sarracenorum, ora maritima partium Africæ Hispaniarum Regna, & Provincias respicientia incolentium, Cepten. & Trigen. Civitates, & Mazagani, & Arzillæ Oppida in ipsis Africæ partibus consistentia, olim à suis prædecessoribus dictorum Regnorum Regibus manu valida, ab ipsorum Sarracenorum potestate expugnata militum præsidio munita defendere, & manutenere tenetur, & si Civitates, & loca hujusmodi relaxarentur, vel aliàs ad potestatem dictorum Sarracenorum reverterentur, gravia damna, & incommoda, nedum Regnis prædictis, verùm etiam aliis Regnis, & Universæ Reipublicæ Christianæ sequerentur. Quare nos paterna charitate, & solicitudine excitati, omnes utriusque sexus Christi fideles in Portugalliæ, & Algarabiorum Regnis, aliisque terris, & locis Regum Portugalliæ dominio subjectis commorantes, atque degentes, quo majori possumus animi affectu, in Domino hortamur, ab ipsisque omni pietatis studio contendimus, ut pro subventione manutentionis militum, qui Civitates, & loca prædicta custodiunt, & defendunt, eleemosynas pias, & larga manu conferre non cessent. Ut autem fideles ipsi eò libentiùs, quò poterunt auxilia ad hujusmodi subventionis, & manutentionis effectum studeant exhibere, quò se majora inde spiritualia munera ad animarum suarum salutem, gratiasque alias ab hac Apostolica Sede noverint adipisci: de omnipotentis Dei, misericordia, beatorumque Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, eidem N. Regi, qui hoc opus maximè urget, ac Christi fidelibus utriusque sexus prædictis, qui intra triennium tantùm à die publicationis præsentium litterarum, in singulis locis Regnorum, & Dominiorum prædictorum, in quibus à nobis deputandus Commissarius, vel ab eo delegati illas publicari fecerint, & mandaverint numerandum, pietatis zelo permoti, memoresque imprimis verbi illius salutaris: *Quemodo potueris, ita esto misericors: si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude*, quanta maxima, pro opibus, & facultatibus suis, potuerint, subventionis auxilia ad effectum subventionis, manutentionis militum præfatorum contulerint, plenissimam omnium peccatorum suorum, de quibus corde contriti, & ore confessi, sacraque Communione refecti fuerint, aut non valentes confiteri, neque communione ipsa refici, id corde optaverint, Indulgentiam, & remissionem, quæ in anno Jubilæi elargiri consuevit, bis videlicet, intra quemlibet annum, ita ut, statim post sextum quemque ipsius triennii mensem Indulgentia hujusmodi rursus, à prædictis, & aliis eorumdem Regnorum, & Dominiorum personis, eleemosynas denuò, ut suprà conferentibus, aliaque prædicta toties conficientibus, consequi possint, misericorditer in Domino concedimus. Quod etiam, pro cujuscumque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem Christo unitæ ab hac luce migraverint,

pro

pro quibus; juxta præmissa, collata fuerit, ad relaxationem pœnarum, quibus secundùm divinam justitiam expositæ sunt, suffragetur. Præterea illos omnium precum, eleemosynarum, peregrinationum, etiam Jerosolymitarum, cæterorumque bonorum operum, quæ in militanti Ecclesia universali, & singulis ejus membris fiunt, participes esse volumus. Illis quoque, qui, ut præcipitur, contulerint, ac etiam aliis, qui intra dictum triennium in manutentionis hujusmodi subsidium alias pias eleemosynas fecerint, pariter concedimus, ut eodem durante triennio, liberè possint in privato Oratorio ad divinum cultum dumtaxat deputato, ab Ordinario loci approbando, & visitando, etiam in locis interdicto, quavis etiam auctoritate suppositis, dummodo ipsi causam non dederint hujusmodi interdicto, vel per eos non steterit, quominus illud amoveatur, ac etiam illustribus, & aliis nobilibus, qui facultatem ad id à Commissario, super hoc deputando, habuerint, etiam per horam, antequam dies illucescat, & per horam post meridiem, excommunicatis, & interdictis prorsus exclusis, per se ipsos, si Presbyteri sint, seu per alium, vel alios Sacerdotes, ut præfertur, approbatos, in sua ac familiarium, ac domesticorum suorum præsentia, Missas, & alia divina Officia celebrare, & tempore interdicti hujusmodi divinis interesse; nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica Sacramenta, præterquam in die Paschatis, recipere, & eorum decedentium corpora, cum moderata funerali pompa Ecclesiasticæ tradi Sepulturæ. Ad hæc ultrà precum, eleemosynarum, peregrinationum, & aliorum operum prædictorum participationem eos, qui in loco, ubi ipsos morari contigerit, singulis Quadragesimalibus, & aliis anni Temporibus, & diebus stationum Ecclesiarum Almæ Urbis, & extra illius muros; quinque Ecclesias, sive Altaria, seu si ibi tot Ecclesiæ, vel Altaria non fuerint, quinquies unam Ecclesiam, seu unum Altare devotè visitaverint, precesque ad Deum pro sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Catholicæ conservatione, & salubri directione, paceque inter Christianos Principes conservanda, & aliàs prout cujusque suggeret devotio piè effuderint, omnes, & quascumque Indulgentias, tam pro se, quàm per modum suffragii pro illis, qui in Christi charitate decesserunt, & pro quibus ipsi visitaverint, consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus, & diebus singulis Ecclesias dictæ Urbis, & extra illius muros, hujusmodi pro iisdem stationum Indulgentiis consequendis deputatas personaliter visitassent. Et ut puriùs preces Deo fundere, & eò efficaciùs divinum auxilium impetrare possint, quo magis peccatorum vinculis absoluti in his litteris contenta adimpleverint, ut iisdem omnibus, dicto triennio durante, quemcumque Presbyterum sæcularem, vel cujusvis etiam mendicantium Ordinum regularem, ex his, qui ab Ordinario, & quoad regulares semel tantùm approbati fuerint, in confessorem eligere, qui eorum confessione audita, ipsorum à quorumcumque Ecclesiæ mandatorum, nec non votorum transgressionibus, & jejuniorum, & Horarum Canonicarum omissionibus, cæterisque omnibus peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam talibus, propter quæ Sedes Apostolica meritò consulenda foret, ac etiam in casibus, qui in litteris die Cœnæ Domini publicari solitis continentur, exceptis hæresis, conspirationis in personam, & statum Romani Pontificis, falsificationis litterarum Apostolicarum, & supplicationum, cæterisque omnibus aliis casibus, qui undecimo incipiente. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes: nec non duodecimo, tertiodecimo, & quartodecimo capitulis, seu articulis dictarum litterarum Cœnæ Domini scripti sunt, semel in vita, & iterum in mortis articulo; aliis verò eidem Sedi non reservatis casibus, quoties confitebuntur, absolvere, & pro modo culpæ pœnitentiam salutarem injungere, plenamque omnium peccatorum suorum remissionem impendere, ac vota quæcumque, Ultramarino, castitatis, & religionis votis dumtaxat exceptis, in subventionem prædictam commutare licitè possit: in casibus tamen, in quibus satisfactio ne-

necessaria fuerit, ea vel per se ipsos, vel eis impeditis, per hæredes, aut alios fieri debeat. Declarantes absolutiones vigore præsentium, satisfacta parte, faciendas ab excommunicationibus, & aliis censuris Ecclesiasticis ab homine latis, & ferendis, nemini omninò sive Ecclesiastico, sive laico in foro judiciali prodesse, sed eum tandiu excommunicatum ubique ab omnibus nihilominus reputari, nec si Sacerdos Presbyter, aut aliàs in sacris ordinibus constitutus fuerit, nullibi Missam celebrare, aut aliàs se sacris commiscere posse, donec is à suo Judice absolutionis beneficium ab hujusmodi censuris meruerit obtinere. Volentesque, ut fructus beneficiorum, qui ad ratam omissionis Horarum Canonicarum illicitè percepti fuerint, pro dimidia parte Ecclesiis, vel aliis locis Ecclesiasticis, quorum ratione horas prædictas recitare debebant: altera verò dimidia parte in subventionem manutentionis militum hujusmodi integrè præstari, vel cum Commissario super hoc deputando componi, ita quòd compositione hujusmodi soluta, sit componens à portione etiam, quæ Ecclesiæ deberetur, integrè absolutus. Eos etiam, quos, dicto triennio durante, contigerit, ob repentinam mortem, vel confessorum absentiam, sine confessione discedere, modò ipsi contriti discesserint, & priùs statuto tempore confessi, nec hujus nostræ concessionis fiducia negligentiores fuerint, volumus ut plenariam, ut præfertur, remissionem consequi posse, eorumque corpora, nisi fortè vinculo excommunicationis innodati discesserint, non obstante etiam interdicto, etiam Apostolica authoritate apposito, Ecclesiasticæ tradi sepulturæ. Præterea indulgemus, ut, dicto triennio durante, carnes de consilio utriusque medici, temporibus jejuniorum, tam Quadragesimalium, quàm quorumcumque dierum totius anni, vesci, ac pro eorum libito ovis, & lacteciniis; ita quòd qui carnes comederit, servata in cæteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur. Cæterum universos, & singulos Archiepiscopos, Episcopos, aliosque locorum Ordinarios Regnorum, ac Dominiorum prædictorum enixè rogamus, eisque in virtute sanctæ Obedientiæ præcipimus, ut omnes pœnas pecuniarias, etiam loco corporalium, durante ipso triennio, ab ipsis erogandas, seu exigendas huic pio operi omninò debeant applicari, prout nos eas omnes, de quarum quantitate, illorum assertioni omninò stetur, ipsorum tamen conscientias super hoc oneramus, thesaurum ejusmodi subventionis ex nunc, prout ex tunc applicamus. Et quoniam fidele ad hoc ministerium opus esse certum est: nos de fide, industria, & probitate venerabilis fratris nostri Emmanuelis Episcopi Septensis nobis plurimum in Domino commendata, eum in Commissarium, & receptorem in toto isto negotio constituimus generalem, eique facultatem tribuimus, ut liberè, & licitè possit super hujusmodi pœnis ab Ordinariis impositis inquirere, & contra eos, qui in præjudicium hujus eleemosynæ aliquid fecerint, procedere, & super illicitè habitis, & dimidio legatorum omnium, quæ propter malè ablata, facta sunt, si legatarii per annum in exactione negligentes fuerint, & illis etiam, quæ facta erunt, & dicto triennio durante, fient, si legatarii, adhibita per Commissarium diligentia, inveniri non poterunt, ac etiam super malè ablatis, & per usurariam pravitatem, aut aliter malè acquisitis, dummodò in omnibus prædictis casibus, præterquam dictæ annalis negligentiæ, personæ per Commissarium, & receptorem prædictum non reperiantur, componere, ac ita debitores liberare. Ac etiam super irregularitate per eos quibusvis Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis legati, Missas, & alia divina Officia, non tamen ex contemptu clavium, celebraverint, quomodolibet contracta, quodque in ordinibus per eos aliàs tamen ritè susceptis, ministrare liberè, & licitè valeant, dispensare, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam inde provenientem abolere, & super indebita perceptione fructuum Ecclesiasticorum propterea facta, etiam componere, & ad effectum præmissorum dumtaxat, omnes similes, ac dissimiles Indulgentias, ac peccatorum remissiones à nobis, & sancta Sede, vel ejus auctoritate quibusvis

busvis

busvis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, Piis locis, Universitatibus, Confraternitatibus, & singularibus personis in Regnis, & Dominiis prædictis, etiam in favorem Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, etiam si clausulas aliquas contra suspensionem hujusmodi facientes continerent, ita ut interim, quæ publicatæ fuerint, & communiter, vel divisim nulli hominum suffragari, sed nec sub pœnis pecuniariis, ac etiam cum auxilio brachii sæcularis prædicari, aut aliàs publicari, nec alia quævis, præterquam pro subventione manutentionis militum hujusmodi suffragia postulari possint ad dictum triennium dumtaxat suspendere. Alios Commissarios ad singulas hujusmodi Provincias per Ordinarios locorum, quorum etiam conscientias oneramus, prævia matura deliberatione approbandos, cum simili, aut limitata facultate, ac etiam pro collectione pecuniarum constituere. Notarios item quorum opera utendum erit, ab ipsis Ordinariis, in quibus illi deputandi erunt, itidem approbandos, vel jam approbatos deputare tabelliones, & quoslibet alios ad exhibitionem quorumcumque instrumentorum, ac scripturarum ad hoc negotium pertinentium compellere, & quibus inhibendum erit, etiam inhibere. Præsentium verò publicatio non nisi per probos, & idoneos Prædicatores Presbyteros sæculares, vel ordinum etiam mendicantium regularis observantiæ professores, ex his, qui à locorum Ordinariis approbati; & si Regulares fuerint per eumdem Commissarium à Provincialibus singulorum ordinum hujusmodi petendos, quorum Provincialium conscientias oneramus, eisque in virtute sanctæ Obedientiæ injungimus, ut hujusmodi Prædicatores idoneos, integrisque moribus proponant, quibus etiam in hujusmodi Obedientiæ virtute injungatur, ut nihil aliud, tamquam à nobis concessum proponant, nisi quod præsentibus litteris est expressum. In locis verò pauperibus per proprios Parochos hoc publicationis munus fiat; omnibus autem Prædicatoribus per quotas alimenta constitui prohibemus. Quod si locus, ubi publicatio hujusmodi facienda erit, subjaceat interdicto, Commissarius ipse illud octo ante dierum spatio suspendere, idemque alii ab eo deputati compellere possint, etiam per censuras, & pœnas Ecclesiasticas, habentes scripturas ad præmissa pertinentes, ut eas exhibeant, & pariter omnes, ut ratione earum iterum reddant, quæ in singulis Diœcesibus fidei eorum committentur, & quidquid à sponte dantibus fuerit in singulis Diœcesibus receptum, statim sibi consignare faciant. Postremò auditores ad prædicta per Prædicatores hortari dumtaxat permittimus, ut clarè intelligant nos neminem, ad quidquid præstandum, vel elargiendum cogere, sed tantummodò eorum devotionem, & charitatem ad id excitare, hortarique, & rogare. Volumus etiam moneri omnes, quos contigerit habere pecunias, aut bona in hoc opus destinata, seu instrumenta, vel scripturas aliquid continentes, quod ad hoc negotium principaliter, vel secundariò pertineat, ut debeant, sicut habuerint, statim cùm copiam Commissarii, vel ab eo deputati habere poterunt, omnia ipsi Commissario, seu deputato propalare, sub iisdem pœnis pecuniariis, & in subsidium censuris Ecclesiasticis, quas Episcopi, videlicet, & alii majores Prælati, suspensione à Divinis, & interdicto ingressu Ecclesiarum, alii verò omnes excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrant, quas solus Romanus Pontifex, excepto mortis articulo, valeat relaxare. Declarantes hos tales, si scienter aliquid prædictorum retinuerint, nullo modo harum litterarum, & gratiæ beneficio uti posse. Expleto autem triennio prædicto volumus pariter gratias, & indulta omnia expirare, nihilque penitùs ipsarum vigore fieri, causas tamen tunc cœptas, & pendentes ad finem produci posse. Cùm verò non deceat officiales seu ministros Officii Inquisitionis hæreticæ pravitatis in aliis manifestam hæresim non sapientibus occupari, aut detineri, prohibemus aliquem ejusdem Inquisitionis Officialem, seu Ministrum in Prædicatorem ad ipsas præsentes litteras publicandas assumi, vel etiam Subcommissarium ad prædicta exigenda, vel aliàs ad gerenda, aut pertractanda hujusmodi negotia quovis modo deputari. Non obstantibus Consti-

stitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum, Monasteriorum, Conventuum, & Ordinum quorumcumque juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, indulgentiis, facultatibus, & litteris Apostolicis, quibus Ecclesiis etiam Cathedralibus, & Metropolitanis, nec non Monasteriis, & Conventibus, tam virorum, quàm mulierum etiam Mendicantium, etiam quæ Mare magnum appellatur, & quorumvis aliorum Ordinum, etiam militarium, illorumque superioribus, & personis, Universitatibus etiam studiorum generalium, Collegiis sæcularibus, & regularium personarum, sive in causam etiam pro expeditione contra Turcas, & alios fidei hostes, nec non pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac Apostolicæ potestatis plenitudine quomodolibèt concessis, confirmatis, & innovatis, quibus etiam pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus habenda foret, præsentibus litteris mentio specialis, tenores hujusmodi pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad effectum præmissum motu, scientia, & potestate similibus, præterquam facultates concessas Mendicantium Ordinum Superioribus, quoad suorum Ordinum fratres, specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque; & quia difficilè nimis esset præsentes quocumque illis opus fuerit perferri, volumus, ut illarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & prædicti Episcopi Commissarii sigillo munitis eadem omnino fides in judicio, & extra illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, &c.

SECTIO II.

Proponuntur Privilegia Cruciatæ.

PRimum Privilegium est Indulgentia plenissima omnium peccatorum, ut concedi solet in anno Jubilæi. Hæc verò conceditur in principio, quando Bulla sumitur, omnibus contritis, & confessis, ac sacra Communione refectis; vel si id opere præstare non possint, ex corde desiderantibus, dummodò sint in gratia, quia in peccato mortali Indulgentia non acquiritur. Post sex verò menses eadem Indulgentia conceditur dantibus certam eleemosynam in ipso summario Bullæ declaratam. Secundum est, ut possint prædictas Indulgentias applicare animabus Purgatorii, dando pro illis eleemosynam contentam in Bulla Defunctorum, ut sic anima, pro qua oblata fuerit, relaxetur à pœnis, quibus secundùm Divinam Justitiam exposita fuerit. Tertium, ut qui Bullam acceperint, participes sint omnium precum eleemosynarum, peregrinationum, cæterorumque bonorum operum, quæ in militanti Ecclesia universali à singulis ejus membris fiunt. 505

506 Quartum, ut liberè possint in privato Oratorio ad Divinum cultum dumtaxat destinato ab Ordinario loci approbando, & visitando, etiam in loco interdicto, dummodò ipsi causam non dederint interdicto, vel per eos non steterit, quominus illud amoveatur; Missam ac alia Divina Officia audire, & alia Sacramenta recipere, ac etiam illustribus personis, ac nobilibus, quæ facultatem ad id à Commissario Generali habuerint, etiam per horam, antequam dies illucescat, & per horam post meridiem, per se ipsos, si Presbyteri fuerint, seu per alium, vel alios Sacerdotes approbatos in sua, ac familiarium, ac domesticorum, & consanguineorum suorum præsentia Missas, & alia Divina Officia celebrare, & tempore interdicti hujusmodi divinis interesse, nec non Eucharistiam, & alia Ecclesiastica Sacramenta, præterquàm in die Paschatis, recipere, & eorum decedentium corpora cum moderata pompa funerali Ecclesiasticæ tradi sepulturæ, quo etiam Privilegio

legio sepulturæ ecclesiasticæ gaudent omnes habentes Bullam tempore Interdicti.

507 Quintum, ut in locis, in quibus fuerint, lucrari possint tam pro se, quàm pro Defunctis per modum suffragii omnes indulgentias, quas lucrantur personaliter visitantes Stationes Romæ. Stationes verò Romæ sunt in omnibus Dominicis Adventus, in omnibus diebus quatuor temporum anni, in quibus jejunatur. In die Natalis Domini tres ad quamlibet Missam. Die sancti Stehpani, sancti Joannis Euangelistæ, sanctorum Innocentium, die Circumcisionis, & Epiphaniæ, Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, ac singulis diebus quadragesimæ. In die Paschatis, & reliquis diebus usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Die item Ascensionis, in pervigilio Pentecostes, ipsoque die, & omnibus aliis usque ad Sabbatum ante Dominicam Trinitatis. In omnibus, & singulis his diebus lucrari possunt indulgentiam plenariam Stationum visitando quinque Ecclesias, vel quinque altaria. Vel si non fuerint tot Ecclesiæ, aut altaria, visitando quinquies eamdem Ecclesiam, vel altare, fundendo ibi preces pro sanctæ universalis Ecclesiæ conservatione, & salubri directione, & pro pace inter Principes Christianos, & aliàs prout cujusque suggeret devotio.

508 Sextum, ut possint eligere confessorem sive Regularem, sive sæcularem ex approbatis ab Ordinario, qui eos absolvere possit ab omnibus censuris, & casibus reservatis Sedi etiam Apostolicæ; etiam contentis in Bulla Cœnæ, excepta hæresi, conspiratione contra personam, & statum Rom. Pontificis, falsificatione supplicationum, & litterarum Apostolicarum; & illis, quæ continentur in clausulis ejusdem Bullæ Cœnæ 11. 12. 13. & 14. idque in prædicto anno semel in vita, & semel in mortis articulo. A reliquis verò censuris, & casibus non reservatis Sedi Apostolicæ, quamvis reservatis Ordinariis, toties quoties. Ubi notandum. Quando satisfactio necessaria fuerit, per se ipsos faciendam, vel illis impeditis, per hæredes, aut alios. Absolutiones verò à censuris ab homine latis, parte satisfacta, nemini prodesse in foro judiciali, donec à suo judice absolutionis beneficium obtineatur.

509 Septimum, ut confessor electus sic absolutis, pro modo culpæ pœnitentia salutari injuncta, plenam peccatorum suorum omnium remissionem impendat, ac vota quæcumque, ultramarino, castitatis, ac Religionis votis dumtaxat exceptis, in subventionem, pro qua Bulla conceditur, commutare licitè possit.

510 Octavum, ut qui fructus ecclesiasticos, pro quibus tenebatur dicere horas, quas omiserunt, illicitè receperunt, possint mediam partem dare Ecclesiis, quibus debentur, & alteram mediam pro subventione à Bulla intenta. Vel facta compositione cum Commissario generali, data media parte pro Bulla, possint sibi retinere partem, quæ danda erat Ecclesiis. Item possint facere compositionem cum prædicto Commissario super res illicitè acquisitas vel per usuras, vel quocumque alio modo, dummodo non constet de creditoribus, facta ad hoc prius diligentia per Commissarium. Item quod possit fieri eadem compositio super medietatem omnium legatorum factorum in compensationem malè partorum, si legatarii per annum fuerint negligentes in eis petendis. Item super legata, quæ fuerint facta, vel fient durante tempore Bullæ, si legatarii non inveniantur, facta priùs diligentia per Commissarium, ut compareant.

511 Nonum, ut Commissarius generalis possit dispensare in irregularitate quomodolibet contracta ab illis, qui ligati quibusvis ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, Missas, & alia divina Officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint; quodque in ordinibus per eos aliàs ritè susceptis ministrare liberè, & licitè valeant, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam exinde provenientem abolere, & super indebita perceptione fructuum ecclesiasticorum propter ea facta etiam componere.

512 Decimum, ut iis, quos contigerit ob repentinam mortem, vel confessorum absentiam sine confessione decedere, modò contriti decesserint, & priùs statuto tempore confessi, plenariam remissionem consequantur, eorumque corpora, nisi fortè vinculo excommunicationis innodati decesserint, non obstante etiam interdicto quavis authoritate posito, Ecclesiasticæ tradantur sepulturæ.

Digitized by Google

513 Undecimum, ut carnes de consilio utriusque medici temporibus jejuniorum tam quadragesimalium, quàm quorumcumque dierum totius anni vesci possint, ac pro eorum libito ovis, & lacteciniis, ita ut qui carnes comederint, servata in cæteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfacere censeantur. Denique suspendit, durante Bulla, omnes, & quascumque indulgentias, & facultates concessas à Sede Apostolica singulis locis, & personis, exceptis illis, quæ conceduntur superioribus ordinum mendicantium erga Religiosos ipsorum ordinum, derogatque omnia privilegia in contrarium, illa etiam, de quibus foret facienda expressa mentio. Et insuper præcipit, ut pœnæ pecuniariæ ab Ordinariis impositæ Bullæ applicentur; estque duodecimum privilegium.

SECTIO III.

De indulgentiis Cruciatæ.

514 Suppono primò, indulgentias Cruciatæ posse acquiri etiam ab exteris, qui in his regnis habent quasi domicilium, vel etiam in eo sunt per modum transeuntis. Sumitur ex verbis Bullæ, *commorantes, & degentes*. Nam *commorantes* cadit super illos, qui habent quasi domicilium. *Degentes* verò super eos, qui tempore Bullæ resident sive per modum permanentis, sive transeuntis. Et Prob. quia sicut advenæ puniri possunt in territorio alieno, in quo delinquunt; ita possunt frui gratiis, & indultis concessis in alieno territorio benè operantibus. Cùm verò privilegium Bullæ sit personale, sequitur, quòd postquam discesserint, possint ubique easdem indulgentias lucrari, ut loquentes de Bulla Castellæ docent communiter DD. quoad indulgentias, & absolutionem reservatorum, non verò quoad carnes, ova, & lactecinia.

a Acosta q.16. Dian. 1. p. t.11. res.1.

515 Suppono secundò, ad lucrandas [b] indulgentias Bullæ opus esse Bullam accipere vel per se, vel per alium, nomine suo, solvendo eleemosynam taxatam pro conditione personæ ex propriis bonis, ut habetur in contextu. Unde accepta ex furto non valebit. Similiter debet alicubi Bullam retinere nomine suo, nec satis erit eleemosynam dare, si Bullam non recipiat, ut decernit Commissarius authoritate Apostolica. Non tamen opus est Bullam secum deferre, quando est absolvendus, vel lucraturus indulgentias. Si Bullam perdiderit, non fraudabitur fructu: aliter erit, si rumpat, comburat, vel abjiciat. Igitur

b Acosta q.12.

516 Dico primò, indulgentia [c] plenissima per modum Jubilæi conceditur per Bullam semel in vita, & iterum in morte, intra annum, quo durat Bulla semel suscepta. Et si post sex menses detur eleemosyna 20. regalium æreorum, conceditur secunda in vita, durante eo anno. Patet ex 1. privilegio juncto 20. in quo declaratur hanc concedi morienti sine confessione, non quòd excludantur morientes confessi, & communicati, sed ut illi, de quibus dubium esse poterat, comprehendantur.

c Villal. t.7.d.1. Dian. 20. sol.109.

517 Dubitabis verò, an ad lucrandas istas indulgentias requiratur confessio, & communio actualis? Multi apud Dianam [d] dicunt satis esse, ut quis confessus fuerit in quadragesima præterita, & habeat propositum confitendi in futura, quia hoc est esse confessum, secundùm jus, neque Pontifex videtur aliam confessionem requirere, quam quæ de jure postulatur. Quæ sententia, licèt probabilis sit, quando ex verbis concessionis aliud non colligitur, non est satis tuta. Nam verba in concessione indulgentiarum sumenda sunt in sua proprietate: non dicitur autem propriè confessus, & communicatus, qui propositum habet id faciendi, neque qui mortaliter peccavit post ultimam confessionem, estò contritus sit. Unde DD. communiter consulunt, ut confessio, & communio præmittatur.

d Resol. 104.

518 In nostro verò casu credo prædictam sententiam non esse probabilem [e] quia ex Bulla satis apertè colligitur postulari confessionem, & communionem actualem. Prob. 1. ex verbis contentis in primo privilegio: *Confessi, sacraque communione refecti, vel si id opere præstare non possint, ex corde desiderantes*. Si enim Bulla solùm requirit confessionem secundùm jus, & propositum confitendi in quadragesima futura, ad quid per dispensationem addit illam limitationem, *Si id opere præstare non possint, ex*

e Acosta q. 14. Bellar. l. 1. de indul. c. 13. q.3. Bellan de Sacram d. 11. dub.7.

cor-

corde desideraverint? Evidens ergo est postulari confessionem, & communionem actualem. Et idem argumentum potest fieri ex verbis privilegii 10. Prob. 2. ex verbis privilegii 7. ubi habetur confessarium pœnitenti à se absoluto plenariam peccatorum remissionem impensurum: si ergo absoluto remissionem impendere debet, non lucrabitur indulgentiam, qui in re confessus non fuerit, nec communicaverit. Quare DD. in contrarium relati à Diana non loquuntur in casu nostræ Bullæ, in qua clarè postulatur confessio, & communio.

519 Sed quid, si homo non habet conscientiam peccati mortalis? Non exigi confessionem videntur docere plures apud eumdem Dianam. [f] Quia quando postulatur confessio, intelligitur de illo, qui habet peccatum mortale, cujus confessionem Ecclesia postulare solet. Quę sententia vera est, quando confessio postulatur tamquam dispositio ad gratiam, sine qua indulgentia non comparatur; non verò quando postulatur tamquam opus injunctum, sine quo non, ut in Bulla postulari videtur, ut docent graviores DD. [g]

f Resol. 107.

g Henriq. lib. 7. c. 12. n. 2. Sanc. 8. de mat. d. 15. n. 19. Acosta q. 24.

520 Nota verò primò, non requiri confessionem totius vitæ, sed satis esse de peccatis commissis post ultimam confessionem, quamvis in Bulla concedatur remissio omnium peccatorum, de quibus quis corde contritus, & ore confessus fuerit. Quia ut pœna omnibus debita remittatur, satis est, quòd aliqua jam deleta sint, alia verò pro tunc deleantur, seu quòd nullum sit mortale, quod deletum non sit per sacramentum Pœnitentiæ. Nota secundò, licèt in Bulla dicatur concedi hanc indulgentiam contritis, & confessis; non tamen postulari contritionem distinctam ab attritione, quæ cum Sacramento ad gratiam disponit; & quia attritio dicitur contritio, licèt imperfecta; & quia in Sacramento ex attrito fit homo contritus. Nota tertiò, quando Bulla concedit hanc indulgentiam sine reali confessione, & communione non valentibus confiteri, requirere legitimum impedimentum sive naturale, ut quia non habet copiam confessoris, sive morale, quia confessor est peste infectus, aut excommunicatus, &c.

521 Nota quartò, hanc indulgentiam, quæ conceditur in mortis articulo, concedi pro articulo [h] sive vero, quia homo verè moritur; sive præsumpto, quia medici verè moriturum credebant, licèt postea sive per miraculum, sive ex aliquo accidente mortem evadere contingat. Non verò conceditur pro periculo mortis, ut quando quis bellum, aut periculosam navigationem aggreditur. Quia periculum non est mortis articulum. [i] Unde notant DD. optimè facturum confessorem, si indulgentiam impendat sub conditione, idest, *si verè moriaris, concedo tibi indulgentiam Bullæ, alioqui servet tibi Deus illam ad instans mortem.* Debet autem illam impendere moribundo sensibus etiam destituto, sive absolvatur, quia signa doloris dedit; sive non absolvatur, quia ea non dedit, quoniam si sit contritus, eam lucrabitur. Et ego addo non esse necessarium, quòd confessarius illam concedat, quia Pontifex eam concedit pro tali articulo, ut sumitur ex verbis privilegii 10. quibus conceditur morte repentina decedenti sine confessione. Unde licèt optimum sit, quòd à confessario impendatur, id simpliciter non videtur necessarium, sed sufficiet aliqualis intentio lucrandi, quamvis non expressa, nec actualis.

h Acosta q. 17.

i Dian. resol. 106. & 108.

522 Dico secundò, concedit etiam Bulla omnes indulgentias stationum Romæ, de quibus sect. præcedenti. Quibus diebus comparandæ sint, dictum est in privilegio quinto, ubi etiam quid faciendum, ut comparentur, nempe [l] visitare quinque Ecclesias, vel altaria. Ubi nota, licèt in oppido sint quinque Ecclesiæ, quæ visitari possint, satis esse visitare quinque altaria ejusdem; quia Bulla postulat unum, vel alterum. Si autem in eadem Ecclesia non sint quinque altaria, debent visitari ea, quæ sunt, & postea repeti, ita ut sint quinque visitationes. Nec opus est motus localis ad hæc quinque altaria visitanda, sed ex eodem loco visitari possunt, ut docent communiter DD. licèt melius sit corporaliter accedere ad quodlibet altare, & magis conforme cum littera Bullæ.

l Acosta q. 34.

523 Has ego indulgentias concedo posse acquiri sine actuali confessione, & communione ab eo, qui est in gratia, sive quia eam non amisit post ul-

Digitized by Google

timam confessionem, sive quia per contritionem justificatus est. Prob. quia Bulla hæc opera nec injungit, nec postulat, nec Romæ solent homines etiam pii, & docti, qui cum magno concursu, & devotione stationes frequentant, confessionem, aut communionem præmittere.

524 Nota verò primò, posse quempiam lucrari sæpius [m] in die indulgentias stationum; sicut & illam, quæ conceditur visitantibus tali die hanc, vel illam Ecclesiam, visitando sæpius quinque Ecclesias, vel quinque altaria, modo suprà dicto, ut cum aliis notat Villalob. Emmanuel. Bonac. & alii. Nota secundò, omnes istas indulgentias tam Stationum, quàm duas annuales, de quibus in conclus. prima, posse applicari Defunctis per modum suffragii, ut habetur in Bulla plumbea loquente de utriusque; ad quod requiritur dare eleemosynam declaratam in Bulla Defunctorum, illamque habere ad hunc effectum. Pro quibus possunt applicari indulgentiæ Stationum sæpius in die. DD. suprà.

[m] Dian. resol. 104. Acosta q. 37.

525 Id etiam notandum, ad consequendas indulgentias pro Defunctis, non esse necessarium statum gratiæ, [n] quamvis melius esset illum procurare, ut jam diximus cap. 11. sect. 5. Prob. quia indulgentiæ applicantis Defunctis nomine Ecclesiæ, quæ semper est grata, habentque effectum ex opere operato, indultoque Pontificis applicantis satisfactiones Christi, & Sanctorum; opusque injunctum, nempe eleemosyna in suscipiente Bullam, & visitatio Ecclesiarum, vel altarium, non requiritur ut meritum, sed ut conditio: ergo quamvis homo suscipiens Bullam pro Defuncto sit in peccato, & in eodem visitet Ecclesias, non proinde tollitur effectus Bullæ, dummodo conditio impleatur, per quam indulgentia conceditur, & anima sit capax.

[n] Acosta q. 21. Nav. de Iubil. not. 37. n. 4

526 Huc reduci potest tertium privilegium de participatione omnium orationum, ac bonorum operum, quæ fiunt in Ecclesia, quam Bulla concedit suscipientibus eam, sine alio opere injuncto. Quod ut intelligas, nota [o] primò, dupliciter posse nobis prodesse opera fratrum nostrorum, nempe via satisfactionis, vel meriti, aut impetrationis: ut prosint via satisfactionis, omninò requiritur applicatio vel operantis, vel superioris habentis potestatem super talia opera. Via meriti non requiritur ista applicatio respectu justi; quia cùm justi sint inter se colligati cum Christo per charitatem, sunt ad invicem participes operum manantium à capite, & à membris, juxta illud: [p] *Particeps ego sum omnium timentium te*. Respectu verò peccatorum valent per modum impetrationis, si applicentur ab operantibus, vel ab habente potestatem.

[o] Acosta q. 23.

[p] Ps. 118. 63.

527 Nota secundò, quamvis opus pœnale, prout satisfactorium est, minuatur, si aliis applicetur, quia est finitum; non tamen quatenus est meritorium, aut impetratorium; quia tantò magis meritum crescit, quantò ad plures extenditur, quia procedit à majori charitate. Unde qui pro pluribus orat, vel jejunat magis meretur, quia meretur & sibi, & aliis. Et idem est de impetratione; non enim minus sibi quis impetrat, eò quòd impetret aliis.

528 Nota tertiò, Prælatum saltem majorem posse opera pœnalia subditorum, quibus hi non indigent, & eadem, ut sunt meritoria, & impetratoria, applicare aliis indigentibus; indeque solent Prælati Religionum concedere suis benefactoribus chartas fraternitatum, quibus eos faciunt participes operum Religionis. Et hinc patet quomodo Pontifex ut supremus Pastor Ecclesiæ omnia bona opera, quæ in ea fiunt, sive sint ex pœnalibus superabundantibus, sive ex meritoriis, & impetratoriis, communicet, & concedat suscipientibus Cruciatam. Et per hæc explicata sunt 1. 2. 3. 5. & prima pars privilegii 10.

SECTIO IV.

De confessore eligendo per Bullam, & de potestate ejus in censuras, & casus reservatos.

HAEc quæstio instituitur ad explicationem sexti privilegii, de quo sect. 1. concedentis suscipientibus Bullam, ut valeant eligere confessorem approbatum ab Ordinario, à quo possint absolvi à censuris, & casibus reservatis, de quibus fit mentio in dicto privilegio. Hic autem Ordinarius sine aliqua controversia est Ordinarius Diœcesis sive originis, sive beneficii, sive domicilii. 529

530 Du-

Digitized by Google

530 Dubitabis tamen primò, an approbatus in una diœcesi possit eligi in alia, in qua non est approbatus? Negat [a] probabilior sententia; quia hoc privilegium conceditur pœnitenti: ergo loquitur de Ordinario pœnitentis: unde approbatus ab alio Ordinario per Bullam eligi non potest. Opposita tamen sententia probabilis videtur ex authoritate DD. quos affert Dian. [b] quorum ratio est. Quia Bulla non requirit aliud, quàm approbationem Ordinarii; qui autem approbatus est ab aliquo Ordinario, verè est approbatus ab Ordinario. Sed hæc ratio non convincit; quia non est approbatus ab Ordinario illius, qui eligit, quod Bulla videtur postulare.

a Acosta q. 38. & alii apud Dian.

b 1.p.t.11. ref.7.

531 Dubitabis secundò, an Parochus eligi possit? Aliqui negant; quia Bulla solùm loquitur de approbato ab Ordinario, non verò de approbato à jure, qualis est Parochus; sed oppositum [c] est commune inter DD. aliàs non posset quis eligere suum Parochum, quod videtur absurdum. Ratio verò est, quia Parochus absolutè est approbatus; & clausula Bullæ de approbatis ab Ordinario non videtur poni ad excludendum proprium sacerdotem, sed ad comprehendendos eos, qui tales non sunt. Igitur Parochus actualis, & qui habent superiori beneficia habentia curam animarum eligi possunt, saltem in tota diœcesi. Dico *saltem*, quia qui dicunt posse ubique eligi quemcumque approbatum ab aliquo Ordinario, idem dicunt de quolibet Parocho. De quo vide DD. quos refert Diana. [d]

c Soar. de pœn. d.28. f.4 n.18.

d Resol. 8.

532 Dubitabis tertiò, an approbatus pro solis viris, possit eligi à fœminis? Negativa sententia est [e] probabilior; quia talis non est simpliciter approbatus pro omnibus: ergo à solis illis eligi potest, pro quibus est approbatus. Oppositam tamen sententiam docent non pauci, aliique illam probabilem, & tutam dicunt; quia illa limitatio solet fieri ratione ætatis, non defectu scientiæ. Unde sic limitatus potest dici simpliciter approbatus, & ut talis ab omnibus eligi. Non sic, qui approbaretur ad solas confessiones clericorum, puerorum, vel rusticorum, qui casus difficiles non habent; quia non esset approbatus simpliciter defectu scientiæ.

e Dian. ref. 9.

533 Dubitabis quartò, an approbatus ab Ordinario pro [f] uno determinato oppido, possit eligi in tota diœcesi? Aliqui non improbabiliter negant; quia talis non videtur simpliciter approbatus. Alii probabiliter affirmant, quia simpliciter est approbatus. Alii distingunt affirmantes, si non sit ita limitate approbatum defectu scientiæ; negantes si ex defectu hujus limitatè approbatus sit; quia in primo casu, inquiunt, est simpliciter approbatus, non verò in secundo. Et hæc tertia sententia videtur probabilior. In sensu tamen, in quo ista affirmat, affirmat etiam secunda.

f Acosta q. 39 Dian. ref. 10.

534 Dubitabis quintò, [g] an approbatus pro tempore limitato, possit eligi illo elapso? Probabilius est non posse, quia jam non est approbatus, licèt olim fuerit, & Bulla requirit approbatum. Aliqui tamen concedunt eligi posse, maximè si ex sola voluntate Ordinarii approbatio fuit limitata, aut non tollatur ex defectu scientiæ. Similiter probabilius [h] est eligi non posse, qui olim fuit approbatus, sed postea sine causa ab Ordinario reprobatus, licèt aliqui eligibilem putent, si non ex culpa, vel crimine inducente infamiam, aut indecentiam reprobatus sit. Potest tamen eligi Regularis [i] approbatus ab Ordinario, quamvis prohibitus à suo Prælato; quia habet potestatem ordinis, & jurisdictionis. Non poterit tamen hic absolvere à casibus, ex vi privilegiorum Religionis, quia non habet ad id licentiam suorum Prælatorum.

g Acosta q.39. Dian. ref. 11.

h Acosta q.40. Dian. ref. 12.

i Dian. ref. 11.

535 Potest autem confessor sic electus per Bullam absolvere ab omnibus casibus concessis in sexto privilegio cum limitatione ibi posita, nempe si sint Papales, semel tantùm in vita, & iterum in morte, intra annum Bullæ. Est autem notanda doctrina P. Sanch. [l] asserentis casus Papales occultos posse per Bullam absolvi toties, quoties, sicut casus reservatos Episcopis, quia tales casus jam non sunt Papales, idque jure ordinario, & non speciali ex Trident. supposita probabili, & satis communi sententia, quòd Bulla Cœnæ hanc potestatem Trident. non revocat, ut vidimus cap. 8. sect. ult. sed per Bullam possunt absolvi casus Episcopales toties, quoties: ergo & Papales etiam Bullæ Cœnæ, si sint occulti. Et qui in illo sexto privilegio non excipiuntur etiam publici.

l Lib. 4. Decal. c. 54.n.2.

zed by Google

536 Nota verò. Quia in illo sexto privilegio excipitur casus hæresis, dubitare aliquos, an possint absolvi per Bullam alii casus contenti in prima clausula Bullæ Cœnæ simul cum hæresi, non deesseque, qui negent putantes omnes illos comprehendi sub nomine hæresis. Dicendum [m] tamen cum communiori, & probabiliori sententia absolvi posse, quia Bulla solam excipit hæresim ex contentis in illa clausula; ergo alii casus, si non sint cum hæresi, conceduntur.

m Sanc. 2. Decal. c. 12. n. 12. Soa. de fide d. 24. s. 1. n. 11. Dian. res. 29.

537 Potest deinde absolvere ab omnibus censuris in prædicto privilegio contentis etiam in Bulla Cœnæ reservatis eodem modo, quo de casibus dictum est: nempe si sint reservatæ Papæ, semel in vita, & iterum in morte, intra annum. De aliis verò Ordinariis reservatis, toties, quoties. Nota verò primò, illum, qui per Bullam fuit absolutus à censura, non satisfacta parte, quando satisfactio erat præmittenda, juxta graves [n] DD. teneri iterum confiteri tamquam nulliter absolutum; quia Bulla per illam clausulam, *satisfacta parte*, restringit confessario potestatem, eam præbens sub hac forma, & non aliter. Alii tamen satis probabiliter oppositum existimant; quia Pontifex per illam clausulam non inducit formam, nec limitat potestatem, sed admonet confessarium de sua obligatione, ut non absolvat excommunicatum, nisi vel satisfacta parte, vel si satisfacere non potest, data cautione, ut postulat jus commune. Unde dicunt validè fuisse absolutum à censura, licèt cum peccato tam confessoris, quàm pœnitentis.

n Soa. de cens. d. 7. s. 5. n. 41. Sayr. l. 2. c. 18. n. 10. Bellan. de Sacram. d. 14. du. 16. o Sanch. 3. de mat. d. 33. n. 6. Avil. 2. p. c. 7. d. 3. dub. 9. Dian. res. 22.

538 Nota secundò, licèt aliqui dicant non posse per Bullam absolvi excommunicatum, qui non potest satisfacere parti, & aliter datam absolutionem esse nullam, propter prædictam clausulam, oppositum [p] esse probabilius; quia non est credibile Pontificem per illam voluisse excludere eum, qui non potest satisfacere, & postulare à pœnitentibus conditionem impossibilem.

p Avil. du. 8. Bellan. dub. 16. Sanch. 2. Decal. c. 20. n. 19. Dian. res. 24.

539 Nota tertiò, non posse absolvi à censura, [q] qui tantùm satisfecit clerico, & monacho percusso, sed requiri, ut etiam satisfaciat Prælato, & Monasterio, in quos redundat injuria, licèt oppositum [r] doceat Avila ex Nav. quia quando injuria tangit principaliter personam, & minus principaliter bonum publicum, satis est condonatio ejus, ad quem principaliter attinet.

q Bonac. de cens. d. 2. q. 4. p. 5. r Avil. du. 11. Dian. res. 23.

540 Nota quartò, quamvis graves [s] DD. doceant non posse virtute Bullæ absolvi excommunicatum nominatim, vel publicum clerici percussorem, aut alium, cujus censura deducta sit ad forum contentiosum, ante finitam litem; quia esset absolutio scandalosa, & perturbatrix externæ jurisdictionis: oppositum tamen esse probabilius; quia [t] Bulla concedit absolutam facultatem absolvendi à censuris, sine ulla restrictione; unde non est cur à nobis restringatur. Nec valet ratio in contrarium; quia talis absolutio solùm valet pro foro interno, & non perturbatur jurisdictio externa, quia judex potest procedere contra talem, ac si non fuisset absolutus; ipse verò, satisfacta parte, potest absolvi in foro interno, & si absit scandalum, potest Missam audire, & Sacramenta recipere. Absolutio verò censurarum à jure valebit etiam pro foro externo; quia Bulla de solis censuris ab homine ait non prodesse pro foro externo.

s Avil. dub. 10. Bellan. dub. 16.

t Sanch. 6. Decal. c. 17. n. 49. Sayr. c. 22. n. 29. Acosta q. 10. Dian. res. 26.

541 Nota quintò, controversum esse inter [u] DD. an confessor electus virtute Bullæ, aut Jubilæi, possit absolvere à censuris extra confessionem? aliis probabiliter negantibus, aliis verò probabilius concedentibus, de quo vide DD. citatos, qui varios pro utraque parte Authores citant, & rationes expendunt, quod nobis præstare non vacat.

u Sanch. 8. de mat. d. 34. n. 30. Avil. dub. 13. Dian. res. 25.

542 Qui Bullam habet, potest per illam absolvi à casibus, & censuris prædictis, estò peccaverit in confidentiam [x] Bullæ, ut cap. præcedente dictum est de eo, qui peccaverit in confidentiam Jubilæi. Quia Bulla non restringit, nec limitat ad eos, qui non peccaverint in confidentiam. Potest etiam absolvi à casibus, & censuris incursis non solùm ante Bullæ acceptionem, sed etiam post illam.

x Sanch. 4. Decal. c. 54. n. 18. Acosta q. 33. Dian. res. 16. & 17.

543 Nota verò primò, illum, qui fictè confitetur reservata sciens, & prudens, non posse, finito tempore Bullæ, de illis [z] absolvi à quolibet approbato; quia Bulla concedit absolutionem reservatorum in ordine ad lucrandas illius indulgentias, ut diximus suprà de Jubilæo. Licèt [a] Commitolus cum aliis, quos adducit, oppositum sentiat. Si tamen

z Acosta q. 45. Villal. tr. 27. diff. 9. Dian. res. 18.

a Lib. 1. q. 30.

men casus esset reservatus, ratione censuræ, ut sunt omnes papales, qui sic fictè confiteretur, vel sine dolore, aut debita integritate à censuris, quas manifestaret, absolutus maneret, quia absolutio censurarum non requirit veram pœnitentiam internam. Unde talia peccata reservata non manerent, & consequenter posset postea absolvi à quocumque approbato habente facultatem absolvendi à mortalibus.

544 Nota secundò, qui confessus est peccata ordinaria nullam faciens mentionem reservati ex oblivione inculpabili, potest postea absolvi à quocumque [b] approbato, ut diximus de Jubileo; quia ab illo reservato fuit indirectè absolutus per Bullam. Quamvis aliqui id negent, inter quos citatur à Dian. P. Soar. qui id eo loco non docet de faciente confessionem virtute Bullæ, sed de illo, qui confessus fuit cum Prælato, cui reservatum non aperuit; quod est quid valde diversum. Et per hæc explicatum est sextum privilegium Bullæ.

b Dian. ref. 19.

SECTIO V.

De potestate ejusdem confessoris ad commutanda vota.

545 Potest confessor electus virtute Bullæ commutare omnia vota pœnitentis, tribus exceptis, nempe ultramarino, seu peregrinationis Jerosolymitanæ, castitatis, & Religionis, ut habetur in septimo privilegio. Non tamen potest dispensare, quia Bulla id non concedit. Et cùm minus sit commutare, quàm dispensare, non sequitur, quòd concesso eo, quod est minus, concedatur majus.[a] Et idem probabilius est de juramentis solo Deo factis, quia licèt sint vincula diversæ rationis à voto, tamen quoad moralem æstimationem votis comparantur. Et idem credo de juramento voti confirmatorio, seu de voto juramento confirmato. Quidquid in utroque casu graves Doctores repugnent.

a Soa. 6. de voto c. 14. Sanch. 4. Decal. c. 53. n. 8. & 9. Dian. ref. 40. & 43.

546 Nota verò primò, quæ virtute Bullæ commutantur, debere commutari in subsidium Bullæ, ob quod ipsa conceditur, ut in illa habetur. Et quamvis aliqui dicant totam commutationem debere fieri in belli subsidium, probabilius[b] est id necessarium non esse, sed posse fieri partim in belli subsidium, partim in alia virtutum opera. Quod etiam intellige de pauperibus, quibus imponenda etiam est eleemosyna paupertati suæ accommodata. Quamvis non sit improbabile posse istis imponi subsidium aliquod orationum.

b Soa. c. 19. Sanch. c. 54. n. 18. Dian. ref. 21.

547 Nota secundò, ad commutanda vota per Bullam, non opus esse aliquam causam[c] justam; quia licèt ad commutandum votum in bonum æquale justa causa requiratur, quando tamen privilegium non confertur simpliciter, sed sub aliquo onere ob bonum publicum, ut fit per Bullam, vel Jubileum, nulla alia causa opus est, quàm conferre eleemosynam in subsidium præscriptum à Bulla, & exequi opera assignata in Jubileo, ob quas causas privilegium conceditur: ergo nulla alia causa requiritur.

c Sanch. c. 50. n. 19. Soa. c. 19 n. 10. Dian. resol. 39.

548 Nota tertiò, quamvis confessarius authoritate ordinaria non valeat commutare vota pœnitentis, in opera æqualia, quia ejus potestas est ad absolvendum, non ad commutandum; posse tamen per Bullam commutare in æquale, ut docent[d] DD. quia id significat commutare. Quamvis non desint graves AA. qui dicant posse vota virtute Bullæ commutari in minus bonum; quia aliàs, inquiunt, nihil Bulla concederet, cùm confessarius, authoritate Prælati, possit ex causa justa commutare in opus æquale. Verùm hæc ratio nihil probat; quia Bulla concedit, ut possis sine causa, & sine authoritate Prælati: ergo aliquid concedit. Admitto tamen eam sententiam ex alio fundamento; quia eleemosyna data in subsidium Bullæ supplet defectum æqualitatis in opere subrogato pro voto commutato, quod communis sententia non negat, quia jam commutatio est in æquale, aut ferè æquale.

d apud Dian. resol. 40.

549 Nota[e] quartò, teneri confessorem electum commutare vota pœnitentis id petentis, quia, cùm sit judex delegatus in favorem illius, tenetur ei tribuere jus ex privilegio concessum. Potest autem commutare non solùm in confessione, sed etiam extra illam: quia Bulla non dicit, ut fiat, audita confessione, licèt conformis sit litteræ Bullæ id præstare in confessione. Et idem docent plures de commutatione facta per privilegia Regularium. Potest autem commutare non solùm vota emissa ante Bullæ susceptionem, sed etiam post illam.

e Sanch. 4. Decal. c. 54. & præced. Soa. 6. de voto per varia capita Dian. ref. 44. & sequentib.

itized by Google

lam. Et quia favores sunt ampliandi, & quia Pontifex non restringit ad vota antea emissa. Potest etiam commutare vota de non petenda commutatione. Quia non excipitur, sicut & votum emissum in favorem tertii, dummodo acceptatum non fuerit; nam si fuit acceptatum, tertius jus acquisivit, cui Bulla non derogat. Potest denique commutare vota pœnalia quoad pœnam jam incursam ex voti violatione; quia hæc solùm debetur ex voto, quo illam voves, si primum facias, vel omittas.

550 Nota [f] quintò, posse confessorem in fine anni, antequam Bulla finiatur, differre commutationem voti, si velit materiam considerare, & illud commutare, postquam Bulla expiravit; quia jam causam inchoavit, & ideo illam postea perficere potest; sicut, & absolvere à reservatis, quorum confessio incepit tempore habili, sed congruum fuit absolutionem differre. Si autem dicat, commuto tibi votum in id, quod postea judicabo commutandum, jam votum non obligabit, quia jam est commutatum saltem in genere.

f Sanc. n. 31. Soar. c. 16. n. 11. Dian. ref. 31.

551 Nota [g] sextò, tria illa vota, quæ excipiuntur in privilegio, quæ per Bullam commutari non possunt, debere esse absoluta, & perfecta in tali materia, aliàs commutari poterunt. Unde generalis regula est, quando Episcopus potest commutare, vel dispensare in illis materiis jure ordinario, posse confessorem commutare per Bullam.

g Sanc. n. 19. Dian. ref. 36.

552 Unde sequitur primò, posse commutari [h] quodlibet ex votis, quando fuerunt emissa cum expressa intentione non se obligandi sub mortali, sed solùm sub veniali. Quia non fuerunt vota perfecta in ea materia. Item [i] commutari potest materia subrogata in quam fuit commutatum votum reservatum; quia per commutationem fuit extinctum priùs votum reservatum ratione materiæ, cujus votum subsecutum reservatum non est. Similiter [l] commutari potest votum disjunctivum de materia reservata, vel non reservata, etiam quando non reservata facta est impossibilis; quia tale votum per se, & ex natura sua nunquam obligavit ad partem reservatam, sed postea obligatio ad illam orta est per accidens ex impossibilitate materiæ. Et idem est de voto facto [m] ex intentione faciendi illud reservatum, ut si vovens intendat, ut votum à nullo possit auferri, nisi à Pontifice, quia tale votum non est ex tribus exceptis in Bulla.

h Dian. ref. 72. cū Sanch. & 2 ... nac.

i Idem ref. 71. cum Sanc. Soa. & Less.

l Soa. c. 14. Sanch. 40. n. 44.

m Sanc. n. 67. Soar. c. 21. n. 15.

553 Sequitur secundò, posse commutari vota pœnalia [n] castitatis, Religionis, & peregrinationis Jerosolymitanæ. Quia talia vota valdè deficiunt à perfecta natura talium votorum, ratione cujus reservantur. Et idem [o] probabile est de prædictis votis, quando sunt conditionalia; non solùm ante, sed post impletam conditionem. Licèt neget Soar. Less. Azor. & alii, maximè post impletam conditionem.

n Sanch. 8. de mat. d. 15. n. 8. & d. 10. n. 8.

o Idem d. d. 11. n. 8. & d. 10. n. 1.

554 Sequitur tertiò, posse commutari votum castitatis emissum [p] pro tempore limitato. Quia non est votum absolutum castitatis. Et idem est de voto non nubendi, ob eamdem rationem. De voto non fornicandi, non committendi mollitiem, abstinendi à certo actu venereo, in voto castitatis conjugalis, imò & in voto virginitatis si constiterit non esse votum castitatis. In voto non petendi debitum, estò emissum fuerit ex licentia alterius conjugis; imò estò uterque conjux voveret nec petere, nec reddere. In voto assumendi ordines sacros; quia non est votum castitatis. In voto castitatis conjugalis; [q] quia non est votum integræ castitatis. In voto castitatis emisso cum licentia alterius conjugis; quia non est votum omnimodæ castitatis, sed partis, eò quòd tenetur ita vovens reddere debitum. Et idem est, si uterque conjux continentiam voveat, absque alterius licentia; quando uterque seorsim vovit, habita ab altero licentia. Dico *seorsim*, quia si uterque communi consensu voveret per modum contractus, & reciprocæ conventionis *facio, ut facias*, non posset commutari; quia ita voventes obligant se ad absolutam, & integram castitatem, nec possunt reddere, nec petere debitum. Qui diversis [r] votis varia ad castitatem pertinentia voveret, ex quibus junctis consurget obligatio ad perfectam castitatem, posset illa commutare per Bullam, nisi ultimum votum, quo castitatis omnimodæ materia compleretur, consultò emitteret, ut sic perfecta castitate ligatus maneret; quia tunc censeretur priora vota cum ultimo conjungere, & votum absolutum castitatis elicere, quod per Bullam commutari non potest, nec ab Episcopo dispensari.

p Idem d. 15. n.

q Idem 4. Decal. d. 40. n. 50.

r Idem n. 68.

555 Qui

555 Qui tamen disjunctivè voveret [f] castitatem, vel ordines sacros, & postea statueret non ordinari, eligens alteram voti partem, ad quam se adstrinxerat, non posset commutari per Bullam, nec dispensari ab Episcopo; quia ex vi voti jam tenetur ad castitatem, quidquid alii in contrarium dicant. Similiter qui voto castitatis astrictus matrimonium contraxit, non potest virtute Bullæ commutare votum, ut debitum petat. Nec obstat, quòd Episcopus possit dispensare ad debitum petendum, ut omnes docent: quia non potest dispensare jure ordinario, sed speciali, & per consuetudinem.

f Sanc. 8. de mat. d. 9. n. 14. Soar. 6. de voto c. 14. n. 3.

556 Sequitur quartò, posse per Bullam commutari votum [t] strictioris Religionis in laxiorem, quia non commutatur absolutè votum Religionis, sed qualitas ejus, in quo proinde Episcopus dispensare potest. Potest etiam commutari votum perseverandi in Religione; quia non commutatur votum Religionis, sed qualitas illius. Potest etiam commutari votum Religionis, ne tempore præscripto impleatur; quia non est commutatio voti, sed qualitatis. Licèt oppositum teneat Soar. quatenus ait non posse in eo Episcopum dispensare. Potest etiam commutari votum emissum [u] de vovenda Religione, vel castitate, vel peregrinatione Jerosolymitana; quia velle facere, non est facere, & velle vovere, non est vovere. Unde similiter qui ita vovit, fornicando non egit contra votum. Similiter commutari possunt prædicta vota emissa [x] ex metu levi; quia non censentur reservata, nisi quando sunt omnino libera, vel ex metu ab intrinseco, seu incusso per causam necessariam. Similiter commutari potest qualitas adjuncta voto ultramarino, ut si fecisti votum eundi mendicando; quia non commutatur votum, sed circumstantia ipsi per accidens adjuncta.

t Sanc. d. 15 n. 4. & 9.

u Soar. c. 21. n. 7. Sanch. 4 Decal. c. 40. n. 70.

x Dian. ref. 73. cum Less. & aliis.

557 Nota verò primò, vota [z] ista reservata emissa à persona alterius potestati subjecta, ut à filio, servo, conjuge, &c. non posse commutari per Bullam; si sint absoluta, & licèt possint irritari ab habentibus ad id potestatem, non sequitur posse commutari, quia ex una potestate non sequitur alia. Nota [a] secundò obtenta commutatione per Bullam de quocumque voto per illam commutabili, posse quempiam, si velit, redire ad prius votum, quod fuit commutatum. Quia talis commutatio facta fuit in favorem voventis, cui ipse potest renuntiare, alioqui non esset favor, estò commutatio facta fuerit in melius; in quo aliqui contradicunt; sed quod dicimus est probabilius.

z Sanch. 8. de mat. d. 9 n. 4. Soar. de voto c. 16. n. 3.

a Sanch. 9. de mat. d. 4. n. 11. Less. l. 2. c. 4. dub. 16.

SECTIO VI.

De compositione facienda per Bullam.

558 HAEc compositio conceditur in privilegio octavo, relato sect. 1. n. 510. supponitur autem esse licita, ac justa, quia à Pontifice conceditur, & à Commissario generali authoritate Apostolica executioni mandatur, ut probat Acosta, [a] & alii DD. supponunt. Quinque igitur sunt, in quibus Bulla compositionem concedit.

a Acosta q. 90. & 91.

559 Primum, circa fructus beneficiorum malè perceptos ex omissione horarum Canonicarum, quos non recitantes suos non faciunt. Hi enim possunt ex Bullæ privilegio, propria authoritate mediam partem sic perceptorum Ecclesiis, quibus debebantur de jure restituere, & aliam dimidiam dare pro Bullæ subsidio, vel si malint, possunt componi cum Commissario, persolutaque compositione, erunt liberi ab hoc debito. Acosta [b] ait dimidiam partem sic perceptorum dandam esse Ecclesiæ, & solùm de altera medietate fieri posse compositionem. Verùm Bulla expresè oppositum asserit illis verbis: *Ita quòd, compositione hujusmodi soluta, sit componens à portione etiam, quæ Ecclesiæ deberetur, integrè absolutus.*

b Acosta q. 76. & 98.

560 Quæres autem, an possit fieri compositio, de distributionibus quotidianis ex prædicto principio malè perceptis? Resp. [c] negativè. Primò, quia intentio Pontificis non est præjudicare parti habenti jus in re, de qua fit compositio, sed distributiones quotidianæ, quas aliquis perdit, debentur clericis interessentibus: ergo. Secundò, quia virtute Bullæ solùm conceduntur compositiones fructuum, qui debentur fabricæ Ecclesiæ, vel pauperibus: sed distributiones non debentur fabricæ, nec pauperibus, sed interessentibus, & pro talibus reputatis: ergo non potest circa illas fieri compositio per Bullam.

c Acosta q. 76.

561 Se-

Digitized by Google

561 Secundum, circa fructus indebitè perceptos ex beneficiis, propter aliquam censuram, vel pœnam ecclesiasticam. Ad quod supponendum [d] est fructus, quibus prædicti privantur, de jure communi pertinere ad ipsam Ecclesiam, à qua emanarunt. Unde non aliter in jure restitui præcipiuntur, quàm ipsi Ecclesiæ, & ministris ejus, ita ut fructus, qui apud nos dicuntur *grosso*, pertineant ad fabricam, distributiones ad beneficiarios interessentes. Quod est intelligendum, nisi aliqua consuetudo legitima sit in contrarium, ut est in hac Eborensi Ecclesia, in qua omnes sive *grosso*, sive distributiones dividuntur per interessentes, nec aliquo modo ad fabricam pertinent. Quare de prædictis fructibus, quos censuratus indebitè acquisivit, non potest fieri compositio in hac Ecclesia Cathedrali, sicut de distributionibus dictum est; quia debentur personis certis; fieri verò potest, ubi non fuerit talis consuetudo, idque de toto *grosso* percepto.

[d] Acosta q.95.

562 Tertium, circa res [e] illicitè acquisitas sive per usuras, sive quocumque alio modo, dummodo non constet de certis creditoribus, facta priùs, ad illos inveniendos, debita diligentia per Commissarium. Et idem est de inventis, quorum domini ignorantur, quamvis nostra Bulla de illis non loquatur, sed videtur eadem, vel potior ratio, in quo DD. conveniunt.

[e] Acosta q.90.

563 Quartum circa legata [f] quæcumque, quando legatarii sunt incerti, aut non inveniuntur; perinde enim est nesciri legatarium, ac nesciri ubi sit. Tunc enim facta diligentia per Commissarium, potest hæres, cujus est solvere legata, facere compositionem circa totum legatum; quia est eadem ratio de illis, ac de aliis debitis incertis, de quibus proximè. Per hanc tunc compositionem [g] potest quis retinere sibi summam 250. ducatorum, qui apud nos faciunt summam centum millium regalium æreorum, *cem mil reis* dicimus; accipiendo tot Bullas compositionis, quot sufficiant ad talem summam, ita ut pro qualibet Bulla retineat sibi quinque millia regalia, seu *finco mil reis*, dando centum ad rationem unius pro 50. Si verò debitum excedat prædictam summam centum millium regalium, non poterit quis uti beneficio Bullæ, saltem quoad excessum, sed debet facere peculiarem compositionem cum Commissario, quæ potest fieri secretò, aut per tertium.

[f] Acosta q.56.

[g] Acosta q.91.

564 Qui spe hujus compositionis non restituit pauperibus, vel Ecclesiæ, cùm possit, [h] peccat quidem mortaliter, quia unusquisque, cùm potest, tenetur sub mortali restituere, & dum non restituit, est in statu damnationis. Adveniente tamen Bulla, & facta compositione, à debito liberatur; quia utitur privilegio Bullæ, secundùm quod legitimè componitur. Si verò debita incerta facta sint in confidentiam Bullæ, ut per eam componatur; valde dubium est, an per illam componi possint. Quamvis enim in nostra id non caveatur, ut cavetur in Bulla Castellæ; ratio postulat, ut ita sit, ne Bulla fiat vinculum iniquitatis. Non auderem tamen damnare compositionem, supposito quòd non cavetur.

[h] Acosta q.92. Nav. c.11. n.93.

565 Dubitabis primò, an satis sit absentia creditoris ad compositionem? Resp. negativè. [i] Si debita acquisita sint illicitè, v. c. per furtum, aut usuram; quia qui talia bona in se habet, tenetur suis expensis ea ad dominum mittere, quantumvis longissimè distet, ut docet Nav. [l] & alii: si verò licitè, & sine injustitia habeantur, & debitum tale sit, ut si mittatur, minus valeat, quàm sumptus, qui fieri debent in eo mittendo, poterat dari pauperibus ex præsumpta voluntate dominorum, ut docent plures DD. & consequenter poterit fieri positio per Bullam, nisi debitum esset tanti momenti, ut ex præsumpta domini voluntate, non sit distribuendum pauperibus, vel Cruciatæ. In quo casu retinendum est, quoad usque data opportunitate domino restituatur, vel apud judicem deponendum, ad eumdem finem.

[i] Acosta q.95.

[l] Nav c. 17. n.42. & 43.

566 Dubitabis secundò, quid faciendum, si facta compositione de bonis incertis, illorum dominus compareat? Aliqui dicunt restituenda esse domino saltem ea, quæ remissa fuerunt per compositionem, non tamen eam partem, quæ data est in subsidium Bullæ. Probabilius [m] tamen videtur nihil esse restituendum. Primò, quia ea bona sunt applicata authoritate Pontificis legitima cum translatione dominii: sed bona, quorum quis est factus dominus, non sunt subjecta restitutioni, ut etiam constat in bonis legitimè præscriptis, estò postea certus dominus compareat: ergo.

[m] Acosta q.91. Less. l.2. c. 14. dub.6. & c. 16. dub.11. Henriq. lib.7. c.34. n.6.

ergo. Secundò, quia si prædicta bona fuissent distributa pauperibus, vel sibi tamquam pauperi applicata, non forent restituenda, ut dictum est cap. 4. sect. 5. ergo neque si applicata fuerint per compositionem, ut ibi etiam diximus.

567 Dubitabis tertiò, an hujusmodi compositiones valeant in foro externo? Negant aliqui dicentes, si creditores compareant, non esse recipiendam exceptionem dicentis, se virtute Bullæ fuisse compositum circa debita, quę exiguntur. Verùm oppositum videtur deduci ex tenore Bullæ dantis Commissario facultatem faciendi hujusmodi compositiones, & ita liberandos debitores: si autem in foro externo relinqueretur dominis comparentibus jus petendi debita, non plenè manerent debitores compositi liberi à debito. Hæc tamen ratio non convincit, quia Bulla potest intelligi de libertate in foro conscientiæ.

n Acosta q. 94. 568 Quare prob. aliter. n Privilegia Commissarii non sunt quasi privati sacerdotis pro foro conscientię, sed potestatis ecclesiasticæ, pro foro externo, ut patet in aliis, quæ ab ipso facta pro foro externo valent: sed penes Pontificem est plenum dominium debitorum, quorum domini ignorantur, ut secundùm eorum præsumptam voluntatem, dispensentur in ordine ad bonum spirituale eorum: ergo postquam Commissarius authoritate Pontificis liberat à debito eum, qui componitur, non relinquitur ulteriùs in aliquo foro obligatus ad solutionem debiti; huc enim spectant diligentiæ, & examina, quæ Pontifex jubet, ut præcedant compositiones faciendas per Commissarium. Nam ut is, qui ritè componitur authoritate Commissarii, in foro externo liber maneat, debet Commissarius præmittere judicialem indaginem per testium juramentum, ut sententia sua definitiva judicet bona, de quibus est facienda compositio, cadere in compositionem, ac proinde virtúte illius debitorem liberum esse à restitutione.

569 Accedit, quia in foro animæ non est necessaria ista formalis indago, sed satis est ea, quæ fit à confessore in ipsa confessione, quando de consilio illius, fiunt istæ compositiones, ad quas, & ad effectum hujus inquisitionis censetur subdelegatus Commissarii generalis, & ita observat praxis, quòd usque ad debitum centum millium regalium, possit quis componi sine Commissario, solo consilio confessoris, sumendo pro singulis quinque millibus regalibus singulas Bullas compositionis, solvendo pro qualibet centum regales ad rationem unius pro 50. ut suprà dictum est. Hæc tamen compositio facta in foro animæ non liberabit in foro externo.

570 Quintum circa o legata, quæ fiunt ob malè ablata, ut si quis ad exonerandam conscientiam, quia multa per furta, aut usuras acquisivit, quorum creditores ignorantur, relinquat pauperi legatum: tunc si legatarius fuerit in exactione negligens per annum, potest fieri compositio quoad dimidiam partem legati. Unde, transacto anno, si hæres reddat legatario dimidiam partem legati, potest circa aliam medietatem componi per Bullam. Cùm enim bona illa via restitutionis relinquantur, ad exonerandam conscientiam, jure pertinet ad Pontificem eorum dispositio. Unde cùm legatarius ex sua negligentia nondum habeat jus in re, sed solùm ad rem, in pœnam negligentię, & favorem Bullæ potest privari illa medietate. o Acosta q. 96.

571 Nota verò primò, debere esse negligentiam annalem, postquam legatarius scivit sibi relictum legatum, vel de eo scire potuit, quia aliquid audivit, aut suspicatus est, unde potuit veritatem indagare; nam omninò ignoranti nulla negligentia in culpam imputari potest. Nota secundò, hanc facultatem compositionis non habere locum in legato relicto alicui domino certo via restitutionis furti, vel debiti certi; quia hoc potiùs est restitutio, quàm legatum: & Pontifex nec vult, nec potest dominum certum privare bonis sibi certò debitis, ut est manifestum.

SECTIO VII.

De Bulla Defunctorum.

Duas habet Cruciata Bullas annexas, altera dicitur Bulla compositionis, de qua egimus sect. præcedenti; altera dicitur Defunctorum, quæ inservit ad lucrandas indulgentias pro animabus, quæ in Purgatorio detinentur, ut satisfaciant divinæ justitiæ pro peccatis in hac vita commissis, remissis 572

sis quidem quoad culpam, non tamen quoad totam pœnam, quam integrè persolvunt in Purgatorio, antequam ad claram Dei visionem, quæ est ipsarum, nostrumque omnium beatitudo, eleventur, nisi suffragiis vivorum compensentur. Unde opus maximæ charitatis est prædictas animas juvare, ut citiùs à pœnis sibi debitis liberentur, quod vivi præstare possunt per orationes, aliaque pia opera satisfactoria, maximè verò per Missas, Indulgentiasque concessas in Bulla Cruciata, quæ efficaciores sunt ad eas à pœnis, in quibus justissimè detinentur, liberandas.

573 Bis enim in Bulla plumbea sermo est de Indulgentiis, quæ ibi conceduntur pro animabus Purgatorii, semel cùm conceditur vivis accipientibus Bullam duplex Indulgentia plenaria per modum Jubilæi in quolibet anno, quibus Bulla perdurat. Ubi statim additur: *Quod etiam pro cujuscumque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus, quæ per charitatem Christo unita ab hac luce migraverint, pro quibus, juxta præmissa, collata fuerit ad relaxationem pœnarum, quibus secundùm divinam justitiam exposita sunt, suffragetur.* Iterum cùm agitur de Indulgentiis stationum, de quibus sermo fuit in quinto Bullæ privilegio sect. 2. num. 507. & sect. 3. n. 524. & sequenti. Ubi cùm sermo est de prædictis Indulgentiis stationum, quas lucrari possunt pro se accipientes Bullam Cruciatam, additur: *Quam per modum suffragii pro illis, qui in Christi charitate decesserint, & pro quibus ipsi visitaverint, consequantur, quas consequerentur, si eisdem temporibus, & diebus singulas Ecclesias dicta urbis, & extra illius muros, hujusmodi pro eisdem stationum Indulgentiis consequendis deputatas, personaliter visitassent.*

574 Igitur quoad primam concessionem, qui Bullam Cruciatam accipit, potest bis in quolibet anno, durante Bulla, lucrari Indulgentiam plenissimam, pro qualibet anima in Purgatorio existente, cui eam applicaverit, largiendo eleemosynam assignatam in Bulla defunctorum per Commissarium, nempe 50. regales æreos, seu *meo tostam.* Ita enim intelligenda sunt verba, quæ habentur in summario Bullæ defunctorum: *Toda a pessoa, que der a esmola abaxo declarada, pola alma de qualquer defunto, a que quizer applicar, alivrà das penas do Purgatorio, per modo de suffragio, elivrara tantas almas, quantas vezes der a ditta esmola, efizer atal applicaçam.*

575 Quod autem ita intelligenda sint hæc Commissarii verba, constat ex Bulla plumbea, in qua postquam Pontifex dixit posse suscipientem Cruciatam sibi lucrari bis in anno indulgentiam plenariam per modum Jubilæi, semel in principio, cùm Bullam accipit, iterum in medio anni; statim immediatè addit: *Quod etiam pro cujuscumque eleemosynarum voluntate, animabus in Purgatorio existentibus &c.* Ergo loquitur de duabus indulgentiis pro Defunctis lucrandis, duabus etiam vicibus in anno, quibus concesserat sibi vivos lucrari easdem potuisse: igitur ita intelligenda sunt verba summarii. *Elivrara tantas almas, quantas vezes der a ditta esmola, efizer a tal applicaçam.* Idest, toties, quoties temporibus illis, quibus conceditur vivis posse sibi lucrari indulgentiam plenariam, poterit eamdem lucrari pro Defunctis; quæ tempora sunt duo quolibet anno, semel in principio anni, iterum in medio; poterit igitur in quolibet anno duas accipere Bullas Defunctorum, modo prædicto, vel pro eodem Defuncto, vel pro diverso. Ita Doctores,[a] qui explicant Bullam Cruciatam in explicatione Bullæ Defunctorum.

[a] Rodrig. §. unico. Licob. n. 434.

576 Conceditur igitur bis in anno durante tempore Bullæ, quod in principio fuit triennium, hodie verò est septennium indulgentia plenaria illi defuncto, pro quo vivus habens Cruciatam accipit Bullam Defunctorum, dando eleemosynam à Commissario taxatam, de qua jam diximus. Neque ad has indulgentias pro Defunctis lucrandas, requiritur aliud opus, quàm accipere prædictam Bullam Defunctorum, dando eleemosynam taxatam, & applicando illam Defuncto, pro quo accipitur: neque enim aliud opus postulatur in Bulla plumbea, ut ex ipsa constat. Requirit tamen Commissarius, ut qui Bullam pro Defuncto accipit, in ea scribatur nomen dantis eleemosynam: *Eos que à derem tomaram este summario impresso com onome escrito nelle da pessoa, que deu a ditta esmola, e nam levando, nem escrevendo nelle o seu nome, nam lhe valera.* Conceditur autem prædicta indulgentia per modum suffragii.

gii [a]. Quid autem sit concedere indulgentiam per modum suffragii, dictum est suprà c. 11. s. 5. n. 446. & sequenti.

577 Possunt autem Bullam sumere pro Defunctis omnes illi, quibus vivorum Bulla conceditur; quibus autem concedatur Bulla vivorum, diximus c. 13. s. 3. n. 514. Ita sumitur ex verbis Bullæ plumbeæ suprà relatis. Non requiritur autem quod accipiens Bullam pro Defuncto, sit in statu gratiæ, ut diximus sect. 5. num. 448. Ratio verò est, quia indulgentia applicatur à Pontifice, medio opere fidelis viventis, ac proinde sufficit Defunctum in gratia discessisse, & fidelem vivum præstare id, quod Pontifex præcepit mediante Commissario, nimirum elargiri taxatam eleemosynam; nam status gratiæ solùm requiritur ad tollendum obicem indulgentiæ, ac adeò per se solùm est dispositio necessaria in eo, qui accepturus est indulgentiæ effectum: atqui homo vivus non est illum effectum accepturus, sed anima Defuncti, cui vivus tamquam minister per illud opus ad indulgentiam requisitum eam procurat: ergo &c. Hæc communis sententia Doctorum, ut multos referentes docent Henriq. l. 7. cap. 9. n. 6. Tol. lib. 6. c. 26. Soar. de pœnit. disp. 44. sect. 4. n. 6. Acosta q. 21. Villal. tract. 28. n. 2. Escobar nu. 433.

578 Sed quia non desunt aliqui, qui de hoc dubitent, monent aliqui satis piè [b] fideles ipsos, ut cùm morti fuerint vicini, postquam Sacramenta susceperint, ac se Deo gratos probabiliter existimaverint, in suis testamentis, aut aliter extra illa, suis hæredibus injungant, quòd pro ipsis jam Defunctis Bullas Defunctorum accipiant; quia ipsi sunt, qui ex bonis suis eleemosynam dandam applicarunt, cùm se in statu gratiæ esse crederent; ultra quod plus proderunt Defuncto Bullæ sic susceptæ, quàm si spontaneè hæredes, aut amici pro ipsis ultro illas acceperint: proderit enim Bulla sic sumpta etiam ex opere operantis, ob piam legantis intentionem, & affectum erga indulgentias.

b Rodrig. n. 6. Escobar n. 436.

579 Quærunt autem Doctores, an expediat pro uno, eodemque Defuncto plures Bullas Defunctorum accipere? Ratio verò dubitandi est, quia per indulgentiam concessam in Bulla Defunctorum, pro quo accipitur, & cui applicatur, ejus anima à pœnis Purgatorii liberatur; cùm enim sit totalis, & plenaria per modum Jubilæi, omnes pœnas, quas anima in Purgatorio erat habitura, adæquat: & ex alio capite indulgentia per modum suffragii Defunctis concessa tam infallibilem habet effectum, quàm ea, quæ per modum absolutionis conceditur vivis: ergo per unam anima, pro qua sumitur, & applicatur indulgentia, à pœnis Purgatorii eripitur, ut est communis Doctorum sententia. Unde frustraneum, ac inutile videbitur pro eadem anima secundam, vel plures Bullas accipere.

580 Docent tamen communiter Doctores, [c] pium esse, congruum, & salutare plures Defunctorum Bullas pro eadem anima sumere, hortanturque moribundos, ut hæredibus suis præcipiant, vel ab amicis deprecentur, ut quoties Cruciata publicabitur, pro animabus suis Bullas Defunctorum accipiant. Ratio verò est, quia licèt probabilius sit, & ferè certum moraliter, quòd si fiant ea, quæ in Bulla jubentur, anima liberabitur à pœnis Purgatorii, non tamen est certum omnia facta fuisse, dum Bullæ transactæ fuerint susceptæ; non enim certum est te fuisse in gratia, cùm Bullam pro Defuncto accepisti; licèt enim probabilius sit, & ferè certum non requiri gratiam tuam, ut suprà dictum est, id tamen non est ita certum, ut de eo aliqui non dubitent. Et aliunde potuerunt esse alii defectus; nam potuit pecunia, quam dedisti in eleemosynam, esse falsa, vel acquisita per furtum: potuit quæstor dare tibi Bullam falsam, potuit non esse verus minister Cruciatæ, sed simulator, ac Bullarum raptor, ut jam evenisse testantur Doctores citati. Et quamvis anima, pro qua Bulla jam semel suscepta fuit, per ejus indulgentiam à pœnis Purgatorii fuerit omninò libera, non proinde erit frustranea, & inutilis alterius Bullæ susceptio, sicut non censentur superfluæ, & inutilia reliqua Ecclesiæ suffragia. Nam per iteratam Bullæ susceptionem ostendimus imprimis amorem, ac charitatem erga animas nostrorum Defunctorum, dum tam solicitos nos exhibemus erga illos, ut nullam subsidii occasionem omittamus. Præterea Defunctis, si jam in gloria sint, per hoc gloria accidentalis accrescet, cùm videant Deum, suum

c Nav. de indulg. notab. 22. Rodrig. dub. 5. Acosta q. 22. Villal. n. 5.

Digitized by Google

suum glorificari occasione ipsorum. Imò & Deus faciet, quòd hominibus sic solicitis circa Defunctorum suffragia, post eorum mortem non desint alii pii homines similiter erga ipsorum suffragia soliciti.

581 Addo aliam rationem efficaciorem, quia licèt probabilius sit, & ferè certum indulgentiam, per modum suffragii Defunctis concessam fundari in justitia, habereque effectum infallibilem, ut docet Nav. Sos. Ledes. Gab. & alii quos sequitur [d] Acosta, & Escobar, & supponunt Theologi communiter ea ratione ducti, quia probabilius est Ecclesiæ suffragia valere Defunctis de condigno, ut cum aliis tenet Covar. cap. Alma mater, §. 5. n. 11. ergo majori cum ratione valebunt indulgentiæ, in quibus per potestatem clavium ad liberandas animas dispensatur Sanguis Christi, qui cùm sit pretium non solùm æquivalens, sed infinitè superabundans, nihil deesse potest de justitiæ ratione. Accedit, quia indulgentiæ valent vivis de condigno, & ex justitia; ergo & Defunctis. Sequela probatur eisdem fundamentis, quibus & antecedens, nempe ex potestate clavium, & communione fidelium ad invicem, tamquam membrorum ejusdem corporis in capite Christo: quæ omnia tam in vivis, quàm in mortuis militant, cùm ad eosdem claves extendantur, illos absolvendo; pro his verò solvendo: neque aliunde colligitur promissio facta pro vivis neganda esse pro Defunctis: quoniam licèt vivis indulgentiæ concedantur per judiciariam absolutionem, quæ est actus justitiæ; mortuis verò non ita, sed per modum suffragii, offerendo compensationem pro eorum debitis, parum id facit ad intentum; quoniam oblatio debitæ compensationis datur ab habente potestatem ei, qui acceptaturum illam promisit.

[d] Acosta q. 19. Escob. n. 430.

582 Non desunt nihilominus Doctores, [e] qui oppositum credant: nempe indulgentias, quæ applicantur Defunctis, non fundari in justitia, sed in sola misericordia, ac proinde non habere infallibilem effectum, sed illum solùm, qui Deo placuerit. Pro qua sententia suas adducunt rationes; satis sit indicasse illam, quam sumunt ex doctrina D. Thom. 3. p. q. 46. art. 6. quia videlicet pœnæ, & satisfactiones hujus vitæ sunt alterius ordinis, ac pœnæ Purgatorii; sicut pœna pecuniaria est alterius generis, ac pœna sanguinis: sicut igitur vita non redimitur pecunia, secundùm rigorem justitiæ, sed ex sola liberali donatione Principis; ita neque pœnę Purgatorii redimentur per suffragia vivorum de rigore justitiæ. Et quamvis ad hoc argumentum respondeatur, estò verum sit satisfactiones, pœnas, ac suffragia præsentis vitæ, secundùm se non esse condigna ad solvendas Purgatorii pœnas; talia tamen esse, quatenus conjuguntur cum Christi meritis, quæ à Pontifice applicantur Defuncto, cùm pro eo indulgentiam concedit, per claves sibi traditas ligandi, atque solvendi, quas à Christo accepit cum promissione infallibili, ut ratum haberetur in cœlis, quod ipse solveret super terram: aliter nec vivi condignè ex justitia, ac infallibiliter satisfacerent per indulgentias, quas pro ipsis Pontifex concedit; quod impium videtur asserere. Constat tamen rem non esse ita certam, ut non sit pium, ac utile plures Bullas sumere pro eodem Defuncto: laudandi igitur, & exhortandi sunt fideles, ut plures suscipiant pro suis Defunctis, ut eorum libertatem à Purgatorii pœnis assecurent.

[e] Henriq. de indul. c. 7. Caet. apas. 17. q. 5. Cordub. lib. 5. q. 13. Canus, 12. de locis, c. 13.

583 Quoad secundam concessionem, quæ fit in secunda clausula suprà relata nu. 573. in qua conceditur sumentibus Bullam Cruciatam, ut lucrentur tam pro se, quàm pro Defunctis per modum suffragii indulgentias, quas consequuntur, qui personaliter visitant Stationes Romæ illis diebus, quibus ibi celebrantur prædictæ Stationes, si loco earum visitent quinque Ecclesias ejusdem oppidi, vel quinque altaria ejusdem Ecclesiæ, fundendo ibi orationes, ac preces ad Deum, pro sanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ Catholicæ conservatione, & salubri directione, paceque inter Christianos Principes confovenda, & alias, prout devotio cujusque suggeret. Notabis autem, licèt in oppido sint quinque Ecclesiæ, quæ visitari possint, satis esse visitare quinque altaria ejusdem Ecclesiæ; quia Pontifex unum, vel alterum requirit, ut diximus sect. 3. nu. 522. Ad lucrandas autem istas indulgentias pro Defunctis, non opus est novam eleemosynam elargiri, præter illam, quæ data fuit, cùm Bulla accepta est; quia Pontifex

tifex eam in Bulla plumbea non postulat, cùm concedit indulgentiam plenissimam bis in quolibet anno, de qua locuti sumus in prima concessione; nec Commissarius illam requirit in summario, neque opus est ad has indulgentias lucrandas pro Defunctis, Bullam Defunctorum sumere, propter easdem rationes.

584 Istæ verò indulgentiæ stationum comparari possunt pluries in eodem die pro eodem, vel pluribus Defunctis, quoties quinque Ecclesias, vel quinque altaria ejusdem quisquis visitaverit, sicut & pro se illas pluries lucrari poterit, ut dictum est ea sect. 3. n. 524. Ad quas indulgentias pro Defunctis lucrandas non est necessarius status gratiæ in lucrante, sicut necessarius est, ut eas pro se lucretur, ut diximus eadem sect. 3. n. 525. licèt optimum sit esse in gratia, quia non desunt, qui illam requirant, ut præter alios notat Villalob. tract. 28. nu. 3.

585 Aliquæ difficultates, quæ moveri possunt circa lucrationem harum indulgentiarum stationum pro Defunctis, expeditæ sunt ea sect. 3. solùm expediam unam, quam movent aliqui Recentiores. *f* An, scilicet, omnibus anni diebus indulgentias Stationum lucrari possint habentes Cruciatam? Ad quam respondent sibi compertum esse singulis diebus posse sumentes Bullam Cruciatam maximam vim indulgentiarum comparare; quia Commissarius Hispaniæ, inquit Escobar, in Bullis anni *1625.* & *1626.* in calce summarii indulgentiarum plenariarum adjecit: *Y todos los mas dias del anno se ganan indulgencias, por averlas en Roma.* Unde infert prædictus Author: Si singulis anni diebus aliqua Romæ indulgentia lucranda proponatur, diebus singulis quinque altarium visitatione comparabitur, & non improbabiliter pro Defunctis poterit offerri. Ita Escobar proximè citatus.

f Tul. lib. 4. dub. 12. Escobar n. 438.

586 Hæc tamen doctrina veritatem non continet, nam licèt Romæ singulis diebus sit in aliqua Ecclesia indulgentia, quod definire ad institutum nostrum non pertinet: certè visitantibus in quolibet anni die septem illas celebres Romæ Ecclesias, nempe Lateranensem, Basilicas D. Petri & D. Pauli, sanctæ Mariæ Majoris, sanctæ Crucis in Jerusalem, sancti Laurentii, & sancti Sebastiani, indulgentiæ conceduntur, sicut & visitantibus alia pia loca illius sanctæ Civitatis. Hæ tamen indulgentiæ, & quæ fortè sunt, vel conceduntur aliis Ecclesiis, non sunt, neque dicuntur indulgentiæ Stationum: nam indulgentiæ Stationum solùm sunt illę, quas numeravimus sect. 2. in quinto privilegio Bullæ n. 507. & notantur in Missali Romano sub hoc titulo, *Statio ad sanctum N.* diebus illis, quibus indulgentia Stationum conceditur in determinatis Ecclesiis, ad quas solet esse notabilis populi concursus: sed Pontifex in Bulla plumbea solùm concedit sumentibus Bullam Cruciatam indulgentias stationum: ergo ex vi indulti nostræ Bullæ concessæ pro Lusitania, non possunt Cruciatam sumentes lucrari alias indulgentias, quæ Romæ sunt, vel esse possunt.

587 Neque authoritas Commissarii Hispani oppositum persuadet; quia Commissarius non potest communicare alias indulgentias, nisi illas, quas Pontifex in Bulla concedit: non concedit autem in Bulla, nisi illas, quas lucrantur visitantes Ecclesias pro diebus, in quibus ad illas est Statio: ergo quę sunt, vel esse possunt in aliis Ecclesiis illius sanctæ Civitatis, non conceduntur saltem in nostra Bulla, quidquid sit de Hispana, quæ ad nos non pertinet, in qua, quantum colligo ex DD. qui illam explicant tales indulgentiæ, quæ non sint Stationum, nullatenus conceduntur. Unde Authores citatos procedere ex inadvertentia, vel errore circa indulgentias Stationum, putantes quascumque indulgentias, quæ Romæ concessæ sunt pro visitantibus aliquas Ecclesias, esse indulgentias Stationum, cùm hæ Romæ celeberrimæ sint, de quibus proinde extant varii libelli, qui illarum originem, ac efficaciam explicant.

588 Hæc breviter pro Bulla Defunctorum, cujus thesaurus movet, ut Parochum meum moneam, ut pro charitate, quam debet ovibus suis, maximè verò illis, quæ ex hac vita transierunt, ut otiosas non patiatur divitias illius: moveat illum misericordia, qua affici debet erga illos, quos tamquam charissimos filios doctrinæ lacte pavit, ac Sacramentorum pabulis cibavit, ut plebem suam sæpius exhortetur, ac efficaciter persuadeat, ut has indulgentias

sæ-

ſepius lucrentur pro ſuis Defunctis; ipſe verò, quando pro Defunctis pauperibus ſuæ Parochiæ, qui ſuffragia pro animabus ſuis relinquere non potuerunt, Bulla Defunctorum non acceperit; illis ſaltem ſæpius applicet eaſdem indulgentias Stationum, quæ plures, magnæ ſunt, viſitando quinque altaria ſuæ Eccleſiæ, vel, ſi quinque non ſint, viſitando quinquies idem altare, in quo ſe verum paſtorem, ac patrem oſtendet, non mercenarium, & ſibi magnum meritum comparabit apud miſericordiæ patrem, qui miſericordiam iſtam ipſi miſericorditer compenſabit.

SECTIO VIII.

De aliis privilegiis Bullæ.

589 Supereſt dicendum de aliis privilegiis Bullæ, & primò de conceſſis tempore interdicti, quæ habentur in quarto privilegio. Quorum primum eſt, quod ſæculares [a] ſuſcipientes Bullam, dummodo excommunicati non ſint, nec interdicto cauſam dederint, nec per illos ſtet, quominus illud amoveatur, poſſint audire Miſſam, & alia divina officia, ſive totus locus, ſive Eccleſia interdicta ſit; quod, ſublato privilegio Bullæ, non licebat. Nota verò hoc privilegium non concedi, quando populus eſt perſonaliter interdictus, quia Pontifex ſatis declarat, ſe hoc privilegium non concedere perſonis interdictis.

a Acoſta q.27.

590 Dubitabis autem, an habentes Bullam teneantur tempore interdicti audire Miſſam diebus feſtis? Diana probabilem [b] putat partem negantem, pro qua aliquos refert, quia nemo tenetur uti privilegio ſibi conceſſo, aliàs non eſſet gratia, ſed onus, ſi privilegium obligaret. Affirmativa tamen eſt communis, & vera adeò, ut P. Soar. [c] dicat negantem non eſſe practicè probabilem. Prob. quia præceptum audiendi Miſſam obligat omnes, qui poſſunt illam audire: ſed habentes Bullam poſſunt audire: ergo obligantur. Nec enim privilegium obligat, ſed ſolùm removet impedimentum, quod dabatur ad non audiendam.

b Dian. reſol.2.

c De Sacram. d. 88.ſ.6. Acoſta q. 28.

591 Secundum [d] eſt, ut non ſolùm coram familiaribus, qui ipſos comitari ſolent, ſed etiam coram domeſticis, & conſanguineis Miſſas, & alia divina Officia per ſe ipſos, ſi fuerint ſacerdotes, vel per presbyteros poſſint facere celebrare. Ubi nota per alia ſimilia privilegia non concedi gratiam tam amplam, ſed ſolùm quòd privilegiatus ſecum ducat familiam ipſum comitari ſolitam. Nomine verò familiæ non comprehenditur uxor, pater, mater, affines, aut conſanguinei: Bulla autem omnes iſtos admittit, quando in Oratorio quis Miſſam celebrat, aut facit celebrare.

d Acoſta q.28.

592 Tertium, [e] ut poſſit ſuſcipere Euchariſtiam, & reliqua Sacramenta, quæ tempore interdicti prohibentur, excepto die Paſchatis, in quo Euchariſtia in Parochia à proprio ſacerdote accipienda eſt. [f] Nota verò in hoc Regno ex recepta conſuetudine poſſe fideles ubique communicare, dummodo in Parochia communicaverint à principio quadrageſimæ: & conſequenter per Bullam idem facere poterunt in die Paſchatis; quia licèt excipiatur, eſt intelligendum, ut ſecundùm conſuetudinem, Euchariſtia in Parochia ſemel accipiatur eo tempore, quo annalis communio accipi ſolet.

e Acoſta q.27.

f Dian. reſ.10.

593 Quartum [g] eſt, ut cum moderata pompa poſſint ſepeliri in loco ſacro, quod ex jure communi ſolis clericis licebat. Pompa autem moderata, ut ſumitur ex diverſis Bullis Pontificum, eſt dimidia pars pompæ, quæ, ſpectata conditione Defuncti, fieret, ſi non eſſet interdictum. Sed in hac parte maximè attendi debet conſuetudo Provinciæ, judicium Ordinarii, & Parochi in ejus abſentia.

g Acoſta q.27.

594 Nota verò, privilegium Bullæ [h] circa dicendam, & audiendam Miſſam tempore interdicti, non extendi ad tempus ceſſationis à divinis. Cùm enim modò inter interdictum, & ceſſationem à divinis detur diſcrimen eſſentiale, & Bulla de ſolo interdicto loquatur, non debent ejus privilegia extendi ad ceſſationem, nec ad tempus, quo Eccleſia eſt violata, quia locus violatus non eſt interdictus, nec violatio interdictum, ſed aliud genus impedimenti ad celebrandum introducti jure Canonico. Unde privilegium conceſſum pro tempore interdicti non poteſt extendi ad tempus Eccleſiæ violatæ.

h Acoſta q.28. 29. & 30.

595 Secundum privilegium in eodem quarto incluſum eſt, ut illuſtres, & no-

& nobiles qui facultatem ad id habuerint à Commissario generali, per horam antequam dies illucescat, & per horam post meridiem, per se ipsos, si Sacerdotes sint, seu per alium, vel alios Sacerdotes in sua, ac familiarium, & domesticorum, ac consanguineorum præsentia Missas celebrare faciant. Quare via anticipationis considerari debet tempus, quo sine tali privilegio Missa inchoari potest, de quo diximus lib. 4. cap. 14. ante quod potest Missa inchoari per unam horam, & similiter transacta una hora post meridiem.

596 Tertium privilegium habetur in privilegio 11. ut nempe carnes de consilio utriusque medici, temporibus jejunorum tam Quadragesimalium, quàm quorumcumque dierum totius anni, vesci possint, & pro eorum libito ovis, & lacteciniis; ita, ut qui carnes comederint, servata in cæteris jejunii Ecclesiastici forma, dicto jejunio satisfecisse censeantur.

597 Circa hoc privilegium dubitabis primò, an comedens carnes in die jejunii possit Ecclesiastico jejunio satisfacere? Affirmat Bulla. Ratio verò esse [l] videtur; quia forma jejunii non est physica, aut mathematica, sed partim ex præcepto, partim ex consuetudine Ecclesiæ introducta: unde cùm Pontifex possit, data justa causa, modificare leges, & consuetudines Ecclesiæ; potest concedere, ut is, cujus valetudini esus piscium nocet, valeat carnes edere, ita ut de cætero, servata forma jejunii, satisfaciat, maximè quia jejunium, duo includit, & abstinentiam à cibis vetitis, & unicam comestionem.

l Acosta q. 80.

598 Dubitabis secundò, an qui virtute Bullæ dispensatur ad comedendas carnes, teneatur jejunare diebus statutis? Et non procedit de illo, qui indiget carnibus ad vires amissas recuperandas, quia iste tamquam infirmus à jejunio deobligatur, & absque Bulla de consilio medici potest carnibus vesci. Sed procedit de eo, cujus valetudini nocet esus piscium, cùm tamen sit integer virium.

599 Communis ferè opinio negat; quia abstinentia à carnibus est de substantia jejunii. Unde qui per Bullam dispensatur ad carnes, eo ipso censetur dispensari in jejunio. [m] Secunda verò affirmant; quia necessitas, & justa causa, quæ excusat ab integro jejunio, non excusat ab omni parte illius: præceptum enim Ecclesiæ, quod in totum servari non potest, servandum est in parte, quæ servari potest. Cap. Cùm dilecti, de dolo, & contumacia. Quare cùm jejunium Ecclesiasticum consistat in una comestione, & abstinentia à cibis vetitis; qui ex causa dispensatur ad carnes, non censetur dispensari ad totum jejunium, seu ad pluries comedendum, sed tenetur semel tantùm comedere, & servare formam jejunii. Et hæc sententia videtur magis conformis cum ratione, & cum principiis juris, & cum nostra Bulla; doceturque à multis, & gravissimis DD. videndis apud Dianam.

m Less. l. 4. c. 2. n. 45. Acosta c. 81.

Regin. l. 4. c. 14 nu. 168. Donatin. de leg. d. 10. q. 1. p. 1. n. 3. Dian. res. 4.

600 Dubitabis tertiò, an dispensatus per Bullam ad carnes, possit etiam edere pisces? Resp. [n] affirmativè; quia pisces non prohibentur, & sine peccato edi possunt à comedentibus carnes, si parùm simul de piscibus comedant ad excitandum appetitum; vel estò aliàs peccent contra temperantiam, aut sanitatem, non tamen contra præceptum jejunii, ut patet.

n Acosta q. 80. Dian. res. 4.

601 Dubitabis quartò, an in jejuniis Jubilæi possit quis edere ova, & lactecinia? [o] Respondeo affirmativè; quia Jubilæus non requirit strictius jejunium, quàm Quadragesima: sed jejunium Quadragesimæ impletur cum Bulla per esum ovorum, & lacteciniorum: ergo, & jejunia Jubilæi; non tamen cum esu carnium, quia non est simpliciter jejunium, sed partiale. Nota verò ova, & lactecinia licere ex præscripta consuetudine in multis locis, ut in hac Eborensi Diœcesi, in qua, & ubi fuerit similis consuetudo, licitè edi possunt etiam in Quadragesima sine Bulla.

o Sanch. 5. Decal. c. 1. n. 49. Dian. res. 3.

602 Quartum privilegium est, ut habens prædictam Bullam possit per Commissarium generalem dispensari in irregularitate contenta in 9. privilegio posito sect. 1. & non in alia, quia hæc sola conceditur. Unde apud nos non habent locum quæstiones, quas excitat Diana 1. part. tract. 11. Resol. 111. & sequentib. tam circa varias irregularitates, quàm circa impedimenta matrimonii, quia in nostra Bulla nulla alia irregularitas con-

Digitized by Google

conceditur, & nullum impedimentum matrimonii.

603 Igitur noster Commissarius dispensare potest [p] solùm in ea irregularitate, quæ contrahitur ex eo, quòd quis ligatus Ecclesiastica censura, Missas, & alia Divina Officia celebravit, aut aliàs illis immiscuit, dummodò id non fecerit in contemptum clavium; quia talis indignus est, ut per Bullam beneficium dispensationis consequatur. Unde sequitur posse etiam dispensare in illa irregularitate, quæ contrahitur ab illo, qui in sacris Ordinibus ante legitimam ætatem susceptis mala fide ministravit, nondum expleto justo ætatis termino. Hic est suspensus, & postquam ita suspensus ministravit in Altari, irregularis factus est. Cum quo potest Commissarius dispensare; quia est irregularitas contracta ex eo, quòd ligatus censura Ecclesiastica ministravit.

p Acosta q.97.

604 Hæc autem facultas dispensandi habet locum, sive crimen sit occultum, sive publicum, tam in foro animæ, quàm etiam in externo, ut patet ex verbis Bullæ: *Quomodocumque contracta, omnemque inhabilitatis, & infamiæ maculam exinde provenientem abolere*. Si autem dispensatus non esset pro foro exteriori, non diceretur Commissarius abstulisse omnem infamiæ maculam, cùm illa in foro externo adhuc maneret. Et ita in praxi observari docet Acosta, [q] estque Bullæ satis conforme.

q Acosta q.97.

605 Nota Dianam [r] statuere tamquam doctrinam probabilem posse confessarium electum per Bullam absolvere, seu dispensare in omni irregularitate, quæ est pœna, & provenit ex delicto. Pro qua sententia multos, & graves DD. adducit. Probat, quia tales irregularitates sunt pœnæ Ecclesiasticæ, & censuræ: sed confessarius potest absolvere à censuris reservatis; paucis exceptis ex Bulla Cœnæ: ergo & ab his irregularitatibus.

r Diana ref.17.

606 Ego verò non solùm existimo oppositam sententiam communem, & probabiliorem, ut patet ex DD. quos pro illa adducit idem Diana, [s] sed certam. 1. quia irregularitas non est censura, sed pœna, ut constat ex cap. quærenti, de verb. signif. ergo Bulla concedens censuras, non concedit irregularitates. 2. quia Bulla utitur his verbis: *Vt possint absolvere à censuris*: sed irregularitas non absolvitur, sed dispensatur; ergo non conceditur sub nomine censurarum. 3. quia Bulla loquens de irregularitate concedit solam illam, de qua suprà, & ut in ea solus Commissarius possit dispensare: ergo non est visa concedere, ut confessarius possit dispensare immunibus, quæ proveniunt ex delicto; nam limitatio concessionis ad certam, satis excludit facultatem ad alias. Unde prudens, & doctus judicabit, an sententia Dianæ probabilitatem habeat ab authoritate DD. quos allegat, quos examinare oporteret, si meum intentum permitteret; nam ab intrinseco illa omnino carere videtur.

s Sanch. 6. Dec. 17. n. 43. Soar. de cens. d. 40. s. 2. n. 3. Tol. l. 1. c. 85.

SECTIO IX.

Quæ Indulgentiæ, & facultates suspenduntur per Bullam?

INter privilegia Bullæ numeratur suspensio omnium, & quarumcumque Indulgentiarum, & facultatum concessarum à Sede Apostolica singulis locis, & personis, exceptis illis, quæ conceduntur Superioribus Ordinum Mendicantium erga Religiosos ipsorum Ordinum, ut sect. 1. in privilegio duodecimo dictum est. 607

608 Quæres autem primò, utrùm durante Bulla possit quis lucrari Indulgentias concessas variis Ecclesiis, & Altaribus? Resp. [a] omnes istas suspendi, ut patet ex Bulla, & consequenter neminem illas posse lucrari, cùm primùm à Commissario suspenduntur, cui hæc potestas conceditur, qui illas statim suspendit, cùm Bullam publicari jubet. Ne tamen Bulla locis piis onerosa sit, & ut magis alliciantur fideles ad illam capiendam, concedit, ut qui Bullam habuerint, lucrentur omnes alias Indulgentias, admonendo, ut semper in publicatione adjiciatur, *dummodò habeant Cruciatam*.

a Acosta q.99.

609 Quæres secundò, an Jubilæos, de quibus cap. præcedente, lucrari possint non habentes Bullam? Resp. affirmativè; quia habent clausulam derogantem omnibus privilegiis in contrarium. Et cùm durent tantùm per quindecim dies, non censentur onerosa Cruciatæ.

610 Quæres tertiò, an Bulla suspendat privilegia concessa in jure communi, aut usu, & consuetudine approbata? Resp. negativè, [e] quia Bulla non facit

e Vil. t. 27. dif. 12. n. 7.

Digitized by Google

Dian. ref. 87. cit mentionem de istis privilegiis, nec nominat consuetudines. Unde, non obstante Bulla, tempore interdicti possunt Clerici etiam in minoribus audire Missam, & Prælati Religionum possunt concedere litteras Confraternitatis, & Regulares possunt publicè celebrare Divina Officia in aliquibus festivitatibus sibi à jure concessis, in quibus omnes admittuntur ad Divina Officia, & Sacramenta recipienda.

611 Quæres quartò, an Bulla suspendat privilegia, & facultates Mendicantium? [d] Respondeo non suspendere illas, quæ sunt concessæ Superioribus in Ordine ad ipsos Religiosos; quia istæ excipiuntur in Bulla verbis expressis. Unde possunt Prælati illos absolvere à reservatis Sedi Apostolicæ, dispensare, commutare, sicut poterant ante Bullam.

d Acosta q.105.

612 Majus dubium est, an prædictæ facultates suspendantur in ordine ad sæculares? Affirmant aliqui fundati in verbis Bullæ: *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad suorum Ordinum fratres*. Nihilominus plures, & graves [e] DD. negant, dicuntque ita observari in praxi; quia cùm hæc omnia sint favorabilia, non speciali Monasterio concessa, sed toti Religioni, & ordinantur in bonum commune fidelium, non suspenduntur per verba generalia, si de illis specifica mentio non fiat. Quæ sententia ex authoritate saltem probabilis est. Imò addunt neque per Jubilæum Anni sancti dicta privilegia suspendi. Ita docent plures apud Dianam.

e Sanch. 4. Decal. c. 54 n.62. Henriq. lib.6.c.16. n.7. & l.7. c.18. n.17. Dian. ref. 100.

613 Quæres quintò, an Bulla suspendat Indulgentias Mendicantium? Affirmat Acosta [f] omnes suspendi non solùm respectu sæcularium, sed etiam respectu ipsorum Religiosorum; quia licet, inquit, in Bulla excipiantur facultates Mendicantium, quoad ipsos Religiosos, sub nomine facultatum non veniunt Indulgentiæ, ut patet in Extravag. Sixti IV. de pœnis, & remiss. Negandum [g] tamen est, quia exceptio Bullæ extendenda est ad omnia superiùs posita, nempe ad Indulgentias, & facultates, quæ revocantur: *Exceptis tamen concessis Ordinum Mendicantium Superioribus, quoad eorum fratres tantùm*. Sub nomine autem fratrum intelliguntur etiam novitii, & moniales: ergo non suspenduntur quoad ipsos Mendicantes. Et ita tenent plures, & graves Doctores.

f Acosta q.108.

g Villal. tract.27. diff.12. n.9. Dian. ref. 88.

614 Sed quid de Religiosis non Mendicantibus, qui tamen fruuntur, privilegiis Mendicantium? Aliqui dicunt non includi in exceptione Bullæ, & consequenter per Bullam suspendi facultates, & Indulgentias circa illos. Alii probabiliter [h] oppositum docent, quia si gaudent privilegiis Mendicantium, non est cur ab hoc excludantur.

h Acosta q.106. fin. Villal. n.11. Dian. ref. 89.

615 Quæres sextò, an Bulla Cruciata suspendatur per Jubilæum Anni sancti? Aliqui affirmant. Sed [i] negandum omninò est, quia ita declaravit Clemens VIII. in Jubilæo anni 1600. Et Urbanus VIII. in Jubilæo anni 1625. Et ratio videtur esse, quia privilegia Bullæ conceduntur per modum contractus: sed Pontifex in publicatione Jubilæi non facit mentionem facultatum concessarum per modum contractus: ergo. Et ob eamdem rationem non suspenduntur privilegia Cruciatæ per clausulam revocatoriam Bullæ Cœnæ.

i Sanch. 8. mat. d.33. n.10. & 2. Decal. c.11.n.17. Acosta q.101. Dian. ref. 96.& 97.

Digitized by Google

LIBER UNDECIMUS, DE CURA A PAROCHO

Habenda erga Moribundos.

HActenus dictum est quomodo Parochus se gerere debeat cum sanis. Dicamus nunc de moribundis, quibus est major necessitas propter imminens periculum salutis, in quo bonus Parochus solicitus esse debet de æterna suarum ovium salute, ne infernalis lupus eas rapiat ad interitum. Sicut enim lupus iste tunc magis satagit, ut perdat; sic bonus Pastor magis vigilare debet, ut defendat. Parùm enim ovibus Christi proderit prospera valetudine gaudentibus Pastoris solertia, si adventante mortis tempore, in quo de summa salutis agitur, & suorum laborum fructus est colligendus, illas necessariis, ac debitis adjumentis destitutas deserat, insipientis mercatoris exemplo, qui postquam diuturno tempore magnis laboribus inter pericula, & ærumnas, inter æstus, & frigora non leve auri pondus tandem congessit, quia tamen jam partum incautè custodit, una latronis manus omnem laborum fructum aufert, & secum defert. Ex quo colligat Parochus, qualis solicitudo, & vigilantia tunc temporis adhibenda sit, si tot annorum operam perdere, & pretiosum Christi sanguinem pro salute animarum tam libenter, & copiosè effusum, quantum in ipso est, otiosum, ac infructuosum esse nolit.

Non parcat igitur laboribus, & vigiliis, exemplo Pastorum pecudum custodientium vigilias noctis super greges suos per pluvias, & nives, ne lupus perdat, & mactet: nam satis constat quanto majori jure Pastores animarum, quas Christus suo emit sanguine, invigilare debeant in hoc maximè tempore, in quo negotium salutis vertitur, ne aliqua è manu sua in perditione rapiatur. In qua vigilantia Parochus & muneri suo satisfaciet, & opus maximæ charitatis exercebit; Christumque, cujus vices gerit, obæratum habebit, ut sibi præsto adsit in simili occasione, in qua se videbit. Quem proinde per Christi viscera rogo, ut sedulus sit, ne aliquis suorum absque Sacramentis sanctæ Matris Ecclesiæ ex hac vita discedat; ut moribundos postea visitet, & consoletur;

tur;

tur; confortet in transitu periculoso, assistat, quoad poterit, instruat, defendat in tentationibus, suggerendo pia motiva, quibus adjuvari queant, ad quod sufficienter juvabitur, si quæ in hoc libro dicenda sunt, frequenter legat, memoria retineat, & exequatur, & si observaverit, quæ Parocho in Rituali Romano graviter in hac parte commendatur titulo de Visitatione, & Cura Infirmorum, de quibus cap. sequenti.

CAPUT PRIMUM.

Quid Ecclesia commendet Parocho circa suos moribundos?

1 VT Parochus noster intelligat, quo jure librum hunc instituamus de Cura speciali ipsius erga moribundos suæ Curæ commissos, visum fuit ponere in hoc 1. cap. quid Parocho in hac parte commendet sancta Mater Ecclesia in Rituali Rom. titulo de Visitatione, & Cura Infirmorum. Juxta cujus doctrinam, & monita totum librum instituimus.

2 Parochus, inquit, in primis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes ægrotantium curam habere. Quare cùm primùm noverit, quempiam ex fidelibus suæ curæ commissis ægrotare, non expectabit, ut ad eum vocetur, sed ultrò ad eum accedet, idque non semel tantùm, sed sæpiùs, quatenus opus fuerit: horteturque Parochiales suos, ut ipsum admoneant, cùm aliquem in Parochia sua ægrotare contigerit, præcipuè si morbus gravior fuerit.

Ad hoc juvabit, præsertim in amplis Parochiis, ægrotorum notam, seu catalogum habere, ut cujusque statum, & conditionem cognoscat, eorumque memoriam faciliùs retinere, ut illis opportunè subvenire possit.

Quòd si Parochus legitimè impeditus, infirmorum, ut quando plures sunt, visitationi interdum vacare non potest; id præstandum curabit per alios Sacerdotes, si quos habet in Parochia sua, saltem per laicos homines pios, & Christiana charitate præditos.

Aegrotos visitans, ea, qua Sacerdotes Domini decet, honestate, & gravitate se habeat, ut non ægris solùm, sed sibi, & domesticis verbo, & exemplo prosit ad salutem.

Eorum verò præcipuam curam geret, qui humanis auxiliis destituti, benigni, ac providi Pastoris charitatem, & operam requirunt. Quibus non potest ipse succurrere de suo, & eleemosynas illis, prout debet, si facultas suppetit, erogare, quantum fieri potest, sive per charitatis, vel alterius nominis confraternitatem, si in ea Civitate, vel loco fuerit, sive per privatas, sive per publicas collectas, & eleemosynas, illorum necessitatibus succurrendum curabit.

In primis autem spiritualem ægrotantium curam suscipiat, omnemque diligentiam in eo ponat, ut in via salutis eos dirigat, atque à diabolicis insidiis salutarium adjumentorum præsidio defendat, ac tueatur.

Accedat autem ad ægrotum ita paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta: ac præsertim sanctorum exempla, quæ plurimum valent, quibus eum in Domino consoletur, ac recreet. Horteturque, ut omnem spem suam in Deo ponat, peccatorum suorum pœniteat, Divinam misericordiam imploret, & infirmitatis pœnas, tamquam paternam Dei visitationem, patienter ferat, & ad salutem suam provenisse credat, ut vitam moresque suos meliùs instituat.

Deinde, qua par est prudentia, & charitate hominem ad sacram Confessionem inducat, & confitentem audiat, etiamsi velit totius vitę peccata confiteri; ac si opus fuerit, tam infirmo, quàm ejus familiaribus, vel propinquis in memoriam revocet, quòd Lateranensis Concilii, ac plurimùm Summorum Pontificum Decretis cavetur sub gravibus pœnis, ne Medici, ultra tertiam vicem, ægrotos visitent, nisi priùs ipsis certò constet, illos Confessionis Sacramento ritè expiatos fuisse.

Illud præterea diligenter servari curabit, ne quis pro corporali salute ali-

Digitized by Google

quid ægroto suadeat, vel adhibeat, quod in detrimentum animæ convertatur.

Ubi verò periculum immineat, Parochus monebit ægrotum, ne dæmonum astutia, ne medicorum pollicitationibus, neque propinquorum, aut amicorum blanditiis se ullo modo decipi sinat, quò minùs ea, quæ ad animæ salutem pertinent, opportunè procuret, & qua par est devotione, & celeritate, sancta Sacramenta, dum sana mens est, integrique sensus, religiosè suscipiat, citra fallacem illam, ac perniciosam procrastinationem, quæ plurimos ad æterna supplicia perduxit, indiesque, fallente diabolo perducit.

Quòd si æger aliquis hortationibus, ac monitis Sacerdotum, vel amicorum, & domesticorum consiliis adduci non potest, ut velit peccata sua confiteri, tunc non omninò desperanda res est, sed quandiu ille vivit, repetendæ sunt frequentes, variæ, & efficaces Sacerdotum, & aliorum piorum hominum exhortationes; proponendaque æternæ salutis damna, & sempiternæ mortis supplicia, ostendendaque immensa Dei misericordia eum ad pœnitentiam provocantis, ad ignoscendum paratissimi. Adhibendæ sunt etiam tum privatæ, tum publicæ ad Deum preces, ad divinam gratiam impetrandam pro salute miseri decumbentis.

Videbit denique Sacerdos, quibus potissimum tentationibus, aut pravis opinionibus æger sit subjectus, eique, prout opus fuerit, apta remedia prudenter adhibebit.

Sacras Imagines Christi Domini Crucifixi, Beatæ Mariæ Virginis, & Sancti, quem æger præcipuè veneratur, ob oculos ejus opponi curabit, vasculum item adsit Aquæ Benedictæ, qua frequenter aspergatur.

Proponet etiam ægrotanti, prout ejus conditio feret, aliquas breves Orationes, & pias mentis ad Deum excitationes, præsertim versiculos è Psalmorum libro, vel Orationem Dominicam, & salutationem Angelicam, Symbolum fidei, vel Passionis Domini nostri meditationem, & Sanctorum Martyria, & exempla, ac Cœlestis gloriæ beatitudinem. Hæc tamen opportunè, & discretè suggerantur, ne ægroto molestia, sed levamen afferatur.

Consoletur infirmum, dicens, se pro eo in Missæ Sacrificio, & aliis precibus oraturum, curaturumque, ut alii itidem pro eo faciant, idque re ipsa præstabit.

Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat, ut dum integra mente est, rem suam omnem rectè constituat, & Testamentum faciat; si quid habet alienum, restituat, & ad remedium animæ suæ pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit, disponat: sed hæc suggerendo, omnis avaritiæ nota caveatur.

Hortetur denique, ut si convaluerit, ante omnia ad Ecclesiam veniat, ubi Deo gratias agat de restituta valetudine, & sacram Communionem piè suscipiat, ac deinceps meliorem vitæ disciplinam teneat.

3 Postquam verò varias preces ponit, quæ vel omnes, vel ex parte, prout tempus, & ægrotorum conditio feret, arbitrio Parochi dici, vel omitti possunt, modum ponit, quo juvare morientes possit. Circa quod ita disponit.

Ingravescente morbo Parochus infirmum frequentius visitabit, & ad salutem diligenter juvare non desinet: monebitque, instante periculo, se confestim vocari, ut in tempore præstò sit morienti, sumptoque sanctissimo Viatico, & sacra Unctione adhibita, si periculum immineat, statim commendationis animæ officium præstabit, de quo infrà. Sed si tempus suppetat, sequentia pietatis officia præstare poterit, si ita expedire judicaverit, pro conditione personæ.

Ac primò, si ægrotus Indulgentiam legitima authoritate concessam consequi possit, eam illi reducat in mentem, proponatque quid ad eam consequendam agi debeat; præsertim, ut contrito corde sanctissimum nomen Jesu semel, vel sæpius invocet.

Deinde hortetur infirmum, & excitet, ut dum mente viget, eliciat actus fidei, spei, & charitatis; aliarumque virtutum, nempe,

Ut firmiter credat omnes articulos fidei, & quid sancta Romana Ecclesia Catholica, & Apostolica credit, & docet.

Ut speret, Christum Dominum nostrum pro sua immensa clementia sibi fore propitium, & merito ejus sanctissimæ

ſimæ Paſſionis, & per interceſſionem Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum ſe vitam æternam conſecuturum.

Ut toto corde diligat, & maximè diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione, qua illum diligunt Beati, Sanctique omnes.

Ut ob amorem Dei doleat ex corde de omni offenſa, qualitercumque contra Dominum Deum, & proximum commiſſa.

Ut ex corde, ob amorem Dei, parcat omnibus, qui ſibi quoquo modo fuerint moleſti, aut inimici.

Ut ab iis veniam poſtulet, quos aliquando dictis, aut factis offendit.

Ut quem patitur dolorem, & morbi moleſtiam, propter Deum in pœnitentiam peccatorum ſuorum patienter toleret.

Ut ſi dominus ſibi ſalutem corporis præſtare dignabitur, proponat de cætero pro viribus ſuis à peccatis cavere, & ejus mandata ſervare.

Hortetur præterea, ut eo modo, quo poteſt, ſaltem ex corde ita per intervalla precetur:

Miſerere mei Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam.

In te, Domine ſperavi: non confundar in æternum.

In manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum. Redemiſti me, Domine Deus veritatis.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Eſto mihi, Domine, in Deum protectorem.

Deus propitius eſto mihi peccatori.

Dulciſſime Domine Jeſu Chriſte, per virtutem ſanctiſſimæ Paſſionis tuæ, recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Jeſu Chriſte, ſuſcipe ſpiritum meum.

Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Sancte Angele Dei, mihi cuſtos aſſiſte.

Omnes Sancti Angeli, & omnes Sancti intercedite pro me, & mihi ſuccurrite.

Tandem cùm mors jam videtur proximè imminere, commendat, Parocho, ut majori, qua poſſit, devotione dicat, admoneatque domeſticos, & circumſtantes, ut ſimul cum eo orent pro moriente, recitando commendationem animæ, quæ non ſolùm habetur in Rituali, ſed ad finem Breviarii, ac Diurni. Egreſſa verò jam anima de corpore, ponitur Reſponſorium, & Oratio dicenda pro defuncto; quæ omnia in promptu habere debet bonus Parochus; ne deſit huic præcipuæ ſui muneris parti. Ut autem quæ ſibi ab Eccleſia ita, ut vidimus, commendantur, fructuoſiùs exequatur, percurram quaſi per gradus, quomodo ſe habere debeat cum ſuis moribundis, explanando ſeriatim ea, quæ Rituale relatum ſummatim præſtringit.

CAPUT II.

Sit Parochus diligens in adminiſtrandis Sacramentis moribundis.

Diligenter curabit Parochus noſter, ut nulla interpoſita mora, ſi adhuc infirmus peccata ſua Sacramentali Confeſſione non expiavit, ſibi, vel alteri Sacerdoti ex approbatis culpas ſuas confiteatur; nec quieſcat, donec id ab infirmo obtineat; cùm hoc Sacramentum ſit ſecunda tabula ad ſalutem. Deinde ad alia Sacramenta piè, ac religioſè ſuſcipienda, quamprimùm, dum ſui compos eſt, diſponat, hoc ipſum infirmo etiam proponens ſibi fortaſſe tempus amplius concedendum non eſſe, quo his Sacramentis uti poſſit, atque adeò, dum tempus eſt, omni cordis præparatione ſuſcipi debere.

5 Nec eſt probanda aliquorum conſuetudo; qui, ne infirmum, aut ejus propinquos contriſtent, confeſſionem infirmi de die in diem differunt ſpe longioris vitæ ducti, & aliquando in illud uſque tempus, quo, ingraveſcente morbo, mens infirma eſt ad recogitandum, & dolendum de peccatis, ut par eſt. Nam etſi verum ſit, quòd vera pœnitentia quacumque hora efficax eſt ad peccati remiſſionem; quia tamen rarò vera pœnitentia in extremo articulo vitæ haberi ſolet; & quia ſæpè varii, ac inopinati mortis caſus omnem loquendi facultatem ſimul cum vita eripiunt, prudentis Parochi non eſt, nec infirmi ſalutis ſuæ memoris pœnitentiam differre, ſed potiùs prævenire. In quo utriuſque conſcientia ſatis gravari poteſt. In cujus

rei confirmationem legat, quæ habentur in decreto. [a]

6 Quare diligentiùs incumbere debet ad causam infirmi, quàm sani. [b] Quia verò fragilitas conditionis humanæ ea est, ut infirmus malè accipiat, cùm de perceptione Sacramentorum statim admonetur, curet Parochus, ut medici, suæ Parochiæ, juxta Canones, & Constitutiones Pontificum, suscipiant hanc Provinciam, & de Confessione admoneant, maximè cùm timent delirium, aut morbi malignitatem; & si in hoc defecerint, moneat Episcopum, ut illos cogat ad hoc præstandum: ut autem ab illorum imaginatione evellat conceptum illum, quem fortè habent, quòd sibi parum conveniat, & infirmis multùm noceat, si de Confessione admoneant; hortetur eos, ut tamquam certum statuant teneri se in [c] tertia visitatione de Confessione admonere, maximè si infirmitas periculum aliquod minetur. Si autem in hac parte officio suo fungantur, ab infirmis omnis suspicio, & metus avertetur, cùm viderint tanquam rem ordinariam cum ipsis agi.

7 Et si in loco fuerit abusus non petendi confessionem, nisi cùm jam periculum mortis est certum; procuret Parochus illum pro viribus evellere instruens populum suum sæpissimè in suis exhortationibus, ut Sacramenta spontè petant, cùm primùm infirmitate premuntur, exponens commoda, quæ inde sequuntur, & probabilia pericula, quæ ex opposito imminere possunt.

8 Advertat autem Parochus esse Doctrinam Theologorum, quam tradit [d] Tolet. debere se infirmos suæ Parochiæ visitare, & scire an Sacramentis indigeant, si periculosus sit morbus, & debere ea administrare, ipsosque suscipiendum exhortari, ac ad facienda testamenta, de quo inferiùs, & ad alia opera Christiani hominis; & in hoc non exequi officium suum, esse gravissimum peccatum mortale. Quia mori continget aliquem, & damnari, qui si susciperet Sacramenta, salvus esset. Hujus enim damnatio Parocho imputabitur, si ejus incuria, & negligentia sine illis moriatur, vel tam serò suscipiat, ut meritò dubitari possit, an fuerint proficua, si tempore apto applicari potuerint.

9 Et sanè in tanto periculo, ex quo pendet æternitas vel damnationis, vel salutis, summa impietas est blandiri infirmo, illumque decipere sub spe vitæ, & sanitatis recuperandæ, ne aliqualiter tristetur mortis metu, cùm inde removeatur à recogitatione peccatorum, à dolore, & confessione. In quo medici gravissimè peccant, & domestici non amicorum, sed hostium, imò & diaboli officium gerunt, si toti occupati in purgando corpore à pravis humoribus, admonere non audent de purgatione peccatorum per veram confessionem, quæ salutem animæ affert, peccata destruit, virtutes restituit, dæmones fugat, portas inferni occludit, Paradisum reserat, & corporis sanitati non nocet, sed potiùs juvat. Quibus bonis privatur infirmus, quia de periculo suo non admonetur.

10 Quot sunt, qui hac vana spe vivendi seducti moriuntur sine Extrema Unctione, sine testamento, & sæpè sine Viatico, & Confessione? Et si fortè confitentur, id faciunt, quando jam sunt morbo adeò oppressi, & sensibus destituti, ut vix advertant, aut possint integrè confiteri, aut debitum dolorem concipere; unde discedunt cum maxima salutis incertitudine. Mirum quidem est, quòd homines Christiani infirmis, quos putant diligere, abscondant periculum, in quo norunt esse constitutos, cum tanta jactura, & discrimine æternæ eorum salutis. Discant à Christo Domino, qui quoties corporalem sanitatem largiturus erat, priùs spiritualem animæ conferebat, ut Sancti PP. observant, tamquam eam, à qua corporalis sæpè dependet, numquam autem ei nocere potest.

11 Reprehendat bonus Parochus acriter hunc abusum; & si noverit aliquem suæ curæ commissum graviter ægrotare, quem medici, aut domestici periculum suum celant, intret ad illum tamquam Dei minister, dicatque cum charitate Christiana, & amore paterno quod Isaias ad Ezechiam: [e] *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives.* Hoc est, dispone de conscientia tua tamquam in periculo mortis constitutus, ut ille in tempore competenti possit dicere Domino Deo suo: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Idque præstare possit in confessione integra, & perfecta, ac in

a 2. p. de pœn. d. 7.

b Possev. c. 7. n. 101.

c Pius V. const. super gregem dominicum.

d lib. 5. c. 5. n. 12.

e Isa. 38. 1.

in susceptione aliorum Sacramentorum; quibus purgatus apparere possit ante tribunal Christi sanguine suo dealbatus coelum, & non infernum ingressurus industria boni pastoris.

12 Qui si prudenter mortem certam vel ejus periculum, secundùm dispositionem infirmi, denuntiet, non afferet molestiam illam, quam communiter similis denuntiatio afferre solet, maximè illis, [f] *qui pacem habent in substantiis suis*. Quare expediens erit, ut infirmum visitet, & cum eo sermonem misceat de miseriis hujus vitæ, & obiter de periculo mortis, quod infirmitas afferre solet: addatque, Domine mi, se te oporteret modò ad coelum ire, quàm libenter mortem acceptares? Et ita, vel modo meliori, quem charitas suggeret, curet disponere, ut rebus suis consulat, tractet de confessione, & reliquis Sacramentis suo tempore recipiendis.

f Eccl. 41. 1

13 Quamvis autem Parochus non videatur regulariter teneri sub peccato ad denuntiandum infirmo mortem, aut ejus periculum; quia debet credere medicos, & domesticos id præstituros, cùm opus fuerit. Ad id tamen tenebitur, [g] si sciat infirmum mori, aut esse in probabili periculo moriendi, quod tamen ab eo absconditur, indeque posse ejus salutem periclitari: vel si infirmus conscius de periculo non curat de sacramentis recipiendis; aut si probabile est, quòd Parocho denuntiante infirmus salvabitur, aut evadet peccatum; quia cùm sit pastor animæ in ordine ad salutem ipsius, in his casibus graviter delinquet contra obligationem officii, si taceat, & non curet lucrari Deo animam ovis sibi commissæ. Unde debet vigilare circa infirmos Parochiæ suæ, ut sciat in quo statu sint ad opitulandum, cùm opus fuerit. Et quò infirmus major peccator fuerit, magis vigilet, & incumbat ut disponatur ad sacramenta primò lenibus, deinde gravioribus verbis, si ita prudenter necessarium judicaverit; aspera tamen relinquenda sunt pro extremo remedio.

g Possev. c. 5. n. 1. 2. & 3.

14 Si autem moribundum inveniat, qui non vult confiteri, blandè [h] primùm, & omni artificio possibili illum lucrari conetur. Et si omnia cedant in vanum, asperius cum admoneat de vilitate sua respectu Dei offensi, de inferno jam vicino; de tremendo Dei judicio, in quo in æternum damnabitur ad poenas inferni, ubi jam habet pedes, & quod non evadet, nisi per peccatorum confessionem. Prudentia tamen opus est, nec ad ista veniendum, nisi deficiente omni alio remedio.

h Possev. c. 7. n. 81.

15 Curet autem intelligere in quo sit difficultas, & cur nolit confiteri, & ad illam vincendam omnes artes adhibeat. Si ob desperationem, ob amorem vitæ, filiorum, uxoris, ob malè parta &c. ista dissipet remediis infrà tradendis, aliisve, quos suggeret pastoris charitas, & prudentia. Si verò iste induratus properet ad mortem, illum, ne deserat, sed omni bona arte conetur inducere ad bonam frugem, jam spe veniæ, & misericordiæ, jam timore judicii, & æternitatis inferni. Et si tandem non absolvat, quia est incapax, & impoenitens, dicatque; [i] *Curavimus Babylonem, & non est sanata*. Sed hæc rara inter christianos.

i Ierem. 51. 9.

CAPUT III.

Quomodo se gerat cum peccatoribus publicis moribundis.

16 Communis [a] Theologrum Doctrina est peccatorem sive publicum, sive occultum, qui est in occasione proxima peccati mortalis, non esse absolvendum etiam in mortis articulo, nisi priùs occasionem relinquat, si id fieri potest; quia aliàs non erit dispositus ad Sacramentum, quod malè, & infructuosè recipiet, eò quòd non satisfacit obligationi, quam habet, dimittendi à se occasionem, nec censetur habere firmum propositum non peccandi de cætero; quod si haberet, facile dimitteret, quando ad id suppetit potestas physica, & moralis.

a Possev. c. 7. n. 91.

17 Nav. [b] ait posse absolvi etiam extra articulum mortis, si quatuor concurrant. Primum, vera poenitentia præteritorum. Secundum, verum propositum non peccandi de cætero. Tertium, credulitas, quòd, Deo juvante, non peccabit. Quartum, quòd subsit aliqua rationabilis causa non eji-

b C. 3. n. 1.

ejiciendi prædictam occasionem. Quæ Doctrina admittenda est, maximè in nostro casu; quia nihil aliud intendit, quàm posita vera pœnitentia, quæ propositum non peccandi includit, cum causa rationabili, non ejiciendi, posse peccatorem absolvi, maximè habita illa credulitate, quòd Deo adjuvante non peccabit. Nam causa rationabilis non ejiciendi, si verè rationabilis est, reddit ejectionem moraliter impossibilem, seu valde difficilem, quod pro eodem reputatur; ut videre est in eo, qui habet cognatam in eadem domo pro concubina, à qua sine magna difficultate ejici non potest: quæ major erit, quò conjunctio sanguinis major fuerit, & major necessitas personæ ejiciendæ, & concubinatus magis occultus. In quo casu omnes concedunt posse verè pœnitentem absolvi, non ejecta occasione, quia ejectio redditur impossibilis saltem moraliter; & dicunt ejiciendam, si fieri potest.

c Possev. n. 94.

18 Igitur [c] concubinarius sive publicus, sive occultus ejiciat primò concubinam, si id fieri potest, ad quod magis adhuc obligandus est publicus, quàm occultus, propter commune scandalum populi. Si tamen ejici non potest, quia datur causa rationabilis non ejiciendi, quæ rarò contingit, vel instat mors, & deest tempus ejiciendi, absolvatur, si credatur verè pœnitens, & habeat propositum ejiciendi, quamprimùm sit possibile. Interim verò procuret Parochus, & quilibet confessarius, ne concubina appareat coram infirmo. Si id possibile non sit, quod vix credi potest, cùm non videatur probabile alios defuturos, qui possint inservire, permitti potest, si pœnitens sit valde aversus à præterito peccato: quia tamen affectus hominem sunt inconstantes, & ex mortis articulo pendet salus, omnibus viribus curandum, ne compareat, ne loquatur, ne inserviat.

19 Sed quid, si concubina sit in eodem articulo in domo concubinarii? Resp. eodem modo absolvendam esse, si sit verè pœnitens, habeatque firmum propositum non peccandi de cætero, & exeundi è domo illa, cùm primùm per valitudinem licuerit. Si autem adhuc sit in statu, in quo statim possit è domo illa in aliam deferri, ad idque sit commoditas, id erit faciendum, maximè si sit concubina notoria, quæ per hunc exitum scandalum publicum tollere possit. Si verò hoc difficile sit, aut omnino impossibile, faciat Parochus, ne concubinarius coram illa appareat, ne renovetur ulcus, & affectus aliquis pravus saltem conditionatus, qui in sexu adeò fragili, & malè assueto plus timeri potest.

d Possev. 95.

20 Si moribunda sit meretrix, estque periculum reincidendi, [d] quia est in prostibulo, ubi eam invisere possunt, qui cum ea peccare solebant, si verè est in articulo mortis, & adeò infirma, ut peccare non possit, absolvatur, stante proposito non peccandi de cætero, cum vero dolore præteriti; quia verò de istis miseris fœminis parùm sperari, aut credi potest propter pravam consuetudinem, in qua per annos jacuerunt, ut experientia docet; & ego satis admiratus sum in una, quæ jam per Dei gratiam ab aliquo tempore resipuerat, & cum lacrymis inter alias præteritæ vitæ noxas, hanc unam maximè dolebat, se olim in articulo mortis positam, post susceptam Extremam unctionem, quemdam è suis amatoribus intrantem ad eam invisendam invitasse ad secum peccandum, & de facto jam morti vicinam cum eo aliqualiter reluctante, ad idque magnis precibus adducto peccasse, expresséque voluisse esse potius in inferno, à quo parùm jam se distare credebat, ob mortis vicinitatem, quam certam prævidebat, quàm carere ea turpi voluptate. Curabit charitas Parochi eam ponere in hospitali, aut in domo aliqua honesta, & tunc absolvere. Si hoc tamen fieri non possit, non sinat eam visitari, nisi à personis non suspectis, & absolvat; quia cùm hæc nihil plus præstare possit, non est ad aliud urgenda, quàm ad verum dolorem, & propositum non peccandi de cætero concipiendum.

e C. quamquam; de usuris in 6 Tol. l. 5. c. 36. nu 5. & 6. Possev. num. 95.

21 Si moribundus sit usurarius publicus, non absolvat, nisi prius restituat, si id fieri potest. Si non potest statim id fieri; non absolvat, nisi data [e] cautione, vel pignoratitia, vel fidejussoria, vel saltem juratoria, quando aliæ cautiones præstari non possunt. Si mors instet, & non sit locus ad has cautiones authenticè præstandas, & habeat propositum restituen-

tuendi, faciat Parochus sibi promittere, quòd restituet, & sibi dare licentiam revelandi promissionem, & debitorum confessionem Episcopo, & hoc coram duobus saltem testibus, ne ab aliquo accusari possit tamquam violator sigilli; Episcopi verò postea erit, cogere ad restitutionem illos, qui de jure cogi debent. Si autem usurarius nihil horum præstare potest, quia mors instat, & solùm ostendit signa contritionis, absolvat sub conditione: In quantum ego possum, & tu indiges.

f Possev. n.96. Silv. usura 9. qu.4.

22 Usurarius [f] occultus similiter absolvendus non est, nisi priùs restituat; unde Parochus inducat illum ad restituendum. Si non potest statim restituere, confiteatur debita coram tabellione, ac testibus, & tunc absolvat. Quamvis [g] Tolet. dicat, cùm peccatum hujus sit occultum, non opus esse petere promissionem restituendi cum licentia manifestandi, quia non credetur confessario illum fuisse usurarium, ut crederetur, si notorius esset. Unde ait satis esse, quòd ille velit restituere, & sit probabile hęredes restituturos. Verùm quod dicimus est securius, & ita faciendum, si ille consentiat, ad idque induci debet, ut ejus salus non periclitetur; nec tunc credendum est confessario, sed tabellioni, & testibus. Si verò nihil horum fieri potest, & mors instet, absolvat, ut dictum est de usurario publico.

g Tol. n.7.

h Nav. ca. 17. n.59. Possev. n. 96.

23 Quando verò usurarius [h] sive publicus, sive occultus aliàs restituere promisit, & promissum non præstitit, licèt aliqui apud Nav. dicant non esse absolvendum, nisi restitutione realiter facta, idque satis justum, & æquum videatur, cùm datur potestas restituendi. Si tamen hic, & nunc habeat causam rationabilem non restituendi, vel non restituendi statim, juxta regulas restitutionis traditas lib. præcedenti cap. 4. sect. 5. absolvendus est cum proposito hoc præstandi, cùm poterit. Et si in mortis articulo, de quo agimus, restituere non potest, nec relinquit bona, ex quibus possit fieri restitutio, ad nihil aliud est obligandus, quàm ad veram pœnitentiam, & dolorem cum proposito restituendi, si aliquando vivendo poterit.

24 Si moribundus habeat bona aliena restituenda, vel dedit damna proximo, ex quibus teneatur ad restitutionem, juxta dicta cap. illo 4. obligandus est ad illicò restituendum, si fieri possit; maximè si diu distulit, & sæpè promisit confessori, & non præstitit. Si tamen id statim fieri non possit, & ille habet unde commodè restituat; non absolvat, nisi firmum habeat restituendi propositum, & relinquat in testamento, vel codicillo benè declaratum quibus, & quid sit restituendum; vel si testamentum non condidit, id suis hęredibus præcipiat coram testibus, qui hanc obligationem testari possint, ne hęredes postea illudant. Si verò nihil istorum præstare possit, propter instantem mortem, absolvat, sicut dictum est de usurario. Si debita sint incerta, ut solent esse in venditoribus, qui multa paulatim furantur per pondera, & mensuras non justas; faciat illum componere per Bullam Cruciatam, si ibi sit talis Bulla, secundùm dicta de hac compositione capit. 12. libr. præcedentis sect. 6. si Bulla non sit, faciat restitui modo dicto capit. illo 4. section. 4.

25 Et generaliter idem dicendum est de eo, qui proximum offendit in fama, aut honore, tenetur enim non solùm ad odium deponendum, sed ad debitam satisfactionem, & restitutionem præstandam per se, vel per alium verbo, aut etiam scripto, si id opus fuerit. Si cum aliquo habet inimicitiam, & odium publicum, non solùm debet ignoscere, si fuit offensus; si verò offensor extitit, debet ad illum mittere ad veniam petendam, ita ut pax fiat, si sit possibile, antequam ægrotus moriatur. Secreta autem, si quæ hujusmodi fuerint, secretè transigantur. Et si pœnitens detrectaverit aliqua præstare ex istis, ad quæ tenetur, non debet absolvi, quia non est verè pœnitens, nisi esset jam in statu, in quo nihil potest. Tunc enim absolvendus est sub conditione, si signa dedit pœnitentiæ.

26 Excommunicatum publicum, si non potest absolvi ab eo, qui de jure absolvere debet, vel ab eo obtinere facultatem, ut absolvatur; absolvat Parochus, accepto juramento, & data cautione, de qua capite sequenti. Si tamen non fecit delictum, ob quod fuit excommunicatus, non est dandum jura-

juramentum, quia apud Deum excommunicatus non est, nec aliquid debet. Curet tamen Parochus, ut det cautionem, quæ de jure postulatur, ne contra ipsum in foro externo procedatur tamquam contra absolventem indebitè contra juris præscriptum.

CAPUT IV.

Quomodo se gerere debeat Parochus cum moribundo habente casus, & censuras reservatas?

27 IN mortis articulo quilibet [a] Sacerdos etiam simplex, imò excommunicatus, irregularis, degradatus, vel etiam hæreticus habet potestatem absolvendi ab omnibus casibus, & censuris cuilibet reservatis, ut habetur ex communissima traditione Ecclesiæ, quam approbant multa loca juris canonici, & novissimè Trident. [b] Unde patet id à fortiori posse Parochum, qui est proprius sacerdos moribundi.

a Soar. de cens. d. 7. s. 5. & de pœn. d. 26. s. 4. Sanc. 2. decal. ca. 13. n. 1.

b Sess. 14. c. 7.

28 Quamvis autem aliqui DD. intelligant hunc articulum pro eo, qui contingit, quando mors est jam in fieri, sive per causam naturalem, sive violentam ita certa, & proxima, ut ferè sit inevitabilis, ac proinde distinguant inter articulum, & periculum. Probabilius [c] tamen est articulum mortis, quoad hunc effectum, sumi pro mortis periculo, quod contingit, quando adest probabile dubium de morte, quæ frequenter solet in eo eventu contingere, ut quoties judicio medici periti ita est infirmitas gravis, ut prudenter infirmus se ad mortem præparet; quando quis est morbo, vel senio confectus, aut habet vulnus lethale; quoties aliqua est vicina primo partui, vel etiam sequentibus, si in prioribus experta est periculum mortis vel eo anno soleant parturientes communiter periclitari. Quando quis cogitur suscipere periculosam navigationem, aut iter prædonibus expositum; quando exoritur tempestas gravis, aut conflictus in bello, quando est probabile periculum incidendi in amentiam; quoties quis habet inimicum, à quo quæritur ad mortem, & sic de aliis; nam hæc omnia dicuntur loco exempli, relinquitur enim arbitrio prudentis, quis dicatur esse in articulo, seu periculo mortis.

c Soar. de pœn. s. 4. proxime. Sanc. cap. 13. n. 2.

29 Ratio autem est; quia cùm causa hujus concessionis fuerit necessitas pœnitentis, ne absque remedio periret, jure optimo reputandum est mortis periculum pro articulo; siquidem in eo jus divinum obligat ad confessionem, perinde ac in ipso articulo, & morale periculum ita in malis caveri debet, ac eventus ipse, unde hæc sententia est communis DD. certa, & in praxi tuta, ut ait [d] Henriq.

d lib. 6. c. 11. nu. 5.

30 Dubium verò est, an in prædicto articulo, vel periculo possit absolvere simplex sacerdos, si adsit superior, cui casus reservatur, vel Parochus, aut alius approbatus? Affirmant graves DD. apud Sanch. [e] Fundantur, quia Trident. suprà absolutè, & indistinctè ait omnes Sacerdotes ea potestate gaudere in eo articulo, estque sententia probabilis saltem ex authoritate DD. [f] Opposita tamen est tenenda. Quia Trident. non statuit novum jus, sed confirmat veterem Ecclesiæ consuetudinem, quæ erat, ut quilibet absolveret, quando non aderat superior, Parochus, vel approbatus; ut constat ex variis textibus. Confirm. 1. quia Trident. ait id fuisse indultum ratione necessitatis, ne æger absque confessione discederet: sed in hoc casu nulla est necessitas, cùm adsint, qui de jure absolvere possunt. 2. quia in jure deciditur, ut absolutus in eo periculo à censura reservata, teneatur postea, si evadat, se præsentare superiori, cui censura reservata erat: ergo si ante confessionem adsit superior; non poterit alius absolvere. Et hæc est communis sententia, & ferè certa, & juri adeò conformis, ut plures dicant oppositam esse improbabilem.

e Cap 13. n. 6.

f Sanc. n. 7 Soa. s. 4. n. 4 & d. 21. de cens. s. 1. nu 61. Bellan. de pœn. d 8. d. 12. n. 92.

31 Satis tamen [g] probabile est Sacerdotem inferiorem, vel non approbatum, qui cœpit audire confessionem, antequam adveniret superior, vel approbatus, posse, illis advenientibus, reliqua peccata audire, & absolvere. Ratio est, quia sicut jurisdictio delegata non expirat per mortem delegantis, quando delegatus cœperat uti tali jurisdictione erga aliquem, ita similiter non expirabit jurisdictio talis Sacerdotis in eo casu, quia res, seu confessio jam est cœpta.

g Sanc. n. 15. Henriq. l. 6. c. 11. n. 8.

32 Ad-

32 Addit verò Sanch. si peccata habuerint aliquam censuram reservatam adveniente superiori, cui reservatur, petendam ab eo facultatem absolvendi à censura, vel ab eo prius absolvendum à censura. Quia confessarius, qui aliàs non habet privilegium absolvendi à censuris reservatis, debet præcipere pœnitenti, ut si mortis periculum evaserit, se præsentet legitimo superiori, quamprimùm commodè potuerit, ut statim dicetur: cùm ergo se tunc præsentare possit, ad id tenetur, vel saltem per confessarium, vel alium petere facultatem obtinendæ absolutionis. Si autem superior noluerit facultatem, vel absolutionem concedere, nisi tota confessio ei fiat, poterit Sacerdos etiam simplex perficere confessionem inchoatam, & absolvere, quia pœnitens censetur se præsentasse, suoque oneri satisfecisse. Nec superior, qui non sit Papa, potest à Sacerdote auferre jurisdictionem circa illum, cujus confessionem cœperat audire, quia est data à jure communi, in quod solus Papa habet authoritatem.

33 Quæres autem, quando censeatur deesse copia superioris, ut possit Sacerdos inferior absolvere à censuris, & casibus reservatis? Aliqui dicunt dari copiam superioris, & consequenter non posse inferiorem absolvere, si pœnitens in eo periculo possit recurrere ad superiorem per confessarium, procuratorem, vel litteras; licèt non possit per se ipsum. Fundantur, quia Sacerdos absolvens in articulo mortis debet præcipere pœnitenti, ut elapso illo periculo præsentet se superiori, quamprimùm possit: ergo si statim id facere possit, modis dictis, non poterit aliter absolvi, quia non deest copia superioris. Confirmant, quia absolutus in eo articulo satisfacit se postea præsentando per procuratorem: ergo & antea.

34 [h] Alii verò tenent verè non esse copiam superioris, quando nec infirmus potest personaliter superiorem adire, nec commodè vocare, quia aut non veniet, aut erit magna mora. Unde dicunt non teneri petere facultatem per confessarium, vel per alium, & minus per litteras; nec teneri sumere Cruciatam, quia non tenetur quærere privilegium proprium, qui potest uti ordinario juris beneficio. Probant, quia jus non obligat pœnitentem, ut se superiori præsentet per tertiam personam, sed per se ipsum; & quando per se non potest, judicat illum legitimè impeditum: ergo non tenetur mittere, sed potest absolvi. Conf. primò, quia onus adeundi superiorem ad obtinendam absolutionem non est gravamen confessarii, sed pœnitentis, in sui delicti pœnam: ergo dum ipse non valet superiorem adire, vel ipsum vocare, dicetur verè impeditus, & carere copia superioris. Secundò, quia si per litteras facultatem petat, exponet se periculo detegendi suum crimen, si litteræ perdantur, vel aperiantur, propter quod periculum nemo obligatur ad sua peccata scribenda, ne memoria excidant. Et hoc probabilius videtur. Et ad fundamentum in contrarium resp. etiam absolutum in eo articulo, si postea se personaliter præsentare non possit, non teneri se præsentare per procuratorem, vel litteras, quamvis si id faciat, se præsentare dicatur.

[h] Sanc. n. 14. Henriq. ll. 6.c.9. & 11.n.4.

35 In dubio autem, an pœnitens possit expectare, & supervivere, donec veniat superior, vel alius, qui de jure possit absolvere, potest simplex Sacerdos absolvere; quia Ecclesia non censetur reservare casus, & censuras cum periculo damnationis alicujus: expectare autem in eo casu, periculum esset damnationis: ergo potest absolvere, ut docent communiter [i] DD.

[i] Sanc. n. 8.

36 Sed quid, si adsint plures Sacerdotes diversæ conditionis? Resp. si adsit Parochus, vel alius approbatus, non posse simplicem absolvere; quia cessat necessitas. Quod etiam est dicendum, [l] quamvis Parochus, & approbatus tales sint in alia diœcesi, & non in ista; quia alicubi approbatus potius jus habet, quàm simplex nullibi approbatus. Si verò adsit simplex, & aliquis approbatus, qui sit excommunicatus vitandus, vel publicè suspensus, aut degradatus, simplex præferendus est; tum quia tali approbato interdictum est hoc ministerium, nisi in casu extremæ necessitatis, quæ tunc non datur, cùm adsit simplex iis impedimentis non affe-

[l] Sanc. n. 10. Suar. d. 4. n. 4.

Digitized by Google

affectus: tum quia caret jurisdictione, quam antea habebat, & jam reputatur simplex: ex alia verò parte interdictum est illi hoc ministerium, & repellitur à communicatione fidelium, præcipuè excommunicatus: ergo præferendus est simplex, qui hæc impedimenta non habet, & tunc habet jurisdictionem. Si adsit Sacerdos catholicus quocumque impedimento affectus, præferendus est hæretico, vel schismatico. Et inter catholicos irregularis præferendus est excommunicato vitando, cum quo non potest participare. Suspensus verò, & interdictus præferendus est irregulari; quia illa sunt minora impedimenta: omnes verò isti, si catholici sint, præferendi sunt degradato; quia hic maximo impedimento laborat: si verò adsit habens privilegium absolvendi à reservatis, docent graves DD. [n] non esse præferendum cuilibet approbato. Quia, inquiunt, nemo tenetur uti privilegio alterius; oppositum tamen probabilius existimo, [o] non quia infirmus teneatur uti privilegio alterius; sed quia tunc tollitur reservatio non absolutè, sed ratione necessitatis, quæ quidem cessat præsente, qui ex privilegio absolvere potest.

n Soar. de pœn. d. 30. s. 7. n. 5.

o Sanc. n. 11. Vasq. de pœn. q. 93. a. 1. dub. 4.

37 Quæres, si casus sint reservati Papæ, ad quem non datur recursus, qui tamen datur ad Episcopum, utrùm possit quilibet approbatus absolvere, quando tales casus Episcopo specialiter commissi non sunt? Aliqui dicunt necessariò adeundum esse Episcopum: quia quamvis jure ordinario illi non concedatur horum absolutio, maximè verò in hac necessitate, ut in percussione clerici deciditur in Jure. [p] Melius tamen dicendum specialiter hoc esse cautum in percussione clerici; in aliis verò, ubi id cautum non est, non esse Episcopum necessariò adeundum; quia ob reservationem factam Papæ, nullum jus acquirit Episcopus; & in mortis articulo omnis reservatio cessat, quando ad reservantem non datur recursus.

p Sanc. n. 9. Soa. n. 4.

38 Nota [q] verò censuras reservatas, à quibus quilibet Sacerdos potest absolvere in articulo mortis, esse solas illas, quæ obstant sacramentis recipiendis, & ecclesiasticæ sepulturæ; quales sunt excommunicatio, interdictum personale, suspensio à Sacramentorum perceptione, & sepultura ecclesiastica. Ita indicat Tridentinum suprà, dum ait facultatem hanc in eo articulo concessam esse, ne aliquis pereat: sed solùm posset perire, si ab his non absolveretur: ergo. Et quamvis sine Ecclesiastica sepultura non periret, ea tamen multùm conducit; quod non habet absolutio ab aliis censuris, & irregularitatibus. Vnde quamvis infirmus à peccatis absolvi nequeat, quando non potuit confessionem petere, ab his censuris absolvendus est, ut reliqua Sacramenta possit recipere, & in loco Sacro sepeliri, ut notant DD.

q Sanc. n. 9. Soar. de cens. d. 7. s. 7. n. 6.

39 Dubium tandem est, an absolvendus in mortis articulo aliquam cautionem præstare teneatur, & quænam illa sit? Et quidem si absolvendus sit ab hæresi, vel alio casu Bullæ Cœnæ, duplex [r] cautio exigenda est, ut in ipsa Bulla exprimitur. Prima est juratoria de stando mandatis Ecclesiæ, estque juramentum de non patrando iterum tale delictum. Secunda est de satisfaciendo damno, si datum est. Quod si sit pretio æstimabile, debet esse pignoratitia, vel fideijussoria; aut quando hæ dari non possint, juratoria: si sit alterius generis, satis erit juratoria. Si verò satisfactio possit commodè fieri ante absolutionem, ante illam præmittenda est.

r Sanc. nu. 22. & 23.

40 Generaliter verò loquendo, à pœnitente absolvendo in mortis articulo à quolibet aliàs non habente facultatem absolvendi, extra talem articulum, à qualibet censura reservata, præter cautionem de satisfaciendo damno, de qua dictum est, extorquendum est juramentum, si fieri potest, de se præsentando, sublato impedimento non perpetuo, coram superiore, qui de jure debebat absolvere, & si se non præsentaverit, reincidet in eamdem censuram, ut habetur in variis locis juris canonici.

41 Dixi, *A qualibet censura reservata*, [f] quia infirmo absolvendo à casibus reservatis, quibus censura annexa non est; hoc onus imponendum non est. Quia absolutio fuit directa, & nullo jure cavetur, ut tale onus imponatur. Dixi, *Si fieri potest*, quia si pœnitens sit sensibus destitutus, impen-

f Sanc. nu. 24. Soar. de pœn. d. 30. s. 7. nu. 6.

impendenda est absolutio, quin requiratur prædictum juramentum; quia nemo obligatur ad impossibile. Et idem erit, si mors ita instet, ut nulli cautioni sit locus.

42 Dixi, *Sublato impedimento non perpetuo*, quia si impedimentum sit perpetuum, non est exigendum juramentum de se præsentando: quia frustra peteretur juramentum de eo, quod fieri non potest. Dixi, *A quovis aliàs non habente facultatem absolvendi extra talem articulum*, [t] quia qui in eo articulo absolveretur virtute alicujus privilegii, v. c. Jubilæi, vel Cruciatæ, aut ab eo, qui privilegium habet absolvendi à talibus censuris, non tenetur se postea præsentare; quia privilegium conceditur absque tali onere. Addo eum, qui absolutus fuit in eo articulo à non habente aliàs facultatem cum eo onere se præsentandi, si postea iterum absolvatur virtute Jubilæi, Bullæ, vel privilegii confessoris, non teneri se præsentare; quia hoc onus obligat, quando quis non absolvitur ab habente potestatem.

t Sanc. nu. 31.

43 Dixi, *Si se non præsentaverit, reincidere in eamdem censuram*, [u] quia ita jura statuunt, licèt non sit eadem numero censura, sed alia similis, ob novam illam inobedientiam: quia prima fuit omnino sublata, & non solùm ad reincidentiam: dicitur verò eadem, quia est eodem modo reservata.

u Sanc. n. 18.

44 An autem, qui tenetur se præsentare transacto periculo, satisfaciat se præsentando per procuratorem? Negant aliqui ob textum in cap. De his, de sententia excommun. Verùm [x] ibi solùm est sermo de excommunicatione ob clerici percussionem in odium talis delicti; qui proinde non satisfaciet, se præsentando per procuratorem, nisi habeat justam causam; in aliis verò casibus nullus est textus obligans ad personalem præsentationem; unde satisfaciet se per procuratorem præsentando. Qui verò impeditus est se personaliter præsentare, non tenetur id facere per procuratorem.

x Sanc. n. 33.

45 Id verò [z] notandum, onus hoc se præsentandi non imponi, ut pœnitens iterum absolvatur; quia jam absolutus est; sed ut ostendat se obedientem Ecclesiæ, à qua convenientem medicinam accipiat. Unde quamvis, sublato impedimento, satisfecerit parti læsæ, adhuc se præsentare tenetur. Licèt autem confessarius ex oblivione, vel negligentia non explicaverit hoc onus, nec juramentum extorserit, absolutus manebit, quia Ecclesia non irritat factum. Et hinc patet quid possit, & debeat facere Parochus in articulo mortis circa censuras, & casus reservatos, à quibus extra illum potestatem absolvendi non habet.

z Sanc. nu. 27. & 55.

CAPUT V.

Quomodo se gerere debeat Parochus cum moribundis, qui vix loqui possunt?

46 IN his casibus adjuvet Parochus infirmum interrogationibus, quas judicabit necessarias, juxta statum, & conditionem pœnitentis, ut saltem per nutus respondere possit, ad quod tenetur, supposito quòd aliter non potest integra confessio commodè fieri, maximè si se præparare non potuit, nec de confessione cogitavit; quia infirmitas subitò infirmum debilitavit, vel ruditas pœnitentis id postulat.

47 Quare [a] interroget de peccatis communioribus statui pœnitentis, & partim voce, partim nutibus excipiat confessionem meliori modo, quo possit; numerum verò peccatorum per ostensionem digitorum, si id fieri queat: si verò, facta diligentia possibili, viderit pœnitentem non posse explicare omnia requisita, absolvat in quantum potest, & ille indiget; quia nemo obligatur ad impossibile: conetur tamen verum dolorem elicere, & admoneat de perficienda confessione, si ad meliorem statum reducatur.

a Possev. c.7.n.86.

48 Quid, si Parochus vocatus ad infirmum, qui poterat quidem loqui, sed ægrè, & dicto uno peccato, per spatium notabile non possit aliud ab eo elicere, infirmo audiente, & nihil respondente? [b] Resp. si infirmus verè loqui non possit, nec respondere per nutus, absolvendum esse, in quantum confessarius potest, & ille indiget: si tamen alterutrum potest, & non

b Possev. c. 87.

& non præstet, non est absolvendus; quia non vocatur confessarius, ut divexetur, sed ut confessionem audiat. Bonum tamen erit admonitum de suo periculo, & errore, in quo esse videtur, inducere suaviter ad confessionem perficiendam: si tamen certissimè non constet de opposito, tutò credere potest infirmum non posse aliud præstare; & hoc credendo, admoneat de confessione ritè facienda, si convaluerit, & interim absolvat sub conditione; si credat, aut dubitet de morte illius; secus si contrarium sciat, quod vix possibile videtur.

49 Sed quid, si infirmus, dictis multis peccatis, dicat se non posse ulterius loqui? [c] Resp. si mors non videatur esse valde vicina, expectandum, ut aliquantulum quiescat, & vigore aliquem reassumat; quia de substantia confessionis est, ut sit integra, cùm id est possibile. Si autem, post moram considerabilem, non possit progredi loquendo, curet supplere per interrogationes, quibus saltem per nutus satisfaciat. Si autem nec per nutus confessionem valet perficere, absolvat sub conditione; quia conditio suspendit irreverentiam, quæ Sacramento fieri posset: si certas rationes habeat judicandi infirmitatem non esse periculosam, id maximè attestante medico perito, non absolvat; vigilet tamen frequenter super statum infirmi, quem, si viderit in pejus vergere, absolvat, ne contingat mori sine confessione; sæpè enim infirmitates subdolæ sunt, & inopinatè occidunt contra opinionem etiam medicorum peritissimorum.

c Possev. n. 91.

50 Quid verò, si pœnitens, dicto peccato aliquo, amittat loquelam, & nec per nutus possit respondere Parocho interroganti, qui alioqui novit multa restituere debere, vel quia de illis confessus est, vel quia est publicus usurarius, aut est in publica excommunicatione ob debita manifesta, & non potest imponere restitutionem, & alias satisfactiones, quas novit fuisse imponendas? [d] Resp. debere absolvere saltem sub conditione, *in quantum ego possum, & tu indiges*; admoneat tamen, quòd si convaluerit, perficiat confessionem, & tunc ei declarabit obligationes, quas habet. Si tamen statim moriatur, & extra confessionem sciebat de obligatione restituendi, advertat de illa hęredes, quia succedunt in bona defuncti cum illis oneribus. Dixi: *Extra confessionem*. Quia si per solam confessionem id sciebat, foret revelare confessionem defuncti contra sigillum, si de tali obligatione loqueretur sine licentia defuncti.

d Possev. n. 89.

51 Quid faciet Parochus vocatus ad confessionem parturientis moribundæ, quæ non potest relinqui sola ab illis, quæ opitulantur? Resp. [e] Possev. Expellat plures, quas potest, & relinquat pauciores, & ex relinquendis eligat prudentiores; fœminas verò, si possibile sit, omnes expellat; si non potest omnes expellere, relinquat pauciores, & prudentiores, & quæ relinquuntur, non sint cognatæ, vel affines, ne infirma majori cum verecundia faciat confessionem mancam. Potest etiam uti hoc remedio; interroget pœnitentem ad aurem, & per nutum excipiat responsum, monendo adstantes teneri se ad sigillum de auditis. An verò in hoc casu sufficiat audire unum, vel alterum peccatum? Dic confessionem debere esse integram, si potest, aliàs non valeret, quia integritas est de jure divino; sufficiet tamen in similibus casibus mortalia audire. Ita hic Author.

e Possev. n. 80.

52 Hæc quidem satis piè dicta sunt, sed in praxi valde difficilia; quia vix pœnitens ista potest deseri ab aliis fœminis, quarum est illi ministerio inservire. Quamvis autem confessio debeat esse integra, cùm id fieri potest, vix hic talis esse potest, propter angustias parturientis, & personas præsentes, à quibus vix deseri potest. Unde si aliud fieri non possit, audiat Parochus peccata, quæ poterit, faciendo aliquas interrogationes ad aurem, & ad eamdem excipiat responsum, vel per nutus, & absolvat, admonendo, ut si periculum evadat, confessionem perficiat. Quia tunc talis confessio formaliter integra est, neque enim aliud fieri potest, quamvis materialiter talis non sit. Neque jus divinum obligat ad faciendam confessionem publicam coram aliis, ut in simili casu docent DD. de illo, qui non potest confiteri, nisi per interpre-

by Google

pretem; quod à fortiori militat in casu præsenti, in quo plures sunt, qui peccata debeant audire, ad quod pœnitens non tenetur: estò possit, si velit, peccata sua publicè confiteri. Quare bene [f] Soar. ait posse pœnitentem confiteri peccata, quæ cum minori infamia explicare valet, nec teneri ad confessionem materialiter integram, quia hæc causa excusat ab integritate; hocque satis esse ad recipiendum Sacramentum pœnitentiæ, & ad subveniendum saluti suæ: ubi licèt loquatur in casu de confessione per interpretem, eadem, vel potior ratio est in præsenti. Igitur prudentia Parochi opus est, ut videat quid fieri possit, & secundùm dicta disponat, quid pro tempore possibile sit.

f Soa. de pœn. d. 22. s. 4. à n. 3.

53 Et eodem [g] modo se gerat in similibus casibus, v.c. cum vulnerato moribundo, qui non potest relinqui ab illis, qui ejus curationi opitulantur. In quo casu est alia difficultas, quomodo se gerere debeat circa occisorem? Respond. moribundum istum recens vulneratum debere ex animo odium deponere, Parochumque non posse illum absolvere, eo non depulso, quia quandiu non deponitur, est in statu peccati mortalis. Et similiter debere deponere iram, & vindictæ cupiditatem, & exhibere significationes communes amoris, non autem speciales; non tamen tenetur remittere jus, quòd habet, agendi coram judice, ut satisfiat injuriæ, & damno illato, quamvis optimum consilium sit omnia propter Deum remittere, ut ab ipso remissionem suorum peccatorum consequatur. Non tamen ei consulat, ut remittat damnum illatum, si uxor, aut filii ex ejus morte injustè data illud patiantur, ad quod occisor tenetur.

g Possev. n. 82.

54 An verò iste vulneratus teneatur veniam dare suo occisori, & cum eo reconciliari, si hic veniam petat? [h] Azor ait non teneri, dummodo verè, & ex animo odium deponat, & desiderium vindictæ: quia, inquit, est difficile, & ferè violentum statim ista præstare, maximè quia concessio veniæ, per externam reconciliationem, fit speciale signum amoris, ad quod tenetur nemo, nisi in animi præparatione, ut docet idem Author eodem in capite. Cùm verò negare tale signum amoris veniam petenti, possit causare scandalum, videat prudens Parochus, quid pro tempore magis expediat: crederem melius fore, si non videat probabile signum dandæ ab infirmo veniæ, illam non petere, & dextro modo curare, ne petatur, ut scandalum, & offensio impediatur. Nam si fortè petatur, & infirmus neget, cogetur carere necessario remedio pœnitentiæ, quæ sine dubio ratione scandali illi neganda videretur; nisi velit scandalum excusare, eò quòd liceat sequi opinionem Azorii, quòd in tali casu non teneatur infirmus veniam dare.

h 2. p. lib. 12. c. 3. q. 7.

55 Res quidem lubrica, & difficultate plena maximè pro mortis articulo, ex quo salus pendet, quæ non deberet librari opinionibus minus tutis. Quare prudentia, & charitas Parochi laboret in disponendo infirmo, ut cum ædificatione omnium moriatur proponendo eidem pericula salutis suæ, quæ semel amissa non habebit remedium, & quòd si hanc veniam concedat, certissimè obtinebit largissimam suorum peccatorum misericordiam. Si tamen non valeat obtinere, curet, ut talis venia non petatur, propter scandalum, & populi offensionem necessario futuram, si petita negetur. Si autem ipso inscio petatur, & negetur, quid faciet? Credo debere absolvere sub conditione: *In quantum ego possum, & tu indiges:* dummodo odium, & spiritus vindictæ deponatur, & ipse faciat capaces illos, qui sciverunt de negatione, quòd infirmus illam dare non tenebatur ex sententia DD. tunc enim prudenter aget ex tali sententia.

56 [i] Si autem iste vulneratus fuit aggressor, & aggressus non habeat testes, unde malè à curia tractandus sit; si vulneratus est in periculo mortis, curet Parochus, ut veritatem rei per scripturam publicam, vel saltem per testes aperiat, ut sic consulatur indemnitati aggressi vulnerantis; quia vulneratus tenetur ad damna ex sua injusta aggressione sequentia, quæ sine dubio aggresso vulneranti impendent. Si verò iste

i Possev. n. 82.

Digitized by Google

iste vulneratus aggressor non sit in periculo mortis, illum ad id ne cogat, quia induceret eum ad rem sibi valde nocivam, quod natura abhorret. Si autem moribundus nolit indemnitati sui occisoris consulere in prædicto casu, illum non absolvat; quia non est in statu pœnitentiæ. Si tamen admonitus de sua obligatione promiserit se facturum, absolvat; quia propositum satisfaciendi similibus obligationibus sufficit, ut absolvatur.

57 Quid, si vocatus fuit ad infirmum, qui confessus est peccatum, in quo est dubium de restitutione, & interim infirmus moritur, & non datur tempus consulendæ veritatis per libros, aut sapientes? [i] Resp. in dubio non obliget moribundum ad restitutionem, sed obtineat ab illo, ut, re benè perpensa, possit heredibus restitutionem mandare, nomine ipsius, si comperiat ad illam obligari. Neque in hoc dicetur confessionem revelare, quia id facit de licentia pœnitentis in bonum animæ ipsius.

i Possev. n. 83.

CAPUT VI.

Quomodo se gerere debeat Parochus cum moribundis sensibus destitutis.

58 POtest [a] Parochus, & debet absolvere infirmum, qui non potest loqui, sed signis tantùm, & nutibus petit absolutionem, ostendendo signa doloris, percutiendo pectus, oculos, & manus ad cœlum levando, &c. Ita docent plures, & graviores DD. estque sententia ex authoritate probabilior, & ex ratione intrinseca satis probabilis, ut alibi probavi. Unde mirum est, quòd aliqui mordicus teneant absolutionem non esse impendendam, cùm hæc impendenda foret, estò hæc sententia ad tantam probabilitatem evecta non esset, quia in casu extremæ necessitatis, in quo notabili damno spirituali proximi succurrere possumus, sine injuria Sacramenti, quæ nulla est, quando absolutio sub conditione impenditur, possumus licitè uti opinione, quæ simpliciter [b] probabilis non habetur, si aliquam speciem probabilitatis præ se ferat, ut docent communiter Theologi.

a Suar. d. 23. de pœn. s. 1. n. 5. Bellan. de sacram. d. 7. nu. 97. Laym. l. 5. t. 6 c. 8. Dian. 3. p. t. 3. ref. 6.

b Sanc. 1. decal. c. 9. nu. 25. & 2. mat. d. 36. num. 8.

59 Unde Parochus vocatus ad infirmum, qui loquelam amisit; si audit, & intelligit, excipiat confessionem per nutus, faciendo aliquas interrogationes, & inducendo ad verum dolorem de peccatis concipiendum, & absolvat. Si hoc fieri non potest, quia jam moritur; sed tamen, licèt ægrè, potest aperire oculos, aut manum stringere; petat ab illo, an doleat de peccatis, & velit confessionem, & in signum aperiat oculos, aut manum Parochi stringat, & aliquid istorum facientem absolvat in quantum potest, & ille indiget. Et idem faciat; si quando advenit, ostendit signa pœnitentiæ tundendo pectus, aut quid simile, estò statim amiserit omnem sensuum usum. Et multò magis concedunt omnes esse absolvendum illum, qui dicto aliquo peccato deficit, & sensuum usum amisit, confessionemque perficere non valuit.

60 Sed quid de infirmo, qui nec audit, nec loqui potest, pugno tamen pectus suum pulsat, aut suspirans oculos in cœlum attollit; hoc vidente Parocho, vel aliis testificantibus ipsi in præsentia infirmi? Negant plures esse absolvendum; quia ad absolutionem Sacramentalem non satis sunt signa contritionis, nisi hæc exhibeantur in ordine ad claves, quod fit quando saltem petitur confessio, vel vocatur Sacerdos ad minus per aliquod signum, vel nutum; quod hic non datur. [c] Oppositum tamen tenendum est; quia signa pœnitentiæ edita in mortis articulo censeri debent edita in ordine ad confessionem, & absolutionem Sacramentalem, cùm in tali statu infirmi optimum animæ remedium desiderare soleant: ergo qui talia signa morti vicinus edit, vocem proferre non potens, censendus est absolutionem à Sacerdote petere, & consequenter absolvendus, maximè quia in casu extremæ necessitatis satis est tacita petitio confessionis, quæ in illis signis sufficienter continetur.

c Laym. c. 8 nu. 4. D. an. ref. 8.

61 Quid verò, si dubitetur, an illa signa edita ab infirmo subito morbo correpto, sint orta ex contritione,

Digitized by Google

ne, an ex mortis angustia? Resp. [d] Si consideratis circumstantiis res dubia esse videatur, dandam esse absolutionem sub conditione, quòd talis materia sit sufficiens confessio ad absolutionem recipiendam; cùm talis absolutio possit prodesse infirmo, si fortè dispositus sit, & sufficientem materiam exhibuerit, & non obesse Sacramento, quia sacrilegii, & irreverentiæ periculum vitatur per appositionem conditionis.

[d] Laym. n. 4. Dian. resol. 3.

62 Quid autem de moribundo, qui in absentia Sacerdotis confessionem petivit, vel signa pœnitentiæ præbuit, aliquo id attestante in præsentia utriusque? Resp. [e] esse absolvendum, pro qua sententia alibi 30. retuli DD. quorum multos affert Dian. Ita sumitur ex variis capitibus juris Can. ex Rituali Rom. edito à Paulo V. & ex declaratione Clementis VIII. Et prob. quia talis infirmus fatetur se peccasse, petitque saltem implicitè, ut adstantes tamquam suæ voluntatis interpretes id Sacerdoti, quando aderit, denuntient, ab eoque absolutionem pro se petant casu, quo id per se facere non possit: ergo dum id faciunt, ipse per eos tanquam per suos interpretes præsenti Sacerdoti confitetur saltem in genere: ergo absolvendus est, cùm possit absolutio prodesse moribundo, & non obesse Sacramento, ut sæpè dictum est.

[e] Soar. f. 1. supra. Lugo de pœn. d. 17. f. 4. Dian. resol. 4.

63 Majus dubium, an Parochus licitè possit absolvere moribundum, quando aliquis in ejus absentia manifestavit Sacerdoti infirmum petiisse confessionem, vel signa pœnitentiæ ostendisse, & ille veniens invenit infirmum vivum sine aliquo, qui in præsentia testetur de prædictis? Negantem partem sequuntur plures maximè post decretum Clementis VIII. editum 20. Junii anni 1602. In quo damnatur tanquam falsa, temeraria, ac scandalosa illa propositio: *Licet per litteras, seu inter nuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eo absente absolutionem obtinere.* Cujus decreti verba accipienda videntur in sensu diviso.

64 Sed [f] oppositum tenendum saltem tamquam probabile, dicendumque posse Parochum, & quemlibet Sacerdotem licitè absolvere talem moribundum, ad idque teneri; quia si potest, benè sequitur quòd teneatur, & ex officio, si est Parochus, aut ex lege charitatis, si Parochus non est. Prob. quia si aliquid obstaret probabilitati hujus sententiæ, esset relatum decretum Clementis VIII. sed illud non obstat; quia in illo non damnatur utrumque membrum illius propositionis, per se sumptum, hoc est: non damnatur propositio illa in sensu diviso, sed in copulativo, seu non damnatur, quòd confessio fiat in absentia, dummodo detur absolutio in præsentia; sed damnatur utrumque simul, nempe quòd confessio fiat in absentia, & in eadem absolutio impendatur. Quod inde ostenditur 1. quia Pontifex utitur particula copulativa, *Et*, quæ utrumque membrum conjungit, & causat sensum copulativum: 2. quia utitur signo demonstrativo singulari dicens: *hanc propositionem*, quod denotat damnari per modum unius illam propositionem complexam, non verò singula ejus membra, per se separatim sumpta. Et ita explicarunt Theologi Doctiores prædictum decretum; imò & Paulus V. Pontifex maximus in suo Rituali.

[f] Soar. nu. 12 Lug. f. 5. Laym. c. 4. n. 9.

65 Unde Cardin. de Lugo sic ait: [g] Non video, quomodo hæc sententia reprobari possit, postquam à Paulo V. in suo Rituali approbata, & toti Ecclesiæ ad praxim, Pontificia authoritate, proposita est in ritibus de Sacramento Pœnitentiæ. Ubi dicitur absolvendum esse moribundum, si confitendi desiderium sive per se, sive per alium ostenderit. Et quamvis adversarii dicant in illo Rituali non esse sermonem de casu nostro, sed de illo, de quo dictum est dubio præcedenti. Id satis impugnat Cardinalis; quia constat sensum Ritualis fuisse, quem omnes omnino intellexerunt: intellexerunt autem omnes comprehendere nostrorum casum. Cùm enim aliqui apud Congregationem Cardinalium supremæ Inquisitionis dixissent Rituale debere corrigi, eò quòd adversabatur decreto Clementis VIII. die 2. Decemb. 1621. eorum Pontifice, decretum fuit observandum Rituale, quia decreto Clementis non adversabatur. Et cùm paulò pòst in eadem Congregatione interrogatum esset, quid in nostro casu esset agendum? Responsum fuit servandum esse Rituale. Unde

[g] Lug. à 45.

Digitized by Google

constat neminem unquam dubitasse verbis Ritualis significatum, & comprehensum casum nostrum, & ideo ob authoritatem ejusdem Ritualis dixerunt absolvendum esse infirmum. Ita Lugo.

k Ioan. Sanc. d. 14. n. 35. Dia. ref. 31.

66 Nota verò, ad id satis esse dictum unius testis, docent communiter DD. Inter quos Felinus ait standum esse dicto unius, ubi non agitur de præjudicio alterius. Neque oportet, quòd testis sit vir, aut fœmina, Christianus, aut infidelis. Quia de his præsumi non potest, quòd affirment falsum, ut fiat Sacramentum, sed potiùs oppositum præsumi posset, maximè de hæreticis, non testaturos signa pœnitentiæ, ne administraretur Sacramentum, quod maximè oderunt.

67 Quæres adhuc, an aliquando liceat Parocho absolvere moribundum, qui nec confessionem petiit, nec dedit signa pœnitentiæ? Affirmant aliqui Recentiores apud Dianam, & ut audio est in praxi aliquarum Provinciarum, maximè in Gallia, & Belgio, si moribundus Christianè vivebat, Sacramenta frequentabat, probus reputabatur. Nihilominus omnes ferè DD. tamquam [l] certum supponunt non posse absolvi sacramentaliter quemquam, ex cujus parte non præcessit saltem petitio, aut desiderium confitendi per aliqua signa externa indicatum. Et ita debet teneri, & observari in praxi. Fundamentum est; quia absolutio Sacramentalis non potest impendi, ubi non datur materia proxima, siquidem ex materia, & forma coalescit Sacramentum, ut lib. 9. dictum est: sed in hoc casu nulla est materia proxima, hoc est, nulla confessio peccatorum, neque in specie, neque in genere; neque per petitionem, neque per alia signa exhibita: ergo non datur supra quod cadere possit forma Sacramentalis absolutionis; quæ super materiam, quæ sit aliqualis confessio dolorosa peccatorum cadere debet: ergo nullus Sacerdos absolvere potest talem moribundum.

l Soar. suprà s. 1. nu. 13. Lug. se. 3. Dian. ref. 8 & 4. p. t. 4. ref. 92.

68 Confirmatur, quia Sacramentum pœnitentiæ institutum est per modum judicii, ut definit [l] Tridentinum. Unde Sacerdos non potest hoc Sacramentum ministrare, nisi ut judex: sed judex non potest procedere, nisi præcedat accusatio, seu accusator, qui vel in specie accuset de delicto in particulari, vel saltem in genere imploret ejus auxilium: ergo, ut Sacerdos tamquam judex proferat absolutionis sententiam, debet ex parte pœnitentis præcedere aliqua voluntas sensibiliter manifestata, qua se accuset, vel imploret officium judicis, seu clavium Ecclesiæ; alioqui proferretur sententia absque ullo processu, & nulla erit absolutio, & consequenter illicita. Quæ sententia adeò est certa, ut opposita nullam habeat probabilitatem saltem ab intrinseco, quam Diana, qui omnia probabilia credit, in ea invenire non potuit. Unde prohibitum est in nostra societate, ne talis sententia doceatur.

l Sess. 14. c. 6. & can. 9.

69 Ne tamen talis homo sine ullo remedio ex hac vita discedat, curet Parochus ei ministrare reliqua Sacramenta, nempe Eucharistiam, & Extremam Unctionem, juxta ea, quæ dicta sunt libr. 9. capitul. 4. sect. 5. de communione per modum viatici. Et capitul. 6. sect. 4. & 5. Numquam verò omittat Extremam Unctionem; quia per receptionem hujus Sacramenti potest contingere, quòd si sit attritus, fiat contritus, juxta Doctrinam Theologorum, de qua alibi diximus, & sic salvetur.

CAPUT VII.

Quomodo se gerere debeat Parochus cum moribundis ordinariis?

Moribundos ordinarios intelligo illos, quibus mors timetur, pollent tamen sensibus, & perfecto usu rationis, nec mors tam proxima esse creditur, ut non detur locus ad debitam præparationem aptè, & seriò faciendam, qualis fieri non potest ab illis, qui morbo correpti brevissimè moriuntur. 70

71 Igitur quando Parochus noverit aliquem ex istis infirmari, adeat ipsum, quamvis vocatus non sit; vocatus autem præstò accurrat, & significet blandè, & amanter infirmitatem reputari periculosam, ita

Digitized by Google

ita ut medici dubitent de vita ipsius, si ita est; quare licèt semper fuerit, tunc maximè tempus esse, toto se corde ad patrem cœlestem convertere, qui solus ut amantissimus vult, & ut omnipotens potest ipsum juvare, vel sanitatem, si expediat, restituendo; vel vitam æternam, ad quam creatus fuit, tribuendo; unde debere se convertere, & spem suam erigere in verum Dominum, & amicum Jesum Christum, qui tantopere ipsum dilexit, ut pro eo totum sanguinem suum libenter effuderit; quæ fuit perfecta probatio, amicitiæ; ut enim ipse
a Ioan. 15. 13. testatur: [a] *Majorem dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis*. Dicat præterea Christum esse amicum verè fidelem, qui quando alii deserunt, ut in morte contingit, ubi frequenter quos amicos putabamus, vel nolunt, vel prodesse non possunt, tunc ipse maximè, & vult, & potest amicos juvare; quia est medicus sapientissimus, qui non solùm corpus, cùm id conveniens est, sed animam per gratiam suam sanare, & per resurrectionem perpetua sanitate corpora restaurare potest.

72 Ut autem gratia ipsius sanet animæ morbos, & vulnera, quæ vel ex propria malitia, vel ex innata fragilitate contraxit, vel ex ignorantia culpabili non effugit, quæ non pauca esse solent etiam in melioribus, medicinam sacramentalem esse necessariam, in qua sanguis ipsius Christi Salvatoris applicatur, ideoque debere se integram peccatorum suorum confessionem facere, & per ipsam æterno Patri, si fortè ab eo aversus sit, reconciliari. Si infirmus differat ad aliquam horam sibi commodiorem, ut peccatorum possit recordari, & infirmitas non urgeat, admittat, & suo tempore redeat ad confessionem audiendam, nisi cum alio esset facienda. Instruat tamen breviter, quomodo se præparare debeat, juxta statum, & conditionem personæ, ut numerum peccatorum, & circumstantias perspectas habeat, in quo etiam illum adjuvabit in ipsa confessione per varias interrogationes, si viderit esse necessarias.

73 Amanter, & cum suavitate exquirat, an infirmus generali confessione indigeat; quia non desunt, qui irritas confessiones fecerunt, vel quia peccata voluntariè occultarunt, vel etiam quia verum dolorem, & propositum cavendi de cætero peccata non conceperunt. Quare si morbi ratio ferat, suggerat, ut non solùm ab ultima confessione cogitet, quæ conscientiam premunt, sed & alia anteactæ vitæ peccata, maximè si circa ea pacatam conscientiam non habeat, dicendo cum Ezechia: [b] *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Faciendo integram confessionem per veram accusationem præteritarum, si fortè in illis fuit defectus culpabilis, & per repetitionem eorum, quæ aut occultata sunt, aut malè confessa, si de hoc constet; aut si non constet, nec sit probabile dubium, saltem in genere, & sub conditione.

b Isai. 38. 15.

74 Nec vanam, & inutilem putet omnem diligentiam in hac parte; quia contingit damnari multos, maximè fœminas, & rusticos, quia non audent præ verecundia confiteri aliqua peccata, quæ mox propalanda sunt in tribunali justi Judicis, & postea coram mundo universo in judicio universali cum æterno rubore, ac ignominia eorum, qui ne leviter erubescerent coram confessario, æternam sibi damnationem acquirunt, de quo experti confessarii amplam habent notitiam. Unde cum omni dexteritate satagat, ne saltem in ultima confessione id contingat.

75 In ipsa verò confessione adjuvet infirmum in iis, quæ videbuntur probabiliter omissa ex aliqua oblivione, interrogando de numero, & circumstantiis necessariis. Postquam autem audierit, quantum satis est, juvet ad contritionem concipiendam, monendo, ut consideret magnitudinem Dei, cujus præcepta transgressus est, sub quo præ profunda humilitate [c] curvantur Angeli, & præ reverentia contremiscunt. Consideret etiam justitiæ zelum, quo Angelos, & homines peccantes tam acerbè punivit; nec non sanctitatem, qua sic odit peccatum, ut si quis in illo moriatur sine vera pœnitentia, in æternum ab eo privandus sit cœlesti hæreditate, & ad inferni tormenta num-

c Iob. 9. 13.

Digitized by Google

numquam finem habitura detrudendus.

76 Post hæc redigat in memoriam quàm multis beneficiis & naturæ, & gratiæ ipsum Deus sit prosecutus, quanta ipsum prævenerit dilectione: [d] *Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*: & utique pro singulis: quanta nobis bona in Regno cœlesti, post hanc vitam, præparavit: quàm sit in se bonus, & infinitè amabilis, ac dignus omni honore, obedientia, & obsequio. Addatque; & hunc Deum, ac Dominum tantæ majestatis, tantæ sanctitatis, & bonitatis, qui te de nihilo creavit, & in filium adoptavit, ut cum ipso in æternum regnares, contempsisti, injuriis affecisti, & quantum in te fuit, sanguinem Jesu Christi filii ejus pro te effusum conculcasti, ac tot, ac tantis peccatis animam tuam maculasti. Vide ergo quantum dolore debeas, quòd tam ingratè te gesseris erga talem, ac tantum patrem, & benefactorem; qua animi tui amaritudine debeas peccata tua deflere, & veniam postulare.

d Rom. 8. 32.

77 Deinde animet eum, & erigat ejus spem dicens. Perpende, quòd sic offensus tantus Deus, & Dominus, pro sua misericordia infinita, ad pœnitentiam [e] te expectavit, & per Prophetam [f] suum promisit: *In quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Et alibi: [g] *Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat*. Perpende quòd Christus Jesus Dominus tuus, qui pro tuis peccatis mortuus est, apertis in cruce brachiis te invitat, ut ad ipsum cum dolore vitæ præteritæ confugias, ut te amplexetur, sanet animam tuam, & te ad comparatam suis meritis, doloribus, & sanguine beatitudinem in æternum duraturam hilarem, ac lætum perducat.

e Rom. 2. 4.
f Ezech. 18.22.
g Ezech. 33 11.

78 Dic ergo charissime N. corde, & voce, si potes, vel saltem corde cum publicano: [h] *Deus propitius esto mihi peccatori*. [i] Dic cum Davide: *Domine*, [l] *propitiare peccato meo: multum est enim*. Dic cum eodem: *Miserere mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam*. O qui numquam te offendisset! ò Pater amantissime, displicet mihi valde, quòd tam ingratè tuam bonitatem offenderim! ò Domine Jesu, qui me tanta charitate peccatorem vilissimum redemisti, sanguinem, & vitam tuam mihi impendendo, pœnitet me plurimùm, quòd tam sæpè, & tam graviter tua mandata prævaricatus sim. Quis mihi det fontem lacrymarum, ut defleam ingratitudinem, & malitiam meam, qua te, qui tantopere me amasti, & honorasti, contempsi; & creaturas vilissimas tibi in affectu amoris mei præposui. Firmiter propono cum tua gratia velle me potiùs in posterum millies mori, quàm te offendere, etiam si diu mihi in hoc mundo vivendum esset. Nihil aliud volo, quàm te Salvatorem meum. Esto tu mihi Jesus, & Salvator: [m] *Dele, Domine, iniquitatem meam. Amplius lava me ab iniquitate mea*.

h Luc. 18. 13.
i Ps. 24. 11.
l Ps. 50. 1.
m Ps. 50. 2. & 3.

79 Hæc, aut similia dicat, ut ad contritionem de peccatis præteritis, & affectum eorum relinquendum, & emendationem, si vivat, firmiter proponendam adjuvet; curetque pro viribus, ut contritio à charitate proficiscatur, & non ex timore tantùm; & vt firmum vitæ seriò emendandæ propositum in eo sit. Et tunc consolando spe veniæ, & reconciliationis cum Deo, absolutionis beneficium impendat. Et si aliquas indulgentias ei potuerit impertiri, impertiatur. Si habuerit Bullam Cruciatam, ipsa indulgentiam plenariam concedit. Si non habuerit, consulat ut accipiat, ut per indulgentiam illius liberetur à pœnis Purgatorii. Si sit confrater alicujus confraternitatis, cujus confratribus concessa sit indulgentia plenaria pro hora mortis per confessarium applicanda; absolvat priùs à peccatis, deinde communicet indulgentiam in hæc verba: [n] *Authoritate, qua fungor, concedo tibi omnem indulgentiam illam peccatorum tuorum, quam possum tibi concedere virtute cujuscumque gratiæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*.

n Possev. c. 13. n. 4.

80 Expediret autem, quòd bonus Parochus haberet imaginem aliquam benedictam, quæ largiatur indulgentiam invocanti nomen Jesu, vel quid simile facienti, illamque ac-

Digitized by Google

accommodare suis infirmis ad talem indulgentiam comparandam, quæ sæpè est plenaria. Et si velit charitatem suam, & benè suum munus pastoris explere, habeat aliquam Christi crucifixi manualem, quam secum deferat ad infirmos, & cum illis sit usque dum moriantur, cujus aspectus moveat ad sanctè moriendum, & pro ea impetret indulgentiam plenariam concedendam morientibus cum illa in manibus. Est enim opus magnæ pietatis, & veri pastoris sine expensis; quia indulgentiæ istæ Romæ gratis conceduntur.

81 Post absolutionem moneat, ut patienter morbum, ac ejus molestias, mortemque ipsam, si mori contingat, de manu Domini suscipiat pro satisfactione suorum peccatorum, & ob Dei amorem, qui pro se mori dignatus est circumdatus doloribus, & infirmitatibus; & pœnitentia alia vel non injungatur, nisi levissima, & quam possit facile peragere, vel si injungatur alia major; admoneat, non nisi recuperata valetudine ad eam teneri.

82 Si autem infirmus habeat aliquid alienum, quod restituere debeat, & statim possit, videat Parochus, an expediat differre absolutionem, donec id opere compleatur. Si autem non differt, quia promittenti se id statim facturum credit; urgeat ut vivens id fieri curet, nec incerto hęredum arbitrio id relinquat, quod tantopere ad animæ suæ salutem pertinet. Hoc de rebus clarè debitis intellige, quia si res esset dubia, & ipso vivente declarari non posset, an ad restitutionem teneatur, ut facile accidere potest habentibus negotia, & administrationem bonorum alienorum; primo quoque tempore id fiat. Si res talis est, ut non possit veritas statim patere; in testamento, vel codicillo decernat, ut, re declarata, cuique reddatur, quod suum est. Et idem fiat, si clarum quidem est debitum, non tamen potest statim satisfieri. Et solet esse bonum consilium, ut hęredes ad restitutionem tempestivè faciendam obligentur, si restitutio statim fieri non potest; sed valde optandum, & curandum, ut statim fieri possit.

83 Si cum aliquo intercedit inimicitia publica, curandum est non solùm ut ignoscat, sed ut cum parte quæ offendit, reconcilietur, maximè si hæc veniam petat. Si ipse alium offendit; mittat ad veniam petendam, & satisfaciat offenso, ut oportet; & pax, si læsus non contradicat, dum ægrotus vivet, conficiatur. Secreta autem, si quæ fuerint hujusmodi, secretò transigi debent. Sed de his aliqua jam dicta sunt cap. 4.

84 Si ad famæ restitutionem infirmus obligatur; eo modo, quo poterit, per se, vel per alium eam restituere curet verbo, vel scripto. Si esset excommunicatus, curet ut se toto animo submittat Ecclesiæ ordinationi, & satisfaciat, quoad poterit, juxta ea, quæ dicta sunt cap. 3. ut beneficium absolutionis consequatur. Vigilet igitur bonus Parochus, ne moribundus desit in aliqua obligatione conscientiæ æsu, ne eo justo pro judici rationem reddere cogatur.

CAPUT VIII.

Quid Parochus facere debeat post confessionem moribundi ordinarii?

Post confessionem, prædicto modo factam, curet Parochus ministrare viaticum Sanctissimæ Eucharistiæ, 85
dum sensus, & ratio viget. Et si medicus dicat esse periculum mortis, aut delirii, eam non differat. Si medicus absit, ipse prudenter suadeat non differendam, instruatque, ut se præparet ad dignè accipiendam, præcedente reconciliatione, si opus erit. Et communicet cum omni humilitate, fide, & dilectione. Et si timeatur vel mors, vel delirium communicet etiam non jejunum, ut dictum est libr. 9. capitol. 4. sect. 5. §. 2. ubi inveniet resolutas omnes difficultates, quæ possunt occurrere in hac ministratione Eucharistiæ per modum viatici.

86 Ante communionem, juxta cæremonias Ritualis peragendam, hortetur infirmum ad novam contritionem de novo eliciendam, & ad veros fidei, spei, & charitatis actus, ipseque

præcedat tenens sacram Hostiam admonendo, ut ex toto corde sequatur dicendo saltem in corde: Credo, Domine Jesu Christe, te esse Filium Dei vivi, qui in hunc mundum venisti ad me miserum peccatorem salvandum, & in Cruce pro mea salute vitam, & sanguinem misericorditer effudisti; & non contentus tanta pietate, te ipsum in hac Sacra Hostia realiter, & verissimè reliquisti, ut me indignissimum præsentia tua in hac hora tantæ necessitatis, pro tua clementia, visitares, reficeres, & munires ad ingrediendam viam salutis. Credo, Domine, omnia, & singula mysteria tuæ vitæ sanctissimæ, & quidquid credit, & tenet Sancta Mater Ecclesia Romana, Catholica sponsa tua, quam tuo sanguine redemisti. Profiteor coram te, Domine Jesu, & coram universa curia cœlesti, & omnibus circumstantibus, me in ejus fide, & communione velle mori tua misericordia, ac pietate confisum. Te, Domine, diligo ex toto corde meo, & ex tota anima mea, super omnia diligibilia, & nihil aliud volo, præter te, quia tu solus bonus, solus sanctus, & solus dignus omni amore. Et quia talis es, doleo ex toto corde meo, quòd tantam bonitatem offenderim, pœnitetque me te offendisse, quia bonus es, & peccata mea tibi displicuerunt, cui soli placere debueram; propono cum tua gratia me in posterum non amplius aliquid facturum, quod tuæ sanctissimæ displiceat voluntati, sed in omnibus legem tuam à me servandam. Vellem potiùs, Redemptor meus, millies mori, quàm te summum bonum super omnia amabile, vel semel leviter offendisse; spero, Domine, de tua bonitate, & clementia, quòd mihi ingrato peccatori omnia mea peccata dimittas, & per merita sanctissimæ Passionis tuæ, salves animam istam, quam creasti, & redemisti, & quam modò pro tua sola misericordia intrare vis, ad refovendam imaginem, quam creasti, ad abluendam, quam ego miserè fœdavi, ut sanguine tuo pretioso dealbata appareat in conspectu divinæ majestatis tuæ, ut sic quiescat ira tua, quam peccatis meis toties provocavi, & dum malum coram te feci, miserationum tuarum subsidia huic horæ maximè salutaria justissimè demerui.

87 His cum omni pietate, & devotione dictis lingua materna, præbeat sacram Eucharistiam sub forma præscriptam in Rituali: *Accipe, charissime frater, Viaticum Corporis Domini Nostri Iesu Christi, &c.* Et quamvis, si infirmus sit sensibus destitutus; hæc necessaria non videantur; ad pietatem tamen, & ædificationem circumstantium non erit incongruum ea proferre, nomine pœnitentis moribundi.

88 Post peractas sacras cæremonias, quæ in hoc sancto ministerio ex Rituali fieri solent, bonus Parochus infirmum suum alloquatur verbis consolatoriis, ut nempe gratias agat Omnipotenti Deo, pro tanto beneficio citra merita recepto, ut confidat de præsentia tanti hospitis omnia feliciter eventura; ut se totum ponat in ejus manibus, & suæ se committat sanctissimæ voluntati, ut de ejus vita, vel morte disponat, prout fuerit majoris gloriæ suæ, & magis conducens ad salutem animæ ejus, & quòd ad ipsum fiducialiter recurrat in omnibus angustiis infirmitatis, & sæpè invocet auxilium Beatæ Virginis, quæ tamquam Mater pietatis nunquam deest invocantibus illam. Et idem de aliis sanctis, maximè de suo Angelo Custode, se Sancto sui nominis, &c.

89 Admoneat præterea ut Sacramentum Extremæ Unctionis petat, ut suo tempore, si opus fuerit, afferatur, ejusque vim infirmo declaret; quæ, præter effectum conferendi gratiam omnibus Sacramentis communem, duplex est, altera, ut per illam præparetur ad profectionem in cœlestem patriam, à peccatis, & eorum reliquiis expeditus; altera, ut si sanitas corporalis utilis sit futura, illam etiam promoveat, juxta illud Apostoli [a] Jacobi: *Oratio fidei salvabit infirmum.* a Iacob. 5. 15.

90 Quare non est expectandum, ut jam naturæ vires penitus sint prostratæ, ut sit infirmus sensibus destitutus; sed cùm medicus dixerit infirmum ad finem accedere; vel si medicus absit, judicante id Parocho, & prudentibus, aut credentibus in manifesto mortis periculo versari, dari

Digitized by Google

dari debet hoc Sacramentum; ut adhuc infirmus intelligat, quæ dicuntur, & possit Parocho ungenti devotè respondere. Si autem in delirium, vel sensuum hebetudinem incideret, hoc devotionis fructu privabitur, non tamen præcipuo hujus Sacramenti fine; & ideò etiam in illo statu danda est sacra Unctio, si priùs data non fuisset, ut dictum est lib. 9. cap. 6. sect. 4. & 5. ubi Parochus inveniet resolutas omnes difficultates, quæ ei occurrere possunt circa administrationem hujus Sacramenti.

91 Igitur Extrema Unctio collata, cùm natura adhuc viget, multum prodesse potest ad sanitatem corporis, quod non efficiet regulariter, si conferatur, natura jam deplorata; quia Sacramentum hoc, quoad hunc effectum, operatur secundùm naturæ vires, eas adjuvando, ita ut si opportunè conferatur, multi sanentur, qui aliàs morerentur. Inducit præterea hoc Sacramentum hilaritatem animi, quietem, & tranquillitatem, quæ etiam multum ad sanitatem conducit, ut exemplis à se visis comprobat Possev. [b] quibus potest adjuvari infirmus, qui amore hujus sæculi retinetur; & putat se jam mori, si hoc Sacramentum ei conferatur.

b Cap. 13. n. 5.

92 Curet autem Parochus hoc Sacramentum conferre, sicut omnia alia, non perfunctoriè, sed cum magna devotione, & pietate, tamquam dispensator sanguinis Christi, qui certè in quolibet Sacramento fidelibus applicatur, quoad merita ipsius. Si autem ante Unctionis receptionem ægrotus indigeat aliqua reconciliatione, ipsum audiat, & absolvat. Et post ejus receptionem amanter alloquatur, & consoletur infirmum, ut suprà dictum est oportere fieri post receptionem Eucharistiæ, & nunc potiori jure, quia creditur morti magis propinquus.

CAPUT IX.

De aliis præstandis à Parocho circa moribundum ordinarium, post ejus confessionem auditam.

93 POstquam Parochus circa ea, quæ ad animæ infirmi dispositionem pertinent, suo officio functus est, juxta superiùs dicta, eodem fungatur circa ea, quæ ad providentiam ejus erga sibi conjunctos, & ad corporis, ac bonorum dispositionem pertinet; quamvis sæpè expediat, ut statim post confessionem de istis disponatur, licèt nos de iis, quæ ad animam pertinent, priùs egerimus.

94 Redigat igitur in memoriam infirmi, si uxorem habet, ut ipsi prospiciat; si filios minores, ut eorum tutelam, & curam institutionis alicui relinquat, de quo speret, quòd ipsorum commodis seriò consulat; si filias domi habeat nondum statum certum vitæ habentes, provideat, quoad fieri possit, ut juxta vocationem Dei, vel in Matrimonio, vel in Monasterio collocentur, secundùm ejus possibilitatem; si nepotes, vel alios consanguineos domi habet, quorum susceperit curam; si servos, vel familiam, cui debeatur stipendium, vel aliquid amplius, quàm stipendium, memor sit eorum, ut officio æquitatis, & charitatis simul erga eos gerendo, omnibus satisfaciat.

95 Si fortè tutelam aliorum, vel bonorum Principis, alicujus communitatis, vel privatorum administrationem suscepisset, vel officium publicum gerit, de quibus vel reddere rationem, aut aliquid facere, aut declarare teneatur, ut suæ conscientiæ, & aliorum communi, sive privato bono consulatur, admoneat, ut dum habet rationis usum, & tempus, quàm expeditè poterit, id faciat, vel aliis faciendum committat. Admoneat etiam de corpore suo, ut statuat ubi debeat sepeliri, nisi constaret id jam fuisse constitutum, & quomodo, seu qua pompa sepeliendum sit, suggerat, ut ipse, quæ ei videbuntur, de hac re disponat.

96 Ipsum tandem adhortetur, ut disponat de bonis suis per testamentum justum, & pium memor quòd non habeat hìc Civitatem permanentem, sed futuram inquirat. Si verò priùs testamentum fecisset, suadeat, ut considerét, an ei aliquid addere, vel detrahere, aut immutare putet necessarium, quod per codicillum fieri potest. Et in eo, sicut & in testamento primo loco satisfieri jubeat eis, quibus aliquid debet, sive de familia ipsius sint, sive extra illam. Quamvis si vivens potest his debitis satisfacere, potiùs id curare deberet, ut suprà dictum est. Filiis denique, quæ illis jure naturæ, ac civili debentur, relinquat memor, quòd ne

ne filios ditiores relinquat, desinat satisfacere aliis obligationibus, maximè justitiæ, si quas habet; quia filii non liberabunt eum ab inferno, si ob illorum amorem in illum detrudatur, ut aliquibus non semel contigit.

97 Si præterea bona, quæ creditoribus, & hæredibus necessariis debentur, suppetat facultas ad pia legata facienda, quandoquidem de tertia parte bonorum in hoc regno liberè disponere potest, vel de alia, juxta leges Provinciarum, sive infirmus petat consilium, sive non petat, quando ipsi utile, & Deo gratum fore videbitur, suggerat quod tunc prudenter judicabit; quando infirmus sufficienter dives est, & non multos habet filios, admoneat, ut eleemosynas in testamento, vel codicillo ad pauperum, & piorum locorum sustentationem relinquat.

98 Si verò rerum, & personarum dispositio id ferret, suadendum esset, ut etiam hæc viventes potiùs faciant, quàm in testamento; quia multò magis eos juvarent, sicut magis una, quæ præfertur fax, quàm quatuor, quæ sequuntur, confert ei, qui per obscurum locum ingreditur, ne in eo labatur. Nec tantùm hujusmodi eleemosynæ, & pia opera in vita facta ad majorem pro pœnis, sed etiam ad majus meritum beatitudinis conferunt. [a] Si fortè testamentum aliàs fecisset in statu animæ minus bono, suadeat ægroto, ut renovet intentionem piorum legatorum, imò & omnium bonorum, quæ unquam egit, & ratum habeat, quod ibi fecit, ut si tunc non fuit in statu gratiæ, saltem modò legata, & opera pia rata habendo, & ad Dei gloriam referendo, faciat meritoria vitæ æternæ. Et si in jam factis hoc expedit, multò magis in faciendis exhortari oportet, ut omnia, quæ in testamento legat, vel aliter disponit, ad bonum aliquem finem referat.

[a] Nav. c. 26. n. 36.

99 Tolet. [b] ait teneri Parochum sub mortali exhortari infirmum ad faciendum testamentum. Quod intelligo, si Parochus noverit, aut timeat, si infirmus non testetur, multa damna fore secutura post mortem, & non sit alius aptior ad id persuadendum, & probabile sit, quòd, Parocho consulente, testaturus sit. Debet autem sine dubio admonere, si debita habeat, & satisfactiones faciendas, ut omnia declaret sine ambiguitate, quia hoc pertinet ad conscientiam infirmi, quam benè dirigere pertinet ad Parochum confessionem excipientem.

[b] Lib. 5. c. 5. n. 17.

100 Sed quid, si infirmus testari velit, & in loco non sit notarius, quia est in pago, vel rure? Respond. [c] optimum fore, quòd Parochus se exoneret, quoad poterit, ad scribendo testamento, & curet quòd notarius vocetur ex loco viciniori. Si tamen id fieri non potest, scribat ipse, & adhibeat testes necessarios juxta ea, quæ dicta sunt lib. præcedenti cap. 2. sect. 11. Si tempus non sit ad scribendum testamentum, quia mors imminet, curet ut saltem faciat testamentum nuncupativum verbaliter, declarando coram testibus, quæ sit ejus ultima voluntas, de quo etiam ibi. Si scribendus sit codicillus, adhibeat eos testes, quos loco citato diximus fore adhibendos.

[c] Possev. c. 11. n. 7. & 8.

101 Si contingat, quòd legata pia facere velit, vocet duos testes præter se ipsum, & sufficiunt mulieres; sed melius est adhibere viros, & plures testes, quàm duos, si haberi possint. Deterreat autem à legatis piis saltem multis, & magnis habentem filios, aut personas valde conjunctas pauperes; consulatque pietatem esse relinquere filiis, vel aliis cognatis pauperibus, dummodo digni sint, & valde indigeant.

102 Infirmo petenti consilium, quid possit pro anima sua relinquere, caveat Parochus, ne proponat, quæ sapiunt avaritiam, dicat potiùs generalia, v. c. Fac eleemosynas locis, & personis piis; aliquando proponat aliquos miserabiles, quos scit esse bonæ vitæ, & verè indigere, sed semper cum prudentia, ne incurrat offensionem domesticorum infirmi.

103 Commendet igitur in genere opera pietatis; & si videbitur expedire ad aliqua particularia descendere, proponat in primis ea, quæ majoris charitatis, & ad proximos magis juvandos opportuna esse videbuntur, v. c. quæ ad animarum Purgatorii subventionem, quæ ad Religiosorum utriusque sexus paupertatem patientium subsidium; quæ ad pauperum, qui cùm mendicare honestè non possint, inopia tamen magna premuntur, auxilium; quæ ad captivorum redemptionem; quæ ad pauperum puellarum dotationem; quæ ad orpha-

Digitized by Google

orphanorum utriusque sexus sustentationem; quæ ad pauperum propter debita in carcere detentorum liberationem; denique quæ ad hospitalium, & aliarum miserabilium personarum, & piorum operum sublevationem spectant. Quamvis circumstantiæ locorum, personarum, & rerum facere possint, ut præferri deberent quædam alioqui post habenda; unde charitas omnia ordinabit.

104 Advertat autem, si infirmus habeat consanguineos pauperes, & verè indigentes, vel domesticos, qui ei fideliter servierunt, hos ei primò proponendos. Si sit Ecclesiasticus beneficium habens maximè curatum, reducat ei in memoriam pauperes, & opera pia suæ Parœciæ, quorum cæteris paribus major ratio habenda est.

CAPUT X.

Parochus moribundos ne deserat, sed frequenter visitet.

105 POst Sacramentorum administrationem, & reliqua, de quibus hactenus, curet Parochus frequenter accedere ad suos infirmos, maximè moribundos; quia sedula eorum cura, & vigilantia ejus muneri conjuncta est. Unde inter peccata infidelis pastoris hoc numeratur à Deo: [a] *Væ pastoribus, qui quod infirmum fuit non consolidastis, & ægrotum non sanastis.* Ideò enim pastor dicitur, ut secundùm consuetudinem boni pastoris infirmas oves visitet, easque adjuvet, & spiritualiter consoletur in casu maximæ necessitatis. Ideò dicitur medicus animarum, quia sicut medicus corpora non deserit, sed assiduè visitat, & providet de opportunis remediis, ne in curia sua infirmus moriatur; ita Parochus, cujus est salutem animæ procurare, sæpiùs visitare debet illum, ne moribundus alicui tentationi succumbens, negligentia sua, in æternum damnetur.

a Ezech. 34.4.

106 Urget autem hanc obligationem necessitas extrema moribundi; quia nullum est majus discrimen, nulla major indigentia illa, qua anima tunc premitur, quando ex hac vita migrandum est. Ideò Christus Dominus dixit: [b] *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* Ob periculum, in quo inveniuntur, quod ex duobus præcipuè æstimari potest, in quibus præsentia boni Parochi maximo adjumento esse potest; quæ proinde subtrahenda non est ab illo, qui officio suo deesse non vult, nec infidelis pastor reputari.

b Matth. 9.12.

107 Primò, reddunt hunc vitæ exitum nimis periculosum, & incertum infestæ dæmonum tentationes, quibus tunc maximè sæviunt in morientem, versantque in omnem partem scientes; quia modicum tempus habent ad perdendum, & si quos tunc debellaverint, suo semper imperio, & torturæ fore subjectos, ideoque omnes vires intendunt, & omnem furorem acuunt ad tunc perdendum viros etiam Sanctissimos, de quibus passim legimus simili dæmonum pugna ipso mortis die afflictos fuisse.

108 Ad has autem dæmonum artes illudendas, & impetus frangendos plurimum valet sacerdotis præsentia, & industria, maximè verò Parochi, quia cùm sit à Deo constitutus pastor, & custos illius animæ, si à Deo opem imploret pro illius salute, & victoria, utque eam non tradat in manus inimicorum ejus, credendum profectò est misericordissimum Deum illius preces exauditurum, & dæmones magis ejus præsentiam, & orationes fugituros, quàm alterius Sacerdotis, exemplo luporum, qui licèt famulorum clamores formident; præsentiam tamen pastoris magis timent, & declinant.

109 Secundò, auget periculi magnitudinem imbecillitas moribundi ad resistendum, quia corporis sensibus paulatim deficientibus, ita anima ipsa infirmitatis pondere premitur, ut nisi magna cum difficultate munia sua obire possit, sed eò potiùs fertur intentio mentis, ubi sentitur vis doloris. Unde nisi externo aliquo auxilio, Dei gratia adspirante, excitetur, & confirmetur, facilis erit locus tentationibus. Quare magna medicina, magnum adjutorium, & præsidium est patris spiritualis assistentia ad animum moribundi confirmandum, & ad minuendum magna ex parte terrorem, qui ob expectationem divini judicii moribundum vehementer vexare solet, quò propriùs accedit. Nam assistens Parochus ad contritionem peccatorum per varia incitamenta, quibus abundare debet, excitat, & ad sperandum de Dei misericordia, ad implorandumque Sanctorum patrocinium,

Digitized by Google

cinium, aliaque multa movet, quæ fiduciam pariunt, ut fidenti animo de divina ope, & misericordia vitam feliciter claudat.

110 Unde infidelis, ac crudelis reputandus erit Parochus, & indignus eo munere, ac pastoris nomine, qui, vix ministratis Sacramentis, sine ulla consolatione ex parte sua præstita infirmos deserit, nec ulterius consolaturus invisit, cùm sæpè contingat per multos dies inter mortis discrimina, inter mille pericula tentationum agonizare. Quid, quæso, faciendum misero, si ab aliqua vincatur, si alicujus peccati recordetur, quod per confessionem debeat expiari? ò lupum, non pastorem! ò mercenarium infidelem, qui lucris inhiat, non saluti incumbit! Si esses Parochus Civitatis, aut oppidi nobilis, in quibus sunt Religiosi, & alii pii Sacerdotes, qui moribundis cum charitate assistunt, non tam fores culpandus, quamvis culpa non vacares, quia adhuc deberes ex vi officii pastoralis, quod indignè exerces; seu cujus tantùm nomen habes, & emolumenta temporalia; vigilare super oves morbidas, ne lupus eas devoraret, eas iterum, ac iterum visitando, ut scires in quo essent statu, an ope aliqua indigerent. Verùm in pago, aut rure, ubi alius non est, qui tuum defectum, & absentiam suppleat, quomodo poteris excusari?

111 Si amore pastoris, & patris non duceris in hoc negotio, si amor ovium Christi te non impellit, impellat saltem timor. Attende, & considera teneri te omnem operam ponere, omnem curam, & vigilantiam, ut animæ tuæ curæ commissæ salvæ fiant: ad hoc concionaris, exhortaris, doctrinam doces, Sacramenta administras, & alia hujusmodi præstas: sed hæc non satis, laus enim cantatur in fine; hìc exercendæ vires, hìc maximè vigilandum, hìc tota ponenda pastoris cura, ne culpa tua, incuria, & negligentia, anima aliqua non solùm domini, sed & servi, ac ancillæ pretioso Christi sanguine empta in æternum perdatur; & tu tamquam infidelis & piger minister à Domino tuo justo judice perditionis ipsius arguaris, & cum illa in perpetuum damneris. Aperi, quæso, oculos, & agnosce obligationem officii tui.

112 Commendabam ego aliquando hanc vigilantiam super moribundos cuidam bono Parocho, qui mihi respondit, adeò esse necessariam hanc repetitam visitationem infirmorum, post suscepta Sacramenta, ut sibi non semel contigerit invenisse moribundos, qui morti vicini confessiones nullas fecerant, & sacrilegas; & interroganti mihi, dicebat ille, cum charitate, an aliquid pungeret eorum conscientias, morti valde vicini se tandem declararunt, & de novo confessi sunt, qui si à me non visitarentur, absque dubio damnarentur. Et mihi contigit vidisse Sacerdotem egredientem domo, in qua ministraverat Extremam Unctionem, & nescio quo spiritu domum non vocatus intravi, & miscui sermonem de rebus divinis cum infirma, quæ Unctionem acceperat, quæ audiens ingemuit. Causa gemitus erat, quia morti vicina potiora peccata occultaverat, eam de novo audivi cum magna ipsius, & mea consolatione, & intra duos dies mortua est. Alibi vocatus fui à quodam moribundo, qui omnia jam Sacramenta receperat, & inveni ab octo annis semper fecisse confessiones sacrilegas; audivi illum, & mortuus est. Vide, mi Paroche, an opus sit visitare sæpiùs moribundos, & blandè inquirere de eorum statu?

113 Considera, bone pastor, quid faciunt pictores, quando opus à se elaboratum dare debent in publicum & sistere in conspectu illius, ex cujus judicio valor picturæ dependet: tunc certè diligentiùs, & accuratiùs examinant opus, an aliquis sit in eo artis defectus, ac vitium; an desit coloris ornatus; diligentiùs tollunt, addunt, & perficiunt; ne aliter, si sint honoris, & laudis cupidi è manibus prodire permittunt: sed anima ergastulo corporis vix libera statim sistitur in conspectu supremi judicis; ibique accuratissime examinatur, & judicatur, trahitque in idem judicium suum etiam Pastorem, tanquam operis artificem, an videlicet ipsius culpa insit aliquod vitium in opere, an benè anima illa instituta fuerit, an ignorantia, aut negligentia sui Pastoris erraverit. Certè si aliquis timor divini judicii, si cura aliqua propriæ salutis Parochum extimulat; non dormitabit, non declinabit domum ægroti, non considerabit vultum pauperis,

Digitized by Google

peris, non malè olentem exhorrescet, non patietur charissimas animas ex hac vita decedere, nisi inter amantissimi Pastoris amplexus.

114 Si dicas magni laboris esse hanc assistentiam, & repetitam morientium visitationem. Respondeo omnes virtutum operationes esse laboriosas, & regnum cœlorum non nisi per labores
c Matth. 11. & 12. comparari, [c] *vim enim patitur, & violenti rapiunt illud*. Remque pretiosissimam esse animam, de cujus salute nunc agitur, & inæstimabile lucrum, quod brevi illo tempore comparatur, nimisque indignum esse Sacerdotem, maximè Pastorem diligentia, & sollicitudine superari à dæmonibus, qui ut animam perdant; agglomerantur in legiones, & exercitus, ut constat ex historiis, omnes adhibent conatus, assistunt, & opem sibi invicem præstant: Sacerdos autem, ut eam adjuvet, custodiat, & suo in hac parte fungatur officio, non vigilabit, non assistet? non aliquid incommoditatis, & laboris brevissimi patietur?

115 Jam verò si lucri cupidus esses, in quo majus tibi accresceret? Nam omissis communibus, quæ operibus pietatis correspondent, dum modò unam, modò alteram animam tua diligentia, & assistentia quasi ducis, & comitaris ad portum æternæ salutis, hoc habebis peculiare, ut illæ postea per Dei gratiam, & misericordiam agnoscentes se opera, & diligentia tua satanæ laqueos evasisse, & in statu felicitatis collocatas, pro tanto sibi colato beneficio, tui ipsius patrocinium suscipient, ut & ipse tandem salvus fias.

CAPUT XI.

Parochus disponat moribundum, ut mortem voluntariè, & libenter acceptet.

116 UT bonus Parochus, & quilibet alius Sacerdos cum spiritu, & fructu possit moribundum adjuvare in agone periculoso, procurare debet esse in Dei gratia, unde si conscientiam habeat peccati mortalis, si non valet confiteri, conteratur ex corde, & ad Deum perfectè convertatur; quia aliàs verba ejus erunt quasi mortua, & vix movebit moribundum, si ipse motus
a Prov. 15. 29. non fit: [a] *Longè enim est Dominus ab impiis, & orationes justorum exaudiet*. Ut Deus Ezechiam [b] ægrotantem consolaretur, & certum faceret de morte, misit ad eum Isaiam Prophetam, cui labia igne cœlesti per Seraphinum purgata fuerant, & quasi ignita, ut significaret Sacerdotem, qui consolaturus, & adjuturus est moribundum, debere esse hominem sanctæ vitæ, ac Dei amicum, cujus verba è corde puro igne charitatis accenso prodire debent, ut eodem inflammare possit morientem. b Isai. 38.

117 Intrans ergo Sacerdos infirmi cubiculum dicat: Pax huic Domui, & omnibus habitantibus in ea. Aspergat infirmum Aqua Benedicta, quam semper habere curabit; aspergat etiam circumstantes, & domum ipsam, quòd frequenter faciet, ut dæmones non tantas habeant vires ad tentandum, utque circumstantes cum majori devotione deprecentur pro infirmo. Et postea dicat. Vers. Intret oratio mea in conspectuo tuo Domine. ℟. Et inclina aures tuas ad preces nostras. Kyr. Christe. Kyr. Pater noster. secretò. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos à malo. ℣. Salvum fac servum tuum. ℟. Deus meus sperantem in te. ℣. Mitte ei Domine auxilium de sancto. ℟. Et de Sion tuere eum. ℣. Nihil proficiat inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. ℣. Esto ei Domine turris fortitudinis. ℟. A facie inimici. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo. Oremus.

118 Visita quæsumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longè repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Exaudi nos Domine sancte Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Prætende Domine famulo tuo N. dexteram cœlestis auxilii, ut te toto corde perquirat, & quæ dignè postulat, assequatur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen. Dominus, qui custodivit introitum tuum, custodiat quoque exitum ex hoc nunc, & usque in sæculum. ℟. Amen. Faciat deinde Crucem super moribundum, dicatque: Benedictio

Dei

Digitized by Google

Dei omnipotentis Pa ✠ tris, & Fi ✠ lii, & Spiritus ✠ Sancti descendat super te, & maneat semper tecum. Amen.

119 Post hæc videat, an satisfecerit omnibus obligationibus Christiani hominis, de quibus suprà. Quærat, an habeat conscientiam pacatam, an sentiat aliquem scrupulum, an recordetur alicujus peccati, quod non sit confessum, vel commissum post ultimam confessionem, & si opus sit, audiat, & absolvat, ne postea in agonia molestetur à diabolo.

120 Procuret deinde per varia media, si opus sit, disponere moribundum, ut se cum Dei voluntate conformet, acceptando mortem sibi à Deo missam. Quia quamvis mori sit necessarium; est magni meriti mortem voluntariè acceptare; quia à Deo volitam, & pro tunc decretam. Poterit autem ad hanc voluntariam acceptationem juvare primò recordatio, quòd sit via universæ carnis, quam omnes ingredi debemus: [c] *Statutum est enim omnibus hominibus semel mori.* [d] *Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Quæ consideratio satis est ad mortem voluntariè acceptandam.

c Heb. 9. 27.
d Psal. 88. 49.

121 Secundò, quia justi mori desiderant: [e] *Tædet animam meam vitæ meæ.* [f] *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* [g] *Nunc dimittis servum tuum Domine.* [h] *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Quare si semel est moriendum, maximè id desiderari debet infirmus, qui benè confessus, & aliis Sacramentis munitus, ac cum bona dispositione invenitur; maximè quia nescit, an alio tempore sic eum mors paratum inveniet.

e Iob. 10. 1.
f Psal. 119. 5.
g Luc. 2. 29.
h Philip. 1. 23.

122 Tertiò, quia dies mortis Christiano homini dies felicissimus esse debet, quia initium totius felicitatis, in quo recipiet præmium præteritorum laborum: [i] *Amodò jam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* Recedit enim à loco miseriæ ad locum pacis, & quietis. [l] Ubi *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum: & jam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque ullus dolor: ubi non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus æstus, quoniam prima transierunt.* Est dies jucundissimus, quo Christus dicet procuratori suo: [m] *Voca operarios, & redde illis mercedem suam.*

i Apoc. 14. 13.
l Apoc. 21. 4.
m Math. 20. 8.

123 Quartò, quia finis hominis non est vivere in hoc mundo, sed in patria cœlesti, ad quam creatus fuit; in qua possidebitur Deus ipse, & cumulus bonorum omnium. [n] *In loco pascuæ ibi me collocabit.* [o] *Credo videre bona Domini in terra viventium.* [p] *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* [q] *Torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Hæc autem vera bona, ad quæ homo creatus est, haberi non possunt, donec homo in Domino moriatur. Unde meritò mors expetenda, & de ea lætandum, quia per eam: [r] *In Domum Domini ibimus.*

n Ps. 22. 2.
o Ps. 26. 13.
p Ps. 16. 15.
q Ps. 35. 9.
r Ps. 121. 1.

124 Quintò, quia mori non est aliud, quàm quidam transitus ad vitam æternam, & ad illa bona, quæ fur non [s] rapiet, neque tinea demolietur. Expectamus enim in hoc transitu Dominum nostrum Jesum Christum, [t] *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Unde qui habet fidem, & in ea vixit cum expectatione bonorum cœlestium, lætari debet, quod jam appropinquet regnum Dei, in quo cum Christo sine fine regnandum est in societate Angelorum, & Sanctorum omnium.

s Math. 6. 20.
t Philip. 3. 21.

125 Sextò, quia homo ita moritur, ut anima non moriatur, corpus verò resurgat suo tempore immortale: Christus enim, in quem credimus, & speramus, [u] *est vita, & resurrectio nostra: & qui credit in illum, etiam si mortuus fuerit, vivet; nec morietur in æternum, sed ipse resuscitabit in novissimo die.* Quæ verba à summa, & æterna veritate dicta sunt, quæ deficere non possunt: [x] *Quæ enim procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Cur ergo mors libenter non acceptanda tamquam via ad vitam tanto meliorem?

u Ioan. 11. 25.
x Ps. 88. 35.

126 Septimò, quia Christus Dei Filius mortuus est pro peccatis nostris, & libentissimè mortem acceptavit, ut doceret similiter à nobis voluntariè acceptandam confisis in ejus sanguine, & meritis licèt enim per illam laboribus, & angoribus plenam ad finem nostrum tendamus, valde tamen distamus à morte Domini nostri, de quo scriptum est: [z] *Defecit in dolore vita mea: & anni mei in gemitibus.* Et alibi: [a] *Attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus.* Memoria igitur dolorum, passionum, & mortis Christi consolari debet pius Sacerdos moribundum, ut suam acceptet in gloriam ipsius, & suorum peccatorum satisfactionem.

z Ps. 30. 11.
a Thren. 1. 12.

127 Octa-

Digitized by Google

127 Octavò, quia hæc est voluntas Dei, cui resistere nec possumus, nec debemus; maxima enim perfectio nostra consistit in perfecta conformitate cum sua sanctissima, & justissima voluntate, quæ pro gloria sua, & nostra utilitate mortem nostra in tali occasione decrevit; dicere igitur debet cum omni resignatione: [b] *Fiat, Domine, voluntas tua, sicut in Cælo, & in terra*; & procuret totis viribus, ut ipsum inveniat cum eo unitum per gratiam; quia sic certissimè unietur cum eodem per gloriam in perpetuum duraturam.

b Matth. 6.10.

128 Nonò, quia ipse Dominus noster vitam æternam promisit despicientibus vitam hanc temporalem: [c] *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*. Quod infiniti sancti præstiterunt, non metuentes mortem, sed vitam tormentis, & cruciatibus offerendo, ut securi venirent ad palmam, & coronam æternæ vitæ. Quare fidelis homo, qui fide, & spe vivit, [d] *expectans beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei*: si vitam suam tyrannorum tormentis non objecit; saltem non ita amet præsentem, ut mortem non libenter acceptet, quando Dominus ejus eam mittere dignatur. His & aliis similibus motivis potest bonus Parochus animare suos moribundos, ut mortem læto animo suscipiant.

c Ioan.12.25.

d Tit. 2.13.

CAPUT XII.

Quomodo Parochus confortare possit suos moribundos variis conditionibus affectos?

129 NOn est eadem conditio, & affectio morientium, sed diversi diversis afficiuntur. Quare prudens Sacerdos illos, qui plus æquo mortem timent, confortet persuadendo, nihil esse timendum illis, qui moriuntur in fide, armati sanctissimis Sacramentis; quia illis solùm timendum, qui vel extra Ecclesiam, vel sine Sacramentis in peccato decedunt. Nam quamvis peccaverint supra arenam maris, sanguis Christi per Sacramenta applicatus omnia delet, animamque purificat, ac Deo acceptabilem reddit, juxta illud: [a] *Lavabis me, & super nivem dealbabor*. Quare si ritè confessus sit, securus esto in meritis, & sanguine Christi: si quid habet, quod conscientiam pungat, adhuc esse remedium, exponendo conscientiam confessori, non celando, quę paulò pòst coram Angelis propalanda sunt, & in die judicii coram mundo universo sine remedio, quod modò habet præsentissimum.

a Psl.50.9.

130 Illos ergo, qui nimis affecti sunt ad res hujus mundi, confortet repræsentando gaudia, & divitias futuri, quo properat; quas solas amant, & concupiscunt, qui res cognoscunt, ut sunt. Unde dicebat David: [b] *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus*. [c] *Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*. Persuadeat bona hujus mundi esse falsa, & apparentia, transitoria, quæ amatores suos, sæpè deserunt; bona autem Paradisi vera, solida, & æterna: hìc dolores; ibi gaudia; hìc sæpè tristitia; ibi lætitia perpetua, & inenarrabilis; hìc paupertas; ibi bonorum omnium affluentia, quæ sola satiare potest. [d] *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua*. Hìc morbi; illic sanitas sempiterna. Hìc mors; ibi vita jucundissima. Hìc bella, jurgia, & dissensiones; ibi pax, & tranquillitas perennis. Hic fraudes, odia, & inimicitiæ; ibi veritas, unitas mentium, idem velle, & nolle omnium, & amicabilis omnium sanctorum societas: proponat tandem illud Jacobi: [e] *Quicumque voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur*. Quare igitur amanda, quæ nos deserunt, & fallunt? Non est prudentis hæc amare, sed fastidire, & odisse.

b Psl.41.1.

c Psl.83.1.

d Psl.16.15.

e Iacob. 4.4.

131 Illos, qui multas divitias relinquunt, confortet proponendo earum vilitatem, & inconstantiam. Nec enim æstimari debet, quod ita breviter possidetur. Omnia Apostolus [f] arbitrabatur ut stercora. Sic judicat, qui benè sentit. Solus Deus est thesaurus noster, qui nos verè ditabit, & deseret nunquam. [g] *Præposui illum regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem pretiosum: quia omne aurum in comparatione illius, arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius*. Hoc fuit judicium veri sapientis. Idem judicarunt plures Philosophorum lumine fidei destituti. Quid ergo homo Christianus ad vera bona creatus?

f Philip 3.8.

g Sap. 7.8.

132 Illos,

132 Illos, qui in paupertate vixerunt, confortet explicando eorum felicitatem. Nam [h] *factus est Dominus refugium pauperi.* [i] *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.* [l] *Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua.* [m] *Non in finem oblivio erit pauperum*; quia eos ad regnum destinavit. [n] *Ipsorum enim est regnum cœlorum.* Securiorem habent spem salutis. Nam [o] *Deus suscitat de terra inopem, & de stercore elevat pauperem.* Paupertatem Christus in hoc mundo elegit in nativitate, in vita, & in morte, hanc omnes ejus majores amici: hæc est via ad Paradisum secura absque compedibus divitiarum, quæ detinent, retrahunt, & retardant, quando ex toto non impediunt. Quare lætandum maximè, quia jam hyems paupertatis, & miseriarum transiit, jam flores incipiunt apparere, & per mortem fructus æternarum divitiarum comparebunt.

h Psal. 9. 10. i Psal. 67. 11. l Psal. 9. 17. m Psal. 9. 37. n Matth. 5. 3. o Ps. 112. 7.

133 Illos, qui longas passi sunt infirmitates, confortet cum D. Greg. [p] *Mala, quæ hic nos premunt ad Deum ire compellunt.* [q] *Melior est mors, quàm vita amara: & requies æterna, quàm langor perseverans.* Debent ergo animari, quia propè jam est finis dolorum, & approximat consolatio, & requies. [r] *Dominus enim mortificat, & vivificat, deducit ad inferos, & reducit.* Et quia per dolores, & tribulationes purgata sunt eorum peccata. [s] *Per multas enim tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* [t] *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Dicant ergo cum Aug. *Domine hic ure, hic seca, dummodo in æternum parcas*; certi sint quòd [u] *secundùm multitudinem dolorum meorum, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam.*

p Cant. q Eccl. 30. 17. r Reg. 2. 6. s Act. 14. 21. t Psal. 65. 12. u Ps. 93. 19.

134 Illos, qui in juventute moriuntur, confortet. Quia ita fortè expediebat ad eorum salutem, quam solùm curare debent. Poterant enim, si diu vixerent, damnari ob multa peccata, quæ committere poterant. Mori poterant morte repentina sine Sacramentis, aut etiam violenta, in qua periclitaretur eorum salus. Unde debent pro morte in tali tempore, tamquam pro speciali beneficio gratias exhibere: signum namque specialis providentiæ est in juventute aliquem à Deo vocari, ut probat illud: [a] *Placita enim Deo erat anima illius, propter hoc properavit illum deducere de medio iniquitatum, ne malitia fascinaret illum.* Quis enim scit, nisi solus Deus, an si diu vixissent, talia in peccata inciderent, quæ illos ad infernum detruderent?

a Sap. 4. 14.

135 Illos, quibus mors est dura, quia familiam numerosam relinquunt non satis provisam, confortet reducendo in memoriam familiam suam manere sub Dei protectione, [b] *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*; qui animalia agri, & volucres cœli sustentat; sustentabit suos etiam filios, maximè si fuerint boni, ut speratur. *Non enim*, dicebat David, [c] *vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ideò alibi precabatur Dominum: [d] *Benefac Domine bonis, & rectis corde*, ac si hæc esset, ut verè est, natura Dei. Quare solum sibi curandum nunc esse de salute animæ suæ, ut valeat in Paradiso pro filiis deprecari, qui certè exaudietur, si ex hac vita in gratia decedat, eosque Dei Omnipotentis Patris curæ committat.

b Matth. 5. 45. c Ps. 36. 25. d Ps. 124. 4.

136 Illos, qui tristantur de morte vicina, quia non habuerunt tempus satisfaciendi obligationibus, quas fortè habebant, vel implendi vota, restituendi aliena, aut resarciendi damna illata, confortet persuadendo Dei benignitatem, quæ tanta est, ut voluntatem acceptet, ubi vires non suppetunt: apud Deum voluntas de se efficax pro opere reputatur. Non sacrificavit Abraham re ipsa filium suum Isaac; quia tamen verè voluit, & per illum non stetit, non minus promeruit, quàm si realiter sacrificasset. Unde Dominus ad eumdem: [e] *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo propter me, &c.* Deus à nobis non vult impossibilia. Doleant ex corde de commissis, & de damno dato. Et si verè non possunt, dicant: Domine vellemus satisfacere, sed tu vides impossibilitatem nostram. Tu da illis bona, quæ ego injustè abstuli, & majora, quæ ego dare non possum; & certi sint, quòd eorum animæ non periclitabuntur.

e Gen. 22. 16.

137 Illos, qui tristantur de morte ex metu pœnarum, quas ob peccata timent in Purgatorio, confortet talem timorem non esse salutarem, quare convertendum in dolorem peccatorum propter Deum offensum, qui & peccata, & pœnas remittit saltem quoad partem, & tam posse esse perfectum, ut illas in totum remittat. Dicat fidelem hominem, qui novit Deum esse misericordem, & con-

condonare contritis, & humillatis corde, non debere tristari, sed dicere cum
f Ps. 70.1. fiducia: *f In te Domine speravi, non confundar in æternum*. Quia hæc firma spes in Dei misericordia, & in sanguine Christi pro nobis effuso, & dolor vehemens de peccatis ex vero motivo charitatis possunt ita purgare animam, ut omnes pœnas evadat; his ergo mediis procurandum est illas effugere, uniendo se ex toto cordis affectu cum Deo, à quo aliquando per peccatum recessit.

138 Illos, qui impatienter ferunt dolores infirmitatis, confortet tum compatiendo, id enim minuit impatientiæ causam; tum rationibus. 1. quia impatientia non sublevat, sed potiùs auget malum, & tollit meritum patientiæ, quod est magnum. 2. quia hæc mala mittuntur à Deo Patre, & medico nostro ad bonum nostrum: *g Quem enim
g Prov. 3.12. diligit Dominus, corripit; h flagellat au-
h Heb. 12. 6. tem omnem filium, quem recipit;* debereque proinde ut medicinam amaram, sed perutilem de manu Dei bono animo acceptare, & gratias agere, ut illi sit ad meriti coronam, & peccatorum satisfactionem. 3. quia Deus non relinquit peccata sine punitione, vel in hac vita, vel in futura: est autem multò meliùs hìc purgari, & quia pœna levior est, & quia cum merito conjuncta. 4. movere ad id possunt exempla Jobi, Tobiæ, Josephi, Davidis, beatæ Virginis, sanctorum Martyrum, & maximè Christi crucifixi, cui aliquo modo assimilari debemus patienter sustinendo Crucem, quam nobis dignatus est communicare, ut cum ipso regnemus.

CAPUT XIII.

Quomodo Parochus adjuvare debeat moribundum in tentationibus eo tempore occurrentibus?

139 SEmper diabolus in hac vita: *a circuit
a 1. Pet. 5.8. quærens quem devoret;* vires autem, & ingenium maximè acuit tempore
b Gen. 3.15 mortis: *b Tu insidiaberis calcaneo ejus*. Hoc est: Insidiaberis fini, ponens insidias, ac tentationes in fine vitæ. Ideo autem tunc magis satagit ad perdendum, quia novit se modicum tempus ad id habe-
c Apoc. 12. 12. re, ut dicitur in c Apoc. *Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quia modicum tempus*
d Thren. 1. 3. *habet*. Consonat Jerem. *d Omnes inimici ejus apprehenderunt eam inter angustias*; nempe mortis; quia si hinc evadat anima illæsa, non erit ultra tempus nocendi. Idcirco tempore illo habet se hostis humani generis: *e Tanquam* e Ps. 16.12.
leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis ad insidiandum.

140 Tres autem sunt præcipuæ tentationes, quibus diabolus moribundum aggreditur ad similitudinem trium lancearum, quibus f Absalom in morte f 2. Reg. 18. 14.
confossus fuit. Prima est spes vitæ longioris, ut infirmus de morte non cogitet, nec doleat de peccatis, prout oportet. Ad hoc verò ducit in memoriam alios, qui similia, & majora pericula evaserunt, multasque alias congerit rationes, ut persuadeat mortem vicinam non esse. Hæc est gravissima tentatio illius horæ, ut pœnitentia, vel differatur, vel saltem fiat, quando tempus non ita congruum est, quia deficiunt sensus, ratio, & advertentia. Unde benè D. Hieron. *g Nihil est, quod ita* h Ps. 101. 25.
genus humanum decipiat, quàm quòd dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi hujus possessionem repromittunt. Unde est illud egregiè dictum; *Nullum tam severa esse, & sic decrepitæ ætatis, qui non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur*. Ideo David: *h Ne revoces me in dimidio annorum*. Hoc est; Ne facias me mori, quando adhuc putabam me victurum, quia id me à vera pœnitentia retardare potest. Unde constat spem diu vivendi maximum esse impedimentum saltem multis ad seriam pœnitentiam agendam.

141 Secunda est circa mysteria fidei. i Matth. 4. 9.
Qui enim Christum ipsum de idololatria tentavit, quid erga nos miseros non audebit? Est enim sicut l Naas ille Am- l 1 Reg. 11. 2.
monites, cujus cura est eruere oculos dextros, ut omnibus simus opprobrium; nam sicut extincto lumine, omnia sunt in tenebris, & destructo fundamento, totum corruit ædificium; ita extincto lumine fidei, quod est fundamentum totius boni spiritualis, omnis corruit vis merendi ac Deo placendi; quia *m* m Heb. 11. 6.
sine fide impossibile est placere Deo, & salvum fieri. Ideo in hac parte hostis communis in fine vires suas intendit, suggerendo dubitationes, quibus assentientes nos tandem perdat.

142 Tertia est desperationis. Dum enim homo est sanus, ut liberiùs peccet, persuadet Deum esse clementissimum,

& infinitè misericordem ad parcendum: tempore verò mortis, illum repræsentat justissimum, & rectissimum in judicando, ac exactissimum in puniendo scelera commissa; & consequenter in memoriam revocat omnia peccata totius vitæ etiam minutissima, ad quæ fortè homo numquam advertit, quibus sic repræsentatis, suadet esse remedii incapacem, maximè si homo diu vixit salutis immemor. Si enim Viros sanctissimos in hac materia tentavit, ut nobis constat ex historiis, quid non faciet cum aliis, qui non ita sanctè vixerunt? Ad quos magis terrendos solet multoties apparere formidabilis, ut se ostendat animæ moribundi possessorem, seu in illam jus habentem, ut sic ad desperandum inducat.

143 Contra has, & similes tentationes debet pius Parochus munire moribundum 1. profunda humilitate, ut cognoscat se miserum, ac infirmum, qui de se nihil potest, nisi à Deo adjuvetur.
[m 1. Pet. 5. 6] Ideo S. Petrus dicebat: [m] *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis*. Et David: [o] *Custodiens* [o Ps. 114. 6.] *parvulos Dominus: humiliatus sum,*
[p Psal. 101. 18.] *& liberavit me.* [p] *Respexit Dominus ad Orationes humilium: & non sprevit preces*
[q 1. Pet. 5. 5.] *eorum*. Admoneat ergo moribundum [q] Deum superbis resistere, humilibus autem gratiam dare, ut diffidat de se ipso, de suis viribus, & meritis, & solum confidat in Christi sanguine, & morte.

144 2. Muniat illum Oratione, qua
[r Ps. 9. 10.] debet ad Deum recurrere, [r] *qui adjutor est in opportunitatibus*. Pro quo ipse, & circumstantes orare debent, quia oratio est singulare remedium ad tentatio-
[s Matth. 26. 41.] nes vincendas, juxta illud: [s] *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.*
[t Par. 20. 12] [t] *Cùm ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus, ut oculos nostros diri-*
[u Ps. 24. 15.] *gamus ad te.* [u] *Oculi mei semper ad Dominum, quia ipse evellet à laqueo pedes meos.*
[x Ps. 118. 86] Dicat ergo cum moribundo: [x] *Iniqui persecuti sunt me, adjuva me Domine Deus*
[z Ps. 118. 114.] *meus.* [z] *Adjutor, & protector meus es tu: in verbum tuum supersperavi.* [a] *Ne perdas* [a Ps. 25. 9.] *cum impiis Deus animam meam, & cum*
[b Isai. 38. 14.] *viris sanguinum vitam meam.* [b] *Domine vim patior, responde pro me.* [c] *Apprehende* [c Ps. 34. 2.] *arma & scutum: & exurge in adjutorium mihi*. His & similibus utatur, sicut S. Martin. qui in hora mortis oculis, & manibus in cœlum semper intendens invictum ab Oratione spiritum non relaxabat. Et hoc præsidio munitus infirmus certus dicat: [d] *Si consistant adver-* [d Ps. 26. 5.] *sum me castra, non timebit cor meum. Si exurgat adversum me prælium, in hoc ego sperabo.*

145 3. Muniat memoria passionis
Christi; quia, ut dicebat Aug. [e] *Cùm me* [e Man. c. 22.] *pulsat turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi: cùm diabolus parat mihi insidias, fugio ad viscera misericordiæ D. mei, & recedit à me: in omnibus adversitatibus non inveni tam efficax remedium, quàm vulne-*
ra Christi. Et Bern. [f] *Quid tam efficax ad* [f Ser. 72. in Cant.] *curandum conscientiæ vulnera, nec non ad purgandam mentis aciem, quàm Christi vulnerum sedula meditatio*. Ostendat ergo Parochus suo moribundo Christum Crucifixum, & dicat: Ecce salus tua: ecce qui ad te salvandum passus est: non vult te condemnare, qui talia pro te sustinuit: intra in hæc vulnera: lavare sanguine isto: spera in tanta misericordia: pedes habet clavis affixos, ne te fugiat: brachia extensa, ut te amplexetur: te expectat, ut meritis suis peccata tua deleat. Et alia similia, quæ charitas, & devotio facile suggeret.

146 Quartò, consulat, ut diabolum contemnat; quia cùm sit superbissimus, contemnentes se fugit, & despicientes se relinquit. Totum se ad Christum convertat sciens post Christum diabolum vires non habere, maximè contra illos,
qui ad Christum confugiunt. [g] Unde re- [g 1. Pet. 5. 9.] sistat fortis in fide ponendo totam suam fiduciam in Christo. Sic enim vincitur
superbus Goliath. [h] *Tu venis ad me in gla-* [h 1. Reg. 17. 45.] *dio, & clypeo; ego autem venio ad te in no-*
mine Domini exercituum. [i] *Nullus enim spe-* [i Eccl. 2. 11.] *ravit in Domino, & derelictus est.* Nam [l] [l Ps. 61. 8.] *tu es spes mea, Deus auxilii mei;* [m] *In te spe-* [m Ps. 30. 2.] *ravi non confundar in æternum.*

147 Jam verò ad vincendas tres illas speciales tentationes. Proponat illis, qui spe vivendi non se præparant ad moriendum, esse dæmonis tentationem, qui eos vult imparatos. Dicat remedia animæ non nocere vitæ corporali, sed potiùs juvare; quia corpus, propter conjunctionem cum anima, meliùs se habet, si anima benè valet. Dicat hoc unum esse necessarium, nempe æternam animæ salutem, quæ à bona morte dependet. Rem hanc tanti momenti non esse ponendam in periculo: multos, quia numquam sibi persuaserunt in ultima infirmitate morituros, distulisse

poe-

pœnitentiam, quàm postea perficere non potuerunt. Esse valde contingens, quòd sensuum, & rationis usum amittat, & moriatur ut bestia; ideoque sanæ mentis esse, dum tempus datur animæ suæ consulere, quia semel perdita, omnia perduntur cum ea.

148 Quoad secundam, consulat, ut nihil respondeat diabolo, nec ejus dubiis velit satisfacere; quia audiendo, & respondendo multi perierunt. Imitetur illum, qui in hora mortis tentatus de fide diabolo roganti quid crederet, respondit: Credo, quod credit sancta Mater Ecclesia. Et iterum roganti, quid crederet sancta Ecclesia, respondit: credit, quod ego credo. Et replicando. Quid credis tu? Reddidit credo, quod credit sancta Mater Ecclesia. Et sic illum illusit. Demoni igitur quamvis multa repræsentanti dicat: Credo quid quid credit sancta Mater Ecclesia Catholica, & Apostolica, cujus caput sub Domino meo Christo est Romanus Pontifex; illa est columna, & firmamentum veritatis; illa tibi pro me respondebit; disputa cum illa, si vis, mihi satis est credere, quod illa credit, cujus fides non rationibus nititur humanis, sed æterna Dei veritate.

149 Ad quod etiam juvabit facere protestationem fidei. Dicendo Symbolum Apostolorum. Credo in Deum Patrem omnipotentem, usque ad finem; addendo: Protestor coram Deo, & universa ejus curia cœlesti, & coram Angelo meo custode, & vobis circumstantibus, quòd in hac fide, secundùm intelligentiam sanctæ Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ, & in unione corporis ejus sub capite Domino nostro Jesu Christo, & ejus in terris Vicario vivere, & mori volo. Et si fortè per delirium aliquod verbum ex ore meo excidat, quod aliter sonet; protestor quòd illud non est meum, sed hoc tantùm, quod hìc protestatus sum. Et loquens cum Deo dicat: [n] *Domine illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.* [o] *Domine vim patior, responde pro me.* [p] *Ne tradas bestiis animam confitentem tibi.*

n Ps. 12.4.

o Isai. 38. 14.

p Ps. 73.19.

150 Quoad tertiam quamvis diabolus ei proponat multitudinem peccatorum, & suggerat serò illorum pœnituisse: Proponat Parochus promissiones Dei infallibiles. [q] *In quacunque hora ingemuerit peccator, non recordabor omnium iniquitatum ejus.* Deum semper esse paratum ad recipiendum peccatorem verè pœnitentem, ut recepit prodigum: [r] *Ibo ad Patrem meum.* Deum esse Patrem, hocque nomine voluisse à nobis appellari, & ut talem omnes amanter recipere, qui ad ipsum ex corde convertuntur, quamvis sicut prodigus totam vitam luxuriosè vixissent, dissipando omnia gratiæ dona; Patrem non velle filium perire, quia [s] *intus est ipse, qui intervenit, & exorat affectus.*

q Ezech.

r Luc. 15. 18.

s Chrys. l. ibi.

151 Si diabolus suggerat Deum castigare peccatores. Respond. [t] castigare quidem impœnitentes, parcere autem pœnitentibus, etiam quando sera est pœnitentia, si vera sit. Sic pepercit latroni in fine vitæ, etsi malè semper vixerit. Sic [u] Magdalenæ, quæ ad ipsum ex corde pœnitens accessit. Sic [x] Zachæo publicano, & usurario, & promisit non ejecturum venientes ad se; imò ad veniendum invitavit: [z] *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis,* nempe peccatorum sarcina. Dicat proprium esse Dei misereri semper, & parcere, ut canit Ecclesia: [a] *Misericordia ejus supra omnia opera ejus.* [b] *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum super timentes eum.* [c] *Misericordia Domini plena est terra.* Dicat Christum esse Jesum, seu Salvatorem: [d] *qui salvum faciet populum suum à peccatis eorum;* venisse in hunc [e] mundum salvum facere, quod perierat; nolle mortem [f] peccatoris, sed ut convertatur, & vivat; ipsum ostendere patri vulnera pro nobis accepta; advocatum [g] nos habere apud patrem Jesum Christum justum, qui est propitiatio pro peccatis nostris; dicat majus peccatum fecisse Judam in desperando de Dei misericordia, quàm in vendendo Christum; in nihilo magis Deum offendi, quàm in diffidendo de ejus misericordia; quia qui de ea desperat, mendacem ipsum credit. His & aliis, quæ Spiritus sanctus suggeret, animabit Parochus in spe laborantem, & disponet ad pœnitentiam, quæ, si vera est, omnia peccata delet.

t Luc. 23. 43.

u Luc 7.17

x Luc. 19 9.

z Matth. 11.28.

a Ps. 144.9.

b Ps. 102.17

c Ps. 118. 64.

d Matth. 1.21.

e Luc. 19. 10.

f Ezech. 33.11.

g 1. Joa. 2.1.

CAPUT XIV.

Quibus præcipuè actibus Parochus moribundos in suo agone adjuvare debeat.

152 PRocurabit charitas Parochi moribundum præcipuè exercere in actibus virtutum Theologalium, & in contritione peccatorum, dum ipse sensibus, & usu rationis pollet: quia per actus harum virtutum anima magis Deo unitur, & magis roboratur ad superandas tentationes.

153 Igitur circa fidem adjuvet protestando eam non semel. Et si fortè moribundus sit rusticus, qui licèt omnia credat, quæ ad fidem pertinent, non tamen ita explicitè, ut oportet, dicat cum eo Symbolum Apostolorum; & ad majorem consolationem, & expressionem fidei professionem, potest per modum Orationis cum eo in hunc modum dicere.

154 Commendo me tibi sancta Trinitas, Pater, Fili, & Spiritus sancte, qui in unitate substantiæ unus, & verus es Deus: commendo me tibi Pater omnipotens, qui me, imò & cœlum, & terram, & omnia visibilia, & invisibilia creasti: commendo me tibi Domine Jesu Christe, qui propter me, & generis humani salutem missus ab æterno Patre in hunc mundum, virtute Spiritus sancti conceptus, & natus homo es de Maria Virgine, passus, mortuus, & sepultus, ad inferos descendisti, & liberatis inde sanctis Patribus, & aliis justis, resurrexisti die tertia, & ascendisti cum omnibus, quos eduxeras, in cœlum, & sedes ad dexteram Patris, inde venturus in die judicii ad homines, qui tunc resurgent in corporibus suis, simul judicandos, ut illos, qui in gratia tua mortui fuerint, vitam æternam dones; eos qui in peccato mortali sine pœnitentia decesserint, in supplicium æternum condemnes. Commendo me tibi Spiritus sancte, qui à Patre, & Filio procedis, quem cum Patre, & Filio simul adoro, & glorifico, qui vivificas unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam, in qua septem Sacramenta ad peccata remittenda, & gratiam tuam hominibus per ea conferendam constituisti, & supplex à te peto per Jesum Christum mediatorem nostrum, & per B. ejus matrem, per Angelos, ac sanctos tuos, ut me ad beatitudinem, quam tuis electis præparasti simul cum Patre, & Filio perducere digneris, ut simul cum illis perpetuò dicam: [a] *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* a Isai. 6. 3.

155 Circa spem duo curare debet; alterum, ut in moriente desiderium beatudinis excitetur; alterum, ut in confidentia de ea obtinenda augeatur. Desiderium igitur excitabit dicendo: Charissime N. bono estò animo, jam accedit finis peregrinationis tuæ, laborum, & afflictionum, quibus plena est vita præsens. Dic cum Propheta: [b] *Lætatus sum in iis, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus*, ubi nulla molestia, dolor nullus. Erige mentis tuæ oculos ad cœlestem illam civitatem, ubi nullum periculum peccandi, tentationes nullæ, sed præteritorum laborum fructus jucundissimus capietur. Quàm libenter ibi cantabis cum aliis electis: [c] *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quàm jucundum erit nulla jam in re offendere divinæ majestatis oculos, sed vivere [d] *in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus nostris?* Charissime, [e] *Non habemus hic civitatem permanentem, sed futuram inquirimus*, scilicet, patriam nostram cœlestem, civitatem pulcherrimam, spatiosissimam, amœnissimam. Dic ergo cum sancto David: [f] *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: quia melior est dies una in atriis tuis super millia.* O quàm gaudebis, cùm ibi invenies cives tam amabiles, tam nobiles, tantæ dignitatis, ut omnes sint Reges, ut ipsi fatebantur in Apoc. [g] *Fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram* viventium, ubi summa quies, ubi vita perpetua, perfecta, & jucundissima, ubi mors exulat, & omnes sunt filii Dei, & hæredes cum Christo. Quàm jucundum erit versari cum societate tam numerosa Angelorum, omniumque Beatorum, qui omnes sapientia, & virtutibus splendidissimis ornantur, & tanta charitate se ad invicem diligunt, ut propter eam singuli omnium aliorum bonis tamquam propriis fruantur.

b Psal. 121. 1.
c Ps. 65. 12.
d Luc. 1. 75.
e Heb. 13. 14.
f Ps. 83. 1.
g Apoc. 5. 10.

156 Ne sis charissime solicitus de corpore tuo, quia per mortem seminabitur quidem in terra, ut resurgat suo tempore victurum in cœlo, multò meliùs dispositum, quàm nunc est. Nam *semina-*

h 1.Cor.15. 43. *minabitur in corruptione, resurget in incorruptione: h Seminabitur in ignobilitate, surget in gloria; Seminabitur in infirmitate, surget in virtute. Seminabitur corpus animale, surget spiritale.* Cura ergo de sola anima, quæ cùm primùm soluta fuerit, poterit Deum videre facie ad faciem, cum cujus visione juncta est fruitio summi boni, & possessio æternæ summæ jucunditatis, de qua Apo-
i 1.Cor.2.9. stolus ait: i *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quanta sit magnitudo jucunditatis, quam præparavit Deus diligentibus se:* de quâ
l Ps.35. 9. David: l *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ.*
m Ps.41.1. Dic ergo cum eodem David: m *Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

157 Ad promovendam fiduciam de obtinenda beatitudine, dicat charissime N. si valde amabilis, & desiderabilis est tibi gloria Beatorum, vires tuas debiles non consideres, sed scias, quòd Deus,
n Ps.83.12. cujus n est dare gratiam, & gloriam, vult tibi eam conferre, quia bonitas est infinita, & per suammet naturam sui diffusiva, & communicativa suæ beatitudinis, & tam generosus, & nobilis est, ut libentiùs det magna, quàm parva. Adde quòd amat te, ut artifex amat opus suum, & ut pater filium suum, cujus bonum magis desiderat, quàm ipse filius. Unde non tam ardenter tu ipse beatitudinem cupis, quam Deus cupit eam tibi dare. Confide ergo in ejus bonitate, ad hoc enim, ut beatus esses, te creavit, & ut perditum per primos parentes jus recuperares, filium suum unigenitum morti tradidit, & in Baptismo restituit, ubi te in filium adoptavit, & hæredem. Et cùm per propria peccata illud sæpè perdideris, per pœnitentiam, in virtute sanguinis Christi, sæpè te in pristinum statum restituit, ut sis filius, & hæres regni sui. Si te ergo fugientem toties quæsivit, quantò magis modò cupientem, & quærentem te ad regnum suæ gloriæ promovebit?

158 Verte, quæso, oculos ad Christum Dominum, & considera, quæ pro te agere, & pati dignatus est; ad ipsum autem pertinet beatitudinem tibi donare, qui tantoperè te amavit, & beatum facere concupivit, ut propterea factus sit homo, mortuus sit in cruce, in cibum se tibi tradidit in Eucharistia, ut sicut se tibi in hac vita dat velatum ad meritum, ita in futura se tibi det revelatum ad gloriam. Quomodo ergo te non faciet cohæredem, qui pro te nihil petente dedit vitam suam? Quomodo te supplicem cum humilitate, & spe petentem non exaudiet? Quomodo despiciet intercessores tuos, quos apud ipsum habes, nempe B. ejus Matrem Dominam tuam, quæ semper causam tuam egit. Dic ergo illi: *Eja ergo advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.* Habes Angelorum choros, & Angelum tuum custodem, omnesque Sanctos, maximè illos, qui tibi semper patroni fuerunt, invoca eos cum fiducia.

159 Circa charitatem adjuvet 1. proponendo Dei amabilitatem ob bonitatem, & perfectionem suam, ob quam dignissimus est toto amore; quia ipse solus bonus, solus perfectus, solus amabilis, ita ut quidquid bonitatis, perfectionis, & amabilitatis in omnibus simul creaturis reperitur, sit quædam exigua stilla, quæ ab ipso tamquam ab oceano totius perfectionis derivatur. Commendet deinde eamdem amabilitatem ob charitatem, qua o *ipse prior dilexit nos* majori affectu, quàm ullus unquam pater filium dilexit. o 1.Io.4.19. Tandem ob beneficia tam naturæ, quàm gratiæ, per quæ discurrere potest, ut sic appareat, quàm dignus sit amore, & quàm amabilis. Quod si benè consideretur, rapietur totus intellectus, & totus noster affectus.

160 Dicat ergo sic: Domine Deus meus diligo te p *ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente, ac totis viribus* p Deut.6. 6. Matth.22. 37.
meis. Auge tu Domine mi gratiam tuam in me, ut ego te diligam quantum est possibile, quia diligere te secundùm tuam amabilitatem creaturæ non datur: q *Defecit caro mea, & cor meum: Deus* q Ps.72.26.
cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Considerando amabilitatem tuam, ob quam te super omnia diligo, & omnia in te, & propter te, & secundùm te? tu mihi es omnia in omnibus, & nihil volo extra te. Quis mihi tribuat, ò bonitas infinita, ut te perfectè diligam? Quando occupabis totum cor meum? Quando totus ero tuus, sicut me tibi totum multis modis, & titulis debeo.

Veniat jam hora illa, qua totum me possidere digneris, & totum cor meum tibi ego præbere possim. Domine Jesu, si me tibi toties debeo pro mihi à te collatis beneficiis, quod tibi debeo pro te, qui in infinitum melior es me? Adde quæso hoc beneficiis tuis, ut sine modo, ac amore purissimo diligam te nunc, & in sempiternum. Congaudeo, & congratulor, Deus meus, de infinita magnitudine perfectionis, pulchritudinis, sapientiæ, potestatis, & completissimæ felicitatis tuæ, & eam incomparabiliter pluris æstimo, quàm si mea esset, eam verò, quam à tua bonitate spero, æstimo, quia tua, & in gloriam, & honorem tuum redundabit.

161 Procuret 2. ex his affectibus moribundi compunctionem, ut melius conteratur, & dicat cum illo: Heu me infelicem peccatorem, qui tantam bonitatem, tantam majestatem Dei mei toties rebus vilissimis postposui: hei mihi, qui cui debui totis meis viribus placere, venerari, & obedire, eum potius offendi, comtempsi, & mandata ejus neglexi.
r Ps. 20.4. Amantissime Pater, qui [r] prævenisti me in benedictionibus dulcedinis, qui miserum, & vilem peccatorem sic amasti, & honorasti: ego sum ille ingratus, & omni supplicio dignus peccator, qui talem Patrem, talem amatorem, talem benefactorem toties, & tam graviter offendi. Domine Jesu, qui ut mundares animam meam, & lavares eam à tot peccatis, sanguinem tuum effundere dignatus es; ego autem infelix, & miser stolam illam puritatis in Baptismo acceptam multis modis maculavi. Heu me, pro tanta tua in me charitate, & beneficentia tot offensas ingratissimè retribui. Quid faciam miser? quò fugiam,
s Ps. 50.19. nisi ad te, qui [s] *cor contritum & humiliatum non despicies*. Doleo, Domine, quòd tantam bonitatem spreverim: displicent mihi peccata mea, quia tibi displicuerunt: pœnitet me peccasse, quia contristavi bonitatem tuam, quam solam amare debueram: vellem potiùs millies mori, quàm Deum tam amabilem semel offendisse. O si fuissem tam felix, ut numquam te offendissem! Sed
t Joel.2.13. [t] *bonitas tua præstabilis est super malitia mea*. Heu, Domine, cor istud resolutum ad voluntates tuas faciendas acceptabis, & applicabis mihi efficaciter pretiosissimam mortem tuam, & plenè satisfacies pro misero isto servo tuo, qui in te confidit, & sperat: dignare, ne in æternum confundar.

162 *Miserere* [a] *mei Deus, secundùm magnam misericordiam tuam. Et secundùm multitudinem miserationum tuarum, dele iniquitatem meam. Ampliùs lava me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco; & peccatum meum contra me est semper. Tibi soli peccavi, & malum coram te feci. Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata. Averte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus: & Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me à facie tua: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.* His, & similibus vel in in totum, vel in partem, prout Parochus in Domino judicaverit, adjuvabit moribundum lingua vernacula, si latinam nesciat. a Ps. 50.2.

CAPUT XV.

Exhortationes variæ moribundo à Parocho cum devotione faciendæ.

Habens Crucifixum in manu dicat: N. inspice hanc imaginem Christi crucifixi Redemptoris, & Domini tui, & dic ei mecum: [a] *Pone me, Domine, juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* [b] *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo? Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum. Quoniam fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.* In hoc solo Domino Deo tuo confide, fili, qui te solus adjuvare potest in hac hora. In omnibus laboribus, quos pateris, confuge ad hæc vulnera. Huc figunt corda sua, qui vera quærunt gaudia. Depone de corde tuo omnem terrenum amorem, pone totum in tuo Redemptore, qui te ita amavit, ut Crucem ipsam pro te subierit. Dic: [c] *Mihi Christo adhærere bonum est, & ponere in eo totam spem meam.* Domine Jesu in te confido. 163 a Job 17.3. b Ps. 26.1. c Ps. 72.28.

164 2. N. [d] *Jacta cogitatum tuum in Dominum Deum tuum, & ipse mittet tibi auxilium de sancto: & de Sion tuebitur te.* d Ps. 54.23.

[e Ps. 19. 1.] *tu. [e] Exaudiet te Dominus in die tribulationis, proteget te nomen Dei Jacob*. Recordare, quòd Dominus est in adjutorium tuum cum Angelis suis, *quibus* [f Ps. 90. 11.] *[f] mandavit de te, ne offendas ad lapidem pedem tuum*. Adest tibi Angelus tuus custos tamquam fidelis amicus, ut te defendat in hac hora. Adest patrocinium Virginis sanctissimæ, quæ tamquam maris stella te deducet ad portum salutis. Adest intercessio Sanctorum omnium, qui pro te rogant. Dic ergo: *Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, & hora mortis suscipe*. Dic: Omnes sancti Angeli, omnesque sancti, & sanctæ Dei intercedite pro me.

165 3. N. Dic: Domino tuo in hac [g Ps. 24. 16.] cruce pendenti: *[g] Respice in me, & miserere mei*. Domine Jesu, [h Ps. 41. 8.] *[h] abyssus abyssum invocat*: abyssus miseriæ meæ invocat abyssum misericordiæ tuæ. Major est misericordia tua, quàm iniquitas mea. Pone, bone Jesu, oculos tuos piissimos in te; ibi videbis, unde condolere valeas miseriæ meæ: moveant te vulnera tua ad removendos oculos tuos ab iniquitatibus meis. In me nulla sunt merita; tua sunt infinita; hæc respice propter nomen tuum. Noli, Domine, me judicare secundùm actum meum, sed secundùm ea, quæ in te video, quæ omnia me invitant ad sperandum. Spero in [i Isai. 38. 17] passione tua, quòd *[i] projicies post tergum tuum omnia peccata mea*, & solùm respicies ad sanguinem tuum pro me effusum, cujus una stilla sola totum mundum lavare potest, ut illo ablutus securus comparere possim in tremendo judicio, [l Exod. 12. 23.] cui sum vicinus, memor quòd si [l] vastator Angelus non est ausus nocere illis, quorum postes liniti fuerant Sanguine agni figuræ tuæ, minus audebit contra me tuo vero sanguine toties dealbatum.

166 4. N. Dic: Domine Jesu sum in hoc periculoso mari navigaturus ad portum, fac mihi hanc misericordiam, ut in cymba crucis tuæ securus transeam ad te, sicut tu in eadem ex hoc mundo transisti ad Patrem, in quo transitu li- [m Ps. 68. 3.] cèt passionis tempestas [m] te demerserit, ne ego demergerer in profundum inferni, crucem tuam sanctificasti ad superandas tempestates, maximè hujus horæ. Illa ergo, Domine Jesu, me defendat à tempestatibus præsentibus, sine qua certum erit naufragium: illa me deducat ad portum salutis. O Crux venerandа, spes unica afflictorum, deduc me ad Dominum meum, qui pro me in te pependit. O bone Jesu, in meritis crucis tuæ confido, non illam tam libenter ascendisti, ut me perderes: salva me, Domine, in hac hora, ut securus ad te perveniam.

167 5. N. Dic: *[n] In baculo isto*, Crucis tuæ, Domine Jesu, *transibo Jordanem istum*: [n Gen. 32. 10.] *[o] Virga enim tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt*. [o Ps. 22. 5.] Quid esset de me misero peccatore sine hoc sustentaculo? Ego semper claudicavi in lege tua; sed Crux ista est claudorum baculus. Pauperrimus sum bonorum cœlestium, quæ toties dispersi, ut verè prodigus; sed Crux ista est consolatio pauperum, in ea consolaberis paupertatem, & inopiam meam.

168 6. N. Dic: Domine Jesu, qui dixisti per tuum Prophetam: *[p] Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat*: [p Ezech. 33. 11.] credo, Domine, hanc esse tuam piissimam voluntatem. *[q] Converte me, Domine, & convertar; salva me, & salvus ero*. [q Thren. 5. 21.] Nihil habeo, nisi cor contritum, & hoc ex tua gratia, & misericordia, à qua suppliciter peto, ut perfectè conteratur; quia *[r] cor contritum, & humiliatum non despicies*. [r Ps. 50. 19.] Doleo de peccatis meis, quia per illa te offendi, quem super omnia diligere debueram. Vellem, Domine, te numquam offendisse; optarem te semper amasse, & Sanctissimam voluntatem tuam in omnibus implevisse, quod pro mea miseria non feci, de quo maximè doleo. Ad te confugio Deus meus; & licèt serò, te toto corde amplector, te diligo, & diligam; & si vita duraverit, spero in tua misericordia te ulterius non offensurum, sed per omnia, & in omnibus tibi placiturum. Da mihi, Domine, per Crucem tuam spiritum compunctionis, ut hæc radicentur in corde meo. Scio pietatem tuam hanc voluntatem velle; hanc tu misericorditer dedisti; hanc conserva, & auge, donec ad te amantissimum Dominum meum perveniam.

169 7. N. Dic: Domine Jesu, in manibus [s] tuis scripsisti me sanguine [s Isai. 49. 16] tuo; lege, Domine, scripturam istam, & recordare mei. *[t] Operi manuum tuarum porrige dexteram*. [t Job 14. 15.] Creatura tua sum; vide in me, quod in me posuisti, non quod ego de meo addidi. [u Ps. 30. 6.] *[u] In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti*

me Domine sanguine tuo; ne patiaris, ut tantum pretium in me irritum evadat. Nunc est tempus miserendi: misericordias tuas ne obliviscaris in finem: ne me relinquas in tempore tribulationis: adjutor es in opportunitatibus; nunc est maxima miseria, & ideo miserendi tempus. Moveat te charitas tua, & patrocinium sanctissimæ Matris tuæ, quod imploro, & in quo, post te, confido, & amicorum tuorum, qui tecum regnant. Obliviscere, Domine, iniquitatum mearum, & recordare miserationum tuarum, quæ à sæculo sunt. Si me derelinquas, ut ego mereor, perditus sum; si adjuves, securus. Ideo in te spero, & sperabo: * *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*.

x Iob 19.27

CAPUT XVI.

Protestationes à moribundo faciendæ Parocho dirigente, & præeunte.

170 SI moribundus sit in suis sensibus, facto signo Crucis super illum, dicat Parochus: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Ego N. miser peccator in conspectu divinæ majestatis, quæ me judicabit, & in præsentia Angeli mei custodis, & tua, pater spiritualis, & omnium circumstantium profiteor me velle, & desiderare mori in illa vera, & Catholica fide, quam tenet sancta Mater Ecclesia Romana, & Apostolica, in qua mortui sunt omnes Sancti, & fideles Christiani. Et in hujus voluntatis signum, credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ. Et dicat paulatim totum Symbolum Apostolorum lingua vernacula, si moribundus inscius fuerit latinæ.

171 Profiteor quoque me nolle vivere, nisi quandiu placitum fuerit divinæ voluntati, cui in omnibus meam submitto, profecturumque ex hac vita in vera fide, sine aliquo dubio in illa, cum firma spe salutis meæ in meritis Salvatoris mei, & pietate Patris cœlestis, quin nec gravitas peccatorum meorum, nec eorum numerus me ab hac spe dejiciat; quia certus sum minimam guttam sanguinis Salvatoris mei satis fuisse ad redimendum totum genus humanum, nedum peccata mea; & ita in eo spero me misericordiam consecuturum, & veniam; ad quod etiam imploro merita sanctissimæ Virginis Matris Domini mei protectricis meæ, & Sanctorum omnium, à quibus humiliter peto, ut dignentur mihi patrocinari in hac hora mortis meæ.

172 Profiteor etiam, si fortè ex pusillanimitate spiritus, vel ex timore judicii Dei, cui in brevi sistendus sum, vel ex tentatione inimici, aut ex debilitate judicii, quod Dominus avertat, incurram in aliquam desperationem, aut dubium circa mysteria fidei, ex nunc, cum judicio, ac ratione, qua valeo, omnia revocare, cassare, & annullare, & velle firma, & rata non habere; & declaro non profectura ex animo sano, & deliberato, ut spero de divina bonitate, cui soli placere volo.

173 Profiteor quoque, supposito quòd divina misericordia nulli peccatori contrito, & confesso denegatur, me ex toto corde desiderare, & humiliter petere à Domino Deo meo, ut me illius participem facere dignetur, concedendo mihi veniam peccatorum meorum, propter merita passionis suæ, & pretiosum sanguinem pro me in Cruce effusum, & per intercessionem sanctissimæ Matris suæ Dominæ meæ, quam meam advocatam volo, & patronam, & precor, ut me adjuvet, & defendat in hac hora tantæ necessitatis cum omnibus justis, & sanctis, qui Domino meo in hac vita fideliter servierunt.

174 Profiteor ulterius cum omni humilitate me expectare, & petere à divina pietate, ut dignetur me recipere in numero suorum electorum, non obstantibus peccatis meis, propter quæ infernum mihi solùm debetur. Peto tamen à Domino meo Jesu Christo, ut aspiciat vulnera, quæ pro me suscepit, illaque ostendat Patri suo, ut propter illa me à facie sua non abjiciat, nec irascatur contra me, ut infinitis titulis mereor. Nam in ejus meritis, & Passione sanctissima sita est fiducia, & omnis spes mea, ad quam appello, & confugio tamquam ad anchoram unicam æternæ meæ salutis.

175 Postremò, Angele Dei, qui custos es mei, tibi commendo animam meam, ut illam defendas in hac hora immemor ingratitudinis meæ, qua toties respui salutaria consilia tua, & monita; quia tamen sanctus, & justus es, & tibi commendata est salus mea, non

potes

potes deesse piissimo officio tuo; ideo supplex à te oro, ut mihi impetres in hac hora unum saltem suspirium animi verè contriti & humiliati, ut sicut Dominus meus, & tuus in Cruce gemuit, & suspiravit salutem meam, ita ego gemendo offensas divinæ majestatis vitam claudam, ut animam verè pœnitentem ante tribunal divini judicis repræsentes salvam, & incolumem, ut Deum nostrum tecum perpetuò laudare possim. Ad majorem autem consolationem meam has breves orationes pro me offerre digneberis.

176 Domine Jesu Christe, reparator meus es tu: instaura ergo, quæso, quod ego destruxi in me ipso, abutendo donis tuis contra te, & contra proximos malo exemplo, verbis, & actionibus meis, te ipsum graviter offendendo. Repara, quæso, detrimenta vitæ meæ, quam, heu, nimis inutiliter, & malè transegi, perdendo dona tua, committendo quidquid prohibebas, & omittendo, quæ agere debui ad gloriam tuam; ad profectum meum, & proximorum: sed tu, Deus meus, de thesauro tuo inexhausto resarcire potes omnia hæc damna mea. Supple etiam, amantissime Jesu, imperfectionem actionum mearum, quæ propter meam tepiditatem, & admixtionem vanitatis, aliarumque mearum distractionum exigui, aut nullius sunt valoris, & meriti, nisi de tua plenitudine illarum defectum suppleveris: conjunge, obsecro, indignissima obsequia mea, cum omnibus, quæ tu egisti, & passus es ex tam perfecta obedientia, & charitate; & cum divitiis satisfactionum, ac meritorum tuorum illa æterno Patri offerre digneris, ut de tua plenitudine paupertas mea ditetur coram tua divina justitia, & bonitate, ac misericordia infinita.

177 Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui etiam servi [a] nequam bona tua dissipantis misertus, omne ejus debitum dimisisti, quia rogavit te; ego servus ille nequissimus, qui toties non temporales solùm pœnas, sed æternas promerui; à te tamen suppliciter peto, ut propter bonitatem tuam, & propter passionem, & mortem Domini Jesu Christi, in quo omnes [b] nostras iniquitates posuisti, condones mihi universa delicta mea, & pœnas propter ea debitas, quæ æternæ esse debent, dimittere digneris.

[a] Matth. 18
[b] Isai. 53. 6.

178 Domine mi Jesu, cui Pater [c] omnium judicium dedit, qui dixisti: [d] *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis peccata vestra.* Ecce ego ex toto animi mei affectu dimitto propter te omnibus, qui me quoquo modo offenderunt, & si in multo pluribus me offendissent, propter te paratus essem eis libenter dimittere. Clementiam ergo tuam precor, ut secundùm multitudinem miserationum tuarum, & veritatem tuarum promissionum, efficaciter mihi applices satisfactiones, quas pro me persolvisti, & perfectè dimittas peccata mea, veniam ad culpas, & pœnas extendendo, ut ex ergastulo corporis hujus educta anima mea citiùs ad confitendum nomini tuo, & misericordias tuas in æternum cantandas perveniat. Similes aliæ Orationes ex dictis formari poterunt.

[c] 1. Ioa. 5. 22.
[d] Matth. 6. 14.

CAPUT XVII.

Quomodò commendanda sit à Parocho anima moribundi?

COmmendatio animæ hìc sumitur pro precibus illis, quæ habentur in Rituali, & ponuntur ad finem Breviarii, & Diurni sub hoc titulo: *Ordo commendationis animæ.* Quæ quidem commendatio sancta res est, & à Spiritu sancto, qui regit Ecclesiam, profecta. Generaliter verò sumitur pro quolibet juvamento spirituali, de quo actum est capitibus præcedentibus, quo maximè est utendum, si moribundus sensibus suis, ac ratione polleat; quia magis fructuosum est moribundum inducere ad dolorem peccatorum, ad veram pœnitentiam, ad actus contritionis, charitatis, spei, & fidei, & similes per bonas Orationes jaculatorias desumptas ex scripturis, quarum multas hujuscemodi suprà retulimus. Si sit commoditas, alii adstantes commendent animam in ultimo jam agone positam per Litanias illas, & preces; quia oratio multùm juvat in illo conflictu; Parochus verò assistat cum Crucifixo animando, & repetendo modò hæc, modò alia ex suprà positis, prout magis expediens, 179

diens, ac opportunum in Domino judicaverit.

180 Si verò moribundus auditu careat, aut rationis usu, relinquat jaculatorias, orationes, exhortationes, & protestationes suprà positas: quia parum pro tunc prosunt, & agat caussam moribundi oratione sua, & adstantium; & adjungat commendationem animæ; quia est oratio publica Ecclesiæ multum habens spiritus, ac devotionis, & circumstantes respondeant. Curet verò semper esse aquam benedictam; qua sæpè aspergatur infirmus, & domus ipsa, quia illius vis est mirabilis contra dæmones.

181 Si in commendatione Parochus viderit infirmum validè à dæmone vexari, expediet, ut orationi suæ jungat orationes adstantium, faciendo ut respondeant ad Litanias cum omni devotione possibili, vel repetant, quæ ipse clarè pronuntiaverit, ut oratio multiplicata sit efficacior. Multùm verò juvat invocatio sanctissimi nominis Jesu, & ejus Matris sanctissimæ, & aspersio aquæ benedictæ ad fugandos dæmones, recitatio Psalmi: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus*, qui habetur in matutino feriæ quartæ; & Euangelium sancti Joannis: *In principio erat verbum*.

182 Si, finita commendatione, anima adhuc vexatur, & non dissolvitur; potest repeti à principio, vel possunt dici Psalmi: *Confitemini* 117. qui habetur in prima Dominicæ, & 118. *Beati immaculati in via*, qui distribuitur per omnes horas minores, prout notatur in Rituali, & Breviario, quibus addi possunt Psalmi Pœnitentiales.

183 Possev. [a] admonet fructuosius sibi videri crebris orationibus jaculatoriis mixtis cum gratiarum actionibus teneri mentem infirmi excitatam, excitando illam ad contritionem, ad amorem Dei, ad spem vitæ æternæ, ad conformitatem cum divina voluntate, ac reliquos actus pietatis, de quibus in superioribus actum est. Hoc tamen est intelligendum, ut jam advertimus, si moribundus habeat sensus expeditos, & rationis usum; quia si sensibus destitutus sit, hæc parùm prodesse possunt. Et ideo tunc melius erit Orationibus, & Psalmis uti prædictis, invocando sæpè sanctum Jesu nomen, & beatæ Virginis ad terrorem inimicorum invisibilium.

a Cap. 13. n. 15.

184 Advertere autem debet circumstantes, ut sint cum devotione, & orent pro moribundo, quia multùm juvat animam oratio fidelium. Ut sumitur ex illo Matth. [b] *Jesus, ut vidit fidem illorum, dixit Paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Nec permittat, ut agonizante moribundo misceantur sermones de rebus temporalibus; nec sint præsentes filii, & uxor, & similes personæ, quæ cum lacrymis, & planctu perturbent infirmum; & minus permittere debet esse præsentes personas, cum quibus infirmus, dum vixit, habuit turpem amicitiam; imò curare debet, ut à loco illo amoveatur quidquid adducere possit in memoriam res mundanas.

b Matth. 9. 2.

185 Sed curabit, ut coram infirmo sit altariolum cum crucifixo, & aliis sacris Imaginibus, saltem Christi crucifixi effigies non desit, quam frequenter ostendat, & præbeat infirmo osculandam dicendo: *Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit, accinctus est potentia, & resurrexit die tertia. Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit leo de tribu Juda*; excitetque infirmum, ut sæpè se muniat signo sanctæ Crucis, quia per hoc mirabile signum maximè fugantur dæmones. Ut enim dixit Chrysostomus: *Crux adversus dæmones triumphus, crux devictio diaboli*. Invocatione nominis Jesu dæmones fugantur, juxta illud: [c] *In nomine meo dæmonia ejicient*. Invocet ergo illud, & faciat invocari ab infirmo in ea tribulatione, secundùm illud: [d] *Invoca me in die tribulationis: eruam te, &c.*

c Marc. 16. 17.

d Ps. 49. 15.

186 Quærit Possev. [e] an Parochus teneatur manere apud moribundum die, ac nocte usque dum expiret? Et respondet primò, si moribundus sit impœnitens, quia ad mortis terminum redactus est in peccato mortali, vel non confessus cum aliquo pravo affectu, vel cum perseverantia in statu mortali, teneri sub mortali ad perseverandum cum illo. Fundamentum est, quia cùm talis moribundus sit in extrema indigentia pœnitentiæ, tenetur Parochus tamquam pastor omni modo, & via, dum vita superest, illius salu-

e Cap. 13. n. 12.

Digitized by Google

ſalutem procurare ; & tantò ad hoc ſub graviori obligatione tenetur, quantò eſt periculoſius, & irreparabile damnum imminens æternæ damnationis.

187 Reſpondet ſecundò, ſi moribundus Sacramenta recepit, & Chriſtianè moritur, eſſe bonum apud illum manere, non tamen eſſe omninò neceſſarium ſemper aſſiſtere, conſuetudine generali ita interpretante. Monet tamen Parochum, ut advertat diligentiam in hac parte eſſe valde proficuam infirmo, ejuſque domeſticis valde charam, & ſibi nimis meritoriam, ac honorificam, ex qua valde commendabitur apud ſuum populum, à quo habebitur in amore, & æſtimatione, quia verum ſe præbet ovium paſtorem in majori neceſſitate. Ubi etiam benè advertit debere ſe non magis divitibus, quàm egenis diligentem præbere: ſi autem velit excedere, excedendum potiùs cum pauperibus, cum famulis, & ſervis, utpote magis hac ope, & conſolatione egentibus.

188 Monet ſecundò, ut advertat ſæpè phræneticos paulò antè mortem rationis compotes fieri. Unde ſi Infirmus præ phræneſi non potuit adjuvari, curandum Parocho maximè eſſe id præſtare, cùm mors eſt vicina, quia poteſt fieri, ut reddatur ſui compos, & poſſit tunc confiteri, ſi phræneſis ad id antea locum non dedit. Quare in hoc caſu judicarem aſſiſtentiam Parochi, vel alterius ſacerdotis fore omninò neceſſariam. Extra hos verò caſus, ſi Parochus non ſemper aſſiſtat uſque dum moribundus expiret, cujus aſſiſtentia, ubi Religioſi non ſunt, vel alii pii ſacerdotes, qui aſſiſtant, maximè procuranda eſt, commendanda, & laudanda; ſaltem frequenter debet viſitare, confortare, & adjuvare moribundum per varios actus, de quibus in ſuperioribus, modò per hos, modò per illos, prout moribundo magis conveniens judicaverit. Si tamen magnam gloriam velit apud Deum, & nomen perfecti Paſtoris apud homines, quoad fieri poterit, numquam moribundum deſerat, maximè in tempore morti proximiori.

LIBER DUODECIMUS, DE CURA A PAROCHO

Habenda erga Mortuos.

NOn solùm à Parocho amandæ, ac juvandæ sunt oves Christi suæ commissæ curæ, dum in hac vita morantur, sed etiam post discessum, & mortem. Sicut enim pater non tantùm filiorum, quos præsentes habet, sed etiam absentium miserias, & calamitates dolet, & libenter sublevat, quantum potest: ita Parochus, qui est pater spiritualis animarum, circa absentes filios, quos mors separavit, suam debet exercere charitatem, & amorem paternum; ut patris officio satisfaciat. Tria autem sunt præcipua charitatis officia, quibus mortuos suos juvare potest, & debet. Primum est ecclesiastica sepultura cum ea pompa funerali, qua Ecclesia fideles sepelire consuevit, quæ licèt magis conducat ad solatium vivorum, quàm ad subsidium mortuorum, ut loquitur Aug.[a] Amb. & alii PP. est tamen opus maximæ pietatis, & ut tale in Sacris Litteris valde commendatum, cui pius Parochus deesse non debet. Secundum est divinissimum Missæ sacrificium, & alia suffragia, quæ pro animabus facienda sunt. Tertium est piarum mortuorum voluntatum executio. Ad hæc tria reducemus omnia, quæ circa mortuos suos Parochus præstare debet.

[a] Lib. de cura mortuorum c.1.

CAPUT PRIMUM.

Quàm nobis sit utile pium exercitium sepeliendi corpora Defunctorum.

1 TAm utile, & fructuosum est pium exercitium sepeliendi mortuos, ut omissis præmiis spiritualibus operibus misericordię communibus, nullum fortè sit inter temporalia bonum, quod huic operi à Deo liberaliter non tribuatur. Unde bonus Parochus non solùm animari debet ad illud, non tam mercedis studio, quàm pietatis stimulo, alacriter exercendum; sed etiam exhortari populum suum, ut cum eadem pietate ad idem concurrat, ut omnes ejusdem utilitatis participes effici possint.

2 Inter bona naturalis ordinis nullum majus vita ipsa, quàm vivimus. Hanc Deus intuitu hujus operis ab antiquissimis temporibus conservare consuevit, quod non vulgari fortasse ponderatione ostendo. Volens Dominus Deus mundum universum per generale diluvium delere, conservando solam vitam Noe, filiorum, & uxorum, ita ad

ad illum: [a] *Fac tibi arcam de lignis levigatis*. In hebræo est verbum significans arcam construendam non habituram formam navis. Si autem quæramus, quænam fuerit ejus forma, & figura? Respondent [b] graves Authores *fuisse similem feretro, quo mortuus deportatur*. Quorsum autem ad dandam vitam Noe, & filiis ejus jubet Deus feretrum fieri? Volebat, ut Noe in illa arca tamquam in feretro, & tumba secum deportaret ossa patris nostri Adæ, quibus, finito diluvio, decentem præberet sepulturam. Ita testantur aliqui ex antiquis Rabbinis, quos postea secuti sunt graves [c] Authores, ut Noe intelligeret propter pietatis opus tumulandi ossa Defunctorum, quod exercebat, se cum suis communem mortem evasisse, vitamque conservasse in generali omnium interitu, hancque fuisse justam illius pii operis mercedem: ut innuit D. Chrysost. [d] dicens: *Probavit, quòd justè benevolentiam Dei assecutus sit*.

a Gen. 6. 14.
b Phil. Hel. Arias mont. de arcæ fabrica.
c Iaco Ediffen. August. Torniel Mossius in Iosue c. ultimo.
d Hom. in Gen.

3 Non solùm autem hoc pietatis opus vitam conservat, sed bona temporalia ad illam sustentandam simul acquirit. Captivus tenebatur Tobias sub potestate Sennacherib crudelis Hebræorum hostis, qui sub pœna capitis, & confiscationis bonorum præcipiebat, *ne aliquis Hebraeorum crudeliter occisorum corpora sepeliret*. *At Tobias*, inquit Amb. [e] *interdicto non revocabatur, sed magis incitabatur, ne deserere officium pietatis mortis metu videretur*. Confisus quòd officium tantæ misericordiæ, & ut tale oculis misericordis Dei gratiosum, & vitam, & bona ad illam necessaria ab omni periculo conservaret. Nec eum fefellit spes; quia cùm ejus bona jam fisco publicata fuissent, illeque ad mortem damnatus, eò quòd à sepeliendis mortuis non cessabat; justus Deus impio Regi vitam abstulit per manus filiorum ipsius, indeque vita Tobiæ concessa fuit cum integra bonorum restitutione. [f] *Post quadraginta quinque dies occiderunt Regem filii ejus*, ait sacer textus, *& reversus est Tobias in domum suam, omnisque facultas ejus restituta est ei*.

e Lib. de Tob. c. 1.
f Tob. 1. 24.

4 Quando autem contingeret, quòd Tobias bonis omnibus defraudaretur, se ditiorem reputaret ex solo officio sepeliendi mortuos, quod sibi ut proprium vendicaverat ad imitationem magni Moysis, qui in exitu Israel de AEgypto, quando Hebræi omnes in deportando auro, & argento AEgyptiorum occupabantur, totus erat in deportandis secum ossibus Josephi sepeliendis in terra promissionis, ut sanctus Patriarcha in suo testamento mandaverat, dicens: [g] *Asportate ossa mea vobiscum de loco isto*. Se omnibus ditiorem credens hoc solo pietatis officio, quàm si totas divitias AEgyptiorum secum deferret. Quod sic declarat Author Græcus in catena Lipom. ad eum locum. Si puellus domum auro, & argento, aliisque pretiosis mercibus plenam ingrediatur, ad sola poma, quæ ibi fortè videt, manum extendit: non sic vir prudens, qui ad pretiosiora, quibus ditescat, totum se convertit. Sic Hebræi tanquam puelli de auro, & argento secum deferendo cogitabant; Moyses verò, qui rerum pretia æstimabat, sola ossa Defuncti, quibus honestam daret sepulturam, quærit credens aurum, & argentum, quo populus occupabatur, fuisse quasi poma puerorum, ossa verò Defuncti sepulturæ tradenda fuisse solas divitias ab homine prudenti, & cordato magnifaciendas. *Iudæi*, inquit Author, *infantibus similes aurum, & argentum secum detulerunt; Moyses verò intemerati animi vir Ioseph ossa deportavit*.

g Gen. 50. 24.
h Græcus in cat.

5 Honor, & nobilitas est aliud bonum, quod homines in hoc mundo magnifacere consueverunt. Hoc autem bonum maximè lucrantur, qui mortuorum corpora sepeliunt. Nam ut benè Abul. [i] *Mortuos sepelire pertinet ad honorem totius humanæ naturæ*: quia & mortui, qui sepeliuntur; & vivi, qui sepeliunt, simul honorantur. Honor vivorum indè probari potest. Quoniam cùm Christus Dominus in vita obsequia à personis vilibus non detrectaverit volens cibari à Zachæo, & potari à Samaritana; in morte ad ultimum pietatis officium, quod per sepulturam corpori suo exhibendum erat, nobiles solùm delegit. Talis fuit Nicodemus, quem Joannes [l] vocat Principem Judæorum: & Joseph ab Arimathea, quem Marcus [m] appellat nobilem decurionem, id est, teste Hieron. [n] *officium curiæ administrans magnæ dignitatis apud sæculum*. *Qui Ioseph*, ut ipse Hieron. addit, *majoris dignitatis apud Deum fuisse legitur*: [o] *Talem enim fuisse decebat, qui Corpus Domini*

i 8. in Matth. q. 61.
l Ioa. 34.
m Marc. 15. 43.
n Hieron. ibi.
o Gloss. ibid.

mini sepeliret, ait ibi Glossa. Quasi nobilium maximè sit in hoc pietatis opere occupari, indeque nobilitas ipsa non solùm apud Deum, sed etiam apud homines non vulgare capiat incrementum.

6 Cur, quæso, Christus Dominus, qui in toto vitæ suæ cursu humilitatem professus est, in morte à nobilibus voluit sepeliri? Non aliam credo fuisse causam, nisi ut quasi in testamento nobilibus Ecclesię suę relinqueret hoc pietatis officium, cujus possessionem caperent sepeliendo corpus ipsius exangue. Incumbant igitur nobiles, & illustres huic operi, & gaudeant tradere sepulturæ etiam pauperculum considerantes in eo corpus Christi, vel saltem servi ipsius, in quo Spiritus sanctus habitavit; qua de causa monet D. Aug. [p] occupationem istam æstimandam: *Non sunt*, inquit, *contemnenda corpora Defunctorum, maximè justorum, & fidelium, quibus tamquam organis ad omnia bona opera usus est Spiritus sanctus*. Et ego spondeo nobilitatem non inde obscurandam, sed magis illustrandam, ut videmus in Nicodemo, & Joseph, quos ideò Euangelistæ nobiles scripserunt, ut eorum nobilitas ex data per eos sepultura magis innotesceret. Estque speciali nota dignum, quòd cùm Christus infans à tribus Regibus adoraretur, [q] Euangelista eorum dignitatem silentio prætereat, nobilitatem verò sepelientium corpus ejus multi specialiter scribant. Cujus rei mysterium fuisse credo, quia quamvis Deus sæpè patiatur manere in oblivione nobilitatem multorum, qui ei fideliter serviunt; eorum tamen, qui mortuos sepeliunt, vult esse notissimam, ut omnes intelligant quanti sit honoris huic operi vacare, quod satis est per se quemlibet nobilitare.

[p] Lib. de cura mor.

[q] Matth. 2.

7 Quæ enim major nobilitas, quàm incumbere operi, quod Deus ipse, & magnates cœlestis curiæ exercuerunt? Legatur cap. ult. Deut. ubi invenietur mortuum Moysen ab ipso Deo sepultum fuisse: [r] *Et sepelivit eum Dominus*. Vel ministerio Angelorum, ut Lyran. exponit, vel per se ipsum, ut vult Abul. & littera innuit, vel ut alii credunt, per se ipsum, Angelis quasi adjutoribus, ut nobis significaret, quanti sit honoris, quòd Deus ipse, & proceres Regni sui libenter exercuerunt.

[r] Deut. ult. 6.

8 Quid plura? Consideretur quid in pio opere præstabat Tobias, cujus suprà meminimus. Accubuerat bonus vir mensæ in domo sua, die quodam festo: ecce tibi nuntiatur ei jacere in via corpus defuncti insepultum. Quid faceret vir probus hoc perculsus nuntio? Respondeat Scriptura sacra: [s] *Exiliens de accubitu suo, relinquens prandium, jejunus pervenit ad corpus: tollensque illud portavit ad domum suam occultè, ut dum sol occubuisset, cautè sepeliret eum. Cumque occultasset corpus, manducavit panem cum luctu, & tremore*. Ad quid tanta celeritas? Non poterat post prandium de sepeliendo defuncto cogitare? D. Amb. [t] *Non putavit pium, ut ipse vel cibum sumeret, dum in publico corpus jaceret exanime*. In quo nobis notabile pietatis exemplum præbuit, & satis commendavit curam circa mortuos sepeliendos.

[s] Tob. 2. 3.

[t] Lib. de Tob. c. 1.

9 Jam verò lucra inde promoventia demonstrant, quæ ipsi ex suo pietatis opere provenerunt. Afflictus satis erat Vir sanctus, & quia in cæcitate constitutus, & quia sibi opus erat unicum filium senectutis, & cæcitatis suæ solatium ad longam mittere peregrinationem. Quid Deus? Mittit Angelum Raphaelem, qui filium duceret, & reduceret à periculis omnibus, & ab ipsa morte liberet, pecuniam debitam recuperet, sponsam filio nobilem, & divitem quærat; illamque à diabolo liberet, & filium à morte, quæ dæmon intulerat septem, qui eam sibi desponsaverant, ut illum salvum, & incolumen patri reddat, ipsique patri visum restituat, ut cum gaudio bonis adductis frueretur. Cur Deus tanta bona Tobiæ? Rationem dedit Angelus, quando se post hæc omnia manifestavit: [u] *Quando*, inquit, *relinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino, & nunc misit me &c.* ecce lucra operis, quod commendamus, præter multa alia à Deo suo tempore in cœlo liberaliter concedenda. Inter quæ hic obiter videmus Angelum fuisse specialem Tobiæ advocatum apud Dominum. Et D. Aug. vult ipsos etiam Defunctos, quorum corpora sepelimus, pro nobis apud Deum intercessuros: [x] *Mortuum*, inquit, *sepelisti, ipse sepultus pro nobis voce tacita proclamavit*. Hæc breviter dicta satis

[u] Tob. 12. 12.

[x] Aug. de cura pro mortuis.

satis suadent pietatem habendam circa corpora mortuorum sepelienda, quòd præcipuè Parocho nostro commendatum volumus.

CAPUT II.

Quibus danda sit ecclesiastica sepultura, & quo tempore?

10 Ecclesiastica sepultura danda est omnibus fidelibus Defunctis, exceptis iis, quibus jus Canonicum eam denegandam decernit, de quibus cap. sequenti. Est autem ecclesiastica sepultura, quæ datur cadaveribus Defunctorum in loco sacro, v. c. in Ecclesia, vel cœmeterio ad sepulturas fidelium ab Episcopo deputato, in quibus locis, & non alibi debent sepeliri fidelium corpora, quibus ecclesiastica sepultura non negatur.

a Tol. l. 5. c. 5. n. 12.

11 Parochus [a] verò tenetur sepelire omnes suos Parochianos, & omnes alios, qui intra limites suæ Parochiæ moriuntur, estò sint pauperes, & nullam inde eleemosynam speret. Tenetur autem ire ad domum Defuncti, & ibi commendare animam, corpusque associare cum Cruce suæ Parochię usque ad locum sepulturæ, ibique facere officium sepulturæ, prout habetur in Rituali. Nota verò alicubi esse in usu, quòd secretò deferantur ad Ecclesiam sine ulla pompa funerali. Ubi autem hæc consuetudo viguerit, quæ apud nos non viget, non tenebitur Parochus ire ad domum Defuncti, nec cadaver comitari per viam. Sed satis erit, si ex loco, in quo ponitur, comitetur ad sepulturam, ibique faciat officium sepulturæ.

b Possev. c. 14. a. 1.

12 Circa tempus, quo danda sit ecclesiastica sepultura, quæres primò, quot horis debeat Defunctus teneri, antequam sepeliatur? Respondetur [b] non esse hoc determinatum. Quare si constitutiones Episcopi aliquid in hac parte decernant, id à Parocho observandum. Si nihil decernant, observet loci consuetudinem, quæ si nulla certa sit, & extet dubium, consulat medicum, qui si judicaverit Defunctum sepeliendum, tutò sepeliat. Si verò constitutiones nihil disponant, nec sit medicus, nec aliqua certa loci consuetudo, potest expectare per aliquod tempus, quod, teste Possev. in aliquibus locis assignatur ad octo horas, & quando minus ad sex. Poterit etiam sepelire, si facto experimento deprehendatur verè mortuus. Experimentum autem debet fieri circa respirationem, & pulsum. Nam, ut docet Galen. [c] qui caret respiratione, & pulsu, caret etiam vita, exceptis hystericis, seu uteri strangulatione correptis, in quibus opus est altiori indagine. An verò respiret, denotabit lumen exiguum ori mortui admotum, si flamma nullatenus moveatur. Item lana carpta, vel bombix eodem loco admota, si immobilia perseverent, aut etiam vitrum purum ori admotum, si nullam ex ore nebulam contrahat; vel etiam cyathus plenus aqua positus supra os ventris, aqua immota permanente. Hæc sunt vulgaria signa respirationis.

c De locis affectis. c. 7.

13 Quæres secundò, an omni die possit sepeliri Defunctus? Resp. nullam esse de hoc in jure prohibitionem. Unde etiam die Paschæ, aut Parasceuez possunt mortui sepeliri, nisi constitutiones Episcopi aliud decernant. Non tamen pulsandæ sunt campanæ, si quis sepeliatur tempore Passionis, quando Ecclesia abstinet ab usu campanarum. In aliquibus Diœcesibus cautum etiam est, ne in die Paschæ, & in aliis solemnioribus campanæ pulsentur pro Defunctis, & quòd Psalmi, & aliæ preces cantari solitæ in officio sepulturæ, & pompa funerali, non cantentur, sed dicantur voce submissa; & in Dominicis, & aliis festis minoribus non sepeliantur, nec pulsentur campanæ pro Defunctis, nisi post Missam majorem. Quæ omnia, & alia, si fortè fuerint disposita, Parochus faciat observari.

14 Quæres tertiò, an in omni hora possit sepeliri Defunctus? Respondetur in multis locis prohiberi tempore nocturno: in qua re Parochus constitutiones Episcopi observabit. Si verò circa hoc nihil disponant, observet loci consuetudinem, quæ alicubi habet, ut illustres personæ ad primam noctem sepeliantur. Parochus verò non permittat istas consuetudines introduci, & jam introductas, quoad poterit, extirpare curet, quia nihil habent emolumenti, præter vanitatem.

15 Quæres quartò, quando Parochus debeat sepelire occisum? Respondetur non debere occisum à loco movere ad sepeliendum, antequam homicidium notificetur magistratui sæculari; quia

quia ubique ferè cautum est, non fore sepeliendos hujusmodi mortuos absque cognitione curiæ sæcularis, & hoc pro bono publico, quod Parochus tenetur non turbare, aut impedire; quia lex justa est, & rationabilis. Ut ergo non contingat, quòd magistratus velit in Ecclesia aliquam diligentiam circa mortuum jurisdictionaliter facere, sinat priùs hæc fieri in loco homicidii, vel alibi, & post factam omnem diligentiam sepeliat, opportunitate data.

16 Si verò magistratus sæcularis velit intra Ecclesiam exercere actum suæ jurisdictionis, ut recognoscere vulnera cadaveris in Ecclesiam jam illati, vel aliud quid sibi necessarium, Parochus[d] non permittat, inconsulto Episcopo; quia ista in Ecclesia exerceri non possunt, ut statuitur in jure Can. cap. Cùm Ecclesia, de immunit. & cap. Decet domum Dei, eodem titulo in 6.

d Silv. verb. immunit. 1. q. 2.

17 Si autem magistratus velit, ut cadaver ab Ecclesia auferatur, ut extra illam talia agat: Parochus[e] non permittat, Episcopo inconsulto; quia istorum dispositio ad ipsum pertinet. Similiter non permittat, quòd tabelliones, vel judices sæculares ibi testimonia etiam mulierum excipiant; quia ista omnia prohibita sunt ibi fieri. Si tamen in loco sit contraria consuetudo scita, & tolerata ab Episcopo, Parochus potest eam tolerare, & patienter dissimulare.

e Possev. n. 8.

18 Sed quid, si magistratus nihil curet de immunitate Ecclesiæ, prætextu alicujus privilegii? Resp. si Parocho clarè constet de privilegio, permittat; si clarè non constet, non permittat, sed lenibus primò verbis avertat, si non proficit, verbis modestis, sed benè significantibus deterreat. Si verò nec sic profuit, claudat Ecclesiam. Si autem rationabiliter timet, nec id profuturum, relinquat apertam, ne fortè frangantur, & Episcopum quàm primùm moneat. Hæc maximè possunt evenire in pagis, castellis, & villis, ubi Episcopus non adest. Si tamen ibi sit Vicarius ejus foraneus distinctus à Parocho, Parochus id Vicario relinquat, quia ad ipsum pertinet hæc omnia impedire, quia est officialis Episcopi.

19 Quæres quintò, an Parochus debeat permittere medicis aperire corpora mortuorum delata jam ad Ecclesiam? Hoc apud nos vix est in usu: ubi tamen est usus aperiendi corpora mortuorum, si domi aperiantur, nihil pertinet ad Parochum. De delatis jam ad Ecclesiam sic respondet Possev.[f] si in loco cognati Defuncti malè habent corpora Defunctorum aperiri, Parochus non permittat, nisi priùs habita licentia propinquorum cum testibus, ut molestiam evitet, si quæstionem moveant: si verò propinqui de hoc non curant, Parochus demittat, maximè si vagentur morbi medicis ignoti, qui ideo cupiunt aperire mortuos, ut vivis prodesse valeant; & in tali casu expedit aperire, ut Romæ vidi quotidie fieri. Ita Possev.[g] sed ego non permitterem id fieri in Ecclesia, quia indecens. Potest id domi fieri cum majori quiete, ut notitia necessaria lentius capiatur.

f Possev. n. 11.

g Possev. n. 11.

CAPUT III.

Quibus Parochus negare debeat Ecclesiasticam sepulturam?

20 Aliqua sunt personarum genera, quæ ex juris Can. dispositione carent Ecclesiastica sepultura, quas proinde Parochus sepelire non potest in loco sacro sine peccato mortali. Quarum notitiam Parochus habere debet, ne in hac re graviter erret, vel admittendo, quas debet rejicere, vel repudiando, quas debet admittere.

21 Primò, neganda est Ecclesiastica sepultura Paganis, Judæis, Mahometanis, & Hæreticis, estò post mortem constet de eorum hæresi. Quia verò apud nos rarò contingit mori prædictas personas, nisi in locis maritimis, solùm dicam de pueris mortuis sine Baptismo, qui inter paganos numerantur, ut Parochus sciat quando his pueris negare debeat ecclesiasticam sepulturam, quæ puero non baptizato neganda est, si sit extra corpus matris; quia si non dum est à matre omninò extractus, censetur pars ventris, & cum matre debet sepeliri.

22 [h] Baptizatus verò Baptismo dubio, ita ut, si supervixisset, rebaptizandus fuisset sub conditione, sepeliendus est in loco sacro, sicut si moriatur, antequam forma totaliter completa fuerit, aut forma Baptismi fuerit dubia, aut corrupta. Similiter infans, qui in partu periculoso baptizatus fuit, antequam esset integrè natus, dicente matre infantulum vivere, quia movebat se,

h Silv. bapt. 4. 1. & 1. q. 5. Possev. n. 4.

se, quamvis plenè natus mortuus appareat; nam sufficienter probatur vixisse, dum fuit baptizatus, per testimonium matris. Quòd verò natus sit mortuus, non probat talem fuisse, quando fuit baptizatus.

23 Sed quid, si infans in partu baptizatur, & non constat baptizanti an vivat, sicut nec matri, quæ, præ dolore, ad id non advertit, & infans perfectè natus apparet mortuus? Resp. sepeliendum in loco sacro; quia sicut in eo sepelitur, qui baptizatus fuit baptismo dubio, ita & baptizatus sub dubio, an viveret. Semper enim baptismus dicetur dubius, sive dubium sit in forma, sive in materia, sive in recipiente. Hoc autem intellige, si post baptismum, dubium verè perseveret, an infans viveret tempore illius; quia si constaret tempore baptismi fuisse mortuum, non esset sepeliendus in loco sacro, ut satis patet.

24 Secundò denegatur Ecclesiastica sepultura excommunicatis declaratis, seu denuntiatis, & interdictis similiter notoriis, & denuntiatis, & suspensis ab ingressu Ecclesiæ denuntiatis. Et generaliter in omni interdicto sive locali, sive personali usus Ecclesiasticæ sepulturæ prohibetur cum hac declaratione, ut in interdicto locali neque verè pœnitentes, & confessi possint sepeliri in loco sacro, nisi habeant privilegium, ut diximus lib. 10. cap. 7. Sect. 3. In personali verò maximè, ut jam declaro.

25 Omnes censurati, de quibus proximè, sive per excommunicationem, sive per interdictum, sive per suspensionem ab ingressu Ecclesiæ absoluti in articulo mortis à quocumque Sacerdote possunt, & debent sepeliri in loco sacro, quia per absolutionem sublata fuit censura, & impedimentum, quod habebant. Si verò absoluti non fuerunt, quia non fuit copia Sacerdotis; si dederunt signa contritionis, & pœnitentiæ, ad quæ probanda satis est unicus testis, [l] sunt sepeliendi in loco sacro, postquam fuerint absoluti ab eo, cui censura erat reservata, non verò antea, nec si fuerint absoluti ab alio.

[l] Tolet. l. 1. n. 9. Nav. c. 26. n. 31. Soar. de cens. d. 7. sect. 1.

26 Nota verò sepelientes excommunicatum in loco sacro incurrere excommunicationem. Et licèt Caet. hoc solùm intelligat de illis, qui mortuum deponunt in tumulo, & mandant deponere: [l] probabilius est id esse intelligendum de omnibus efferentibus, comitantibus, & officium sepulturæ facientibus; & solùm posse excusari, si bona fide crederent fuisse absolutum.

[l] Nav. c. 27 nu. 271.

27 Tertiò, negatur Ecclesiastica sepultura publicis, & manifestis [m] usurariis, qui potentes restituere, non restituerunt malè parta per usuras, vel saltem non dederunt idoneam cautionem de restituendo, de qua diximus lib. precedenti cap. 2. Nec satis est, si dicat se in testamento mandare, ut usuræ solvantur, ut sepeliatur in loco sacro: & sepeliens in illo incurrit excommunicationem. Unde tam usurarius manifestus, quàm censurati, de quibus suprà, si in loco sacro sepeliantur, potest, ac debet Episcopus mandare, ut exhumentur, estò sepulti fuerint in Monasteriis Regularium exemptis, & procul ab Ecclesia projiciantur, ut innuitur in Clement. 1. de sepulturis. Usurarius verò occultus potest sepeliri in loco sacro.

[m] Cap. quia, de usuris. Tolet. l. 5. c. 36 n. 5. Nav. c. 16. n. 8. Barb. de Parocho c. 26. n. 45.

28 Quartò, negatur Ecclesiastica sepultura [n] raptoribus manifestis, nisi restitutione secuta, vel alius velit pro ipsis restituere, ut habetur in cap. Super eo, de Raptoribus. Quod intellige, si moriantur sine pœnitentia. Nam si usque ad obitum in contumacia sua duraverint, & in extremis positi remedium pœnitentiæ humiliter postulaverint, si emendationem, vel emendationis securitatem præstiterint, eis pœnitentiam, ac sepulturam Ecclesiasticam concedendam, decernit idem textus. Unde credo sepeliendos in sacro, si sint impotentes ad restituendum, dummodò restituendi voluntatem habeant, & securitatem præstent de emendatione, & restitutione facienda, cùm sibi fuerit possibile, quia sine hoc vera pœnitentia non est.

[n] Barbos. n. 44. 28.

29 Quintò, negatur Ecclesiastica sepultura [o] Religiosis utriusque sexus proprietariis, si moniti à superiori absque emendatione, & pœnitentia discesserint. Cap. Monachi, de statu Monachorum. Monet tamen benè Barbosa non esse ita præcipitanter privandum Ecclesiastica sepultura Religiosum, cui post mortem invenitur bursa denariorum; quia præsumi debet denarios non esse proprios, vel

[o] Barbos. n. 47. 29.

quòd ex oblivione, aut negligentia alterius ibi remanserint. Constare igitur certò debet mortuum fuisse proprietarium, ut privandus sit Ecclesiastica sepultura.

p Barb. n. 45. Dian. 2. p. t. 2. misc. res. 54.

30 Sextò, negatur morientibus in p torneamentis, etiam si accepto vulnere aliquandiu vivant, & pœniteant. Cap. 1. & 2. de Torneamen. Et idem est de morientibus in duello. Trident. sess. 25. cap. 19. de ref. Quamvis autem aliqui existiment privari debere Ecclesiastica sepultura eos, qui in ipso conflictu, vel eodem die mortui fuerint, alii verò credant idem dicendum, estò ob vulnus in duello acceptum, non statim, sed alio die moriantur; cùm tamen Concilium expresè loquatur de morientibus in ipso conflictu, non video, quomodo hæc pœna extendi debeat ad illos, qui extra illum verè pœnitentes moriuntur ex vulnere in duello accepto. Vide tamen circa hoc Doctores, qui monent, si delictum non sit notorium, Parochum non debere illos sepelire, nec Ecclesiasticam sepulturam denegare, sed rem ad Episcopum, aut ejus Vicarium deferre, ut decernat, quid faciendum.

q Barb. n. 49. Possev. n. 4. §. occisus se.

31 Septimò, privantur Ecclesiastica sepultura occidentes q se ipsos ex desperatione, vel ira: cap. Placuit 23. quæst. 5. Excipitur ille, qui se præcipitem dedit, non ut se interficeret, sed ut malum sibi impendens fugeret, quod aliter vitare non poterat, quod potest contingere honestæ fœminæ, quæ se per fenestram projiceret, ut fugeret volentem eam violare, & ei, qui idem faceret, ne in manus hostium deveniret, vel ut incendium, aut simile malum imminens evitaret. Excipitur etiam, qui non omninò mortuus invenitur, si aliquantulum vivat, & pœniteat. Unde illi neganda est Ecclesiastica sepultura, de quo constat, vel probabiliter judicatur ex industria, ira, vel desperatione correptum se occidisse, ut si in cubiculo clauso se suspendit, & præcesserunt molestiæ indicantes id ex ira, vel desperatione factum fuisse. Cessante igitur vehemente suspicione, rectè sepelitur in sacro; quia potuit se occidere præ phrænesi, aut ab inimico, & non debet sine causa clara spoliari bono nomine, quo gaudet, ut cum Navar. docet Possevinus.

32 Et Barbosa cum aliis addit: Si aliquis reperiatur mortuus in puteo, vel laqueo suspensus, non debet privari Ecclesiastica sepultura; quia ubi non constat, quòd se ipsum interfecerit, vel præcipitaverit, id non est præsumendum, cùm potuerit per insidias, aut vi in puteum projici, vel suspendi, aut ex furore, vel mentis alienatione id facere. Monet tamen Possev. Parochum, ut in dubio semper Episcopum consulat, vel ejus Vicarium, aut si neutrum possit, Parochos peritos, quorum consilium sequatur, ne ipsi culpæ imputetur. Ego Romæ vidi Religiosum hominem ex puteo extractum, ad quem sepeliendum in sacro facultatem fecit Vicarius Generalis Pontificis Card. Ginettus, cui propositum fuit fuisse virum antea satis probum, & non potuisse id facere, nisi ex vehementi passione, quæ rationis usum absorbuerit. Et interfui ejus exequiis, & pompæ funerali, quæ aliis fieri solet.

33 Octavò, privatur Ecclesiastica sepultura Clericus notoriè r concubinarius in eo statu perseverans usque ad mortem sine pœnitentia: & generaliter quilibet peccator notorius decedens in ipso peccato mortali, & impœnitens, nullo dato signo contritionis, & pœnitentiæ. Similiter non restituentes Ecclesiis decimas. Cap. Prohibemus, de decimis. Ubi Glossa: *Qui decimas, quas injustè possidet, detinet, & non restituit Ecclesiæ, ad quam pertinent, christiana sepultura privari debet, sicut in usuris*. Cum his numerat Menoch. Parricidas. Quòd intellige, si absque pœnitentia moriantur. Nam speciale tantùm est morientibus in torneamentis, vel duello etiam pœnitentibus negari sepulturam Ecclesiasticam.

r Barb. n. 48. 50. 51. & 53.

34 Nonò, negatur blasphemo s publico, si pœnitentiam sibi injunctam non egerit, cap. 2. De maledicis. Sed quid de eo, qui antequam moreretur, pessimè blasphemavit, & blasphemando mortuus est? Resp. Possev. Si erat phræneticus, debere in sacro sepeliri; si nescitur, an fuerit phræneticus, si Sacramenta suscepit, judicandum phræneticum. Si verò constet non fuisse phræneticum, non esse sepeliendum in loco sacro, quia mortuus est in statu peccati mortalis, quia tamen potuit

s Barbos. n. 52. Possev. n. 7.

blas-

Digitized by Google

blasphemare ex inadvertentia, vel lapsu linguæ, quæ excusant à mortali, Parochus non sepeliat in sacro, nisi Episcopo consulto; quia ex hoc capite posset excusari in foro conscientiæ, non tamen in foro externo; Ecclesia enim non judicat de occultis, sed de claris; peccatum verò hujus clarum est in foro externo. Quare id remittat Episcopo dijudicandum, & ejus placitum sequatur.

35 Si verò infirmus in morte nominet diabolum, ut aliquando contingit, distinguat Parochus, an nominet modo mortali, ut diabolus me arripiat, aut simili. Si verò est in phrenesi, vel delirio, sepeliat in sacro; quia hoc non est esse in notorio mortali: si est extra phrænesim, aut delirium, non sepeliat, quia est in notorio mortali, nisi ante mortem pœnituerit. Si autem diabolum nominet nullo addito, quod nominationem mortalem ostendat, sive sit mentis compos, sive non, sepeliatur in sacro, quia nominatio non est de se peccatum mortale, sed effectus mali habitus.

36 Decimò, negatur Ecclesiastica sepultura illi, qui non fuit confessus, t vel non communicavit illo anno, hoc est, per annum, nisi fortè de consilio Sacerdotis tempus fuit prorogatum. Cap. Utriusque sexus, de pœn. & remiss. In quo Parochus debet observare constitutiones sui Episcopi. Si verò non extent, & clarè constiterit mortuum non fuisse confessum, vel communicatum in illo anno, non sepeliat in loco sacro. Si dubium sit, sepeliat, sicut si factum fuit occultum. Hoc autem intellige, si nec in morte fuit confessus, vel quia noluit, vel quia non potuit nec verbo, nec signo confiteri, nec ostendere signa pœnitentiæ; quia si aliquid istorum fecit, sepeliendus erit in sepultura Ecclesiastica.

t Barbos. n. 46. Possev. n. 4. fine.

37 Nota verò u mortuum, qui sepultura Ecclestastica privatur, nullo honore sepulturæ honorari posse; ideoque nec cum cantu, nec cum interventu ministrorum Ecclesiæ, nec cum luminaribus posse aut ad Ecclesiam deduci, aut in ea retineri, aut in eadem, vel cœmeterio sepeliri. Debet igitur sepeliri in loco profano, hoc est, extra locum sacrum, esto sepultura sit loco sacro contigua. Utrùm verò pro tali possimus orare? Resp. privatè posse, dummodò sit extra actum sepulturæ; quia in ipso actu sepulturæ nec publicè, nec privatè licitum est orare pro carente sepultura Ecclesiastica, nec deferri Crux, aut uti alia cæremonia sacra.

u Soar. de cens. d. 21. Sect. 4.

CAPUT IV.

Quanam sepultura fideles sepeliri debeant?

Electio sepulturæ est libera omnibus adultis, dummodo à jure non prohibeantur, ut prohibentur illi, de quibus cap. præcedenti, quia est actus propriæ voluntatis, ut constat ex titulo de sepulturis lib. 3. & 6. Unde quilibet potest sibi liberè sepulturam eligere etiam in Ecclesiis Regularium, relicta Parochiali, quin Parochus id valeat impedire, adeo ut resolverit Sacra Congregatio; si Parochus defuncti ad funus venire recuset, vel petitam ad id licentiam deneget, posse corpora in dictis Ecclesiis sepulturæ tradi, sine ipsius interventu, & licentia. Hæc autem libera facultas eligendi sepulturam non magis competit viris, quàm mulieribus sui juris, etiam nuptis. 38

39 Est autem adeò libera hæc electio, ut cap. 1. de sepulturis in 6. districtissimè prohibeatur, ne quis ab aliis inducatur ad vovendum, jurandum, aut fide interposita promittendum, ut in eorum Ecclesiis sepulturam eligat, vel ut jam electam non immutet: & electio contra facta irrita decernitur, ac nullius firmitatis: & statuitur, ut ii, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias sepeliri ullatenus, nec alibi possint eligere sepulturam, ne contra votum, juramentum, vel promissionem veniendi occasionem habeant; sed contradictione quacumque cessante, sepeliantur omnino apud illas Ecclesias, apud quas sepeliendi de jure fuissent, si aliàs, sepultura non electa, forsitan morerentur.

40 Si verò Religiosi, vel Clerici talem personam in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumpserint sepeliri, ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quàm etiam omnium, quæ occasione sepulturæ provenerit quomodolibet ad eosedm, intra de-

Digitized by Google

cem dies integraliter faciendam obligantur; quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, nec non cœmeteria earumdem ex tunc eo ipso sunt, & tandiu manent Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria omnium prædictorum. Et in Clement. 'Cupientes,' de Pœnis, Excommunicantur excommunicatione Papæ reservata Religiosi, vel Clerici inducentes ad talem electionem sepulturæ prædicto modo faciendam in suis Ecclesiis.

41 Ex hac libertate eligendi sepulturam provenit, ut jam electam possit quilibet revocare [a] usque ad finem vitæ. Ad probandam autem sepulturæ electionem sufficiunt leviores probationes, ita ut etiam tacitus consensus admittatur. Unde Parochus violenter rapiens funus, antequam veniat ad manus eorum, quibus debetur, perdit jus, quod habet, & quartam funeralem, de qua cap. 6. Et tenetur restituere cum corpore quidquid accepit.

a Barb. c. 2. n. 14. & 27.

42 Pro filio [b] impubere eligit Pater sepulturam, si consuetudo terræ id habeat. Si verò non sit talis consuetudo, debet sepeliri in sepultura suorum majorum, cap. Licèt pater, de sepulturis in 6. Unde cùm quidam Parochus prætextu novi Ritualis, in ejus Ecclesia filiam minorem cujusdam civis sepelire prætenderet, non obstante quòd sepultura suorum majorum esset in Ecclesia fratrum minorum, Congregatio censuit dictæ filiæ corpus Ecclesiæ fratrum restituendum; quia qui sepulturam sibi eligendi facultatem non habet, in majorum suorum sepultura sepeliri debet, ita ut Parochus ad impediendum jus nullum habeat.

b Barb. n. 28.

43 Mulier [c] nupta, si, non electa sepultura, moriatur, si maritus habet proprium sepulchrum, in ipso tumulari debet, quamvis extra limites Parochiæ, in qua mortua est, ut declaravit Sacra Congregatio. Quod debet intelligi, si inter illos sequuta fuit carnalis copula; quia si hæc adhuc sequuta non erat, sepelienda erit cum suis majoribus. Si verò habuit multos viros, est sepelienda in sepulchro ultimi viri, cap. Is, qui, de sepulturis in 6.

c Barb. à n. 29.

44 Quando aliquis moritur, non electa sibi sepultura, in ea est sepeliendus, in qua majores sui sepeliri consueverunt, soluta suo Parocho quarta funerali. Majores autem dicuntur pater, avus, & alii ascendentes. Si nullam sepulturam majores sui habeant, sepeliendus est in sua Parochia. Et generaliter Parochus [d] omnes suos Parochianos, omnesque alios intra Parochiam degentes, sive moriantur cum testamento, sive absque illo, si specialiter non disposuerunt de sua sepultura, sepelire debet in sua Ecclesia Parochiali, quia hoc pertinet ad jus Parochiale, ut habetur in Clement. Dudum, de sepulturis; nisi fortè alibi habent sepulturam, in qua majores eorum ab antiquo tempore sepeliri consueverunt, cap. Is, qui, de sepulturis in 6.

d Barb n. 33.

45 Excipe peregrinos; qui, si moriantur, dum sunt in via in Civitate, ubi est Cathedralis, in ea sepeliendi sunt, ut censuit Sacra Congregatio. Et idem credo de vagis, qui certum domicilium non habent. Si verò non sit Cathedralis, sepeliri debent in Parochia, intra cujus limites mortui sunt, cujus Parochus prædictos sepelire tenetur ex officio.

46 Is, qui habet domicilium in Civitate, vel oppido, & quando ad villam ruralem se transfert, vel recreationis causa, vel ut ruralia opera exerceat, si non electa sepultura, ibi moriatur, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali sepeliri debet, si majores ejus sepulturam non habeant, in qua secundùm dicta sepeliri debeat, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari, cap. Is, qui, de sepulturis.

CAPUT V.

Utrùm Parochus pro sepultura, & funere possit stipendium accipere?

Conveniunt omnes teneri [a] Parochum sepelire pauperes suæ Parochiæ, licèt nullam inde eleemosynam speret, illorumque animas Deo commendare. Quod ad minimum est verum de commendatione, quæ fit in funere, & officio sepulturæ. Unde Sacra Congregatio declaravit pauperum cadavera gratis sepelire debere. Et Joan. Sanctius Parochum alloquens ait: Si defunctus pauper sit, no- 47

a Tol. l. 5. c. 5. fine. Barb c. 26. n. 83. Sanch. d. 7. n. 18. Possev. n. 14. n. 3.

Digitized by Google

noscas tibi non licere pretium exigere: quod si tibi onus videatur, subit idem etiam corporalis medicus, advocatus, & alii; potiùs ergo tu, qui munere superas. Et Possev. Vidi, inquit, alicubi curatum noluisse admittere ad sepulturam, nisi daretur cautio de solvendo solito ab iis, in quorum domo mortuus jacebat. Et alibi contra eosdem processum fuisse via juridica, quando mortuus non habebat unde solveret. Tu ab omnibus istis cave, quia irrationabilia, & scandalosa sunt.

48 Pro jure sepulturæ, seu ut aliquis, qui pauper non sit, in certo loco Ecclesiæ, aut cœmeterii sepeliri possit, aliquid tanquam pretium exigere, simoniacum est, quia sepultura vendi non potest, sed gratis præstanda est defunctis per eorum Parochos, ut statuitur in cap. Abolendæ, de sepulturis, per hæc verba: *Abolendæ consuetudinis perversitas apud Montem Pessulanum (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non prius permittatur effodi sepultura, quàm pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur. Mandamus, quatenus cum loci Diœcesanus existas, inhibeas Clericis, ne quidquam omninò præsumant exigere hac de causa.*

49 Usus tamen vendendi capellas pro sepulturis defunctorum non est simoniacus; quia pretium datur per modum eleemosynæ ad reparationem Ecclesiæ, vel ad ornatum, aut sustentationem ministrorum, & non pro pretio, ad eum modum, quo datur stipendium pro Divinis Officiis, & Missis celebrandis. Unde hoc appellari non debet simpliciter venditio, & emptio, quia hæc simoniaca foret.

50 Eodem modo ait [b] Barb. multis aliis relatis, licitam esse pretii receptionem ratione situs, vel dignioris loci pro sepultura; quia hoc, inquit, non videtur concernere spiritualia, sed tantùm honorem, & præeminentiam, quæ potest pretio æstimari, & vendi. P. verò Soar. id [c] non probat; quia, inquit, ibi tota ratio pretii est sanctitas loci, vel quidam respectus ad majorem sanctitatem, etiam si fortasse motivum remotum sit honor humanus. Non desunt tamen Theologi, qui dicant hoc esse licitum; quia solùm ibi venditur honor quidam humanus, qui non est spiritualis, sed tantùm in hominum apprehensione consistens. Sed non est admittenda sententia; quia licèt fortasse hoc sit motivum ementis, quod tamen venditur, sacrum est, & ille honor est veluti quid annexum consequenter ad talem rem spiritualem, sicut est honor humanus annexus dignitati, aut beneficio; nam etiam si quis moveatur propter illum honorem ad emendum beneficium, simoniacus est, ita ergo in præsenti. Cùm igitur fundamentum hujus honoris sit major sanctitas loci ex majori propinquitate ad Altare majus, vel ad Corpus Domini, videtur etiam ex natura rei simonia eum vendere locum propter illum respectum. Ita Soar. Unde Tolet. [d] quem pro se allegat Barbosa, ait securius esse per modum oblationis aliquid accipere, quàm exigere pretium.

b Barb. n. 16.

c Soar. l. 4. de sim. c. 14. n. 2.

d Lib. 5. c. 89. fine.

51 Addit verò Soar. posse alio modo salvari venditionem sepulturæ, nempe si quis velit onerare Ecclesiam, & ita possidere in illa jus sepulturæ in aliquo certo loco illius, ut non possit alius ibi sepeliri. Tunc enim videtur, inquit, illa obligatio ex parte Clericorum posse vendi, saltem authoritate Prælatorum Ecclesiæ: cùm circa hoc non videatur facta prohibitio, nec contineatur in prohibitionibus generalibus vendendi sepulturam; quia aliud est vendere sepulturam, quod prohibetur; aliud vendere obligationem non sepeliendi ibi alium, ut per se constat. Unde neque tunc venditur aliquid spirituale, neque spirituali per se annexum, quia illa obligatio est onus accidentarium, quod æstimabile pecunia est. Et ex hoc capite potest etiam justificari venditio capellarum ad sepulturam alicujus, & familiæ suæ, de qua suprà.

52 Advertit etiam Barbos. [e] quòd si quis habeat sepulchrum proprium suis sumptibus emptum, vel ædificatum pro se, & suis, non esse materiam simoniæ, si vendatur quoad proprietatem, juxta valorem fundi, & respectu habito ad solas expensas factas in eo ædificando; quia ibi non venditur benedictio, nec proprium jus sepulturæ, sed materiale illud, ad quod alia sequuntur. Unde similia loca jure hæreditario transferri solent à Parentibus ad filios, ratione temporalitatis, quæ in his est, & citat Soarium.

e Barb. n. 18. Soar. n. 18.

53 Movet verò Soar. quæstionem, an quando locus deputatus pro sepultu-

Digitized by Google

ra non est communis, sed proprius alicujus, ut certa capella cum toto loco subterraneo, possit Patronus pretium accipere pro licentia sepeliendi ibi aliquem extraneum? Ratio dubitandi est, quia ex natura rei id non videtur prohibitum, nec in eo apparet tam clara simonia ex natura rei, quia videtur esse quasi quædam locatio ipsius terræ, quæ non videtur per se mala. Verùm [f] concludit prohibitionem Ecclesiæ ad hunc casum se extendere, præsertim in cap. In Ecclesiastico, 13. quæst. 2. Ubi sic: *Interdictum sit omnibus omninò Christianis terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare, nisi fortè proximi, & amici defuncti propter nomen, & redemptionem animæ viri defuncti gratis aliquid dare velint*. Quæ verba generalissima sunt. Unde quamvis talis Patronus habeat jus verum, & firmum in tale sepulchrum, de quo dubitant non pauci dicentes laicum habentem jus sepulturæ in loco sacro non habere dominium, & propriam possessionem, sed quamdam tolerantiam ex benignitate, & honestate Ecclesiæ; est tamen annexum rei spirituali, & ideò non licet vendere usum ejus, seu facultatem per illud datam, ut aliquis ibi sepeliatur, quia hoc meritò prohibitum est ab Ecclesia.

f Soar. n. 21.

54 Nihil igitur Parochus exigere potest pro sepultura aperienda in Ecclesia, vel cœmeterio non solùm ab illis, qui habent in illis jus sepulturæ, ratione majorum suorum, sed neque ab illis, qui nullum tale jus habent, nisi gratis aliquid offeratur ab amicis, vel consanguineis defuncti, ut dicitur in cap. In Ecclesiastico proximè citato.

55 Pro funere verò, & officio sepulturæ, quod constat ex precibus recitari solitis supra corpus defuncti in domo sua, & per vias, dum feretro, defertur ad Ecclesiam, & in ipso actu sepulturæ, nihil potest Parochus exigere, sed gratis id facere tenetur, ubi viguerit consuetudo id gratis faciendi. Et quamvis contraria consuetudo vigeat pauperes tenetur gratis sepelire, ut diximus in principio capitis, & Sacra Congregatio resolvit.

56 Ubi verò fuerit laudabilis consuetudo aliquid tribuendi pro funere, potest recipere id, quod dari solitum est, ut omnes docere testatur. [g] Possev. monens, ut prius mortuum liberè sepeliat, & deinde accipiat consuetam largitionem, vel etiam petat, si non offeratur; quam etiam, si negetur, potest exigere via juridica, quia debetur ex justitia. Sed Parochus hoc remedio non utatur, nisi, cùm, omnia alia via prius tentata, suum habere nequit. Numquam tamen, ante sepulturam, quærat habere cautionem de solito stipendio, quia hoc redoleret avaritiam, quæ à Sacerdote maximè Pastore longè esse debet, & pareret scandalum. Ita Possev.

g Possev. n. 3.

57 Non caret tamen difficultate hæc doctrina, ut videre est apud Barb. apud [h] quem Abbas tenet talem consuetudinem, post traditum sepulturæ corpus; esse observandam; quia habet principium voluntarium. Plures verò alii, quos adducit, dicunt consuetudinem solvendi aliquid pro funere, & officio sepulturæ non valere; estò solutio fiat, postquam corpus est traditum sepulturæ. Multi verò plura requirunt, ad hoc, ut valeat talis consuetudo dandi certum quid pro quolibet mortuo. Primum; quòd hujusmodi consuetudo habeat principium voluntarium, hoc est, quod primò tale quid liberaliter solverint, ita ut non fuerit injustè exactum. Secundum; quòd actus fiant eo animo, ut consuetudo indicatur. Tertium; quòd testes deponant de actuum visu, quorum consuetudo allegatur, & de actuum frequentia, ac temporis diuturnitate, & tales actus factos fuisse, ita & taliter, ut appareat intervenisse tacitum consensum populi, vel majoris partis. Quartum; quòd illud, quod solvitur, sit certum arbitrio Parochianorum taxatum, neque enim taxari debet per Sacerdotem, quia id manifestam speciem exprimeret cupiditatis, & simoniæ, quarum utraque à Sacerdote, & Parocho aliena esse debet. Unde Congregatio resolvit Parochos non debere plus accipere pro tumulandis exteris, quàm civibus.

h Barb. in 2 addit.

58 His positis, ego dicerem, si Episcopus per suum præceptum, vel constitutiones aliquid certum decreverit dandum; illud accipi, & peti posse, sicut de stipendio pro Missa omnes docent: si sit taxatum per solam consuetudinem, posse accipi, si detur; quia verò non facilè constare potest, quòd talis consuetudo sit legitima, seu obli-

obligatoria, sed oppositum præsumi debet, quando non constat, quia homines non facilè intendunt se obligare ad actiones, quas liberaliter agunt: ego reciperem, si daretur; si non daretur, tacerem; quia cùm Parochus ex vi muneris sui teneatur ad funus, & officium sepulturæ, sicut ad Sacramentorum administrationem, & alias functiones Parochiales, pro quibus suum habet stipendium; non video unde nascatur obligatio solvendi certum quid pro funere, si de intentione populi volentis se obligare non constet, ut credo non constare; quia primi fortè id liberaliter solvere inceperunt, alii verò vel ex eadem liberalitate, vel ex ignorantia obligationis, quam fortè esse putabant, continuarunt. Non introducitur autem obligatio, quando aliquid fit ex obligatione putata, ut docent communiter DD. Unde prudens Parochus contentus sit eleemosyna sibi à defuncto fortè relicta, vel ab hæredibus oblata, & ut crimen avaritiæ, & fortè simoniæ fugiat, nihil determinatum petat, si id ab Episcopo taxatum non sit.

CAPUT VI.

Quid Parochus præstare debeat in funere suorum Parochianorum?

9 QUia concessa Ecclesiastica sepultura, conceditur quoque delatio [a] defuncti processionaliter, videndum superest, quæ sint partes Parochi in sepeliendis defunctis, & eorum funeribus ducendis. Nam licèt pompa funeralis non sit de necessitate sepulturæ, ut videre est in multis locis, in quibus defuncti secretò feruntur ad Ecclesiam, ubi fit officium sepulturæ: nihilominus ubi consuetudo est, quòd in processione efferantur, ut est in hoc Regno, & multis aliis Provinciis, ita faciendum est pro personarum qualitate, & devotione.

a Barb. c. 26. à n. 56.

60 Igitur Parochus defuncti indutus superpelliceo, & stola nigri coloris cum suo Clerico, & aliis Presbyteris, & Clericis, qui associare debent, præcedente Cruce, cùm ad domum defuncti pervenerit, ipse cum Clerico deferente vas Aquæ Benedictæ ingreditur locum, ubi defunctus jacet, quem priùs Aqua Benedicta aspergit, & commendat animam: deinde corpore in feretro composito ordinatur processio, præcedunt confraternitates laicales, si vocatæ sunt, postea deferens Crucem; & sequitur Clerus sæcularis, & regularis, si fortè vocatus fuit; & ultimo loco Parochus; ut suprà, indutus, qui incipit Psalmos, & preces juxta Rituale usque ad Ecclesiam, in qua est sepeliendus.

61 Nota verò, quando dicimus Parochum debere ingredi locum, in quo jacet defunctus; ibique commendare animam, non tollere; quòd aliæ Parochiæ, & familiæ regulares, si ad funus vocatæ sint; possint eumdem locum ingredi, & ibi commendare animam per responsoria, & preces consuetas; sed dicimus corpus non esse efferendum, quandiu proprius defuncti Parochus non venerit, & animam commendaverit. Nam Sacra Congregatio censuit Parochum, in cujus Parochia defunctus obiit, non autem Regulares, aut alios Presbyteros, etiam si in eorum Ecclesiis defunctus debeat sepeliri, debere benedicere corpus defuncti, & animam commendare. Intellige de illa ultima benedictione, & commendatione, qua finita, corpus effertur, & portatur ad Ecclesiam. Unde etiam censuit non licere Regularibus, nec aliis Presbyteris sæcularibus levare de domo corpora defunctorum, irrequisito proprio Parocho, cujus est hæc ultima, & quasi solemnis benedictio corporis, & animæ commendatio. Unde etiam declaravit proprium Parochum nullatenus esse excludendum à funere suorum Parochianorum, & eorum, qui intra limites suæ Parochiæ moriuntur, quamvis ad sepeliendum corpus Regulares dumtaxat à defuncto accersiri jubeantur.

62 Nota deinde in aliquibus locis esse consuetudinem, ut corpora secretò deponantur in Ecclesia Parochiali, vel alia, ut inde transferantur ad Ecclesiam Regularium, aut aliam, in qua sepulturam elegerunt. Quod si fiat; illud debet convenire Parochus, & omnes alii tam Regulares, quàm sæculares Presbyteri, qui funus comitari debent, & ibi Parochus debet commendare animam, & benedicere corpus, antequam efferatur,

Digitized by Google

ratur, ut suprà dictum est. Neque ex eo, quòd corpora portentur ad Parochialem, ut inde efferantur ad Ecclesiam propriæ sepulturæ, aliquid speciale debetur Parochiali, vel Parocho, præter communia jura Parochialia, de quibus cap. sequenti. Quæ omnia Sacra Congregatio decrevit, ut videre est apud [b] Barbosam. Verùm apud nos, quantum video, & audio, non est consuetudo, nisi ut ex domo defuncti corpus directè feratur ad Ecclesiam sepulturæ.

b Barbos. c.26. n.72.

63 Sacra Congregatio censuit omnes vocatos ad funus convenire debere ad Parochiam defuncti, vel ad aliam Ecclesiam, juxta loci consuetudinem; & nullo modo permittendum expectare per vias. Vel ad domum defuncti, non obstante contraria consuetudine expectandi per plateas, & Regulares vocatos ad sepeliendos mortuos etiam in eorum Ecclesiis, debere accedere ad domum defuncti, vel ad Ecclesias, ex quibus cadavera amoventur, & inde cum Clero sæculari discedere; non autem expectare extra, & aliis se postea associare. Hoc autem apud nos non video observari; optimum autem foret, ut omnes ad Parochiam convenissent, & inde cum Parocho, sine quo funus inchoari non potest, exire ad domum defuncti, ut vitaretur indecentia, cui Sacra Congregatio obviare voluit. Quò etiam deberet convenire Confraternitas Misericordiæ. Verùm ubi jam contraria consuetudo inolevit, quòd omnes vadant ad domum defuncti, ibique expectent, donec omnes vocati conveniant, difficilè mutari potest, cùm à tot, ac tam diversis personis dependeat, quæ ad invicem subordinatæ non sunt, nisi Episcopus juberet observari decretum Sacræ Congregationis. Ubi verò esset consuetudo suprà dicta, quòd corpora secretò portarentur ad Parochiam, vel aliam Ecclesiam, ut inde funus inciperet, facile observari posset.

64 Hæredes defuncti ad corpus ad sepulturam associandum convocare possunt numerum Sacerdotum sibi benè visum, & ceram sibi placitam, si defunctus id non declaravit, non obstante quolibet contrario prætextu per Parochum fortè deducto. Et tunc destinatos ab eis Clericos, & non alios vocare debet Parochus, ut censuit Sacra Congregatio. Si verò hæredes nullos destinaverint, jus convocandi alios Sacerdotes; si jubeantur convocari, Parocho competit. Confraternitates non posse accedere ad funeralia mortuorum, nisi specialiter, & expresè vocentur, & in actu associandi nullo modo posse erigere Crucem, decrevit Sacra Congregatio. Ubi tamen fuerit consuetudo præscripta in contrarium, ut credo esse apud nos, observanda videtur, maximè Parochis non contradicentibus, qui sanè non contradicunt, sed vel probant, vel dissimulant.

65 Ad Parochum defuncti spectat declarare, per quam viam defunctus sit exportandus, & omnia necessaria usque ad januam Ecclesiæ Regularium, ubi sepeliendus est, & tenetur usque ad eamdem januam funerale ducere, & prosequi, ut Sacra Congregatio censuit. Unde Regulares non possunt levare corpora defunctorum in suis Ecclesiis sepelienda sine Parocho, vel saltem Parocho priùs monito, & requisito, qui si interesse recuset, vel petitam licentiam neget, poterunt illa efferre, & sepelire sine præsentia illius. Et idem est, si sint sepelienda in qualibet alia Ecclesia, in qua sepulturam elegerunt, ut Congregatio declaravit.

66 In funeralibus deferenda est Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpus transfertur, postquam sequi debent immediatè personæ illius Ecclesiæ, & cæteri secundùm antiquitates, & præcedentias suas, dummodò non interveniat Capitulum Cathedralis, sub cujus Cruce omnes funus associantes incedere debent, & tunc Curatus, & Sacrista Cathedralis, quando intervenit Capitulum, præcedere debet proprio Parocho defuncti, ut Sacra Congregatio censuit. Supponit autem, & censet unicam tantùm Crucem deferendam. Sed apud nos est consuetudo, quòd quælibet Parochia, & quælibet communitas Regularis, quæ vocatur ad funus, suam Crucem deferat, postquam sequitur Clerus ejusdem Ecclesiæ. Ita faciendum, dummodo ultimum locum, seu nobiliorem habeat Parochia defuncti, & ejus Parochus, nisi interveniat Capitulum Cathedralis, quia tunc præcedere debet in loco nobiliori Crux Cathedralis,

& Pa-

& Parochus ipsius. Si verò Capitulum non adsit, sed tantùm Parochus Cathedralis cum suo Clero, videtur juxta prædictas declarationes debere præcedere Parochiam, & Parochum defuncti; sed si usus sit in contrarium, videtur observandus.

67 Ad Parochum defuncti pertinet facere officium sepulturæ super corpus defuncti, sive sepultura sit in propria Parochia, sive in qualibet alia Ecclesia existente intra limites talis Parochiæ, dummodo non sit Regularium; non autem ad Sacerdotes talis Ecclesiæ, quod procedit, etiam si ibi sint Canonici Cathedralis, ut censuit Congregatio.

68 Dixi: *Dummodo non sit Ecclesia Regularium*. Quia si defunctus sepeliatur in illorum Ecclesia, Parochus debet comitari funus, illudque dirigere usque ad Ecclesiam, in qua etiam potest permanere, si velit, absque eo tamen, quòd in officio sepulturæ decantando se intromittat. Nam Parochus, & Clerus sæcularis, postquam corpora defunctorum in Regularium Ecclesiis sepelienda comitati sunt, in hujusmodi Ecclesiis super defunctis officium sepulturæ, Psalmos, Responsoria, aliasque preces, & orationes recitare, aut cantare non possunt, sed ab ipsis Regularibus dumtaxat hæc omnia peragenda sunt, ut censuit Sacra Congregatio, non obstante quavis consuetudine in contrarium.

69 Dixi: *Sive in qualibet alia Ecclesia existente intra limites Parochiæ*. Quia si defunctus sepeliendus sit in alia Parochia, vel Ecclesia existente intra limites illius, ad Parochum talis Parochiæ, & non ad proprium spectat officium sepulturæ. Unde usque ad talem Ecclesiam debet associare corpus, & postea recedere, ut dictum est de Ecclesiis Regularium. Quare ad Parochum defuncti pertinet, quando ille non est sepeliendus in sua Parochia, vel in Ecclesia, quæ sit in ejus districto, facere omnia officia circa corpus defuncti tam domi, quàm per viam; postquam verò ventum fuerit ad tales Ecclesias, quæ vel ad Regulares, vel ad alios Parochos pertinent, debet recedere, ut dictum est.

CAPUT VII.

De emolumento Parochi ex funere suorum Parochianorum.

70 NOn agimus de stipendio dari solito Sacerdotibus comitantibus funerale, de quo diximus cap. 5. quia hoc habebit Parochus juxta consuetudinem, sive sit certum, & taxatum, sive liberum, & arbitrarium. Sed agimus de oblationibus, & aliis datis pro funere Ecclesiæ, in qua quis sepelitur. Et quidem si sepeliatur in sua Parochia, omnes oblationes, & donationes pro funere pertinent ad Parochialem, & ad ejus Parochum, si unus est, vel si cura est divisa per multos, inter eos dividuntur, juxta constitutiones Episcopi, vel antiquam consuetudinem talis Ecclesiæ. Quandò verò sepelitur in Ecclesiis Regularium, aut in alia Parochia, vel Ecclesia, seu pio loco alteri Parochiæ subjecto, videndum est quid ad proprium Parochum pertineat ex oblationibus, aut donationibus relictis pro funere Ecclesiæ, in qua fuit sepultus.

71 De jure igitur communi, ne Ecclesiarum Parochialium Rectores debitis fraudentur subsidiis, statutum est cap. 1. de Sepulturis, & in Clement. Dudum, eodem titulo, ut Ecclesia, in qua quis sepelitur, teneatur partem eorum, quæ defunctus pro anima sua reliquit eidem Ecclesiæ, tradere Parochiali, in qua defunctus domicilium habebat, propter Sacramentorum administrationem, & alia Divina Officia, quæ Parochus administrat. Hæc autem pars à diversis Pontificibus diversa fuit constituta; alii enim assignarunt dimidiam, alii tertiam, alii quartam, ut habetur cap. certificari, de sepulturis, eaque de causa consuetudine cujusque regionis hac in parte standum esse, ibidem subjungitur. Frequentiùs tamen solet esse quarta: cap. Cùm super, cap. In nostra, de sepult. & Clement. Dudum, eodem titulo. Et dicitur portio Canonica, quia à jure Canonico est inducta, & quarta funeralis, quia debetur ex funere.

72 Hæc portio, ut constat ex juribus citatis, debetur de omnibus, quæ de-

Defunctus in ultima voluntate reliquit Ecclesiæ, in qua sepelitur, sive relinquat per modum legati, sive instituendo heredem; & simul de omnibus oblationibus, & commodis funeris adeò, ut si quis morbo jam affectus Religionem ingrediatur, in eaque ex eo morbo è vita discedat, Ecclesiæ Parochiali sua portio debeatur de bonis, quæ ea via monasterio obvenerunt, ut habetur in capitul. his, de sepulturis.

73 Unde [a] Barb. ait quartam funeralem deberi de omnibus, quæ obveniunt ratione funeris, seu de omnibus funeralibus. Funeralia verè dici, quæ obveniunt ratione sepulturæ, & quæcumque, occasione funerum, ad Ecclesiam proveniunt, sive antequam corpus sit in terra conditum, sive post, usque ad trigesimum diem, & quamdiu sit memoria de funere, item de candellis, seu cerei, quæ circa crucem, & cadaver deferuntur. Quod debet intelligi, si pertineant ad Ecclesiam sepulturæ, non autem si conducantur ad illum usum, ut regulariter fieri solet. Item de illis, quæ dantur pro Missis dicendis. Quod intelligo de quarta parte Missarum, cum suis stipendiis, ut in Parochia dicantur. Item de omnibus legatis, & rebus quomodolibet donatis, seu relictis Ecclesiæ sepulturæ, ut constat ex Clement. citata.

a Barb. c. 25. a n. 37.

74 Quæ tamen videntur limitanda ex cap. ultimo de testament. ubi decernitur quartam funeralem non deberi Parochialibus Ecclesiis delegatis relictis Ecclesiis, aut piis locis pro fabrica, ornamentis, cereis, luminaribus, anniversario septimo, vigesimo, aut trigesimo die faciendo, & pro aliis ad cultum divinum perpetuum, modò non legentur in fraudem, ut Parochia sua portione privetur. Observant tamen communiter DD. apud Mol. [b] Mendicantes, & qui eorum privilegiis gaudent, teneri solvere quartam funeralem Ecclesiæ Parochiali etiam de hujusmodi legatis privilegiatis; quia fuit expressè constitutum in Clem. Dudum, de sepult. ubi simul statutum fuit, ut solam quartam solvere tenerentur.

b Barb. t. 2. d. 215.

75 Nota verò 1. quartam funeralem deberi Ecclesiæ Parochiali, in qua Defunctus solebat audire divina, & recipere Sacramenta. Unde estò quis propter bellum, aut pestem in villam se contulerit, aut alium locum, & ibi moriatur, quarta funeralis debetur Parochiæ, in qua habebat domicilium, si mortuus est animo redeundi, vel ibi erat relaxandi animi gratia, vel in quantum pestis, vel bellum cessabat. Imò si ægrotus in sua Parochia ad aliam transferri se fecit, & ibi moriatur; primæ, à qua recessit, quarta funeralis debetur. Quando verò quis duo habet domicilia, id est, duo loca fixa ad habitandum in duabus Parochiis, si æquè in utraque habitet, & in utraque recipiat Sacramenta, aut intersit divinis, tunc si in tertio loco sepeliatur, quarta funeralis dividenda est inter utramque Parochiam, cap. Cùm quis, de sepulturis in 6.

76 Nota 2. [c] quartam funeralem posse deberi Ecclesiæ Cathedrali, vel ex præscriptione, vel ex eo, quòd eam sibi reservaverit, quando Parochiæ fuerunt erectæ, in signum superioritatis; & tunc non residente cura penes certam personam, dividenda est inter clericos Cathedralis, penes quos est cura animarum. Unde stante consuetudine in civitate, quod jus sepeliendi peregrinos, viatores, & exteros, qui ibi casu moriuntur, spectet ad cathedralem, ut spectare diximus cap. 4. ex Sacræ Congregationis decisione, quarta funeralis non debetur Parocho, intra cujus limites tales decedunt, sed Cathedrali, prædicto modo dividenda, ut etiam censuit eadem Sacra Congregatio.

c Barb. à n. 10.

77 Nota 3. [d] renuntiationem canonicæ portionis in damnum Ecclesiæ factam nullius esse momenti, aut valoris, nisi fiat cum protestatione, quòd per illam non fiat præjudicium juri Ecclesiæ. Conventiones tamen, & compositiones super his juribus Parochialibus factæ inter Prælatos conventuales, & Parochos validæ sunt, etiam si celebratæ sint absque licentia Provincialium, esseque in usu in hac urbe Eborensi sæpè audivi.

d Barb. c. 33. & 34.

78 Hæc de jure circa quartam funeralem. Videndum superest, an ex privilegio, aut consuetudine sit aliquid immutatum? [e] Silv. ait Xistum Pontificem concessisse Mendicantibus, ut solùm tenerentur solvere quartam de his, quæ funus comitantur, hoc est, de

e Apud Mol. d. 215

de oblationibus diei funeris, non verò de aliquo alio. Idem ait Cov. usu esse receptum, & servari. Panormit. affirmat consuetudine receptum esse, etiam quando aliquis in aliena Parochia sepelitur, Ecclesiam sepulturæ non teneri solvere quartam de oblationibus factis post diem sepulturæ, sed solùm de his, quæ fiunt in die sepulturæ. Quod intelligerem de illis, quæ fiunt die exequiarum, quæ sæpissimè non fiunt in ipso die funeris, quo frequenter nulla fit oblatio, quæ reservatur ad diem exequiarum, quæ cum funere sæpè fieri non possunt, ut praxis ostendit.

f Sess. 25. c. 3. de ref.

79 Concilium [f] Tridentinum statuit, ut in quibus locis ante annos quadraginta Cathedrali, vel Parochiali Ecclesiæ quarta solita erat persolvi, estò postea ex quocumque privilegio monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque aliis piis locis sit concessa, solveretur integro Jure, & in eadem quantitate, & portione, in qua solvi consueverat. [g] Barb. verò ait more receptum esse, ut Ecclesiæ Parochiali quarta solvatur à Monachis ex iis tantùm, quæ offeruntur tempore, quo funus, seu exequiæ Defuncti celebrantur, deberique de omnibus oblationibus, & commodis funeris. Et Pium V. declarasse quartam funeralem debere solvi de his, quæ offeruntur in die funeris ex Trident. quod ita interpretatus est.

g Barb. n. 36.

h Mol. d. 215.

80 Mol. [h] aliis relatis, ait: Cùm jure expressum interdum sit, ut solvatur dimidium, interdum ut solvatur pars tertia, & interdum quarta, ad præscribendum intra totam hanc latitudinem satis esse consuetudinem decem annorum absque titulo, eò quòd talis præscriptio non sit contra jus, sed præter jus, ut affirmat Gloss. cap. ult. de sepult. in 6. Ad præscribendum autem, extra illam latitudinem, ita ut solùm infra quartam partem aut nihil omnino sit solvendum, cùm agatur de præscriptione contra Ecclesiam, necessariam esse consuetudinem 40. annorum cum titulo, aut tanti temporis, de cujus initio non sit memoria, eò quòd hujusmodi tempus titulo æquipolleat; quando non est titulus.

81 Addit verò in hac Eborensi diœcesi, & idem credit de Ulyssiponensi, & aliis hujus regni Diœcesibus usu esse receptum, ut Religiosi de solis funeralibus oblationibus diei funeris solvant Parochiæ Defuncti quartam partem; & neque de legatis, neque de oblationibus aliorum dierum, neque de aliqua alia re eam solvant. Præterea in hac Eborensi civitate consuetudine receptum esse, ut una Parochia nihil solvat alteri de oblationibus diei funeris; extra hanc verò civitatem audio aliquibus in locis Ecclesiam sepulturæ persolvere Parochiæ, cujus Defunctus erat Parochianus, dimidiam oblationem diei funeris, & exequiarum mensis, & anni, atque propter ea loca, latam esse constitutionem hujus Archiepiscopatus titulo 14. cap. 4. §. *E quando*. Quæ hoc significat. Unde concludit in unoquoque loco standum esse consuetudine in eo recepta.

CAPUT VIII.

De Cura Parochi erga animas Defunctorum.

82 Non est Parochus solùm debitor ovibus Christi sibi commissis, dum in hac vita degunt; nec solùm corporibus humandis, post mortem, sed præcipuè animabus, quas adhuc diligere debet, & juvare tamquam filias charissimas, ut à Pœnis Purgatorii liberentur per sacrosanctum Missæ Sacrificium, & alia suffragia Ecclesiæ, & pia opera, quæ pro eis oblata magnam habent vim ad eorum libertatem, & æternum refrigerium obtinendum

83 Meminerit ergo se esse patrem spiritualem, cujus est spiritus, & animas filiorum in tanta necessitate existentium non oblivisci. Quis enim pater, quamvis durus, & austerus, non recordatur filii in carcere, vel captivitate positi, & non adhibet omnem possibilem diligentiam ad eum liberandum? Non patiatur igitur spiritualis pater se vinci à carnali, quia carcer Purgatorii nulli humanæ miseriæ comparari potest, siquidem ibi sanctæ filiorum animæ non catenis ferreis, sed atrocibus flammis detinentur, donec divinæ justitiæ satisfaciant vel per se, vel per eos, qui

in hac vita sumus, qui pro eis satisfactiones Deo offerre possumus, inter quas præcipuum locum habet Missæ sacrificium, in quo pro eis offertur Christus ipse agnus immaculatus in ara crucis Deo Patri immolatus, ejus pretiosus Sanguis, passio Sanctissima, & merita infiniti valoris, qua nulla dignior oblato excogitari potest, quàm salus pater spiritualis offerre potest.

84 Scribit Petrus [a] Cluniac. Abbas cuidam Parocho nomine Stephano apparuisse militem Defunctum, cui ipse, sicut in vita, ita & in morte Sacramenta ministravit, eique significasse attrocissimas pœnas, quas in Purgatorio patiebatur, ad quas evadendas opus erat satisfacere cuidam obligationi in sæculo contractæ, proindeque precari, ut suaderet fratri suo, ut in tantis tormentis constituto opitularetur per congruam satisfactionem talis obligationis. At frater Defuncti durus, & immisericors nihil pro fratre facere voluit. Quare secundò apparet ei, & sic affatur. Ad hoc secundò me Deus tibi apparere voluit, ut quod per fratrem nequeo, per te consequi merear: debes tui, si benè perpendas, plus fratre mei misereri, ille enim frater carnalis, tu pater in Deo fuisti spiritualis. Quibus dictis evanuit. Quæ satis declarant obligationem Parochi erga animas Defunctorum suæ Parochiæ titulo patris spiritualis, quem erga illas exercuit.

a Petrus Clun.

85 Quare admonendi sunt Sacerdotes, maximè animarum curam habentes, ut diligentes sint in applicandis Suffragiis Ecclesiæ pro Defunctis, maximè in Missis, pro quibus stipendia acceperunt. Hos enim præcipuè admonet D. Chrysost.[b] per hæc verba: *Mementote vinctorum tamquam simul vincti; quia scilicet charitatis vinculo vincti, & conjuncti estis cum illis, qui non ferreis catenis, sed ardentibus flammis in Purgatorio detinentur, illorum memores estote, pro illis debita solvite*. Si enim vinculum charitatis, quo omnes justi, & vinculum fidei, quo omnes fideles cum illis Sanctis animabus in Christo uniti sumus, nos stimulare debet, ut charissimis in Christo fratribus, qui in Domino dormierunt, condoleamus, & succurramus; utpote in maxima tribulatione constitutis, quos si auscultare vellemus; illos audiremus verbis lacrymosis, quibus sanctus Job in sua miseria positus amicos suos alloquebatur: [c] *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me*. Quæ nos eò magis movere deberent, quò illorum pœnæ, & cruciatus longè superant Jobi afflictiones, & quascumque in hac vita omnes simul homines passi sunt, aut patientur. Ita illos tangit manus Dei, & justitia punitiva illius.

b Hom. 4. in 1. Cor.

c Iob 19. 21.

86 Quomodo ergo credemus allocuturas sanctas animas illos, qui præter hæc communia vincula, alia contraxerunt, vel strictæ gratitudinis, quia illorum bonis fruuntur, ut heredes, & legatarii, omnesque Ecclesiastici, qui Ecclesiastica beneficia potiuntur, ab ipsis erecta, & fundata propriis bonis, & omnes Religiosi, qui piis ipsarum eleemosynis, & fundationibus aluntur; vel strictæ justitiæ, qua Parochi, & alii Sacerdotes tenentur ex stipendio accepto Sacrificia Missarum pro ipsis offerre? Certè ad hos inclamabunt verbis illis, quæ habentur apud Gersonem: [d] *Quare carnibus nostris saturamini? Nostrum est aurum & argentum, quod in arcis vestris reconditis avari Sacerdotes, & ea lege vobis datum est, ut peccata nostra, & delicta redimatis; unde ergo tanta infidelitas, & immanitas, ut nulla vos nostri pietas tangat?*

d Gerson.

87 O magnum crudelitatis genus! ò impietas Sacerdotum execranda! quòd ipsorum culpa sanctæ animæ in Purgatorio diu crucientur! De his Parochis, & Sacerdotibus loquor, utinam multi non forent, qui cupiditate lucri illecti plura Missarum onera in se suscipiunt, quibus postea satisfacere non possunt. Quorum avaritia crudelis est, & execrabilis propter irreparabilia damna, quæ infert; nam ultra quòd hominibus infideles, gravissima culpa implicati crimen furti incurrant, quia mercedem accipiunt, & debitam operam non reddunt; gravius est quod Purgatorii animas debitis subsidiis defraudant; quod damnum adeo grave est, ut verbis explicari non valeat;

Digitized by Google

leat; quia pœnæ illæ sunt tam acres, tamque acerbæ, ac multæ, ut hominum captum superent. Unde animabus sic diu vexatis subsidium saltem debitum non præstare, aliud non est, quàm pœnas, & tormenta velle, libertatem sponte protrahere, aditum cœlestis patriæ impedire, ac proinde odio iniquo odisse, quos maximè diligere tenebantur.

88 Quamvis autem tales Sacerdotes pœnitentia ducti accepta stipendia restituant, quod vix facere contingit his, qui avaritiæ labe sordescunt, vel post se relinquant, qui omissis Missarum oneribus satisfaciant; quomodo temporis illud spatium, quo animæ Purgatorii flammis arsere, quia illas debitis suffragiis non juvarunt, compensare poterunt? Maximè cùm una sola hora Purgatorii ob tormentorum acerbitatem longior multorum annorum tormentis appareat; ut enim legimus in historiis authenticis, cùm quidam sanctus vir per revelationem accepisset se in Purgatorio cruciandum, donec pro illo sacrificium Missæ offerretur, ab intimo amico enixè petiit, ut cùm primùm ejus anima è carnis ergastulo solveretur, statim Missam pro eo offerret. Præstitit amicus promissum charitatis officium; cùm, Missa absoluta, Defunctus ei apparet incusans de infidelitate, & crudelitate, quòd ipsum in Purgatorio per viginti annos cruciari permisisset. Cui amicus: Adhuc corpus tuum calet, vix est media hora elapsa, ex quo è corpore recessisti, & ego jam Missam pro te absolvi. Ex quo uterque deprehendit pœnas illas esse adeò horribiles, ut media illarum hora pro viginti annis animæ, quæ purgabatur, appareret.

89 Considerent igitur avari Sacerdotes, avertant Parochi habendi cupidi, qui ob lucri cupidinem multarum Missarum stipendia congregant, quibus nec satisfaciunt, nec satisfacere valent per multos annos; quia sæpè quatuor, quinque, & pluribus milliaribus Missarum se onerant, & vix paucis solutis, novis se quotidie obligationibus implicant, donec mors inopinata accurrens illos sic implicatos invenit. Videant, inquam, quanto jure infideles, impios, ac crudeles ab ipsis animabus inclamentur, quarum clamores ad cœlum pertingent, & debita supplicia pro tanta avaritia, & crudelitate provocabunt.

90 Certè verissimè dixit Chrysost. [e] *Avaritia omnes, qui ei inserviunt, crudeles efficit, atque feroces*. Nam eò pertingit, ut inducat ad hoc immanitatis genus exercendum cum sanctis animabus, quod Christi etiam persecutionem appellare possumus cum D. Bern. [f] de avaris Sacerdotibus ita loquente: *Dati sunt Sacri gradus in occasionem turpis lucri, quæstum æstimant pietatem: an verò Salvatori animarum gravior esse poterat persecutio?* Nulla certè, neque contra oves Christi crudelitas major, quàm ea, quam ab istis deplorandis Sacerdotibus, & pastoribus animæ patiuntur. De quibus Propheta: [g] *Principes ejus quasi lupi rapaces rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, & avarè sectando lucra*. O crudele lucrum! O immanis avaritia!

91 Habet avaritia Sacerdotis vim indurandi cor: nulli parcit avarus Sacerdos, nulli compatitur; animas etiam ipsas deprædatur, & acribus comburit Purgatorii flammis: monstrosa res est Sacerdos avarus, & pastor in lupum conversus, rapiens ab illis, pro quibus ex officio dare vitam debuerat. Quod sic deplorat D. Greg. [h] *Considerate nunc quid de gregibus agatur; quando pastores lupi sunt: hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari dominico gregi non metuunt; contra quos custodiri Dei greges debuerant: nulla animarum lucra quærimus, nostris quotidie studiis vacamus, terrena tantùm concupiscimus*. Unde dixit Spiritus Sanctus: [i] *Avaro nihil est scelestius*. Qui enim sibi non parcit, qui animæ suæ non miseretur, sed in infernum detrudit, quomodo parcet, & miserebitur animarum Purgatorii?

92 Noster verò Parochus, quem pium, & Misericordem esse supponimus, ut decet ejus officium, audiat Hieron. [l] Parochum sibi amicum instruentem: *Ne lucra sæculi in Christi militia quæras; nec plus habeas Sacerdos, quàm cùm Clericus esse cœpisti: negotiatorem Clericum, & ex inope divitem factum,*

e Chrys. hom. 7. de pœnit.

f Ser. 1. in convers. Pauli.

g Ezech. 22. 27.

h Greg. hom. 17. in Euangel.

i Eccl. 10.9.

l Ad Nepotian.

ctum, quasi quamdam pestem fuge: ignominia Sacerdotis est propriis studere divitiis. Si enim hæc egregius, ac sanctus Doctor Hieron. de lucris Sacerdotum licitè, & justè aliàs conquisitis; quid diceret in præsenti materia de lucris adeò injustè partis, & cum tanto, ac tam crudeli Sanctarum animarum damno, & propriæ animæ ruina, & perditione comparatis?

93 Deponat igitur omne tam iniquæ avaritiæ studium, sit salutis suæ memor, & statim misericors, & pius erit cum animabus sibi commissis: subitò curabit cum omni diligentia persolvere Defunctis Missas, quas pro illis offerendas suscepit. Et si multæ sint, quibus satisfacere non possit sine animarum detrimento, illas dividet per pauperes, & honestos Sacerdotes, quos etiam in hoc juvabit ad suam paupertatem sublevandam, vel per monasteria Religiosorum, quæ inopia fortè præmuntur. Sic autem faciens suæ conscientiæ consulet, alios adjuvabit, animasque ipsas propitias, & obæratas habebit, ut pro se ad Dominum, cùm Paradisum intraverint, intercedant. Recolat autem, quæ de Missarum oneribus dicta sunt lib. 4. cap. 19.

CAPUT IX.

De Cura Parochi circa animas pauperum, qui in sua Parochia obeunt.

94 DIximus cap. præcedenti de Cura Parochi circa animas, pro quibus ex justitia celebrare tenetur, ratione stipendii accepti. Jam de illa, quæ habenda est pro illis, qui in ea paupertate decesserunt ex hac vita, ut nullum potuerint relinquere stipendium, ut Missæ, aliaque suffragia pro ipsorum animabus offerrentur.

95 In quo casu, qui non infrequens esse solet, quis non videat curam Parochi non solùm esse necessariam, sed modo aliquo debitam? Debitam dico, non quòd pastor sub reatu peccati teneatur ad Missæ sacrificium offerendum pro singulis suæ Parochiæ; hoc enim sicut nec definire audeo, ita nec inficiari; sed debitam, si eam charitatem attendamus, quæ digna est vero Pastore, cujus viscera pietatis ad vitæ etiam functos dilatari debent, quia vera charitas permanens est, & perseverans, nec est mercenaria, sed liberalis, ut dixit S. Bern. [a] *Non mercenaria est*, inquit, *quippe non quærit, quæ sua sunt: affectus est, non contractus; nec acquiritur pacto, nec acquirit: sponte efficit, & spontaneum facit: verus amor se ipso contentus est.*

a De diligendo Deo.

96 Et quidem si Concilium Tridentinum [b] inter Parochi obligationes ait, debere pauperum, & aliarum miserabilium personarum paternam curam gerere, hancque obligationem, sicut cæteras, quas enumerat, esse de jure divino: quomodo fieri potest, quòd hæc paterna cura non se extendat ad easdem personas etiam post mortem, adjuvando illas per suas orationes, & sacrificia? Si enim viventibus tenetur succurrere, vel procurare subsidium, ne fame pereant; cur non jam Defunctis, ne atrocissimis pœnis crucientur? Videat prudens Parochus differentiam utriusque miseriæ, & necessitatis, & inde judicet ad quid teneri possit?

b Sess. 23. c. 1. de ref.

97 Si ergo ex hoc mundo egressæ sint animæ prædictarum personarum, quamvis nulla sit stipendii accepti obligatio; illas diligere, & à pœnis sublevare bonus Parochus debet. Nam si pro eis tantùm offerat sacrificium, à quibus, seu pro quibus emolumentum accepit; aliàs verò totaliter deserat, nec adjuvet modo, quo potest, quia nullum temporale lucrum recipit; profectò non verum pastorem, sed mercenarium se demonstrabit.

98 Certè scimus aliquos fuisse, nec hodie deesse pios Parochos, qui pro singulis animabus, quæ hinc decedunt, nullo suffragatore existente, Missæ sacrificium offerre consueverunt ipso die obitus, si commodè poterant, dicebantque se ad hoc charitatis officium extimulari, quia animas illas in Purgatorio detentas, ut filias charissimas considerabant, neque se umquam majori cum fervore, ac devotione celebrasse, quàm cùm pro his Missæ sacrificium offerebant, pro quibus non temporalem, sed æternam mercedem sperabant.

99 Et

Digitized by Google

99 Et quidem si omnes Christi fideles Defunctorum animas, ob eam, quæ inter ipsos est fidei, & charitatis conjunctionem, omni ope juvare debent; in quo pietatis, & charitatis officio personæ sæculares floruerunt, & florent: quid pastores in eodem decet, qui præter commune vinculum, peculiari quodam nexu ovibus quondam suis devincti sunt? Ad quos è mediis Purgatorii flammis, & cruciatibus clamant non solùm tamquam ad amicos, sed tamquam ad patres verbis illis apud Gersonem: [c] *Numquid non filii vestri sumus? numquid non vestris uberibus ablactati? cur ergo non commovenent viscera patris tanta filiorum suorum inspecta necessitate?* Commovere igitur bone pastor, commovere, si patris nomen, & amorem habes.

c Gerson.

100 Recordare quòd tanta est illarum pœnarum acerbitas, ut quamvis in æternum duraturæ non sint, adeò tamen sunt atroces, ut si omnes pœnæ, quæ in hoc mundo cogitari possunt, minimæ, quæ illic habetur, comparentur, solatia potius sit, quàm tormenta; mallet enim quilibet viventium, si illas expertus esset, omnibus tormentis hic usque ad mundi finem cruciari, quàm per unam horam illic leviter torqueri. Movere igitur bone Paroche tanta filiorum tuorum afflictione, ut quando in eadem fueris, sit, qui tui misereatur. Nam ut monet sanctus Apostolus: [d] *Iudicium sine misericordia ei, qui non fecerit misericordiam.*

d Iacob. 2. 13.

101 Hanc per orationes tuas, & alia pia opera frequenter exerce, maximè cùm ad altare sacrificaturus accedis. Ut enim ait Chrysost. [e] *Non frustra memoriam mortuorum inter Sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro illis agnum illum peccata mundi tollentem deprecantes, sed ut his salus, & consolatio sit. Nec temere qui altari assistit inter tremenda mysteria clamat pro omnibus in Christo morientibus.* Si enim Jobi victima Deum pro filiis placabat, cur dubitas à nobis quoque, si pro dormientibus offeramus, solatii multum illis accessurum? Nam teste sancto Laurent. Justin. [f] *In hora oblationis corporis Christi, quantum fas est credere, aperiuntur cœli, mirantur Angeli; sancti laudant, exultant justi, captivi visitantur, compediti solvuntur, infernus luget, sanctaque in Spiritu lætatur Ecclesia.*

e Hom. 4. in Cor.

f Ser. de corpore Christi.

102 Igitur pius Parochus charitate, ac misericordia motus procuret, quantum sibi possibile fuerit, unam saltem Missam pro qualibet anima istarum miserabilium personarum offerre, & in aliis faciat illarum memoriam in memento Defunctorum, & in aliis particularibus orationibus; eleemosynasque suas, & alia pia opera, quæ facit, illis saltem ex parte applicet; quia in hoc meritum suum non perdit, sed auget. Præterea in suis sermonibus, & exhortationibus, quas ex officio facere tenetur, ut dictum est lib. 5. sæpè inculcare studeat suis Parochianis devotionem animarum Purgatorii, explicando acerbitatem pœnarum, quas patiuntur, quomodo juventur non solùm per Missas, sed etiam per orationes, per eleemosynas, & alia opera misericordiæ; hancque pietatem esse Deo valde acceptam, ipsis animabus perutilem, & vivis qui eam exercent, nimis proficuam.

103 Denique quia aliqui sunt pauperes, qui pro se nullam Missam relinquunt, alii non nisi paucissimas præ inopia, procuret charitas Parochi supplere hanc indigentiam suffragiorum per indulgentias Ecclesiæ, ad idque sataget habere in sua Parochia aliquod altare privilegiatum, ut per Missam in eo pro anima oblatam à Purgatorio extrahatur, quia Romæ nullæ fiunt expensæ pro illo concedendo, si Ecclesia sit capax, juxta stylum Curiæ Romanæ; & utilitas animarum est satis magna, & charitas Parochi sine temporali sui detrimento apud Deum, & apud homines multum commendabitur.

104 Et quidem, si bonus Parochus attentè recogitet obsequium hoc spiritualis misericordiæ, quod in hoc capite persuadere intendimus, esse Deo gratissimum, & sibi utilissimum, non dubitabit illud libenter impendere. Recogitet ergo animas illas esse Deo sponsas charissimas, ac valde dilectas, quæ interim cruciantur, ut à maculis abstersæ puriores compareant in Dei conspectu; qua quæso voluntate juvaret illum, quem certò sciret post præsentem laborem, Regem statim inaugurandum? At animæ

mæ illæ cœlesti regno destinatæ sunt: ergo si Parochus Missæ sacrificio maculas illarum, quibus detinentur, lavet in Christi sanguine, animasque sistat in Dei conspectu eo fruituras, ac cum eo regnaturas, ultra quod Deo rem gratissimam præstet; hoc tam insigni beneficio sibi devinctas habebit in Regno Dei, ut cumulatissimè gratiam acceptam referant, ac recompensent. Ecce quanta merces expectanda est Parocho ex his sacrificiis, pro quibus nulla temporali unius, vel alterius regalis argentei, pro quo stipendio celebrare consuevit. Addat, quòd etiam in hac vita sanctæ animæ suis benefactoribus opitulantur, ut constat ex multis exemplis, & historiis authenticis, quæ videri possunt apud P. Roam g in libello aureo de Purgatorio, in quo dum etiam detinentur, pro iisdem Deum orant, & non vulgaria impetrant beneficia.

g Roa de Purg.

CAPUT X.

De Cura Parochi circa executionem piarum voluntatum suorum Defunctorum.

105 DEbet bonus Parochus vigilare, omnemque possibilem diligentiam adhibere, ut quæ pia voluntate Defuncti in animarum suarum suffragium legata reliquerunt, quamprimùm executioni mandentur, quia quamvis, quoad meritum, ex dilatione executionis Defuncti nullum detrimentum patiantur; quoad suffragium tamen, & subsidium; illis valde obest talis dilatio: quia suffragium, quo à pœnis liberantur, & sublevantur, eis non conceditur, nisi per realem operum relictorum impletionem. Unde sicut impietas maxima est legata non implere, ita eximia charitas efficere, ut citiùs suum sortiantur effectum. Quod charitatis officium ab animarum pastore alienum non est; quia cùm sit pauperum pater, & protector miserabilium personarum, animæque Defunctorum in Purgatorio positæ sint in magna miseria, & necessitate subsidii; protectio, & cura diligens in hac materia eò est magis dignior boni pastoris, quò per eam majora mala avertuntur, & majora bona comparantur. Et tam in jure canonico, quàm in particularibus multarum Ecclesiarum multa circa hoc salubriter instituta sunt. Utinam ubique accuratè observarentur.

106 Quærit D. Thom. a primò, utrùm Defunctus patiatur aliquo detrimentum, si executor sui testamenti differat eleemosynas, & pia legata, aliaque suffragia, quæ pro anima sua fieri jussit? Respondet verò, quantum ad meritum, nullum detrimentum pati ex prædicta tarditate, maximè si quantum in ipso fuit, curam adhibuit, ut hujusmodi citò fierent; quia meritum principaliter pendet à voluntate, & intentione, suppositis aliis conditionibus ad meritum requisitis. Quantùm verò ad effectum, pati maximum detrimentum, non quidem quòd pro hujusmodi tarditate puniatur, sed quia ei remedium non adhibetur ad evadendas pœnas, quibus ob peccata commissa subjectus est, dum suffragia differuntur, ex quibus ad eas evadendas plurimùm juvaretur. Et hæc sententia aliorum etiam Doctorum communis est.

a Quodlib. 6. a. 6.

107 Quærit secundò, utrùm executor testamenti possit differre distributionem eleemosynarum, quas Defunctus reliquit, ad hoc ut res Defuncti in posterum melius vendantur? Respondet in mora modici temporis non videri magnum esse periculum: unde si per modicum tempus differant, ut rebus Defuncti melius venditis ampliores eleemosynas dare possit, laudabiliter id facere. Si verò per multum tempus differat, non videri esse absque culpa; quia fortè Defunctus à Purgatorio liberaretur, in quò si existat, remedium suffragiorum maximè necessarium erat. Hoc autem requirit examen prudentis executoris, ut considerata dilatione temporis, & conditione personæ, quæ creditur citiùs, vel tardiùs liberanda, & quantitate augmenti eleemosynarum, faciat quod magis expedire videbitur Defuncto, cujus majus bonum ante oculos habendum est. Ita sanctus Doctor.

108 Ex cujus doctrina facilè intelligitur executores, quorum fidem Defunctus

Digitized by Google

functus eligit, fideles esse oportere, à fidelitate enim Fideicommissarii dicuntur. Postulat autem hæc fides, ut primo loco fideles sint animæ Defuncti; tales verò erunt, si statim exequantur illa, quæ pro anima sua piè fieri mandavit: nulli enim executori dubium esse potest, quin ea fuerit prima voluntas Defuncti, & Cura. Unde Dionys. Carthus. Epistolam scribens ad executorem cujusdam testamenti, disertè ait executores testamentorum impiè, infideliter, & damnabiliter agere, qui congestam Defunctorum pecuniam nequaquam in adminiculum animarum ipsorum, prout ipsi mandarunt, expendunt. [b] *Te*, inquit Dionys. inter alia, *reverende magister, qui inter executores hujus viri præcipuus electus es, oro, & obtestor per eamdem fidem, quam hic in te esse arbitrabatur, ut omni repulsa dilatione, testatoris expleas ultimam voluntatem, ne in te ira Dei deseviat. Etiam, me tacente, tu nosti, quàm sit impium, & omni plenum periculo voluntates negligere testatorum.* De quo multa apud AA.

b Apud Molan. de piis testam. c. 72.

109 Fideles autem oportet esse executores non tantùm erga animas Defunctorum, sed etiam erga omnia, & singula, quæ eorum fidei commissa sunt, ut ea sincerè, & ut oportet, citissimè exequantur. Quamvis enim ante finem anni à morte Defuncti ordinariè non cogantur ad reddendam rationem suarum administrationum, si tamen se ipsos quærant in retinendis pecuniis, aut executionem differant, dum terminus rationis dandæ non appropinquat; coram Deo infideles erunt, quamvis fortasse coram hominibus tales non judicentur. Multa etiam concurrere possunt, quæ illorum aggravent infidelitatem; qualia sunt, si sua tarditate injuriam inferant piis causis, creditoribus, viduis, pupillis, egenis, &c.

110 Quando igitur Defunctus certum determinavit tempus, intra quod facienda sint, quæ ab ipso mandantur, intra illud facienda sunt, ne executor infidelis habeatur. Quando verò tempus non determinavit; suffragia, & legata pia statim implenda sunt; ut notant DD. in cap. Nos quidem, de testamentis. Unde falsum est, quod multi vulgariter credunt, nempe executores testamentorum habere integrum annum ad facienda suffragia, & implenda legata pia Defunctorum. Nihil enim tale habetur in jure Can. in quo solùm disponitur, ut si hæredes, vel testamentorum executores sint negligentes in adimplendis ultimis voluntatibus Defunctorum per annum, posse heredes privari hereditate, ut executores privari utilitate, & commoditate sibi proveniente ab executione: hoc autem non est posse licitè differre per annum executionem, ut satis patet. Quare statim tenentur, cùm primùm commodè possunt, juxta regulam illam: [c] *In omnibus obligationibus, in quibus dies non apponitur, præsenti die debentur.* Peccantque mortaliter, si in hoc sint notabiliter negligentes, ut notat Nav. [d] & alii Summistæ, & DD. in cap. Nos quidem, & cap. Tua nos, de testamenttis. De quo potest videri Carrillus in bulla Defunctorum.

c L. in omnibus ff. de reg.

d C. 25. n. 61.

111 Hinc constat, quàm grave peccatum sit, quàmque impii, & crudeles habendi sint hæredes, & testamentorum executores, qui scientes gravitatem pœnarum Purgatorii, quibus animæ cruciantur, illarum obliti, ac si in refrigerio essent, nec adjuvant faciendo pro illis, quæ ex officio facere tenentur cum debita solicitudine, & diligentia. Quos jus Can. meritò vocat infideles, & homicidas, cap. Qui oblationes, cum sequentibus, 13. quæst. 2. si enim homicida dicitur, qui proximum non pascit, quando indiget alimento, cap. Pasce, d. 86. Quis magis indiget, famelicus, an qui acerbissimas patitur pœnas in Purgatorio? Unde pia mater Ecclesia negligentes hos executores excommunicatione ferit tamquam in re gravissima delinquentes, capitul. Cleric. cum sequentibus, 13. qu. 2.

112 Qui saltem in alia vita pœnas dabunt suæ negligentiæ, & crudelitatis condignas, in cujus rei confirmationem duo libet afferre exempla. [e] Primum cujusdam militis, qui morti vicinus vocato ad se nepoti commendavit, ut ejus equum, & arma, quæ sola habebat, venderet; & pretium pauperibus distribueret pro anima sua. Promisit nepos, se id facturum, quod tamen non implevit. Transacta autem media anni parte, ei Defunctus apparet, hisque ver-

e In lib. de apibus.

verbis increpat. Non curasti facere pro me, quod ante meam mortem rogavi; unde in causa fuisti, ut ego hactenus essem in pœnis Purgatorii atrocissimis. Quapropter supremus judex, approbantibus Angelis, & Sanctis omnibus, sententiam protulit, ut ego ad paradisi gaudia recipiar; tu verò ob hanc negligentiam tantumdem in eisdem pœnis detinearis, ac ego detentus sum, præter tempus aliarum pœnarum, quas alias, ob alia tua peccata, passurus es. Quibus dictis disparuit, & nepos morbo correptus, confessione suorum peccatorum facta, & aliis Sacramentis munitus obiit, & absque dubio sententiæ rigorem subiit.

f D. Anton. 1. p. histor.

113 Secundum *f* est alterius militis nomine Romarici, qui tempore Caroli Magni morti proximus alteri militi amico suo arma similiter, & equum reliquit, ut pretia in operibus piis pro anima sua expenderet. Vendidit amicus, sed pretia in vitiosis actionibus propriæ voluptatis insumpsit; post triginta verò dies, in somnis sibi visum est vidisse Defunctum objurgantem de incuria, & negligentia, qua secum usus fuerat, ob quam diutius in Purgatorio detentus fuerat, quàm detineretur, si promissis staret, quo Deum gravissimè offenderat, à quo graviter erat puniendus, nisi pœnitentiam ageret. E somno evigilans miles nihil de somnio curavit, sed potius de eo ridens inter jocos amicis narravit; in quorum, præsentia ridens à dæmonibus raptus, ejus corpus sectum in frusta inventum est, & anima, ut præsumi debet, in inferno sepulta fuit.

114 Curet igitur bonus Parochus, qui vivis, & Defunctis debitor est, per hæc, & similia exempla, quæ sanè multa sunt, Parochianos suos exhortari, & movere, ut in hac parte sedulam curam exhibeant Defunctis, à quibus relicti sunt executores suarum voluntatum, ut illis prosint suffragia, ac pia legata cum tempore impleta, & ne propriis animabus noceant per aliquam negligentiam in hac re culpabilem, quæ sanè Defunctis maximè perniciosa est, & sibi ipsis valde periculosa; quia ultra quòd in eo graviter offendunt, & meritas pœnas dabunt, permittet justus Dominus, ut eadem negligentia utantur ipsorum hęredes, & testamentarii cum ipsis, quando in eadem fuerint necessitate.

LIBER

Digitized by Google

LIBER DECIMUSTERTIUS,

De variis Ministeriis Officii

PAROCHIALIS.

Diximus hucusque de obligationibus Parochi quasi substantialibus. Superest in hoc ultimo libro dicendum de aliis levioribus, & quasi accidentalibus, quæ non propterea spernendæ sunt, quia ad perfectionem, ornatum, & pulchritudinem substantiæ plurimùm etiam conducunt accidentia, quæ illius ornamenta dici solent.

CAPUT I.

De functionibus Parochialibus.

Functiones Parochiales dicuntur illæ, quæ à proprio Parocho fieri debent, in quibus capellarum, seu quorumcumque beneficiorum simplicium Rectores, Sacristæ, vel Capellani se intromittere nequeunt, quia ad ipsum tantùm Parochum spectant.

2 Benedictio fontis Baptismalis, quæ fit in Sabbato Sancto, & in privigilio Pentecostes, inter functiones Parochiales connumeratur, ac proinde ad solum Parochiæ Rectorem pertinent, ut docent Doctores apud Barbosam.[a]

a Barb.c. 11.

3 Delatio Sanctissimi Sacramenti in processionibus, celebratio Missæ solemnis feriæ quintæ in Cœna Domini, & Sabbati sancti inter functiones Parochiales numerantur; & propterea tale munus non spectat ad Capellanos, neque ad alios beneficiarios, sed ad Parochum, seu Rectorem animarum curam habentem, ut declaravit Sacra Rituum Congregatio apud eumdem Barbosam.

4 Candelarum benedictio in die Purificationis fieri solita, earumque dispensatio inter Parochiales functiones numeratur; quare ad proprium Parochum spectat, & non ad alium, ut etiam declaravit Sacra Rituum Congregatio, & docent DD. apud eumdem.

5 Cinerum benedictio, quæ solet fieri primo die Quadragesimæ, numeratur inter functiones Parochiales, & ideo à Parocho est facienda, ut etiam declaravit eadem Congregatio. Et idem est de benedictione palmarum, quæ fit Dominica in Palmis, ut etiam censuit Congregatio subdens omnes has benedictiones à Parochis in eorum Ecclesiis Parochialibus fieri debere.

6 Aspersiones domorum in Sabbato Sancto fieri solitæ post benedictionem fontis Baptismalis in aliquibus locis; in aliis verò primo, aut secundo die post Dominicam Resurrectionis, inter functiones etiam Parochiales numerantur, ac proinde solùm spectant ad Parochos privativè. Unde Sacra Congregatio Concilii censuit non posse Regulares in Sabbato Sancto benedicere domos, cùm non possint hoc munus extra suum conventum exercere, eò quòd sit proprium Parochorum. Nescio an sit in usu in hoc regno hæc domorum benedictio, quia in multis locis eam non vidi. Romæ tamen vidi singulis annis, cum quadam obla-

Digitized by Google

tione facta à qualibet domo suo Parocho.

7 Facere processiones per Parochiam ad Parochos spectat; & sine illorum consensu illos dirigere nullus etiam Regularis valet, ut censuit Sacra Rituum Congregatio 16. Februarii, 1628. & 15. Decembris censuit non licere Regularibus, aut Confraternitatibus laicorum habentibus claustra, processiones facere extra claustra monasterii: carentibus verò claustris, non nisi intra ambitum; seu prope muros Ecclesiarum, sive exeundo ab una porta Ecclesiæ, & intrando per aliam, sive per eamdem, & semper prope muros Ecclesiæ. Extra verò ambitum Ecclesiarum, non nisi de licentia, & consensu Parochi, & cum cruce Ecclesiæ Parochialis. Excipi tamen debent Regulares, qui habuerint speciale privilegium ad processiones faciendas: circa quos Congregatio Rituum 20. Julii 1629. censuit non eis licere mutare, aut variare vias, & loca semel ab eis electa, sed incedere debere per easdemmet vias, per quas processionaliter prima vice incesserunt, quando tales processiones facere cœperunt.

8 Non numeramus inter functiones Parochiales benedictiones nuptiales, nec benedictiones sepulturarum, nec alias actiones, de quibus in libris præcedentibus; quia hæ non pertinent ad functiones, sed ad jura Parochialia, quæ à fortiori pertinent ad Parochum, ut suis locis dictum est.

CAPUT II.

De denuntiationibus Parochialibus.

9 INter Missarum solemnia diebus Dominicis ex altari vel pulpito quasdam denuntiationes facere [a] debet Parochus. Quarum aliquas tenetur facere ex officio, absque alia licentia, vel mandato: alias verò, non nisi de Episcopi licentia, seu jussione. Illæ, quas facit sine licentia, sunt in duplici differentia: aliæ enim faciendæ sunt ex obligatione; ut festorum, jejuniorum, matrimoniorum, quas Parochus omittere non potest absque gravi culpa, quia deficeret in re gravi officii sui, non denuntiando, quæ populus tenetur scire, & observare. Aliæ sunt, quas potest facere sine licentia, aut jussione Episcopi, quamvis ad id non teneatur, ut sunt denuntiationes rerum perditarum, inventarum, & similium; in quibus faciendis, quamvis non obligetur, facilis esse debet, ut inde Parochiani solatium capiant.

[a] Barb. c. 16.

10 Primò igitur tenetur Parochus denuntiare populo vigilias, in quibus ea hebdomada jejunandum est, sive ex universali præcepto Ecclesiæ, sive ex loci consuetudine, sive etiam ex lege, aut præcepto Ordinarii, ut statutum est in Concilio Tridentino. [b]

[b] Sess. 25. decreto de delectu cibor.

11 Secundò, tenetur denuntiare populo dies festos, in quibus Missa est audienda, & vacandum ab operibus servilibus, ut statuitur in eodem Trident. Quorum dierum observantia, sicut & jejuniorum incipit à media nocte præcedentis diei, usque ad mediam noctem sequentis, ut dictum est libr. 8. cap. 6. sect. 3. & cap. 14. sect. 3.

12 Tertiò, tenetur denuntiare populo inter Missarum solemnia matrimonia, quæ celebrari intenduntur. De quibus denuntiationibus satis diximus lib. 9. cap. 8. sect. 5. Ubi videri possunt omnes difficultates, quæ circa illas accurrere possunt.

13 Non denuntiat autem Parochus absque Episcopi licentia citationes, & præcepta judicialia, & similia, nec resignationes beneficiorum; nec item indulgentias Papales, quas Tridentino [c] decrevit non publicandas, nisi de authoritate Ordinariorum. Unde Sacra Congregatio Concilii ita censuit. Nullus sine Ordinariorum licentia, & authoritate poterit eas publicare, non obstante quacumque exceptione, aut exemptione, etiam si Regularis sit, aut in Ecclesiis ipsorum Regularium etiam prætextu privilegiorum; sed per Ordinarium debitis temporibus populo publicari debent.

[c] Sess. 21. c. 9. de ref.

14 Nec sine Episcopi authoritate denuntiet excommunicationes Papales, nec miracula nova, quamvis narrare aliquod miraculum auditum à fide dignis, quod possit ædificare audientes

tes cum debita prudentia, non videatur prohibitum, ut notavit Possev.[d] Nec proponat reliquias sine facultate Episcopi priùs obtenta.

d Cap. 12. n. 48.

15 Si in Ecclesia subdita Parocho ab aliqua imagine miracula fiant, admoneat statim Episcopum, & illius jussa exequatur. Si autem fideles ibi multas largiantur eleemosynas, idem agat; quia si sint notabiles, cedunt imagini, pro ædificatione domus, aut ornatu, aut alio ejus usu. Si sint moderatæ, pertinent ad Parochum, ut cum Silv. & aliis docet Possev.[e] Id tamen judicare Episcopi est.

e n. 51.

16 Si adveniat aliquis faciens miracula, vel quæ videntur miracula, & valde insolita; primò sit Parochus valde incredulus; quia multi decipiuntur in his rebus, videmus enim sæpè mira in parte conficta maximè à fœminis. Unde ad omnia ista tamquam suspecta oculum figat, etiam si per confessionem Sacramentalem sibi de contrario constet; quia extra illam gerit personam publicam, & debet uti scientia publica. Igitur si quæ aguntur, clarè constent esse mala, prohibeat fieri, & monito Episcopo, illius jussa exequatur; nec factis, antequam ab Episcopo admittantur, authoritatem præbeat, ne habeatur consentiens peccato alieno. Hæc vix in civitatibus eveniunt, sed in pagis, & Parochiis ruralibus, ubi simplices facile decipiuntur. Unde Parochi erit fallacias istas impedire. Si autem vult experiri quo spiritu ducatur ista faciens, examinet diligenter per varias interrogationes, & facile fucum deteget: observet autem an ista faciens gloriam quærat, aut lucrum: si facta vanitatem sapiant; si faciens est moribus non satis compositus; si humilitatem ostendit, fingat vocare se brachium sæculare; si videat timorem, omnia habeat suspecta. Maximè autem advertat, an concordet in dictis, quia ubi non est verus spiritus, non deest spiritus mendacii.

f Possev. n. 52.

17 Solent etiam aliqui nebulones ad panem lucrandum fingere litteras inventas in Sancto Sepulchro, aut aliis locis magnæ pietatis, in quibus promittuntur magnæ indulgentiæ, & aliquando certa salus animæ recitantibus, aut secum habentibus certas orationes, quas dicunt ibidem fuisse inventas è cœlo lapsas, vel jejunantibus certis diebus, &c. Sciat Parochus omnia ista esse ficta, non esseque indulgentias, nisi quæ à Pontifice, aut Episcopis conceduntur; Jam verò æterna salus, quam certò promittunt, pendet à gratia finali, quam quisque procurare debet per vitæ sanctitatem, & sacramenta Ecclesiæ, non verò per orationes à similibus personis confectis, absque authoritate Prælatorum. Quare Parochus pagorum, ubi ista seminari solent; deterreat nebulones istos, & suos de veritate doceat, ne contingat, quòd incautè decepti rebus istis fidem præbentes, à bonis operibus, usuque sacramentorum amoveantur confisi in falsis promissionibus.

18 Quæstuarios eleemosynarum non commendet[g] Parochus; estò habeant litteras Papales, nisi litteris priùs ab Episcopo diligenter examinatis. Si quærant pro suo particulari victu; non impediat; quia Episcopi eos non prohibent, quos commendare potest populo, vel non commendare, prout judicaverit. Si verò quærant pro tali collegio, hospitali, vel Ecclesia, non permittat, nec commendet sine mandato Episcopi, quia eos prohibet Concilium[h] Trident. Et quando Episcopi hos admittunt, post datam licentiam prohibent; ne quærere, aut colligere eleemosynas incipiant; nisi priùs patentes litteras Parocho consignent, illique se cognoscendos præbeant, ut advertere possit; an ea, ad quæ Episcopi obligarunt, rectè observent; populumque de omnibus, ad quæ prædicti quæstuarii tenentur, admoneat, ut benè Silv. infrà.

g Possev. n. 48.

h Sess. 21. c. 9. de ref.

19 Et in universum ignotos mendicantes, de quorum miseria non constat, & sæpè illam fingunt; melius est prohibere; quia occasione istorum fideles non ita miserentur veraciter indigentibus, ut notat Silv. verbo quæstuarii. Si autem aliter habeat in mandatis Episcopi, jussa exequatur; sed diligenter caveat; quia sæpè videbit quosdam malè feriatos varia simulatione decipere fideles. Hujus generis sunt, qui quærunt pro locis ignotis, pro locis valde remotis, ad quæ non est credibile eleemosynas collectas deferri; pro Turcis, Judæis, aut

Hæreticis conversis, aut pro redemptione suorum apud Turcas captivorum. Videat eorum litteras commendatitias; & si sint confectæ à multis annis, illas habeat suspectas, quia vagabundi hoc modo negotiantur, de quibus benè Silv. [l]

l Silv. ver. quæstuarii.

20 Quamvis autem simulatio paupertatis, quando tertio nociva non est; aperienda non sit, si persona pro tunc indiget, & nequit, nisi ficta paupertate, vivere; estò tamen verè pauper sit, si potest labore suo vivere, & otio torpescit, potest detegi, quia tales sunt in causa, ut jam diximus cum Silvestro, quòd fideles postea non misereantur verè indigentibus, quos proinde damnificant. Et Concilium Trident. [m] magistratus etiam seculares hortatur, ut istos vagabundos severè coerceant; quod tam strictè non mandaret, si essent tolerandi. Accedit, quia tales sæpè sunt pessimi christiani blasphemiis, ludis, & pejoribus dediti, sæpè fingunt necessitatem, quam non habent, simulantque se fideles, cùm tales non sint.

m Trident. supra.

21 Mendicantes Religionum sine licentia Ordinarii eleemosynas petunt, & permittendi sunt, dummodo sint verè Regulares, & non vagabundi. Alii Mendicantes pro confraternitatibus sitis in Ecclesiis Mendicantium non possunt eleemosynas quærere sine placito Episcopi, sicut neque pro reparatione, aut ornatu Ecclesiæ Regularium, Archiconfraternitatum, Confraternitatum, vel Congregationum. Nec aliæ eleemosynæ ad pios usus, nisi consulto Episcopo, vel ejus Vicario, aut saltem Parocho in pago, vel castello, ubi nec Episcopus, nec ejus Vicarius fuerit.

22 Interdum solent Episcopi mandare Parocho, ut inter Missarum solemnia denuntient ordinandos ad majores ordines; in quo casu Parochus observare debet, quod statuit Trident. [n] nempe ut nominibus, & desiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ordinandorum natalibus, ætate, moribus, vita à fide dignis diligenter inquirat, & litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam continentes ad ipsum Episcopum transmittat. Et generaliter loquendo, in omni denuntiatione, quæ facienda est de mandato Episcopi, curet habere mandatum in scriptis, quod conservet ad verificandas denuntiationis commissiones, si aliquando opus fuerit. Notet autem teneri se sub gravi culpa denuntiare, quæ Episcopus mandat denuntianda, si res sint seriæ, & alicujus momenti: & in dubio tales judicare debet.

n Sess. 23. c. 5. de ref.

CAPUT III.

De matriculis, seu libris à Parocho faciendis, & retinendis.

CUm Parochus debeat, ut monet Trident. [a] oves suas agnoscere non solùm in genere, quoad earum numerum, sed in specie familias singulas, & in individuo personas quaslibet, earumque ætatem, & qualitatem, ut possit ipsemet, vel si opus fuerit, Episcopus necessaria ad salutem singulorum ministrare; hoc facilius obtinebit, si juxta novum Rituale, librum habeat, in quo familias, & personas subditorum cum ætatis nota, & Sacramentorum receptione, & alia hujusmodi describat. Puto autem satisfacere huic obligationi per catalogum, quem de more facit in principio Quadragesimæ, in quo per familias notat personas Sacramentorum capaces, ut notat Possev. [b] 23

a Sess. 23. c. 1. de ref.

b Possev. c. 11. n. 44.

24 Secundò, debet habere librum, in quo describat omnes, qui Baptizantur in sua Parochia cum nominibus parentum, patrinorum, die, mense, & anno, ut mandat Trident. [c] & jam notavimus lib. 9. cap. 2. sect. 7. Si autem infans fuerit spurius, aut illegitimus, & parentes cognosci nolint, prætereantur, & dicatur filius parentum ignotorum. Forma autem potest esse: Ego N. Parochus Ecclesiæ N. Baptizavi N. filium Petri, & Mariæ, secundùm ritum Rom. Ecclesiæ. Patrinus, & matrina fuerunt N. N. Si infans domi fuit Baptizatus, dicatur: Baptizatus fuit domi à tali persona ob periculum, quod imminebat, & reliqua Sacramentalia perfecta sunt à me tali die, mense, & anno. Et singulis annis debet fieri liber distinctus, vel saltem titulus diversus, in quo dicatur liber, seu titulus Baptizatorum in Ecclesia Parochiali sancti N. pro tali, vel tali anno. De quo Possev. [d]

c Sess. 24. c. 2. de ref.

d C. 6. n. 44.

25 Ex

Digitized by Google

25 Ex hoc autem libro probatur hominis Baptismus, ætas, origo, & impedimentum cognationis spiritualis. Fides autem, ut in judicio probet, est necessariò facienda cum formali transcriptione partitæ de verbo ad verbum, sicut jacet, per hæc, vel similia verba: Ego N. Parochus Ecclesiæ N. de tali loco fidem facio, quod in libro Baptizatorum talis anni folio tali habetur sequens partita, quæ ita habet: Ego N. Parochus, &c.

26 Tertiò, habere debet alium librum, in quo [e] scribat illos, qui matrimonia contrahunt in sua Parochia, testes, & locum contractus, diem, & annum, & nomen Parochi assistentis, vel alterius Sacerdotis de ejus licentia. Formula autem potest esse hæc, vel similis: Ego N. Parochus [f] talis Ecclesiæ, tribus diebus festis continuis, v. c. tali, & tali die, talis mensis, & anni inter Missarum solemnia publicè denuntiavi matrimonium celebrandum inter Cajum, & Bertam; nulloque opposito impedimento, viro & muliere à me interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, matrimonium inter dictos Cajum, & Bertam in facie Ecclesiæ, juxta formam Concilii Tridentin. tali die, talis mensis, & anni in dicta Ecclesia Parochiali S.N. fuit legitimè celebratum præsentibus N. N. testibus, & me Parocho prædictæ Ecclesiæ, qui manu propria hoc scripsi. Ex hoc autem libro mortuis etiam testibus, & Parocho scribente, absque aliis probationibus plenè probatur matrimonium. [g] Si autem aliquod erat impedimentum inter contrahentes, cujus dispensatio obtenta fuit à Sanctissimo; loco illorum verborum: *Nullo impedimento opposito*. Dicatur obtenta dispensatione à Sanctissimo super tali gradu consanguinitatis, vel affinitatis, aut tali impedimento, & admissa per dominum Vicarium N. qui ea visa, & examinata, dispensavit.

27 Quartò, habere debet alium librum, in quo describat mortuos [h] suæ Parochiæ, qui in ea sepeliuntur, maximè si in eo loco non fuerit domus Misericordiæ, cujus apud nos est mortuos sepelire, vel similis confraternitas. Ex quo libro probatur mors, & sepultura cujuscumque; quia Parocho adnotanti mortem Parochiani creditur, quia ad illum spectat tam opus sepeliendi mortuos suæ Parochiæ, quàm hujusmodi adnotatio. Dixi: *Maximè si in loco non sit domus Misericordiæ, vel similis confraternitas, cujus sit mortuos sepelire*. Quia in Sacra Rota decisum fuit, quòd circa mortem alicujus credendum est libro confraternitatis, quæ habet pro instituto officium generale sepeliendi mortuos. Quòd verò credendum sit in hoc regno libris domus Misericordiæ, docuit Valasc. [i] Unde credo, quòd ubi fuerit domus Misericordiæ, vel similis confraternitas, quæ omnes mortuos sepeliat, non teneri Parochum hunc librum habere; quamvis bonum sit illum habere, maximè si consuetudo ita observet, aut Episcopus jubeat, in pagis verò, & Parochiis ruralibus, ubi domus Misericordiæ non est, omnino convenit hunc habere librum.

28 Addunt [l] alii quintò, debere habere librum illorum, qui confirmantur, maximè in oppidis, ad quæ Episcopus ad confirmandum accedit non habens secum notarium scribentem. Quod addunt, quia in civitatibus talis liber necessarius non erit, cùm confirmatio conferatur in Cathedrali, ibique per Episcopi notarium notentur confirmati. In hoc libro describi debent nomina, & cognomina confirmatorum, Parentum ipsorum, Parochię, in qua habitant, Patrinorum, seu matrinarum, Episcopi, dies, mensis, & annus, & nomen Ecclesiæ, in qua chrisma administratum fuit. Ego tamen non video unde colligatur ista obligatio, nisi fortè ex usu, & consuetudine. Quare si talis usus fuerit, debet observari: si non fuerit, non apparet aliunde obligatio habendi talem librum, nec urgens necessitas, quæ quidem est de aliis, de quibus suprà.

29 Tenetur autem Parochus tenere in bona custodia prædictos libros, ne facilè perveniant ad aliorum manus, à quibus possint falsificari, vel rumpi, ut sæpè fit cum parvum detrimento. Et quoties fuerit requisitus, tenetur ex dictis libris dare certificationes necessarias; potestque recipere pro mercede laboris id, quod in loco solitum est dari. Si verò solitum est fieri gratis, gratis & ipse faciat. Nam Sacra Congregatio

e Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. mat.

f Possev. c. 11. n. 41.

g Sanc. li. 3 d 15. n. 22.

h Possev. c. 11. n. 43.

i 1. p. consult. 10.

l Possev. c. 11. n. 43. Barb. c. 7. n. 16.

Digitized by Google

gatio censuit nihil pro hujusmodi fide recipi posse; hosque libros non esse per Episcopos de Parochorum potestate extrahendos, sed penes illos debere conservari, dummodo tamen, si necessarium fuerit, copia illorum detur.

CAPUT IV.

De Revelationibus, & Restitutionibus faciendis per Parochum.

30 SOlent Prælati, vel ex officio, vel ad instantiam partis fulminare excommunicationes, ut revelentur scripturæ, quæ faciunt ad justitiam partis; vel res deperditæ, aut furto ablatæ, aut etiam certa crimina nociva Reipb. in quibus sub censura præcipiunt, ut qui tales res habent, illas tradant; & qui sciunt intra tot dies revelent alicui personæ Ecclesiasticæ, quæ frequenter solet esse Parochus, maximè ubi aliæ personæ competentes non suppetunt. De quibus excommunicationibus, & de obligatione parendi, ac revelandi, quæ revelari jubentur, actum à nobis est lib. 8. capit. 7. Sect. 3. Ubi etiam dictum fuit, quando quis à tali revelatione facienda excusetur, aut possit, & debeat excusari.

31 Igitur Parochus accipiat revelationes, quæ fiunt virtute prædictarum Pastoralium, si ei mandantur fieri, vel si ea est loci consuetudo: quamvis melius foret ad vitanda aliqua incommoda, quæ sequi possunt, curare, ut acciperentur ab alio, v. c. à notario. Si tamen id fieri non potest, ipse non scribat revelata, sed solùm accipiat revelationes scriptas per revelantes: si autem cogatur manu propria scribere, id non faciat, nisi præsentibus testibus; ita enim vitabuntur multæ molestiæ, ut notat Possev.[a]

a cap. 12. n.46.

32 Si autem Parochus cogatur revelationes prædictas accipere, advertat ne accipiat illas, quæ revelantibus afferre possunt præjudicium, seu illas, quas revelans facere non potest, aut non tenetur, ideoque sciat, qui nam excusentur à revelando, & qui licitè revelare non possunt, quod satis explicamus sect. illa 3. Et si doctrinam uberiorem velit in hac materia; legat P. Soar.[b] qui rem copiosè declarat.

b de Cens. d. 20. sect. 3.

33 Quia verò novi Parochos, qui maximam fecerunt suæ famæ jacturam non solùm in sua Parochia, sed etiam in vicinis, ubi res divulgata est, sive verè, sive falsò; eò quòd increbuerat ipsos restitutiones faciendas sæpè accepisse, illasque non fecisse, sed sibi retinuisse, de quo varia exempla narrabantur; unde infideles à suo populo habebantur, & injusti non solùm cum detrimento boni nominis, sine quo Pastor animarum nihil boni operabitur in utilitatem sui populi, quam per omnia procurare tenetur; sed etiam cum scandalo publico totius Parochiæ: bonus Parochus non facile se offerat ad faciendas restitutiones occultas, quas in confessione novit faciendas, & quas ipse fieri præcipit: & si ei offerantur, respuat consulens modum, quo fieri possint.

34 Si verò nullus appareat aptior, & securior, accipiat; procuret tamen ab eo, cui nomine alterius restitutionem facit, syngrapham, qua dicat: Ego N. accepi à domino Parocho N.[c] tali die, mense, & anno hoc, vel hoc pro restitutione, quam dicebat mihi factam. Et hanc sedulam firmatam ostendat restituenti ut illum certum reddat de facta restitutione; illam verò conservet apud se, ut per eam docere possit de veritate, si aliquando dubium, aut sinistra suspicio contingat. Semper tamen taceat personam restituentem, quia id postulat secretum, quo res ista agitur. Et idem faciat, quando restitutio ei facienda committitur ratione excommunicationis, quam publicavit pro re furto ablata, aut quomodolibet detenta, vel damno injustè illato, ut famam suam illæsam conservet.

c Nav. c. 17 n. 67.

35 Quæres autem an Parochus, qui est verè pauper, & fortè egens, qui accipit decem restituenda Titio, possit dicere Titio, certa persona debet tibi decem, est tamen satis pauper, & ideo orat, ut ei debitum remittas. Quæres, inquam, an si Titius remittat; possit Parochus tuta conscientia illa decem sibi retinere, cùm verè sit pauper, & mendacium non dixerit? Respond.[d] non valere remissionem, quia non fuit voluntaria: quando enim Titius remisit, intellexit se remittere tertiæ personæ à Parocho diversæ, quia de tertia persona loquebatur, & non de

d Possev. c. 12. n. 28.

Digitized by Google

de se. Unde dolosè locutus est, ac proinde illa decem retinere non potest.

36 Si tamen Parochus diceret: Ego tibi debeo decem; vellem, ut illa mihi dimitteres, quia pauper sum, & egestate premor; & Titius remitteret, valeret remissio. Quia verè tunc debebat, decem enim sua in manu habebat, eique facta fuit remissio. Et si Titius diceret Parocho: Da pauperibus illa decem; Parochus pauper posset sibi retinere, vel partem, vel totum secundùm regulas restitutionis faciendæ pauperibus. De quibus diximus lib. 10. cap. 3. Parochus tamen sit fidelis, & nisi magna necessitas urgeat, distribuat pauperibus saltem partem; fugiat avaritiam, quæ sæpè fingit necessitatem, ubi non est.

CAPUT V.

De Exorcismis per Parochum faciendis.

37 PArochus tenetur Exorcizare suos, si contingat obsideri à spiritibus malignis, si non habeant alium exorcizantem, vel Parochiani nolint uti alterius opera, ne factum detegatur, vel quia in ejus virtute magis confidunt. Ratio est; quia isti sunt in magna necessitate, nec per alium possunt ab ea sublevari, ut supponitur: ergo Parochus eos sublevare tenetur per actiones illas Ecclesiæ, & sacramentalia ab ipsa instituta.

38 Addit Possev. [a] cùm necessitas illa magna sit, ad id Parochum teneri sub mortali; à quo tamen poterit excusari, si ex humilitate renuat, vel credat se non satisfacturum misero energumeno. Ab hac tamen quasi pusillanimitate exire debet, ponendo fiduciam in Deo, & in meritis, ac orationibus Ecclesiæ sanctæ, non verò in se, cui quò magis diffiderit, magis aptabitur ad opus illud pietatis cum fructu peragendum; quia diabolus, cùm sit superbissimus, nihil magis timet, quàm veram, & sinceram cordis humilitatem.

[a] Cap. 12. n. 16.

39 Notat deinde si in Diœcesi fuerit constitutio, vel præceptum Episcopi, ut nemo, ipso inconsulto, exorcizet; Parochum id observare debere. Si verò per constitutiones, vel præceptum prohibitus non sit; poterit non solùm per se exorcizare, sed ad id licentiam dare non solùm cuilibet alteri Sacerdoti, vel in sacris constituto, sed etiam habenti gradum exorcistæ, cujus hoc officium est proprium.

40 An Parochus possit etiam exorcizare non suos? Resp. posse, dummodo Episcopus non prohibeat: quia tales actiones nemini præjudicium afferunt. Id tamen non poterit facere in aliena Parochia, invito saltem illius Parocho, cujus beneplacitum captare debebit, saltem ex decentia, & urbanitate. Regulares verò exorcizare possunt, Parocho inconsulto, quia exorcizare non est actus jurisdictionis, sed ordinis, à quo impediri non possunt; maximè quia si approbati sint ab Episcopo, etiam à jurisdictionalibus in foro pœnitentiæ à Parocho impediri non possunt.

41 Monet præterea idem [b] Auctor in ministeriis Parochialibus per multos annos versatissimus, quòd Parochus studeat valde Sacerdotali Romano, ut ad manum habeat, quæ in eo monentur, tum ut è sua Parochia evellere possit, & excludere superstitiones, si de illis dubium sit: tum ut accendat suam, & populi devotionem ad obtinendas gratias ibi notatas contra omnes ægritudines, contra quas dicit vidisse se mirabilia. Unde monet, ne facilè transeat ad alium librum; quia in illo sunt omnia necessaria ad hæc pietatis officia.

[b] Cap. 12. n. 17.

42 Jam verò in remediis publicis in bonum populi, ut contra grandines, tempestates, locustas sata vastantes, bruchum vineas demolientem, non solùm requisitus sit facilis, sed etiam irrequisitus se invitet: & idem agat in mortalitate animalium, & similibus utendo cæremoniis, & precibus ab Ecclesia ad id institutis in prædicto Sacerdotali, non quòd ad ista ex præcepto teneatur, maximè non requisitus, sed quia ita agens benevolentiam populi acquiret, & illius devotionem, & pietatem augebit, & merebitur apud Deum per actus charitatis, quos exercebit.

43 Circa morbos suorum sit solicitus, eosque invisat, qui decumbunt, antequam vocetur pro confessionibus, & con-

Digitized by Google

& consoletur, dicatque super illos Euangelium Sancti Marci, quod cantatur in die Ascensionis Domini, incipitque: Recumbentibus undecim discipulis apparuit illis Jesus, &c. Et quando ventum fuerit ad verba: *Super ægros manus imponent, & benè habebunt*. Imponat manus super caput infirmi. Et finito Euangelio dicat orationem: Omnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium: exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium; ut reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Dominum nostrum, &c. Unde curabit ista in memoria retinere, ut illis frequenter utatur, & experietur quantum apud omnes benevolentiæ acquirat, & amoris, quantumque proficiat in munere suo.

44 Pater Martinus Delrius [c] ait valere ad corporis sanitatem Oleum Extremæ Unctionis delinitum, sive propinatum ut in obsessis à dæmone, & laborantibus morbo interno, cùm ad id fuerit institutum, & affert multa Sanctorum exempla, sicut valet Oleum Benedictum à Sacerdote. At Possev. [d] hoc referens, de isto indubitanter affirmat, de illo affirmare non audet. Quia, inquit, nullibi legitur Oleum Extremæ Unctionis propositum pro sanitate corporis extra Sacramentum Unctionis, cujus est materia remota, nec aliter vidi, aut audivi esse hodie in usu. Propter quam rationem ego etiam abstinerem, quia res insolitæ non facilè deducendæ sunt ad praxim. Addit verò Aquam Benedictam esse mirabilem contra omnes morbos, si fides, & devotio concurrant, quod se vidisse sæpiùs attestatur. Unde pius Parochus introducat pium usum hujus Aquæ sanctæ, faciatque, ut illam omnes domi habeant, ut in multis locis fieri solet cum magna pietate, & utilitate.

c Lib. 6. disq mag c. 1. sect. 3. lit. V.

d Cap. 12. n. 47.

45 Caveat tamen Parochus à medendo aliis medicamentis, quia in viris Ecclesiasticis omninò interdictum est, ne contingat aliquos officiosè occidere. Quædam tamen tuta in absentia medici non sunt improbanda, maximè ut morbi urgente, ut notavit Nav. [e] Quæ autem dicuntur de medicina, à fortiori intelliguntur de chirurgia.

e Cap. 25. n. 110.

46 Si in Parochia incendium contingat, Parochus, [f] præter opem externam, quam vicini impendunt, opituletur remediis Ecclesiasticis, projiciendo in ignem agnos Dei benedictos per Papam, & Aquam Benedictam, quia mirabiles effectus sæpissimè videntur, si fides, & devotio non desit; & ipse aliquid efficiet non solùm commune cum aliis, sed officii sui proprium.

f Possev. proximè.

47 Et generaliter caveat Parochus superstitiones, maleficia, incantationes, & omnia insolita, quæ sapiunt pactum cum dæmone. Unde si in Parochia sint, vel aliunde adveniant, ut sæpè contingit in pagis, & oppidis, divinatores, & qui maleficia dissolvunt remediis ignotis, qui curant verbis, & signis, quæ efficientiam naturalem habere non possunt, qui futura, vel absentia denuntiant, quæ humanis viribus sciri non possunt, ipse suspectos habeat, & non permittat, sed consulat Episcopum, & illius jussa exequatur. Et si casus id non patiatur, & clarè constet de malitia actionis, utatur auxilio brachii sæcularis, & hos nebulones incarceratos denunciet Episcopo. Et eadem diligentia utatur cum Aegyptiis, quos dicimus *siganos*; quia abundant multis superstitionibus, easque docent; quibus simplex facilè decipitur.

CAPUT VI.

De licentiis dandis, & dispensationibus à Parocho concedendis suis Parochianis.

48 SUnt aliqua præcepta Ecclesiæ, in quibus Parochus dispensare potest cum suis Parochianis in casibus necessitatis; maximè cùm non datur recursus ad Episcopum, aut ejus Vicarium. Ut autem clarius constet, quid in hac materia possit, & quando; aliquas difficultates proponat, ex quarum resolutione patebit, quid facere possit.

49 Prima difficultas est, an Parochus possit dare licentiam laborandi in die festo? Resp. non posse, ubi datur recursus ad Episcopum, vel Vicarium; [a] posse tamen, ubi non datur iste recursus; ut in rure, pagis, villis, & castellis, non autem in perpetuum, aut generaliter pro omnibus, vel aliqui-

a Azor. 2. p. l. 1. c. 18. q. 6. Sanch. E matr. d. 9. n. 17.

Digitized by Google

Suar. 6. de leg. c. 14. fine. quibus festis, sed quotiescumque fuerit legitima causa, non solùm declarando causam esse justam; sed dispensando, quando fuerit dubia, ut docent communiter DD. videndi apud citatos. Hoc verò non habent ex jure id ipsis concedente, sed ex recepta consuetudine.

50 Si autem quæras, pro quanto tempore, seu pro quot festis diebus possit hanc licentiam dare? Resp. pro omnibus illis, qui necessarii fuerint, in quibus prædictus recursus haberi non possit. Unde si occurrant duo, vel tres dies festi continui, vel valde proximi, & Episcopus, & ejus Vicarius ita distent, ut responsum opportunè haberi non possit, poterit Parochus pro tribus illis diebus licentiam concedere. Si autem Episcopum anticipatè consuluerit, quia prævidet futuram necessitatem, melius faciet. Verùm hæc multoties prævideri non potest.

51 Porrò causæ justæ concedendi hanc licentiam, sunt necessitas vitandi damni, ut si tempore seminandi fuerunt pluviæ, quæ seminationem impediverunt, & postea contingant dies habiles ad seminandum, quando jam seminatio sine damno differri non potest. Et idem est de tempore messis; quæ, si differatur, damnum afferet, quia propter calores calami frangentur, & spargentur spicæ. Vel granum est in arca, & purgari non potest defectu venti. Et idem est de vindemia, quæ si differatur, damnum patietur propter pluvias ingruentes. Est etiam causa concedendi prædictam licentiam utilitas, ut si piscandum est ad thunnos, qui discedunt, nisi tunc capiantur. Sicut etiam & necessitas sustentandi vitam. Et generaliter omnis causa, quæ fuerit rationabilis, erit justa. Semper tamen curandum, ut Missa priùs audiatur, quia est distinctum præceptum, cujus dispensatio non ita est necessaria, cùm brevi tempore impleri possit.

52 Licèt autem quando necessitas laborandi fuerit clara, & indubitata, non sit necessaria licentia, quia obligatio per se cessat; optimum erit declarare populo, licitum esse laborare, ut illum saltem liberet à conscientia erronea, ex qua credere potest se peccare laborando. Unde Possev. [b] meritò ait Parochum, præsertim consulto antea suo Episcopo, aut Generali, vel foraneo Vicario, benè agere in omni casu etiam debili, dummodo rationabili, dando licentiam, quia verè potest declarare præceptum non obligare: vel dispensare; si necessitas non sit adeo clara, sed aliquantulum dubia, ut liberet populum à laqueo transgressionis festi, quem fortè incurret laborando sine licentia.

b Cap. 12. n. 15.

53 Azor. [c] negat posse Episcopum pro licentia laborandi in festo aliquid exigere; limitando tamen concedit tandem posse, non quidem pro licentia, sed mutando opus servile laborare volentis in aliquam largitionem, quæ tamen cedat in opus pium. Cùm verò ea, quæ de Episcopo in hoc casu dicuntur, conveniant etiam Parocho, absente Episcopo, & ejus Vicario, cum eadem limitatione poterit Parochus idem agere. Et fortè, teste Possev. bonum erit remedium ad reducendum populum ad observantiam diei festi, ubi populus in ea multùm relaxatus fuerit. Si tamen Parochus id practicare velit, non faciat, nisi de consilio Episcopi, & quæ dantur non perveniant ad manus ejus, sed dentur pro causa pia; ut omnis suspicio vitetur. Nec ista exigantur, nisi quando causa laborandi fuerit dubia; quia, si clarè fuerit justa, liberaliter licentia danda est, ut omnes docent.

c Cap. 41.

54 Quæres, an Parochus ruralis, vel pagi, absente Episcopo, & Vicario, videns in festo laborantes, quando non est necessitas, de qua suprà, ubi est constitutio Episcopi, quòd laborantes in festo talem multam solvant, possit ad libitum eam pœnam remittere? [d] Resp. hoc pertinere ad Vicarium foraneum, ubi iste fuerit. Si tamen ibi non fuerit, & prohibeatur ab Episcopo remittere talem multam, non poterit Parochus eam remittere; quamvis, si ex aliqua causa rationabili expediret remittere, foret remittenda. Si tamen in illo loco ex consuetudine legitima Parochi remittunt, & exigunt ad libitum, poterit remittere, & exigere, prout libuerit. Si verò remittitur, aut exigitur ad libitum Parochi, & nescitur, an Episcopus consentiat: judicandum est consentire, & quia ita communiter fit; & quia si non consentiret, id declararet.

d Possev. n. 18.

Mo-

Digitized by Google

Monent tamen aliqui,[d] ne Parochus sit nimis facilis in condonando, ne det ansam laborandi: nec remittat laboranti ad lucrum, vel cum scandalo, nisi causa valde rationabilis aliud postularet.

55 Secunda difficultas. An Parochus possit dare licentiam edendi cibos prohibitos indigentibus? Resp. cum DD. suprà, sicut ex consuetudine dare potest licentiam laborandi in festo, ita posse concere licentiam edendi cibos vetitos in absentia Episcopi, vel Vicarii. Monet tamen Possev. Parochum non debere esse de hoc solicitum, quia hanc licentiam dat medicus, cujus est corporis dispositiones cognoscere. Si verò in loco non sit medicus, ut in pago, vel rure, Parochum non debere scrupulis angi, sed dare licentiam, quoties rationabile ei videbitur petentem indigere; quia credulitas in hoc sufficit; & si causa non sit omninò clara, poterit dispensare, ut suprà dictum est.

56 Tertia difficultas. An Parochus possit dare licentiam non jejunandi? Resp.[e] affirmativè cum DD. qui conveniunt id licitè posse, absente Episcopo, & Vicario. Addunt verò non solùm in rure, & oppidis, ubi nec adest Episcopus, nec Vicarius, sed etiam in Civitatibus, præsente Episcopo, & Vicario idem posse; quia ita habet consuetudo legitima. Causa autem legitima dandi hanc licentiam, erit quæ fuerit vera, vel sine malitia, seu quæ bona fide putatur vera, licèt verè talis non sit; quia ad hoc sufficit credulitas inculpata. Si verò dubitet, an causa sit sufficiens, vel cognoscat non esse totaliter sufficientem, potest dispensare, vel commutare jejunium in orationem, eleemosynam, aut simile opus pium.

e Possev. n.22.& 23. Azor. 1. p. lib.7. c.29. q.3. Sanch. ubi supra.

57 Quarta difficultas. An Parochus possit dare suis Parochianis licentiam, ut confiteantur alteri? Resp. posse dare licentiam, ut confiteantur omni exposito, seu omni approbato ab Episcopo, & similiter cuilibet alteri Parocho ejusdem Diœcesis. Cùm enim Episcopus aliquem admittit, & approbat ad confessiones audiendas, non intendit inferre præjudicium Parochis. Unde opus est eorum licentia, quam ipsi dare possunt, supposita approbatione. Nota verò hoc intelligi, quando[f] Episcopus solùm approbat, sed non dat facultatem; quia si expresè, & absolutè det facultatem alicui Sacerdoti ad audiendas confessiones, id sufficiet ad jurisdictionem delegatam, nulla expectata proprii Parochi licentia, estò hoc in tali facultate non exprimatur, dummodò talis conditio habendi licentiam à Parocho, non apponatur.

f Soar. de pœn. d.26. sect.1. à n.9.

58 Quare Parochus non potest prohibere suis Parochianis, ne confiteantur Regularibus habentibus facultatem ad audiendas confessiones, nec aliis Sacerdotibus ab Episcopo expositis, & ab illo jurisdictionem habentibus. Nam hæc facultas est quasi relativa, & si Sacerdoti datur ad audiendas confessiones, subdito consequenter datur ad confitendum eidem.

g Soar. n.11.

59 Præterea[h] Parochus, ubi ejus licentia necessaria fuerit, sit facilis in ea concedenda; imò si sit solus in loco, procuret, ut aliquoties in anno habeat secum aliquem, vel aliquos confessores insolitos, ut sui Parochiani liberiùs confiteri possint, ne propter aliquam erubescentiam contingat aliquibus sacrilegas confessiones facere. Notet verò teneri se sub culpa gravi hanc licentiam dare, quia eam negando, poterit ingerere laqueum animæ pœnitentis; quod sine gravi culpa stare non potest. Hactenus Possevinus.

h Possev. n.25.

CAPUT VII.

Parochus arguat impedientes salutem animarum, & publicis resistat peccatis.

PLacet sub hoc titulo admonere Parochum de obligatione illa, cujus Apostolus monet Titum,[a] quem Pastorem animarum formabat. Ut potens esset exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicerent, arguere. Quibus verbis volebat, ut animarum Pastor esset constans, fortis, & intrepidus in coercendis rebellibus, qui salutem animarum impediunt, & in resistendo peccatis publicis. 60

a Tit.1.9.

61 Falluntur enim illi animarum Rectores, qui putant se officio suo satisfa-

facere, si populum suum divino verbo, Sacramentis, & vitæ exemplo pascant, orta verò tempestate recedant: quia grex alicui commissus non tantùm quærit à Pastore suo victum, sed defensionem à lupis, cum quibus constanter est decertandum, ne gregem mactent, & perdant; utrumque enim & pascere gregem, & cum lupis rapientibus pugnare, munus est Pastoris. De hoc secundo officii genere modò agimus, de quo D. Hieron. [b] *Latratu canum, baculoque pastoris rabies luporum frenatur: non enim sine causa gladium portat.* Nempe ad castigandum, & terrendum. Unde D. Greg. [c] *Sit Rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, ut in nobis in nullo se præferat, & cùm pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat, quatenus, & honore suppresso, æqualem se subditis benè viventibus putet, & erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet.*

b Ad Ocean.

c 2. p. Pastor. c. 6.

62 Pascebat David patris sui gregem: [d] *Et veniebat*, inquit, *Leo, vel Ursus, & tollebat Arietem de medio gregis, & persequebar eos, & eruebam de ore eorum. Vidisti*, ait Chrysost. [e] *pastoris diligentiam, vidisti intentum studium? Qualem excusationem habebunt ii, quibus rationales greges crediti sunt, & magnam præ se ferunt negligentiam, & quotidie, juxta Prophetam, pecudes alias mactant, alias à bestiis captas contemnunt, alias verò ab aliis captas reducere non curant, tametsi minor sit labor, & cura facilis?* In hoc enim Pastor distinguitur à mercenario, qui quando omnia sunt tranquilla, præstò adest; contradictionis verò tempore, cùm videt lupum venientem, dimittit oves, & fugit. *Non quidem corpore*, ait D. August. [e] *quia Ecclesiam non deserit, nec abit aliò, sed fugit animo; quia cùm præsens sit corpore, animo cadit, vitiis medicinam non adhibet, oviumque mores non corrigit.* At verus Pastor peccatis se opponit, peccantium insolentiam compescit, nullas potentium minas extimescit, nulla pericula formidat, paratus dare animam pro ovibus suis.

d 1. Reg. 17. 34.

e Hom. 15. in Gen.

e Serm. 49.

64 Ut non arguatur à Domino, ut Pastores Israel, quibus Deus per Ezechielem: [f] *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel. Ascendere enim ex adverso*, ait D. Gregor. [g] *est ascendere ad defensionem gregis, voce libera contrariis potestatibus contraire, stare in prælio: Pastorem enim recta timuisse dicere, quid est aliud, quàm tacendo terga præbuisse? Qui nimirum se pro grege objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit.* Ut autem animarum Rector confirmetur in constantia contra peccata publica, publicosque abusus, advertat se participem eorum fieri, quoties, cùm potest, ex humano aliquo respectu, aut inani timore, vel non corrigit, vel non arguit. Nam, ut benè D. Gregor. [h] *Error, cui ab eo non resistitur, qui debet, & potest, approbatur, & facilitas veniæ incentivum tribuit delinquendi.*

f Ezech. 13. 5.

g 1. Past. c. 4.

h 2. Past. c. 10.

65 Notet tamen bonus Parochus ex eodem D. Gregor. [i] *Quædam esse vitia, quæ prudenter sunt dissimulanda, quia eò quòd dissimulantur, judicantur; quædam autem etiam apertè cognita, maturè toleranda sunt; cùm videlicet nondum opportunum tempus advenit, ut apertè corrigantur: nam secta immaturè vulnera deteriùs fervescunt, & nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat procul dubio, quòd medendi officium amittunt: quædam autem sunt, quæ nec dissimulari, nec tolerari possunt, & contra hujusmodi peccantem faciem suam obdurescere, & omni animi fortitudine occurrere, summa charitatis officium est.* Quoniam debitum Pastoris est, subditorum mala, quæ tolerari leviter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere, ne fortè si indulgentior fuerit, & minus severè arguat, ipse reus habeatur, & supra dorsum ipsius tacentis, & dissimulantis, quod dissimulari non debet, fabricent peccatores, ut observat D. Greg. in Psalmum 128.

i Ib. Past. c. 6.

66 Ad hoc autem fortitudo magna, animusque invictus requiritur, ut satis significavit Deus [l] Exechieli dicens: *Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Ut adamantem, & ut silicem dedi frontem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Nihilominus etiam quando materia rigorem postulat, non omninò obliviscatur Parochus lenitatis, & mansuetudinis, ut sæpè monet Div. Gregor. [m] *In cunctis*, inquit, *Re-*

l Ezech. 3. 8.

m 19. mor. 14.

steri-

Digitized by Google

floribus utraque summopere sunt tenenda, ut neque in disciplina rigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine vigorem deserant disciplina; quatenus nec à compassione pietatis obdurescant, cùm contumaces corrigunt, nec disciplina vigorem molliant, cùm infirmorum animos consolantur. Regat ergo disciplina vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ab altero, ut nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Nam lenitas, & mansuetudo, quam Sanctus Pater commendat rigori commiscendam, charitatem patris propriam commendat, quæ facit, ut quamvis justè videatur irasci, ira patris videatur, & non tyranni. Unde rigor, & virga estò dura, & acerba, ea tamen lenitate temperata, quamvis ad tempus amara esse videntur, dulcia tandem apparent, cùm dolor incipit mitigari, & passio defervere.

67 Atque hanc fortitudinem, & constantiam in quolibet animarum Pastore postulavit Christus Dominus, cùm ad dandam animam pro ovibus obligavit verbis illis: [n] *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* Id est, ut oves salvæ fiant, illarum Pastor debet omnia facere, nihil relinquere, omnia pati, omnia contemnere, vitam quoque ipsam. Ad hoc onus vocatur, qui suscipit animarum curam, ad perpetuam solicitudinem, ad labores, ad persecutiones, ad molestias, ad ipsam etiam mortem, cùm opus fuerit, cum fortitudine, & tolerantia sustinendam exemplo Christi, qui tamquam Pastorum Princeps, ut eum appellat S. Petrus, suo præivit exemplo. Et si quando Dominus dignabitur, quòd aliquam tribulationem, aut improperium, pro sui muneris functione patiatur, id summæ gratiæ loco habendum est.

[n] Ioan. 10. 11.

68 Ut autem bonus Parochus animetur ad nihil timendum pro salute animarum suæ curæ commissarum, legat epistolam S. Cypriani [o] ad Cornelium Papam, cujus hìc aliquas lineas transcribam: *Lecta*, inquit, *epistola tua, frater, satis miratus sum, cùm animadvertissem, te minis, ac terroribus eorum, qui venerant, aliquantulum esse commotum: cùm te aggressi essent cum summa desperatione comminantes. Quod si ita res est, ut nequissimorum timeatur audacia, & quod alii jure & æquitate non possunt, temeritate, atque desperatione perficiant, actum est de Episcopatus vigore, & de Ecclesia gubernanda sublimi, ac divina potestate; nec Christiani ultra aut durare, aut esse possunt, si ad hoc ventum est, ut perditorum minas, aut insidias pertimescamus. Manere debet apud nos fidei robur immobile, stabilis atque inconcussa virtus, contra omnes incursus, atque impetus oblatrantium fluctuum, velut petra objacentis fortitudine, ac mole debet obsistere. Nec interest unde Episcopo aut timor, aut periculum veniat, qui terroribus, & periculis vivit obnoxius: & tamen fit de ipsis terroribus, ac periculis gloriosus. Nihil interest, quis tradat, ac sæviat; cùm Deus tradi permittat, quos disponit coronari. Neque nobis ignominia est pati à fratribus, quod passus est Christus.*

[o] Epist. ad Cornel.

69 Fuerunt autem in Ecclesia illustres animarum Pastores, qui hujus invictæ constantiæ, fortitudinis, ac zeli illustrissima monumenta reliquerunt. Quid illustrius insigni fortitudine, & constantia D. Ambrosii Imperatoris crimina liberè arguendo, & castigando, in frangendis, & comprimendis conatibus ejusdem Imperatoris, & Justinæ conjugis Arianorum sectæ fautricis? Quid dicam de S. Joanne Chrysostomo, qui absque omni formidine se opposuit Eudoxiæ Imperatrici, ejusque peccata compescuit; quamvis inde tot ærumnæ, tot persecutiones, totque exilia, & mors ipsa obvenerit? Quid de Thoma Cantuariensi, ac multis aliis, quorum constantia in defendendis ovibus sibi commissis plenæ sunt historiæ, & Annales Ecclesiastici?

70 In hac constantia in resistendo impedientibus salutem animarum ostendat bonus Parochus, bonusque Prælatus amorem, quo Deum prosequitur, ut monet S. Bonav. [p] *Quantùm diligat Deum, ut ejus beneplacitum in se, & in aliis promoveat, nec ab hoc zelo mollescat per desidiam, nec labore lassetur, nec consiliis flectatur, nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur, nec minis terreatur, nec per diuturnæ pravæ consuetudinis præscriptionem desperet, quin suum officium exequatur.* Notet autem verba illa Seraphici Doctoris: *Nec astutiis circumveniatur, nec amicitia, nec blandimentis deliniatur*; quia sæpè contingit,

[p] De sex alis c. 3.

git, & faxit Deus, ne contingat Parocho nostro, ut magis emolliat constantiam officii ejus, zelique pastoralis color iste amicitiæ, & blandimentum humanitatis, quàm metus ullus potentum, vel timor etiam tyrannorum. Unde magis sibi timere debet ab amicis, quàm à contrariis, magis cavere, ne prætextu amicitiæ frangatur constantia, & zelus, quàm timore ullo contradicentium.

71 Ad quod probandum satis sit, quòd Christus Dominus mittens discipulos suos ad prædicandum ovibus suis, quarum eos Pastores constituerat, ipsis disertè dixerit: q *Ecce ego mitto vos sicut oves inter lupos, cavete autem ab hominibus*. Per lupos intellexit Dominus tyrannos, à quibus occidendi, & dilacerandi, non aliter, ac oves, agnique mansueti à lupis famelicis mactantur, & laniantur. Per homines, à quibus cavere jubet, intellexit amicos, qui verbis blandis, humanis, ac benevolis illos poterant circumvenire, & decipiendo retardare à debita constantia, & fortitudine, quam postulabat officium Pastorale, prædicatioque Euangelii: *Cavete autem ab hominibus*, hoc est, ab illis, qui non apparent hostes, nec tyranni, sed potiùs amici, qui blandi, & suaves seductores esse solent, & dulcibus, ac mellitis verbis solent animas perdere in gehennam. Ac si dixisset: Ne timeatis tyrannos, qui vos palam aggrediuntur, quia ipsi erunt instrumenta gloriæ, & coronæ vestræ: timete verò ab hominibus, qui nomen amicorum habent, ab hisque cavete, quia sub prætextu amicitiæ, & humanitatis vobis exhibitæ, possunt magis nocere, quàm majores tyranni, quatenus ne illos contristetis, à severitate, à constantia, ac fortitudine officio vestro debita remittere potestis cum damno vestro, oviumque curæ vestræ commissarum detrimento. *Hoc est*, inquit S. Paschas. r *Cavete ab hominibus, non ut non tradamur, quod veritas futurum prænuntiat; sed ut non decipiamur illis insidiarum fraudibus*.

q Matth. 10.17.

r Lib. 6. in Matth.

72 Parum mihi dixisse videor; magis nocivi sunt, magisque timendi amici, ac benevoli homines, quàm diabolus ipse. Nec mihi hac in re fides habeatur, sed Christo Domino, qui veritas summa est; hic enim, cùm à diabolo semel, iterum, ac tertiò ad malum tentatus fuisset, blandè eum à se repulit, ac tandem verbum asperius, quo ipsius audaciam repressit, fuit: *Vade satana*. Cùm autem vel semel Petrus Christi amicus animo amico, ac benevolo ipsi Domino consuluisset, ne in Cruce moreretur, ut Dominus sibi eventurum prædixerat: f *Absit à te, Domine*, inquiens, *non erit tibi hoc*. Respondet Dominus: *Vade post me satana, scandalum es mihi*. Quo quidem responso severiùs cum Petro, quàm cum dæmone egit: *Vt nobis ostenderet*, inquit Velazq. *plus à falso amico, seu à dæmone in illo, quàm ab ipsomet dæmone omnibus suis armis, & artibus instructo fore timendum*. Addo Dominum non dixisse diabolo sibi esse scandalum, seu ruinam, ut dixit Petro; ut significaret majoris sæpè ruinæ causam solere esse titulum amicitiæ, quàm hostis etiam infernalis suggestionem, furorem, & insaniam. Caveat igitur bonus Parochus, ne ob amicitiam, benevolentiam, gratitudinem, aut alium humanum affectum à constantia officii sui dejiciatur, dissimulando cum rebellibus, cùmque animarum salutem impedientibus.

f Matth. 16.23.

73 Caveat ergo Parochus noster, qui officio suo satisfacere cupit, ne vel ob timorem potentis, vel ob titulum amicitiæ, benevolentiæ, aut urbanitatis desit obligationibus muneris sui. Caveat ne admittat ad Sacramenta eos, qui illorum sunt incapaces ratione status peccati, in quo detinentur. Caveat ne beneficium absolutionis impendat iis, qui sunt indispositi, qui concubinam non dimittunt, qui odium non deponunt, qui spiritum vindictæ conservant, qui debitam satisfactionem non exhibent, qui restitutionem potentes non faciunt; quia præterquam quòd absolutio prædictis non prosit, animæ suæ valde nocebit, quia in vacuum abutetur potestate sibi tradita. Caveat ne ob prædictos titulos parcat admonitioni, ac correctioni, maximè quando peccata fuerunt publica, & cum scandalo Parochiæ.

74 In aliis verò casibus, quando fuerint alicujus momenti, tum vel maximè quando per se conveniens remedium adhibere non poterit, optimum consilium est, suum Episcopum inquirere, ejusque exequi ordinationem; quia potest

Digitized by Google

test contingere, quod non sit una causa difficultatis, & periculi, & quòd aliquando suomet judicio, aut passione decipiatur. In omnibus autem ita se gerat, ut omnibus compertum sit, solo charitatis impulsu, honoris Dei, ac salutis animarum zelo, & desiderio duci: quod persuadebit, si se vitiorum, peccatorumque vindicem ostendat, non autem personarum; & si animi æquitatem, cordis tranquillitatem, amoris indicia semper ostendat. Ut enim ait [t] S. Greg. *Iusti, cùm severè corrigunt, interna dulcedinis gratiam non amittunt: & si pro inquietudine refrænanda pravorum, duritiam districti rigoris assumunt, intus tamen igne charitatis liquefiunt, atque in eorum amore ardent, in quos aspera correctione sæviunt*. Vigilet ergo Parochus noster, sit constans, ac fortis in illis, quæ pertinent ad officium suum, & multa conficiet, quæ sine hac constantia, & fortitudine vel impossibilia, vel saltem valde difficilia viderentur; quæ constantia Episcopi adjutorio facillima reddatur.

t 24. mor. c. 24.

75 Nam Parochi, ut alibi diximus, sunt tamquam agentia secundaria, & adjutores sui Episcopi, qui post Rom. Pontificem, qui est universalis Pastor ovium Christi, est primus animarum Rector in sua Diœcesi, cui Parochi subordinantur, ut animarum salutis cooperatores, quibus vices suas Episcopus communicat, ut ab ipsis adjuvetur in hoc sancto regimine, quibus applicari potest illud Dei ad Moysen: [u] *Duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam, & loquar tibi: & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris*. Constituuntur ergo Parochi, ut Episcopum suum adjuvent, cujus onus immediatè portant. Quare spiritus Episcopi, & paternalis ejus assistentia illis deesse non debet, ut faciliùs, & fructuosiùs sustentent cum ipso Episcopo onus populi, & non solus Episcopus gravetur, nec Parochi ipsi spiritu principali Episcopi, & adjutorio destituantur, sine quo non facilè resistere possunt rebellibus, impedientibusque animarum salutem.

u Num. 11. 16.

CAPUT VIII.

Parochus pravas consuetudines extirpet, bonas autem retineat, & promoveat.

UT Parochus facilè possit abusus, & pravas consuetudines convellere, bonas introducere, & promovere; prudenter conciliet sibi benevolentiam, & amorem Parochianorum; ut sic validiùs possit in bonum illorum operari exemplo Christi Domini, [a] *qui benefaciendo, & sanando pertransibat*, ut sic homines lucraretur. Experientia autem probat multùm proficere Parochum à populo suo dilectum; quia illum habet benevolum, & semipersuasum ad omnia, quæ velle potest. 76

a Act. 10. 38.

77 Hanc autem dilectionem conciliat primò probitas vitæ exemplaris: maximè verò universalis charitas, qua verbo, & opere sublevat miseros, & indigentes, quantum possibile est, & omnes consolatur in suis afflictionibus, & adjuvat, quoad potest, ita ut populus sibi persuadeat habere se in illo patrem. Caveat autem maximopere avaritiam, ejusque suspicionem, quia ista opinio animos ab ipso alienabit.

78 Secundò, amorem conciliat [b] talis cum omnibus conversatio, quæ nullius aversionem admittat. Unde non irascatur contra accedentes intempestivè ad se, sed amanter, & hilari vultu excipiat, patienter ferat imprudenter rogantes, non se difficilem exhibeat in concedendis rationabiliter petitis; ægrè non respondeat; non sit importunus, nec urgeat, plusquam par est, ad mutationem morum, & vitæ: fugiat omnem inutilem, & odiosam morositatem: abstineat ab his, quæ animos hominum meritò alienant, v. c. à litibus, contentionibus, injuriis, negotiis, quæ non nisi cum quadam acerbitate peragi possunt.

b Possev. c. 11.

79 Tertiò, amorem conciliat aliqua ad tempus dissimulare, alia tolerare, alia corrigere, sed cum modo: ita enim corrigat, ut non dejiciat; intendat correctioni, & benevolentiæ simul: neminem nominet, quando vitia

Digitized by Google

tia publicè corrigit, & reprehendit; declinet potiùs in lenitatem, quàm in severitatem, nisi prudentia dictaverit asperiora pro negotio gerendo esse necessaria. Vitia privata leniter; publica rigidè, & cum vehementia corrigat, maximè cùm sunt inveterata, & scandalosa. Audita in Confessione, si sint singularia, seu rarò contingentia, non reprehendat in publico, ne Confessionem exosam reddat; benè tamen, si sint ordinaria; quia ex his nullum sequitur inconveniens, & sæpè experit in publico taxare, ac reprehendere.

80 Quartò, amorem conciliat mansuetudo prudens, jam tacendo, jam simulando non audiisse etiam sibi molesta: hac enim virtute verè corda hominum possidentur. Si contigerit ab aliquo duriùs, vel etiam injuriosè excipi; cohibeat primò iram, deinde verbis appositis se tueatur, verbi causa, agit cum concubinario de ejicienda concubina; ille verò furit, & ait: Non ejiciam in tuum despectum, & similia. Respondeat: Domine, cùm non fueris iratus, cognosces me tibi esse amicum, & non nisi bonum tuum velle: Si concubinarius fuerit inveteratus, poterit verbis acrioribus respondere: v. c. non patiar te talem vitam agere, quousque non ejeceris non parcam officio meo. Proderit autem maximè, si Parochus habeat hunc finem, se numquam velle videri iratum, nisi justè, & tali modo, ut si de ira ratio danda esset, eam alacriter posset reddere; quia est ira sine peccato, qualem consulit Psalmista: [c] *Irascimini, & nolite peccare*. Qiòd si forte aliquem aliquando asperiùs excepit, non vereatur eum blandis verbis demulcere, venia etiam petita, & satisfactione data; id enim erit prævenire in benedictionibus dulcedinis; nec credat hoc esse indecorum; & quamvis foret, valde eum amabilem reddet.

c Psal. 4. 5.

81 Quintò, conducet valde consideratio personarum, locorum, temporum, & negotiorum, ita ut se dimittat ad captum eorum, cum quibus agit. Et si aliquid velit, quod vi authoritatis suæ dubitet obtinere, expedit precibus impetrare. Unde errantes ipsos constituet voluntatis suæ executores. Sit denique prudenter diligens, ac solers in obeundis officii sui functionibus, & tractandis utilitatibus Parochianorum, ut quilibet possit sibi meritò persuadere hunc esse Parochi scopum. Et si fieri possit, erga omnes se ostendat æqualiter benevolum, secundùm conditiones personarum: neminem respuat; omnes alliciat, ita ut pauperes habeant fiduciam accedendi, inveniantque favorem provenientem ex vera Patris charitate.

82 Si se ita amabilem præstet, estò multa sint in Parochia, quæ correctione indigeant, omnia feliciter corriget, & populum reformabit. Incipiat autem reformationem paulatim, non omnia simul emendando; quia multa sic in brevi cum facilitate perficiet, quamvis aliqua tarditate remoretur. Quæ sunt difficilis eradicationis, non sunt simul evellenda, ne turbæ excitentur, sed per partes paulatim auferenda; quia quod sensim fit, insensibiliter fit. Similiter sicut non sunt multa mala simul, & semel tollenda; ita nec multa bona simul, & semel proponenda; quia hoc foret obruere pondere ipso, & reddere negotium impossibile. Ideo tam in emendando malum, quàm in promovendo bonum, prius agendum circa ea, quæ peccatum implicant: deinde circa facilia: tamdem circa difficiliora.

83 Consuetudines non implicantes peccatum observet, & novitates non afferentes utilitatem spiritualem fugiat, quia sunt odiosæ. Consuetudines verò contra præcepta Dei, vel Ecclesiæ, quæ vel peccatum clarè continent, vel peccatum præ se ferunt, conetur penitus abolere cum omni dexteritate, verbi causa, consuetudines jurandi, detrahendi, & similes: non eundi ad Ecclesiam ob mortem mariti, vel patris, ubi in hoc fuerit excessus? non eundi ad Missam Virgines nobiles, quas matres imprudenter credunt esse magis securas domi solas cum libertate ad quidquid libuerit, quàm in Ecclesia ante oculos ipsarum. Has igitur, & similes pravas consuetudines eradicare conetur non parcendo labori. Si autem non valet, rem ad Episcopum deferat, ejusque jussa exequatur.

Digitized by Google

84 Consuetudines verò bonas paulatim inducere curabit, non omnes simul, sed unam post aliam. Intendat autem maximè frequentiam Sacramentorum introducere, ita ut singulis mensibus, vel saltem alterno quoque mense accedant ad Confessionem, & Communionem; & in brevi videbit Parochiam reformatam. Curet etiam persuadere illis, qui facilè possunt, ut singulis diebus Missam audiant, assistantque cum reverentia tremendo sacrificio Altaris, declarando emolumenta, quæ inde proveniunt, de quo sunt notabilia exempla. Curet, ut omnes devotionem Beatę Virginis cum lacte bibant dicendo diebus singulis ejus Rosarium, vel Coronam, de quibus lib. 7. cap. 4. ut jejunent in Sabbato in ejus honorem. Doceat prætereа, ut antequam decumbant, conscientias examinent, recolendo in quo eo die deliquerunt, & postea petant à Deo veniam cum dolore, & humilitate eliciendo actum contritionis, cujus substantiam frequenter docebit, explicando ejus vim, & efficaciam ad salutem, etiam si mors repentina contingat. Hæc procurabit cum omni conatu introducere ob manifestas utilitates inde provenientes.

85 Proponat etiam alias devotiones, quas proficuas judicabit, quas si populus acceptet, benè aget. Caveat tamen ne populus deprehendat ipsum non observare ea, quæ alios docet: quia in vacuum laborabit. Devotiones verò publicas, verbi causa, processiones, & solemnitates aliquas non inducat, nisi populo propositas, & ab ipso acceptatas, quia tunc benè cedent, caveat autem ne prætextu devotionis proponat populo, quæ in ipsius Parochi utilitatem cedant; quia res est sordida, & Pastore indigna. Si autem contingat aliqua proponere, è quibus ei utilitas obveniat, ejus intentio non feratur in bonum proprium, sed in commune populi. Si autem credat melius iri, non proponat, nisi quæ sunt puræ devotionis, alia solùm rogatus, & quasi coactus; sic enim effugiet omnem umbram avaritiæ, quæ valde nociva est animarum curatori.

CAPUT IX.

Parochus curet discordes in pacem, & amicitiam Christianam reducere.

SIcut Parochus officium Patris gerit, 86
sic ipsius est discordias, & inimicitias inter filios suos spirituales non permittere. Ideò illos, cùm primùm exortæ fuerint, componere curabit, instando, arguendo, obsecrando. Ad quod conducet preces ad Deum fundere, sacrificia offerre pro bono exitu, esse omnibus acceptum, ac amabilem, non tamen familiarem nimis; quia sic majorem habebit authoritatem ad persuadendum quidquid velit; nam familiaritas nimia parit contemptum: juvabit etiam plurimùm scire modos ad animos conciliandos: habere exempla accommodata ad persuadendum in qualibet materia, sicut non ignorare modos dandi satisfactiones personis læsis.

87 Quia verò in oppido, vel Parochia solet sæpè esse discordia habitualis, & quasi hæreditaria inter aliquas familias; unde emergunt factiones aliis uni, aliis alteri parti adhærentibus, sine injuria saltem gravi hinc inde recepta, sed ex sola aversione antiqua, suggerente inimico humani generis in populi ruinam indecorum esse ab inimicitiis majorum resilire; qui sanè abusus notabilis, & perniciosus est, in quo extirpando zelus Pastoris meritò insudare debet in Dei gloriam, & communem populi utilitatem.

88 Quare re Deo pacis actori commendata, ab ipsoque edoctus de modis debitæ compositionis procuret primò, ut obsequia communia, quæ Christiani sibi invicem debent, juxta regulas charitatis, ab alterutra parte alteri non negentur, verbi causa, ne negentur salutationes publicæ; ne aliquis recedat à consessu, si alius factionis contrariæ accedat, & sic de aliis; quia ista, estò absit odium internum, sine scandalo fieri non possunt.

89 Po-

Digitized by Google

89 Postquam autem hæc evicerit, majora aggrediatur. Faciat se familiarem capitibus principalibus utriusque factionis, & modò cum illis, quasi aliud agens, inserat sermonem de bono pacis, & de malo oppositæ discordiæ, & dissensionis: quàm felicem reddat Rempublicam mutua pax, & amicitia; quàm infelicem, & miseram discordia: dicat, & probet populum concordem imitari statum Paradisi; ubi idem velle, idem nolle, unitas est mentium, ideoque Christum Dominum veritatis magistrum appellasse pacificos [a] filios Dei; quia in terra imitantur concordiam Beatorum, qui tamquam filii cum Deo Patre regnant in Cœlo, quo ipsi etiam properant. E contrario populum discordem imitari miserum statum damnatorum, ubi nulla pax, nulla conformitas, nullus ordo, sed sempiternus horror, & perturbatio inhabitat. De his sæpè discurrat afferendo varia exempla in hac materia civitatum, oppidorum, & pagorum, quibus discordia ruinam peperit, quia certum est omne regnum in se divisum desolatum [b]; in memoriam afferat numerosas, & copiosas familias, quarum aliquas ipsi fortasse noverunt, quæ ex discordiis in summam miseriam, & paupertatem devenerunt.

a Matth. 5. 9.

b Luc. 11. 17.

90 Post aliquot verò dies misceat eosdem sermones, & si videat approbari, quæ dixit, faterique damna discordiarum, & bona pacis. Dicat amanter: Quare ergo in hoc nostro oppido, in hac nostra Parochia non curabimus vitam quasi cœlestem ducere, fugiendo mala, quæ aliæ cum tanto suo damno passæ sunt? Eja, Domini, vos arbitros constituo in hac materia, vos eritis patres patriæ; vobis debebit oppidum istud suam felicitatem, & ego meam consolationem; fateor enim vobis ingenuè me vivere in magna afflictione; & animi amaritudine, quia non video inter vos, & alios hujus Parochiæ illam concordiam, quam Deus vult inter filios suos, quales ego vos omnes cupio: Illi, quos vos adversarios creditis, amicitiam vestram ambiunt: quare & vos suam non ambitis? Cur non datis gloriam Deo, & confusionem diabolo, & mihi gaudium, ut vivam inter vos tamquam pater in medio filiorum? Et eodem modo alloquatur capita alterius factionis, & sic omnes disponat ad pacem, ac commercium amicabile.

91 Quia verò discordiæ sæpissimè fundantur in imaginationibus, & suspicionibus, procuret illis satisfacere ostendens nihil esse realitatis, & solidi fundamenti; & quamvis olim aliquod fuerit, jam nihil esse; discordias solùm in inferno fore æternas; illas verò, quæ aliquando contingunt inter homines, qui salvari cupiunt, finem habituras, ne salutem impediant; quare unumquemque cedere debere in aliquo: vos filii, & domini cedite in hoc; illi cedent in illo; admittite illos ad hoc munus: illi admittent vos ad illud. Et sic, Deo dante, incipiemus vivere in Paradiso. Si enim nos omnes Deus ad Paradisum creavit, estque communis nostrûm omnium pater, quo nomine eum quotidie appellamus, cùm dicimus: [c] *Pater noster, qui es in cœlis*. Quo clarè profitemur nos omnes fratres esse, tanti patris filios. Quare non vivemus ut fratres, quibus eadem hæreditas gloriæ præparata est? O filii, & domini mei vera nobilitas est Deum imitari; si nobis etiam peccantibus non negat solem suum, pluvias, & reliqua bona: quare vos negabitis officia charitatis fratribus, qui vos vel non offenderunt, vel saltem non toties, nec tam graviter, sicut vos Deum offendistis? Non ita sit filii, non ita.

c Matth. 6. 9.

92 Scio vos non odisse homines, quia hoc lex Dei prohibet: solùm, quantum video, ex quadam quasi verecundia, & rubore illos fugitis, & illi vos; nam de illis scio, quod vos ament; de vobis etiam non dubito: quia tamen fugere vos ad invicem est signum odii: quare si hoc in corde non habetis, illud exterius profitemini? Non ita sit: facite mihi hanc gratiam. Ego veniam ad vos cum aliquibus ex illis, me & illos recipietis ut amicos; & ibo vobiscum ad alios, qui idem nobiscum profectò facient.

93 Quando ergo animi ita fuerint dispositi, accipiat hodie unum, vel alterum, quasi aliud agens, & ingrediatur consessum aliorum, ibique con-

Digitized by Google

versentur ut amici; manè alios, & sic per aliquot dies; & ita paulatim deponetur ex utraque parte rubor, qui eos fortè avertebat. Ut autem pax altiores concordiæ radices agat, utrique factioni persuadebit, ut se ipsos honore præveniant; & sic paulatim obtinebit, quòd deponantur suspiciones, & amaritudines ex illis ortæ, habeantque cor unum, & animam unam. Caveat autem, si vult proficere, ne alteri factioni magis adhæreat; sed ita prudenter cum omnibus agat, ut quælibet credat sibi esse magis intimum: sic enim omnia feliciter perficiet cum magna Dei gloria, & populi utilitate.

94 Quando verò discordia, & inimicitia orta est ex offensa data, & accepta inter privatas personas: curabit ut offendens debitam satisfactionem offerat personæ offensæ, quam disponet, ut illam acceptet, & remittat in posterum injuriam, ad quod utatur rationibus à nobis tactis lib. 5. cap. 17. & 18. & habeat exempla, & motiva accommodata ad persuadendum concedendam esse veniam offensarum, ut Deus offensas sibi factas dimittat, quod facilè præstat condonantibus injurias sibi irrogatas, aliter non præstiturus, ut multis ex Scripturis, & sanctis Patribus loco citato ostendimus.

95 Si autem viderit animum obduratum in non dimittendo, habeat exempla accommodata ad animum leniendum. Inter alia possunt inservire hæc duo. Alterum [d] sancti Joannis Gualberti, qui cùm inimicum, à quo frater ejus fuerat occisus, sub pedibus haberet, ut jam pugione confoderet; audiens inimicum, ut propter Christum sibi condonaret, subitò pugionem in vagina reclusit dicens: Ob tantum patronum libenter condono. AEstimavit Christus Dominus tanti hoc factum, ut Joannem paulo post Ecclesiam ingressum, & genuflexum ad orandum ante Crucifixum bonus Dominus refixis manuum clavis, quibus cruci affixus erat, totum se ad illum amanter inclinavit. Quo favore anima ejus mirificè delibuta, omnibus mundi illecebris, & vanitatibus spretis, ac renuntiatis, ita sanctè vixit, ut sit canonizatus. Quem etsi obduratum in sua passione, & odio casus iste non movebit?

[d] In ejus vita.

96 Quia verò sunt aliqui, qui magis timore, quàm amore ducuntur, utatur altero exemplo, quod habetur in Speculo exemplorum, [e] de quodam misero, qui offensus numquam offensam remittere voluit, licèt ad pacem, & amicitiam sæpè fuerit invitatus. Ecce tibi cùm tandem moreretur, & in Ecclesia jaceret in feretro, cùm officium Defunctorum pro eo cantaretur, ventumque esset ad primam lectionem, quæ incipit: *Parce mihi Domine*. Crucifixus, qui, de more, ad caput Defuncti positus erat, revulsis è cruce manibus digitos in aures immisit, quasi nollens audire preces pro illo misero fusas, prolatis illis verbis tremendis: *Non parcam, quia non pepercit*. Quo publico miraculo testatus est Christus Dominus damnationem illius infelicis, quia offensam sibi illatam dimittere noluit, & ad debitam pacem, ac christianam amicitiam remeare. His & aliis moventur corda etiam obdurata, si non statim, saltem paulatim, ad quod etiam juvat non tractare de venia, & concordia subitò, quando dolor adhuc est recens, sed postquam aliquantulum mitigatus est, & calor iræ refrixit. Sed prudentia docebit.

[e] Verb. dimittere. exemplo 4.

97 Si autem veniam de injuria facta à potente personis inferioris conditionis impetrare velit, verbi causa, de morte illata patri, marito, vel filio, ex quorum vita dependebat sustentatio talium personarum; id non tentet, nisi homicida satisfaciat damnum datum in fortunis, quia ad id tenetur, & offensi indigent; nec peccant accusando apud judicem, si non ex odio faciant, sed ex zelo justitiæ ad publicam satisfactionem; quia tamen hoc est difficile, procurabit, ut odium deponatur, & venia concedatur, oblata congrua satisfactione.

98 Alias verò offensas leviores momenti, & inimicitias inde ortas prudenter componere curabit jam vocando in domum suam personas vulgares, inter quas est amaritudo, jam obvium se illis præbendo, jam specialiter inquirendo, & verbis paternis admonen-

nendo, ut sint amici, faciendo quidquid prudentia, & charitas dictaverit, non patiendo, quòd odia in Parochia perseverent. Hoc enim est officium Pastoris, & patris, ex quo magnam laudem apud homines reportabit, & meritum apud Deum, qui est Princeps pacis, & pacificum Regnum ejus.

CAPUT X.

Parochus inquirat de peccatoribus publicis Parochiæ.

99 PEccator publicus non dicitur ille, qui aliquando publicè peccat, v. c. qui publicè hominem occidit, aut simile malum publicè operatur; sed qui notoriè permanet in statu peccati, ut explicavimus lib. 9. cap. 4. sect. 5. §. Peccator verò. Parochus ergo tenetur cognoscere hujusmodi peccatores suæ Parochiæ, de illisque inquirere: cùm enim teneatur illis Sacramenta denegare, ut lib. 9. dictum est; necessariò cognosci debent, & inquiri, ut cognoscantur; quia cùm Sacramenta omni tempore peti possint; in omni debet Parochus hac notitia esse instructus. Unde inquisitio ista debet esse diligens, & prudens, potestque illam facere per se, & per interpositas personas ad id accommodatas.

100 Non solùm autem debent [a] inquiri, ut eis Sacramenta denegentur, sed ut corrigantur, & emendentur. In quo bonus Parochus insudare debet jam per suum Episcopum, cui vitia publica Parochiæ, & peccatores publicos manifestare debet, ut per coactionem emendet, quos paterna charitas, & solicitudo non curat. Unde scire etiam debet, an singuli suæ curæ commissi confiteantur, & communicent in Quadragesima, Missamque audiant festis diebus. In principio autem Quadragesimæ moneat generaliter peccatores publicos, ne accedant ad Sacram Communionem, nisi priùs se Parocho præsentent, ut cum tempore possit deliberare de eorum statu, & emendatione.

[a] Tolet. lib. 5. c. 5. n. 12.

101 Quamvis autem certa regula præscribi non possit, quanto tempore quis dicatur durare in statu peccati, ut peccator publicus reputetur. [b] Hoc unum certum haberi debet, illorum nullum fore communicandum, nisi postquam populus fuerit certificatus de ejus emendatione, vel per pœnitentiam publicam, vel per Parochi attestationem de peccatoris facultate publicè factam, vel per ipsius bonam conversationem, aut alium legitimum modum de vitæ emendatione constet; ut qui pravis illius exemplis offensi fuerunt, ejusdem emendatione ædificentur. Loquor verò de communione publica, quæ notorio peccatori danda non est, quantumvis peccatorum suorum eum pœniteat, & sanctissimè confiteatur, nisi de vera pœnitentia constet; quamvis secretò verè pœnitenti dari debeat, si petatur.

[b] Nav. c. 21. n. 55.

102 Cùm peccator publicus ostenderit signa emendationis, vel Parochus de illius licentia propalaverit illum esse confessum, & pœnitere, satis dicetur non esse ampliùs peccator publicus. Tunc autem satis certificat de emendatione, si vel publicè confessus sit, vel de confessione facta Parochus certiores facit adstantes: debet tamen postea de illo inquirere, sicut de aliis totius Parochiæ, maximè verò de illo, ut sciat, an reversus fuerit ad vomitum.

103 Sed quid de concubinario publico, qui hoc anno per aliquos dies ante Pascha concubinam ejecit, cùm anno præterito, & fortè sæpius hoc ipsum egerit, & paucis post diebus eam revocavit? Resp. Parochum hujus confessione audientem debere differre Communionem, ut experiatur, an pœnitentia sit vera. Extra Confessionem verò Communionem petenti dandam esse docent graves DD. quia in pœnitente, inquiunt, non requiritur aliud, quàm quòd statum peccati reliquerit, etiam si paulò ante hoc egerit. [c] Possev. tamen melius ait hunc non statim admittendum, nisi post placitum Episcopi; quia fecisse hoc anno, quod aliis jam fecit, arguit non esse veriorem pœnitentiam præsentem, quàm fuerit præterita. Si autem Parochus confessionem

[c] Cap. 12. n. 4.

nem excepit, & communionem distulit ad experientiam; si videat pluribus diebus de præsenti continere, quàm continuerit anno elapso, poterit judicare probabilem pœnitentiam, & dare communionem.

104 Communio neganda est peccatori ita publico, ut nulla tergiversatione celari valeat, non autem propter solam suspicionem etiam probabilem. Si tamen Parochus in confessione veritatem, de qua est suspicio, agnoscat; non absolvat, nec ad communionem admittat, nisi priùs dimittat concubinam, aut relinquat id, quod impedimentum facit. Si in facto sit magna suspicio, & cum scandalo, quia v. c. fœmina, quæ domi retinetur, & dicitur famula, est juvenis, & valde compta, & statum famulæ non præfert; debet hortari in privato colloquio ad eam ejiciendam, propter scandalum; & si non proficit, rem ad Episcopum deferat, & faciat, quod ipse judicaverit.

d Possev. n. 6.

105 Cum meretricibus, [d] & concubinis quoad Confessionem, & Communionem idem agat, ac cum aliis peccatoribus publicis. Quoad habitationem in Parochia, sinat habitare: idem potest facere, si aliunde aliqua ex his adveniat, dummodo per Episcopi constitutiones non prohibeatur; quamvis melius foret illas non permittere, maximè verò si viderit particularia inconvenientia, æquum erit Episcopum consulere, cujus providentiæ reservatur multorum provisio, qui judicabit quid magis expediat.

e Possev. 1. 7.

106 Circa Peregrinos [e] aliunde venientes ad habitandum in Parochia, observet constitutiones sui Episcopi, in quibus si nihil circa hoc habeatur, ita agat. Si sint viri soluti, inquirat de statu eorum: si habeant secum fœminas, inquirat, an sint uxores. Si allegant matrimonium, postulet illius fidem, aut saltem testes; sufficietque unus fide dignus: quia in his, in quibus non est præjudicium tertii, sufficit unicus testis. Et de omnibus inquirat de fide, & moribus; ne fortè sint personæ nocivæ Parochiæ.

107 Maximè autem advertat ad medicos, & magistros scholæ aliunde advenientes in Parochiam, quæ est vel in rure, vel in pago, aut parvo oppido; quia negligentia in hac parte potest esse in magnum populi præjudicium; quia possunt esse homines perditi, vel etiam hæretici, qui multùm officere possunt; ad pastorem autem pertinet arcere lupos, & curare, ne inter oves se immisceant in earum perniciem.

108 Tenetur Parochus obviare peccato publico. Si verb. caus. videat populum ad arma currentem, ad vindictam accensum, ad furta, rapinas, &c. & probabile judicet posse se impedire. Addit Possev. expedire in magnâ rixa, cui aliter provideri non possit, prodire in medium cum imagine Crucifixi: quia hoc modo, inquit, similia valde impediuntur. Hoc tamen prudentiam requirit, & non facilè faciendum, nisi cum fundamento notabilia absurda timerentur.

109 Peccatis etiam occultis, quæ fortè facienda novit, vel per certam revelationem, aut per vehementem suspicionem, si obviare possit, ad id tenetur ex regulis charitatis, & correctionis fraternæ, quæ Parochum magis obligant, quàm alios, cæteris paribus. Si tamen facilè non possit, consulat Episcopum, ejusque judicium sequatur.

CAPUT XI.

Sit Parochus solicitus circa ornatum Ecclesiæ suæ, sacram supellectilem, ac honorem.

Ambros. [a] hanc solicitudinem inculcavit, cùm dixit: *Maximè Sacerdotes convenit ornare Dei templum decore congruo, ut etiam hoc cultu aula Dei resplendeat.* Si autem hæc cura ad Sacerdotes pertinet, satis patet pertinere ad illos, qui cujusque Ecclesiæ titulo gaudent, & proventibus sustentantur. Cui enim ornandæ, & præparandæ domus incumbet onus, nisi ei, qui ejusdem œconomus est, & præfectus? 110

a 2. Offic. c. 21.

111 Unde inter laudes egregii Parochi

rochi hæc diligens cura postremum locum non habet, sed ex illa maximè apud omnes commendabitur, ut sanè commendavit Div. Hieronym. suum Nepotianum Parochum in Epitaphio ejusdem ad Heliod. his verbis: [b] *Erat solicitus, si niteret Altare, si parietes sine fuligine, si pavimenta tersa, si janitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, si vasa luculenta, & in omnes caeremonias pia solicitudo disposita; non minus, non majus negligebat officium: ubicumque eum quaereres, in Ecclesia invenires: Basilicas Ecclesiæ, & martyrum conciliabula diversis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrabat, ut quidquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quàm visu, Presbyteri laborem, & studium testaretur.*

b Epitaph. Nepot. ad Heliod.

112 Certè Ecclesiæ sanctitas, & tremenda mysteria quæ in ea peraguntur, omnem solicitudinem, & diligentiam circa ejus ornatum, ac munditiem exigunt. Quòd si Parochus seriò attenderet, omnem diligentiam circa ejus ornatum, & cultum insufficientem existimaret. Nam si Deus templum Hebræorum à Salomone ædificatum adeo magnificum, & politum esse voluit; ut nihil in eo esset, quod auro non tegeretur, quid vellet de nostris Ecclesiis, in quibus non asservatur manna, virga Moyses, & tabulæ legis; sed augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; Hoc est, Corpus, & Sanguis Christi, & tota sanctissimæ Trinitatis majestas: in quibus non offeruntur Deo Sacrificia animalium, sed immolatur Deo Patri Agnus immaculatus Filii sui, qui tollit peccata mundi. Quare si ob tenuitatem redditum, & paupertatem incolarum sacræ vestes, vasa, cæteraque ornamenta pretiosa esse non possunt; curet saltem bonus Parochus, ut munda sint, & decentia, ut mundities, & nitor valorem suppleat.

113 Hoc Ecclesiæ splendore, & sacræ supellectilis nitore cultus, & Religio in Deum magnopere apud omnes conciliatur, & augetur: dum enim homines vident domum Dei mundam, & sufficienter ornatam, Ecclesiasticas vestes vel pretiosas, vel saltem decentes, & politas, Sacerdotum suorum existimationem concipiunt. E contra verò nemo ferè est, qui indignè non ferat sacra sordidè tractari, maximè cùm naturæ ipsius impetu refugiamus homines sordidos, ac illuvie fœtidos; quos interius non benè compositos arguunt, qui ab exterioribus ad interiora argumentantur cum Clemente Alexandr. dicente: *Quemadmodum fumus ignem, bonus autem color, bonusque pulsus sanitatem; ita etiam talis, qui est apud nos amictus, indicat, qualis sit nostrorum morum constitutio.* Quod enim Clemens dixit de amictu proprii corporis, à fortiori procedit de sacris vestibus, & de omnibus his, quæ ad divinum cultum spectant, circa quæ Sacerdotis incuria, & neglectus, non puram, nec mundam ipsius animam, & conscientiam arguit.

114 Nam ex studio circa sacrarum rerum nitorem facilè conjici potest, qualis sit animi propensio, affectus Sacerdotis, qui si Deum diligeret, illiusque honorem, ac gloriam quæreret, omni solicitudine curaret, ut locum, in quo Deus habitat, & sacræ vestes, ac vasa, quibus colitur, ornata, mundaque, ac decora forent, exemplo Davidis, qui ex Dei amore, quo interitus flagrabat, dicebat: [c] *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Certè Machabæi, [d] quando viderunt Dei templum incompositum: *Sciderunt vestimenta sua, planxerunt plantum magno, & imposuerunt cinerem super caput suum, & ceciderunt in faciem super terram.* Confundatur Sacerdos, erubescat, & timeat, si reverentiam, & debitam existimationem de Ecclesiæ suæ dignitate, deque sacris ministeriis, quæ in ea fiunt, non concipit, nec seriò considerat; quæ quidem si consideraret, omnem operam, omneque studium in decore, ac splendore harum rerum impensum inter præcipuas officii sui partes existimaret. Debet præterea Parochus maximè studere, ut suæ Ecclesiæ debitus honor deferatur, nec quidquam in ea indicens, aut inhonestum fiat, ut monet Trident. [e] per hæc verba: *Ab Ecclesia musicas illas, ubi sive organo, sive cantu lascivum, aut impurum aliquid miscetur, item sæculares omnes actiones, vana, atque adeò profana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceantur,*

c Psal. 25. 8.

d 1. Mach. 4. 39.

e Sess. 22 in decreto de observ.

ut domus Dei domus orationis esse videatur, & dici possit. Unde debet prohibere primò, ne [f] sæcularia negotia, placita, contractus, & alia hujusmodi ibi fiant, quia omnia ista sunt prohibita per jus Canonicum.

[f] Barbos. c.13. n.17.

115 Secundò, prohibere debet, ne ibi fiant conclamationes, seditiones, publica consilia, congregationes, & his similia, nisi pro actu pietatis, aut pro spiritualibus exercitiis, vel piis operibus congregatio etiam per laicos fieret, verb. caus. pro faciendo aliquo festo, vel instituenda aliqua confraternitate, vel eligendo judice, & officialibus illius, vel nisi tractarentur alia negotia spiritualia, & Ecclesiastica, ut est facere Synodum, tractare de libertate Ecclesiæ, de statu Cleri, aut morum reformatione.

116 Tertiò, prohibere debet, ne in Ecclesia fiant ludi theatrales, monstra larvarum, aut lubricæ festivitates, chori sæcularium, vel cantica puellarum, & profana hujusmodi, ut sunt canere more theatralico, id est, corporis gestus exercendo, quos magis ostentatio, quàm devotio facit, ut contingit histrionibus, & comicis. Imò Trident. suprà monet cantores Ecclesiasticos, ut honestè, & religiosè, & non lascivè in Ecclesia decantent. Adde saltationes, & choreas in Ecclesia quoque prohibendas; quas sæpè legimus à Deo fuisse punitas.

117 Quartò, prohibere debet, ne strepitus, & clamores fiant, dicente Chrysost. [g] *Nihil Ecclesia tam congruum, quàm silentium, & tranquillitas: theatris convenit tumultus.* Nec convivia, nisi fortè aliquid frugale, & parculum in angulo Ecclesiæ sine tumultu, luxu, aut perturbatione adstantium sumatur ex causa rationabili: quia v. c. non est alius locus accommodatus. Unde videntur excusandæ mulieres, quę ob devotionem in Ecclesia per aliquot dies commorantur, ibique aliquam moderatam refectionem sumunt.

[g] Hom. 38. ad Pop.

118 Quintò, observet Parochus pernoctationes, & vigilias, quæ olim in Ecclesiis pro solemnitatibus ad martyrum corpora fieri solebant, jam hodie esse sublatas multis ex caufis, quas referunt AA. propter quas Episcopi ordinariè prohibent istas pernoctationes in Ecclesia. Unde Parochus observet, quod suus Episcopus hac in parte constituerit. Nec etiam permittat, ut supellex, & utensilia domus in Ecclesia reponantur, nisi fortè propter hostiles incursus, aut incendia repentina, vel similem necessitatem id fieri oporteat.

119 Sextò, debet ab Ecclesia ejicere nominatim excommunicatos, interdictos, & illos, quibus specialiter interdictus est ingressus Ecclesiæ. Infideles verò potest, & debet permittere, ut ingrediantur Ecclesiam ad verbum Dei audiendum, in qua persistere possunt usque ad Missam catechumenorum. Quod etiam de hæreticis, quamvis excommunicatis, dicitur cap. Nullum Episcopus, de consecrat. d. 1. Debet etiam curare, ne violentia aliqua fiat sive ipsi Ecclesiæ per destructionem, incendium, aut quamlibet violationem; sive personis, aut rebus, quæ in ea continentur. Debet denique advertere, an imagines Ecclesiæ, & Altarium pietatem præ se ferant; an gestus, & corporis dispositio aliquid indecorum, scurrile, vel profanum redoleat: ut non exponantur imagines sanctorum, qui ab Ecclesia approbati non sint juxta Tridentinum. [h]

[h] Sess. 25. de reliq. & ven. sanct.

120 Omnia ista ex variis juris Canonici Capitulis adducit Barbosa cum [i] multis DD. ubi præter pœnas per sacros Canones, & leges Civiles comminatas contra prædicta in Ecclesia facientes, adducit Constitutionem Pii V. quæ incipit, Cùm primùm. Estque in Bullario quinta inter Bullas hujus Pontificis, in qua variæ pœnæ decernuntur.

[i] Barbos. c.13.

CAPUT XII.

De Cura Parochi intuendis juribus, & bonis suæ Ecclesiæ.

De hac re multa habentur in jure Canonico, maximè causa 12. quæst. 2. quæ ibi videri possunt. Satis sit referre verba Leonis Papæ: *Ea*, inquit, *quæ ad Ecclesiæ jura pertinent, tamquam ipsam sacrosanctam, & religiosam* 121

Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiam intacta convenit inviolabiliter custodire, ut sicut ipsa religionis, ac fidei mater perpetuò est; ita ejus patrimonium servetur illasum. Unde manavit consuetudo, ut provisi de beneficiis jurent se privilegia, & bona Ecclesiæ, ac beneficii sui non alienaturos, sed conservaturos; & indebitè alienata, quantum in ipsis erit, revocaturos, & recuperaturos. Quod juramentum cum titulo justitiæ Ecclesiæ obligationem inducit, ut pro defensione bonorum, & jurium suæ Ecclesiæ, si oportuerit, teneatur Parochus vitam ponere. Et si quando potest illa recuperare, & id facere negligit vel timore, quia res est cum potentibus, vel aliquo humano respectu, instar tutoris, tenetur de suo restituere.

122 De rebus igitur, seu bonis ad Parochiales Ecclesias pertinentibus, ipsisque conservandis extat ordinatio sancti Caroli Borromei ad Parochos suæ Diœcesis, qua jussit, ut rerum, & bonorum suæ Ecclesiæ, eorumque redditum inventarium conficerent, eiusque copiam Ordinario traderent; hujusmodi enim ordinatione facilius bona Ecclesiastica, & redditus ab usurpatoribus defenduntur, & successoribus, quos plerumque Ecclesiarum, de quibus provisi sunt bona, & jura ignorare contingit, consulitur. Cui etiam malo, ait [a] Barb. non mediocriter provisum erit, si Parochus in aliquo solemniori festo decretum Concilii Tridentini [b] contra occupatores bonorum Ecclesiasticorum populo singulis annis publicaverit cum Can. 17. & 18. Bullæ Cœnæ de eadem re.

a Ca. 13. n. 3.

b Sess. 22. c. 11. de ref.

123 Quòad mobilia attinet; illa in inventarium redigi debent, quæ vel Sacra, vel ad usum Ecclesiæ destinata, aut ad usum domus Ecclesiæ à prædecessoribus acquisita, atque à presenti Parocho adepti beneficii tempore in Ecclesia inventa fuissent, aut aliàs illius generis rerum fuerint, quas Pius V. in sua constitutione Romani Pontificis 42. in Bullario voluit ad Ecclesiam pertinere, adeò ut Parochus nullatenus in posterum possit distrahere, aliòve transferre, non obtenta ab Ordinario licentia, quam ille non aliter concedere debebit, quàm si alias res meliores, aut saltem æquales in locum amovendarum Parochus re ipsa substituat, nisi fortasse justa aliqua necessitas, nulla Parochi culpa contracta, secum suadeat; quod Episcopi prudentiæ statuendum relinquitur. Hujus autem inventarii traditi in archivio Episcopali exemplum ab eodem Parocho in libro propriæ Ecclesiæ manu sua subscripto conservari debet. Unde successores bonorum omnium ad Ecclesiam pertinentium admoneantur, ut ea conservare, vel recuperare possint.

124 Deinde cavere debet Parochus à locationibus bonorum suæ Ecclesiæ cum anticipatis solutionibus, juxta decretum Concilii [c] Trident. in hæc verba: *Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cùm earum bona, repræsentata pecunia in successorum præjudicium, aliis locantur: omnes igitur hæ locationes, si anticipatis solutionibus fient, nullatenus in præjudicium successorum valida intelligantur: quocumque indulto, aut privilegio non obstante.* De quo, si placet, consule Rebellum.[d]

c Sess. 25. c. 11 de ref.

d 2. p. li 4. q. 5.

125 Similiter sub Excommunicatione,[e] aliisque gravissimis pœnis constitutum est, ne absque Apostolicæ Sedis authoritate ullo pacto bona immobilia Ecclesiæ ultra triennium locentur, aut alia ratione alienentur. De quo vide Barbosam in collectaneis ad extrav. Ambitiosæ, de reb. Ecclesiæ non alienandis. Nomine autem alienationis intelligitur omnis actus, quo dominium rei directum vel utile, aut ususfructus, vel jus in alterum transfertur, aut abdicatur; ac proinde non solùm venit venditio, aut alius contractus onerosus, vel gratuitus, quo rei dominium in alterum transfertur; verùm etiam hypotheca, infeudatatio, & contractus Emphyteuticus; non autem repudiatio, seu remissio legati, vel hæreditatis, aut rei Ecclesiæ non dum incorporatæ.

e Extrav. Ambitios. de rebus Ecclesiast. non alien.

126 Dubitabis primò, an ad Parochum pertineat exactio legatorum piorum factorum suæ Ecclesiæ? [f] Resp. Possev. si per Episcopum jubeatur, vel consuetudine legitima inducta sit talis exactio, teneri vel gratis, vel sub mercede, juxta Episcopi placitum, vel juxta receptam consuetudinem: si per Epi-

f C. 12. nu. 72.

Episcopum de hoc nihil cautum, nec per consuetudinem præscriptum fuerit, non teneri: communiter verò teneri pro legatis ordinariis: pro insolitis autem & valde laboriosis, quorum exactio magnas difficultates parit, non teneri gratis exigere; estò teneatur in legatis ordinariis, quia lex, seu consuetudo, quæ in legatis ordinariis Parochum afficit ad exactionem, non est extendenda ad casus inopinatos, quales sunt, si legata sint valde difficilis, & laboriosæ exactionis; ut si quis multa legaret exigenda à decoctis, à potentibus, ab habentibus alibi domicilium. Ita Possev. Ego crederem in his casibus difficilis exactionis rem deferendam ad Episcopum, & de ejus consilio faciendum.

127 Dubitabis secundò, an Parochus possit respuere legata pia relicta suæ Ecclesiæ? Resp. duas sententias referri à Lessio. [g] Prima affirmat; quia repudiatio non est alienatio rei Ecclesiæ, sed sola non acquisitio: ergo licèt non possit alienare, poterit non acceptare, quod Ecclesiæ offertur. Poterit tamen Ecclesia sic defraudata implorare beneficium restitutionis in integrum, quod ei concessum est, quando vel negligentia, vel facilitate Prælati læsa est non solùm per damnum acceptum, sed etiam per lucrum amissum. Poterit etiam agere contra Parochum, quia ex officio tenebatur rem Ecclesiæ suæ agere, eiusque utilitatibus consulere.

g Lib. 2. c. 23. n. 65.

128 Secunda, quæ probabilior videtur, negat posse Parochum repudiare, nullamque esse talem repudiationem; & consequenter teneri acceptare, & conari pro viribus exactionem. Si verò legata fuerint valde difficilia, aut onerosa, consulat Episcopum, ut dictum est. Hoc autem intelligo, quando legata jam sunt relicta; quia si non sunt relicta, sed moribundus, v. c. habet voluntatem relinquendi; poterit Parochus illum deterrere ab illis relinquendis sine ulla culpa, maximè si ita judicet magis conveniens, quia moribundus habet heredes pauperes. Nam in isto casu adhuc Ecclesia non habet jus ad rem, cui Parochus præjudicare censeatur, licèt in hoc non se satis fidelem præstet Ecclesiæ suæ, nisi paupertas consanguineorum tanta foret, ut illum infidelitatis excusaret.

129 Dubitabis tertiò, an possit Parochus respuere oblationes? Resp. posse respuere illas, quæ cedunt in suam utilitatem; quia rerum suarum unusquisque est arbiter, dummodo absit scandalum: non posse tamen respuere, si sint in utilitatem aliorum, vel ipsius Ecclesiæ; quia rem tertio præjudicialem ageret, quod non licet.

130 Nota verò ex juris canonici dispositione teneri Parochum certas quasdam oblationes respuere; nempe quæ fiunt à notoriè diffidentibus. Secundò, ab opprimentibus pauperes. Tertiò, à raptoribus. Quartò, ab usurariis. Quintò, à meretricibus. Sextò, ab illis, qui Ecclesiæ immunitatem violarunt. Septimò, à sacrilegis. Octavò, à certis pœnitentibus, & sic de aliis apud AA. Semper tamen est intelligendum de prædictis notoriis, & manifestis. Ubi etiam advertendum, posse jura hæc decernentia non obligare, si contraria consuetudo vigeat; quæ ferè ubique viget: quia ut notant DD. canones ita decernentes vix sunt recepti. De quo vide Soar. [h] & Azorium.

h Soar. t. 2. de Relig. l. 1. c. 6. Azor. 1. p. l. 7 c. 38. q. 17.

131 Illud præterea est observandum alienationes rerum Ecclesiæ factas etiam cum clausula: Reservato sedis Apostolicæ beneplacito; irritas, & invalidas censendas esse, si ante impetratam confirmationem, possessio rei alteri tradita fuerit. Quin etiam & Rectores Ecclesiarum, & possessores tamquam intrusos ad pœnas constitutas teneri. Excusabuntur tamen Rectores, si pœnitentia ducti, aut alio titulo alienationem revocarunt, ante realem, & pacificam pessessionem; de quo DD. apud Barbosam. [i]

i Ca. 13. n. 41.

132 Advertendum tandem in alienatione rerum tenuiorum licèt immobilium, non requiri Apostolicam authoritatem, nec alias solemnitates in rerum immobilium alienationibus intervenire solitas, juxta canonem Terrulas, 12. quæst. 2. dummodo causa cognita, & evidente Ecclesiæ utilitate comperta, eam Ordinariùs authoritate sua probaverit. Neque constitu-

Digitized by Google

stitutio Pauli II. neque decretum Concilii Trident. prædicto canoni derogasse Sacra Congregatio decidit, ut ex Quaranta refert Barbosa, [l] qui alios DD. pro hac advertentia refert.

l Barb. n. 41.

CAPUT XIII.

De Cura Parochi circa reparationem suæ Ecclesiæ.

133 CAp. De his, de Ecclesiis ædificandis, ita decernitur circa hanc materiam: *De his, qui Parochiales Ecclesias habent, duximus respondendum, quòd ad reparationem, & institutionem Ecclesiarum cogi debent, cùm opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Ecclesiæ, si eis supersint, conferre, ut eorum exemplo cæteri inuitentur*. Ex quo textu constat Parochos debere reparare, & restaurare Ecclesias suas Parochiales, cùm separatione, & restauratione indigent.

134 Hoc decretum innovavit, & magis declaravit Concilium Tridentinum [a] per hæc verba. *Parochiales verò Ecclesias, etiam si jurispatronatus sint, ita collapsas, refici, & instaurari procurent* (nempe Episcopi) *ex fructibus, & proventibus quibuscumque, ad easdem Ecclesias quomodocumque pertinentibus; qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, & alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant; quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remota*.

a Sess. 21. c. 7. de ref.

135 Ex quibus colligitur ubi ad reparationem Ecclesiæ certa pars, aut redditus sufficientes deputati non fuerint, teneri Rectorem Ecclesiæ, hoc est, illum, qui decimis, & Ecclesiasticis gaudet redditibus, pro illorum rata, ad reparationem contribuere; ut benè resolvunt DD. apud Valasc. [b] & Barb. qui optimè addunt: si in Ecclesia sit certa portio, seu certi redditus deputati ad fabricam ipsius, & sufficientes; ex illis Ecclesiam reficiendam, & reparandam. Quòd si portio deputata ad fabricam non sufficit, tunc Prælatum, & clericos beneficiarios teneri ad supplendum id, quod deficit, secundùm redditus, quos unusquisque eorum habet ex tali Ecclesia. Quòd etiam intellige de commendatariis perpetuis, qui tenentur ad reparationem Ecclesiæ ex redditibus commendæ, deducto priùs necessario ad sustentationem, non autem ad tuendam conditionem, seu statum: quia beneficiorum fructus non ad augendos, seu fovendos mundanos titulos, sed ad pauperes alendos, & divinum cultum instituendum concessi sunt.

b Valasc. consult. 179 Barb. c. 13. n. 2.

136 Si verò Parochus non habeat ab Ecclesia tot fructus, seu redditus, quibus, post congruam sustentationem possit præstare talem reparationem, nec sint beneficiarii, qui adjuvent, nec Commendatarii, nec Patroni, quia Ecclesia non est de jure Patronatus; [c] tenetur Parochiani contribuere ad talem reparationem, estò nulla existat consuetudo contribuendi, vel Parochiani sint nobiles, & exempti; quia hoc est opus publicum communem omnium utilitatem concernens. Unde cogendi sunt, non obstante quacumque exemptione, appellatione, vel contradictione, ut decrevit Trident. suprà. Quod adeò est verum, ut dicant DD. non posse Parochianos usui Ecclesiæ cedere, nec Parochum renuntiare beneficio, ut evitent onera, & eorum complementum.

c Barb. à n. 6.

137 Dixi: *Si non sint Patroni*. Quia si Ecclesia Parochialis sit de jure patronatus, Patronus tenetur ad reparationem ante Parochianos; quia percipit emolumentum à dicto jure Patronatus, quod consistit tum in præsentatione; tum in præeminentiis primi loci in processionibus, & sessione; tum etiam in jure, quod habet percipiendi in necessitate alimenta ab ipsa Ecclesia; propter quæ tenetur post Parochum, Beneficiarios, & Commendatarios.

138 Adverte autem [d] non teneri ad reparationem Ecclesiæ Parochialis Parochos illos qui habent coram annexam cum certa portione à Rectore matricis, cui decimæ solvuntur, sive dicatur Prior, sive Abbas. Nec etiam illos, qui sustentantur à Parochia-

d Vide Barb. de potestate Episcop. alleg. 64.

chianis solventibus decimas vel Cathedrali, vel Matrici: nam isti, qui decimas percipiunt, sunt qui tenentur ad dictam reparationem, quia decimis, & redditibus Ecclesię gaudent; alii verò solùm habent congruam, & ordinariè satis tenuem, & limitatam. Unde etiam non tenentur Vicarii etiam perpetui, qui certam portionem habent.

139 Quòd verò dictum est de reparatione Ecclesiæ Parochialis, dicendum pariter est de domo Parochiali, seu de habitatione Parochi, ut declaravit Sacra Congregatio Concilii per hæc verba: *Idem censuit Congregatio de domibus pro necessaria Parochi habitatione, quod de Ecclesiis Parochialibus decisum est, omni contradictione remota.*

140 Quando ergo Parochus compellendus est ad reparandam Ecclesiam Parochialem, nonnisi in foro Ecclesiastico compelli debet. Nam illa obligatio apud Ecclesiarum Rectores residet; quia quarta pars fructuum Ecclesiis de jure communi concessa est ad earum reparationem, ut notant DD. ad cap. 1. de Ecclesiis ædificandis. Unde illud onus tamquam realem possessionem sequitur, ut docet Gab. [d] Pereyra in manu Regia. Quando veverò Parochiani, & alii; quos diximus teneri ad reparationem, compellendi sunt; de jure ad Prælatos pertinet examinare, & decernere, quænam opera in Ecclesia fieri debeant, vel reparari, contributionemque per capita distribuere; & tandem ad eam compellere, quando fuerit opus; quia hæc omnia privativè ad Prælatos spectant, cùm divinum cultum respiciant, & administrationem Ecclesiarum, quæ solis Prælatis incumbit.

[d] 1. p. c. 18. n. 7.

141 Monet tamen [e] Valasc. ante omnia, in hac obligatione attendendam esse consuetudinem; quia si consuetudo legitimè præscripta fuerit, quod vel Episcopus, vel Rector Ecclesiæ, vel beneficiarii, aut etiam Parochiani præstent sumptus: vel quòd Rector, & beneficiarii reficiant capellam majorem, Parochiani autem corpus Ecclesiæ, ut fit in aliquibus locis hujus Regni Portugalliæ, talis consuetudo servanda erit, non obstantibus canonibus, & iis, quæ de jure in contrarium dicta sunt.

[e] Consult. 179. n. 7.

CAPUT XIV.

Studium moralis Theologiæ à Parocho non intermittendum, nec deserendum.

142 INcusandus maximè est illorum Sacerdotum error, qui antequam ad Curam animarum veniant, strenuè, ac diligenter studio moralis Theologiæ, seu Doctrinæ casuum conscientiæ operam navant; potiti verò Ecclesia, aut beneficio, libros statim abjiciunt, seque otio, & desidiæ tradunt. Quasi studium sit solùm ad obtinendam curam animarum, non verò ad illam exercendam; vel si aliqua lectione occupantur, neglectis iis libris, quæ sui muneris sunt, sese convertunt ad fabulas, & alia inania, quorum notitia omninò vana, & inutilis est, & propriæ vocationi sæpè contraria.

143 Hic certè error ad minimum originem trahit ab ignorantia: quia nemini dubium esse potest scientiam illam, quæ circa hominum mores, & actus discutiendos versatur, prout in scholis traditur, generalibus quibusdam regulis, ac principiis inniti, quæ ut particularibus casibus applicentur, novo studio opus est; maximè, quia, ut satis experimur, qui curam animarum exercent, quotidie tam novos casus inveniunt, ut si suo officio deesse nolint, & propriam conscientiam innodare; denuò ad libros, & peritorum consilia recurrendum sit, cùm nova morborum genera novis egeant remediis.

144 Neque excusabitur Parochus, si dicat simplicium hominum, & rusticorum curam se gerere, in suaque Parochia nullas ferè negotiationes exerceri, quæ ut plurimùm confessori negotium facessunt. Nam estò ita regulariter sit, sæpè ibi inveniet nodos, & tricas, à quibus se facilè non expediet. Et quamvis raro, aut numquam

quam

Digitized by Google

quam inveniret: quæ prudentia est velle brevi tempore perdere illam scientiam, pro qua tot annis, & tanto cum labore insudasti? Evanescit enim, nisi assiduo studio, & exercitatione teneatur. Accedit, quia non tantùm tibi natus fuisti; unde pro aliorum quoque utilitate laborare debes, ut tam in publicis, quàm privatis colloquiis alios instruere, & dirigere possis. Et licèt Pastor nullas infirmas oves habeat, secum semper antidota defert, ut ubi repentinus morbi casus evenerit, remedio statim præstò sit. Et sicut miles semper arma tractat; quamvis nulla sit hostium invasio: cur Parochus, cujus arma sunt libri, & cujus doctrina spiritualium ægritudinum medicamentum est, ab studio sibi, suoque officio necessario vacabit?

145 Circa libros, quos Parochus habere debeat, ut per illos casus conscientiæ determinare possit, nihil certi tradi potest; quia si sit vir doctus, ut multi sunt, poterit habere multos, & bonos, eosque consulere; quia doctrina, qua instructus est, simul cum prudentia dictabit, quę nam sententię pondus habeant & rationis, & authoritatis. Primum locum habent apud doctos libri P. Thomæ Sanches, & Patris Soarii de Sacramentis, de pœnitentia, de censuris, de legibus, de Religione, nam alii sunt de rebus speculativis. Mol. de justitia. Lessius de quatuor virtutibus Cardinalibus. AEgidius Coninck. Vasquez in rebus moralibus dignissimus, & magni judicii vir. His adde Bonacinam, & Filliucium, qui licèt sint solùm compillatores, benè compillarunt doctrinam moralem Authorum melioris notæ, & magis copiosè, quàm puri Summistæ, nec desunt alii Recentiores, qui utiliter legi possunt.

146 Si verò Parochus sit purus casuista, non curet de multitudine librorum, quia non benè se expediet, sed potiùs confundetur, si multos consulat, maximè illos, qui res exactè discutiunt: habeat paucos, & bonos, quia homo unius boni libri potest esse sufficientissimè instructus. Potest hominibus istis inservire summa Toleti, quæ clara, & solida est; summa Silvestri, quæ meritò summa summarum dicitur, & manuale [a] Navarri. Cum istis evadet peritus in suo genere, si illorum lectionem non deserat. Nam experientia compertum est, ut notat Possev. bonos alioquì casuistas, studium casuum conscientiæ intermittentes postea incidisse in errores; quia doctrina moralis est vastissima, & non comparatur perfectè, nisi post multos labores, & canos, ut advertit Nav. cùm enim habeat duplex fundamentum, nempe principia Theologiæ scholasticæ, & decreta Pontificum: licèt quæ pendent à primo, facilius menti hæreant propter principia, quibus innituntur: quæ pendent à secundo, difficulter hærent, nisi post multum studium, illudque continuum; quia cùm nitantur in beneplacito Pontificum, qui modò hoc, modò contrarium decernunt; modò statuunt, modò revocant; aut semel statuta moderantur; aut illis nova addunt; nulla alia via obtineri potest, quàm per studium continuum cum magna advertentia, & circumspectione non unius diei, vel mensis, sed annorum multorum.

a Cap. 15. n. 1.

147 Si autem casuista sit magis provectus in hac morali doctrina, bonum erit habere summam Bonacinæ, quæ est magis copiosa, & res tractat magis doctrina iter, vel etiam summam Filliucii, qui breviter, & clarè tractat omnes materias morales. Bona etiam est summa Villalob. quamvis in lingua vulgari, quæ proinde utilis erit illis, qui in latina non multum profecerunt; quamvis lingua vulgaris non ita benè difficultates explicet, ut latina; in qua sunt termini proprii ad res declarandas.

148 Postquam autem Parochus Ecclesiam curatam adeptus fuerit, curet habere notitiam ingeniorum, ac inclinationum plebis suę, & casuum, qui in ea frequentiùs occurrere solent, ut resolutiones promptas habeat, maximè circa restitutionem, & Sacramenta, nec non circa scandalum, quia est quid transcendens per omnes ferè materias. Puto autem Parochum, qui in hoc nostro libro versatus fuerit, nullo alio indigere; quia omnes materias morales sufficienter inculcamus cum brevitate, & claritate, & quidquid in illis probatiores Doctores docent longis tractationibus, nos competenti brevitate tradimus; ita ut sine fastidio, & sine labore habeatur, quod per alios non habebitur, nisi post longas lecturas, quibus sæpè homo occupationibus parochialibus impeditus non ita vacare potest.

Le-

Legat autem Indicem lib. 4. 8. 9. & 10. in quibus res morales casuum tractamus, & statim videbit per titulos capitum, sectionum, & paragraphorum, ubi res, quas quærit, inveniri possint, quamvis ad faciliorem notitiam indicem generalem conficiamus.

149 Quia verò in hoc campo moralis Theologiæ, seu casuum conscientiæ, in quibus bonus Parochus debet esse versatissimus, ne in suo officio errores graves committat, raro res sunt ita certæ, ut non subjaceant opinionibus Doctorum, sit prudens, & timoratus in delectu opinionum; inter quas communis opinio magnum habet momentum; quare non facilè ab ea recedat in qualibet materia, nisi necessitas urgeat, vel habeat evidentem rationem, aut textum in contrarium. Quæ autem sit opinio communis, & probabilis, diximus lib. 10. cap. *6.* sect. 3. Et per hæc satisfactum est omnibus, quæ promisimus in principio in prolusione ad Parochos ad illorum instructionem, perfectos in suo munere fore judicamus; si ea, quæ ad eorum instructionem dicta sunt, calleant, & secundùm ea in occurrentibus occasionibus operentur. Faxit Deus, ut omnes, qui huic muneri præficiuntur, intelligant quantum ab ipsis pendeant animarum lucra, & æterna salus, & ita vivant, & laborent in suo sancto ministerio, ut cum animabus sibi commissis æternum tandem salutis portum feliciter ingrediantur.

LAUS DEO,

Et Virgini Matri conceptæ sine labe originali.

Omnia, quæ in hoc opere dicta sunt, subjicimus correctioni sanctæ Matris Ecclesiæ.

INDEX

Digitized by Google

INDEX AD CONCIONES.

Prior numerus paginam, secundus numerum paginæ indicat.

ABSTINENTIA.

Abstinentia dæmones fugat. 27. 136.
Medicamentum est ad libidinem extirpandam. ibi. 137.
Qui nescit abstinere, alios docere non potest: ibi. ex Hieron.
Abstinentia initium vitæ spiritualis. 28. 138.
Qui non abstinet, inutilis ad malitiam spiritualem. ibi. ex Greg.
Corpus benè cibatum insolescit adversus spiritum. ibi. ex Orig.
Abstinentia cohibet corpus, ne animam præcipitet: ibi. ex Aug.

ADORATIO.

Adoratio actus Religionis. 342. 154.
Adoratio interna, & externa. ibid.
Adoratio ubique Deo præstari potest. ibidem. 154.
Specialis locus adorandi Ecclesia. ibid.
Conatur diabolus, ne adoremus imaginem Christi, & Matris ejus. 293. 346.

AETERNITAS.

Æternitatis memoria animæ medicina. 158. 249.
Impossibile foret vitam non mutari, si æternitas cum fide cogitaretur. 255. 154.
Duo status dicit, unum infelicissimum, felicissimum alterum. 254. 148.
Æternitatis beatæ tria præclara exempla. 281. 293. *& seq.*

AMOR.

Amor virtutis, & odium peccati pedes animæ. 149. 209.
His pedibus graditur anima ad Paradisum. ibid.
Pedes isti infirmi à nativitate. 150. 213. *& seq.*
Hanc pedum infirmitatem experiuntur, qui magis currere ad Deum cupiunt. ibid. 214.
Qui faciunt bonum, & non fugiunt malum, uno pede claudicant in via salutis. 151. 218.
Vide claudus.
Amor Dei necessarius ad regendas animas. 54. 75.
Absque Dei amore nemo capax regendi animas. 55. 77.
Amor ovium fundamentum curæ pastoralis. ibidem.
Amor hic debet imitari amorem Christi. 54. 76.
Non amans oves Christi, indignus officio pastorali. 55. 81.
Sine amore non fit officium prædicandi. 55. 77.

ACEDIA.

Acediæ opponitur gaudium charitatis de bonis divinis. 463. 699.
Quid faciendum cùm premit acedia? ibid. ex Bern.
Religiosi desides carent Dei favoribus. 304. 395.
Procurat diabolus, ut simus desides in rebus spiritualibus. ibid. 396.

ANGELUS.

Angeli perfectio qualis, & quanta? 124. 80.
Angeli custodes nostri, & pædagogi. 257. 162.
Angeli nos adjuvant in via salutis. 151. 217.

ANIMA.

Anima nostra immortalis nunquam moritura. 252. 139.
Animæ excellentia ex sanguine Christi. 7. 37.
Animæ Christi oves. 8. 38.

Quan-

Digitized by Google

Quanti Christus faciat animas? ibid. 39. & seq.
Verbum Dei animarum cibus. 263. 196.
Anima pascenda verbo, oratione, & exemplo. 38. 1.
Anima pascenda, sicut eas pavit Christus. 39. 4.
Animarum profectus pendet ex Deo. 116. 32.
Faciat tamen pastor, pro earum salute, quod suum est. ibidem. 33.
Animarum pedes amor virtutis, & odium peccati. 149. 209. & seq.
His pedibus moveri debent in cœlestem patriam. ibid.
Fugiant mala prohibita, & ament efficaciter bona præcepta. ibid. 210.
His pedibus gradiuntur animæ in Paradisum. ibid. 208.
Vide salus animarum.

AVARITIA.

Avaritia virus, & lepra sanctitatis ex Dam. 209. 66.
Avaritia in medicis etiam reperitur. 15. 75.
Avaritia execrabilis in animarum Rectore. 208. 64.
Avaritia detestanda in Parocho. ibid. 62.
Avaritia sacerdotum maxima Christi persecutio. ibidem.
Avaritia Parochi minuit reverentiam Sacramentorum. ibid. 63.
Avaritia crudelitatem comitem adhibet. ibidem. 64.
Avaritia Parochi à cultu Dei alienat. ibid. 65.
Avaritia sacerdotum conspirat in sanguinem Christi, ut Iudæ avaritia. ibidem. 64.
Non est Deus in corde cum idolo avaritiæ. 152. 223.
Avaritiæ tria exempla mirabilia. 301. 384. & seq.
Duo alia exempla scitu digna. 296. 360. & seq.
Detestanda avaritia sacerdotum accipientium onera Missarum, quas persolvere non possunt. 209. 70.
Avaritia crudelem efficit, & ferocem. 208. 64.
Avaritia sacerdotis cor indurat. ibidem.

B

BONA TEMPORALIA.

Bonis temporalibus non serviendum. 152. 220.
Quid sit bonis temporalibus inservire? ibid.
Nemo potest Deo simul, & bonis temporalibus inservire. ibidem.
Vbi Christus intrat malè parta restituuntur. ibid. 223.
Christum multi abjiciunt, ne temporalia abjiciant. 153. 225.
Bona temporalia à Deo non petenda, nisi in ordine ad salutem. 262. 189.
Proximis etiam à nobis petenda ad eumdem finem. 263. 194.
Deus bona temporalia confert, ut dividantur cum egenis. ibid.
Bona temporalia dantur Parocho, ut vivat, non ut ditescat. 15. 73.
Bona temporalia non dantur ecclesiasticis, ut ditent consanguineos. 16. 77.
Ecclesiastici debent pauperibus superflua sua. ibid. 78.
A pauperibus furantur, qui bona ecclesiastica aliter impendunt. ibid. 79.
Consanguineis egenis distribuere possunt, ut pauperibus. ibid.
De temporalibus magis curant sacerdotes, quàm de sacro ministerio. 15. 74.
Ecclesiastica bona dantur ad laborandum, non ad otiandum. 29. 142.
Bona ecclesiastica vota fidelium, eroganda, non conservanda. 40. 9.
Qui temporalia despicit, oculos habet sanos. 156. 237. & seq.
Pastores Ecclesiæ habent bona temporalia, non ut custodiant, sed ut distribuant pauperibus. 40. 9.
Bona temporalia pulvis, fumus, cinis, & ventus. 154. 229. vide cæcus.

BONA AETERNA.

Quàm caduca bona æternis anteponamus. 154. 229.
Sicut Esau vile edulium hæreditati paternæ anteponimus. ibid. 232.
Cæcitas mentis parvipendere bona æterna. 153. 226.
Bona spiritualia ad æterna consequenda petimus in oratione Dominica. 263. 196.
De bonis spiritualibus, ac æternis solùm curandum. 260. 178.

Digitized by Google

C

CAECITAS.

Quæ cæcitatem mentis oculis pariant? 154. 228.
Quam pauci ab hac cæcitate liberi. ibid. 231.
Cæcitas hæc universalis infirmitas hominum. ibid. 228.
Cæcitas hæc facit parvipendere bona animæ. ibid. 232.
Cum hac cæcitate conjuncta amentia. 155. 235.
Remedium ad hanc cæcitatem expellendam. 156. 237. & seq.

CAECUS.

Qui dicantur spiritualiter cæci? 154. 228.
Cæcus non intrat in templum Domini. 151. 219.
Cæcus, qui de solis præsentibus curat. 154. 228.
Cæci isti carnaliter vivunt, bonaque animæ non attendunt. ibidem. 228. & 232.
Cæcus moritur, qui cæcus vixit. 155. 233.
Cæcus oculos non aperiet, nisi valde serò, cùm in inferno fuerit. ibidem. 234.
In inferno oculos aperiet ad confusionem. ibid.
Cæci isti credunt se claros habere oculos. ibidem. 235.

CHARITAS.

Sine charitate nulla virtus. 20. 98.
Charitas necessaria animarum Rectoribus. 19. 94. & seq.
Ex duplici titulo Deo totum amorem debemus. 18. 91. & seq.
Charitas debet esse ordinata. 20. 101.
In quo consistat ordinatio charitatis. ibid. & 258. 168.
Charitas Ecclesiæ pastoribus maximè necessaria. 19. 96. & seq.
Charitas, & virtutes annexæ regnum Dei. 259. 175.
Illis, in quibus Deus non regnat per charitatem, non dabitur regnum, quo regnat in beatis. 260. 176.
Virgo quædam moritur præ amore Dei in nativitatis pervigilio. 293. 345.

CASTITAS.

Castitas dicitur in Scriptura sanctitas. 34. 167.
Castitas zona aurea. 204. 45. & seq.
Castitatis fulgor, & splendor. ibid. 46.
Castitatis laudes ex Cyprian. 205. 48.

Castitas propria sacerdotum. ibid. & seq.
Castitas ornamentum Sacerdotum. ibid.
Castitas honor sacerdotalis. ibid. 47. & seq.
Exhortatio ad castitatem ex Aug. ibid. 49.
Multiplex Dei favor erga castos. 135. 146.
Non fidendum in castitate præterita. 34. 168.
Castitas periclitatur inter mulieres. ibid. 169. & seq.
Castitas non conservatur sine jejunio. 27. 136.
Castitas opponitur luxuria. 462. 695.
Castitas dicitur à castigando. ibid.
Castitas tres habet gradus. ibid.
Solus infirmus est in præcepto. ibid.

CHRISTIANI.

Tenentur Deum diligere. 18. 91. & seq.
Christiani omnes fratres. 257. 165.
Debent se fraternè diligere. 258. 166.
Nullus se alteri debet præferre. ibid.
Deum habens patrem. 257. 162.
Illis ad Deum confugiendum tamquam ad patrem. 263. 193.
Per malos Christianos blasphematur nomen Dei. 259. 173.
Per bonos sanctificatur, & glorificatur. ibidem. 174.
Vide fideles.

CHRISTUS.

Christi cognitio per fidem necessaria ad salutem. 228. 21.
Christus medium unicum ad Deum obtinendum. ibid.
Christus Salvator, idque significat nomen ejus Iesus. 234. 49.
Christus in quo Salvator? ibid. 50.
Christus Messias in lege promissus. 235. 51.
Christus summus, & æternus sacerdos. ibidem. 52.
Christus Rex supra omnes reges. ibid. 53.
Christus Propheta supra omnes prophetas. ibidem.
Christus unicus Dei Filius, & verus Deus. ibid. 54.
In Christo duæ naturæ, divina, & humana. ibid.
Explicatur nativitas æterna filii ex Patre per duo exempla. ibid. 55.
Christus Dominus noster ex multis titulis. 236. 65.
Differentia inter humanam Christi generationem, & nostram. ibid. 57. & seq.
Christus frater noster. 237. 61.
Christus cur dicatur conceptus de Spiritu sancto. ibid. 62.

Spiritus sanctus non potest dici Pater Christi. ibid. 64.
Differentia inter humanam Christi nativitatem, & nostram. 238.65. & seq.
Christus elegit tempus, & locum ad nascendum. ibid. 68.
Christus verè passus, & mortuus, & sepultus. 239.70.
Multæ causæ passionis Christi. ibidem. 75.
Omnes causæ passionis Christi habuerunt diversa motiva. 240.76.
Motiva Patris, & Filii in hac passione. ibidem. 80.
Præcipua causa passionis Christi peccata nostra. 241. 81.
Quomodo à nobis consideranda Christi passio. ibid. 82.
Christus voluntariè passus, & mortuus. 239. 75.
Christi anima separata à corpore ad infernum descendit. 241.83.
Ad quod infernum descenderit? ibidem. 84. & seq.
Quomodo ejus anima ad infernum descenderit? 242. 85.
Ad quid illuc descenderit, & quid ibi fecerit? ibid. 86.
Quanto tempore ibi commorata fuerit? ibidem. 87.
Christus se ipsum suscitavit tertia die. ibid. 88.
Christi resurrectio præcipuum nostræ fidei mysterium. ibid.
Christus resurrexit in eodem corpore. 243.89.
Christus resurrexit ad vitam immortalem, & gloriosam. ibid. 90.
Christi imitatio via ad resurrectionem gloriosam. ibid. 91.
Christus ad cœlum ascendit. ibidem. 92.
Historia ascensionis narratur. ibid. 93.
Christus non ascendit in cœlum solus. 244. 94.
Quid significet Christum ascendisse, Virginem verò assumptam fuisse? ibid. 95.
Ad quod cœlum Christus ascenderit? ibidem. 96.
Quid significet Christum sedere ad dexteram Dei? ibidem. 98.
Quid sedere ad dexteram Patris? 245. 99.
Christus venturus ad judicandos vivos, & mortuos. ibid. 101.
Christus venturus ad judicium in propria persona. 245. 102. & seq.
Christus Pastor gregis sui. 12.58.
Christus instituit munus pastorale. ibidem, & 41. 5.
Christus Pastor bonus. 39.12.
Christus dum vixit in hac vita mortali, non commendavit Petro curam animarum. 43. 21.
Christo facit injuriam, qui Sacramenta disposito negat, aut differt. 51.60. & sequent.
Christus salutem nostram esurivit. 147. 202.
Christus à nobis semper expetit fructus bonorum operum. ibid. 201. & seq.
Christus intercedit pro nobis ad Patrem, ut pœniteamus. 148. 205.
Christus fons nostræ salutis. 156.240.
Christus nobis fons patens, & pervius. ibid.
In Christi fonte lavatur, quicumque salvatur. 157. 241.
Christus fons abundantior fonte Paradisi. ibid. 242.
Ex hoc fonte quinque derivantur flumina. ibid.
Ex Christo septem perennes fontes. ibid. 243.
Christus non moratur simul cum bonis alienis. 152.223.
Intrante Christo vitia exeunt. ibidem.
Vitia Christum ab anima excludunt. ibid. 225. & seq.
Multi à se Christum ejiciunt, ne malè parta ejiciant. 153. 225.
Multi à se Christum ejiciunt, ne expellant idolum turpitudinis. ibid. 226.
Non est Christus in anima simul cum idolo turpitudinis. ibid.
Christum crucifixum diabolus perhorrescit. 277. 273.
Christi divinitatem firmant duo Patres jam Defuncti. 276. 267.
Eamdem probat miraculum S. Euphemiæ virginis. ibid. 268.
Nativitatis Christi miraculum in corde B. Margaritæ à castello. ibidem. 269.
Pilatus Christum condemnans manu sua se interficit. 277. 272.
Christi sepulchrum intrare non valet mulier hæretica. ibid. 274.
Idem intrare prohibetur comes hæresi infestus. ibid. 275.
Christum è tumulo surrexisse, clauso sepulchro, miraculo probatur. 278.276.
Circa Christi ascensionem duo miracula. ibid. 277. & seq.
Miraculum imaginis Christi in cœlum ascendentis. ibid. 279.

CLAUDUS.

Claudus in via salutis quis dicatur? 149. 211.
Claudus utroque pede quis dicendus? ibidem. & seq.
Claudus uno tantùm pede quis? ibid. 209.
Claudus ad Deum pervenire non potest. 251. 217.
Claudus non intrat in domum Dei. ibid. 219.

CLERICUS.

Clerici vita exemplo prælucere debent. 53. 68.
Clerici sibi non boni, aliis prodesse non possunt. ibidem. 70.
Clericis quæ vitia magis fugienda. ibidem. 71. ex Isidoro.
Clericorum exemplum ex Trident. 10. 44.
Clericis non licet ditare consanguineos ex beneficiis Ecclesiasticis. 220. 128.
Tenentur expendere cum pauperibus superflua beneficiorum. ibid. 129.
Innocens non est clericus, qui in hac parte deficit. 221. ex Greg. 139.
Qui pauperibus non dispensat, ab eis furatur. ibid. 131. ex Chrysost.
De clericis pauperes apud Deum conqueruntur, quòd sibi debita usurpent. ibidem. 132. ex Bern.
Clerici pauperes largiantur, ut pauperes. ibid. 133.
Clericis interdicitur turpe lucrum. 210. 72.
Multa à clericis postulant sacri Canones. 211. 78. & seq.
Vide Sacerdos. Pastor. Parochus.

COELUM.

Cœlum Dei domicilium, ubi cum filiis regnat. 258. 167.
Magnum beneficium, quòd illuc pervenire valeamus. 244. 96.
Cœli quanta pulchritudo. ibidem. 97.
Cœli quot sint? ibid. 96.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Fons patens, in quo lavamur Christi sanguine. 157. 244. & seq.
Confessionis sacrilegæ mirabile exemplum. 300. 376.
Aliud exemplum fœminæ tacentis peccatum cordis. 297. 364.
Aliud simile exemplum cujusdam monialis. ibidem. 365.
Mirabile exemplum adolescentis facientis veram confessionem. 299. 374.
Mirabile exemplum hominis confessionis incurii. ibidem. 375.
Vide Pænitentia Sacramentum.

CONSANGUINEI.

Consanguinei hostes clericorum. 16. 77. & seq.
Consanguinei non ditandi à clericis. ibidem. 79.
Consanguineis pauperibus dandum ut pauperibus. ibid.

CONSUETUDO.

Difficillimè quis surgit à peccato, in quo est per consuetudinem. 142. 179.
Unde proveniat hæc difficultas? ibid. 180.
Perseverare in peccato est salutem nolle. 143. 181. & seq.
Fugiunt isti ut inimicos eos, qui eorum salutem procurant. ibid. 183. & seq.
Nihil tales magis torquet, quàm qui eos à peccato liberare intendit. ibid.
Peccatum ex consuetudine ferè sine remedio. ibid. 184.
Peccatum ex consuetudine quædam animæ paralysis. 144. 185.
Peccatum ex consuetudine fit quasi natura. ibid. 186.
Peccans ex consuetudine tardè, vel nunquam resurget. ibid. 188. & seq.
Qui in peccato perseverat, miser maximè ex perseverantia. 145. 191.
Qui peccat ex consuetudine, inimicus crucis Christi. ibid. 192.
Peccata ex consuetudine levia, vel nulla videntur. ibid.
Peccans ex consuetudine stupidus redditur. ibidem.
Peccatum ex consuetudine Deus maximè aversatur, & castigat. ibid. 193. & seq.
Fallax spes illius, qui perseverans in peccatis, salvandum se credit. ibidem.

CONTRITIO.

Contritionis vim declarat exemplum mirabile. 297. 361.
Aliud eamdem declarans. 306. 403. & seq.
Aliud illustre contritionis exemplum. 308. 409.
Aliud admirabile in eadem materia. 299. 374.

CORONA VIRGINIS.

Quæ sit corona Virginis? 273. 251.
Quomodo componenda, & recitanda. ibid. 254. & seq.
Quando inceperis devotio coronæ. ibid. 251.
B. Virgo docuit devotionem suæ coronæ. ibidem. 252.
Diversitas hujus coronæ. ibid. 253
Devotio coronæ Virgini valde grata. ibidem. 252.
Angelus ex rosis coronam componit, quæ recitantem coronat. ibid.
B. Virgo adest recitantibus coronam, quos à latronibus liberat. 290. 334.

Digitized by Google

B. Virgo adest dicenti coronam stipata Angelis, qui ab ore ejus rosas decerpunt quibus eum coronant. 291.335.
Aliud simile exemplum. ibid.336.
B. Virgo devotum Coronæ reclinat in lecto, ut dormiat. ibid. 237.
Qui devotionem Coronæ suadebat, miraculorum patrator efficitur. ibid. 338.
Devotus Coronæ defenditur à tempestate. ibid. 339.
Eadem devotio defendit à naufragio. ibidem. 340.
Liberatur à morte quidam, cujus uxor Coronam recitabat. 292.341.
B. Virgo ostendit sibi non placere Coronæ devotionem illius, qui turpiter vivebat. ibid. 342.
Corona Virginis liberat à diabolo. ibidem 343.

CONVERSATIO.

Mores induimus eorum, cum quibus conversamur. 33.160.
Facilius eorum vitia, quàm virtutes contrahimus. ibid.
Vitia linguæ maximè addiscuntur ex iisdem. ibidem. 161.
Sæcularium conversatio nociva religiosis, & clericis. ibid. 162.
In conversationibus defectus proprii aperiuntur. ibidem. 163.
Minuitur authoritas personæ in conversationibus, augetur verò si illas fugis. ibid.

CRUX.

Dæmon ad Crucis conspectum cadens in frusta idolum, paganos occidit, & lacerat. 277. 273.
Mysteria Crucis in corde B. Claræ de Monte Falco. ibid.

D

DEBITA.

Debita nostra peccata dicuntur. 263.198.
Pœna peccatis debita debita nostra dicuntur. 264.201.
Petendum à Deo, ut nobis utraque hæc debita dimittat. 263.197.
Qua dispositione hæc petitio facienda. 264.199. & seq.

DECIMAE.

Negatio decimarum horreum evacuat, solutio implet. 301.379.
Miraculum illustre solventis decimas perfectè. ibid. 380.

DESIDERIUM.

Ob peccatum desiderii condemnatur nobilis fœmina. 297.364.
Ob simile peccatum damnatur monialis. ibid. 365.
Abbas Zenon graviter in se punit desiderium rei alienæ tenuissimæ. 298.367.
Peccata desiderii agnoverunt Gentiles, Iudæi negabant. ibid. 366.

DETRACTIO.

Mirabile supplicium detractoris. 297.362.
Contra detractores clamant Sancti in cœlo. ibid.
Aliud supplicium detractoris mortui sine confessione. ibid. 363.

DEUS.

Deus quid sit? 230.30. & seq.
Ostenditur Deum esse. ibid. 31. & seq.
Deus unius tantùm, & non plures. 231.33.
Deus est Deus noster. ibid.34.
Deus est pater, & fons rerum omnium. ibidem. 35.
Deus est omnipotens, & sapiens. ibid. 36.
Solatium habere Deum patrem, qui omnia potest. 232.38.
Deus omnium rerum creator. ibid.39.
Quo ordine in principio Deus res creaverit. ibid. 40. & seq.
Deus pater naturalis, & supernaturalis. 257. 162. & seq.
Deus non castigat ut pater. ibid. 164.
Deus cur specialiter dicatur in cœlo? 258.167.
Quid petamus, cùm ab eo petimus, ut sanctificetur nomen ejus. ibid. 168. & seq.
Bona extrinseca Dei ab ipso petenda, de intrinsecis complacendum. ibid. 169. & seq.
Voluntas Dei facienda, idque à Deo petendum. 261.183.
Ad Deum fugiendum, ut ad patrem, non ut ad judicem. 264. 199.
Deus ultimus finis noster. 228.21.
Deus vult, ut sacerdotes intercedant pro populo. 50.55.
Deo gratissimum, quòd sacerdotes orent pro populo. ibid. 56.
Admirabilis Dei patientia in expectanda peccatorum pœnitentia. 124. 82.
Deus remittit offensas sibi factas, si pœnitemus. 136. 148.
Non tamen si offensas nobis factas proximis non remittimus. ibidem. 150.

Illu-

Digitized by Google

Illustris parabola Evangelii ad id declarandum explicatur. ibid. 148. & seq.
De misericordia in condonandis peccatis. Ex Chrysost. ibid. 151.
Deus peccata dimittit tamquam misericors pater. Ex Chrysol. 137. 156.
Deus, nisi nos trahat, ad ipsum ire non possumus. 150. 214.
Deus adjuvat infirmitatem nostram. ibidem. 215.
Solus Deus nobis quærendus. 151. 218. & seq.
Quærendus utroque pede animæ. ibid.
Deo servire non potest, qui rebus temporalibus inservit. 152. 220.
Non patitur Deus secum idolum aliquod. ibidem. 221.
Deus vult cor integrum, non verò divisum. ibidem.
Deus deserit cor, in quod intrat aliquod idolum. ibid. 222.
Deus non est simul cum idolo avaritiæ. ibidem. 223.
Deus non est, ubi est idolum turpitudinis. 153. 224.
Multi à se Deum expellunt, ne ejiciant idolum avaritiæ. ibid. 225.
Plures Deum expellunt, ne expellant idolum turpitudinis. ibid. 226.
Si Deus vellet esse cum nostris idolis, libenter illum conservaremus. ibid.
Quia tamen id est impossibile, Deum abjicimus, ut idola nostra conservemus. ibidem. 225. & seq.
Solus Deus bonus, & sine peccato. 156. 239.
Cognitio Dei necessaria ad salutem. 228. 21.
Deus scutum impenetrabile contra tentationes. 285. 313.
Id probant duo exempla. ibid. 312. & seq.
Deus mala à nobis avertit. ibid. 314.
Memoria præsentiæ Dei à peccando compescit. 282. 298. & seq.

DIABOLUS.

Diabolus suadet pœnitentiam differri. 148. 206.
Pedes animæ momordit, & claudos fecit in via salutis. 150. 213.
Diabolus non reddit debiles ad bonum, pro nos ad malum. ibidem.
Diabolus parùm curat, quòd bona aliqua operemur, dummodo simus in peccato. 152. 221.
Gratulatur Rectoribus animarum, quòd se, & animas sibi commissas secum ad infernum deducant. 200. 28.
Diabolus sævit in populum per ingluviem prælatorum. 201. 33.

DIFFIDENTIA.

Qui magna operari intendit, sibi diffidat, & in Deo confidat. 58. 95.
Agnoscat se debilem, & inutilem. 59. 96.
Non despondeat animo, cognoscendo propriam insufficientiam. ibid. 97.
Nunquam superbè sapiat, sed humiliet se. ibidem. 98.
Nihil sibi adscribat, sed totum Deo. ibid.

DOCTOR.

Qui sibi non attendit, alios docere non potest. 13. 63. & seq.
Qui perfectus non est, alios perficere non valet. ibid. 65. & seq.
Qui virtutem non habet, illam persuadere non potest. ibid.
Priùs discendum, quàm docendum. ibidem. 66. & seq.
Doctor sibi priùs attendat, quàm aliis. ibid. 66.
Doctor sit plenus in se, ut aliis communicare valeat. 14. 68.
Doctor sit concha plena, & non canalis. ibidem. 69.
Doctor spiritus vacuus, à suis fertur passionibus. ibid. 68.
Doctor, qui benè non vivit, improbabilia docet. 197. 13.
Doctor gratiam hominum quærens, docet ad eorum palatum. 215. 109.
Doctor, ut hominibus placeat, docet res absurdas. 216. 110.
Doctor impurus quis dicatur? 206. 56.
Meliùs docetur exemplo, quàm verbo. 196. 9. & seq.
Qui non facit, quod docet, alios non docet, sed se condemnat. 198. 20.
Vide Prælatus. Pastor. Prædicator.

DOCTRINA.

Doctrina fidei, seu Christiana quæ sit? 46. 36.
Doctrina Christiana magis necessaria populo rudi, quàm prædicatio sublimis. 47. 38.
Doctrina fidei lac, quo lactantur Christi filii. ibidem.
Ad hoc lac exprimendum sponsus, & sponsa ubera habent. ibid. 39.
Hæc doctrina fundamentum virtutum. 48. 45.
Bona provenientia ex hac doctrina. ibid.
Mala, quæ sequuntur ex carentia illius. ibidem. 46.
Doctrina Christiana tradenda à Parocho. 46. 36. & seq.

Digitized by Google

Parochus graviter peccabit, si deficiat in hoc munere. ibid. 37.
Parochus tamquam mater ubera habeat, ex quibus depromat lac hujus doctrinæ. 47. 42.
Non contemnat hoc munus, sed magni faciat. 49. 49.
Hæc doctrina maximè spectat ad Parochos rurales. 48. 44.
Doctrina Parochi qualis esse debeat. 213. 88.
Sit doctrina sana, & vera. 216. 107.
Cur aliqui doceant doctrinam improbabilem? ibid. 109.

E

ECCLESIA.

Ecclesia quid sit? 249. 124. & seq.
Quid requiratur, ut aliquis sit membrum Ecclesiæ? 250. 126.
Ecclesia Christi est una. ibid. 128.
Ecclesia Christi sancta, & quomodo? ibidem. 129.
Ecclesia Catholica, & quid id significet? ibid. 130.
Ecclesia Apostolica, & cur? ibidem.
In Ecclesia est communicatio Sanctorum, & quid hoc sit? 251. 131.
In Ecclesia est remissio peccatorum. ibid. 133. & 135.
Remissio peccatorum magnus thesaurus Ecclesiæ. 252. 138.
In Ecclesia est fons sanguinis Christi ad abluenda peccata. 259. 172.
Docet Angelus in sola Ecclesia vivendum, & communicandum. 280. 287.
Ecclesiæ unitatem dilacerant hæretici. ibidem. 288.
Miraculum circa illum, qui non credidit Angelo peccata sibi fuisse remissa. ibid. 289.
Miraculum probans remitti peccata pœnitentibus. ibidem. 290.

EPISCOPUS.

Episcopus sit luminare magnum, quod omnes illuminet. 204. 43.
Episcopi vitium non esse optimum. 203. 41.
Episcopus curam animarum viris conferat probatis, doctis, & benè moratis. 11. 54.
Episcopi conscientia in Parochis conquiescit. 60. 102.
Episcopo adjutores sunt Parochi. ibid. 102.
Episcopus affectu paterno suos foveat Parochos. ibidem. 103.
Onus Parochi, onus est Episcopi. ibidem.
Vide Prælatus. Pastor.

EUCHARISTIA.

Est vita animarum, ut anima est vita corporis. 25. 123.
Per Eucharistiam vivimus vitam Dei, & Christi. ibid.
Per Eucharistiam mutamur in Christum, non in nos Christus. ibid. 122.
Per Eucharistiam manet Deus in nobis. ibidem. 123.
Ut vitam divinam causet, debemus vivere per gratiam. ibid. 125.
Cur sæpè non proficiat accipienti? 26. 126.
Ut multùm proficiat, debemus cavere venialia. ibid. 127.
Benè dispositi vires maximas, indispositi tenues, vel nullas accipiunt. 27. 131.
Ad Eucharistiam castitas optima dispositio. 205. 48.
Eucharistia carnis stimulos mitigat, & sæpè extinguit. 206. 54.
Eucharistia à Deo petenda ut cibus animæ. 263. 196.
Eucharistia spiritum nutrit. ibid.
Eucharistia panis quotidianus non sumendus post annum. ibidem.
Causat diversos effectus juxta diversas dispositiones. 300. 377.
Mirabile exemplum devotionis Eucharistiæ. ibidem. 378.
Qui malè communicant, mortem potiùs, quàm vitam inveniunt. 26. 126.
Corpus, & sanguis Christi nutrimentum animarum. 159. 251.
Illis, quos Christus in cruce regeneratus erat, priùs in cœna providit de competenti alimento. ibid. 252.
Eucharistia est lac uberum Christi, quo fideles suos alit instar matris. ibid. 253.
Amor Christi in Eucharistia vincit amorem omnium parentum. ibid.
Sicut infantes indigent lacte materno, ut vivant; sic renati per Christum, indigent Eucharistiæ lacte, ne pereant. ibidem. 254.
Eucharistia, quæ est lac noviter renatis, est panis cœlestis jam provectis, ut vitam gratiæ conservent. 160. 255.
Eucharistia in tentationibus vitam gratiæ conservat. ibid. 256.
Majus beneficium Eucharistia, quàm regeneratio. ibidem.
Eucharistia cibus optimus ad alendas animas fidelium. ibidem. 257.
Per Eucharistiam maximè honoravit Christus fideles suos. ibidem.
Eucharistiam petimus, cùm dicimus, panem nostrum quotidianum da nobis. 161. 258.

Cur

Cur Eucharistia dicatur panis quotidianus? ibidem.
Cur dicatur panis supersubstantialis. ibidem. 259.
Christus in Eucharistia nos in se transmutat. ibid. & seq.
Eucharistia est signaculum, quo nobis Christus suas imprimit perfectiones. ibid. 261.
Eucharistia facit nos idem cum Christo, ac Patre ejus. 162. 262.
Lætandum maximè Ecclesiæ de Eucharistiæ beneficio. ibid. 263.
Ab Eucharistia tota pulchritudo, decus, ac profectus Ecclesiæ. ibid.
Qua reverentia accedendum sit ad mensam Eucharistiæ? 163. 264.
Mensam Eucharistiæ proposuit Deus adversus eos, qui nos tribulant. ibid. 265.
Est hæc mensa opposita illi, quam nobis dæmones proponunt. ibidem.
Effectus mensæ dæmonum, cui opponitur Eucharistica Christi mensa. ibid. 266. & seq.
In mensa Eucharistiæ restauratur stola gratiæ, quæ in mensa dæmonis miserè deperditur. 167. 279.
In mensa Eucharistiæ Christo ipso induimur. ibid. 279. & seq.
In mensa Eucharistiæ recuperatur esse humanum, quod dæmones in brutale transformaverant. ibid. 281.
In hac mensa cum esse rationali recuperatur Dei cognitio. 168. 282.
Multi brutaliter vivunt, quia ad Eucharistiam non accedunt. ibid. 283.
Eucharistia via certa ad Paradisum, à quo mensa dæmonis excludit. ibid. 284.
Eucharistia vitam animæ conservat, & æternam facit. 169. 285.
Christus lignum vitæ, corpus, & sanguis ejus in Eucharistia fructus illius, qui vitam animæ in æternum producit. ibid. 286.
Idem fructus, quo in hac vita sustentamur, sustentabit per æternitatem in futura. ibid. 287.
Ad vitam animæ æternandam, opus est frequenter accedere ad Eucharistiam. ibid. 288.
Eucharistia vitam temporalem conservat. 170. 289. & seq.
Vita æterna corporum effectus erit Eucharistiæ. ibid. 291.
Id probant mortui, qui cum Christo surrexerunt. 171. 292.
Eucharistia datur moribundis in viaticum, ut virtute illius corpora nostra ad immortalitatem resurgant. ibid.
Contrarietas mensæ Eucharisticæ, & mensæ dæmonis. ibid. 293.
Ut experiamur fructus mensæ Eucharistiæ, à dæmonum mensa nobis fugiendum. ibidem.
Se Christus in Eucharistia exinanivit, ut nos repleret, & exaltaret. 172. 294. & seq.
Nunquam se Dominus magis abscondit, & exinanivit, quàm in Eucharistia. ibid. 298.
Magis in Eucharistia, quàm in Cruce. 173. 299.
Non fuerunt atrociores injuriæ crucis, & passionis, quàm quas tolerat in Eucharistia. ibid. 300.
Non desunt in Eucharistia oscula Iudæ simulata. ibid. 301.
In Eucharistia non solùm desunt indicia majestatis, sed suppetunt argumenta nullam ibi esse. ibid. 302.
Quò magis se in Eucharistia exinanivit nostri causa, tantò nobis amabilior factus est. 174. 303.
Qui Eucharistia cibatur, Christi vitam vivit. ibid. 304.
Per Eucharistiam in vitam Dei transimus. ibid.
Sicut vivimus per animam, ita vivimus per Christum, quem edimus in Eucharistia. ibidem. 305.
Per Eucharistiam reddimur quasi alter Christus. 175. 306.
Variæ PP. similitudines declarantes hanc transformationem. ibid.
Effectus Eucharistiæ homines transformari in Deum, reddereque Christo similes. ibidem. 307.
Hæc transformatio in Christum fit per mores, & virtutes Christi. ibid. 308.
Eucharistiæ participatio obligat nos, ut mores Christi induamus. 176. 309.
Qui Christi mores induit, potest dicere, panem otiosè non comedi. ibid. 310.
Signum, quòd per Eucharistiam in Christum simus transformati. ibid.
Multi per Eucharistiam vitam Christi non vivunt, quia mortui accedunt. ibid. 311.
Isti vitam Christi non vivunt, sed Christo potiùs vitam quasi adimunt. ibid.
Alii licèt vivi accedant, Christi vitam non vivunt, quia vitiosos mores non deponunt. 177. 312.
Cur ex mensa Eucharistiæ alii proficiant, alii deficiant. ibid. 313.

EXEMPLUM.

Exemplum sermo vivus, & efficax. 196. 10.
Exemplum melius persuadet, quàm verba. ibidem. 9.
Doctrina destituta vitæ exemplo mortua est. ibidem. 10.
Bono exemplo populus instruitur. ibid. 9.
Melius est exemplo docere, quàm verbo. 54. 74. ex Leone.

Qui non facit quod docet, alios non docet, sed se condemnat. ibi ex Imperf.
Exemplum Pastoris lux est gregis, ibidem ex Greg.
Prælati malo exemplo subditos occidunt. 206.57.
Prælati tot mortibus digni, quot suo exemplo occidunt. ibid. ex Greg.
Nihil magis movet ad malum, quàm pravum exemplum majorum. 201.30.
Quantum noceat malum exemplum? ibid.
Efficacius movet exemplum, quàm doctrina, 195.5.
Habet exemplum linguam, & facundiam suam. ibid. 4.
Præmium boni exempli. 202.37.
Exemplum pœnitentiæ magis movet ad illam, quàm exhortatio. 195.6.

EXEMPLUM BONUM PAROCHI.

Bona vita Parochi plebi suæ est forma benè vivendi. 194.1.
Debet esse liber, in quo populus legat, quid agere debeat. 196.8.
Debet esse speculum, & norma benè vivendi. 194.2.
Debet esse exemplar, quod populus imitetur. 195.3.
Vita Parochi sit magistra probitatis. ibidem ex Hieron.
Quidquid agit sit doctrina populi. ibid. 4.
Vita Parochi sit via, qua populus ad cœlum ducatur. ibid. 5.
Parochus exemplo suo oves suas deducit ad æterna gloriæ pascua. 196.8.
Exemplum Parochi quodammodo cogit plebem suam ad benè vivendum, 195.7.
Tenetur Parochus prælucere vitæ exemplo. 196.8.
Magis operabitur exemplo, quàm doctrina. ibidem. 9. & seq.
Efficax doctrina, quam comitatur exemplum. ibid. 10.
Cum potestate, & imperio docet Parochus, qui facit, quod docet. ibidem. 11.
Parochus ille optimus, cujus doctrinam comitatur vitæ exemplum. 197.14. & seq.
Erubescat Parochus, qui aliter docet, quàm operatur. 196.12.
Tunc rectè tractat verbum Dei, cùm vita cum doctrina conformatur. ibid.
Improbabilis redditur doctrina, quæ discordat à vita. 197.13.

EXEMPLUM PRAVUM PAROCHI.

Parochus sine exemplo nihil boni efficiet in sua Parochia. 198.17.
Parochus exemplo vitæ destitutus altera manu trahit animas ad Deum, altera fugat. ibid.
Parochus, qui Deo conjunctus non est, non potest alios Deo conjungere. ibid. 18.
Parochus sine exemplo non habet potestatem in dicendo. ibid. 19.
Conscientia impura Parochi frænum injicit linguæ, ne loquatur, ut oportet. ibid.
Contemnitur à populo doctrina exemplo destituta. ibid. 20.
Doctrina Parochi ut prosit, debet concordare cum vita. ibid. 21.
Mala vita Parochi ejus doctrinam reprehendit, 199.22.
Parochus doctus sine exemplo parum utilis parœciæ. ibid. 23.
Mala vita Parochi corrumpit bonam doctrinam. 202.35.
Mala vita Parochi turbat aquam, quam grex bibiturus est. ibid. 38.
Duo mirabilia exempla Parochorum in hac materia. 200.28. & seq.
Nihil magis nocet Parochiæ, quàm malum Parochi exemplum. 201.30.
Peccato Parochi annexum est peccatum populi. ibid. 31.
Peccatum solius Parochi tam grave est, ac peccatum totius populi. ibid.
Peccatum Parochi maximè à Deo punitur. ibidem. 32.
Peccatum Parochi aliqualis excusatio populi peccantis. ibidem.
Peccatum Parochi valdè nocivum populo. ibidem. 33.
Peccatum Parochi cum violentia ducit populum in ruinam. ibid. 34.
Vituperatur ministerium Parochi per malum vitæ exemplum. 203.41.
Exemplum castitatis in Parocho necessarium. 206.55. & seq.
Sine castitatis exemplo nihil boni operabitur in plebe sua. 207.58.
Vide Pastor, Prælatus.

F

FAMA.

Fama bona procuranda apud homines. 36. 174.
Fama bona procuranda in utilitatem proximorum. 207.60.
Crudelis erga proximos, qui famam suam negligit. ibid.
Fama vitæ turpis in sacerdote eodem modo nocet populo, ac vita re ipsa turpis. ibid.
Authoritas non solùm veritate, sed fama nititur. ibid.

Ex-

Digitized by Google

Extranei probitatis testimonium perhibeant. 215. 102.
Parochus fugiat omnem malæ suspicionis umbram. 222. 137.
Fama diu non conservatur sine veritate. 207. 59.

FAMILIARITAS.

Familiaritas sæpè incipit cum bono spiritu, sed postea labendi occasio est. 33. 162.
Sæpè incipit cum prætextu spiritus, & desinit in carnem. 35. 172.
Vide conversatio.

FESTA.

Festorum observantia rem familiarem non minuit, sed auget. 294. 350.
Supplicium horrendum fœminæ festa in rebus lascivis consumentis. ibidem. 351.

FIDES.

Fides necessaria ad salutem. 228. 21.
Credens per fidem doctior est omnibus paganis, & hæreticis. 229. 25.
Fides scutum ad repellendas omnes tentationes. ibid. 26.
Quid sit credere per fidem? ibid. 27.
Fides grande Dei beneficium. 230. 29.
Mysteria fidei superant captum nostrum. 275. 261.
Diaconus in fidei confirmationem nudum brachium mittens in ferventem caldariam, illæsum extraxit, hæreticus combustum. ibidem. 262.
Hæreticus in sua secta confirmationem fictum cæcum verè excæcat, catholicus visum restituit. ibid. 263.
B. Virgo Religiosum in fide vacillantem, in ea confirmat. ibid. 264.
S. Tiburtius in testimonium fidei de uno Deo, super prunas illæsus incedit. 276. 265.
Supplicium negantis veritatem unius Dei. ibid. 266.

FIDELES.

Fideles quæ scire debeant? 225. 2.
Arcendi à sacramentis, si fidei doctrinam ignorant. 226. 11. & seq.
Docendi sunt de mysteriis fidei contentis in Symbolo. 228. 20.
Fideles omnes fratres. 257. 165.
Fideles tenentur Dei nomen sanctificare. 259. 174.
Vide christiani.

FIDUCIA.

Tota nostra in Deo ponenda. 58. 95.
Omnia in Deo possumus. ibid.
Nemo despondeat animo, propriam agnoscens infirmitatem. 59. 97.
Qui suam agnoscit infirmitatem, in Deo magis confidat. ibid. 98.
Deus parvis utitur instrumentis ad res magnas peragendas. ibid. 96. & seq.
Totum bonum, quod agimus, Deo adscribendum, nihil nobis. ibid. 98.
Laborandum in propria salute, & proximorum cum fiducia in Deum. ibid. 98.
Magna Deus operatur in illis, qui in eo confidunt. ibid. 99.
Iuxta spem, ac fiduciam nostram operatur Deus. ibid.
Qui fidit in Deo, habet auxilium Dei supra se. ibid. 100.
Mirabile exemplum hominis ponentis totam in Deo fiduciam. 284. 308.

FILII.

Supplicium duorum filiorum inobedientium, quibus Parentes mala imprecati sunt. 294. 352.
Supplicium filii non amantis patrem suum. ibid. 353.
Supplicium filii perditi, & patris eum non castigantis. 295. 354.
Damnatio non restituentis malè parta ob amorem filii, & filii malè parta possidentis. ibidem. 355.

FURTUM.

Mirabile supplicium cujusdam usurarii. 296. 360.
Mirabile exemplum restituentis malè parta per usuras. ibid. 361.

G

GAUDIA HUJUS VITAE.

Gaudia vitæ præsentis, ejusque bona stercora. 154. 228.
Sunt pulvis cinis, fumus, & ventus. ibidem. 229.
Oculos mentis nostræ excæcant. ibid. 230.
Bonorum æternorum oblivionem causant. ibid. 232. & seq.
Sunt fel, & venenum in æternum cruciatura. 164. 268.

Con-

Digitized by Google

Conculcanda penitus, ut æterna agnoscamus, & æstimemus. 156. 138.

GLORIA COELESTIS.

Quid gloria Paradisi? 132. 129.
Locus gloriæ deputatus qualis? ibid. 130.
Societas gloriam possidentis quæ, & qualis? 133. 131.
Gloria animæ qualis? ibid. 132.
Gloria corporis per ejus dotes explicatur. ibidem. 133.
Gloria sensuum jucunditas eorum. ibid. 134.
Gloria solùm danda legitimè certantibus. ibid. 135.
Gloria danda vincentibus tentationes, & difficultates. ibid. 136.
Ad gloriam Paradisi via acclivis, & arcta, & quasi scala Iacob. 149. 208.
Ad illam ascendendum duobus pedibus, odio nempe peccati, & amore virtutis. ibid. 209. & seq.
Qui vult ascendere fugiat peccata, & faciat bona præcepta. ibid. 110.
Gloria, quamvis sit hæreditas, est in regno longinquo, ad quod cum labore est eundum. 150. 215.
Non dabitur sine labore, sine quo dari solet hæreditas paterna. ibidem.
Gloria virtuti concedenda. ibidem.
Danda ascendentibus per virtutes, quasi per gradus scalæ. 151. 216.
Vide Paradisus, Vita æterna.

GRATIA SANCTIFICANS.

Gratia vestis nuptialis. 17. 82.
Est indumentum omnium, qui salvandi sunt. ibid. 83.
Gratia sacerdoti maximè necessaria. ibidem.
Gratia vestis gloriosa sacerdotis. ibid. 86.
Sine gratia non licet sacerdoti ministrare Sacramenta. 18. 88.
Sine gratia nulla virtus. ibid. 87.
Gratia Parocho maximè necessaria. 17. 86. & seq.
Gratia regnum Dei. 259. 175.
Gratia fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam. 260. 176.
Gratia thesaurus absconditus in agro, ad quem emendum omnia contemnenda. ibidem. 178.
Gratia margarita Euangelii. ibidem.
Gratia mentem sanat, carnem non sanat. 261. 183.

GULA.

Domatio gulæ initium vitæ spiritualis. 28. 138.
Qui gulam non domat, ab aliis vitiis facilè superatur. ibidem.
Gula spiritum suffocat, ac imbellem reddit. ibidem. 137.
Gula sacerdotis nociva populo. ibid. 138.
Mirabile exemplum gulæ. 303. 391.
Aliud exemplum notabile. ibi. 392.
Gula opponitur abstinentia, & sobrietas. 463. 697.
Gula taxatur D. Bern. ibidem.
Vide sobrietas.

H

HOMO.

Hominis vilitas quanta? 123. 73.
Qualis à Deo fuerit creatus? 124. 83.
Solus homo à suo fine deflectit. 260. 181.
Homo ad malum pronus. ibid.
Homo similis pueris. 261. 182.
Homo quàm Deo fuerit ingratus? 124. 84.
Homo diaboli tentationibus circumveniri se patitur. 125. 86.
Homo vult, ut Deus eum quærat, & absque labore suo ducat in Paradisum. 150. 215.
Homini laborandum, ut in Paradisum perveniat. ibid.
Omnis homo peccat, & indiget gratia Dei. 156. 239.
Homo voluptuarius, quærit magistros sibi similes, qui sibi ad voluntatem loquantur. 128. 107. & seq.
Homo cogitare debet, quis sit, ut à Deo cum humilitate petat. 260. 179.

HOMICIDIUM.

Homicidium injustum duæ perdices mortuæ mirabiliter declarant, unde pœnam dat homicida. 295. 357.
Exemplum notabile Monachi morientis per idem medium, quo alium occiderant. 304. 394.

HUMILITAS.

Humilitas quid sit? 461. 689. & seq.
Ad humilitatem multum conducit vera sui cognitio. ibid. 690.
Qui se considerat, sibi displicet, & Deo placet. 462. 691.
Qui vult in humilitate proficere, consideret, quid fuerit, quid est, & quid erit. 461. 690.
Tres sunt gradus humilitatis. ibid.
Primus gradus in quo consistat? ibidem. 690. & seq.

Digitized by Google

In quo secundus perfectior, & difficilior? 462. 692.
In quo situs sit tertius, & superior? ibid. 693.

HONOR.

Honor quarendus non est in regimine animarum. 16. 80.
Qui in hoc regimine honorem intendit, non potest officium adimplere. ibid. 81.
Qui animas regunt, sint magis matres, quàm domini. ibid. ex Bern.
Qui honorem intendit, animas non custodit. ibidem. 80.

I

IDOLUM.

Bona temporalia idolum multorum. 152. 220.
Turpis amicitia idolum hominis. 153. 226.
Dagon idolum veneris. ibid. 224.
Non est Deus in corde cum idolo aliquo. 152. 221.
Non est cum idolo divitiarum. ibid. 223.
Non est cum idolo turpitudinis. 153. 224.

JEJUNIUM.

Iejunium carnis appetitum attenuat. 27. 137.
Iejunium medicina castitatis. ibid.
Sine jejunio castitas non servatur. ibid.
Iejunium luxuriam cohibet. 28. 138.
Observandi jejunii causa serva christiana mortem patitur. 299. 371.
Monachus tentatus à gula, artificiosè jejunium servat. ibid. 372.
Monachus violans jejunium, esca ipsa suffocatur. ibi. 373.

INFERNUS.

Quotuplex sit infernus. 241. 84.
Ad quem infernum anima Christi descenderit? 242. 85.
Infernus damnatorum describitur. 131. 120.
Cur sit status aternus? ibid. 121.
Pœna ejus continua sine intermissione. ibid. 122.
Quis, & qualis locus? ibidem. 123.
Tormentum à sociis. ibid. 124.
Qui, & quot tortores? ibid. 125.
Pœna omnium sensuum externorum. 132. 127.
Pœna damni declaratur ex similitudinibus. ibidem. 128.
Qui peccat mortaliter, ab inferno se credat ereptum. 125. 89.
Memoria inferni potens ad vitam mutandam. 254. 150.

INJURIA.

Differentia inter injurias factas Deo, & homini. 136. 149.
Quàm difficiles simus in remittendis injuriis? ibidem.
Qui injurias non remittit, peccatorum suorum remissionem non obtinet. ibid. 150. & seq.
Vide Remissio offensarum.

INTENTIO.

Intentio prava opus bonum inficit, & malum reddit. 119. 51.
Qui rectam in suis actionibus intentionem non habet, impurus dicitur. ibidem. 50. ex D. Bern.

IRA.

Ira vitium capitale, ex quo multa alia oriuntur. 457. 671. & seq.
Notabile exemplum ira cujusdam Eremita. 302. 389.
Mirabile exemplum virginis iracunda. 303. 390.

INVIDIA.

Invidia vitium capitale, ex quo multa oriuntur. 459. 680. & seq.
Invidia propria diaboli. 303. 393.
Invidi diabolum imitantur. ibid.
Invidus effectum sua invidia experitur. 304. 394.
Invidia opponitur gaudium de bono proximi. 463. 698.

JUDICIUM PARTICULARE.

Quot, & qua persona in illo interveniant? 127. 102.
Tempus hujus judicii quod? ibid. 103.
Accusatores tres, & qui? ibid.
Examen accuratissimum etiam justorum. 128. 104.
Anima damnanda denudabitur donis supernaturalibus. ibid. 105.
Characteres, si quos habuit, relinquendi ad majorem ignominiam. ibidem.
Sententia anima damnanda, & qua ex ea sequentur. ibid. 106.
Sententia anima justa. ibidem. 107.

JUDICIUM UNIVERSALE.

Causa judicii universalis. 128. 108.
Signa pracedentia, eorumque significatio. ibid. 109.
Mundi conflagratio. 129. 110.
Omnium resurrectio ad vocem Archangeli. ibid. 111.

Quid

Digitized by Google

Quid remedii, ut vocem illam læti audiamus. ibidem.
Adventus Christi judicis, & effectus ejus. ibid. 112.
Segregatio bonorum à malis. ibid. 113.
Aperientur libri conscientiarum coram mundo universo. ibid. 114.
Mala opera justorum illis ruborem non afferent. 130. 115.
Accusatio multiplex. ibidem. 116.
Sententia finalis justorum. ibidem. 117. & 246. 106.
Sententia reproborum formidabilis. 130. 118. & 246. 106.
Sententia justorum continebit tres partes. ibidem. 106.
Sententia iniquorum continebit alias tres partes. ibidem.
Executio sententiæ in momento. 129. 119.
Ad quid judicium universale? 245. 100.
Quando futurus sit dies judicii, nemo scit. 246. 104.
Dies judicii dicitur dies Domini, & cur? ibi.
Reddenda ea die ratio de omni opere, verbo, & cogitatione. ibid. 105.
Memoria judicii remedium ad non peccandum. 245. 101.
Adolescens judicium hoc somniando, totus incanuit. 278. 281.
Defunctus quidam judicii acerbitatem amico viventi exponit. ibid. 282.
Judicium finale depictum terruit, & convertit ad fidem. ibid. 283.

JURAMENTUM.

Mirandum supplicium à dæmone datum adolescenti ob juramenta. 293. 347.
Crepuit medius jurans in judicio cum falsitate. ibid. 248.
Alius falsum jurans oculos amisit. ibid.
Duo mercatores assueti juramentis, & mendaciis, resipiscunt, & divites fiunt, & honorantur. ibid. 349.

L

LECTIO.

Lectioni piorum librorum vacandum. 30. 150. & seq.
In lectione Deus nobiscum loquitur. ibid.
Lectio tollit rubiginem animæ. 31. 152.
Lectio fovet, & restaurat vires spiritus. ibidem. 153.
Lectio utilis ad docendum alios. ibid.
Libri spirituales è manibus non dimittendi. ibid.
Qui lectioni non vacat, à sacerdotio repellendus. ibid. 154.
Lectio vana deserenda. ibid. 155.
Lectio sacrorum librorum Parocho maximè necessaria. 32. 156.
Quos libros legere debeat suo muneri aptiores. ibid. 157.

LIBERALITAS.

Liberalitas opponitur avaritiæ. 462. 694.
Habet duos actus, & qui illi sint? ibid.
Si ei adjungatur motivum misericordiæ, induit altiorem rationem virtutis. ibid.
Quid propriè sit liberalitas? ibidem.

LUCRUM.

Turpe lucrum quid sit? 210. 72.
Turpe lucrum clericis prohibitum. ibid.
Turpe lucrum sacerdoti indignum. ibid. 75.
Vide Avaritia.

LUXURIA.

Luxuria vitium capitale, ex quo multa promanant. 457. 668. & seq.
Contra luxuriam Parocho prædicandum. 134. 140.
Carnales voluptates excæcant mentis oculos. 154. 229.
Luxuria scabies animæ. 205. 51.
Luxuria damnationem æternam acquirit. 134. 141.
Qualis fructus ejus in hac vita? ibid. 142.
Pœna etiam gravissima in hac vita. ibid. 143.
Pœnæ graviores in futura. 135. 144.
Remedia contra hoc vitium. ibid. 145.
Supplicia luxuriosi multa in inferno ostendit visio mirabilis. 295. 158.
Alia visio duorum, qui in concubinatu vixerunt. 296. 359.
Mirabile exemplum luxuriæ. 302. 387.
Aliud exemplum luxuriæ præposteræ. ibid. 388.

MANSUETUDO.

Mansuetudo opponitur iræ. 462. 696.
Mansuetudo quid sit? ibid.
Mansuetudo hominum corda quasi suffuratur. ibid.
Mansuetudo homines benevolos reddit. ibid.
Mansuetudinis comes patientia. ibidem.

MARIA MATER DEI.

Maria Dei Mater semper virgo. 238. 66.
Insigne miraculum probans perpetuam Matris Dei virginitatem. 277. 270.

Fa-

Digitized by Google

Favor Matris Dei factus S. Ildephonso defendenti ejus virginitatem perpetuam. ibidem. 271.
Maria virgo nominatur in Symbolo ad ejus honorem. 238.69.
Virginem Matrem salutamus, & deprecamur per salutationem angelicam. 267.219.
Hæc salutatio angelica explicatur. ibidem.220.& seq.
Quid sit salutatio angelica? ibid.
Nova salutandi forma Virgo salutatur ab Angelo. 268.221.
Quid Angelus Virgini salutaverit per Ave? ibid. 222.
Quid per Gratia plena? ibid.223.
Quam gratiarum plenitudinem denotet hoc verbum? ibid. & 224.
Quid significaverit per Dominus tecum? 269. 225.
Quare non dixerit, Dominus est tecum? ibidem. 226.
Quid Benedicta tu in mulieribus? ibid. 227.
Virgo à fructu ventris sui maximè benedicta. ibid. 228. & seq.
Mater Dei primò ab Elisabetha Spiritu sancto afflata dicta est. ibidem. 229.
Esse, dicique Matrem Dei, supremus honor Virginis. ibid.
Favorem Virginis imploramus, cùm dicimus, Ora pro nobis peccatoribus. 270. 230.
Virgo omnium nostrùm mater effecta, dum facta est Mater Christi. ibid.
Virgo peccatoribus quodammodo debet, quod sit Mater Dei. ibid.
Sub Virginis protectione vivere, & mori debemus. ibid. 231.
Devotio B. Virginis à Parocho inculcanda. 177. 314.
Devotio Virginis prædestinationis, ac salutis æternæ singulare argumentum, & character. 178.315.
Virginis devoti cognoscuntur ab Angelis, ab illisque adjuvantur. ibid.
Virginis devoti certò promittitur æterna salus. ibid. 316.
Virginis devoti ditantur gratia, & ditabuntur gloria. ibid.
Virginis devotio, signum divitiarum spiritualium. ibid.
Virginis devotio, arma salutis à Deo data illis, quos salvare decrevit. ibid. 317.
Virgo vita, & spiritus Christianorum. ibid.
Sicut respiratio est signum vitæ temporalis, sic Virginis devotio vitæ spiritualis. ibid.
Qui est per devotionem Filius Virginis, habet signum prædestinationis. 179. 318.
Virginis devoti inveniunt vitam gratiæ, & vitam gloriæ. ibid. 319.
Omnia nobis bona per Virginem promanant. ibid.
Virgo Mater omnium viventium per gratiam, & gloriam, sicut Eva mater omnium viventium vitam temporalem. ibid. 320.
Sicut nemo ab Adam, nisi per Evam, sic nemo à Christo, nisi per Mariam Matrem ejus. ibid. 321.
Memoria Virginis lætitiam parit. ibidem.
Est omen nostræ salutis, dux ad Paradisum, libertatis operatrix. 180.322.
Virgo signum salutis omnibus devotis suis. ibid. 323.
Non damnatur devotus Virginis. 181. 324. & seq.
Id declaratur pulchra similitudine. ibidem. 326.
Oculi Virginis super ejus devotos, ne pereant. ibid.
Ad quos virgo oculos suos dirigit, salutem consequuntur. ibid. 327.
Oculos suos à devotis suis non avertit. 182.328.
Qui Virginis devotionem abjicit, damnationem sibi acquirit. ibid.328.
Sine devotione Virginis non est vita, neque salus. ibid. 329.
Virgo instar stellæ portum salutis ostendit illis, qui suæ devotionis oculos in illam dirigunt. ibid. 330.
In Christo, Matreque ejus spes nostra salutis collocanda. ibid.
Virgo non potest non intercedere cum effectu pro suis devotis. 183. 331.
Differentia intercessionis Virginis, & Sanctorum. ibid. 332.
Intercessio Virginis habet vim imperii. ibidem. 333.
Intercessio Virginis non frustratur effectu. ibid.
Virginis intercessioni non resistitur. ibid.
Virgo peccatorum fiducia, & devotorum suorum scala ad salutem. ibid. 334.
Virginis devoti victoriam sibi de dæmone promittant. 184.335.
Devotio Virginis arma contra hostes inferni. ibidem. 336.
Invocationem Virginis timent hostes maligni. ibid.337.
Id revelavit Virgo B. S. Birgittæ. ibid.338.
Non sic Iudith occiso Holoferne fugavit Assyrios, ut B. Virgo contrito serpente fugat à devotis suis ministros ejus. ibid. 339.
B. Virgo est mulier Hebræa, quæ fecit, facitque confusionem in domo inferni. 185.340.
Non sic Esther, suspenso Amano liberavit Iudæos, ut B. Virgo superato Dracone liberat devotos suos. ibid.341.
B. Virgo habet sigillum, quo signat omnes gratias concedendas devotis suis. ibidem.
Beata Virgo devotos suos à dæmonibus defendit, tam-

tamquam eorum soror, imò & mater. ibid. 342.
Quæritur dæmon, quòd per B. Virginem compescatur, ne sæviat in devotos suos. 186. 343.
Devoti B. Virginis non timent in hora mortis. ibidem. 344.
B. Virgo obstetricis instar assistit devotis suis in hora mortis, ut Deo nascantur per gloriam. ibidem. 345.
B. Virgo adjuvat in vita, & in morte. ibidem.
Per B. Virginem evadunt devoti ejus naufragium, quod in hora mortis plures faciunt. 187. 346.
Sicut in sola arca Noe commune naufragium mundus evasit; sic per Virginem evaditur naufragium in hora mortis. ibidem.
B. Virgo est scala, per quam in hora mortis ad cælum ascendimus. ibid. 347.
Id probat visio facta Fr. Leoni. ibid. 348.
B. Virgo est pons, per quem devoti ejus transeunt mundi mare ad gloriam. 188. 349.
Devoti Virginis ea ductrice transeunt ad terram veræ promissionis. ibid. 350.
B. Virgo est arcus fœderis devotis suis, ad cujus intuitum Deus cum illis utitur misericordia sua. ibid. 351. & seq.
Timeant mortem, qui in devotione Virginis refrixerunt. 189. 354.
B. Virgo adinvenit gratiam peccatoribus, qui eam amiserunt. ibid 355.
Devotio B. Virginis peccatoribus maximè necessaria. ibid.
Peccatores B. Virgini commendati. ibid. 356.
Peccatores Virginis devoti salutem suam sperant. ibid. & 357. ac seq.
Peccatores Virgini non addicti, saluti suæ timeant. ibid.
Peccatores devotos suos mirabiliter Mater defendit, & protegit. 190. 359.
Peccatores devotos suos convertit Virgo in stellas, quibus coronatur. ibidem. 360.
Id probat exemplum Theophilis insignis peccatoris. ibidem. 361. & seq.
B. Virgo est civitas refugii confugientibus ad illam. 191. 363.
Primus ad hanc civitatem confugiens, fuit Ioannes Baptista. ibid. 364.
In hac civitate peccatores omnia sibi inveniunt medicamenta. ibidem. 365.
B. Virgo est turris fortissima ad peccatorum defensionem. ibidem. 366.
In B. Virgine omnia arma contra diabolum, & vitia, quibus nos impetit. ibid. 367.
Non rapitur à dæmone confugiens ad B. Virginem. 192. 368.
Multiplici armatura devotos suos armat contra Dæmonum insultus. ibid. 369.
In cœlo discernuntur devoti B. Virginis ab aliis Sanctis. ibid. 370.
Devotio B. Virginis efficax argumentum salutis. ibib. 371.
Quò major devotio Virginis, eò majus salutis argumentum. ibid. 372.
B. Virgo declarat S. Metildi nullam sibi gratiorem salutatione angelica. 286. 317.
S. Euphemia per salutationem angelicam à diabolo liberatur. ibid. 318.
Eadem salutatio insignem peccatorem à diabolo liberat. ibid. 319.
Propter eamdem impetrat peccatori mortuo sine confessione, ut ad vitam redeat, & confiteatur. ibid. 320.
Nascitur arbor, in cujus foliis legebatur Ave Maria, in sepultura Religiosi, qui verba illa semper habuerat in ore. 287. 321.
Apparet devotus Virginis indutus veste pretiosa intertexta verbis salutationis angelicæ. ibid. 322.
Qui devotè recitat salutationem angelicam, vestem pretiosam Virgini componit, ut ipsa declaravit devoto suo. ibid. 323.
Alia arbor nata in sepulchro devoti Virginis, in cujus foliis Ave Maria. ibid. 324.
Impetrat virgo pœnitentiam devoto suo visione quadam, & casu mirabili. ibid. 325.
B. Virginis eximia humilitas. 462. 693.
Vide Corona, & Rosarium.

MISSA.

Missa celebranda sine culpa mortali. 25. 125.
Præparatio congrua ad Missam necessaria. 26. 127. & seq.
Missa dicenda non est ex sola consuetudine. ibid. 128.
Missa non dicatur præcipuè ob lucrum temporale. ibid.
Compositio interior in Missa necessaria. ibidem. 128.
In Missa nobis à Domino petendum. ibid. 129.
Post Missam gratiæ Deo agendæ à celebrante. ibidem. 130.
Missæ efficacia ad liberandas animas à Purgatorio. 310. 418. & seq.
Missæ auditio rem familiarem auget. 294. 350.
Missa audita liberat à fulmine, quo perit, qui eam non audierat. 298. 369.
Mirabilis virtus Missæ elucet in servo Reginæ sanctæ. ibid. 370.

MODESTIA.

Modestia, & bona compositio externa. 213. 89.
Modestia, & compositio externa compositionem internam animæ ostendit. ibidem.
Modestia, & optima compositio in celebrante Missæ sacrificium. 26. 128.

MORS.

Digitized by Google

MORS.

Mors certa, & inevitabilis. 126.93.
Mortis dies, locus, & modus incerti. ibi.94.
Semel tantum moriendum. ibid. 95.
Ex statu, in quo mors quemlibet invenit, gloria, aut pœna æterna pendet. ibid.
In morte præterita cruciabunt, & quæ? ibidem. 96.
In morte præsentia affligent, & quæ? ibid. 97.
In morte molestabunt maximè futura. ibid. 98.
Memoria, & expectatio mortis multum conducunt ad salutem. 127. 100.
Damna ex mortis oblivione. ibi. 101.
Mors in qualibet hora timenda. 148.204.
Pulvis sepulturæ, seu memoria mortis visum animæ restituit. 156. 238.
Quale maneat corpus post mortem. 126.99.
Mors æterna quid sit? 154. 150.
Mors prima peccatum, mors secunda damnatio æterna. 133.135.
Memoria mortis remedium ad non peccandum. 127. 100.

MULIER.

Conversatio mulierum periculosa homini. 34. 168.
Periclitatur castitas inter mulieres. ibid.
Mulier laqueus ad homines perdendos. ibidem. 169.
Mulierum familiaritas, & aspectus fugiendus. ibidem.
Mulierum amore homines decipiuntur. 35.170. & seq.
Per mulieres trahuntur homines ad multa flagitia. ibid. 171.
Familiaritas cum muliere sæpè incipit in spiritu, & desinit in carnem. ibid. 172.
Mulieres armamenta flagitiorum. ibid. 173.
Ex familiaritate mulieris sanctorum etiam nomen denigratur. 36.174.
Mulier primum hominem à Paradiso ejecit. ibid. 176.
Mulier gluten delictorum, & viscus toxicatus, quo diabolus aucupatur. ibid. 177.
Mulieres quò viliores, eò magis fugiendæ. ibid. 178.
Clerico cum muliere non convivendum. ibidem. 176.
A clerico mulieres non visitandæ. ibid.
Sacerdotis fama laborat ex commercio cum mulieribus. ibid. 177.
Cum mulieribus clericis habitare prohibitum. 214.97.
Mulier inferior homine. 233.47.

O

ODIUM.

Peccatum odii severè castigat Deus. 136. 52.
Erga alia peccata misericors, erga odium severus vindex. ibid. & seq.
Odium certo quodam modo revocat beneficia à Deo facta. ibid. 153.
Gravitas odii. Ex Iansen. 137.154.
Odii gravius supplicium, quàm aliorum peccatorum. Ex Orig. ibid. 155.
Odium non castigat Deus tamquam pater, sed tamquam severus judex. Ex Chrysost. ibid. 156.
Odium claudit portas divinæ misericordiæ. ibid. ex Aug. 157.
Nemo audeat veniam petere, si odium priùs non deposuerit. ibid.
Fiduciam obtinendi veniam perdet, qui odium in proximum conservat. 138. 158.
Qui odium conservat, odio habetur. ibid. 159.
Personam deturpat operatio ex odio. ibid. 160.
Odio prosequens proximos, ab eisdem odio habetur. ibid. 161.
Odii exemplum memorabile. 137. 156.
Aliud admirabile. 890.96.
Vide Injuria. Offensa. Vindicta.

OFFENSA.

Medium certum ad peccatorum veniam offensarum oblivio. 139. 162.
In manu nostra est venia delictorum per oblivionem offensarum. ibid. 163.
Oblivio offensarum facilis via ad veniam impetrandam. ibid. ex Greg. 164.
Idem ostenditur ex facto Davidis. ibid. 165.
Tamquam filiis miseretur Deus remittentibus offensas sibi factas. ibid. 166. & seq.
Offensarum oblivio præmium certum habet beatitudinem. 140. Ex Chrysost. 168.
Quam firma spes remittentis offensas? ibid. 169.
Offensarum remissio præmium etiam habet in hac vita. ibid. 170.
Exemplum Christi ad remittendas offensas. ibid. 171.
Impium post Christum offensas non remittere. ibid.
Tria notabilia exempla remittentium offensas. 284. 309. & duobus seq.
Aliud mirabile in eadem materia.
Aliud mirabilius offensas non remittentis.
Horrendum exemplum duorum, qui sibi invicem offensas non remiserunt. 295. 356.

OPE-

Digitized by Google

OPERA.

Posuit Deus hominem in Paradiso, ut opera salutaria exerceret. 146. 195.
Non ponit hominem in valle miseriæ ad otiandum, sed ad benè operandum. ibid. 196.
Sicut à vinea fructus, ita ab homine bona opera expectat Deus. ibid. 197.
Sicut à ficu Christus ficus, ita ab homine opera pietatis expectat. 147. 201.
In omni tempore expectat Deus à nobis fructus bonorum operum. ibidem. 202.
Sine studio benè operandi silvescit anima, fitque materia ignis æterni. ibidem. 201.
Ex carentia bonorum operum damnabimur, ut ficus Euangelii. 148. 203.
Alii, quia fructibus carent, exciduntur tamquam arbores in prima ætate, alii misericorditer expectantur usque ad tertiam. ibid. 203.
Dolendum, quòd nec in ultima fructus afferamus. ibid. 205.
Diaboli consilium, quòd fructus pœnitentiæ in futurum differamus. ibid. 206.
Saltem qui sunt in senectute fructus pœnitentiæ reddant. ibid. 207.
Vide Vinea.

ORATIO.

Sine oratione non benè vivitur. 22. 112.
Sine oratione nulla virtus. ibid. ex Chrysost.
Orationi deditus virtutes habet, Deique amicus est. ibid. Ex eodem Chrysost.
Oratio omnibus necessaria. ibid. Ex Aug.
Oratio vitiorum extirpatio. 23. Ex Ephrem.
Oratio maximè necessaria sacerdoti. ibidem. Ex Ambros.
Oratio est in præcepto. 256. 157.
Oratio carnalium voluptatum parit oblivionem. 22. 112. Ex Bern.
Orationis carentia cor indurat. ibidem. Ex Bern.
Sine oratione non vincuntur tentationes. 23. 113.
Oratio remedium ad vincendas tentationem. ibid.
Oratio turris fortis, ex qua pendent mille clypei ad tentationes repellendas. ibid. Ex Ephrem.
Sine oratione nec comparantur, nec conservantur virtutes. ibid. 114.
Oratio fons Paradisi irrigans totam terram. ibidem.
Anima orationi dedita arbor juxta fluenta aquarum. ibid.
Sine oratione arbor in terra arida, ac sterili. ibidem.
Oratio corroborat animam, ut cibus corpus. ibid. 115.
Parocho oratio necessaria. ibid. 116. Ex Greg.
Idem. Ex Bonav. 24. 117.
Sine oratione superari non possunt difficultates, quæ occurrunt in regimine animarum. ibidem. 118.
Parocho orandum temporibus vacuis. 30. 150.
Orare tenetur Parochus pro populo suo. 48. 47.
Hæc obligatio est de jure divino. 49. 48.
Colligitur hæc obligatio ex scripturis. ibidem. 49.
Sumitur ex proprio officio Parochi. ibidem. 50.
Oratio Pastoris impedit supplicia Dei debita populo. ibid. 51.
Oratio Pastoris vim infert Deo irato. ibidem. 52. & seq.
Oratio scutum contra ignita dæmonis tela. ibid. 53.
Oratio murus defendens ab ira Dei. 50. 55.
Parochus tenetur orare pro populo suo. 48. 47. & seq.
Id sumitur ex doctrina Patrum. 50. 54.
Sine Oratione nihil boni Parochus efficiet in suo populo. 24. 118.
Parochus est mediator inter Deum, & populum suum, pro quo debet intercedere orationibus suis. 49. 50.
Mala populi affligunt bonum Parochum, ut pro eo oret. ibid. 52.
In orando pro populo ostendet bonus Parochus charitatem suam erga illum. 50. 57.
Cur sæpè non impetremus, quod orando petimus? 256. 159. & seq.
In Oratione priùs petenda, quæ ad Dei honorem, & gloriam pertinent. 258. 168.
In Oratione bona Dei extrinseca petenda, de intrinsecis complacendum. ibid. 169.
Bona hujus vitæ quatenus in Oratione petenda? 262. 192.
Quotidie nobis orandum. 263. 195.
A quibus malis à Deo liberari petendum. 266. 212.
Quomodo in Oratione petitiones facienda. 267. 214.
Deus solus in rigore orandus. ibid. 216.
B. Virgo, & Sancti orandi, sed diverso modo, ac oratur Deus. ibid. 217.

ORATIO DOMINICA.

Oratio Dominica exponitur. 256. 156. & seq.
Orationem Dominicam docuit Christus. ibidem. 156.
Exponuntur verba illa: Pater noster, qui es in cœlis. 257. 161. & seq.
Exponitur prima petitio: Sanctificetur nomen tuum. 258. 168. & seq.
Exponitur secunda: Adveniat regnum tuum. 259. 175. & seq.

Duo

Duo mirabilia exempla desiderantium regnum cœlorum. 283. 302. & seq.
Exponitur tertia: Fiat voluntas tua. 257. 180. & seq.
Duo notabilia exempla duorum, qui Dei voluntatem in omnibus quærebant. 283. 304. & seq.
Exponitur quarta: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. 262. 189. & seq.
Tria exempla expectantium à Deo panem. 283. 306. & seq.
Exponitur quinta: Dimitte nobis debita nostra &c. 263. 197. & seq.
Tria exempla notabilia, quibus Deus dimisit peccata, quia ipsi proximis offensas dimiserunt. 284. 309. & seq.
Exponitur sexta: Et ne nos inducas in tentationem. 265. 205. & seq.
Duo exempla circa hanc petitionem. 285. 312. & seq.
Exponitur septima: Sed libera nos à malo. 266. 211. & seq.
Orationis Dominicæ valorem probant duo exempla. 282. 296.
Orationem Dominicam recitare non poterat, qui odium, & inimicitias gerebat. ibid. 297.

OTIUM.

Damna otiositatis multa. 27. 131. & 29. 145.
Ratio Deo danda de vita otiosa. 29. 145.
Otium tentationibus obnoxium. ibid.
Otium diabolo portam aperit ad nocendum. ibid. 144.
Otiosus est, qui rebus ad se non pertinentibus occupatur. 30. 149.
Otiositas occasio luxuriæ. 135. 145.
Per otium, & inertiam non acquiritur regnum Dei. 260. 179.
Otium Parochi quàm nocivum? 29. 142. & seq.

P

POENA.

INfirmitates, & dolores præsentis vitæ pœnæ sunt peccati. 123. 76.
Pœnam peccati declarant varia scripturæ exempla. 124. 79.
Pœnam peccati probant Angeli peccantes. ibid. 80. & seq.
Pœnam peccati probant primi parentes. ibidem. 83.
Pœna damni, & pœna sensus. 130. 118.
Pœna damna declaratur ex similitudinibus. 132. 128.
Pœna inferni cogitata pœnitentiam suadent. 125. 87.
Vide infernus.

POENITENTIA VIRTUS.

Quantum valeat pœnitentia apud Deum? 136. 148.
Difficilis pœnitentia illis, qui eam differunt ad finem vitæ. 146. 194.
Metuendus status eorum, qui pœnitentiam differunt. 145. 193.
Fructus pœnitentiæ à nobis sperat Deus. 148. 204.
Fructus pœnitentiæ fuga peccati, & boni operatio. ibid. 203.
Qui sint fructus digni pœnitentiæ? ibid. 204.
Aliquando expectat Deus pœnitentiam usque ad ultimam ætatem. ibid.
Pœnitentiam differimus ad tempus futurum, quod est incertum. ibidem. 206.
Pœnitentia non differenda. ibidem.
Lacrymæ pœnitentiæ mentis cæcitatem abjiciunt. 156. 238.
Dolore commoveatur, qui petit sibi peccata dimitti. 264. 199.
Ad peccati remissionem vera pœnitentia necessaria. 251. 136.
Illustre exemplum veræ pœnitentiæ Thaidis. 282. 299.
Aliud exemplum notabile. 299. 373.
Aliud mirabilius. 306. 404. & seq.
Aliud non minus mirabile. 308. 409.

POENITENTIA SACRAMENTUM.

Pœnitentiæ Sacramentum fons latè patens, quo omnes lavari possint. 157. 244. & seq.
Fons est miraculosior piscina Bethsaida, in qua unus tantùm sanabatur. ibid. 245.
Infirmitas corporis non impedit sanari in hoc sacro fonte, ut accedebat in illa piscina. ibid. 246.
In hoc fonte nemo sanatur, qui sanitatem non appetat. ibidem. 247.
Cur homines sanari nolint in hoc fonte, duæ dantur causæ? ibid.
Mirabile exemplum hujus sacramenti. 299. 373.
Terribile exemplum hominis fugientis hoc Sacramentum. ibid. 375.
Moritur sine hoc Sacramento, qui vivens illud fugiebat. ibid.

POENITENTIA EXTERIOR.

Necessaria ad domandas passiones. 27. 133.
Hoc probat exemplum Pauli. ibid. 134.

Non spectat ad solos Religiosos. ibid. 133.
Sæcularibus necessaria, maximè sacerdotibus. ibid.
Homo sine pœnitentia arbor ad comburendum. 147.201.

PARADISUS.

Paradisus quid? 132.129.
Paradisi locus quis? ibid.130.
Societas Paradisi qualis? 133.131.
Gloria animæ qualis? ibid.132.
Gloria corporis quæ, & qualis? ibidem. 133. & seq.
Vide Gloria cœlestis. Vita æterna.

PARENTES.

Vide Filii.

PAROCHIA.

Parochia est vinea data Parocho, ut excolatur, non solùm ut vindemietur. 29.142.
Parochia silvescit, si Parochus otiatur. ibidem. 144.
Parochia vitiosa, si Parochus non vigilat.42.19.
Ex Parochi absentia multa mala in Parochia. ibid. 20.
Parochia, in qua docetur doctrina Christiana, benè disciplinata est. 48.45.
In Parochia, in qua deest hæc doctrina, omnia vitia sunt. ibidem. 46.
Parochia, in qua viget usus sacramentorum, Paradisi speciem refert. 51.63.
Malum exemplum Parochi totam inficit Parochiam. 54.73.
Parochus, qui reformare vult Parochiam, se ipsum priùs reformet. 202.36.
Reformato Parocho, tota Parochia reformatur. ibid.

PAROCHIALE OFFICIUM.

Temeritas, & audacia illud ambientis. 9.46.
Vitiosus sacerdos temerariè hoc munus ambit. ibid.47.
Eadem temeritate laborat sacerdos imperitus, qui illud procurat. 11.52.
Parochiale officium non datur, ut Christi oves tondeantur, vel mulgeantur, sed ut pascantur. 15.73.
Officium sine Oratione fructuosè non obitur. 22. 112. & seq.
Difficultates illius sine Oratione non superantur. 24.118.
Excellentia hujus officii ex multis ostenditur. 4.20. & seq.
Nihil apud Deum beatius, si dignè exerceatur. 11.56. & seq.
Habet hoc officium principium à Christo. 12. 58.
Est officium periculosum, difficile, & laboriosum. 7.37. & seq.
Est officium grandis oneris, & timoris. 8.38. & seq.

PAROCHUS.

Parochi finis ultimus gloria Dei. 3.12.
Parochi finis proximus salus animarum. ibidem. 13.
Parochus à suo fine deflectit, divitias quærendo. 15.72.
Ab eodem pariter deflectit, intendens ditare propinquos. 16.77.
Deflectit etiam, honorem in officio ambiendo. ibid. 80.
Parochus adjutor Dei ad salvandas animas. 4. 17.
Parochus habeat ante oculos Dei honorem. 20. 99.
Lucra temporalia à tergo, salus animarum Parocho ante oculos habenda. 4.19.
Parochus dux populi sui loco Christi. 6.31.
Est medicus spiritualis animarum. ibid.30.
Parochum Deus adjuvat, & singulariter protegit. 12.59.
Parochus dabit animam suam pro anima incuria sua deperdita. 8.39.
Dabit Deo rationem de qualibet anima perdita. ibid.41.
Nullam habebit excusationem, si quis pereat incuria sua. ibid. 42.
Parochus admonere debet suos. Ex Prosp. 9.43.
Parochus tacens occidit oves suas. ibid. Ex Greg.
Parochus excellere debet in virtute. 10.48.
Debet esse sanus moribus, ut stomachus in corpore. ibid.50.
Parochus doctus esse debet. 11.53.
Temeritas ignorantum animarum curam suscipere. 10.52.
Parochus de peccatis populi sui rationem dabit. ibid.50. & seq.
Parochus parum boni operabitur, si oculos figat in bonis temporalibus. 15.72. & seq.
Parochus, ut aliis prosit, sibi primùm prodesse curet. 13.63. & seq.
Vbera Parochi vita probitas, & doctrina. ibid. 63.
Parochus suorum mater esse debet. 16.81.
Christus pater, Parochus mater populi sui. 19.94.
Parocho status gratiæ necessarius. 17. 82. & seq.
Parochus ex multis titulis debet Deo amorem. 18 91. & seq.
Sine Dei amore non invigilabit ovibus Christi. 19.96.

De-

Debet excellere in hoc amore, ut officio suo rectè fungatur. ibid.97.
Amet oves suas, etsi ab illis non ametur. 55. 79.& seq.
Amor Parochi sit amor patris, matris, ac nutricis. ibidem. 77.& seq.
Parochus caveat peccata maximè mortalia. 20. 100. & seq.
Si illa non fugiat, non poterit populum ab illis deterrere. ibidem.
Cavere etiam debet culpas veniales. 21.105. & seq.
Parochi officium id maximè decet. 22. 109.
Parochus debet esse Orationi deditus. ibid.112.
Cur Orationis studium Parocho necessarium. 23. 115. & seq.
Parocho pœnitentia exterior necessaria. 27. 133. & seq.
Cur Parocho pœnitentia specialiter necessaria? ibid.136.
Parocho à vino fugiendum. 28. 138. & seq.
Parochus otium fugiat. 29.141.
Parochus otiosus idolum, & larva pastoris. 30. 147. & seq.
Parochus fugiat à negotiis sæcularibus. ibid.149.
Parochus fugiat nimiam familiaritatem sæcularium. 32. 159. & seq.
Parochus fugiat mulierum consuetudinem. 34. 167. & seq.
Parochus exemplo pastorum ovium pascat animas sibi commissas. 40.13.
Parochus resideat, & invigilet ovibus suis. 41. 15. & seq.
Oves Christi indigent assidua Parochi vigilantia. 42.19.
Ex Parochi absentia multa damna in Parochia. ibid. 20.
Parochi præsentia medicina ovium. ibid.
Non satis est Parocho habere bonum coadjutorem. ibid.21.
Parochus agat causas populi sui cum Deo. 43. 22.
Parochus offerat dona, & sacrificio pro populo suo. ibid.
Parochus exhortetur plebem suam ad benè vivendum. 44. 27. & seq.
Culpa gravis Parochi non exhortari. ibidem. & seq.
Parochus non prædicans solum nomen habet pastori. ibidem. 29.
Parochus exactam dabit Deo rationem, si non prædicaverit. 45. 30.
Timeat sibi Parochus non prædicans. ibid. 31.
Deum graviter offendit Parochi silentium. ibid. 32.
Damna Parochiæ ex defectu prædicationis Parochi. ibid.33.
Ruina fidelium ex Parochi silentio. ibid.
Parochi crimen pasci à populo, & populum non pascere verbo prædicationis. 46.34.
Parochus pascat doctrina fidei. ibid. 36. & seq.
Vide Doctrina.
Parochus sit irreprehensibilis. 203.42.
Vitium Parochi non esse optimum. ibid.
Debet esse stella omnes illuminans. ibidem. 43.
Parochus luminare in Parochia, Angelus in plebe. ibid.
Parochus qualis esse debeat. Ex Bern. ibid.
Debet esse sine crimine. 204. 43.
Sicut sol prælucere debet populo suo. 203.43.
Qualis esse debeat. Ex Tridentino? 204.44.
Parochus præluceat in castitate. ibidem. 45.
Multa, & gravia peccata committet, si desit in castitate. 206.52.
Sine castitate fiet pessimus sæcularium. 206. 53.
Incontinens vita Parochi pestis populi. ibidem. 56.
Parochus incontinens indignus officio. 207. 58.
Incontinentia Parochi occulta diu esse non potest. ibid.59.
Parochus suspicionem incontinentiæ etiam cavere debet. ibid.60.
Parochus avarus sectans turpe lucrum, lupus, non pastor. 208.64.
Quæ damna sequantur in populo ex avaritia Parochi. ibid. 61. & seq.
A Parocho quæ cavenda circa turpe lucrum? 209. 67. & seq.
In multis postulat Apostolus exemplum à Parocho. 213.88.& seq.
Parochus det exemplum in doctrina. 216.106.
In tribus dabit exemplum in doctrina. ibid.107. & seq.
Parochus miserabilium personarum curam paternam gerat. 220.126. & seq.
In tribus habenda est hæc cura, & quæ illa sint? ibid. 127. & seq.
Parochus exerceat paternam curam cum mortuis sua Parochiæ. 222.138.
Parochus sit patiens, & non iracundus. 215. 99.
Parochi domus sit reformata, nec sinat domesticos suos licentiosè vivere. ibid.101.
Parochus adjutor Episcopi in regimine animarum. 60.102.
Parochus suum amet Episcopum, ac tamquam patrem revereatur. 61. 104.
Sit ejus reverentia interna, & externa. ibidem. 105.
De Episcopo suo honorificè loquatur. ibid. 106.
Securitas Parochi ex obedientia ad Episcopum. ibid.107.
Exemplum Parochi boni, & zelosi. 282.300.
Exemplum Parochi negligentis, & incurii. 283. 301.

Digitized by Google

Duo Exempla notabilia Parochorum negligentium. 200.28. & seq.
Vide Pastor.

PASSIO CHRISTI.

Vide Christus.

PASTOR.

Summa officii pastoralis verbum, & exemplum. 115.27.
Doctrina pastoris magis utilis ovibus. 117.35.
Pastor ubera habeat ad lac doctrinæ instillandum. ibid.
Pastor exemplo vitæ destitutus oves ad interitum deducit. 200.28. & seq.
Nihil magis nocivum populo, quàm malum exemplum pastoris. 201.30.
Pastoris peccatum secum defert oves suas. ibidem.
Pastoris peccatum tam grave, ac peccatum totius populi. ibid. 31.
Peccatum pastoris multorum ruina. ibid. 33.
Maximè quando doctus est, ac donis naturæ præditus. ibid. 34.
Pastoris exemplum malum rapit ad imitationem tamquam turbo. ibid.
Nullum majus damnum patitur Ecclesia, quàm à malis pastoribus. ibid. 31.
Pastor vigilet super eos, qui sanam doctrinam non docent. 217.111.
Pastor invigilare debet gregi suo. 39.6.
Pastor curet de ovibus, non mercedis intuitu, sed retributionis æternæ. 40.9.
Conditiones boni pastoris. 39.6. & seq.
Pastor studeat placere Deo in cura animarum. 40.8.
Pastor non suis lucris, sed ovium commodis intendat. ibid. 9.
Pastor non dominetur gregi, sed serviat. ibid.10.
Pastor sit forma, & exemplar benè vivendi. ibid.11.
Pastor animarum imitetur pastores ovium. ibid. 13.
Pastor stultus quis? 41. 14.
Pastores malos permittit Deus ob peccata populi. ibid.
Pastor gregi invigilare debet. ibid. 15. & seq.
Pastor totus oculus ad invigilandum. ibid. 16. & seq.
Pastor agnoscat oves suas. 42.18.
Pastoris exemplum lux est gregis. 54.74.
Pastor amet oves suas. ibid. 75. & seq.
Amor ovium fundamentum curæ pastoralis. 55. 77.
Pastor amet oves suas, licèt ab illis non ametur. ibid. 79.
Pastor animarum discat à pastoribus ovium lupos insectari, & animas defendere à devorantibus. 41. 15.
Pastor ferveat zelo salutis ovium suarum. 56. 82. & seq.
Quæ promoveant hunc zelum? ibid. 85. & seq.
Pastor sit fortis, & constans in coercendis rebellibus. 882. 60.
Non solùm pascat, sed defendat à lupis, qui ovium salutem impediunt. ibid. 61.
Exemplo Davidis gregem perdentes compescat. 883. 62.
Sit murus gregi suo defendens à devorantibus. ibid. 64.
Aliqua vitia Pastore dissimulanda, aliorum curatio differenda, alia subitò extirpanda. ibid. 65.
Pastori fortitudo contra rebelles, mixta tamen mansuetudine. ibidem. 66.
Hanc fortitudinem commendavit Christus pastoribus suis. 884. 67.
Hæc commendatur à S. Cypriano. ibid. 68.
Fuerunt in Ecclesia Pastores illustres in hac fortitudine. ibid. 69.
In hac fortitudine contra impedientes animarum salutem ostendit Pastor, quantùm Deum amet. ibid. 70.
Pastor sit fortis in contemnendis amicorum precibus. ibid. & 71.
Amici sæpè magis nocent Christi gregi, quàm dæmon ipse. 885. 72.
Ostendat pastor constantiam istam in denegandis Sacramentis indispositis. ibid. 73.
Pastor, quando per se remedium adhibere non sufficit, recurrat ad suum Episcopum. ibid. 74.
Pastor immediatus est adjutor Episcopi in regimine animarum. 886. 75.
Pastori prudentia maximè necessaria. 57. 89. & seq.
Pastor & sibi diffidat, & fiduciam in Deo habeat. 58. 95. & seq.
Fiducia Dei fretus mirabiles laborum suorum fructus colliget. 59. 99.

PATIENTIA.

Patientia moderatur tristitiam ortam ex malo illato. 462. 696.
Patientia mansuetudinis comes. ibidem.
Vide Mansuetudo.

PECCATUM.

Peccati gravitas ex dignitate Dei offensi. 122. 67.
Eadem gravitas ex præsentia Dei, in qua committitur. ibid. 68.
Eadem gravitas ex beneficiis à Deo acceptis. ibid. 70.

Digitized by Google

Eadem gravitas ex vilitate hominis peccantis. ibid.72.
Eadem gravitas ex vilitate rei, quæ Deo præponitur. 123.73.
Eadem gravitas ex pœnis peccato debitis. ibid. 76. & seq.
Eadem gravitas ex eo, quod Christus pro peccato passus est. ibid.78.
In peccato aversio à Deo, & conversio ad creaturam. ibid.75.
Peccatum hominis gravius peccato Angeli ex multis. 124.82.
Multitudo peccatorum. 125.90.
Peccata catenam componunt, quæ nos ad infernum trahit. ibidem. 91.
Peccatum mors animæ, ideoque mortale. 141.172.
Peccatum mors prima. 234.50.
Tres differentiæ peccatorum significata in tribus mortuis à Christo resuscitatis. 141.174. & seq.
Quæ peccata habeant facile remedium? ibid.
Peccata publica non illud facilè habent. ibid. 176. & seq.
Non surgit à peccato, qui à Christo specialissimè non vocatur, & quæritur. 142.177.
Nullus est mortuus per peccatum, qui per Dei gratiam ad vitam redire non valeat. ibidem. 178.
Difficillimè surgit à peccato, qui in illo est per consuetudinem. ibid. 179.
Unde proveniat hæc difficultas? ibidem. 180. & seq.
Qui in peccato diu perseverat, non vult salutem. ibid.
Fugiunt isti tamquam hostes eos, qui eorum procurant salutem. 143.181.
Nihil eos magis torquet, quàm cogitatio de deserendo statu peccati. ibid.182. & seq.
Peccatum ex consuetudine ferè sine remedio. 144. 186.
Peccatum ex consuetudine quædam animæ paralysis. ibid.185.
Qui peccat ex infirmitate, citò resurgit. 145. 191.
Qui ex habitu, & consuetudine, tardè, vel nunquam. ibid. 192. & seq.
Qui à peccato citò surgit, dignus est laude. ibid. 192.
Qui in peccato perseverat, miser maximè ex perseverantia. ibidem.
Qui peccat ex consuetudine, inimicus crucis Christi. ibid.
Peccata ex consuetudine levia, vel nulla videntur. ibid.
Peccans ex consuetudine redditur stupidus, nec sentit peccati sui fœtorem. ibid.
Quòd peccata appareant, quod sunt, bonum signum. ibid. 193.
• Institutio Parochi.
Peccatum offensa divinæ majestatis. 251.134.
Cur peccata dicantur debita? 170.291.
Peccatum excæcat oculos mentis. 154.230. & seq.
Solus amens peccare potest mortaliter. ibid. 232. & 155. 236.
Per peccatum mortale se homo diabolo vendit. 155.236.
Commoditas peccati est pecunia, quâ venditur. ibid.
Venditio expressa cujusdam peccatoris. ibid.
Peccata venialia etiam fugienda. 21. 105.
Damna peccatorum venialium. ibid.106.
Peccata venialia disponunt ad mortalia. 22. 108.
Peccata venialia maximè cavenda Religiosis, sacerdotibus, & Prælatis. ibid.109.

PRAEDICATOR.

Prædicator impurus quis dicatur? 119.49.
Prædicator accommodet se ad captum audientium. ibid. 53.
Prædicet cum charitate, & libertate. 120.54.
In suo sermone ne vindicet injuria proprias. ibid. 55.
Sine spiritu, & oratione nihil operabitur in audientibus. ibid.56.
Cum spiritu, & Oratione penetrabit corda. ibid. 57.
Magis persuadebit vitæ exemplo, quàm eloquentia. 196. 9. & seq.
A bona vita efficaciam habet Prædicatoris doctrina. ibid.
Doctrina Prædicatoris sine exemplo vitæ non persuadet. ibid.10.
Qui lucet vitæ exemplo, prædicat tamquam potestatem habens. ibid.11.
Doctrina sine exemplo confusio Prædicatoris. ibidem. 12.
Ille rectè prædicat, qui facit, quod prædicat. ibidem.
Doctrinam prædicat improbabilem, qui eam vita sua exemplo non confirmat. 197.13.
Aptus Prædicator, qui facit, quod prædicat. ibid. 14. & seq.
Prædicator inutilis, qui non facit, quod prædicat. ibidem. 14.
Solus persuadet Prædicator exemplaris. ibidem. 15.
Prædicator sine exemplo, verbo vocat, & vita animas à Deo fugat. 198.17.
Qui bonus non est, non potest per prædicationem ad bonitatem trahere. ibid.18.
Qui bonus in se non est, non prædicat cum fiducia, & potestate. ibid. 19.
Prædicatoris vita non reformata sermonem contemptibilem reddit. ibid. 20. & seq.

Prædicatoris linguam mala conscientia frænat. ibidem.
Culpæ etiam leves prædicatorem inficiunt, ac dehonestant. 199. 23.
Prædicator non quærat plausum populi, sed gemitus, & lacrymas. 115.26.
Prædicator non desperet, nec taceat, esto fructum non videat. 116.33.
Prædicatoris laus gemitus, & lacrymæ audientium. 217.114.
Prædicator eloquens quis sit. Ex Pelosiota. 219. 125.

PRAEDICATIO.

Prædicatio non contineat res frivolas, & vanas. 217. 112.
Prædicatio sit rete, quæ possit pisces extrahere ex profundo. ibid.
Prædicatio non sit rete aranearum futilis. ibid.
Prædicatio contineat doctrinam Christi, cui annexus est spiritus pœnitentiæ. ibid. 113.
Prædicatio non sit rete ad extrahendas ranas, seu laudes humanas. ibid. 113.
Laus prædicationis lacrymæ audientium. ibidem. 114.
Indicium, & pœna prædicationis non intendentis pœnitentiam, & lucra animarum. 218.115.
Prædicatio sit talis, ut conterat corda obdurata peccatorum. ibidem. 116.
Hæc sit quasi continua materia prædicationis. ibid. 117.
Prædicatio sit ignis emoliens cor ferreum. ibid. 118.
Prædicationis fructus sæpè aer, & ventus. ibid. 119.
Prædicans ventum, & res aereas, colligit tempestatem, quæ prædicatorem obruit in perditionem. 219.120.
*Modus prædicationis sit accommodatus. ibid.*121.
Sit sine fuco, & verbis affectatis. ibid.
Talis aliquando est modus prædicandi, ut verbum Dei convertat in fabulam. ibidem. 122.
Cùm verbum Dei sit vinum inebrians animas, ita sæpè adulteratur, ut convertatur in aquam. ibid. 121.
*Verbum Dei granum purum sæpè convertitur in paleas. ibid.*123.
*Prædicatio sit gladius ad ferienda corda. ibid.*124.
Prædicatio sæpè est talis, ut videatur vagina aerem verberans. ibid.
Prædicatio florida non producit fructum. ibidem. 225.
Prædicatio necessaria populo. 44. 27.*& seq.*
Prædicationis Parochi quæ materia? ibidem.
Prædicatio miraculis confirmata frustratur effectu ex peccato prædicatoris. 199.34.
Ex eodem peccato, cùm sit verissima, reputatur falsa. 200.26.
Mores Prædicatoris reprehendunt doctrinam sanam. 199.22.

PRAELATUS.

Prælatus invigilet gregi suo. 41.15.*& seq.*
Prælatis amorem debemus. 61. 104.
Prælati amandi ut patrem. ibid.
Prælatis debemus reverentiam, & obedientiam. ibid. 105. *&* 106.
Prælatus bonam famam procuret, & conservet. 207. 60.
Prælati preces magis movent, quàm præcepta. 39.4.
*Conditiones boni Prælati. ibid.*6. *& seq.*
Vide Episcopus. Pastor. Parochus.

PRUDENTIA.

Prudentia vera quæ sit? Ex Bern. 57.89. *& seq.*
Prudentia ex S. Basilio, & D. Thom. ibid. 91.
Prudentia lux, & lucerna virtutum. ibid. 90.
*Prudentia modum, & mensuram præscribit omnibus virtutibus. ibid.*89.
Prudentia omnium virtutum regula, & moderatrix. ibid.
Prudentia maximè necessaria ad animas regendas. ibid. 90.
Prudentia à Deo petenda. 58. 92.
Prudentia acquirenda per exercitium virtutum. ibid.
Prudentia non est sine virtutibus. ibid.
Prudentia juvanda ab experientia. ibid.
Prudentia consulit peritos, & expertos. ibidem. 93.
Prudentia sit comes zeli. 57. 89.
Ubi major zelus, ibi major prudentia requiritur. ibidem.

PURGATORIUM.

Purgatorium carcer durissimus, in quo sanctæ animæ torquentur ad purgationem. 865. 83.
Purgatorii pœna acerbissima. Ex historiis authenticis. 867.88.
Sacerdotes, maximè Parochi, animas Purgatorii juvare debent sancto Missæ sacrificio. 865. 83. *& seq.*
Sint diligentes in præstandis suffragiis sibi commissis. 866.85.
Conqueruntur animæ de nostra erga ipsarum pœnas oblivione. ibid. 86.
Taxatur avaritia sacerdotum, qui stipendia accipiunt pro Missis, quas nec persolvere possunt. ibidem. 87.*& seq.*
Infidelitas, ac crudelitas sacerdotum, qui Missas dicendas pro animabus differunt. 867. 89. *& seq.*

Ta-

Digitized by Google

Tales sacerdotes magis sunt lupi, quàm pastores. ibid. 91.
Parochus pro animabus pauperum sua Parochia Missam offerre debet. 868. 95. & seq.
Id sperant animæ ab ipso tamquam à patre. 869. 99.
Lucra, quæ ex hac misericordia Parocho proveniunt. ibid. 104.
Pia Defunctorum voluntates quamprimùm implenda. 870. 105. & 871. 111.
Varia exempla animarum conquerentium, quòd non impleantur. ibidem. 112. & seq.
Supplicia eorum, qui de hac re obliviscuntur. ibid.
Parochus solicitus esse debet in hac parte. 872. 114. & 175. 105.
Per Orationes liberantur animæ à Purgatorio. 282. 296.
Quantùm valeat sacrificium Missæ ad pœnas Purgatorii evadendas. 307. 407. & 874. 101.
Duo exempla optima in hac materia. 307. 408. & seq.
Alia duo exempla notabilia. 310. 418.
Quantùm ad id conducant suffragia, & opera pia à vivis oblata probat notabile exemplum. 311. 420. & seq.
Animas Purgatorii defendere ab hostibus suos benefactores, probat notabile exemplum Eusebii Ducis Cerdenia. 308. 410.
Aliud exemplum animarum defendentium à morte devotum suum. ibid. 411.
Liberant à suo Episcopo sacerdotem pro illis celebrantem. 309. 412.
Animæ Purgatorii celebrant officium pro suo devoto Defuncto. ibidem. 413.
Moritur miserè, qui non fecit pro Defunctis, quæ ex testamento facere debuit. Duo exempla. ibid. 415. & seq.
Punitur in Purgatorio, qui oblitus non fecit, quæ debebat pro animabus, probat exemplum. ibid. 416.
Qui perfunctoriè fecit pro animabus ea, quæ debuit, acriter torquetur in Purgatorio. Probatur exemplo. 310. 417.
Castigatur Religiosus, qui non celebrabat pro Defunctis. 311. 421.

R

RECREATIO.

Recreatio honesta Parocho licita. 32. 158.
Qualis esse possit. ibidem.

REGNUM DEI.

Regnum Dei quid sit? 259. 175.
Triplex regnum Dei. ibidem. & seq.
Regnum Dei thesaurus absconditus in agro. 260. 178.
Regnum Dei margarita Euangelii. ibid.
Regnum Dei non acquiritur per otium, & inertiam. ibid. 179.
Medium ad illud comparandum, facere Dei voluntatem. ibid. 180.
Est in regione longinqua, iterandum per bona opera, ut ad illud perveniatur. 150. 215.
Regnum Dei nos non quærit, sed à nobis inquirendum. ibid.
Regnum Dei datur ascendentibus per scalam virtutum. 151. 216.

REMISSIO OFFENSARUM.

Vide Offensa, & Vindicta.

RESTITUTIO.

Mirabile exemplum restituentis malè parta per usuras. 296. 361.

RESURRECTIO.

Omnes resurrecturos, est articulus fidei. 252. 139.
Cur dicatur resurrectio carnis, & non hominis? ibid.
Cur carnis, & non corporis? ibid. 140.
Resurrectio erit in eodem corpore. ibid. 141.
Resurrectio omnium in flore ætatis. 253. 144.
Resurrectio futura sine aliquo defectu. ibid.
In omni lege fuit fides resurrectionis. ibid. 145.
Exempla probantia carnis resurrectionem. 280. 291. & seq.

REVERENTIA.

Reverentia alia interior, alia exterior. 61. 105.
Utraque superioribus debita. ibid.
Reverentia interna, & externa in Missa. 26. 128.

ROSARIUM.

Rosarium B. Virginis devotio. 270. 232.
Rosarii forma qua sit, & quæ nomina habeat. ibid. & seq.
Rosarium B. Virginis quid significet. ibid. 233.
Rosarium Virginis murus contra hostes animæ. ibid.
Rosarium Virginis tres habet partes. ibid. 232.
Mysteria primæ partis. 271. 234. & seq.
Mysteria secundæ partis. ibid. 239. & seq.
Mysteria tertiæ partis. 272. 244. & seq.
Rosarium Virginis quomodo sit fructuosè dicendum. ibid. 250.

Digitized by Google

Castigavit Deus duos prædicatores impugnatores Rosarii. 288.326.
Per Rosarium liberatur mulier à dæmonio. ibid. 327.
Devotio Rosarii impetrat regina Blanca filium S. Regem Ludovicum. ibidem. 328.
Per Rosarium homo perditus vitam mutat, & sanctè moritur. ibid. 329.
Per Rosarium liberat B. Virgo hominem à pœnis inferni. 289.330.
Per Rosarium restituit B. Virgo syngrapham datam diabolo de ejus perpetua servitute. ibid.
Per Rosarium liberatur mulier à morte æterna, & temporali. ibid. 331.
Rosarium insignem peccatorem liberat à dæmonibus, & trahit ad pœnitentiam. ibidem. 332.
Virginem pauperrimam devotam Rosarii visitat Dei Mater in hora mortis, & rosis coronatam ducit in Paradisum. 290.333.

S

SACERDOS.

Sacerdos sit benè moratus. 9. 47. & seq.
Sacerdos sit doctus, ac peritus. 10. 52. & seq.
A sacerdote proprio anima exquirenda. 8.41.
Status gratiæ sacerdoti specialiter necessarius. 17. 82. & seq.
Sine gratia alios non docebit. ibid. 85.
Despicit nomen Dei, qui gratia exutus celebrat. 18.89.
Sacerdos specialiter Deo consecratus. ibidem. 93.
Sacerdos totus Christo debitus. ibid.
Sacerdotum pauci salvantur, & cur? 21. 104.
Sacerdotis status difficilis. 6. 28.
Sacerdos caveat peccata mortalia. 21.102.
Sacerdos caveat etiam venialia. ibid. 105. & seq.
Sacerdoti oratio necessaria. 22.112.
Sacerdos fugiat conversationes sæcularium. 32. 159. & seq.
Faciliùs eorum vitia contrahit, quàm proprias virtutes communicat. 33. 160.
Verba ridicula indigna sacerdotis in ore. ibidem. 161.
Minuitur reverentia sacerdoti debita ex sæcularium conversatione. ibid. 163.
Contemnitur ejus doctrina, & consilium. 34. 165.
Sacerdoti nihil commune cum sæcularibus. 33. 164.
Sacerdos rarò sit in publico, nec ambulet per civitatem. ibid.
Sacerdos evitet convivia sæcularium. 34. 166.
Sacerdos sit exemplum castitatis. ibid. 167.
Sacerdos timeat mulierum familiaritates. ibid. 168.
Sacerdos tueatur famam suam, & bonum nomen. 36. 174.
Sacerdos etiam sanctus perdit ex mulierum familiaritate. ibid.
Sacerdos non habeat domi suæ mulieres. ibidem. 176.
Sacerdos non serviatur à mulieribus. ibid.
Sacerdos non visitetur à mulieribus. ibid.
Sacerdos non loquatur solus cum sola. 37.179.
Sacerdos fœminarum confessiones audiat in loco publico. ibid.
Notabile exemplum sacerdotis in hac materia. 35.170.
Sacerdoti sordidum lucris temporalibus inhiare. 42.19.
Sacerdos offerat sacrificium pro populo, & intercedat ad Deum pro eo. 43.23.
Sacerdos prædicet verbum Dei. 44. 27. & seq.
Sacerdos orare debet pro populo. 48.47. & seq.
Sacerdotis vita exemplaris, gravis, modesta, & composita. 53. 68. & seq.
Sacerdos talis sit, ut dignè Sacramenta administret. 54. 72.
Sacerdotis ornamentum castitas. 204. 46.
Sacerdotes mali ruina populi. 202. 35.
Sacerdos in omnibus sit exemplum plebi. 203. 40.
Sacerdotis ministeria vituperantur per pravum ejus exemplum. ibid. 41.
Sacerdos qualis esse debeat. Ex Concilio Trid. 204.44.
Castitas propria sacerdotis ex officio celebrandi, 205.48.
Sacerdos malus pessimus omnium hominum. 206. 53. & seq.
Vita sacerdotis obscœna populum inficit. ibid. 55. & seq.
Sacerdotum peccatis populus perit. ibid. 57.
Majus Ecclesiæ damnum à sacerdotibus. ibid.
Sacerdotis ignominia divitiis studere. 12.61.
Vide Clerici.

SACERDOTIUM.

Sacerdotii excellentia. 4. 20. & seq.
Sacerdotii dignitas ostenditur ex multis. 5. 25. & seq.
Turpe lucrum dedecus sacerdotii. 208.61.

SACRAMENTA.

Sunt septem fontes sanguinis Christi. 157.243.
Sacramenta fontes, in quibus anima lavantur à suis inquinamentis. ibidem. 244.
Sacramentorum quinque sunt vivorum, & duo mortuorum. ibid. 243.

In

Digitized by Google

In illis sanantur à lepra culparum meliùs, quàm Naaman in Iordane à lepra corporis. ibidem. 244.
Sacramenta postulans in ministro munditiam à peccato. 21.102.
Damna ministrantis in mortali. ibid.
Negligens minister fontes divinæ misericordiæ claudit. 51.61.
Sacramenta ministranda cum reverentia interna, & externa. 52.66.
Damna ministrantis Sacramenta indignè. 205. 52.
Qua puritate excellere debeat minister Sacramentorum. ibid.48.
Parochus excitet suum populum ad usum Sacramentorum. 51.63.
Parochus non despiciat pauperes in usu Sacramentorum. 52.64.
Si excedendum sit, excedat in majori cura erga pauperes. ibid. 65.

SACRIFICIUM MISSAE.

Est unicum sacrificium Ecclesiæ Christi. 81.2.
Nullum unquam fuit Deo gratius. 43.24.
Nullum magis impetravit. ibidem.
Est thesaurus infiniti valoris. 44.26.
Vide Missa.

SUFFRAGIUM.

Vide Purgatorium.

SALUS ANIMARUM.

Divinum quid saluti animarum incumbere. 3. 15.
Nullum opus Deo magis gratum. ibid.
Nullum majorem Dei amorem ostendit. 4.17.
Salus animarum gloria operarii Euangelici. ibid. 18.
Qui saluti animarum incumbit, Christum adjuvat in re sibi gratissima. ibid. 17.
Excellentia hujus muneris. ibid.20. & seq.
Difficultas hujus muneris. 6.28.
Pericula hujus muneris. 7.37. & seq.
Pastores Ecclesiæ dabunt Deo rationem de animabus perditis. 8.41.
Docendo, & benè vivendo cooperatur quis ad salutem animarum. Ex D. Greg. 12.60.
Præmia cooperantium ad salutem animarum. ibidem. 62.
Salus animarum gloria Pastoris. 4. 18.

SALUS AETERNA.

Non omnes illam volunt. 149.211.
De salute æterna proximorum debemus esse soliciti. 264.201.
Hic sit finis omnium, quibus animarum cura commissa est. 3.13. & seq.
Animarum salus sit totum negotium, & lucrum eorum. 4.19.
Vide Vita æterna.

SALUTATIO ANGELICA.

B. Virgo declarat S. Metildi nullam sibi gratiorem salutationem. 286.317.
Vide Maria Mater Dei, ubi multa habentur de salutatione Angelica.

SALVATOR.

Christus vocatus est Iesus, seu Salvator. 234.49.
Salvator quid significat? ibid.
Per Christum Salvantur omnes, qui salutem consequuntur. ibidem. 50.
Pluris Christus facit officium Salvatoris, quàm munus Creatoris. 3.15.
Filius Dei factus est homo, ut Salvator esse posset. ibid.14.
Filius Dei omnia opera sua dicavit saluti hominum. 4.20.

SEPULTURA.

Sepelire mortuos officium pietatis. 850. 1. & seq.
Sepelire mortuos pertinet ad honorem humanæ naturæ. 851.5.
Arca Noe similis feretro, in quo mortui ad sepulturam deportantur. 850.2.
Noe in arca ossa patris Adæ sepelienda deportavit. ibid.
Ob hoc pietatis officium Noe communem mortem evasit. ibid.
Tobias ob idem pietatis officium mortem vitavit, & bona jam publicata recuperavit. 851. 3.
Magnas divitias Moyses reputavit, sepelire ossa Iosephi. ibid. 4.
Nobiles in hoc pietatis officio occupari debent. ibidem. 5.
Ex hoc pietatis officio nobilitas non minuitur, sed augetur. ibid. & seq.
Nobilibus reliquit Christus hoc pietatis officium. 852.6.
Occupatio ista circa pauperum corpora maximi facienda, & cur? ibid.
Deus ipse, & Angeli huic vacarunt operi, ut ejus honorem commendarent. ibid. 7.
Omnia relinquenda exemplo Tobiæ, ut huic pio operi incumbamus. ibid. 8.
Lucra inde S. Tobiæ provenientia. ibid.9.
Animæ eorum, quibus sepulturam damus, pro nobis ad Deum intercedunt. ibid.

Digitized by Google

SCRIPTURA SACRA.

Non prædicandum sine Scriptura. 31.154. *& seq.*
Noster profectus ex Scripturis sacris. 32.156.
Cùm sacras legimus Scripturas, Deum nobis loquentem audimus. 30.150.
Lectio sacræ Scripturæ sicut mel dulcis. 31.153.
Lectio Scripturæ non intermittenda. *ibidem*. *Ex Hieron.*
Indignus sacerdotio, qui sacras Scripturas non legit. *ibid.* 154.
Vide Lectio.

SOBRIETAS.

Sobrietas est pars temperantiæ. 463.697.
Sobrietas versatur circa moderationem potus. *ibid.*
Sobrietatem à vino commendat Scriptura sacra. 28. 138.
Decet hæc sobrietas maximè sacerdotes. *ibid.*
Eam commendat Apostolus Rectoribus animarum. *ibidem*. 139.

SPIRITUS SANCTUS.

Spiritus persona divina distincta à Patre, & Filio. 248.112.
Spiritus sanctus verus Deus, & idem Deus cum Patre, & Filio. *ibid.* 113.
Cur hæc persona dicatur Spiritus sanctus? 247. 109.
Cur hoc nomen non applicetur Patri, & Filio, cùm uterque sit Spiritus, & Sanctus? *ibid.*
Cur aliæ duæ personæ habeant nomina propria, non ita tertia? *ibid.* 110.
Spiritus sanctus, quando significat tertiam personam, est unum tantùm nomen. *ibid.* 111.
Cur Spiritus sanctus apparuerit in forma columbæ, ignis, & nubis lucidæ? 248.114. *& seq.*
Septem dona Spiritus sancti quæ sint, & ad quid conferantur? *ibid.* 116. *& seq.*
Proprium Spiritus sancti excitare homines ad Christum, ejusque Matrem glorificandam. 269.228.
Spiritum sanctum simoniacus nominare non potuit. 279. 285.
Spiritus sanctus consolatus est, quem Pater, & Filius terruerunt. *ibid.* 286.

SUBDITI.

Quod facit Prælatus, subditi sibi faciendum putant. 195.3.
Subditi magis credunt oculis, quàm auribus: iis, quæ vident, quàm illis, quæ à Prælato audiunt. *ibidem*. 7.
Subditi non obediunt doctrinæ exemplo vitæ destitutæ. 197.13.
Subditi non vertuntur peccatum, quod vident in Prælato. 198.20.
Subditi contemnunt Prælatum exemplo vitæ destitutum. *ibid.*
Subditi, quando modesti, tacitè dicunt Prælato: Quare quæ dicis, ipse non facis. *ibidem*. 21.
Pudet subditos non facere, quod vident in suo Prælato. *ibidem*.
Subditus secum dicit: Quis sum ego, ut non faciam, quod facit Prælatus meus? 201.30.
Subditi excusant peccata sua peccato sui Prælati. *ibid.* 32.
Subditi putant sibi licere quidquid facit eorum Prælatus. *ibidem*.
Subditi se effingunt ad similitudinem Prælati. 206.55.
Subditi imitantur improbitates sui Prælati. *ibid.*

SUPERBIA.

Virgo quædam de sua virginitate superba, illam amisit. 301.382.
Se aliis præferre, certum ruinæ signum probatur exemplo. *ibidem*. 383.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

Symbolum Apostolorum, quid sit? 228.20. *&* 22.
Fuit ab Apostolis compositum. *ibidem*.
Symboli articuli quid? 229. 23.
Necessaria ad salutem fides expressa omnium articulorum Symboli. *ibidem*. 23.
Vtilitas sciendi doctrinam Symboli. *ibid.* 25. *& seq.*
Qui Symboli veritates intelligit, doctior est omnibus Ethnicis Philosophis. *ibid.*
Explicatur primus articulus Symboli: Credo in Deum Patrem, &c. *ibid.* 27. *& seq.*
Explicatur secundus: Et in Iesum Christum filium ejus, &c. 234. 48. *& seq.*
Explicatur tertius: Qui conceptus est de Spiritu sancto, &c. 236. 57. *& seq.*
Explicatur quartus: Passus sub Pontio Pilato, &c. 239.70. *& seq.*
Explicatur quintus: Descendit ad inferos, &c. 241.83. *& seq.*
Explicatur sextus: Ascendit ad cœlos, &c. 243. 92. *& seq.*
Explicatur septimus: Inde venturus est judicare, &c. 245. 100. *& seq.*
Explicatur octavus: Credo in Spiritum sanctum. 247.108. *& seq.*
Explicatur nonus: Credo sanctam Ecclesiam, &c. 249. 122.
Explicatur decimus: Credo remissionem peccatorum. 251.133. *& seq.*
Explicatur undecimus: Credo carnis resurrectionem. 252.139. *& seq.*

Ex-

Digitized by Google

Explicatur duodecimus: Credo vitam æternam. 254.148. & seq.

T

TENTATIO.

Tentatio est vita nostra. 265.205.
Tentatio quid sit? ibid. 207.
Nemo liber à tentationibus. ibid. 205.
Tentationes etiam in sanctis, & pœnitentibus. ibid.206.
In tentatione multi succumbunt. ibid.
Petendum à Deo, ne vincamur. ibidem.
Quid sit induci in tentationem? ibid. 208.
Quid petamus, cùm dicimus: Ne nos inducas in tentationem? 266. 209.
Vincentibus tentationes parata Corona. ibid.210.
Victoria tentationum per Christum. ibid.
Vires nostræ non sufficiunt ad vincendas tentationes. 265.206.
Ad Deum recurrendum pro victoria tentationum. 266. 209.
Quibus tentationibus in hora mortis maximè impetramur. 839. 140. & seq.
Quibus remediis illis occurrendum? 840.143. & seq.
Optimum remedium ad tentationes vincendas, illas aperire patri spirituali probat exemplum Abbatis Serapionis. 303. 392.

TEMPERANTIA.

Temperantia est virtus opposita gulæ. 463.697.
Temperantia duas habet partes. ibid.
Ista sunt abstinentia, & sobrietas. ibidem.
Quid utraque sit? ibid.
Duo exempla tentationis in materia temperantiæ. 303. 391. & seq.

TURPITUDO.

Non habitat Deus in corde dedito turpitudini. 153. 224.
Ita aliqui turpitudinem amant, ut Deum è corde ejiciant ne illam expellere cogantur. ibid. 226.
Duo mirabilia exempla circa deditos rebus turpibus. 295.358.
Alia duo valde notabilia circa eamdem materiam. 302.387. & seq.

TRINITAS.

Ostendit Angelus Augustino mysterium Trinitatis ab eo capi non posse. 275.261.
Æqualitatem personarum probant tres lapilli inventi in B. Clara de Monte Falco. 279. 284.

V

VENIA.

Veniam peccatorum non obtinet, qui offensas proximis non remittit. 264. 202.
Impudentia est velle peccatorum veniam, illam proximis denegando. ibid. 203.
Qui veniam à Deo petit, eam proximo negando, contra se petit. ibid.
Conditio ad veniam obtinendam, eam dare de propriis offensis. ibid.202.

VERBUM DEI.

Verbum Dei cibus animæ. 263.196.
Fastidium verbi Dei argumentum desperatæ salutis. ibidem.
Verbum Dei vinum inebrians animas. 219. 121.
Verbum Dei granum purum sine paleis. ibid.223.
Verbum Dei gladius ad feriendas animas. ibid. 124.
Vide Prædicatio.

VINDICTA.

Vindictæ spiritum severè castigat Deus.136.151.
Erga alia peccata misericors, erga vindictam severus vindex. ibid.152.
Vindicta quodammodo revocat beneficia à Deo jam facta. ibid.153.
Gravitas hujus culpæ. Ex Iansenio.137.154.
Peccatum vindictæ gravius punitur, quàm alia peccata. Ex Origene. ibid. 155.
Offensarum vindices non castigantur à Deo tamquam patre, sed tamquam severo judice. ibid. 156. Ex Chrysost.
Vindicta claudit portas divinæ misericordiæ. ibid. 157. Ex Aug.
Spiritus vindictæ deturpat personam, vilemque animum ostendit. 138. 160.
Qui vindictam exercet, vindictam patitur. ibidem. 161.
Vide Odium, Injuria, Offensa.

VINEA.

Vinea in Scriptura significat Ecclesiam. 146.197.
Vinea significat etiam animas nostras. ibid.
A nobis tamquam à vinea sua spectat Christus fructus bonorum operum. ibid.
Vinea animæ non exculta per pœnitentiam, ac exercitia virtutum, fit silva ad ignem apta. 147.198. & seq.
Bona vinea Christi homo justus. ibid. Ex Bern.
Homines sunt arbores plantatæ in vinea Christi. ibid. 200.

Ma-

Maledicuntur à Christo ista arbores, si fructum non referunt. ibid.201.
Semper Christus in his arboribus fructus quærit. ibid. 202.
Arbores animarum non facientes fructus, exciduntur in ignem. 148.203.
Aliquas istarum arborum excidit in prima ætate, alias in secunda, alias sustinet usque ad tertiam.ibid. 204.
Arbores istas irrigat Christus, ut fructus afferant. ibid.205.
Plerumque nec sic irrigata fructum domino afferunt. ibid.

VINUM.

Vinum stultitiam parit. 28.138.
Vinum enecat sapientiam. ibid.
Vino modico utendum. ibid.139.
Vinum fomentum luxuriæ. ibid.138.

VIRTUS.

Virtutes sunt gradus scalæ, qua in cœlum ascenditur. 151.216.
Gloria Paradisi danda ascendentibus per hos gradus. 150.215.
Principium virtutis abstinere à peccatis. 151. 217.

VITA.

Vita bona sanctificat nomen Dei. 259.173.
Vita bona præbet proximis occasionem laudandi Deum. ibidem.
Vita mala deturpat nomen Dei. ibid.174.

VITA AETERNA.

Vita æterna quid sit? 254. 150.
Vita æterna finis hominis. ibid.148.
Bona vitæ æternæ multa. 255.151. & seq.
Vitam æternam habebunt Beati. ibid.152.
Grande bonum vita æterna. ibid.152. & seq.
Omnia alia bona nihil sunt comparata ad vitam æternam. ibid. 154.
Tria illustria exempla ostendentia gaudia, ac dulcedinem vitæ æternæ. 281.293. & seq.

VOLUNTAS DEI.

Cœlum intrabunt, qui fecerint Dei voluntatem. 260.180.
Quid sit facere Dei voluntatem? 261.184.
Quid petamus, cùm oramus, ut fiat voluntas Dei? ibid.185.
Magna dignitas illius, qui facit Dei voluntatem. ibid.186.
In adversis voluntas Dei ante oculos habenda. 262.188.
Voluntatem Dei ante oculos habere magna perfectio. 261.187.
Dei voluntas regula totius rectitudinis. ibid.184.
Facere Dei voluntatem medium unicum ad salutem. 260.180.
Duo mirabilia exempla hominum, qui faciebant Dei voluntatem. 283.304. & seq.

VOLUPTAS.

Voluptates vitæ præsentis stercora. Ex Apostolo. 154.228.
Voluptates hujus vitæ pulvis, cinis, fumus, & ventus. Ex Chrysost. ibid. 229.
Voluptates carnales secum afferunt mentis cæcitatem. ibid.230.
Voluptates hujus vitæ sunt in causa, ut parvi pendamus bona spiritualia, & æterna. ibidem. 322.
Voluptates carnis habent annexam mentis cæcitatem, præcipitationem, inconsiderationem, & inconstantiam. 457.668.
Voluptates carnis causant amorem vitæ præsentis, & horrorem futuræ. ibid. 670.
Voluptates carnis causant amorem sui, & aversionem à Deo. ibid.

Z

ZELUS.

Zelus nascitur ex charitate. 56.82.
Zelus propriè quid sit? ibid.
Zelus est aurum ignitum. ibid. 83.
Zelus proprius Rectorum animarum. ibid. 82.
Zelus proprius sacerdotum. ibid.
Zelus quid operetur in animarum Rectore? ibid. 84.
Quæ juvare possint ad zelum animarum concipiendum? ibid.85. & seq.
Zelus animarum signum amoris Dei. ibid.86.
Zelus sine prudentia inutilis, & nocivus. 57. 89.
Zelus animarum qualis esse debeat? Ex Paulo. 8.40.
Zelus necessarius Rectoribus animarum. 20. 99.
Ineptus ad regimen animarum, qui illarum zelum non habet. 56.82.
Parochus zelum habeat de salute animarum sibi commissarum. 57.88.

INDEX

Digitized by Google

INDEX RERUM MORALIUM.

Prior numerus paginam indicat, posterior numerum paginæ.

ABSENTIA.

Parochus abesse potest à Parochia singulis annis per duos menses ex causa. 68.32.
Quæ causa ad hanc absentiam satis sit? ibid. 34.
Quibus temporibus abesse non debeat? ibid. 35.
Ad hanc absentiam est necessaria Episcopi licentia in scriptis. ibid. 37.
Probabile est necessariam non esse Episcopi licentiam. ibid. 36.
In eo tempore absentiæ relinquendus est substitutus approbatus ab Episcopo cum portione congrua. ibid. 35. & 72. 59. & seq.
Ultra duos menses abesse non potest sine causa gravi cognita, & approbata ab Episcopo, vel Papa. 69. 40.
Quinque causæ assignantur ad hanc absentiam. ibid.
Quid intelligatur per christianam charitatem, quæ est prima? ibid. 41.
Quid per urgentem necessitatem, quæ est secunda? ibid. 43. & seq.
Quid per evidentem necessitatem, vel utilitatem suæ Ecclesiæ, quæ est tertia? 71. 53.
Quid per obedientiam debitam, quæ est quarta? 70. 50. & seq.
Quid per evidentem Reipub. utilitatem, quę est quinta. 71. 55. & seq.
Quid si absentia sit brevissima, & causa urgens? 72. 60.
Si absit per duos, vel plures menses, non ponitur substitutus, inconsulto Episcopo. ibid. 62.
Si absentia sit ordinaria duorum mensium, probabile est posse relinqui substitutum, Episcopo inconsulto, dummodo approbatus sit ad Confessiones. ibid.
Si substitutus velit gratis inservire, non tenetur ei portionem assignare. 73. 65.
Licentiam, ut absit per duos, vel plures menses, dat Episcopus Parochię. ibid. 66.
Eamdem dat capitulum, sede vacante. ibid. 67.
Eamdem dare possunt alii Ordinarii habentes jurisdictionem quasi episcopalem. ibid. 68.
Debet Parochus assignare causam legitimam, quando petit licentiam, ut absit. ibid. 69.
Eam approbare debet Episcopus, ut licitè abesse possit. ibid. 70.
Non satis est licentia tacita, vel præsumpta, sed requiritur expressa. 74. 71.
Non excusat distantia loci, ut possit discedere absque licentia expressa. ibid. 71.
Non recedit licitè, obtenta licentia ex causa falsa. ibid. 72.
Vide Parochus quoad residentiam. Vide Pœna.

ABSOLUTIO.

Absolutio est forma Sacramenti pœnitentiæ. 507. 223.
Quibus verbis constet? ibid.
Quis sit eorum verborum sensus? ibid.
Debet cadere in personam præsentem. ibid. 224.
Debet impendi à ministro habente jurisdictionem. 520. 302.
Debet cadere in subjectum capax, seu dispositum. 523. 310. & seq.
Negari non debet sufficienter disposito. ibid.
Neganda est subjecto indisposito. ibidem. 311.
Quibus differenda sit? 602. 89.
Quod censendum sit subjectum indispositum? 523. 311.
Prius danda est absolutio censurarum, quàm peccatorum. 529. 340.
Pro absolutione à reservatis; Vide Casus reservati. Bulla Cœnæ. Bulla Cruciata. Jubilæus.

ACEDIA.

Acedia est vitium capitale. 460. 686.
Acedia quid sit? ibid. & 329. 84.
Unde nascatur? ibid.
Est ex genere suo peccatum mortale. 461. 687.
Quando sit venialis? ibidem.
Habet suas filias, & quæ illæ sint? ibid. 688.

Digitized by Google

Quando hæ filiæ sint mortales, quando veniales? ibid.

ACCUSATOR.

In quo differat à Denuntiatore? 426.528.
Quando possit accusare? 427.533.
Quando teneatur accusare? 426.530.
Tenetur servare justitiam in accusando, & in quo hæc consistat? ibid.532.
Peccata Accusatoris. ibid.

ADJURATIO.

Adjuratio quid sit? 378.318.
Convenit cum juramento. ibid.
Quæ interveniant in adjuratione? ibidem. 319.
Adjuratio actus Religionis. ibid.
Adjuratio exigit veritatem, justitiam, & judicium, sicut juramentum. ibid.320.
In quo consistat ejus veritas? ibid.
In quo ejus justitia? ibid. 321.
In quo ejus judicium? ibid.
Adjuratio deprecativa omnibus licet. 379. 322.
Imperativa solis licet superioribus. ibidem. 323.
Subditus contraveniens adjurationi superioris, non est perjurus. ibid.
Licitum est adjurare dæmones. ibidem. 324.
Dæmones adjurandi sunt imperativè, non deprecativè. ibid. 325.
Creaturæ irrationales quomodo adjurandæ sint? ibid. 326.

ADULTERIUM.

Adulterium quid sit? 405.438.
Tripliciter potest contingere. ibid.
Est peccatum mortale gravius fornicatione. ibid.
Addit supra fornicationem malitiam injustitiæ. ibid.
Licèt conjux cedat juri suo, adhuc habet prædictis duas malitias. ibid. 439.
Adulterium conjugati cum conjugata duas habet malitias supra fornicationem. 406. 440.
Non licet occidere adulterum inventum cum uxore, licèt leges civiles id permittant. 397.400.

ADVOCATUS.

Potest patrocinari causæ, quæ sibi videtur justa. 429.542.
Peccat patrocinando causæ injustæ à se cognitæ, & tenetur ad restitutionem damnorum. ibid.
Potest patrocinari causæ æquè dubiæ, admonito cliente de dubio. ibid. 543.
Tenetur desistere à causa, si illam postea cognoscat injustam. ibid.
Potest patrocinari causæ probabili, & minus probabili, monens de minori probabilitate. ibid.
Debet habere scientiam congruam ad officium, esseque diligens in studendo. ibid. 544.
Debet esse fideles in patrocinando. ibid.
Peccata Advocati. 594.

AEMULATIO.

AEmulatio quid sit? 329.86.
Non est intrinsecè mala. ibid.
Potest esse bona, mala; & licita, & illicita. ibid.

AFFINITAS.

Affinitas quid sit? 548.441.
Oritur ex copula carnali. ibid.
Extenditur ad quartum gradum ex copula licita. ibid.
Extenditur ad solum secundum ex copula illicita. ibid.
Est impedimentum dirimens matrimonium. ibidem.

ALTARE.

Altare, seu ara, debet esse lapideum. 99. 101.
Sine altari lapideo ab Episcopo consecrato non licet celebrare. ibid.
Quandiu altare retineat consecrationem? ibidem.
Quæ ornamenta habere debeat, ut in eo celebretur? ibid. 102.

AMENS.

Amens perpetuus baptizandus est. 480. 87.
Quid si habeat lucida intervalla? ibid.
Amens, qui aliquando habuit usum rationis, quando sit baptizandus, quando non? ibid.
Amenti perpetuo non est danda communio. 499.181.
Amenti, qui aliquando habuit usum rationis, quando sit danda communio, quando non? ibid.181.
Quid de habente lucida intervalla? ibid.
Amenti perpetuo non est danda Extrema Unctio. 534.365.
Danda est illi, qui aliquando habuit usum rationis. ibid.
Amenti perpetuo dari possunt carnes in diebus prohibitis. 443.603.
Eas dare non licet amenti, qui aliquando habuit usum rationis. ibid.

AMOR.

Vide Charitas.

AMPLEXUS.

Ex causa honesta licent. 411.466.
Causa voluptatis mortales sunt. ibidem, & 467.

Digitized by

Quando inter sponsos licere possint, & quando licere non possint? ibidem.
Cum pueris culpa vacare possunt. 412. 468.
Amplexus prohibentur in sexto præcepto Decalogi. 411. 466.

ANIMAE.

Pascendæ sunt ut oves Christi, non ut propriæ pastoris. 39. 6.
Divinum quid animarum saluti incumbere. 3. 15.
Difficultas hujus muneris. 6. 18. & seq.
Pericula ejusdem muneris. 7. 37. & seq.
Pastores Ecclesiæ dabunt Deo rationem de animabus perditis. 8. 39.
Docendo, & benè vivendo operatur quis ad salutem animarum. 12. 60.
Vide in priori indice eodem verbo.

ASPECTUS.

Aspectus turpe prohibentur in sexto præcepto Decalogi. 412. 469.
Aspectus quando sint peccata mortalia? ibidem.
Quando excusari possunt à mortali. ibid. & 470.

ASSECURATIO.

Assecuratio est contractus quidam. 624. 199.
In quo consistat natura hujus contractus? ibidem.
Quæ requirantur ad illius justitiam? ibidem.

ATTRITIO.

Attritio quid sit, & quotuplex? 510. 240.
Qualibet vera attritio satis est ad justificandum cum Sacramento. ibidem. 241.
Attritio ad justificandum in Sacramento, debet esse supernaturalis. 511. 242.
Attritio naturalis, quamvis existimetur supernaturalis, non sufficit. ibidem. 243.
Debet esse universalis de omnibus peccatis. ibid. 244.
Confessio venialium effectum causat, estò attritio universalis non sit. ibid. 245.
Attritio debet esse formalis. ibid. 246.
Attritio debet esse efficax cum proposito non peccandi de cætero. ibid. 247.
Hoc propositum satis est, quòd sit virtuale inclusum in ipsa attritione. ibidem.
Attritio debet præcedere confessionem. 512. 248.
Quomodo intelligenda sit ista præcedentia. ibid. 249.
Valet confessio, licèt attritio tempore præcesserit, & formaliter non existat. ibid. 250.

AVARITIA.

Avaritia vitium capitale. 455. 661.
Avaritia quid sit? ibid.
Avaritiæ extremè opponitur prodigalitas. ibid.
In medio est liberalitas. ibid.
Avaritia aliquando opponitur justitiæ, aliquando soli liberalitati. ibid.
Quando opponitur justitiæ, est mortalis ex genere, quando liberalitati venialis. ibidem. 661.
Quando opponitur liberalitati, potest per accidens reddi mortalis. ibid.
Avaritia multas habet filias. 456. 663. & seq.
Prima est obduratio contra misericordiam. ibid.
Secunda mentis inquietudo, ac solicitudo. ibid. 663.
Quando istæ filiæ sint mortales, quando veniales? ibid.
Aliæ avaritiæ filiæ fraus, dolus, mendacium, & perjurium. ibid. 664. & seq.
Alia est proditio. ibid. 666.
Vide in priori indice eodem verbo.

AUDITIO.

Auditio rerum turpium prohibetur in sexto præcepto Decalogi. 412. 471.
Quando talis auditio sit mortalis, & quando possit à mortali excusari? ibid.
Quando per accidens possit esse mortalis? ibid.
Auditio detractionis, quando sit pejor ipsa detractione? 418. 495.
Quando talis auditio sit peccatum contra charitatem, & quando culpa vacet? ibid. 496.
Quando, qui detractorem audit peccet, non impediendo, vel à culpa possit excusari? ibidem.

B

BAPTISMUS.

Baptismus est Sacramentum novæ legis. 476. 61.
Est janua omnium Sacramentorum. 475. 61.
Quis sit ejus finis? 476. 62.
Quæ sit ejus definitio? ibid.
Quando fuerit à Christo institutus? 477. 69.
Est necessarius ad salutem. ibid. 70.
Institutus fuit primò ad peccatum originale delendum, secundariò ad alia. ibid.
Adulti salvari possunt per Baptismum in voto, infantes per solum Baptismum in re. ibid. 71.

Tam

Tam infantes, quàm adulti salvari possunt per martyrium, quando Baptismus suscipi non potuit. ibid. 72. & seq.
Materia. Sola aqua naturalis, seu elementaris ejus materia remota. 476. 62. & 63.
Materia proxima ablutio. ibid. 64.
Debet aqua aliquam corporis partem realiter, & immediatè contingere. ibidem. 65.
Debet ablui pars aliqua principalis corporis. ibid.
In necessitate quælibet pars ablui debet. ibid.
Ablutio fieri potest per immersionem, infusionem, vel aspersionem. ibid.
Forma. Baptismi forma certa quæ? ibid. 66.
Aliæ formæ æquivalentes sunt dubiæ. ibidem. 67.
Debet in forma exprimi invocatio unius Dei, & Trinitatis personarum. ibid.
Baptismus validè collatus non potest reiterari. 477. 68.
In dubio: an quis fuerit baptizatus, vel an validè baptizatus fuerit, potest baptizari sub conditione. ibid.
Triplex Baptismus flaminis, sanguinis, & aquæ. 478. 74.
Omnes obligantur ad Baptismum aquæ. ibidem. 75. & seq.
Minister. Ordinarius Episcopus, aut Parochus. ibid. 77.
Sacerdos simplex, & diaconus non habent potestatem Ordinariam baptizandi. ibid. 78.
Ex commissione possunt solemniter baptizare, non tamen clerici inferiores. ibidem.
In necessitate extrema quilibet, vel etiam mulier potest baptizare. 479. 79.
Ut in necessitate licitè fiat Baptismus, debitus ordo personarum servandus est. ibid. 80.
Quis sit iste ordo personarum? ibidem.
Quando hic ordo inverti possit? ibid.
Validus est Baptismus, quem plures simul conferunt ut causæ totales. ibid. 81.
Invalidus collatus à pluribus ut causis partialibus. ibid. 82.
Subjectum Baptismi. Infantes sunt capaces Baptismi. 480. 83.
Non est culpa baptizare ante octavum diem; nec aliquantulum differre ob justam causam. ibid. 84.
Filii infidelium baptizatorum possunt baptizari invitis parentibus. ibid. 85.
Non sic filii non baptizatorum. ibidem. 86.
Quando tales baptizari possint? ibidem. 87.
Quid faciendum circa monstra nata ex homine, vel muliere, vel ex utroque? ibid. 88.
Quid faciendum circa infantem, de quo dubitatur, an vivat? 481. 89.
Quid faciendum cum infante, qui ob periculum, antequam perfectè nasceretur, baptizatus est in parte minima? 476. 65.
Baptismi effectus. Positivus, gratia sanctificans, virtutes, & dona Spiritus sancti. 481. 91.
Baptismus ex se æqualiter gratiam confert. ibid. 92.
Effectus negativus, exclusio maculæ, & remissio pœnæ. ibid. 93. & seq.
Effectus Baptismi in adulto potest impediri per obicem suscipientis. ibid. 95.
Sublato obice, operatur Baptismus suos effectus. ibid.
Quomodo tollendus sit talis obex? 482. 97.
Cæremonia Baptismi. Varii ritus, & cæremoniæ Baptismi solemnis de præcepto Ecclesiæ. ibid. 98.
Unus patrinus, & una matrina admittendi, qui levent de sacro fonte. ibid. 99. & seq.
Peccat Parochus plures admittendo. ibid. 100.
Si plures tangant, solus primus, & prima fiunt patrini. ibid.
Cum quibus tales contrahant cognationem spiritualem? ibid. 101.
Quid requiratur, ut eam contrahant? 483. 102.
Unus saltem ex præcepto adhibendus. ibidem.
Quæ culpa sit nullum adhibere? ibid.
Quis contrahat, quando quis infantem levat per procuratorem? ibid. 103.
Vide Parochus quoad Baptismum. Vide Rebaptizatio. Vide Patrinus.

BELLUM.

Bellum aliud defensivum, aliud offensivum. 330. 90.
Utrumque licitè suscipi potest. ibid.
Quid requiratur, ut offensivum liceat? ibidem.
Non potest licitè moveri, quando causa est dubia. ibid. 91.
Nec quando adversarius condignam offert satisfactionem. ibid. 90.
Milites possunt licitè militare, quando non constat de injustitia belli. ibid. 92.

Quan-

Digitized by Google

Quando liceat Episcopis, Clericis, & Religiosis militare? 331. 93.
Non incurrunt irregularitatem, quando sic militant. ibid.
Quæ licitè fiant cum hostibus ante, & post partam victoriam, & quæ non liceant? ibid. 94. & seq.
Potest bellum esse justum, & contra charitatem. ibid. 96.

BENEDICTIONES Matrimoniales.
Vide Parochus quoad Matrimonium.

BENEFICIARIUS.
Beneficiarius tam simplex, quàm Curatus tenetur ad Horas Canonicas. 338. 134.
Ad easdem tenentur habentes præstimonia. ibid.
Beneficium etiam tenue obligat ad Horas. ibid. 135.
Qui culpa sua Beneficii fructus non obtinet, tenetur ad Horas. ibid. 136.
Non tenetur ad Horas ante acceptam possessionem Beneficii. ibid. 137.
Quid quando de Beneficio litigatur? ibid.
Post possessionem Beneficii statim tenetur ad Horas. 339. 138.
Non recitans Horas post sex menses à possessione, tenetur restituere fructus pro rata Horarum omissarum. ibid. 139.
Etsi fructus non perdat in primis sex mensibus, peccat tamen mortaliter non recitando in illis. ibid.
Episcopus, & Parochus non recitantes, non tenentur restituere integros fructus, sed partem. ibid.
Cui facienda sit talis restitutio? ibid.
Vide in priori indice verbo Clericus. Horæ Canonicæ. Vide Distributiones.

BLASPHEMIA.
Blasphemia opponitur laudi Dei. 356. 225.
Quid propriè blasphemia? ibid. 226.
Aliquando est cum hæresi, aliquando sine illa. 357. 227.
Blasphemia, quæ est sine hæresi, aliquando dicitur hæreticalis. ibid.
Blasphemia ex genere suo grave peccatum. ibid. 227.
Blasphemia in B. Virginem, & in Sanctos. ibid.
Blasphemia in creaturas rationales. ibid. 228.
Blasphemia in creaturas irrationales. ibid.
Blasphemia per opus, dicitur impietas. ibid.
Blasphemia reservatur Episcopis.
Quæ Blasphemia reservatur?

BONA.
Bona castrensia, & quasi castrensia cujus? 605. 103.
Bona adventitia cujus? ibid.
Bona profectitia cujus? ibid.
Bona vacantia quæ? 607. 110.
Bona derelicta quæ dicantur? ibid.
Bona incerta quæ nominentur? 635. 257. & 746. 348. & seq.
Bona libera, quæ dominum non habent. 606. 105. & seq.
Vide Dominium.

BULLA COENÆ.
Cur hæc Bulla dicatur Cœnæ? 673. 1.
Ponitur textus Bullæ Cœnæ. ibid. 2. & seq.
Explicatur prima ejus clausula. 679. 31. & seq.
Explicatur secunda clausula. 685. 59. & seq.
Explicatur tertia clausula. 687. 70. & seq.
Explicatur quarta clausula. 689. 79. & seq.
Explicatur quinta clausula. 692. 91. & seq.
Explicatur sexta clausula. 693. 98. & seq.
Explicatur septima clausula. 695. 109. & seq.
Explicatur octava clausula. 698. 122. & seq.
Explicatur nona clausula. 699. 129. & seq.
Explicatur decima clausula. 701. 135. & seq.
Explicatur undecima clausula. ibid. 141. & seq.
Explicatur duodecima clausula. 703. 149. & seq.
Explicatur decimatertia clausula. 705. 157. & seq.
Explicatur decimaquarta clausula. 709. 175. & seq.
Explicatur decimaquinta clausula. 712. 184. & seq.
Explicatur decimasexta clausula. 713. 192. & seq.
Explicatur decimaseptima clausula. 715. 201.
Explicatur decimaoctava clausula. 717. 208. & seq.
Explicatur decimanona clausula. 718. 216. & seq.
Explicatur vigesima clausula. 720. 226. & seq.
Explicantur quatuor aliæ clausulæ minutiores. 721. 231. & seq.
Explicantur aliæ quatuor. 726. 251. & seq.
Hæc Bulla non expirat per mortem Pontificis. 721. 232.
Ejus censuræ assimilantur censuris à jure. ibid.
Omnes illius censuræ reservantur Pontifici. ibid. 233.

Revocantur omnia privilegia absolvendi ab illis extra mortis articulum. ibid.
Probabile est quempiam absolvendum etiam in mortis periculo. ibid. 235.
Quid præstandum ab infirmo, ut in tali articulo absolvatur? ibid. 233. & seq.
Probabilius est revocari potestatem concessam Episcopis in Tridentin. absolvendi ab his casibus, quando sunt occulti. 722. 236.
Oppositum est probabile. ibid. 237.
Si fortè Inquisitores habebant facultatem absolvendi ab hæresi occulta pro foro conscientiæ, revocata est, licèt oppositum non sit improbabile. 723. 238. & sequentibus.
Non revocatur facultas concessa per Cruciatam absolvendi ab his casibus. 724. 241.
Revocantur privilegia Mendicantium absolvendi ab his censuris. ibid. 243. & seq.
Excommunicantur, qui ab illis absolvere præsumpserint. 725. 245. & seq.
Hæc censura hodie reservata non est. ibid.
Absolutio, seu benedictio collata populo post hujus Bullæ publicationem, nemini suffragatur, quoad hos casus. 726. 249.
Ab incurrendis his censuris nemo excipitur ibid. 252. & seq.
Præcipitur omnibus Prælatis, non tamen Parochis, ut semel in anno Bullam hanc publicare faciant. 727. 257. & seq.
Præcipitur Prælatis, Parochis, & Confessoribus etiam Regularibus, habere apud se hujus Bullæ transumptum, illamque legere, & intelligere. 728. 262. & seq.
Est stricta obligatio habendi hanc Bullam. 729. 267.
Mendicantibns, & iis, qui participant Societatis privilegia, satis est illam habere in aliquo loco publico monasterii, ubi ab omnibus videri possit. 730. 268.

BVLLA CRVCIATA.

Vide Cruciata.

C

CALIX.

Calix ex qua materia esse debeat? 99. 103.
Debet esse consecratus ab Episcopo. ibid.
Quando ejus consecratio deperdatur? ibid.

CAMBIVM.

Cambii contractus quid sit? 615. 154.
Quid cambium siccum, & reale? ibid.
Quid minutum, & locale? ibid.
Quid campsor, & campsarius? ibid.
Cambium siccum illicitum, & usurarium. 615. 155.
Cambium minutum licitum. ibid. 156.
Cambium reale locale cum moderato lucro licitum. 616. 157.
Quando liceat, vel non liceat cambium cum recambio. ibid. 158. & seq.

CHARITAS.

Charitas virtus theologica præstantissima. 320. 43.
Est amicitia supernaturalis hominis ad Deum. 321. 44.
Primarium ejus objectum materiale Deus, secundarium proximus, formale divina bonitas. ibid. 45.
Omnes proximi diligendi ex charitate. ibid. 46.
In quibus diligendus sit proximus ex charitate? ibid.
Charitas virtus omninò necessaria, & forma aliarum virtutum. ibid. 47.
Charitas obligat ad diligendum Deum, & proximum. 322. 48.
Obligat ad Deum magis, quàm se ipsum, & proximum. ibid. 52.
Obligat ad Deum diligendum super omnia, & in quo consistat talis amor? ibid.
Quibus temporibus charitas obligat ad Deum diligendum? ibid. 49. & seq.
Charitas obligat ad se magis diligendum, quàm proximum. ibid. 53.
Obligat ad diligendum proximum, quoad salutem animæ, magis, quàm se in corporalibus. 323. 54.
Obligat ad unum proximum magis diligendum, quàm alium appretiativè. ibid. 55.
Quo ordine proximi diligendi sint ex charitate? ibid.
Quomodo peccetur contra charitatem Deo debitam? 328. 80. & seq.
Quomodo contra charitatem proximo debitam? ibid. 82.
Peccata contra charitatem plura. ibid. 80. & seq. & 580. 42.
Vide in priori indice eodem verbo.

CARNES.

Carnes prohibentur diebus Veneris, & Sabbati, & quando jejunatur. 447. 622.
Possunt dari pueris ante usum rationis. 443. 603.
Possunt licitè dari perpetuò amentibus. ibid.
Non possunt dari ignorantibus præceptum. ibid.
Qui vescitur carnibus ex privilegio Bullæ, potest ex eodem servare legem jejunii. 807. 596.
Vide Iejunium.

CA-

CASTITAS.
Est virtus specialis opposita luxuriæ. 461. 695.
Habet tres gradus. ibid.
Solis infirmus est in præcepto. ibid.
Vide in priori indice eodem verbo.
CASUS RESERVATI.
Vide Reservatio casuum. Bulla Cœnæ. Cruciata.
CENSURA.
Quid sit censura Ecclesiastica? 665. 458.
Quotuplex sit censura? ibid.
Triplex est censura excommunicatio, suspensio, & interdictum. ibid.
Censuræ aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ: aliæ ab homine, aliæ à jure. 667. 469.
Vide Excommunicatio. Suspensio. Interdictum. Reservatio. Bulla Cœnæ.
CENSUS.
Quid sit census contractus? quid censualista, & censuarius? 619. 172.
Quid requiratur, ut census licitus sit ex jure naturæ? ibid. 173.
Quatuor conditiones, ut licitus sit ex jure naturæ, & quæ illæ sint? ibid.
Licitum est censum vendere cum pacto de retrovendendo in gratiam venditoris ibid. 174.
In gratiam verò emptoris periculum est usuræ. ibid.
Non potest hodie licitè celebrari, nisi juxta diploma Pii V. qui varias conditiones postulat, ut liceat, & valeat. 620. 175.
Prædictæ conditiones revocantur ad sex, quæ omnes explicantur. ibid. 176. & seq.
CESSATIO A DIVINIS.
Cessatio à divinis accedit ad interdictum. 671. 487.
Non est propriè censura, sed pœna. ibid.
Quid sit cessatio à divinis? ibid.
Quibus bonis privet, & quæ in ea liceant? ibid.
Qui per Bullam potest audire Missam in Interdicto, id non potest in cessatione à divinis. 806. 594.
Vide Interdictum.
CIRCUMSTANTIAE.
Circumstantiæ septem numerantur. 651. 387.
Prima *Quis* significat conditionem personæ, & latè explicatur. ibid. 388. & seq.
Secunda *Quid* tria comprehendit, & quæ illa sint? 652. 393. & seq.
Tertia *Ubi* significat locum. 655. 407. & seq.
Quarta *Quibus auxiliis* significat instrumenta tam inanimata, quàm animata. ibid. 411.
Quinta *Cur* significat finem extrinsecè moventem. 656. 412.
Sexta *Quomodo* significat intentionem actus, & varios modos illius. ibid. 413. & seq.
Septima *Quando* significat tempus, & durationem actus. ibid. 417. & seq.
Vide Peccatorum Circumstantiæ.
CLERICUS.
Clericus vitæ exemplo prælucere debet. 53. 68.
Qualis esse debeat. Ex Trident. ibid. & 204. 44.
Clerico interdictum turpe lucrum. 210. 72. & seq.
Clerico prohibita negotiatio. ibid.
Quæ in hac parte Clerico licere possint? ibid. 75. & seq.
Debet abstinere ab omni sordido, & vili quæstu, & à quolibet ignominioso artificio. 211. 77.
Multa prohibentur Clerico per sacros Canones, & quæ illa sint? ibid. 78. & seq.
Vide in priori indice, & verbo Beneficiarius, ac Sacerdos.
COADIUTOR.
Non prohibetur Parochus habere coadjutorem, à quo juvetur. 64. 9.
Imò benefaciet, illum habendo. ibid.
Non est habendus ad proprium otium, & quietem, sed in adjutorem laboris. ibid.
Coadjutores ordinariè sunt mercenarii. ibid. 10.
Coadjutor, qui curat pro Parocho impedito, tenetur prædicare, sicut & alia munera Parochialia exercere. 114. 21.
CODICILLUM.
Codicillum in quo differat à testamento? 627. 218.
Codicillum ad quid inserviat? ibidem.
Ad codicillum quot testes requirantur ex jure communi? 628. 222.
Quot verò requirantur ex jure nostro Lusitano? ibid.
COGNATIO.
Triplex est cognatio dirimens matrimonium. 546. 432.
Prima est carnalis, & dicitur consanguinitas. ibid.
Hæc dirimit matrimonium usque ad quartum gradum. ibid.
Secunda est spiritualis orta ex Baptismo, aut Confirmatione. ibid. 433.
Inter quas personas oriatur hæc cognatio, ut dirimat matrimonium. ibid.
Tertia est legalis orta ex perfecta adoptione. ibid. 433.
Inter quas personas detur hæc cognatio, ut dirimat matrimonium. ibid.
CONCUBINATUS.
Quid concubinatus, & concubinarius? 405. 437.

Digitized by Google

Status periculosus, & quare? ibid.
Concubinarius non est absolvendus; antequam ejiciat concubinam. ibid.
Si concubina sit extra domum, experientia sumenda est, ante absolutionem. ibid.
Quid Trident. statuat contra concubinarios ibid.
Parochus, si concubinarius paternè admonitus non resipiscat, moneat Episcopum. ibid.
Quomodo se gerere debeat confessor cum concubinario in mortis articulo? 816. 18.
Quomodo cum concubina in eodem articulo? ibid. 19.

CONCUPISCENTIA carnis.

In nono præcepto Decalogi prohibetur concupiscentia carnis voluntaria non pertingens ad effectum. 431. 550.
Quid intelligatur per concupiscentiam uxoris alienæ? ibid. 551.
Desiderium ex se absolutum de muliere non sua, peccatum mortale est. ibid.
Habet malitias circumstantiarum, tam personæ concupiscentis, quàm concupitæ. ibid.
Desiderium etiam inefficax mortale est. ibid. 552.
Desiderium cujuscumque rei venereæ habet malitiam operis desiderati. ibid. 553.
Quando liceat, vel non liceat desiderare pollutionem? ibid. 554.
Desiderium propriæ uxoris per se culpa vacat, per accidens potest esse mortale. 432. 555.
Desideria inefficacia, sub conditione excludentem malitiam, per se mortalia non sunt. ibid. 556.
Quid de desiderio objecti ita intrinsecè pravi, ut nunquam licere possit? ibid. 557.
Desideria sub conditione non excludente malitiam, peccata sunt, juxta malitiam operis. ibid. 558.
Quid de desideriis conceptis sub certis conditionibus apponi solitis? 433. 559.
Vide Delectatio morosa. Vide Sensualitas.

CONCUPISCENTIA rei temporalis.

Concupiscentia, seu desiderium rei alienæ prohibetur in decimo præcepto Decalogi. 438. 582.
Quæ desiderare prohibeantur per hanc concupiscentiam, quæ non prohibeantur? 439. 583. & 584.
Ad hoc desiderium reducitur desiderare proximo damnum in rebus suis temporalibus. ibid. 584.
Reducitur quoque tristitia de bonis alienis orta ex invidia, malevolentia, aut odio personæ. ibid. 585.
Reducitur etiam gaudium de carentia, aut jactura bonorum proximi. 440. 590.
Reducitur denique delectatio morosa de damno, & jactura bonorum proximi. ibid.

CONDUCTIO.

Est idem contractus cum locatione. 622. 187.
Conductor non potest uti re locata ad alium finem, seu usum. 623. 193.
Tenetur non dimittere rem locatam, ante finitum terminum. ibid. 194.
Finito termino tenetur rem eamdem integram locatori reddere. ibid.
Tenetur tempore debito pensionem solvere. ibid.
Quid de conductione famulorum? ibid. 195.
Ad quid servi conducti teneantur? ibid.
Ad quid herus conducens teneatur? ibid. 196.

CONFESSIO SACRAMENTALIS.

Est medium necessarium ad salutem iis, qui post Baptismum mortaliter peccarunt. 513. 255.
Satis aliquando est confessio in voto, & quale sit hoc votum? ibid. 256.
Confessio Sacramentalis est de jure divino. ibid. 257.
Est etiam de jure Ecclesiastico. 514. 258.
Confessio regulariter ore facienda est. ibid. 259.
Potest fieri in scriptis, aut aliis signis. ibid. 260.
An debeat fieri per interpretem? ibid. 261.
Non est de necessitate, quod sit secreta. ibid. 262.
Secreta esse debet extra casum extremæ necessitatis. ibid.
Signa generalia doloris exhibita in præsentia Sacerdotis, possunt esse sufficiens confessio. 515. 263.
Quid de signis datis in absentia Sacerdotis. ibid. 264.
Quid de illo, qui nullo modo dedit talia signa? ibid.
In confessione declarandæ species peccatorum. ibid. 266.
Declarandus numerus peccatorum. ibid. 267.
Declarandæ sunt circumstantiæ mutantes speciem. ibid. 268.
Quid de circumstantiis notabiliter aggravantibus? 516. 270.
Quando confessio non integra valere possit? ibid. 271. & seq.
Quid de revelatione complicis, quando peccatum aliter declarari non potest? ibid. 274.

An Prælatus possit absolvere à solis reservatis, mittendo ad inferiorem pro absolutione aliorum? 517. 275.
Negare aliquod veniale in confessione, non officit integritati illius. ibid. 276.
Officit verò negare aliquod mortale, vel dicere mortale, quod non fuit commissum. ibid. 277.
Peccata dubia declaranda, ut dubia. ibid. 278.
Varia circa hanc dubietatem.ibid.279.& seq.

CONFESSIO ANNVA.

Est in Ecclesia præceptum annuæ confessionis. 448. 628.
Obligat omnes fideles habentes usum rationis. ibid.
Obligat sub mortali semel in anno. ibid.
Non obligat carentes culpa mortali. ibid.
Quid his faciendum? ibid.
Non obligat ex se ad tempus determinatum. ibid. 629.
Quid ex usu, & consuetudine? ibid.
Qui non confitetur tempore debito, tenetur postea confiteri. ibid.
Toties peccat, quoties, data opportunitate, non confitetur. ibid.
Quando quis teneatur anticipare confessionem? 449. 630.
Non satisfit huic præcepto per confessionem fictam. ibid. 631.
Neque per talem confessionem vitatur excommunicatio synodalis. ibid.

CONFESSOR.

Solus Sacerdos potest esse Confessor, & Minister Pœnitentiæ. 520. 292.
Debet habere jurisdictionem vel ordinariam, vel delegatam. ibid. 293.
Duobus casibus dat Ecclesia generalem jurisdictionem cuilibet Sacerdoti, & qui illi sint? ibid. 294.
Qui habeant jurisdictionem ordinariam? ibid. 295.
Iurisdictio non confertur per ratihabitionem de futuro, nec de præsenti. ibid. 296. & seq.
Iurisdictio propriè non confertur per consuetudinem. 521. 298.
Qui possint jurisdictionem delegatam concedere? ibid. 299. & seq.
Eam dare potest Papa independenter ab Episcopo. ibid.
Potest dari ab Episcopo independenter à Parocho. 522. 301.
Quibus eam Parochus concedere possit? ibid.
Confessor delegatus requirit approbationem Episcopi. ibid. 304.
A quo Episcopo approbari debeat? ibid.
Confessor debet esse in gratia, & habere vitæ probitatem. ibid. 305.
Debet habere aptam scientiam, & qualis hęc esse debeat? ibid. 306.
Confessor ignarus graviter peccat audiendo confessiones, & Episcopus talem approbando. 523. 307.
In confessore requiritur prudentia. ibid. 308.
Confessor quando teneatur interrogare pœnitentem? ibid. 309.
Antequam absolvat, debet probabiliter credere pœnitentem esse sufficienter dispositum, & qualis debeat esse illa dispositio? ibid. 310.
Tenetur negare absolutionem indisposito. ibid. 311.
Tenetur aliquando differre absolutionem, ut experiatur, an dispositio sit idonea. 597. 58. & seq.
Perfectè dispositum absolvere tenetur. 523. 310.
Tenetur ad sigillum Sacramentale. ibid. 312
Ex nulla omninò causa ei licet sigillum violare nec directè, nec indirectè. 524. 314.
Confessor accedens ad confessiones audiendas auxilium imploret. 572. 2.
Id postulat gravitas rei, quam tractare intendit. ibid. 3.
Id etiam postulat ipsius confessoris commodum. ibid. 4.
Id etiam postulat utilitas pœnitentis. 573. 5.
Induat affectum patris. ibid. 6.
Vtilitates hujus affectus paterni plures. ibid. 7. & seq.
Si rigor necessarius sit, ostendatur ante absolutionem, & non antea. 574. 10.
Scientia, & experientia confessario necessaria. ibid. 11.
Prudentia necessaria confessoris erga personas diversarum conditionum. ib. 12. & seq.
Confessor non implet partes suas audiendo pœnitentem, & absolvendo. ibid. 14.
Interrogationes faciendæ à confessore, cùm opus fuerit, ante confessionem. 575. 15. & seq.
Quid confessor supplere possit circa examen pęnitentis. 576. 23. & seq. maximè 35. & seq.
Quid circa species peccatorum? ibid. 27.
Quid circa numerum? ibid. 28. & seq.
Quid circa peccata dubia? 577. 30.
Quid circa verecundiam pœnitentis? ibid. 32. & seq.
Quid confessori faciendum tanquam judici post auditam confessionem pœnitentis? 597. 57. & seq.
Quid eidem faciendum tanquam medico? 599. 71. & seq.
Vide Parochus quoad pœnitentiam.

CONFIRMATIO.

Est Sacramentum novæ legis. 488. 127.
Quæ sit ejus materia remota? ibid. 128.

Quæ materia proxima? ibid. 129. & seq.
Quæ sit forma hujus Sacramenti? 489. 131.
Duplex effectus hujus Sacramenti. ibid. 132. & seq.
Recipiens debet esse in gratia. 490. 138.
Accedens attritus, putans se contritum justificabitur. 489. 133.
Sublato obice, suum effectum producit. ibid.
Minister ordinarius Confirmationis solus Episcopus. ibid. 134.
Vt licitè ministret, debet esse in gratia. ibid.
Non potest licitè confirmare alienos, nisi de licentia proprii Episcopi. ibid.
Neque suos in aliena Diœcesi sine eadem licentia. ibid.
Sacerdos potest Confirmare ex dispensatione Pontificis. ibid. 135.
Qui non est Baptizatus validè Confirmari non potest. ibid. 136.
Quid de amentibus Baptizatis? ibid. 137.
Quid de pueris ante usum rationis? ibid.
Probabile est non esse præceptum de hoc Sacramento recipiendo. 490. 138.
Per accidens potest quis obligari ad illud recipiendum. ibid.
Habet hoc Sacramentum suos ritos, & cæremonias. ibid. 139.
Vnus, vel una tantùm admittitur Patrinus. ibid.
Patrinus debet esse Confirmatus. ibid.
Tenentur Episcopi hoc Sacramentum ministrare vel per se, vel per alium. ibid.

COMMVNIO.

Parochus tenetur Communicare adultos petentes, qui impedimento non detinentur. 498. 179.
Quid de illis, qui frequenter petunt? 499. 180.
Quid de amentibus, fatuis, & arreptis. ibid. 181.
Quid de pueris? ibid. 182.
Quid de non sibi subditis? ibid. 183.
Quid de phræneticis, aut invitis? ibid. 184.
Quid de illis, qui ceciderunt in amentiam in statu peccati mortalis? ibid.
Communio neganda est peccatori publico, sive petat publicè, sive privatim. ibid. 185.
Non est neganda peccatori occulto publicè petenti maximè verò privatim petenti. 500. 186.
Quando tales censeantur emendati, & capaces. ibid. 188.
Nunquam danda est Hostia non consecrata. ibid. 189.
Vide Viaticum. Eucharistia. Parochus quoad Eucharistiam.

COMMVNIO PASCHATIS.

Est præceptum Ecclesiæ communicandi in Paschate. 449. 632.
Obligat fideles utriusque sexus. ibid.
Quid intelligatur per Pascha? ibid.
Quando obligentur pueri? ibid. & seq.
Obligat in Paschate illum, qui per annum pluries communicavit. 450. 634.
Qui in Paschate non communicavit, non tenetur postea communicare ex vi præcepti. ibid. 635.
Satisfit huic præcepto per communionem indignè sumptam. ibid. 636.

COMMODATVM.

Quid sit commodatum, & præcarium? 625. 203.
Commodator non potest repetere rem suam ante præfixum terminum. ibid. 204.
Quando id aliquando per accidens liceat? ibid.
Commodatarius tenetur de culpa levissima. ibid. 206.
Quid si dubitet de culpa sua? ibid. 208.

COMMVTATIO.

Vide Voti Commutatio.

CONSCIENTIA.

Conscientia quid sit? 657. 419.
Quid conscientia recta? ibid. 420.
Conscientia obligat ratione præcepti, quod proponit. ibid. 421.

CONSCIENTIA ERRONEA.

Quid sit conscientia erronea? 657. 422.
Alia invincibilis, alia vincibilis, & culpabilis. ibid.
Differentia inter utramque. ibid. 423.
Invincibilis potest regulare actiones honestas, & obligare. ibid.
Obligat ratione præcepti, quod proponit. ibid.
Peccat, qui contra illam operatur. 658. 424.
Illam deponere nemo tenetur. 657. 422.
Vincibilis non regulat actiones honestas, nec excusat à peccato. 658. 425. & seq.
Si, facta debita diligentia, veritas non compareat manebit invincibiliter erronea. ibid. 428.
Illam deponere tenemur, & ad id facere diligentiam. ibid. 427.
Tenemur illi conformari, quandiu non deponitur. ibid. 428.
Quando sit majus peccatum illi conformari, quàm operari contra illam? 659. 429.

CONSCIENTIA PROBABILIS.

Conscientia probabilis quid sit? 659. 430.
Satis est ad honestè operandum. ibid. 431.
Semper licet sequi opinionem probabiliorem. ibid. 432.
Licitè sequimur opinionem æquè probabilem. ibid.

Digitized by Google

Licet sequi minus probabilem, relicta probabiliori, ac tutiori. ibid.
Licet operari contra propriam opinionem, quam credimus probabiliorem. ibid.
Licet operari juxta opinionem probabilem aliorum. ibid.
Quando non liceat? ibid.
Quam opinionem possit sequi vir doctus in consulendo. 660. 433.
Quam confessor in absolvendo? ibid. 434.
Quam sequi debeat Iudex in judicando? ibid. 435.
Quam Advocatus in patrocinando? ibid. 436.
Quam subditus in obediendo? 661. 437.
Quam Medicus in medicando? ibid. 438.
Quam Minister Sacramentorum, quoad illorum materias, & formas? ibid. 439.

CONSCIENTIA DUBIA.

Conscientia dubia quid sit, & quando detur? 662. 440.
Licet operari cum conscientia speculativè dubia, non verò cum practicè dubia. ibid. 441.
Quid faciendum, ut dubium in praxi deponatur? ibid. 442.
Si, facta diligentia, veritas non compareat, possessio est causa sufficiens ad deponendum dubium in praxi. ibid. 443.
Quis dicendus sit possidere? ibid.
Quid de eo, qui bona fide rem possidere cœpit, & postea dubitat, an sit sua? ibid. 444.
Quid de eo, qui dubitat de voto, aut juramento promissorio? ibid. 446.
Quid de eo, qui dubitat an consenserit peccato mortali? ibid. 447.
Quid si dubitet, an peccatum à se commissum fuerit mortale? ibid.
Quid si dubitet, an confessus fuerit aliquod mortale? ibid.
Quid in dubio de valore matrimonii. 663. 448.
Quid in dubio alicujus censuræ? ibid. 449.
Quid in dubio de aliqua irregularitate? 664. 450.
Quid, quando hæc est ex homicidio, & dubitatur de homicidio? ibid. 451.

CONSCIENTIA SCRUPULOSA.

Quid scrupulus, scrupulosus, & conscientia scrupulosa? 664. 452.
Scrupulorum variæ causæ. ibid. 453.
Potest scrupulosus operari cum conscientia scrupulosa, estò scrupulum non deponat. ibid. 454.
Remedia circa scrupulos. ibid. 455.
Remedia circa scrupulos de futuro. ibid.
Remedia contra scrupulos de præterito. 665. 456.
Quomodo se gerere debeat confessor cum pœnitentibus scrupulosis? ibid. 457.

CONSUETUDO.

Consuetudo legem interpretatur. 443. 604.
Legem antiquam abrogare potest. ibid.
Legem novam inducere valet. ibid.
Consuetudo ex ignorantia obligationis, non inducit consuetudinem obligantem. 94. 73.
Vide Parochus circa consuetudines.

CORRECTIO FRATERNA.

Correctio fraterna quid sit? 326. 72.
Est de præcepto naturali, & divino. ibid. 73.
Quæ conditiones requirantur, ut obliget? ibid. 74.
Obligat omnes personas aptas ad corripiendum. 327. 75.
Magis obligat Prælatos, & Superiores. ibid.
Differentia inter Superiores, & inferiores quoad hanc obligationem. ibid. 76.
Omnes indigentes sunt corripiendi. ibid. 77.
Non licet peccatum occultum deferre ad superiorem, ante secretam correctionem. ibid. 78.
Non licet in correctione testes adhibere, nisi privata correctione contempta. ibid.
Quando liceat hunc ordinem invertere? ibid. 79.
Præceptum de denuntiandis delictis intelligitur, salvo hoc ordine correctionis fraternæ. ibid.
Vide Denuntiatio.

CONTENTIO.

Contentio quid sit? 328. 88.
Opponitur charitati. ibid.
Quando sit mala, & peccatum? ibid.
Quando à peccato excusari possit? ibid.
Est filia superbiæ. 454. 655.

CONTRACTUS.

Quid sit contractus propriè, & impropriè dictus? 609. 123.
Requirit consensum liberum ex intentione se obligandi signo externo declaratum, ibid. 124.
Contractus initi, ex metu dante illis causam, valent jure naturæ. ibid.
Qui ex talibus contractibus aliquid acquisivit, tenetur in conscientia restituere. ibid.
In foro externo rescindendi sunt, qui fiunt ex metu gravi injusto, non autem facti ex metu justo, vel levi. 610. 125.
Aliqui contractus ex metu initi, sunt irriti ipso facto prius positivum. ibid.
Error circa substantiam reddit contractum jure naturæ irritum, non tamen circa accidentia. ibid. 126.
Deceptus circa accidentia potest in foro conscientiæ contractum rescindere. ibid.

Alii contractus perficiuntur consensu, alii re, alii verbis, alii scriptura. ibid. 127.
Contractus alii nominati, alii innominati. ibid. 128.
Alii bonæ fidei, alii stricti juris. ibid.
Alii gratuiti, seu lucrativi, alii onerosi. ibid.
Non omnes personæ sunt capaces contrahendi, & quæ illæ sint? ibid. 129.
Aliqui contractus prohibentur ne fiant, alii si fiant, irritantur. ibid.
Quando juramentum firmet, vel non firmet contractum? ibid. 130. & seq.
Aliud est pactum firmari juramento, aliud obligari ex juramento. 611. 132.

CONTRITIO PERFECTA.

Ad contritionem non requiritur summa intensio actus. 508. 227.
Non est contra rationem contritionis dolere intensius de malo temporali. ibid. 228.
Ad contritionem requiritur summa appretiatio, & in quo ista consistat? ibid. 229.
Contritio haberi potest in instanti. ibid. 230.
Stare potest cum uno solo actu. 509. 231.
Elicienda ex motivo charitatis. ibid.
Requirit propositum novæ vitæ. ibid. 232.
Hoc propositum in illa virtualiter continetur. ibid.
Peccata per solam contritionem remittuntur cum voto Sacramenti. ibid. 233.
Quid sit hoc votum, quod in contritione includitur? ibid.
Inter actus Pœnitentiæ sola contritio peccata remittit extra Sacramentum. ibid. 234.
An detestatio peccati ex motivo pœnitentiæ sit perfecta contritio? ibid.
Contritio justificat absque formali amore ab ipsa distincto. ibid. 235.
Amor Dei super omnia potest aliquando justificare extra Sacramentum. 510. 237.
In tali amore includitur virtualiter contritio. ibid. 238.
In contritione includitur saltem virtualiter amor Dei super omnia. ibid.
Quilibet ex duobus actibus satis est ad justificationem extra Sacramentum. ibid. 239.

CONTUMELIA.

Contumelia quid sit? 422. 510.
Ad eam accedit convitium. ibid.
Ad contumeliam etiam accedit irrisio, subsanatio, & illusio. ibid. 511.
Contumelia, convitium, &c. sunt ex genere suo peccata mortalia. ibid. 510. & seq.

CRUCIATA.

Ponitur textus Bullæ Cruciatæ plumbeæ. 786. 504.
Notitia hujus Bullæ Parocho necessaria. 785. 502.
Conceditur ad septem annos. ibid.
Valet suscipienti per annum. ibid.
Concedit duodecim privilegia. 790. 505. & seq.
Singula numerantur. ibid.
Illis gaudere possunt exteri, qui sunt in hoc Regno. 792. 514.
Opus est Bullam accepisse, & habere. ibid. 515.

CRUCIATAE INDULGENTIAE.

Indulgentia plenissima semel in vita, iterum in morte intra annum. 792. 516.
Ad has lucrandas requiritur confessio, & communio actualis. ibid. 517. & seq.
Quando sine illis eas lucrari quis valeat? 793. 520.
Quid de eo, qui non habet conscientiam peccati mortalis? ibid. 519.
Non requiritur confessio totius vitæ. ib. 520.
Neque contritio distincta ab attritione cum Sacramento. ibid.
Indulgentia pro articulo mortis conceditur pro vero articulo, non pro periculo. ibid. 521.
Quomodo confessor eam impendat? ibid.
Conceduntur omnes Indulgentiæ stationum Romæ. ibid. 522.
Quibus diebus tales Indulgentiæ comparantur? 791. 507.
Quid faciendum, ut comparentur? ibid.
Comparantur sine confessione, & communione actuali ab eo, qui est in gratia. 793. 523.
Possunt comparari sæpius in eodem die. 794. 524.
Istæ, & duæ annuales possunt applicari defunctis ab eo, qui habet Bullam defunctorum. ibid.
Ad consequendas Indulgentias pro defunctis, non est necessarius status gratiæ in consequente. ibid. 525.
Conceditur participatio orationum, & bonorum operum, quæ fiunt in Ecclesia. ibid. 527.
Quomodo hoc intelligatur? ibid. & seq.

CRUCIATAE CONFESSOR.

Potest per Cruciata elegi confessor, qui absolvat à censuris, & peccatis reservatis. 794. 529.
A quibus censuris, ac peccatis absolvere possit? ibid. remissivè.
Confessor eligendus debet esse approbatus ab Ordinario. ibid.
A quo Ordinario approbatus esse debeat. ib.
An approbatus in una Diœcesi possit eligi in alia? 795. 530.
An Parochus eligi possit? ibid. 531.
An possit eligi approbatus limitatè ad certum genus personarum? ibid. 532.
An approbatus pro uno loco, possit eligi in tota Diœcesi? ibid. 533.

An

Digitized by Google

An approbatus pro tempore limitato possit elegi, eo elapso? ibid. 534.
Casus Papales occulti possunt absolvi toties, quoties. ibid. 535.
Reliqui, quos Bulla concedit, bis in anno, semel in vita, iterum in morte. ibid.
Possunt absolvi omnes contitenti in prima clausula Bullæ Cœnæ, hæresi excepta. 796. 536.
Reservati Episcopis possunt absolvi toties quoties. ibid. 537.
Quid de illo, qui fuit absolutus per Bullam non satisfacta parte, quando satisfactio erat præmittenda? ibid.
Potest absolvi impotens ad satisfaciendum parti. ibid. 538.
Potest absolvi excommunicatus nominatim, pro foro conscientiæ, ante litem finitam. ibid. 540.
Censuræ possunt absolvi extra confessionem. ibid. 541.
Potest absolvi, qui peccavit in confidentiam Bullæ. ibid. 542.
Qui ficte confessus est reservata, non potest ab illis absolvi, finita Bulla. ibid. 543.
Possunt per Bullam absolvi censuræ, & reservata antea oblita. 797. 544.

CONFESSOR CRUCIATAE circa vota.

Potest per Bullam commutare omnia vota, tribus exceptis. 797. 545.
Non potest dispensare in aliquo voto. ibid.
Potest commutare juramenta, & vota jurata. ibid.
In quid debeat fieri commutatio? ibid. 546.
Ad commutandum per Bullam non est opus causa justa. ibid. 547.
Potest fieri commutatio non solùm in æquale, sed etiam in minus bonum. ibid. 548.
Varię resolutiones circa commutationem votorum per Bullam. ibid. 549. & seq.
Variæ resolutiones circa tria vota excepta, nempe Castitatis, Religionis, ac Ultramarina. 798. 551. & seq.

CRUCIATA CIRCA compositionem.

Concedit Bulla compositionem circa quinque. 799. 558. remissivè.
Quomodo facienda compositio circa fructus malè perceptos ex omissione horarum? ibid. 559.
Quid circa distributiones quotidianas? ibid. 560.
Quid circa fructus malè perceptos ob censuram, aut aliam pœnam Ecclesiasticam? 800. 561.
Quid circa res injustè acquisitas, quando non constat de certis creditoribus? ibid. 562.
Quid circa legata, quando legatarii sunt incerti, vel non inveniuntur? ibid. 563.
Qua ratione compositio facienda? ibid.
Quid de illis, qui spe hujus compositionis non restituunt pauperibus? ibid. 564.
An absentia creditoris satis sit ad compositionem. ibid. 565.
Quid si facta compositione dominus compareat? ibid. 566.
An compositiones per Bullam valeant in foro externo? 801. 567. & seq.
Quando fieri possit compositio circa legata relicta ob malè parta. ibid. 570. & seq.

CRUCIATA CIRCA Defunctos.

Cruciata annexam habet Bullam defunctorum. 801. 572.
Inservit ad lucrandas Indulgentias pro animabus Purgatorii. ibid.
Cruciata bis concedit Indulgentias pro defunctis. 802. 573.
Habens Cruciatam potest bis in anno lucrari Indulgentiam plenariam pro defuncto, cui eam applicaverit. ibid. 574. & 576.
Ita intelligenda sunt verba summarii Bullæ defunctorum. ibid. 574.
Bis in anno potest sumi Bulla defunctorum ad prædictam Indulgentiam lucrandam. ibid. 576.
Possunt sumere Bullam defunctorum omnes, quibus conceditur Cruciata. 803. 577.
Bonum consilium, quòd moribundi jubeant, ut pro ipsis jam defunctis sumatur Bulla defunctorum. ibid. 578.
Congruum, ac pium pro eodem defuncto Bullas plures sumere. ibid. 580. & seq.
Indulgentiæ concessæ pro defunctis fundantur in justitia, & non in sola misericordia. 804. 581.
Oppositum non est improbabile. ibid. 582.
Habentes Cruciatam possunt lucrari pro defunctis Indulgentiam stationum. ibid. 583.
Indulgentiæ stationum possunt comparari pluries in eodem die. 805. 584.
Ad lucrandas Indulgentias pro defunctis non est necessarius status gratiæ in lucrante. ibid. remissivè.
Indulgentiæ stationum non comparantur omnibus diebus anni, sed in illis solùm, in quibus Romæ sunt stationes. ibid. 586. & seq.
Parochus excitet suos, ut Indulgentias lucrentur pro suis defunctis. ibid. 588.

CRUCIATA CIRCA diversa.

Habens Cruciatam potest audire Missam, & alia divina officia tempore interdicti. 806. 589. & 591.

Digitized by Google

An eo tempore teneatur Missam audire diebus festis? ibid. 590.
Potest accipere Eucharistiam, & alia Sacramenta, quæ prohibentur tempore interdicti. ibid. 592.
Possunt eodem tempore sepeliri in loco Sacro. ibid. 593.
Privilegium audiendi Missam non extenditur ad tempus cessationis à divinis, nec quando Ecclesia est violata. ibid. 594.
Potest Sacerdos virtute Bullæ Missam anticipare, & postponere per unam horam. ibid. 595.
Possunt habentes Bullam vesci carnibus de consilio utriusque medici in diebus jejunii, & per eas jejunio satisfacere. 807. 596. & seq.
Vtrùm tales teneantur ad tale jejunium? ibid. 598. & seq.
Possunt edere ova, & lacticinia. ibid. 601.
Commissarius dispensare potest in una sola irregularitate, sive publica, sive occulta, & quæ illa sit? ibid. 602. & seq.
Improbatur Doctrina Dianæ in hac materia. 808. 605. & seq.

CRVCIATA CIRCA suspensionem indulgentiarum, & facultatum.

Cruciata suspendit alias indulgentias. 808. 607. remissivè.
Qui Cruciatam habet, potest lucrari omnes, quæ Ecclesiis, aut altaribus sunt concessæ. ibid. 608.
Sine Cruciata potest quis lucrari Iubilęum. ibid. 609.
Cruciata non suspendit privilegia concessa in ure communi. ibid. 610.
Neque illa, quæ per usum, & consuetudinem sunt approbata. ibid.
Non suspendit privilegia, & facultates Mendicantium concessas in ordine ad ipsos. 809. 611.
Nec suspenduntur ipsorum facultates concessæ in ordine ad sæculares. ibid. 612.
Neque suspenduntur indulgentię concessæ in ordine ad ipsos Mendicantes. ibid. 613.
Quid de non Mendicantibus gaudentibus eorum privilegiis? ibid. 614.
Cruciata non suspenditur per Iubilæum anni Sancti. ibid. 615.

CVLPA.

Quæ sit culpa theologica? 636. 261.
Quæ culpa juridica? 631. 238.
Culpa latissima idem est, ac dolus. ibid. 238.
Quæ culpa lata, levis, & levissima? ibid.

CVLTVS.

Cultus Dei præcipitur in primo præcepto Decalogi. 335. 113.
Ad cultum Dei ordinatur virtus Religionis. ibid.
Cultum Deo debitum exhibere creaturę, idololatria est. 350. 191.
Cultus Dei alius falsus, alius illegitimus. ibid. 192. & seq.

D

DAMNVM.

Damnum injustè illatum ex justitia resarciendum est. 636. 258.
Multis modis concurritur ad damnum inferendum. 637. 263. & seq.
Quid de damno dato per servum, filium, aut animal? 638. 268.
Vide Restitutio.

DEBITVM CONIVGALE.

Conjuges non tenentur, per se loquendo, debitum petere. 557. 494.
Possunt tamen ad id teneri per accidens. ibid.
Tenentur ex justitia debitum reddere. ibid. 495.
Satis ad id est tacita uxoris petitio. ibid.
Obligatio reddendi debitum de se gravis est. ibid.
Variæ causæ excusant à debito reddendo. 558. 496. & seq.
Ex variis causis non licet debitum petere? ibid. 501.
Quid de habente votum castitatis? ibid.
Quid de committente incestum? 559. 502.
Quid de dubitante de valore matrimonii? ibid. 503.

DECALOGVS.

Continet decem præcepta omnibus nota. 312.
Priora tria dicuntur præcepta primæ tabulæ. ibid.
Posteriora septem dicuntur secundæ tabulæ. ibid.
Omnia sunt naturalia data per Deum Moysi, explicata posteà per Christum. ibid.
Omnia præcepta Decalogi ordinantur ad amorem Dei, & proximi. ibid.
Omnia hęc præcepta explicantur. Lib. 8. 335. à cap. 4.

DECIMÆ.

Datur præceptum solvendi decimas Ecclesiis. 450. 637.
Est naturale quoad substantiam, Ecclesiasticum quoad quotam. ibid.
Tres species decimarum, prædiales, personales, & mixtæ. ibid. 638.
Decimæ solvendæ, juxta loci consuetudinem. ibid. 639.

Deci-

Digitized by Google

Decimæ debentur ex fructibus collectis, non deductis expensis, neque iis, quæ fuerunt seminata. ibidem.
Obligat præceptum decimarum sub mortali ex genere suo, estque reservatum Episcopis. ibid. 638.
Duo exempla mirabilia solventis decimas. 301. 379. & seq.

DEGRADATIO.

Degradatio reducitur ad suspensionem. 669. 478.
Degradatio quid sit? ibid.
Sacerdos degradatus validè consecrat, & Episcopus validè ordinat, non tamen licitè. ibid.
Degradatus privatur omni officio, & beneficio. ibid.
Degradatio vel verbalis, vel actualis, & quid utraque sit? ibid.
Actualiter degradatus perdit privilegium Canonis, & fori. ibid.
Quando idem perdat degradatus verbaliter? ibid.

DELECTATIO MOROSA.

Quid sit delectatio morosa? 433. 560.
Quid delectatio morosa in re venerea? ibid.
Alia in appetitu, alia in voluntate, quæ dicitur complacentia. ibidem.
Delectatio morosa in re venerea habet malitiam sui objecti. ibid. 561.
Delectatio de opere pravo antea commisso illicita est. ibid. 562.
Illicita est delectatio, & complacentia de opere venereo per accidens à culpa excusato. ibid. 563.
Licita est delectatio de pollutione nocturna ex bono fine concepta. ibid.
Delectatio conjugum de copula cogitata ut præsenti, per se culpa mortali vacat. 434. 564.
Per accidens mortalis esse potest. ibid.
Delectatio viduarum de copula præterita, quando culpa vacare possit, quando non? ibid. 565.
Quid de copula cogitata à sponsis ut futura. ibid. 566.
Delectatio de re venerea sub conditione excludente malitiam, quando excusari possit à mortali, quando non? ibid. 567.
Delectatio de sola cogitatione rei venereæ, quando careat culpa, & quando sit culpabilis? 435. 568.
Delectatio de effectu orto ex opere venereo licita esse potest, & quando? ibid. 569.
Quando delectatio venerea sumat malitiam ex circumstantiis objecti? ibid. 570.
Delectatio morosa contingit in omnibus materiis prohibitis. 463. 560.
Vide Gaudium.

DENUNTIATIONES
Matrimoniales.

Ad quid sint institutæ? 550. 455.
Non sunt de essentia matrimonii. ibid.
Sub mortali præmitti debent. ibid.
Debent esse tres. 551. 456.
Unam omittere, an sit mortale? ibid.
Debent fieri diebus festis continuis. ibid. 457.
Qualis esse debeat ista continuitas? ibid.
Debent fieri in Ecclesia. ibid. 458.
Quando possint fieri extra Ecclesiam. ibid.
Debent fieri in Parochia utriusque contrahentis. ibid. 459.
Quæ debeat esse ista Parochia? ibid. & seq.
Si facta una, vel altera, impedimentum opponatur, potest Parochus ulterius non procedere. 552. 461.
Sciens impedimentum tenetur illud denuntiare, estò sit occultum, & probari non possit. ibid. 562.
Quid faciendum denuntiatori, quando impedimentum ortum est ex peccato occulto? ibid. 463.
Quid si impedimentum notum sit sub secreto naturali? ibid. 464.
Quis possit excusari à denuntiando? ibid. 463.
Episcopus dispensare potest in denuntiationibus, ante, & post contractum matrimonium. ibid. 465.
Ad talem dispensationem requiritur causa rationabilis. ibid.
Si matrimonium celebretur sine denuntiationibus, hæ sub mortali præmittendæ sunt ante consummationem. 553. 466.
In denuntiationibus potest dispensare vicarius Episcopi, non tamen foraneus. ibid. 467.
Quid dicendum de Parocho. ibid. 468.

DENUNTIATIONES
Parochiales.

Tenetur Parochus denuntiare populo dies, in quibus ex precepto jejunatur. 874. 10.
Tenetur denuntiare dies festos. ibid. 11.
Tenetur denuntiare matrimonia celebranda. ibid. 12.
Aliqua potest denuntiare Parochus pro suo arbitrio, alia non nisi de mandato Episcopi, & quæ ista sint? ibid. 13. & seq.
Quid faciet, quando denuntiat ordinandos ad majores ordines? 876. 22.

DENUNTIATOR.

Crimen, quod denuntiat, probare non tenetur. 426. 528.
Quando quis denuntiare non teneatur, nisi rogatus. ibid. 529.
Quando nec rogatus teneatur? ibid.
Quando etiam non rogatus teneatur? ibid. 530.

Quan-

Digitized by Google

Quando teneatur denuntiare, non præmissa admonitione fraterna. ibid.
Quando hæc præmittenda sit? ibid. 531.
Quando denuntiandum sit tanquam patri? ibid.
Quando quis teneatur denuntiare ea, quæ Prelati mandant denuntiare? 391. 377.
Quando excusari possit à denuntiando? 392. 378.
Quando justus denuntiare non possit? ibid. 379.
Quid, quando Inquisitores jubent in causis fidei, sibi aliqua denuntiari? ibid. 380.

DEPOSITUM.

Quid sit depositum? 625. 205.
Quando depositarius possit uti, vel non uti re deposita? ibidem.
Quando aliquid debeat, vel non debeat pro tali usu. ibid.
Ad quid teneatur depositarius, si res deposita apud ipsum pereat, vel deterior fiat? ibid. 206.
Quid si dubitet de culpa sua? ibid. 209.

DESIDERIUM.

Vide Concupiscentia.

DESPERATIO.

Desperatio opponitur spei. 318. 30.
Est gravissimum peccatum mortale. ibid.
In quo desperatio consistat? 319. 37.
Desperatio potest esse cum hæresi, & sine illa. 320. 38.

DETRACTIO.

Detractio quid sit? 417. 491.
Octo modis contingere potest. ibid.
Alia formalis, alia materialis. ibid. 492.
Est peccatum mortale ex genere suo. ibid.
Potest esse veniale ex parvitate materiæ, vel ex imperfectione actus. ibid.
Quæ sit sufficiens materia detractionis mortalis? ibid. 493. & seq.
Quando referre audita sit, vel non sit detractio mortalis? ibid. 494.
Quando audiens detractorem peccet mortaliter, vel à mortali excusetur? 418. 495. & seq.
Quando liceat, vel non liceat injuriam acceptam amico referre? ibid. 497.
Quando sit, vel non sit detractio mortalis revelare crimen proximi iis, qui secreto habebunt? ibid. 498.
Non est detractio revelare complicem in confessione. ibid.
Quando liceat, vel non liceat crimen in uno loco publicum revelare in loco, in quo ignoratur? ibid. 499. & seq.
Non licet Religioso crimen publicum in monasterio revelare extra illud. 419. 500.
Quando liceat infamatum de uno crimine infamare de aliis? ibid. 501.
Non licet infamare de crimine occulto, cui per leges infamia imponitur. ibid. 502.
Quando liceat, vel non liceat infamare illum, qui sibi fictè famam comparavit? 420. 503.
An manifestare liceat occultum peccatum alterius, aut secretum ad vitanda propria damna? ibid. 504.
An liceat manifestare occultum crimen unius, ad impediendum damnum imminens proximo? ibid. 505.
Non est detractio mortalis contra justitiam se ipsum infamare. 421. 506.
Quando possit esse contra charitatem, vel justitiam? ibid.
An ad vitanda gravia tormenta, liceat sibi crimen imponere, ob quod morte sit plectendus? ibid. 508.
An idem liceat ad fugiendam mortem, vel tormenta? ibid. 509.
Quando talem confessionem teneatur quis, aut non teneatur retractare? ibid.

DISCORDIA.

Discordia quid sit? 329. 87.
Quando sit mala, & peccatum, & quando non sit? ibid.
Nascitur sæpè ex odio, & invidia. ibid.
Sæpius etiam ex ira. 458. 675.

DISPENSATIO.

Dispensatio est exemptio à lege. 443. 605.
A quo possit concedi? ibid.
Quando inferior dispensare possit in lege superioris. ibid.
Inferior non potest validè dispensare in lege superioris sine causa rationabili. ibid.
Validè dispensat superior sine causa, sed illicitè. ibidem.
Ex quibus capitibus dispensatio sit surreptitia, & nulla? ibid.

DISPENSATIO CIRCA impedimenta Matrimonii.

Pontifex dispensare potest in omnibus impedimentis inductis per jus canonicum. 549. 447.
Ut validè dispenset, non opus est causa, maximè verò ut dispenset licitè. ibid. 448. & seq.
Ille cui committitur authoritas dispensandi, illicitè, & invalidè dispensabit sine causa ibid. 450.
Dispensatio in his impedimentis ex duplici capite potest esse nulla, & surreptitia. 550. 451.
Episcopus dispensare potest in impedimentis impedientibus tantùm, non tamen in omnibus. ibid.
Ordinariè non potest dispensare in dirimentibus. ibid.
In casu magnæ necessitatis dispensare potest
pro

Digitized by Google

pro foro interno, & quando id possit? ibid. 454.
Aliquando id etiam potest, ante contractum matrimonium. ibid. 454.
Parochus in nullo impedimento dispensare potest. Vide Parochus quoad licentias.
Dispensatio voti. Vide votum.

DISTRIBUTIONES.

Non lucrantur distributiones, qui horas dicunt extra chorum. 341. 149.
Absens à choro sine causa relevante privatur distributionibus, ante omnem sententiam. ibid.
Distributiones non acquiruntur illis tribus mensibus, quibus canonicis singulis annis abesse possunt. ibid.
Non faciunt distributiones suas, qui non cantant, estò choro assistant, & dicant horas submissa voce. ibid.
Distributiones accrescunt illis, qui choro intersunt, quando alii absunt. ibidem.
Non accrescunt illis, qui ex causa justa choro defuerunt. ibid.
Qui à choro abest ratione infirmitatis distributiones suas lucratur. ibid. 150.
Qui abest ex rationabili necessitate corporis easdem lucratur, & quæ sit hæc necessitas? 342. 151.
Illas etiam lucratur, qui abest ex evidenti utilitate propriæ Ecclesiæ. ibid. 152.
Quid de canonico, qui simul est vicarius capituli, aut Episcopi? ibid. 153.
Quid de canonico Pœnitentiario? ibid.
Quid de canonico, qui simul est Parochus? ibid.

DIVINATIO.

Divinatio superstitiosa quæ sit? 351. 198.
Ars divinandi variis modis exercetur, unde varia habet nomina. ibid. 199.
Ad hanc artem pertinet velle scire per res naturales, quæ ex ipsis sciri non possunt. ibid. 200.
Quando hoc fit peccatum mortale, quando veniale? ibid.
Ad hanc pertinent sortes divinatoriæ. 352. 201.

DIVORTIUM.

Divortium licet ob adulterium conjugis. 560. 508.
Quando non possit conjux à conjuge adultero divertere? ibid.
Licitum est divortium ob hæresim alterius conjugis? ibid. 509.
An dimittens conjugem hæreticum authoritate propria, possit ingredi religionem? ibid. 510.
Quid si hæreticus, post ingressum, convertatur? ibid.
Quid si separentur per sententiam Ecclesiæ? ibid. 511.
Ob sævitiam mariti potest uxor ab eo divertere. 567. 512.
An, & quando uxor sic divertens possit ingredi religionem? ibid.
Potest conjux ab altero resilire, si illum inducat ad peccandum. ibid. 513.
Quid possint conjuges ex mutuo consensu, quoad separationem? ibid. 514.

DOLUS.

Dolus quid sit? 456. 665.
In quo dolus distinguatur à fraude? ibid.
Est peccatum mortale ex genere suo, sicut & fraus. ibid. 664.
Dolus, & fraus circa substantiam rei reddit contractum nullum jure naturæ. 610. 126.

DOMINIUM.

Dominium quid sit? 603. 94.
Dominii quod sit objectum? 605. 101.
Iure naturæ nullus homo habet dominium in alterum hominem. ibid.
Ex jure gentium illud habere potest ex quatuor titulis. ibid.
Non habet homo dominium vitæ suæ, aut membrorum. ibid. 102.
Quilibet habet dominium suæ famæ, & honoris, & aliquo modo bonorum spiritualium. ibid.
Sola creatura rationalis est capax dominii. ibid. 103.
Quarum rerum dominium habeant filii familias? ibid.
Servi aliquod dominium habere possunt? ibid.
Dominium aliud directum, aliud indirectum, sive utile. ibid. 104.
Quomodo acquiratur dominium in res, quæ nullius sunt? 606. 105.
Quomodo in animalia natura sua mansueta? ibid. 106.
Quomodo in animalia silvestria? ibid.
Quid, quando animal silvestre est in laqueo vel rete alterius? ib id. 107.
Quid, quando fuit vulneratum ab alio? ibid.
Quomodo acquiratur dominium in aurum, ambarum, & similia, quæ jactantur à mare, vel flumine? ibid. 108.
Quid de venis auri, argenti, & metallorum? ibid.
Quid de thesauro? ibid. 109.
Quomodo acquiratur dominium in bona vacantia? 607. 110.
Quomodo in bona derelicta? ibid.
Quomodo in bona, quæ sunt sub dominio alterius. ibid. 111.
Quomodo acquiratur dominium per præscriptionem. ibid. 112.
Vide Præscriptio.

DONA-

DONATIO.
Donatio quid sit? 612. 137.
Quas conditiones habere debeat? ibid.
Facta causæ piæ à quolibet acceptari potest. ibid.
Ante acceptationem revocari potest, non ita post illam. ibid.
Donatio acceptata obligat in conscientia, ex virtute justitiæ. ibid.
Donatio excessiva non valet, quoad excessum sine insinuatione. ibid. 138.
A quo debeat fieri insinuatio? ibid.
Quæ sit donatio excessiva. ibid.
Facta causæ piæ non indiget insinuatione. ibid.
Donatio omnium bonorum est irrita. ibid. 139.
Quod peccatum sit facere talem donationem? ibid.
Ex quibus causis donatio revocari possit? ibid. 140. & seq.
In quo differat donatio causâ mortis, à donatione inter vivos? 613. 142.
Donatio remuneratoria revocari non potest. ibid.
Donatio causâ mortis semper est revocabilis, dum donator vivit. ibid.
DUBIUM.
Vide Conscientia dubia.
DUELLUM.
Duellum quid sit? 332. 98.
Quando licere possit? ibid.
Non licet ad vanam virium ostentationem? ibid. 99.
Nec licet ad purgationem criminis. ibid.
Neque licet ad vindicandam privatam injuriam. ibid. 100.
Non licet acceptare duellum, ad quod quis provocatur. ibid. 101. & seq.
Duellum prohibitum est tam jure naturæ, quàm humano. 333. 104.
Duellantes excommunicantur ipso facto. ibid.
Ad quas personas extendatur ista excommunicatio. ibid.
Duellantibus negatur Ecclesiastica sepultura. 856. 30.
Quando illis neganda sit? ibid.
ECCLESIA.
Ecclesia quid sit? 249. 124. & seq.
Quid requiratur, ut quis sit membrum Ecclesiæ? 250. 126. & seq.
Ecclesia habet quatuor proprietates, quòd sit una, sancta, catholica, & Apostolica. ibid.
Quid sit Ecclesiam esse sanctam? ibid. 129.
Quid sit esse unam? ibid.
Quid sit esse Catholicam? ibid.
Quid sit esse Apostolicam? ibid.
In Ecclesia est communicatio Sanctorum; & quid hoc significet? 251. 131.
Remissio peccatorum magnus Ecclesiæ thesaurus. 252. 138.
In sola Ecclesia est fons sanguinis Christi ad abluenda peccata. 156. 140. & seq.
ECCLESIA PAROCHIALIS.
Vide Parochia.
ECCLESIA POLLUTA.
Ecclesia polluitur per homicidium, & injuriosam sanguinis effusionem. 98. 94.
Item per sepulturam excommunicati declarati. ibid.
Item per sepulturam infidelis non Baptizati, etiam infantis filii Christianorum. ibid.
Item per copulam carnalem, aut voluntariam seminis effusionem. ibid.
Neque Missa, neque alia divina officia celebrari possunt in Ecclesia polluta. ibid. 96. & seq.
Potest in ea celebrari Baptismus etiam solemnis. 99. 97.
Possunt audiri confessiones, & administrari Eucharistia moribundis. ibid.
Si sit tantùm benedicta, potest purificari à quolibet Sacerdote. ibid. 99.
Si sit consecrata, purificanda est à solo Episcopo. ibid.
Quibus diebus unica Missa celebrari possit in Ecclesia polluta? ibid. 98.
Quid faciendum, si Ecclesia inter celebrandum, polluatur? 98. 95.
ECCLESIAE ORNATUS, & reparatio.
Vide Parochus quoad ornatum Ecclesiæ.
Vide Parochus quoad reparationem Ecclesiæ.
ELEEMOSYNA.
Eleemosyna est actus misericordiæ. 324. 59.
Misericordia graviter obligat ad eleemosynam. ibid. 60.
Ex simpliciter necessariis ad propriam vitam, vel familiæ nemo tenetur eleemosynam facere. ibid. 61.
Potest tamen eam facere ex prædictis absque culpa. ibid.
Ex simpliciter necessariis ad decentiam status, tenetur quis proximo extremè indigenti eleemosynam facere. ibid. 62.
Ex necessariis secundùm quid ad eandem decentiam, tenetur quis dare graviter etiam indigenti. ibid. 63.
Ex superfluis tenetur quis ad eleemosynam in necessitatibus etiam communibus. 325. 64.
Præceptum eleemosynæ magis obligat Ecclesiasticos. ibid. 65.
Eleemosyna non potest fieri à non habente domi-

Digitized by Google

dominium, & administrationem rei dandæ. ibid. 66.
Eleemosyna non potest fieri ex rebus alienis, nisi in casu extremæ necessitatis. ibid. 67.
Aliquando potest satisfieri præcepto eleemosynæ per mutuum. ibid. 68.
Præceptum eleemosynæ obligat etiam infideles. 326. 69.
Bona eleemosynæ multa. ibid. 70.
Vide Misericordia.

EMPHYTEVSIS.

Quid sit Emphyteusis? 622. 192.
Alia Ecclesiastica, alia profana. ibid.
Quæ conditiones requirantur ad illum contractum? 621. 183.
Onera Emphyteusis sex. ibid.
Quid sit subemphyteusis, seu contractus livellarius? ibid. 186.

EMPTIO.

Emptio idem contractus cum venditione. 616. 160.
Quando emptio sit justa, quando injusta? ibid.
Non potest quis res emere viliori pretio, quàm valeant. 617. 164.
In foro externo non cogitur emptor damnum resarcire, nisi quando emit infra medietatem justi pretii. ibid.
Aliter dicendum in foro conscientiæ. ibid.
Potest Emptor emere infra justum pretium, si emat in gratiam venditoris, & damnum ex emptione patiatur. ibid.
Tenetur emptor manifestare venditori rustico, vel ignaro valorem rei, si ut ignarus vili vendat. 618. 167.
Licet rem emere infimo pretio justo, cùm solutio datur antecipata, non tamen minori. ibid. 168.
Non licet rem emere viliori pretio, quàm res creditur valitura tempore traditionis. ibid. 169.
Vide Venditio.

EPISCOPVS.

Non potest conferre Parochialem habenti canonicatum, Papa inconsulto. 66. 23.
Potest prohibere Parochis, ne ultra biduum absint à Parochia sub pœna pecuniaria, non verò sub excommunicatione. 67. 30.
Non potest impedire Parochos ne in suis Parochiis, prædicent modo sibi proportionato. 112. 9.
Culpa Episcopi est dissimulare cum Parochis non prædicantibus. 115. 29.
Episcopus debet esse sine crimine, & quasi sol in sua diœcesi. 204. 43.
Episcopus debet esse subditis exemplum vitæ. 393. 382.
Debet residere in sua Ecclesia. ibid. 383.
Debet considerare mores populi, & castigare peccata publica. ibid.
Debet constituere bonos ministros, maximè Parochos. ibid. 384.
Debet conferre ordines solis dignis. ibid.
Debet beneficia dignis conferre. ibid.
Debet prædicare, & vigilare supra doctrinam, ut sit sana. 394. 385.
Debet singulis annis visitare diœcesim. ibid. 386.
Debet habere specialem curam pauperum, & miserabilium personarum. ibid.
Debet oves suas non deserere in periculis tam animæ, quàm corporis. ibi. 387.
Debet vitia extirpare, & ad hoc vires suas intendere. ibid.
Debet curare, ut voluntates ultimæ Defunctorum impleantur. ibid.
Si non valet obligationes suas implere, tenetur officium relinquere. ibid.
Graviter peccat exponens confessores indignos, aut ignaros. 523. 307.
Vide Prælatus. Vide dispensatio.

EVCHARISTIA.

Eucharistia quid significet? 490. 140.
Est memoriale mortis Christi. ibid.
Cur dicatur communio? ibid.
Fuit à Christo instituta in ultima cœna. ibid.
Consistit in re permanente. ibid.
Vsus Eucharistiæ non est pars essentialis hujus Sacramenti. ibid. 141.
In quo consistat essentialiter, & adæquatè? ibid.
Species panis, & vini unum Sacramentum constituunt. ibid.
Panis, & vinum sunt materia, ex qua hujus Sacramenti. 491. 142.
Qualis esse debeat panis, & vinum? ibid. 143. & seq.
Materia consecranda debet esse præsens Sacerdoti. ibid. 144.
Debet in individuo determinari à Sacerdote. ibid. 145.
Aliquid aquæ miscendum vino Consecrando ex solo præcepto. ibid. 146.
Forma Eucharistiæ in quibus verbis consistat? 492. 147. & seq.
Verba formæ proferuntur, & significativè, & recitativè. ibid. 148.
Pronomen *Hoc*, & *Hic* demonstrat corpus, & sanguinem Christi, non panem, aut vinum. ibid. 149.
Quid ponatur sub speciebus ex vi verborum; quid per concomitantiam? 493. 150.
Minister efficiens Eucharistiam solus Sacerdos. ibid. 151.
Eucharistia per quid constituatur in facto esse? ibid. 152.

Sub-

Digitized by Google

Substantia panis, & vini non manet post consecrationem. ibid. 153.
Accidentia manent sine subjecto. ibid. 154.
Quomodo conserventur? 494. 155.
Agunt eodem modo, ac antea. ibid. 156.
Possunt alterari, & corrumpi. ibid. 157.
Corpus Christi est realiter, & substantialiter præsens in Eucharistia. ibid. 158.
Inter corpus Christi, & species est aliqua unio, non physica, sed moralis. 495. 161.
Totus Christus est sub singulis partibus specierum. ibid. 163.
Corpus Christi per accidens movetur in Eucharistia ad motum specierum. ibid. 164.
Christus definit esse in Eucharistia per subtractionem divini concursus. 496. 165.
Eucharistia est necessaria ad salutem necessitate præcepti. ibid. 166.
Nemo tenetur ex divino præcepto Eucharistiam sumere sub utraque specie, excepto celebrante. ibid. 168.

EUCHARISTIAE dispositiones.

Jejunium naturale dispositio ad Eucharistiam. 496. 169.
Quando possit quis communicare non jejunus? 497. 170.
Carentia culpæ mortalis dispositio necessaria ad Eucharistiam. ibid. 171.
Mortalis culpæ conscius præmittere debet confessionem ante Eucharistiam. ibid. 172.
Quando quis possit cum sola contritione accedere ad Eucharistiam? ibid. 173.
Quando censeatur deesse confessor, ut possis ad illam accedere non confessus? 498. 174.
Solus Sacerdos habet potestatem ordinariam dispensandi Eucharistiam. ibid. 175.
In casu necessitatis potest eam committere soli diacono. ibid.
Legitima potestas ministrandi Eucharistiam est in Parocho. ibid. 176.
Regulares possunt eam ministrare in suis Ecclesiis. ibid. 177.
In extrema necessitate quilibet Sacerdos potest eam ministrare in defectu Parochi, vel de ejus licentia. ibid.
Vide communio. Viaticum. Missa.

EUCHARISTIAE effectus.

Eucharistia per se primam gratiam non confert. 503. 201.
Per accidens eam conferre potest. ibid.
Præservat à culpis mortalibus. ibid. 202.
Per se confert augmentum gratiæ. ibid. 203.
Quando conferat hoc augmentum. 504. 204.
Nec plures hostiæ, nec plures species plus gratiæ conferunt, quàm una sola. ibid. 205.
Delet peccata venialia ex opere operato. ibi. 206.
Non remittit ex opere operato pœnas debitas peccatis jam remissis. ibid.

EXAMEN.

Examen conscientiæ est necessarium ante confessionem. 576. 23.
Quomodo vincendæ sint difficultates, quæ hoc examen impedire solent? ibid. 26. & seq.
Examen faciendum à confessore ante confessionem. 578. 35. & seq.
Ponitur examen quoddam generale ad juvandos pœnitentes. ibid. 38. & seq.
Examen circa fidem. 579. 39.
Examen circa virtutem spei. ibid. 40.
Examem circa virtutem charitatis. ibid. 41. & seq.
Examen circa primum præceptum Decalogi. 580. 43.
Examen circa secundum preceptum 581. 44.
Examen circa tertium præceptum. 583. 45.
Examen circa quartum præceptum. 584. 46.
Examen circa quintum præceptum. 587. 48.
Examen circa sextum præceptum. 588. 49.
Examen circa septimum præceptum. 591. 50.
Examen circa octavum præceptum. 592. 51. & seq.
Examen circa nonum præceptum. 595. 53.
Examen circa decimum præceptum. 596. 54.
Examen speciale circa Ecclesiasticos. ibid. 55. & seq.

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicatio duplex, major, & minor. 665. 459.
Quid sit excommunicatio major? ibid.
Quibus bonis spiritualibus privet? ibid.
Quibus etiam privet bonis externis? ibid.
Quomodo intelligatur privatio talium bonorum? ibid. 460. & seq.
Hodie solùm non licet communicare cum excommunicato nominatim declarato, aut publico clerici percussore. 666. 465.
Excommunicato non declarato non licet communicare cum fidelibus. ibid.
In quibus casibus liceat communicare cum excommunicato? ibid. 466.
Explicantur tales casus, nempe lex humilis. &c. ibid.
Communicare in divinis cum excommunicato declarato nemini licet. ibid.
Qui communicat cum excommunicato in eodem crimine, incurrit eamdem excommunicationem. 667. 467.
Communicare cum excommunicato in divinis est mortale, in humanis veniale. ibid.
Alii effectus excommunicationis majoris qui sint? ibid. 468.
Omnes explicantur. ibid.

Excom-

Digitized by Google

Excommunicatio major non incurritur nisi ob peccatum mortale cum contumacia. ibid. 469.
Quid sit hæc contumacia? ibid.
Ignorantia excusat ab excommunicatione. ibid.
Excommunicatio vel est à jure, vel ab homine. ibid.
Differentia inter utramque. ibid.
Alia est latæ sententiæ, alia ferendæ. ibid.
Differentia inter illas. ibid.
Quàm grande malum sit excommunicatio 251. 131.

EXCOMMUNICATIO MINOR.

Quid sit excommunicatio minor? 667. 470.
Propter quid incurratur? ibid.
Quibus bonis privet? ibid.
Ab illa potest absolvere quilibet confessor, & Sacerdos simplex. 668. 471.
A majori, si non sit reservata, qui potest absolvere à mortalibus. Si sit reservata, solus habens ad id authoritatem. ibid.

EXORCISMUS.

Vide Parochus circa Exorcismus.

F

FAMA.

Fama quid sit? 416. 489.
In quo differat à laude, gloria, & honore? 453. 649.
Quilibet dominus suæ famæ.
Fama offenditur per detractionem. 417. 491.
Offenditur etiam per judicium temerarium, & suspicionem. 423. 517. & seq.

FESTA.

Festa sanctificare præcipit tertium præceptum Decalogi. 379. 327.
Hoc præceptum partim est naturale, partim morale. 380. 328.
Aliqua festa specialiter deputata in honorem Dei. ibid. 330. & seq.
Alia in honorem Christi Domini. 381. 332.
Alia in honorem B. Virginis, & quæ? ibid. 335.
Alia in honorem aliquorum sanctorum, & quæ? ibi. 336.
Quæ dies observandæ sint ex vi hujus præcepti 380. 331. & seq.
Sunt aliqua festa pro tota Ecclesia. ibid.
Sunt alia pro certis locis. 382. 337.
Sunt alia ex sola devotione sine obligatione. ibid. 339.
Festa localia non obligant extra suum locum. ibid. 338.
Ea observare tenentur exteri, qui in eo loco reperiuntur. ibid.
In die festo præcipitur Missam audire. ibid. 340.
Prohibentur in eodem opera servilia. ibidem.
Non prohibentur opera propria animæ. 383. 341.
Nec prohibentur opera liberalia? ibid.
Quæ iterfactio prohibeatur? ibid. 343.
Quæ venatio interdicta sit? ibid. 344.
Quæ piscatio sit prohibita? ibid. 345.
Quid de mercatu? 384. 346.
Quid de actionibus judicialibus? ibid. 347.
Non prohibetur specialiter peccatum in festo. ibid. 349.
Obligatio cessandi ab operibus servilibus in festis est gravis. 385. 351.
Durat hæc obligatio à media nocte ad mediam noctem. ibid. 352.
Quæ opera servilia non prohibeantur in die festo? ibid. 353.
Ex variis causis potest quis excusari ob operibus servilibus in die festo. ibid. 354.
Assignantur quinque causæ excusantes, à peccato opera servilia. 386. 355. & seq.

FEUDUM.

Feudum quid sit? 621. 184.
In quo distinguatur ab Emphyteusi? ibid.
Feudi variæ conditiones. ibid. 185.
Onera Feudatarii quæ? ibid.
Subfeudum quid sit? ibid. 186.

FIDES.

Fides virtus theologica. 313. 1.
Ejus objectum materiale, & formale. ibid. 3.
Fides quid sit? ibid. 2.
Fides medium necessarium ad salutem. ibidem. 4.
Multa de Deo credenda, quæ lumine naturæ cognoscuntur. ibid.
Multa etiam, quæ superant naturale lumen 314. 5.
Fides in Christum necessaria necessitate medii. ibid. 6.
Præceptum fidei affirmativum aliquando obligat directè ad eliciendum actum fidei. ibid. 7. & seq.
Aliquando obligat indirectè, & per accidens. 315. 10.
Præceptum negativum fidei ad quid obliget? ibid. 11.
Obligat semper, & pro semper. ibid. 12.
Quando obliget ad non simulandam negationem fidei? ibid. 13.
Licet aliquando occultare fidem. ibid. 15. & seq.
Datur præceptum affirmativum confitendi exterius fidem, non tamen semper. 316. 18.
Vide Infidelitas. Hæresis. Symbolum fidei.
Peccata contra fidem. ibid. 19. & seq.

FIDEIIVSSIO.

Quid sit fidejussio, & fidejussor? 624. 200.
Potest pro fidejussione pretium accipi? ibid.
Ad quid obliget fidejussio? ibid.
Fidejussor non obligatur magis, quàm debitor principalis. ibid.
Non potest conveniri, nisi facta priùs executione in debitore principali. ibid.
In quibus casibus possit priùs conveniri? ibid.
Ad quid teneatur debitor fidejussori? ibid.

FILIVS.

Filius tenetur amare parentes. 387. 362.
Qualis debeat esse iste amor? ibid.
Tenetur subvenire necessitatibus spiritualibus, & corporalibus parentum. ibid. 363. & seq.
Si Parentes filii opera indigeant, non potest ingredi Religionem, etsi votum habeat. 388. 364.
Quid si jam sit in religione? ibid.
Tenetur obedire parentibus. ibid. 365.
In quibus obedire non teneatur. ibid. & seq.
Quid in electione status? ibid.
Quid circa uxorem ducendam? ibid.
Tenetur reverentiam exhibere Parentibus. ibid. 367.
Quando peccet contra hanc reverentiam? ibid.
Filiorum peccata. 584. 46.
Quis sit filius naturalis, & spurius? 629. 226.
Vide Hæres.

FORNICATIO.

Quæ sub nomine fornicationis prohibeantur in sexto præcepto Decalogi. 404. 433.
Quid fornicatio simplex? ibid. 434.
Est peccatum mortale, & dicere oppositum est hæreticum. ibid.
Quomodo valeat à culpa excusari? 405. 436.
Vide Adulterium. Incestus. Sacrilegium.

FRATER.

Debet fratribus, & sororibus amorem fraternum, & benevolentiam. 299. 372.
Debet fratri, & sorori indigentibus alimenta. ibid.
Ad alimentum potest frater, & soror indigens implorare beneficium judicis. ibid.
Debet dare dotem sorori indigenti. ibid.
Tenetur facere expensas fratri indigenti, ut addiscat artem, unde vivat. ibid.

FVNCTIONES PAROCHIALES.

Functiones Parochiales quæ dicantur? 873. 1.
Benedictio Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto, & in privilegio Pentecostes. ibid. 2.
Delatio Eucharistiæ in processionibus. ibid. 3.
Missæ solemniores. ibid.
Benedictio Candelarum, Cinerum, & Palmarum. ibid. 4. & 5.
Aspersio domorum in Paschate. ibid. 6.
Facere processiones per Parochiam. 874. 7.
Benedictiones nuptiales, & sepulchrorum sunt magis jura Parochialia, quàm functiones. ibid. 8.

FVNVS.

Funus Parochianorum Parochus comitari tenetur, etsi inde nullum superet emolumentum. 861. 60.
Pauperes gratis sepelire debet. 858. 47.
Debet commendare animam in domo defuncti, antequam inde efferatur ad sepulturam. 861. 60.
Possunt etiam commendare aliæ Parochiæ, & familiæ regulares. ibid. 61.
Corpus defuncti efferendum non est, antequam veniat proprius Parochus, & commendet animam. ibid.
Quid in hac materia declaraverit Sacra Congregatio? ibid.
Ad Parochum defuncti pertinet declarare viam, qua funus deducendum est ad locum sepulturæ. 862. 65.
Quo in loco in funere incedere debeat Parochus defuncti? ibid. 66.
Ad Parochum pertinet facere officium sepulturæ supra corpus defuncti. 863. 67.
Quid *si Defunctus* sepeliendus sit in Ecclesia Regularium, vel in aliena Parochia, aut in Ecclesia existente intra limites illius? ibid. 68. & 69.
Hæredes defuncti possunt vocare ad funus quos Sacerdotes voluerint. Si id non faciant, ad Parochum pertinet vocare, qui vocandi sunt. 862. 64.
Vide Parochus quoad mortuos. Vide Sepultura.

FVRTVM.

Quid nomine furti prohibeatur in septimo præcepto Decalogi? 412. 472.
Furtum quid sit? 413. 473.
Quando filii furtum non committant, usurpando de bonis parentum? ibid.
Quando furtum committant? ibid. 474.
Ad furta mortalia filiorum major quantitas requiritur. ibid.
Quando uxores non peccent usurpando ex bonis mariti? ibid. 475.
Quando mortaliter peccent usurpando ex dictis? 414. 476.
Quando non sit furtum rem alienam usurpare? ibid. 477.
Non est furtum usurpare aliena in extrema necessitate. ibid. 478.
Quando liceat sine labe furti uti secreta compensatione? ibid. 479.
Quando sit furtum rem propriam ab alio usurpare? ibid 480.
Quando liceat famulis ex rebus dominorum

Digitized by Google

se compensare, & quando non liceat? ibid.
Furtum ex genere suo est peccatum mortale. 415. 482.
Quantitas ordinaria furti mortalis. ibid.
Quando furtum rei parvæ possit esse mortale? ibid. 483.
Mortaliter peccant, qui per minima multa furantur. ibid. 484.
Item qui vendunt per pondera, & mensuras falcatas. ibid. & seq.
Item cùm plures communi consilio grave damnum inferunt, singuli levia furantes. ibid. 486.
Furtum est non restituere, quod quis potest, & non restituit. 416. 487.
Quoties hoc peccatum renovetur? ibid. 488.
Vide Rapina. Vide Restitutio.

G

GLORIA.

Gloria quid sit? 453. 649.
Quid vana gloria? ibid.
Vana gloria filia superbiæ. ibid.
Appetere gloriam, bonum, si tres conditiones concurrant? ibid. 650.
Quando gloria sit vana, & mala? ibid.
Quando sit mortalis? ibid. 651.

GAUDIUM.

Gaudium de bono divino actus charitatis divinæ. 323. 56.
Gaudium de bonis proximi, charitas proximi. ibid.
Gaudio charitatis de bono divino opponitur acedia. 329. 84.
Gaudio charitatis de bono proximi opponitur invidia. ibid. 85.
Gaudium de jactura bonorum proximi peccatum contra decimum præceptum Decalogi. 440. 590.

GULA.

Gula quid sit? 458. 676.
Quando hoc vitium committatur? ibid.
Gulæ duæ species crapula, & ebrietas. ibid. 677.
Quando crapula sit mortalis, quando venialis? ibid.
Quando ebrietas sit mortalis, quando venialis? 459. 678.
Quando actus pravi facti in ebrietate imputantur, vel non imputantur ad culpam? ibid.
Gulæ quinque filiæ, & quæ? ibid. 679.

H

HAERESIS, HAERETICUS.

Hæresis quid sit? 317. 22. & seq.
Ad hæresim pertinacia requiritur. ibid. 24.
Ad hæresim satis est dubium in fide cum pertinacia. 318. 26.
Potest quis esse hæreticus, quamvis numquam habuerit veram fidem. 317. 23.
Hæresis reservatur Pontifici in prima clausula Bullæ Cœnæ. 679. 31. & seq.
Qui sint credentes Hæreticorum? 681. 39. & seq.
Qui receptatores? ibid. 42. & seq.
Qui fautores? ibid. 42. & seq.
Qui defensores? 682. 47. & seq.
Quæ hæresis reservetur Episcopi? 738. 312.

HAERES.

Filius spurius ex vi juris communis non potest institui hęres à patre, nec ei succedere ab intestato. 629. 229.
Nec potest substitui à patre substitutione vulgari, aut fideicommissaria. ibid.
Si hęres promittat patri ipsum instituenti se hæreditatem daturum spurio, ad id non tenetur. ibid.
Non potest spurius institui hęres à matre, nec ei succedere ab intestato. 630. 230.
Quid de filio conjugati, aut presbyteri ex soluta? ibid.
Ex jure nostro Lusitano idem dicendum. ibid. 231.
Filius naturalis ex jure communi potest institui hęres universalis à Patre, & quando? ibid. 232.
Filius naturalis non succedit Patri ab intestato, nisi in duabus unciis. ibid.
Filius naturalis succedit matri carenti filiis legitimis, etiam intestatæ ex asse. ibid.
Filius naturalis succedit matri habenti filios legitimos ex æquo cum illis. ibid.
Nulla lex prohibet instituere hæredes nepotes ortos sive ex filio naturali, sive spurio. ibid.
Filius naturalis hominis plebei ex jure Lusitano succedit patri æqualiter cum filiis legitimis. ibid. 233.
Filius naturalis succedit patri plebeo in totum, si non habeat filios legitimos. ibid.
Filius naturalis, ex eodem jure, non succedit patri nobili cum filiis legitimis, neque cum ascendentibus. ibid.
Quid ulterius disponant ordinationes Lusitanæ in hac materia? ibid.

Digitized by Google

De successione filiorum naturalium in bona matris standum est apud nos dispositioni juris communis. ibid.

HOMICIDIUM.

Homicidium quid sit? 396. 398.
Quid prohibeatur in quinto præcepto Decalogi per occisionem? ibid.
Quid sit homicidium voluntarium? 397. 399.
Occidere ex zelo justitiæ, non dicitur homicidium. ibid. 400.
Licet potestati publicæ occidere hominem ex causa rationabili pertinente ad bonum commune. ibid.
Quæ conditiones concurrere debeant, ut talis occisio sit justa? ibid. 401. & seq.
Licet cuilibet privato occidere hominem ad defendendam propriam vitam. 398. 404. & seq.
Licet tamen in vaso permittere se occidi. ibid. 406.
Licitum etiam est occidere invasorem honoris. ibid. 407.
Quibus id non liceat? ibid. 408.
Licet quoque occidere injustum fortunarum invasorem. 399. 409.
Licet pariter occidere invasorem pudicitiæ. ibid. 410.
Quando liceat ad vitam proximi, & similia bona defendenda? ibid. 411.
Quid sit homicidium casuale? ibid. 412.
Quibus modis homicidium casuale contingere possit? ibid. 412. & seq.
Quando in homicidio casuali nulla sit culpa? ibid.
Quando aliqua culpa esse possit? 400. 414.
Christianis remigantibus in triremibus Turcarum non imputantur homicidia, aut damna à Turcis illata. 401. 417.
Quando liceat, vel non liceat matri pharmaco fœtum excutere? ibid. 418.
Quid de illo, qui sibi per fugam consulens puerum currentem proculcat? ibidem. 419.
Ad quid teneatur pater ex homicidio facto à filio, à servo, vel bestia sua? ibid. 420.
Nemini licet se immediatè occidere. ibid. 422.
Non licet se mediatè occidere, aggrediendo ea, ex quibus mors certa, aut probabilis sequitur. 402. 423.
Nemini, simpliciter loquendo, licet permittere se occidi. ibid. 424.
Varii casus, in quibus id licere possit. ibid. 424. & seq.
Reus potest non fugere mortem, estò eam valeat evadere. ibid. 425.
Licet vitam exponere pro patre, amico, vel proximo. ibid. 426.
Nemini licet membrum amputare. 403. 427.
In quibus casibus id licere possit? ibid. 428.
Variæ circumstantiæ homicidii, vulneris, vel percussionis in confessione explicandæ. ibid. 429. & seq.
Quæ Restitutio debeatur ex homicidio. Vide Restitutio bonorum particularium.

HORAE CANONICAE.

Horæ Canonicæ septem. 338. 133.
Ex triplici titulo obligatur quis ad has horas. ibid. 134.
Horæ sunt recitandæ sub gravi obligatione. 339. 140.
Unum peccatum est omittere integras horas in quolibet die. ibid.
Peccatum mortale est omittere quamlibet horam, aut partem notabilem illius. ibidem.
Quæ liceant recitanti in choro? ibid. 141.
Non est contra integritatem officii quælibet interruptio. 340. 142.
Quid de uno officio pro alio? ibid. 143.
Recitatio horarum debet esse vocalis, & attenta. ibid. 144.
Quæ attentio sufficiat ad satisfaciendum? ibi. 145.
Tres causæ excusare possunt ab horis recitandis. ibid. 146. & seq.
Quæ gravis occupatio valeat excusare? ibid. 147.
Cujus dispensatio satis sit? ibid. 148.
Vide Beneficiarius. Vide distributiones.

HUMILITAS.

Humilitas quid sit? 461. 689.
Ad humilitatem juvat cognitio sui. ibid.
Tres humilitatis gradus. ibid. 690.
In quo consistat primus. ibid. & seq.
In quo secundus situs sit? 462. 692.
In quo consistat tertius? ibid. 693.

HYPOCRISIS.

Hypocrisis quid sit? 454. 654.
Est filia vanæ gloriæ. ibid.
Regulariter est venialis. ibid.
Quando sit mortalis? ibid.

HYPOTHECA.

Hypotheca in quo differat à pignore? 624. 202.
Hypotheca alia expressa, alia tacita. ibid.
Debita prius solvenda creditoribus hypothecariis. 640. 277.
Quando res, est hypothecata pluribus, cui prius solvendum sit? ibid.

I

IACTANTIA.

IActantia quid sit? 453. 652.
Est filia vanæ gloriæ. ibid.
In quo differat à superbia, & vana gloria? ibid.
Iactantia ex se est venialis. ibid. 653.
Quando sit mortalis? ibid.

IDOLOLATRIA.

Idololatria quid sit? 350. 194.
Ad idololatriam propriè dictam tria requiruntur. ibid.
Idololatria minus propria quæ? ibid. 195.
Idololatria impropria, ficta, & externa. 351. 196.
Nulla potest esse idololatria in cultu exhibito Eucharistiæ, cruci, aut sanctis. ibid. 197.

IEIVNIVM.

Ieiunium alterum naturale, alterum Ecclesiasticum. 446. 617.
Quid sit Ecclesiasticum, ad quod Ecclesia obligat? ibid.
Tres conditiones postulat. ibid. 617. & seq.
Postulat abstinentiam à carnibus. ibid.
Postulat unicam tantùm comestionem. ibid. 618.
Quo tempore hæc facienda sit? ibid. 619.
Licita est collatio nocturna. ibid. 618.
In qua quantitate liceat hæc collatio? ibid.
Quibus diebus jejunandum sit ex præcepto? ibid. 620.
Præceptum jejunii obligat sub mortali. 447. 621.
Quas personas obliget? ibid.
Datur præceptum abstinendi à carnibus feriis sextis, & sabbatis totius anni, excepto die Natalis Domini. ibid. 622.
Quid de ovis, & lacteciniis? ibid. & seq.
In Lusitania abstinendum à carnibus in litaniis ante Ascensionem Domini. ibid.
Qui in die jejunii excusantur à jejunio, non possunt vesci carnibus. ibid. 623.
Qui dispensatur in jejunio, non eo ipso potest vesci carnibus. ibid.
Qui dispensatur in carnibus, excusatur à jejunio, ex probabili sententia. ibid.
Qui semel solvit jejunium, non amplius peccat pluries comedendo. ibid. 624.
Qui carnes comedit in die prohibito, toties peccat, quoties eas comedit. ibid.
Non solvit jejunium potus, nec quidquid sumitur per modum medicinæ. ibid.
Quatuor causæ excusant à jejunio. ibidem. 625.
Quid, quando causa est dubia? 448. 626.
Quando quis teneatur ad jejunia particularia loci? ibid. 627.

IMPEDIMENTA Matrimonii.

Alia tantùm impedientia, alia dirimentia. 543. 417.
Quid utraque præstent? ibid.

IMPEDIENTIA.

Primum est interdictum. 544. 419.
Quid intelligatur nomine interdicti? ibid.
In Adventu, & Quadragesima solùm prohibentur benedictiones, & aliæ solemnitates nuptiarum, non ipsum matrimonium. ibid.
Secundum est votum. ibid. 420.
Quæ sint vota, quæ matrimonium impediunt? ibidem.
Quid si, non obstante voto, Matrimonium contrahatur? ibid.
Tertium priora sponsalia. ibid. 421.
Quartum catechismus, & quid per illud intelligatur? ibid. 422.
Quintum est crimen multiplex. ibid. 423.
Quę, & quot sint hęc crimina? 545. 424. & seq.
Hæc impedimenta sublata jam sunt, & solùm remanent tria, nempe interdictum, votum, & sponsalia. ibid. 427.

DIRIMENTIA.

Impedimenta dirimentia sunt quatuordecim. 545. 428.
Primum error personæ. ibid. 429.
Quomodo intelligatur hic error? ibid.
Secundum conditio servitutis, quæ ibi explicatur. ibid. 430.
Tertium votum castitatis solemne, & simplex Societatis Iesu. ibid. 431.
Quartum est triplex cognatio. 546. 432.
Prima consanguinitatis usque ad quartum gradum inclusivè. ibid.
Quomodo isti gradus computandi sint? ibid.
Secunda est cognatio spiritualis orta ex Sacramento Baptismi, & Confirmationis. ibid. 433.
Inter quas personas detur hoc impedimentum? ibid.
Tertia est cognatio legalis orta ex adoptatione. ibid. 433.
Inter quas personas detur hoc impedimentum. ibid.
Quintum est crimen. ibid. 434.
Quibus modis committatur hoc crimen, ut dirimat subsequens Matrimonium? ibid.
Sextum est disparitas cultus. ibid. 435.
Quomodo hoc impedimentum intelligatur? ibid.
Septimum est vis, seu coactio. 547. 436.
Qualis debeat esse metus causans hanc vim, & coactionem? ibid.
Octavum est ordo Sacer. ibid. 438.

Digitized by Google

Differentia in hac parte inter Latinos, & Græcos. ibid.
Nonum est ligamen ex matrimonio legitimè contracto. ibid. 439.
Quid de conjuge, qui post contractum secundum matrimonium, dubitat de vita prioris conjugis? ibid.
Quid si prior conjux postea compareat? ibid.
Decimum est honestas publica. ibid. 440.
Vnde consurgat hoc impedimentum, & ad quos gradus se extendat? ibid.
Vndecimum est affinitas. 548. 441.
Hæc orta ex copula licita extenditur ad quartum gradum inclusivè, ex illicita ad solum secundum. ibid.
Duodecimum est impotentia ad coeundum. ibid. 442.
Quid, si impotentia sit dubia? ibid.
Quid, si superveniat matrimonio jam contracto? ibid.
Decimumtertium est raptus fœminæ. ibid. 443.
Quomodo raptus intelligatur, ut dirimat? ibid.
Decimumquartum est absentia Parochi, & testium. 549. 444.
Parochus debet esse proprius sive sponsi, sive sponsæ. ibid.
Præsentia Parochi debet esse moralis, & humana. ibid.
Potest assistere sive in propria Parochia, sive in aliena, vel etiam in aliena Dioecesi. 568. 522.
Quales debeant esse testes? 551. 446.

INCESTVS.

Incestus quid sit? 406. 441.
Addit novam malitiam fornicationi. ibid.
Variæ species incestus explicandæ in confessione. ibid 442. & seq.
Incestus inter consanguineos, & affines, in quo gradu? ibid. 441.
Incestus ex legali cognatione inter quas personas? 407. 446.
Incestus ex spirituali cognatione inter quas personas? ibid. 448.
Incestus ex publica honestate inter quas personas? ibid. 446.

INDVLGENTIA.

Quid in Indulgentia considerandum? 767. 418. & seq.
Definitur Indulgentia. ibid.
Explicatur definitio. 768. 424.
Indulgentia prodest fidelibus. ibid. 423.
Per Indulgentiam non remittitur culpa, sed pœna. 769. 425.
Indulgentia non prodest existenti in peccato mortali. ibid.
Per Indulgentiam non remittitur pœna æterna, sed temporalis. ibid. 426.
Pœna debita peccato originali non tollitur per Indulgentiam. ibid. 427.
Non omnis remissio pœnæ est Indulgentia. ibid. 428.
Potestas absoluta concedendi Indulgentias est in Pontifice, in Episcopis, & Legatis limitata. ibid. 431.
Vt validè, & licitè concedatur, requiritur causa. 770. 432.
Quæ causa requiratur, & sufficiat? ibid. 433. & seq.
Quas pœnas remittat Indulgentia? 771. 439. & seq.
Varii modi concedendi Indulgentias. 772. 441. & seq.
Quid sit Indulgentia per modum Iubilæi. ibid. 443.
Indulgentiæ prosunt vivis, & mortuis. ibid. 444.
Diverso modo conceduntur vivis, & mortuis. ibid. 445.
Quid sit Indulgentias per modum suffragii? ibid. 446. & seq.
Qui lucratur Indulgentias pro mortuis, statum gratiæ non requirit. 773. 448.
Vivens non lucratur sibi Indulgentiam sine statu gratiæ. ibid. 449.
Non lucratur sibi Indulgentiam, qui non facit opera præscripta. ibid. 450.
An Indulgentiam lucretur quis sine actuali confessione peccatorum? ibid. 451.
Vide Iubilæus. Vide Cruciata.

INFIDELITAS.

Infidelitas alia positiva, alia negativa. 316. 19.
Positiva est peccatum contra fidem. ibid. 20.
Negativa aliquando non est peccatum. ibid.
Infidelitas est in intellectu tanquam in subjecto. 317. 21.
Culpa infidelitatis est in voluntate. ibid.
Tres species infidelitatis, paganismus, judaismus, & hæresis. ibid.
Ad quam reducatur Mahometanismus? ibid.
Apostasia à fide est circumstantia aggravans infidelitatem. ibid.
Vide Hæresis.

IRA.

Ira quid sit? 457. 671.
Quæ ad iram concurrant? ibid.
Invenitur in brutis, & parte inferiori hominis. ibid.
Ira hominis propria in voluntate. 458. 672.
Quid hæc sit? ibid.
Hujus tres quasi species. ibid.
Quando ira liceat? ibid. 673.
Quando sit peccatum? ibid.
Ira interna duas habet filias, quæ illæ sint, & quando sint mortales? ibid. 674.
Ira externa tres habet filias, quæ illæ sint, & quan-

Digitized by Google

quando mortales, aut veniales. ibid. 675.

IRREGULARITAS

Interdum accipitur latè. 672. 489.
Irregularitas propria quid sit? ibid.
Non est censura, ad illam tamen accedit. ibi. 488. & 390.
Non est ab homine, sed à solo jure. ibid. 489.
Altera est ex delicto, altera ex defectu. ibid. 491.
Quæ est ex delicto, requirit culpam mortalem. ibid.
Ignorantia irregularitatis ab illa non excusat, licèt aliqui non improbabiliter oppositum dicant de ea, quæ oritur ex delicto. ibid.
Irregularitas ex delicto multiplex. ibid. 492.
Ex quibus delictis? ibid.
Irregularitas ex defectu incurritur absque culpa. ibid. 493.
Oritur ex multis capitibus. ibid.
Quæ sint capita, ex quibus oriatur? ibid. & seq.
Irregularitas aliquando totalis, aliquando partialis. 673. 496.
Irregularitas tollitur per dispensationem Pontificis. ibid. 497.
In quibus possint dispensare Episcopi? ibid.

IRRISIO.

Irrisio species contumeliæ. 422. 511.
Irrisio quid sit? ibid.
Est ex genere suo peccatum mortale. ibid.
In quo differat à subsanatione, & illusione? ibid.

IRRITATIO.

Vide Voti irritatio.

INSINUATIO.

Vide Donatio.

INOBEDIENTIA.

Inobedientia quid sit? 454. 658.
Alia generalis, alia specialis. ibid.
Quid utraque sit? ibid.
Vide Obedientia.

INTERDICTUM.

Quid sit interdictum Ecclesiasticum? 669. 479.
In quo differat ab aliis censuris? ibid.
Vel est locale, vel personale; & quid utrumque? ibid. 480.
Primus effectus interdicti privatio Sacramentorum. 670. 481.
Quibus Sacramentis privet? ibid.
Mortale est ministrare, vel recipere Sacramenta prohibita in interdicto. ibid.
Ministrantes fiunt irregulares. ibid.
Secundus effectus privatio omnium divinorum officiorum. ibid. 482.
Quomodo privet Missæ sacrificio. ibid.
Quid de aliis divinis officiis. ibid. 483.
Quæ non prohibeantur in interdicto? 671. 484.
Suspenditur interdictum in aliquibus solemnitatibus, & quæ illæ sint? 670. 482.
Ad quæ suspendatur in talibus solemnitatibus? ibid. & 671. 485.
Tertius effectus interdicti privatio Ecclesiasticæ sepulturæ. ibid. 486.
Quibus, & quomodo permittatur in interdicto Ecclesiastica sepultura? ibid.
Quæ liceant per prilviegium tempore interdicti. Vide Cruciata circa alia.

INVIDIA.

Invidia quid sit? 459. 680.
Ex genere suo peccatum mortale, & vitium capitale. ibid.
Variis modis potest esse tristitia de bonis proximi sine invidia. ibid. 681.
Invidia quando sit odium? 460. 684.
Invidiæ quinque filiæ, & quæ illæ sint? ibid. 685.

IUBILAEUS.

Ponitur tenor Iubilæi. 774. 454.
Quid sit Iubilæus, & quomodo concedatur? ibid. 453.
Debent attendi clausulæ, & verba concessionis. 776. 455.
Concedit indulgentiam plenissimam. ibid. 456.
Concedit facultatem eligendi confessorem, qui absolvat à censuris, & casibus reservatis. ibid. 457.
Quando conceduntur omnes casus Bullæ Cœnæ, probabile est concedi hæresim, pro foro interno. 777. 458. & seq.
Quomodo possint in Iubilæo absolvi censurati ab aliquo Iudice nominatim declarati. ibid. 460.
Possunt absolvi casus reservati omnibus Superioribus Papa inferioribus, estò non exprimantur. ibid. 461.
Concedit facultatem commutandi omnia vota, duobus exceptis, nisi alia excipiantur. ibid. 462.

IUBILAEI OPERA.

Sex opera communiter injunguntur ad lucrandum Iubilæum, & quæ illa sint? 778. 463.
Satis est semel eleemosynam facere, & unam visitare Ecclesiam ex assignatis. ibid. 464.
Non opus est, quòd omnia opera fiant in statu gratiæ. ibid. 465.
Confessio debet esse valida, & formata. ibid. 466.
Quando informis sufficere possit? ibid.
Sacrilega nunquam sufficit. ibid. 467. & seq.
Qui fictè confessus est, non potest, elapso tempore Iubilæi, absolvi à reservatis. ibid. 469.
An indulgentia lucrari possit sine confessione ab eo, qui est in gratia? 779. 470.

Digitized by Google

Dato, quòd qui sine confessione eam lucraretur, non posset postea absolvi à reservatis oblitis? ibid. 471.
Quid de eo, qui non est confessus defectu confessoris, fecit tamen omnia alia opera? ibid. 472.
Quid de eo, qui ex aliquo casu communicare non potuit? ibid. 473.
An communicans sacrilegè possit lucrari Iubilæum? 780. 474.
Ad lucrandum Iubilæum, debet ultimum opus fieri in gratia. ibid. 475.

IVBILAEI TEMPVS

Regulariter durat per duas hebdomadas. 774. 453.
Lucratur quis illum post publicationem factam ab Ordinario. 780. 476.
Qui de moribundo habente notitiam certam Iubilæi, ante publicationem? ibidem.
Omnia opera debent fieri intra alteram ex duabus hebdomadis. ibid. 477.
Quando incipiat, & finiatur hebdomada ad lucrandum Iubilæum? ibid. 478.
Confessio potest fieri in ultima Dominica hebdomadæ. 781. 479. & seq.
Eucharistia potest sumi in quolibet die hebdomadæ. ibid. 481.
Qui in uno loco non lucratus est Iubilæum, potest lucrari in alio, si ibi duret. ibid. 482.
Quid de eo, qui ex ignorantia Iubilæi, illud non fuit lucratus intra tempus? ibid. 483.
Quid de voluntariè nolent lucrari, si voluntatem mutet in ultimo Sabbato? ibid. 484.
Incidens in reservatum post lucratum Iubilæum per ultimum opus, potest durante hebdomada absolvi. 782. 485.
An qui lucratus est Iubilæum in prima hebdomada, possit illum etiam lucrari in secunda? 785. 500.

IVBILAEI CONFESSOR.

Confessor eligendus per Iubilæum debet esse approbatus ab Ordinario loci, in quo sumitur Iubilæus. 782. 486.
A quo Ordinario debeat esse approbatus eligendus à Regularibus? ibid. 487. & seq.
Qui de eligendo à Monialibus? ibid. 489.
Potest semel electus relinqui, & eligi alius. ibid. 490.
Confessor electus non potest absolvere à reservatis, sub conditione quòd lucreris Iubilæum, sed absolutè. 783. 491.
Qui absolvitur à reservatis intendens lucrari Iubilæum, absolutus manet, estò postea non lucretur? ibid.
Idem est, si ei vota commutata sint. ibidem.
An absolutus à reservatis peccet mortaliter, si postea non lucretur Iubilæum? ibidem. 492.
Confessor electus potest differre Iubilæum ex justa causa. ibid. 493.
Ille, cui Iubilæus differtur, potest absolvi à reservatis, in quos incidit medio illo tempore. ibid. 494.
Potest absolvi virtute Iubilæi, qui peccavit in illius confidentiam. 784. 495.
Quid sit peccare in confidentiam Iubilæi? ibid.
Transacto tempore Iubilæi, potest quis absolvi à censuris, & casibus reservatis oblitis. ibid. 496.
Quid, si confessus, & absolutus tandem non est lucratus Iubilæum? ibid.
An qui lucratus est Iubilæum, possit postea commutare vota oblita, vel quæ commutare non curavit tempore Iubilæi? ibid. 497.
An virtute Iubilæi concedentis commutationem votorum, possint commutari juramenta? ibid. 498.

IVDEX.

Habere debet legitimam potestatem. 424. 522.
Hæc haberi potest uno è quatuor modis. ibid.
Peccat usurpando jurisdictionem, & sententia est nulla? ibid.
Debet judicare secundùm veritatem saltem formalem, & ex scientia publica, non ex privata. 425. 523.
Debet servare formam juris. ibid.
Procedere debet vel via accusationis, vel denuntiationis, vel inquisitionis. ibid. 524.
Non potest condemnare, nisi citatum, & auditum. ibid. 525.
In quibus casibus id necessarium non sit? ibidem.
Debet judicare secundùm leges ibidem. 526.
Debet sententiam justam proferre, & exequi. ibid.
Peccat contra justitiam cum onere restituendi, condemnans contra formam juris, vel ex privata scientia, vel ex cognitione per injuriam extorta. 426. 527.
Quam opinionem sequi debeat in judicando? 660. 435.
Peccata judicis. 593. 52.

IVDICIVM TEMERARIVM.

Iudicium temerarium quid sit? 423. 517.
Pertinet ad detractionem. ibid.
Est ex genere suo mortale contra justitiam, & charitatem. ibid.

Quan-

Digitized by Google

Quando in re mortale sit, & possit esse veniale. 424. 518.
Ad illud reducitur opinio, suspicio, & dubium temerarium. ibid. 519.
Quid sint ista? ibid.

IURAMENTUM.

Iuramentum quid sit? 366. 267.
Est actus virtutis Religionis. 369. 278.
In juramento invocatur Deus, vel explicitè, vel implicitè, quando juratur per creaturas. 366. 268.
Tribus modis juratur per creaturas. ibid. 269.
Quando jurare per creaturas sit jurare per Deum implicitè? ibid. 270.
Non licet jurare per omnes creaturas. ibid. 271.
Aliquot sunt formæ jurandi, quæ certè juramentum continent, & quæ illæ sint? 367. 272.
Aliæ sunt, quæ juramentum non continent. ibid. 273.
Aliæ sunt formæ ambiguæ. ibid. 274.
Quando sit, vel non sit juramentum jurare per creaturas non sacras? 368. 275.
Proferens formas non continentes juramenta ex intentione jurandi, obligatur ex conscientia erronea. ibid. 276.
Si desit intentio jurandi, non dabitur juramentum. ibid. 277.
Quando sit peccatum sine intentione jurare? ibid.
Iuramentum est actus honestus ad Religionem pertinens. 369. 278.
Iuramentum, ut liceat, tres postulat conditiones, nempe veritatem, justitiam, & judicium? ibid. 279.
Quid sit juramentum assertorium? ibid. 280.
Quæ veritas in eo requiratur? ibid. 281. & seq.
Quando liceat, vel non liceat uti amphibologia in juramento assertorio? 370. 284. & seq.
Ponuntur tres regulæ ad id judicandum. ibid. 286.
Quæ justitia requiratur ad juramentum assertorium? 371. 290.
Quod item requiratur judicium? 372. 291.
Quid sit juramentum promissorium? ibid. 292.
Quæ illius veritas? ibid. 293. & seq.
Quid de juramento hyperbolico? ibid. 294.
Quæ sit justitia juramenti promissorii? ibid. 295.
Iuramenta promissoria de re indifferente sunt peccata venialia. ibid.
Quod sit judicium juramenti promissorii? ibid. 296.
Effectus juramenti promissorii obligatio implendi illud. ibid. 297.
In quibus casibus liceat non implere? 373. 298. & seq.
Iuramentum comminatorium quid sit? ibid. 301.
Pertinet ad promissorium, ejusque conditiones postulat. ibid.
In quibus casibus possit non impleri? ibid.
Iuramentum execratorium quid sit? 374. 302.
Variæ ejus formæ. ibid.
Quomodo Deus in illo invocetur? ibid. 303.
Iuramentum execratorium pertinet tam ad assertorium, quàm ad promissorum. ibid. 304.
Quod juramentum prohibeatur in secundo præcepto Decalogi? 375. 305.
Omnia juramenta, in ratione juramenti, sunt ejusdem speciei. ibid. 306.
Iuramentum potest habere admixtam blasphemiam. ibid. 307.
Quando consuetudo jurandi constituat hominem in statu peccati mortalis? ibid. 308. & seq.
Quando tali neganda sit absolutio, vel differenda? 376. 312.
Quomodo in confessione explicanda sit talis consuetudo? 377. 313.
Relaxatio juramenti solum cadit in juramentum promissorium. ibid. 314.
Qui possunt irritare vota, possunt irritare juramenta. ibid.
Papa potest irritare juramenta Clericorum de rebus Ecclesiasticis. ibid. 315.
Dispensare, & commutare juramenta pertinet ad Prælatos Ecclesiæ. ibid.
Papa potest dispensare, & commutare omnia juramenta. ibid.
In quibus non possit Episcopus? ibid.
Iuramentum factum in favorem tertii, non potest dispensari, nec commutari per Papam. ibid. 316.
Duo sunt casus, in quibus potest. ibid.
Quando juramentum non fuit in utilitatem tertii, authoritate propria commutari potest in rem evidenter meliorem. ibid. 317.
Parochus non potest commutare, nec relaxare juramenta. ibid.
Vide Relaxatio Voti.

IUS.

Ius quid sit? 603. 93.
Quid jus in re, quid jus ad rem? ibid.
Iuris variæ species. ibid. 94.
Quid jus dominii? ibid. & seq.
Quid jus usus nudi? ibid. 96. & seq.

Quid

Digitized by Google

Quid jus usufructus? 604. 98.
Quid jus servitutis? ibid. 99.
Quid jus possessionis, ibid. 100.
Vide Dominium.

IUSTITIA.

Iustitia quid sit? 608. 116.
Quomodo multæ virtutes deficiant à ratione justitiæ? ibid. 217.
Iustitiæ propriè dictæ tres species. ibid. 119.
Quid justitia commutativa? ibid.
Munus justitiæ commutativæ. ibid. 118.
Quid justitia distributiva? ibid. 120.
Ad eam pertinet remunerativa, & punitiva. ibid.
Quid justitia generalis, seu legalis? 609. 121.

L

LATRIA.

Latria cultus supremus Deo soli debitus. 335. 113.
Latria actus virtutis Religionis. ibid.
Distinguitur à dulia, qua sanctos colimus, & ab hyperdulia, qua veneramur B. Virginem. 336. 120.

LAUS DEI.

Duplex laus Dei, interna, & externa. 356. 225.
Laus Dei manifestatio alicujus excellentiæ divinæ. ibid.
Quibus modis Laus Dei contingat? ibid.

LEX.

Lex quid sit, & unde dicatur? 441. 593. & seq.
Lex divina, vel naturalis, vel positiva. ibid. 595.
Lex humana vel Ecclesiastica, vel Civilis. ibid. 596.
Nulla lex humana obligat ante promulgationem. ibid. 597.
Promulgatio legis humanæ non fit singulis hominibus in particulari. ibid.
Lex, ut valeat, non requirit populi acceptationem. ibid. 598.
Lex obligat in conscientia. ibid.
Quæ fundatur in præsumptione facti, non obligat, si præsumptio non concordet cum veritate. 442. 599.
Quæ fundatur in præsumptione periculi, obligat, licèt periculum aliquando absit. ibid.
Lex obligat graviter, vel leviter pro ratione materiæ. ibid. 600.
Varia signa ad judicandum legem graviter obligare. ibid.
Lex humana regulariter non obligat cum periculo vitæ. ibid. 601.
Aliquando obligare potest cum eo periculo, & quando taliter obliget? ibid.
Lex humana obligat omnes subditos, ad quos dirigitur. ibid. 602.
Lex Ecclesiastica non obligat infideles non baptizatos. 443. 603.
Obligat verò hæreticos baptizatos. ibid.
Nulla ex humana obligat pueros, ante usum rationis, maximè verò cùm ad illum perveniunt. ibid.
Peregrini non tenentur legibus particularibus suæ patriæ, tenentur verò ad leges loci, in quo inveniuntur. ibid. 604.
Idem dicendum de vagis. ibid.
Consuetudo legem interpretatur, antiquam abrogare potest, & novam inducere. ibidem.
In lege humana dispensare potest. A quibus, & in quibus casibus? ibid. 605.
Quando inferior valeat dispensare in lege superioris? ibid.
Requiritur ad id causa justa. ibid.
Superior potest dispensare in sua lege sine causa validè, sed illicitè. ibid.
Dispensatio potest esse subreptitia, & nulla, & quando? ibid.
Vide Dispensatio.

LIBELLUS FAMOSUS.

Quid sit libellus famosus. 422. 511.
Pertinet ad detractionem. ibid.
Est gravissimum peccatum contra justitiam, & charitatem. ibid.
Ad libellum famosum reducitur signum dehonestativum proximè publicè positum. ibid.
Qui invenientes libellos famosos, aliis communicant, gravissimè peccant.
Pœnæ gravissimæ in auctores libelli famosi. ibid.

LIBERALITAS.

Liberalitas quid sit? 462. 694.
Habet duos actus. ibid.
Opponitur avaritiæ. ibid.

LICENTIA.

Vide Parochus quoad licentias.

LITANIAE.

Litaniæ dicendæ ex præcepto in diebus sancti Marci, & Rogationum. 340. 142.

LOCATIO.

Est idem contractus cum conductione. 612. 187.
Quinque obligationes locatoris. ibid. 188. & seq.
Tenetur manifestare conductori vitia rei locandæ. ibid.
Tenetur ad expensas necessarias, & utiles. ibid. 189.

Te-

Digitized by Google

Tenetur ad onera, seu tributa rei locatæ. ibid. 190.
Tenetur ad non repetendam rem locatam ante tempus condictum. ibid. 191.
Aliquando repetere licet, & quando. ibid.
Tenetur ad remittendam pensionem, vel partem, si res locata erat fructifera, & annus sterilis. ibid. 192.
Quid de jure nostro Lusitano? ibid.
Quando non teneatur remittere? ibid.
Quid circa famulos suas operas locantes? 623. 195.
Vide Conductio.

LOCVTIO.

Locutio rerum turpium contra sextum præceptum Decalogi. 412. 471.
Quando sit culpa mortalis? ibid.
Quando per se venialis sit? ibid.
Quando per accidens possit esse mortalis? ibid.

LVDVS.

Ludus est contractus jure naturæ licitus. 626. 210.
Ludus quid sit? ibid.
Qui non possint in ludo perdere? ibid. 211.
Qui non potest in ludo perdere, in eo lucrari non valet, & tenetur restituere. ibid.
Qui in ludo vincit per fraudes injustas, tenetur restituere, quod sic lucratus fuit. ibid. 213.
Non tenetur restituere, qui in ludo utitur fraudibus, seu astutiis, quas ludus patitur. ibid. 214.
Quæ sint istæ fraudes, & astutiæ? ibid.
Qui lucratur in ludo prohibito, non tenetur restituere, ante sententiam judicis. ibid. 216.
Qui perdit in ludo prohibito, non tenetur solvere, & potest repetere in judicio, quod solvit. ibid.
Non potest in tali ludo lucrare, qui habet animum non solvendi, si perdat. ibid.
Qui peccent ludendo? 627. 217.
Certi ludi sunt prohibiti, alii prohibiti certis personis. ibid.

LVXVRIA.

Luxuria quid sit? 457. 668.
Est unum ex septem vitiis capitalibus. ibid.
Habet octo pessimas filias. ibid.
Quatuor istarum ex parte intellectus, & quæ illæ sint? ibid. 669.
Quatuor ex parte voluntatis, & quæ sint? ibid. 670.
Quomodo tales filiæ generentur? ibid. 669. & seq.
Omnis luxuria externa prohibetur in sexto præcepto Decalogi. 404. 433.
Omnis verò interna prohibetur in nono. ibid.
Quinque modis committitur luxuria contra naturam. 409. 456. & seq.
Omnes quinque modi sunt peccata mortalia specie diversa. ibid. 458.
Ordo gravitatis inter illos. ibid. 459.
Vide Mollities.

M

MAGIA.

Magia quid sit? 353. 207.
Est superstitio opposita Religioni. 350. 191.
Quomodo dæmon ex pacto cum mago faciat res mirabiles? 353. 208.
Variis modis fit pactum inter dæmonem magum. ibid. 209.
Magia aliquando est cum hæresi, alienando sine illa ibid. 210.
Magia semper grave peccatum. ibid.

MALEFICIVM.

Maleficium superstitio Religioni opposita. 350 191.
Pertinet ad magiam. 353. 211.
Maleficium quid sit? ibid.
Maleficium vel amatorium, vel veneficium. ibid.
Quomodo utrumque operetur maleficus ibid. 212. & seq.
Maleficium aliquando est cum hæresi, aliquando sine illa. 354. 214.
Quomodo confessor se habere debeat cum malefico? ibid.
Ad maleficium reducitur peccatum lamiarum, & strigum. ibid. 215.
Quæ istæ sint, & quæ earum peccata? ibid. & seq.
Non licet à malefico petere, ut maleficium tollat per aliud maleficium. ibid. 217.
Quomodo possint maleficia tolli, vel cogere maleficium, ut illa tollat? 355. 218. & seq.

MANSVETVDO.

Mansuetudo quid sit? 462. 696.
Mansuetudo homines benevolos reddit. ibidem.
Mansuetudinis comes patientia. ibid.

MANVS VIOLENTA.

Manus violenta quid dicatur? 730. 271.
Quas actiones comprehendat manus violenta. ibid.
Vide percussio Clerici.

MARITVS.

Maritus tenetur diligere uxorem. 390. 371.
Tenetur uxorem graviter non percutere. ibid.
Tenetur eam injuria non afficere. ibid.

Digitized by Google

Tenetur attendere ad gubernationem domus, & familiæ. ibid.
Tenetur emendare, & corrigere uxorem, si egeat. ibid.
Tenetur habitare cum uxore. ibid.
Tenetur uxorem non impedire ab impletione præceptorum, neque ab operibus piis. ibid.
Tenetur reddere debitum conjugale. ibid.
Vide Debitum conjugale.
Quæ vota uxoris irritare possit? Vide Voti Irritatio.

MARTYRIUM.

Martyrium dicitur Baptismus sanguinis. 477. 72.
Non est Sacramentum. 478. 74.
Gratiam confert ex speciali privilegio. ibid.
Per martyrium salvatur quis sine Baptismo aquæ, quando hic suscipi non potuit. 477. 73.
Per martyrium salvatur quis non confessus de peccatis suis, si confessio præmitti non potuit. ibid.
Martyrium cum sola attritione potest sufficere ad salutem.

MATRIMONIUM.

Est contractus, & Sacramentum novæ legis. 553. 469.
Ejus definitio secundùm utramque rationem. ibid.
Inter Christianos contrahi non potest, quin sit Sacramentum. ibid. 470.
Contractum per procuratorem Sacramentum est. ibid.
Contractum ex dispensatione inter baptizatum, & non baptizatum, Sacramentum non est. ibid.
Matrimonia infidelium, si postea baptizentur, non fiunt Sacramenta, licèt oppositum sit probabile. 554. 471.
Consensus mutuus verbis, aut signis expressus habet rationem materiæ, & formæ hujus Sacramenti. ibid. 472.
Sub qua ratione habeat utramque rationem? ibid.
Ipsi contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti. ibid. 473.
Parochus non est minister, sed testis qualificatus. ibid.
Matrimonium contractum sub conditione de futuro, valere incipit, adveniente conditione. ibid. 474.
Debet Parocho, ac testibus constare de impletione conditionis, sicut & ipsis contrahentibus. ibid.
Matrimonium debet esse inter legitimas personas, & quid hoc significet? 555. 477.

MATRIMONII EFFECTUS.

Matrimonii effectus, ut est Sacramentum, augmentum gratiæ, & gratiæ actuales. 555. 478.
Effectus matrimonii legitimè consummati indissolubilitas. ibid. 479.
Quomodo matrimonia infidelium sint indissolubilia? ibid. 480.
Matrimonium ratum dissolvi potest quoad vinculum per professionem religiosam, & per dispensationem Pontificis. ibid. 481.

MATRIMONII REVALIDATIO.

Matrimonium celebratum coram Parocho, & testibus potest ex multis capitibus esse nullum. ibid. 482.
Quomodo possit convalescere, quando alter fictè contraxit? 556. 483.
Quomodo, quando uterque fictè contraxit? ibid. 484.
Quomodo, quando matrimonium fuit nullum, ob aliquod impedimentum dirimens utrique cognitum? ibid. 485.
Quomodo, quando alter tantùm impedimentum novit? ibid. 486.
Quid, quando timeatur grave damnum ex manifestatione impedimenti? ibid. 487. & seq.
Quid de illis, qui falsò existimant esse inter illos impedimentum dirimens, & eo stante validè contrahere? 557. 489.
Quid, si crederent validè contrahere non potuisse? ibid. 490.
Quid, si ex aliquo errore contraxerunt, putantes matrimonium fuisse validum, quod tale non fuit? ibid. 491.
Matrimonium nullum ob aliquod impedimentum occultum, ut sublato impedimento convalescat, non requirit præsentiam Parochi, nec testium. ibid. 492.
Aliter dicendum, si impedimentum factum fuit notum. ibid. 493.

MATRIMONII USUS.

Conjuges non tenentur, per se loquendo, debitum petere. 557. 494.
Per accidens teneri possunt. ibid.
Tenentur ex justitia debitum reddere. ibid. 495.
Obligatio reddendi debitum est gravis. ibid.
Variæ causæ excusant à debiti redditione, & quæ illæ sint? 558. 496. & seq.
Variæ item causæ, ex quibus non licet debitum petere, & quæ illæ sint? ibid. 501.
Quid de habente votum castitatis? ibid.
Quid de illo, qui incestum commisit? 559. 502.
Quid, quando contraxit cognationem spiritualem cum altero conjuge? ibid.
Quid quando est dubium de valore matrimonii. ibid. 503.
Ad rectum usum matrimonii variæ conditiones. ibid. 504.

Digitized by Google

Quæ sint istæ conditiones, & quomodo intelligantur? ibid. & seq.
Conjuges tenentur ex lege naturæ filios alere. 560. 507.
Vide Impedimenta. Vide Denuntiationes.
Vide Parochus quoad matrimonium.
Vide Benedictiones.

MEDICVS.

Medico non licet applicare medicamentum probabile, aut dubium, relicto certo. 661. 438.
Quando ei liceat applicare medicamentum probabile, aut dubium? ibid.
Quando non est medicamentum certum, non licet applicare probabile, relicto probabiliori. ibid.
Si sit valdè doctus, potest sequi opinionem sibi probabiliorem, relicta magis recepta. ibid.
Tenetur admonere infirmum de suo periculo in tertia visitatione. 811. §. Deinde.

MENDACIVM.

Mendacium quid sit? 423. 514.
Alterum formale, materiale alterum, & quid utrumque? ibid.
Formale mendacium intrinsecè malum, & nunquam licet. ibid. 515.
Licet aliquando occultare veritatem, utendo verbis dubiis, sine mendacio. ibid.
Quid sit mendacium jocosum, quid officiosum, & quid perniciosum? ibid. 516.
Iocosum, & officiosum ex genere suo veniale; perniciosum verò mortale. ibid.

MERETRICES.

Non tenentur restituere pretium turpitudinis per se loquendo. 636. 258.
In aliquibus casibus illud restituere tenentur, & qui illi sint? ibid.
Non licet oblatio publicè facta de lucro meretricio. 344. 162.
Meretrices non sunt absolvendæ, antequam dederint signa sufficientia suæ resipiscentiæ. 523. 311.
Quomodo Parochus se debeat habere cum illis in periculo mortis? 816. 20.

MINISTER.

Vnus minister satis est, ut Sacerdos celebret. 100. 106.
Quando liceat sine ministro celebrare. ibid. 107. & seq.
Nunquam admittenda fœmina, ut ministret Sacerdoti in Missa. ibid. 108. & 101. 111.
Potiùs celebrandum sine ministro, quàm fœminam admittere. 101. 111.
Ministri Sacramentorum. Vide in quolibet Sacramento.

MISERICORDIA.

Misericordia virtus specialis à charitate distincta. 323. 58.
In quo consistat hæc virtus? ibid.
Exercetur circa quatuordecim opera misericordiæ. 324. 59.
Misericordia obligat graviter ad subveniendum proximo per eleemosynam. ibid. 60.
Vide Eleemosyna.
Misericordia obligat ad cætera opera corporalia Misericordiæ, sicut ad eleemosynam. 326. 70.
Misericordia æqualiter obligat ad septem opera spiritualia, ac ad corporalia. 324. 59.
Peccata contra Misericordiam. 580. 42.

MISSA.

Nomen *Missa* quid significet? 84. 18.
Missa catechumenorum, & Missa fidelium, quæ dicatur? 83. 17.
Missa quæ comprehendat? 84. 20.
Substantia Missæ à Christo, accidentia ejus ab Apostolis, eorumque successoribus aucta. ibid.
Missam celebrare in peccato mortali, sacrilegium mortale est. 96. 83.
Non est mortale celebrare ante dictum matutinum, & fortè neque veniale. 97. 90. & seq.
Missa postulat certum locum, & quis ille sit? 98. 92.
Non licet celebrare Missam in Ecclesia polluta. ibid. 94.
Quid faciendum, si Ecclesia polluatur inter celebrandum? ibid. 95.
Non potest dici Missa in Ecclesia polluta, ut populus audiat in die festo. 99. 98.
Quibus diebus liceat unam Missam celebrare in Ecclesia polluta? ibid.
Quid faciendum, si, Missa incepta, adveniat publicus excommunicatus, vel interdictus? ibid.
Non licet Missam celebrare sine ara lapidea ab Episcopo consecrata. ibid. 101.
Quæ ornamenta Altare habere debeat, ut in eo Missa celebretur? ibid. 102.
Non licet Missa celebrare sine Calice, & patena, & cujus materiæ esse debeant? ibid. 103.
Non licet celebrare Missam sine vestibus sacris benedictis. 100. 104.
Quæ vestes omitti possint in casu necessitatis? ibid.
Sine ministro licet aliquando celebrare Missam. ibid. 107. & seq.

MISSAE TEMPVS.

Missa non celebratur in Venere Sancto, neque officium illius diei est Missa. 101. 112.

In

In feria quinta Cœnæ Domini nemini prohibitum est celebrare. ibid. 113.
Servanda in hoc consuetudo, & non celebrandum in publico, nisi occurrente festo de præcepto. ibid.
In Sabbato sancto licet celebrare privatim post pulsatas campanas. ibid. 114.
Si eo die occurrat festum Annuntiationis, possunt publicè dici aliæ Missæ, post campanas pulsatas, ut populus audiat. ibid.
Non licet ordinariè celebrare ante auroram. ibid. 115.
Quid intelligatur per auroram? ibid.
Ex privilegio potest hoc tempus anticipari. ibid. 116.
Ad communicandum infirmum in necessitate, potest Missa celebrari statim post mediam noctem. ibid.
Missæ dici possunt usque ad meridiem, ita ut inchoentur ante illum. ibid. 118.
Ex privilegio potest inchoari post meridiem. ibid.
Quid circa hoc tempus doceat Nav. & quid tandem permitti possit? 102. 119.
De jure ordinario una tantùm Missa in die dicenda à quolibet Sacerdote, excepta die Natali Domini. ibid. 120.
In necessitate concedit jus posse bis Missam celebrari. ibid. 121.
Hanc necessitatem extendunt Doctores ad varios casus. ibid.
Non est in praxi recepta talis extensio quoad omnes casus. ibid. 122.
Quando duæ Missæ dicendæ, non sumenda purificatio in prima. ibid. 123.
Ad communicandum infirmum, qui aliàs sine Viatico discederet, probabile est licere bis celebrare etiam non jejuno. ibid. 122. & 501. 192.
Qui habet duas Parochias, potest bis celebrare jejunus. 103. 124.

MISSAE INTERRVPTIO.

Quando liceat Missam jam inceptam interrumpere, eam de novo incipiendo? 103. 125.
Quando liceat Missam interrumpere discedendo ab Altari? ibid. 126. & seq.
Quid tunc faciendum? ibid.
Quando liceat Missam interrumpere, non discedendo ab Altari, nec eam iterum incipiendo? ibid. 129. & seq.

MISSAE DEFECTVS.

Defectus substantiales in Missa occurrentes supplendi. 104. 131.
Quid, si Sacerdos post consecrationem advertat in Calice esse solam aquam? ibid.
Quid, si non advertat, nisi post aquæ sumptionem? ibid.
Quid faciendum, si post Calicis consecrationem, sanguis sumi non possit? ibid. 132. & seq.
Quid, si in Calicem consecratum incidat aranea, vel vermis venenosus? ibid. 133.
Quid, si totus sanguis casu effundatur? ibid. 134.
Quid, si celebrans, vel moriatur, vel non possit Missam perficere, si ea sit ante consecrationem? ibid. 135.
Quid, si id contingat post consecrationem? ibid.
Quando, & qui defectus accidentales supplendi sint, & qui supplendi non sint? 105. 136. & seq.
Quid circa particulas consecrandas pro communione? 104. 133.

MISSAE RITVS.

Tenetur celebrans servare integrum ritum Missæ in Missali præscriptum. 105. 139.
Quando sit culpa mortalis, & quando venialis aliquid omittere? ibid. & seq.
Non licet addere alias precationes, aut verba. ibid. 141.
Non licet omittere cæremonias, aut novas addere. ibid. 142.
Quando hæc omissio, aut additio possit esse culpa gravis, aut levis? ibid.
Non licet celebrare cooperto capite. ibid. 143.
Dispensare in hoc pertinet hodie ad Papam. ibid.
Si Missa est privata, non est culpa dicere aliam, quæ non assignatur pro eo die. 106. 144. & seq.
Missa solemnis dicenda est, quæ pro tali die præscribitur. ibid. 145.
Sine causa rationabili non est omittenda Missa diei. ibid.
Qui tenetur ad certas Missas, non peccat dicendo Missam diei. ibid.
Circa Missas votivas, vel de Requie in festo, vel duplici varia decreta Sacræ Congregationis. ibid. 146.
Advertat Sacerdos, quando ab eo petuntur Missæ insolitæ, quæ superstitionem sapere videntur. ibid. 147.
Triginta Missæ Sancti Gregorii quomodo dici debeant? 107. 148.

MISSAE STIPENDIVM.

Missæ stipendium debet esse justum. 107. 149. & seq.
Si stipendium Missæ taxatum sit ab Episcopo, non potest majus exigi. ibid. 151.
Si taxatum non sit, illud erit justum, quod communiter dari solet. ibid. 152.
Qui stipendium accepit, tenetur ex justitia Missam dicere pro eo, qui dedit. ibid. 153.

Non

Digitized by Google

Non satisfit per unicam Missam duobus stipendiis. ibid. 154.
Sacerdotes divites possunt pro Missa stipendium accipere. 108. 155.
Non potest stipendium accipi pro ea Missa, quam alteri applicare teneris. ibid. 156.
Quid, quando duo dimidiata stipendia dederunt? ibid.
Non licet Sacerdoti pauperi pro una Missa accipere tot stipendia, quot sufficiant ad ejus sustentationem diurnam. ibid. 157.
Non potest Sacerdos applicare alteri eam partem Missæ, quæ sibi respondet, nec pro ea stipendium accipere. ibid. 158.
Non potest ea Missa applicari uni ad satisfaciendum, alteri ad impetrandum, nisi dantes stipendium id acceptent. ibid. 159.
Missa in die Commemorationis omnium Defunctorum, potest pro libito applicari. ibid. 160.
Habens capellaniam cum obligatione Missarum, tenetur eas applicare ad intentionem testatoris. 109. 161.
Non potest Sacerdos accipiens stipendium majus solito, retinere sibi partem, dando commune stipendium alteri, qui celebret ejus loco. ibid. 162.
Id licet Capellano, cui pro Missis capellaniæ pingue respondet stipendium. ibid.
Non peccat graviter dicens Missam in alio Altari, & non in eo, quod volebat dans stipendium, nisi Altare, quod volebat, esse privilegiatum. ibid. 163.
Quo tempore teneatur Missam dicere, qui stipendium pro ea accepit? ibid. 164.
Ad Sedem Apostolicam pertinet minuere numerum Missarum, quibus quis gravatur. ibid. 165.
Quid faciendum iis, qui magno numero Missarum obruuntur? ibid. 166.
Ecclesia habens censum in aliqua proprietate pro Missis, si proprietas periit, vel facta est infructuosa, non tenetur ad Missas. 107. 150.

MISSAE PRAECEPTUM.

Missæ præceptum obligat sub mortali fideles habentes usum rationis pro Dominicis, & Festis. 443. 606.
Quid sit audire Missam? ibid. 607.
Quæ attentio requiratur? 444. 608.
Satisfit præcepto, audiendo quamlibet Missam. ibid. 609.
Satisfacis præcepto, audiendo Missam ex malo fine, licèt aliunde pecces. ibid. 610.
Per unam Missam satisfit duobus præceptis eodem die occurrentibus. ibid.
Non sunt duo peccata tali die Missam omittere. ibid.
Erunt tamen duo, si eo die tenearis etiam ex voto. ibid.
Præceptum Missæ obligat ad integram Missam. ibid. 611.
Quando tenearis ad partem, si integram omisisti? ibid.
An satisfacias, audiendo duas medietates? ibid. 612.
Impletur præceptum, audiendo cum intentione non satisfaciendi. ibid.
Quando sine culpa possis exire è loco, in quo obligat præceptum Missæ, illa non audita? 445. 613.
An advena teneatur ad Missam in loco, in quo invenitur, quando obligatio est solius loci? ibid. 614.
A quo Sacerdote Missa audiri non possit sine peccato? ibid. 615.
Quæ causæ excusent à Missa audienda? ibid. 616.
In Venere Sancto non dicitur Missa, & nemo tenetur audire officium illius diei, estò sit dies festus. 101. 112.
Vide Sacrificium Missæ. Vide Parochus quoad Missam.

MOLLITIES.

Mollities quid sit? 409. 456.
Mollities varias habere potest species culpæ tam ex parte polluentis se, quàm ex parte objecti considerati. ibid. 455.
Est peccatum mortale fornicatione gravius. ibid. 458.
Mollities triplici modo contingere potest. ibid. 460.
Mollities, seu pollutio nocturna aliquando non est peccatum, aliquando à peccato non excusatur. ibid.
Quando sit peccatum in causa? 410. 461.
Mollities, seu pollutio contingens in vigilia naturaliter, quando culpa careat, & quando possit esse peccatum. ibid. 462.
Mollities, seu pollutio voluntaria semper est peccatum mortale. 411. 463.
Mollities, seu pollutio volita in causa, quando dicatur volita, & mortalis, quando solùm permissa, & carens culpa? ibid. 464.
Mollities est peccatum difficillimæ emendationis. ibid. 465.
Quod sit potissimum remedium hujus peccati? ibid.

MORTIS ARTICULUS.

In mortis articulo quilibet Sacerdos potest absolvere ab omnibus casibus, ac censuris cuicumque reservatis. 818. 27.
Articulus mortis quoad dictam potestatem sumitur pro mortis periculo. ibid. 28. & seq.
Quando detur hoc periculum in ordine ad hanc potestatem? ibid.

Digitized by Google

An simplex Sacerdos possit absolvere in eo periculo, si adsit, qui de jure absolvere potest? ibid. 30.
An simplex Sacerdos possit absolvere, si adsit Parochus, vel approbatus? ibid.
Probabile est, si Sacerdos simplex confessionem coepit audire, posse eam perficere, esto veniat Parochus, vel approbatus. ibid. 31.
Quid faciendum, si poenitens habeat censuram reservatam, & adveniat superior cui illa reservatur? 819. 32.
Quando censeatur deesse copiam superioris ut possint Sacerdotes inferiores tunc absolvere? ibid. 33. & seq.
Quis debet absolvere, quando adsunt plures Sacerdotes diversi conditionibus affecti? ibid. 36.
Si moribundus habet casus reservatos Papæ, qui adiri non potest, non est adeundus Episcopus, cui tales casus specialiter commissi non sunt. 820. 37.
Moribundus non potest absolvi à quolibet à censuris, quæ non obstant Sacramentis recipiendis, aut Ecclesiasticæ sepulturæ. ibid. 38.
Quid faciendum cum eo, qui tunc absolvitur à casibus Bullæ Cœnæ? ibid. 39.
Quid, cùm habent alias censuras reservatas extra Bullam Cœnæ? ibid. 40.
Qui absolvitur à reservatis non habentibus censuram, nullum ei onus imponendum. ibid. 41.
Vide Parochus circa moribundos.

MORTVI.

Quanto tempore post mortem expectandum sit, ante sepulturam? 853. 12.
Quibus experimentis deprehendi debeat, an homo sit verè mortuus? ibid.
Quolibet die defunctus sepeliri potest, nisi constitutiones Episcopi prohibeant. ibid. 13.
Quando campanæ pulsandæ non sint pro Defuncto? ibid.
Quando preces, & officium sepulturæ dici debeant voce submissa? ibid.
Qua hora defunctus sepeliri debeat? ibid. 14.
Vide Funus. Vide Sepultura. Vide Parochus circa mortuos.

MVNVS.

Quid sit munus à manu? 360. 244.
Quid munus à lingua? ibid.
Quid munus ab obsequio? ibid.
Vide Simonia. Vide Vsura.

MVTVVM.

Mutuum quid sit? 613. 143.
Quæ sit mutui materia? ibid.
In quo mutuum differat à commodato? ibid.
In quo sit justitia mutui? ibid.
Vide Vsura.

N

NEMESIS.

Nemesis quid sit? 329. 86.
Quando possit licere, & carere culpa? ibid.
Quando sit peccatum mortale, & quando veniale? ibid.

NOTARIVS.

Ad quid teneatur Notarius, seu Tabellio? 430. 547.
Quando peccet in suo officio cum onere restituendi? ibid.
Tenetur conservare apud se registrum instrumentorum. ibid. 548.
Tenetur solùm dare transumptum instrumenti, quod fecit. ibid.
Tenetur de damno parti secuto, si instrumenta non servet in registro, vel transumptum deneget, cùm petitur. ibid.
Tenetur non facere instrumenta de re illicita. ibid. 549.
Quando teneatur restituere ratione iniqui instrumenti, quod fecit? ibid.
Quæ instrumenta prohibeantur fieri à Notario sub excommunicatione? ibid.
Peccata Notarii. 593. 52.

NEGOTIORVM GESTOR.

Vide Procurator.

NOVITATES.

Inventio novitatum filia vanæ gloriæ. 454. 657.
Quid sit inventio novitatum? ibid.
Quando sit peccatum mortale, quando veniale? ibid.

O

OBEDIENTIA.

Obedientia quid sit? 454. 658.
Obedientia alia generalis, alia specialis. ibid.
In quo utraque consistat? ibid.
Obedientiam debent subditi Prælatis. 391. 375.
Non debent formalem, sed generalem. ibid.
Ex hac obedientia tenentur subditi justas leges, & mandata superiorum observare. ibid.
Non observare eorum leges, aut mandata, peccatum erit contra obedientiam juxta

Digitized by Google

gravitatem, vel levitatem materiæ. ibid. 376.
Violare quodcumque præceptum etiam leve, ex contemptu superioris, vel ex formali inobedientia, semper est culpa mortalis. ibidem.

OBLATIO.

Oblationes sunt actus externi Religionis. 343. 160.
Non sunt in præcepto. ibid.
Possunt deberi ex variis principiis. ibid.
Cedunt in emolumentum sacerdotis. ibid. 161.
In quos usus sunt expendendæ. ibid.
Oblationes à quibus fieri non debeant? ibid.
Vide quartam funeralem.

OBSERVANTIA.

Observantia debetur Prælatis, & superioribus, qui spiritualiter gubernant. 390. 373.
Hæc observantia est religiosa, & ordinis supernaturalis. 391. 374.
Observantia politica ordinis naturalis debetur illis, qui temporaliter gubernant, aliisque personis majoribus. 395. 389.
Ex hac observantia debetur prædictis personis honor, reverentia, submissio, &c. ibidem 390.

OBSERVANTIA VANA.

Est species superstitionis contra Religionem. 352. 202.
In quo consistat vana observantia? idid.
Vanæ observantiæ quatuor species. ibid.
Prima dicitur ars notoria, & quid hæc sit? ibid. 203.
Secunda observantia sanitatum, & quid hæc? ibid. 204.
Tertia observantia futurorum eventuum, & quid hæc? ibid. 205.
Quarta dicitur absolutè vana observantia, & in quo hæc consistat? ibid. 206.

OBSTETRIX.

Obstetrices scire debent formam baptismi. 483. 106.
Scire debent applicare formam cum materia debita. ibid.
Scire debent, qua intentione baptizandum sit, ut eam habeant. ibid.
Scire debent, quando infans baptizari debeat, & possit. ibid.
Debent esse peritæ in suo officio. ibid.
Debent de his rebus examinari à Parocho. ibidem.
Non sinat Parochus eas officio fungi, si ista nesciant. ibid.
Si non obediant, moneat Episcopum, ut eas sub pœnis coerceat. ibid.

ODIUM.

Odium Dei peccatorum maximum. 328. 80.
Quomodo Deus summè bonus possit esse objectum odii? ibid.
Odium proximi duplex, inimicitiæ, & abominationis. ibid. 81.
In quo consistat utrumque odium? ibid.
Odium inimicitiæ nunquam licet. ibid.
Odium abominationis sæpè licere potest. ibid. 83.
Odium inimicitiæ peccatum contra charitatem. ibid. 82.
Non est odium, neque peccatum desiderare proximo malum ob bonum finem. ibidem.
Odium nascitur ex invidia. 460. 685.

OFFICIUM DIVINUM.

Officium Divinum quid sit? 98. 96.
Sacrificium Missæ officium divinum. ibid.
Administrationes sacramentorum officia divina. ibid.
Quæ alia dicantur officia divina? ibid.
Prædicatio, & doctrina christiana non sunt officia divina. ibid.

OPINIO.

Opinio quid sit? 659. 430.
Quid opinio probabilis, quid probabilior? ibidem.
Quid opinio tutior, quid communis ibid.
Vide Conscientia probabilis.
Quid sit opinio temeraria de proximo, & quod peccatum sit? 424. 519. & seq.

OPUS.

Opus proprium animæ, quod dicatur? 383. 341.
Opus liberale quid sit? ibid.
Opus servile quid? 382. 340.
Opera bona justorum sunt meritoria, & satisfactoria. 518. 281.

ORATIO.

Oratio est actus Religionis. 337. 126.
Oratio est meritoria, satisfactoria, & impetratoria. ibid. 128.
Oratio debet esse attenta. ibid. 129.
Triplex attentio orationis, & quæ præcipua? ibidem.
Quatuor orationis partes, & quæ illæ sint? ibid. 130.
Oratio vel vocalis, vel mentalis, & quæ utraque? ibid. 131.
Oratio est in præcepto. 338. 132. & 256. 157.
Sine oratione non benè vivitur. 22. 112.
Oratio omnibus necessaria. ibid.
Sine oratione tentationes non vincuntur. 23. 113.
Orationis fructus uberrimi. 254. 148.
Deus solus in rigore orandus. 267. 216.
Virgo B. & Sancti etiam orandi, sed diverso modo. ibid. 217. & seq.
Oratio Dominica explicatur quoad omnes suas partes. 257. 161. & seq.

ORDO SACRAMENTUM.

Quid sit sacramentum ordinis. 536. 379.
Ordo est sacramentum novæ legis. ibid.
In omnibus illius gradibus imprimit characterem. ibid.
Sacramentum ordinis reiterari non potest. ibid.
Sacramentum ordinis continet septem gradus. ibid. 380.
Priores quatuor dicuntur minores, & non sacri, posteriores tres majores, & sacri. ibidem.
Ratio hujus appellationis. ibid.
Prima tonsura non est ordo, nec sacramentum. ibid. 381.
Episcopatus non est ordo totaliter distinctus à sacerdotio, licèt oppositum sit probabile. ibid.
Singuli ordines sua habent munia, & quæ illa sint? ibid.
Singuli sunt sacramenta pertinentia ad unum sacramentum ordinis. 537. 383.
Singuli ordines suam habent materiam, & formam. ibid. 384.
Quæ sit materia, & forma cujuscumque ordinis. ibid.

ORDINIS MINISTER.

Solus Episcopus est minister ordinarius sacramenti ordinis. 537. 385.
Ordines minores potest conferre sacerdos ex Pontificis concessione. ibid.
Quid de majoribus? ibid. 386.
Quilibet Episcopus ordines validè conferre potest. ibid. 387.
Quos licitè valeat Episcopus ordinariè? 538. 388.
A quo Episcopo quis licitè sit ordinandus? ibid.
Quis possit dare dimissorias ad ordines? ibid.
Tenentur Episcopi ordines conferre in aliquibus temporibus. ibid. 389.
Quæ facere debeant circa ordinandos? ibidem.
Ordines minores eidem conferre possunt eodem die. ibid. 390.
Duo majores eodem die conferre non possunt, nisi de licentia Pontificis. ibid.
Minores dare possunt simul cum subdiaconatu ex Episcopi dispensatione. ibid.
In conferendis majoribus ordinibus servanda sunt tempora præscripta. Ibid. 391.
Quæ sint ista tempora præscripta? ibid.
Inter unum ordinem majorem, & alium annus intercedere debet, nisi Episcopus dispenset. ibid. 390.
Episcopus ordines conferens debet esse in gratia. 539. 392.
Ordines conferendi non sunt, nisi confirmatis. ibid.
Quomodo Episcopus se habere debeat in ordinibus conferendis? ibid.

ORDINIS SUBIECTUM.

Subjectum ordinis solus vir, mulier omninò incapax. 539. 393.
Vir ordinandus debet esse baptizatus. ibid.
Infantes ante usum rationis validè ordinari possunt, sed illicitè. ibid. 394.
Ut quis licitè ordinetur debet habere ætatem congruam, & quæ ista sit? ibid. 395.
Ordinari ante talem ætatem grave peccatum. ibid.
Ordines suscipiendi ordinatim, in quo deficere peccatum mortale est. ibid. 396.
Peccat, & manet suspensus ordinatus per saltum. ibid.
Requiritur in ordinandis certa scientia. ibid.
Quæ scientia requiratur ad quemlibet ordinem? 540. 398.
Quæ alia requirantur? ibid.
Ordinandus debet esse in gratia. ibid. 399.
Debet habere intentionem, & consensum in ordinationem. ibid. 400.
Sacramentum ordinis confert gratiam. ibid. 401.
Sacris ordinibus annexum est votum solemne castitatis. ibid.

OSCULA.

Prohibentur in sexto præcepto Decalogi. 411. 466.
Sunt mortalia, si habeantur ex delectatione ex ipsis capta. ibid. 467.
Quando sponsis licere possint? ibid.
Cum infantibus culpa vacant, seclusa sinistra intentione. 412. 468.

OTIUM.

Damna otiositatis. 29. 144. & seq.
Ratio Deo danda de vita otiosa. ibid. 145.
Otium tentationibus obnoxium. ibid. 145.
Otium diabolo portam aperit ad nocendum. ibid.
Otiositas luxuriæ occasio. 135. 145.
Per otium non acquiritur regnum Dei. 134. 141.

P

PARENTES.

Tenentur ex lege naturæ filios alere. 389. 368.
Mater tenetur alere filium naturalem, & spurium primo triennio, pater reliquo tempore. ibid.
Quid, quando eorum alter alere non potest? ibid.
Quando Parentes possint negare alimenta filiis? ibid.

Tenen-

Digitized by Google

Tenentur subvenire filiis in rebus spiritualibus. ibid. 369.
Tenentur non retrahere filios à bono statu capiendo. ibid.
Tenentur non cogere filios ad statum, quem ipsi respuunt. ibid.

PAROCHIA.

Quid sit Parochia, & unde dicta? 1. 6.
Quid Ecclesia Parochialis? ibid.
Quid requiratur, ut Ecclesia constituatur Parochialis. ibid.

PAROCHVS.

Quid sit Parochus, & unde dictus? 1. 1. & seq.
Quibus nominibus dicatur? ibid. 2. & seq.
Vnus debet esse in qualibet Parochia. 2. 7.
Quid, quando multi curant per hebdomadas? ibid. 8.
Parochi finis ultimus, & proximus. 3. 14. & 15. & seq.
Parochus adjutor Dei ad salvandas animas. 4. 17.
Parochus dux populi sui loco Christi. ibid. 22.
Parochus medicus spiritualis sui populi. 6. 30.
Parochus mater populi sui. 19. 94.
Parochus pater ejusdem populi. 5. 23.
Parochus adjutor Episcopi in regimine animarum. ibid. & 60. 102. & seq.
Parochus qualis esse debeat? toto lib. 1.

PAROCHVS CIRCA residentiam.

Parochus tenetur residere in sua Parochia. 42. 20. & seq.
Est obligatio residentiæ de jure divino. 63. 1. & seq.
Hæc residentia debet esse personalis. 64. 7. & seq.
Non satisfacit, residendo personaliter, si totam curam relinquat Capellano. ibid. 10. & seq.
Debet saltem, quoties vocatus, aut requisitus fuerit, per se curare. ibid. 11.
Non est securus in conscientia, si hoc non faciat. ibid.
Vtatur Capellano, ut adjutore, non ut homine, qui portet pondus diei, & æstus. ib. 9.
Debet residere in domo Ecclesiæ, vel in alia intra Parochiam. 65. 13.
Quando possit extra limites Parochiæ residere? ibid. 14.
Hodie non excusatur à residendo intra limites Parochiæ. ibid. 15.
Estò, Ecclesia habeat propriam domum, potest habitare in paterna intra limites Parochiæ. ibid. 16.
Vbi Parocho habitandum, quando Parochiani partim sunt intra oppidum, partim extra? ibid. 17.
Non habetur pro residente Parochus habitans in oppido, à quo Parochia distat per tria milliaria. 66. 18.
Parochus monachus, cujus Parochia distat à monasterio, tenetur habitare in domo parochiali, non in monasterio. ibid. 19.
Parochus residere tenetur, estò Parochia sit valdè tenuis, & paucos habeat incolas. ibid. 20.
Residere tenetur, estò in limine adeptæ possessionis, lis ei mota sit. ibid. 21.
Vbi residere debeat, quando habet duas Parochiales unitas? ibid. 22.
Quid, si habeat Parochialem cum canonicatu? ibid. 23. & seq.
Non tenetur residere in Parochia, si habeat vicarium perpetuum, in quem tota cura translata sit. 67. 25.
Ille, cui datus est coadjutor, ratione infirmitatis, vel senii, residere tenetur. ibidem. 27.
Residere tenetur habens coadjutorem, vel vicarium amovibilem. ibid.
Residentia Parochi debet esse continua moraliter. ibid. 27.
Hanc continuationem non impedit brevis absentia. ibid. 28.
Abesse per duos, vel tres dies, non relicto substituto, culpa gravis contra residentiam. ibid. 29.
Ita residere debet, ut facilè inveniatur.
Non excusat à residentia aeris intemperies. 69. 44.
Non excusat à residentia, succurrere aliis, etiam in spiritualibus, si Parochia detrimentum spirituale patiatur, licèt minus. ibid. 41.
Non excusatur à residentia ob pestem, si non habeat, quem loco sui substituat. 70. 46.
Non excusatur à residentia propter inimicitias capitales. ibid. 47. & seq.
Non excusatur propter senectutem, aut infirmitatem habitualem, estò jam habeat vicarium datum ab Episcopo, nisi Parochus esset omninò inutilis. ibid. 49.
Non excusatur à residentia, estò habeat officium Inquisitoris. 71. 52.
Non excusatur ratione studii, nec ratione legendi, & docendi. ibid. 54.
Quid agendum cum Parocho corporaliter residente, sed inutili ad curandum ratione senii, vel infirmitatis? 76. 85. & seq.
Infirmitate inordinaria potest ipse ponere substitutum, qui sit approbatus ad audiendas confessiones. ibid. 86.
In morbo diuturno dandus ab Episcopo adjutor amovibilis, qui pro eo inserviat. 77. 87.
Quando infirmitas corporis, vel animæ fuerit

Digitized by Google

rit perpetua, dandus ab Episcopo adjutor, quoad vixerit. ibid. 88.
Non potest tali Parocho dari Vicarius perpetuus cum jure succedendi, nisi à solo Rom. Pontifice. ibid. 89.
Licèt aliqui credant pertinere ad talem adjutorem redditutum administrationem, certum est pertinere ad Parochum infirmum. ibid. 90. & seq.
Si infirmitas talis sit, ut nec temporalia valeat administrare, ad adjutorem pertinebit integra administratio. 78. 92.
Tam Parochus ægrotus, quàm adjutor sustentandi sunt ex redditibus Parochiæ. ibid. 93.
Sed quid, si fructus sint adeò tenues, ut non sufficiant ad utrumque alendum? ibid. 93. & seq.
Quid verò de Parocho ægroto, qui non percipit fructus, sed alitur à Parochianis? ibid. 95.
Quid autem de simili Parocho Parochiarum aut annexarum qui tenuissimam habet portionem? ibid. 96.
Quid de Parochis residentibus quidem, sed ita imperitis, ut incapaces sint ad curandum? 79. 97. & seq.
Quid tandem de Parocho residente, sed cum scandalo Parochiæ? ibid. 99.
Pœna Parochi non residentis. Vide Pœna.
Quando Parochus possit licitè abesse à Parochia.
Vide Absentia.

PAROCHVS CIRCA MISSAM.

Parochus tenetur celebrare tam frequenter, ut muneri suo satisfaciat. 93. 64.
Quibus diebus celebrando satisfacit? ibid.
Extra tales dies, si non sit consuetudo, aut præceptum Episcopi, celebrare non tenetur. ibid. 65.
In Parochia, ubi est mediocris numerus Sacerdotum, quotidie per aliquem celebrandum. ibid.
In pagis conveniens est, ut aliquis quotidie celebret. ibid. 66.
Parochus non satisfacit, si semper per alium celebret. ibid. 66.
Quando Parochus teneatur Missam pro suo populo offerre? ibid. 68. & seq.
Parochus non habens copiam confessoris, si urgeat obligatio celebrandi, potest contritus celebrare. 97. 87. & seq.
Tenetur tamen confiteri quàm primum. ibid. 89.
Parochus potest celebrare in domibus Parochianorum ex necessitate communicandi infirmum. 98. 93.
Quid tunc faciet, ut celebret. ibid.
Vide Missa. Vide Sacerdos.

PAROCHVS CIRCA Prædicationem.

Parochus tenetur prædicare Dominicis, & Festis. 44. 27. & seq. & 111. 2. & seq.
In Quadragesima, & Adventu saltem ter in hebdomada. ibid.
Non satisfacit prædicando semper per alios. 112. 10. & seq.
Quando possit ab hoc munere aliquando excusari. 113. 13. & seq.
Pro prædicationibus, quas facit ex officio, non licet stipendium exigere. 114. 18.
Pro quibus prædicationibus illud exigere liceat? ibid. 19.
Refutantur aliquæ excusationes, quibus fortè Parochus à prædicando se excusare putabit. ibid. 22. & seq.
Confutantur aliæ excusationes frivolæ. 116. 30. & seq.
Parochus non prædicans canis mutus. 114. 22.
Si prædicandi se nescium dicit, cur acceptavit Parochiam? ibid.
Non excusatur, quia non sit Theologus. 115. 24.
Obligatio prædicandi in Parocho est de jure divino. 44. 27. & 45. 30.
Non potest hæc obligatio abrogari per consuetudinem contrariam. 115. 29.
Subtrahere se Parochus debet ab aliis, ut huic occupationi non desit. 117. 34.
Parochus non tenetur prædicare modo declamatorio, aut exornatorio. 118. 41.
Materia ordinaria prædicationis Parochi qualis? ibid. 43.
Parochus notabiliter deficiens in officio prędicandi, peccat mortaliter. 119. 47.
Quas pœnas incurrat Parochus non prædicans? ibid.
Assignatur Parocho materia prædicandi. 122. 66. & deinceps usque ad finem libri.
Parochus non potest admittere ad prædicandum in sua Parochia non approbatos ab Episcopo. 117. 36. & seq.
Quando semel approbatus sit admittendus? ibid. 38.
Potest admittere non approbatum ad aliquam exhortationem. ibid. 39.
Ex quo loco, & quanto tempore durare debeat prædicatio Parochi. 118. 45. & seq.

PAROCHVS CIRCA Doctrinam fidei.

Parochus docere tenetur Doctrinam fidei, quæ dicitur Christiana. 46. 37. & seq.
Quid intelligatur per Doctrinam Christianam? ibid. 36.
Doctrina hæc magis necessaria populo rudi, quàm prædicatio sublimis. 47. 38.

Hæc doctrina est lac, quo Christi filii lactandi sunt. ibid. & seq.
Graviter peccabit Parochus deficiens in hoc munere. 44. 27.
Hoc munus maximè spectat ad Parochos rurales, & pagorum. 48. 44.
Hæc doctrina præcipua Parochi cura. ibid. 45.
Quæ bona sequantur in Parochia ex hac doctrina, & quæ mala ex defectu illius. ibid. & seq.
Parochus implebit hoc munus docendo Symbolum fidei, Decalogum, & Orationem Dominicam. 224.
Exponuntur omnia mysteria symboli ad hunc effectum. 228. 20. & seq.
Exponitur oratio Dominica, ut eam Parochus fructuosè valeat explicare. 256. 156. & seq.
Exponitur salutatio Angelica, devotio Rosarii, & coronæ B. Virginis ad eumdem finem. 267. 218. & seq.
Exponuntur decem præcepta Decalogi ad idem intentum. 312. & seq.
Exponuntur quinque præcepta Ecclesiæ ad eumdem effectum. 440. & seq.
Exponuntur septem vitia capitalia, & virtutes oppositæ ad eumdem finem. 451. & seq.
Ponuntur varia exempla circa omnes materias in doctrina tractari solitis, quibus Parochus uti possit in doctrina fidei inculcanda. 274. & seq.
Si Parochus sit negligens in hac doctrina inculcanda, Episcopus debet ex ejus fructibus assignare portionem alteri, qui id præstet. 225. 3.
Parochus debet invigilare super magistros scholæ, ut doctrinam istam pueros doceant. 226. 14.
Quando Parochus ab hoc munere possit excusari? ibid.
Semper laudandum, si se ab illo non excludat. ibid.
Nunquam excusabitur in oppidulis, & Parochiis ruralibus. 227. 15.
Quomodo in illis locis id præstabit? ibid. 16. & seq.
Hoc sacrum ministerium Parocho non despiciendum. ibid. 18.
An Parochus teneatur arcere à sacramentis nescientes doctrinam fidei? 226. 11. & seq.

PAROCHUS CIRCA VITAE exemplum.

Parochus tenetur ex divino præcepto prælucere ovibus suis bonæ vitæ exemplo. 53. 68. & seq.

Institutio Parochi.

Multa sunt, quæ graviter persuadent exemplum bonæ vitæ in Parocho. 194. 1.
Parochus bonæ vitæ exemplo facilè viam salutis ovibus suis persuadebit. 196. 9. & seq.
Parochus bonæ vitæ exemplo destitutus parùm, vel nihil boni operabitur in plebe sua. 198. 17. & seq.
Parochus vitæ exemplo destitutus altera manu trahit animas ad Deum, altera fugat. ibid. Ex Naz.
Doctrina Parochi exemplo vitæ destituta contemnitur à populo. ibid. 21.
Parochus exemplo vitæ destitutus oves suas ad interitum deducit. 200. 28. & seq.
Mala vita Parochi corrumpit bonam doctrinam, & turbat aquam, quam grex bibere debet. 202. 38.
Bona vita Parochi magistra probitatis. 198. 17.
Parochus debet esse plebi suæ forma vivendi, & exemplar, quod omnes imitentur. 195. 3.
Bona vita Parochi lex est gregis. 54. 74.
Parochus prælucere debet exemplo omnium virtutum. 203. 39. & seq.
Parocho maximè necessarium castitatis exemplum. 204. 45. & seq.
Castitatis exemplum in Parocho necessarium ratione officii. 206. 55. & seq.
Parochus sine castitate impotens ad munus suum peragendum. 207. 58.
Non sufficit ei castitas sine opinione illius. ibid. 60.
Caveat Parochus avaritiæ labem. 208. 61. & seq.
Caveat turpe lucrum, quod Parocho plura damna affert. 210. 72. & seq.
Fugiat omnia, quæ in sacris canonibus clericis prohibentur, & quæ ista sint? 212. 78. & seq.
Præluceat Parochus exemplo eorum, quæ commendat Apostolus, & quæ ista sint? 213. 88. & seq.
Parochus det exemplum in doctrina; & quomodo hoc dandum sit? 216. 106.

PAROCHUS CIRCA PAUPERES, & personas miserabiles.

Parochus pauperum, & personarum miserabilium paternam curam gerere debet. 220. 126. & seq.
Primò in sublevandis miseriis corporalibus per eleemosynas quoad poterit. ibid. 127. & seq.
Secundò opera, consilio, ac patrocinio subveniendo. 222. 136. & seq.
Tertiò post mortem adjuvando orationibus,

bus, sacrificiis, & aliis piis operibus. ibid. 138. & seq.

PAROCHVS CIRCA Orationem.

Parochus sine oratione parum boni operabitur. 13. 115.
Parochus tenetur orare pro populo suo. 48. 47. & seq.
Parochus est mediator in Deum, & populum. 49. 50.
Mala populi bonum Parochum affligant, ut pro eo ad Dominum deprecetur. ibid. 52. & seq.

PAROCHVS CIRCA Sacramenta.

Parochus regulariter satisfacit muneri suo ministrando Sacramenta petentibus. 473. 49.
In casu necessitatis, & quando urget praeceptum, si non petantur, tenetur offerre. ibid.
Debet visitare suos infirmos, ut videat, an egeant Sacramentis. ibid.
Petitur Sacramentum vel explicitè, vel implicitè benè vivendo. ibid. 49.
Quis dicendus sit benè vixisse ad hunc effectum. ibid.
Liberè repugnantibus Sacramenta danda non sunt. 474. 50.
Quando danda sint phraeneticis, & amentibus? ibid.
Tenetur Sacramenta ministrare, quoties petuntur etiam ex devotione. ibid. 51.
Quando possit excusari à mortali negando illis? ibid. & seq.
Quid, quando se difficilem praebet? ibid. 52.
Tenetur Sacramenta ministrare etiam cum probabili periculo vitae. ibid. 53.
Quid faciet, si sibi timeat ab inimico, & vocatur ad infirmum? ibid. & seq.
An, & quando monere possit, ne vocetur noctu? ibid. 55.
Vrgente necessitate tenetur currere, & ire semivestitus. 475. 56.
Quid, si simul vocetur ad duos? 477. 57.
Extra casum necessitatis Sacramenta danda in Ecclesia. ibid. 58.
Parochus sine licentia Episcopi, si hic non prohibeat, potest concedere facultatem ministrandi in sua Parochia Baptismum, Eucharistiam, & Vnctionem, non tamen Poenitentiam. ibid. 59.
Ministrare sine tali licentia mortale est. ibid.
Qui assisteret matrimonio, vel nuptias benediceret sine Parochi licentia, suspensus maneret. ibid.
Parochus toties mortaliter peccat, quoties Sacramenta ministrat in peccato mortali. ibid. 60.
Quando baptizat ut laicus, vel tangit Eucharistiam in mortali, solum videtur peccare venialiter. ibid.

PAROCHVS CIRCA Baptismum.

Parochus curet, ut obstetrices sciant baptizare, eas instruat, & examinet. 483. 106.
Qui domi baptizatur ob necessitatem, baptizandus sine solemnitate. 484. 107.
Postea deferendus ad Ecclesiam, ut suppleantur solemnitates omissae. ibid.
Quid Parocho agendum, quando dicunt infantem domi baptizatum fuisse? ibid. 108.
Parochus extra casum necessitatis non baptizet alienum subditum, sine licentia Episcopi, aut proprii Parochi. 488. 126.
Neminem rebaptizet, quia peccabit mortaliter, & fiet irregularis. 484. 109.
Poterit baptizare sub conditione, quando fuerit dubium probabile, quod quis baptizatus non fuerit, aut baptismus fuerit invalidus. ibid.
Quid de infante exposito. ibid. 110.
Quid, quando fuerit dubium probabile de materia. ibid. 111.
Quid, quando fuerit dubium probabile in forma? ibid. 112.
Quid, quando infans baptizatus fuit in pede, vel alio membro minùs principali? 485. 113.
Quid, quando infans baptizatus ab homine, vel foemina sanguinis hebraei? ibid. 114. & seq.
Quid de illis, qui domi baptizati fuerunt ab obstetrice, vel alia foemina, aut homine laico. 486. 118. & seq.
In baptismo solemni aqua debet esse benedicta. 488. 125.
Permittat Parochus in hieme misceri aquam calidam cum benedicta. ibid.
Habeat librum, in quo scribat nomen baptizati, Parentum, Patrinorum, & suum. ibid. 126.
Moneat Patrinos de cognatione spirituali. ibid.
Quid circa Patrinos observare debeat, & reliqua circa baptismum. Vide Baptismus.

PAROCHVS CIRCA Eucharistiam.

Parochus conservet, vel introducat in sua Parochia frequentem usum Eucharistiae. 504. 209.
Sit versatus in Rubricis Missalis de defectibus in Missa occurrentibus. 505. 210.
Qua hora debeat communicare sanos? ibid.

Po-

Potest communicare venientem ex improviso, dando partem suæ Hostiæ. ibid. 211.
Non consecret, nec ad communicandum infirmum, nisi celebrando. ibid. 212.
Non licet Parocho dare secundam communionem homini sano eodem die. ibid.
Quando Parochus possit bis etiam non jejunus communicare? ibid. 213.
Quando possit reliquias inventas sumere post communionem? ibid. 214.
Quid faciendum, quando Eucharistiam administrat extra sacrificium? ibi. 215.
Ad communicandum infirmum, qui expectare non potest, deferat Eucharistiam absque solita solemnitate, cum ea, quæ à jure præscribitur. 506. 216.
Potest, si sit solus, in articulo mortis se ipsum communicare. ibid. 217.
Parochus non celebret non jejunus pro communicando infirmo, licèt oppositum sit probabile. 501. 192.
Vide Eucharistia. Communio. Viaticum.

PAROCHUS CIRCA
Pœnitentiam.

Ecclesia locus ordinarius audiendi confessiones. 526. 326.
Homines extra illam audire potest, fœminas non audiat extra casum infirmitatis. ibidem.
Parochianos suos potest audire extra Parochiam, imò & extra diœcesim. ibid.
Si non habet aliam authoritatem, præter illam, quæ sibi data est cum Parochia, non potest audire, nisi suos. ibid. 327.
Possunt Parochi ejusdem Episcopatus se ipsos audire ad invicem, & sibi invicem dare facultatem audiendi suos. ibid.
Quando id possint Parochi diversorum Episcopatuum? ibid. 328.
Possunt audire vagos, & peregrinos ad se venientes, sicut & suos. ibid.
Quando possint audire incolas aliorum Episcopatuum. ibid.
Quomodo Parochus se habere debeat cum surdis, & mutis. 527. 329.
Quomodo se habere debeat cum pueris? ibid. 330.
Quomodo cum illis, qui veniunt ad confessionem imparati. ibid. 331. & seq.
Quomodo cum illis, qui superioribus annis confessi non sunt. 528. 334.
Quomodo cum illo, qui volens peccatum mortale tacuit in confessione? ibid. 334.
Illum, qui in jubilæo fecit confessionem sacrilegam, non potest postea absolvere à reservatis in ea confessis. ibid. 335.
Quid de illo, qui habens excommunicationem confessus est, non advertens ad illam inculpabiliter? ibid. 336.
Parochus tenetur fidem adhibere pœnitenti tam pro se, quàm contra se. ibid. 337.
Aliqui casus in hac materia. ibid.
Quid faciendum Parocho, quando occurrit casus difficilis? ibid. 338.
Quid, si videat pœnitentem in peccato cum ignorantia invincibili? ibid.
Quid faciendum circa indispositos. 529. 339.
Quid circa excommunicatos? ibid. 340.
Quid circa illos, qui habent casus reservatos Episcopo? ibid. 341.
Quid, quando per errorem absolvit, quem absolvere non poterat, vel de restitutione non admonuit, aut ab illa per errorem liberavit? 530. 342.
Parochus supplere debet defectus pœnitentis. 578. 35. & seq.
Parochus fungatur officio judicis post auditam confessionem. 597. 57. & seq.
Fungatur etiam officio medici cum pœnitente. 599. 71. & seq.
Vide Confessio. Vide Confessor.

PAROCHUS CIRCA
Extremam Unctionem.

Parocho non licet uti oleo benedicto anno præterito, postquam habet novum. 535. 370.
Quando liceat illo uti? ibid.
Quando liceat miscere non benedictum? ibidem.
Parochus tenetur sub mortali ministrare hoc sacramentum sive per se, sive per alium. ibid. 371.
Tenetur illud ministrare petenti sive per se, sive per alios. ibid. 372.
Si non petatur, tenetur offerre. ibid.
Quid sibi faciendum, antequam inungat? ibid. 373.
Quibus Sacra Unctio danda, vel neganda sit? 533. 364. & seq.
Quid faciendum, si dubitet, an infirmus sit vivus? 534. 574.
Quid, quando noctu vocatur cum celeritate? ibid. 375.
Observet, quoad poterit, quæ præscribuntur in Rituali. ibid. 376.
Quid faciendum, si necessitas multùm urgeat? ibid.
Quid Parocho faciendum post unctionem? 536. 377.
Vide Parochus circa moribundos.

PAROCHUS CIRCA
Matrimonium.

Parochus tenetur facere denuntiationes matrimoniales. 567. 515.
Si contrahentes, vel eorum alter sit peregrinus,

Digitized by Google

nus, non potest eorum matrimonio assistere, donec Ordinarius id statuat. ibid. 516.
Quando neuter est advena, potest de jure ordinario assistere, observet tamen constitutiones sui Episcopi. ibid.
Quomodo se gerat, quando matrimonium contrahitur per procuratorem? 570. 532.
Si impedimentum opponatur, non debet assistere, donec Ordinarius statuat, quid agendum. 568. 517.
Quid, si aliquis contrahentium extra confessionem fassus impedimentum, illud postea negat? ibid. 518.
Quid, si Parocho constet de impedimento occulto, quod à nemine opponitur? ibid. 519.
Quid, si sciat obtentam dispensationem pro foro interno de tali impedimento? ibid. & seq.
Quid, si sciat de impedimento ex confessione Sacramentali? ibid. 521.
Non assistat matrimonio extra Ecclesiam, nisi de licentia Episcopi, aut Vicarii ipsius. ibid. 522.
Potest assistere matrimonio suorum Parochianorum in aliena Parochia, imò & diœcesi. ibidem.
Parochus tenetur interrogare contrahentes de mutuo consensu. 569. 523.
Tenetur, illis auditis, dicere: Ego vos conjungo, &c. ibid.
Parochus procuret, ut sponsi ante matrimonij celebrationem, confiteantur, & communicent. ibid. 524.
Habeat librum, in quo scribat nomina conjugum, testium, locum, & tempus. ibid. 525.
Debet dare benedictiones nuptiales in Ecclesia. ibid. 526.
Possunt dari à Parocho sponsæ, vel sponsi. ibidem.
Sponsi tenentur benedictiones accipere, & quod peccatum sit illas non accipere? ibid. 527.
Peccabit Parochus mortaliter eas impertiendo temporibus prohibitis. ibid. remissivè.
Licent benedictiones tempore interdicti, si sponsi habeant Cruciatam, non tamen licent in cessatione à divinis. ibid.
Benedictiones conferendæ solùm in primis nuptiis. 570. 529.
Quid, si sint primæ ex parte alterius? ibid.
Plures nuptiæ possunt simul benedici. ibid. 530.
Quid de benedictionibus contrahentium per procuratorem? ibid. 531.
Parochus non sacerdos potest assistere matrimonio. 549. 445.
Debet Parochus assistere modo humano. ibidem.
Qui, & quales testes admittendi non sint? ibid. 446.
Qui, & quales sint admittendi? ibid.

PAROCHUS CIRCA moribundos.

Quid Ecclesia commendet Parocho circa moribundos? 811. 2. & seq.
Parochus sit diligens, & solicitus circa moribundos. 813. 4.
Curet, ne differatur peccatorum confessio. ibidem.
Improbandus, qui, ne infirmum, vel suos contristet, de confessione non admonet. ibid. 5.
Parochus diligentiùs incumbat infirmis, quàm sanis. 814. 6.
Curet ut medici impleant obligationem suam de admonendo de periculo in tertia visitatione. ibid.
Extirpet abusum de non petenda confessione, nisi post certum mortis periculum. ibid. 7.
Visitet infirmos suos, ut sciat, an sacramentis indigeant? ibid.
Impietas blandiri infirmo spe vitæ, ut de remediis ad salutem non curet. ibid. 9. & seq.
Si non est, qui moneat de periculo vitæ, Parochus moneat cum prudentia, & charitate. ibid. 11. & seq.
Quando Parochus teneatur hanc admonitionem facere? 815. 13.

PAROCHUS CIRCA moribundos extraordinarios.

Quomodo se gerere debeat cum moribundo, qui non vult confiteri? 815. 14. & seq.
Quomodò cum peccatore publico moribundo? ibid. 16. & seq.
Quomodo cum concubinario publico, vel occulto? 816. 18.
Quomodo cum concubina? ibid. 19.
Quomodo cum meretrice? ibid. 20.
Quomodo cum usurario publico, vel occulto? ibid. 21. & seq.
Quomodo cum illis, qui tenentur ad restitutionem? 817. 24.
Quomodo cum illis, qui proximum offenderunt in fama, vel honore? ibid. 25.
Quomodo cum illis, qui habent inimicitias, & odia? ibid.
Quomodo cum illis, qui habent censuras reservatas? ibid. 26. remissivè.
Quomodo se geret cum moribundis, qui vix loqui possunt? 821. 46. & seq.

Quo-

Quomodo cum parturiente moribunda? 822. 51. & seq.
Quomodo cum eo, qui moritur vulneratus inter manus curantium? 823. 55.
Quomodo circa veniam ab isto dandam, & odium deponendum? ibid. & seq.
Quomodo, si moribundus fuit aggressor? ibid. 56.
Quomodo cum moribundo, de quo dubitat, an teneatur ad restitutionem? 824. 57.
Quomodo se gerat cum moribundis sensibus destitutis? ibid. 58. & seq.
An absolvere debeat eum, qui loqui non potest, dat tamen signa doloris, & poenitentiæ? ibid. 60.
Quomodo cum illis, qui audiunt, & intelligunt, loqui tamen non possunt? ibid. 59.
Quomodo cum illis, qui nec loquuntur, nec audiunt, dant tamen signa poenitentiæ sacerdoti? ibid. 60.
Quid, si Parochus dubitet, an signa oriantur ex contritione, an ex mortis angustia? ibid. 61.
Quomodo cum eo, qui confessionem petiit, vel dedit signa doloris in absentia sacerdotis, aliquo id attestante in præsentia utriusque? 825. 62.
Quomodo cum illo, in cujus absentia affirmatum est sacerdoti petiisse confessionem, vel dedisse signa poenitentiæ? ibid. 64. & seq.
Quot testes requirantur ad absolvendum prædictos? 826. 66.
An absolvendus sit, qui nec confessionem petiit, nec dedit signa ad poenitentiam? ibid. 67. & seq.
An isti danda sit Eucharistia, & extrema unctio? ibid. 69.

PAROCHUS CIRCA moribundos ordinarios.

Qui dicantur moribundi ordinarii? 826. 70.
Quomodo cum istis Parochus se gerere debeat? ibid. 71. & seq.
Exquirat, an fortè necessaria sit confessio generalis? 827. 73.
Non inutilem putet omnem diligentiam in hac parte. ibid. 74.
Adjuvet infirmum per congruas interrogationes, ut bonam confessionem faciat. ibid. 74.
Iuvet ad veram contritionem eliciendam. ibidem.
Quomodo id præstare possit? 828. 76.
Quomodo erigere debeat spem moribundi? ibid. 77.
Quæ cum illo dicere possit ad hunc finem? ibid. 78.
Si habeat Bullam vel aliam indulgentiam pro eo articulo, eam impendat. ibid. 79.
Habeat Parochus Crucifixum, qui suos moribundos comitetur, procuretque illi indulgentiam. ibid. 80.
Disponat moribundum, ut patienter morbi molestias, ac mortem acceptet. 829. 81.
Quid faciendum Parocho, si moribundus teneatur ad restitutionem? ibid. 82.
Quid, si habeat inimicitiam, & odium publicum? ibid. 83.
Quid, si debitor sit famæ, aut honoris restituendi? ibid. 84.
Parochus post confessionem, ministret Viaticum, dum sensus, & ratio viget. ibid. 85.
Si timeatur mors, vel delirium, communicet non jejunum. ibid.
Quomodo hortari debeat ante communionem. ibid. 86. & seq.
Quid facere debeat post datum Viaticum? 830. 88.
Moneat, ut Extremam Vnctionem petat suo tempore dandam. ibid. 89.
Non expectet ad illam ministrandam, quòd vires penitus prostratæ sint. ibid. 90. & seq.
Quomodo eam ministrabit? Vide Parochus circa Extremam Vnctionem.
Parochus moribundos ne deserat, sed frequenter visitet. 833. 105.
Infidelis Pastor, qui id non facit. ibid. & seq.
Necessaria hæc frequens visitatio ob pericula imminentia. ibid. 106. & seq.
Quantùm proderit moribundo hæc frequens sui Parochi visitatio. ibid. 108. & seq.
Hæc visitatio multùm Parocho commendatur ab Ecclesia. 811. 2. & seq.
Timeat sibi Parochus, si in hoc negligens fuerit. 834. 110. & seq.
Exempla, quæ illum ad id monere possunt. ibid. 112. & seq.
Labor in hoc impensus valde lucrosus. 835. 114. & seq.
Parochus disponat moribundum, ut mortem libenter acceptet. ibid. 116.
Vt hæc, & alia efficaciter præstare queat, procuret, quòd ipse sit in gratia. ibid.
Quibus moribundum disponet, ut lætus moriatur? 836. 120. & seq.

PAROCHUS CIRCA MORIBUNDOS variis conditionibus affectos.

Parochus quomodo confortare debeat moribundum, qui nimis affectus est ad res hujus mundi? 837. 130.

Quo-

Quomodo illum, qui multas divitias relinquit? ibid. 131.
Quomodo illum, qui vixit in paupertate? 838. 132.
Quomodo illum, qui longas infirmitates passus est? ibid. 133.
Quomodo illum, qui morietur in juventute? ibid. 134.
Quomodo illum, qui numerosam familiam relinquit non satis provisam? ibid. 135.
Quomodo illum, cui defuit tempus satisfaciendi obligationibus, quas fortè habebat? ibid. 136.
Quomodo illum, qui nimis timet pœnas futuras? ibid. 137.
Quomodo illum, qui fert impatienter infirmitatis dolores. 839. 138.
Quomodo adjuvare debeat in tentationibus mortis tempore occurrentibus? ibid. 139. & seq.
Diabolus mortis tempore magis tentat, & cur? ibid.
Tribus præcipuè tentationibus moribundus impetitur, & quæ illæ sint? ibidem. 140. & seq.
Quibus Parochus munire debeat moribundum circa tentationes in genere? 840. 143. & seq.
Quomodo illum, qui tentatur spe longioris vitæ? ibid. 147.
Quomodo illum, qui tentatur circa fidem? 841. 148. & seq.
Quomodo illum, qui tentatur de desperatione ob peccatorum multitudinem? ibid. 150. & seq.

PAROCHVS
Circa ultimum agonem.

Quibus præcipuè actibus Parochus moribundos in suo agone adjuvare debeat? 842. 152. & seq.
Adjuvet circa fidem, & quomodo id præstabit? ibid. 152. & seq.
Adjuvet circa spem salutis æternæ concipiendam. ibid. 155. & seq.
Quomodo id præstare debeat? ibid.
Promoveat fiduciam de obtinenda beatitudine. 843. 157. & seq.
Adjuvet circa charitatem. ibid. 159. & seq.
Quomodo id facere possit? ibid.
Adjuvet ad contritionem peccatorum. 844. 161. & seq.
Quomodo id facere poterit? ibid.
Variæ exhortationes, quas Parochus moribundo facere potest. ibidem. 163. & seq.
Diversæ protestationes à moribundo faciendæ, Parocho dirigente, & præeunte. 846. 170. & seq.
Quomodo Parochus se habere debeat in ultimo agone moribundi? 847. 179. & seq.
Quid sit commendatio animæ, quam facere debet? ibid.
Quid, si moribundus in ultimo agone valde à diabolo vexetur? 848. 181. & seq.
Vtrùm, & quando Parochus teneatur manere semper cum moribundo? 852. ibid. & seq.
Advertentia ad Parochum circa moribundos phræneticos. 849. 188.

PAROCHVS
Circa temporalia moribundi.

Quid Parochus præstare debeat circa temporalia moribundi? 831. 93. & seq.
Quid circa uxorem, & filios? ibid. 94.
Quid circa alias obligationes, quas fortè habebit? ibid. 95.
Moneat de testamento faciendo, & de se exonerando ab obligationibus. ibid. 96.
Quæ circa bonorum dispositionem consulere possit, & debeat? 832. 97. & seq.
Vtrùm Parochus teneatur admonere de testamento? ibid. 99.
Quid, si moribundus testari velit, & in loco non sit notarius? ibidem. 100. & seq.
Ne proponat moribundo aliqua, quæ sapiant avaritiam. ibid. 102.
Commendare debet in genere opera pietatis, & alia, quæ pietatem redoleant. ibid. 103. & seq.

PAROCHVS
Circa Mortuos.

Parochus ad tria tenetur erga mortuos suæ Parochiæ. 850. in procemio.
Tenetur sepelire omnes suos Parochianos, & qui moriuntur intra limites suæ Parochiæ. 853. 11.
Quod tempus post mortem expectandum sit ante sepulturam? ibid. 12.
Quolibet die Defunctus sepeliri potest. ibid. 13.
Qua hora diei sepeliendus sit? ibid. 14.
Parocho quid faciendum circa corpus hominis occisi ante sepulturam? ibid. 15. & seq.
Parochus tenetur sepelire gratis pauperes suæ Parochiæ. 858. 47. & 860. 55.
Parochus an aliquid possit accipere pro funere, & officio sepulturæ? 860. 55. & seq.
An aliquid possit juridicè exigere? ibidem. 56.
Vide funus. Vide sepultura.

PAROCHVS
Circa animas Defunctorum.

Parochus debitor animabus eorum, quorum fuit Pater spiritualis. 865. 82. & seq.
Parochus non patiatur vinci se in hac parte à patre carnali. ibid. 83.
Parochus magis debitor animabus, quàm propinqui carnales. 866. 84.
Parochus, & alii Sacerdotes quàm diligentes esse debeant in faciendis suffragiis pro Defunctis? ibid. 85.
Conqueruntur animæ de eorum negligentia in hac parte. ibid. 86.
Crudelis Parochus, & Sacerdos, qui suscipit Missas, quas præstò dicere non potest. ibid. 87.
Detestanda avaritia Parochi, & Sacerdotis, qui Missarum in se onera suscipit, quas persolvere non potest. ibid.
Damna irreparabilia illata animabus ex hac avaritia. 867. 88. & seq.
Nulla crudelitas illa major. ibidem. 90. & seq.
Quomodo animæ suæ consulet, qui onera Missarum, quas suscipit, persolvere non valet? 868. 93.
Parochus pauperum animas suffragiis juvare debet. ibid. 95. & seq.
Pastor mercenarius, qui solas juvat animas, pro quibus stipendia accipit. ibid. 97.
Quæ, Parochum movere possunt ad hanc animarum curam habendam? ibid. 98. & seq.
Parochus curare debet, ut piæ Defunctorum voluntates quamprimùm impleantur. 870. 105.
Parochus exhortetur suos, ut citò Defunctorum voluntates maximè pias impleant. 872. 114.

PAROCHVS
Circa novitates.

Parochus quomodo se gerere debeat, si in sua Parochia aliqua imago miracula edat? 875. 15.
Quomodo cum illis, qui vel miracula, vel insolita operantur? ibid. 16.
Quomodo cum illis, qui fingunt litteras inventas in Sancto Sepulchro, vel aliis piis locis, in quibus grandes indulgentiæ, ac successus promittuntur? ibid. 17.
Quomodo se gerere debeat cum quæstuariis eleemosynarum? ibid. 18.
Quomodo cum mendicantibus ignotis, de quorum miseria non constat? ibidem. 19. seq.

PAROCHVS
Circa libros.

Parochus tenetur habere librum, in quo scribat omnes personas suæ Parochiæ. 876. 23.
Quomodo huic obligationi satisfacere possit? ibid.
Tenetur habere librum, in quo scribantur omnes Baptizati Parochiæ, parentes, patrini, dies, mensis, & annus. ibidem. 24.
Quam fidem faciat liber iste? 877. 25.
Tenetur habere librum, in quo scribat eos, qui Matrimonium contrahunt, locum, diem, mensem, & annum, nomina testium, & Parochi assistentis. ibid. 26.
Quam fidem faciat liber iste. ibid.
Tenetur habere librum, in quo scribat mortuos suæ Parochiæ. ibid. 27.
Vbi liber iste excusari possit? ibid.
Quid de libro illorum, qui confirmantur? ibid. 28.
Debet habere prædictos libros in bona custodia. ibid. 29.

PAROCHVS.
Circa revelationes, & restitutiones.

Parochus publicare debet Pastorales, excommunicationes, & alia edicta, quæ à Prælato publicari mandantur. 878. 30.
Quomodo accipiendæ sint revelationes, quæ Parocho fiunt ex vi prædictorum? ibidem. 31.
Quid advertere debeat revelantibus? ibid. 32.
Non facile accipiat pecunias, quæ sibi offeruntur restituendæ. ibid. 33.
Si tamen accipiat, quid sibi agendum, ut bonum nomen conservet? ibid. 34.
Vide casum, qui in hac materia potest contingere Parocho. ibid. 35. & seq.

PAROCHVS
Circa licentias, & dispensationes.

Quando Parochus possit dare licentiam laborandi die festo? 880. 49.
Pro quot diebus illam concedere possit? 881. 50.
Quæ causæ sufficiant ad hanc licentiam concedendam? ibid. 51.
Quando necessitas laborandi fuerit evidens, declaret populo licitum sibi esse laborare. ibid. 52.
An quando causa fuerit dubia, possit imponere aliquam largitionem piam? ibidem. 53.
Quomodo id facere oporteat? ibid.
An possit remittere mulctam impositam ab Episcopo laborantibus absque causa? ibid. 54.

Quan-

Digitized by Google

Quando possit dare licentiam ad edendos cibos prohibitos? 882. 55.
An, & quando possit dispensare in jejunio? ibid. 56.
An, & quando possit commutare jejunium in aliud opus pium? ibid.
Quando Parochus possit, vel non possit dare licentiam suis Parochianis, ut alteri confiteantur? ibid. 57.
Quando id prohibere non possit? ibid. 58.
Parochus sit facilis in danda hac licentia, quando eam dare potest. ibid. 59.

PAROCHVS
Circa pravas consuetudines.

Parochus procuret benevolentiam, & amorem populi sui, ut ab eo abusus, & pravas consuetudines extirpare valeat. 886. 76.
Quibus mediis hæc benevolentia concilianda sit? ibid. 77. & seq.
Non omnes pravas consuetudines simul avellat, sed paulatim. 887. 82. & seq.
Non omnes bonas simul plantare conetur, sed sensim sine sensu. 888. 84.
Quid faciet circa consuetudines non implicantes peccatum? 887. 83.
Quid circa illas, quæ vel peccatum continent, vel peccati speciem præ se ferunt? ibid.
Quas consuetudines cum omni conatu plantare curabit? 888. 84.
Quomodo se habebit circa alias bonas, & utiles? ibid. 85.

PAROCHVS
Circa pacem, & concordiam.

Parochi est discordes in pacem, & amicitiam revocare. 888. 86.
Quid faciet, quando discordiæ sunt antiquæ, & quasi hæreditariæ? ibidem. 87. & seq.
Quid quando discordia orta est ex offensa data, & accepta inter privatas personas? 890. 94.
Vtatur exemplis accommodatis ad corda indurata emollienda. ibid.
Ponuntur duo exempla optima ad hunc finem. ibid. 95. & seq.
Quid faciet, quando injuria illata est cum damno? ibid. 97.
Quid, quando offensæ fuerint levioris momenti? ibid. 98.

PAROCHVS
Circa peccatores publicos.

Quis dicatur peccator publicus? 891. 99.
Parochus tenetur hos cognoscere, ac de illis inquirere, ut corrigat, & emendet. ibid. 100.
Quando paternè corrigere non valet, deferat ad Episcopum. ibid.
Non sunt admittendi ad Sacram communionem, & quando de hoc generaliter monendi? ibid.
Quando ad eam admitti possint? ibid. 102. & seq.
Quomodo se gerat cum concubinario publico recidivo? ibid. 103.
Quomodo cum illo, de quo est sola suspicio probabilis? 892. 104.
Quomodo aget cum meretricibus, & concubinis? ibid. 105.
Quomodo cum advenis venientibus ad habitandum in Parochia? ibid. 106.
Quomodo cum medicis, & magistris scholæ? ibid. 107.
Quomodo obviabit peccato publico, quod fortè tentabitur. ibid. 108.
Quomodo peccato occulto, quod faciendum novit. ibid. 109.
Sit constans in resistendo peccatis publicis. 882. 60.
Sit fortis in coercendis illis, qui salutem animarum impediunt. ibid.
Tenetur defendere oves à lupis isti. ibid. 61. & seq.
Quædam interdum dissimulanda, alia toleranda, alia nec dissimulanda, nec toleranda. 883. 65.
In hac sua constantia non obliviscatur mansuetudinis. ibid. 66.
Hanc constantiam commendavit Christus suis Pastoribus. 884. 67.
De ea audiat S. Cyprian. ibid. 68.
Fuerunt in Ecclesia fortes, & constantes animarum Rectores, quos sibi imitandos proponat. ibid. 69.
In defendendis ovibus à lupis ostendet se Deum amare. ibid. 70.
Caveat, ne per amicitiam ab hac constantia deflectat. 885. 73.
Hujus prætextus magis nocet, quàm tyrannorum timor, aut metus. ibid. & 71.
Imò magis sæpè officit, quàm diabolus ipse. ibid. 72.
Quando propria constantia satis non sit ad coercendos rebelles, recurrat ad Episcopum, cujus adjutor est in regimine animarum. ibidem. 74. seq.

PAROCHVS
Circa exorcismos.

Parochus tenetur exorcizare suos, cùm indigent, ejusque operam implorant. 879. 37. & seq.
In hoc observabit Episcopi constitutiones, si fortè fuerint. ibid. 39.
Potest committere aliis, ut id præstent, & quibus? ibid.
Potest exorcizare alienos, maximè non contradicente eorum Parocho. ibidem. 40.

Sit

Sit valde versatus in Rituali, ac Sacerdotali Rom. ibid. 41.
Sit facilis in exorcizando grandines, tempestates, locustas, brucum fructus devastantes. ibid. 42.
Sit solicitus circa morbos suorum, dicat super illos Euangelium cum oratione. ibid. 43.
Consulat usum Aquæ Benedictæ, quæ effectus habet mirabiles. 880. 44.
Caveat à medendo, maximè à Chirurgia. ibid. 45.
Quid faciat, si contingat incendium? ibid. 46.
Quomodo se gerat cum utentibus superstitionibus? ibid. 47.

PAROCHVS
Circa ornatum Ecclesiæ.

Parochus sit solicitus de ornatu, & cultu suæ Ecclesiæ. 892. 110.
Laus Parochi in hac parte ex sancti PP. ibid. 111.
Sanctitas Ecclesiæ, & mysteria, quæ in ea peraguntur, munditiem, & ornatum exigunt. 893. 112.
Mundities, & ornatus Ecclesiæ Religionem conciliant. ibid. 113.
Ex nitore, & munditie Ecclesiæ cognoscitur qualis sit ejus Parochus. ibid. 114.
Parochus curet, ne quid indecens fiat in sua Ecclesia. ibid.
Quæ prohibere debeat fieri in Ecclesia? 894. 115. & seq.
Quos ab Ecclesia rejicere, & quos admittere possit? ibid. 119.

PAROCHVS
Circa bona Ecclesiæ.

Parochus tenetur bona, & jura suæ Ecclesiæ defendere. 894. 121.
Non potest ea alienare. ibid.
Alienata tenetur recuperare, si potest. ibid.
Quid circa hæc ordinaverit S. Carolus Borrom. 895. 122.
Mobilia Ecclesiæ redigenda ad inventarium, & copia in archivo Episcopi servanda. ibid. 123.
Caveat, ne locet bona Ecclesiæ cum anticipata solutione. ibid. 124.
Graviter prohibitum est bona Ecclesiæ locare ultra triennium. ibid. 125.
Prohibitum etiam est bona Ecclesiæ aliqua ratione alienare. ibid.
An ad Parochum pertineat exactio legatorum piorum, quæ relinquuntur suæ Ecclesiæ? ibid. 126. & seq.
An possit respuere legata pia relicta suæ Ecclesiæ? 896. 127. & seq.
An possit respuere oblationes? ibid. 129. & seq.

PAROCHVS
Circa reparationem suæ Ecclesiæ.

Parochus tenetur ad reparationem suæ Ecclesiæ, cùm ea indiget. 897. 133. & seq.
Ex quibus bonis eam reparare debeat? ibid. 135.
Qui debeant concurrere ad hanc reparationem, & quo ordine? ibid. 136. & seq.
Qui Parochi non teneantur ad hanc reparationem? ibid. 138.
A quo compellendi sint, qui tenentur ad reparationem Ecclesiæ. 898. 140.
Circa hanc reparationem attendenda est primo consuetudo. ibid. 141.
Quis teneatur reparare domum parochialem? ibid. 139.

PAROCHVS
Circa studium.

Incusandi Parochi, qui post adeptam Ecclesiam studium rerum moralium intermittunt. 898. 142.
Parochus studium ne deserat. ibid. 143.
Non potest se justè ab hoc studio excusare. ibid. 144.
Quos libros magis consulere oporteat? 899. 145. & seq.
Si sit vir doctus, quos consulere debeat? ibid.
Quos, si fuerit purus casuista. ibid. 146. & seq.
Hic noster liber Parocho sufficit, si in eo satis versatus sit. ibid. 148.
Parochus sit prudens, & timoratus in delectu opinionum. 900. 149.
Opinio communis habeat apud illum magnum momentum. ibid.

PATENA.

Patena ex qua materia esse debeat? 99. 103.
Debet esse consecrata ab Episcopo. ibidem.

PATIENTIA.

Patientia mansuetudinis comes, iræ opposita. 462. 696.
Patientia in quo propriè consistat? ibidem.

PATRINVS,
& Matrina.

In Baptismo unus tantùm patrinus, & una matrina admittendi. 482. 100.
Parochus peccat plures admittendo. ibidem.
Si plures tangant, solus primus, & prima contrahunt compaternitatem. ibid.
Cum quibus patrini contrahant cognationem spiritualem? ibid. 101.
Vnus saltem ex præcepto adhibendus est. 483. 102.
Quando quis suscipit per procuratorem, quis

Digitized by Google

quis contrahat, mandans, an procurator? ibid. 103.
Non omnes capaces sunt levandi baptizatum de Sacro Fonte. ibid. 104.
Qui sint isti incapaces? ibid.
Quam culpam admittat Parochus admittendo incapaces? ibid. 105.
Quid de parentibus baptizantibus, vel suscipientibus proprium filium? ibid. 104.
In confirmatione unus tantùm, vel una admittenda. 490. 139.
Patrinus, vel matrina confirmationis debent esse confirmati. ibid.
Patrinorum obligationes quæ sint? 232. 24.
Patrini duellantium excommunicati? 333. 104.

PAX.

Pax est effectus charitatis. 323. 57.
Quando dicatur pax, & quando concordia? ibid.
Paci opponitur discordia, & contentio. 329. 87.
Paci opponitur schisma. 330. 89.
Paci opponitur rixa. 331. 97.
Pax, & concordia in suos Parochianos procuranda à Parocho. 894. 86. & seq.

PECCATUM.

Peccatum aliud commissionis, aliud omissionis, & quid utrumque? 645. 300.
Peccatum omissionis dari potest sine ullo actu. ibid. 301.
Quando imputentur in culpam omissiones, & commissiones contingentes, & quando impediri non possint? ibid. 302.
Peccatum omissionis, & commissionis aliquando ejusdem speciei. ibid. 303.
Quid sit materiale, & quid formale peccati? 646. 304.
Triplex principium distinguendi species peccatorum. ibid. 306. & seq.
Quid sit peccatum ex vi nominis? 451. 642.
Quid ex usu Theologorum? ibid. 643.
Vnde peccatum dicatur mortale, unde veniale? ibid.
Peccatum mortale vel tale absolutè, vel solùm ex genere? ibid.
Peccatum mortale ex genere unde possit reddi veniale? 452. 645.
Quid sit peccatum veniale ex genere? 451. 643.
Quid veniale ex imperfectione actus, vel ex levitate materiæ? ibid.
Duplex regula ad cognoscendum peccatum mortale, & veniale ex genere. 452. 644.
Mortale ex genere tribus modis transit in veniale. ibid. 645.
Veniale ex genere quinque modis potest transire in mortale. ibid.

PECCATI
effectus.

Peccati effectus malum culpæ, seu macula, & peccatum habituale. 767. 418.
Quid sit macula, seu culpa, & peccatum habituale? ibid.
Effectus peccati reatus pœnæ. ibid.
Quid sit pœnæ reatus. ibid.
Alii effectus peccati tam mortalis, quàm venialis. ibid.

PECCATI
diversitas specifica.

Peccati distinguntur specie per objecta formalia. 646. 306.
Peccatum commissionis non solùm sumit speciem malitiæ ab objecto formali, sed etiam à materiali, & circumstantiis. ibid. 307.
Quid de peccato omissionis. 647. 368.
Sumitur etiam species malitiæ ex oppositione cum diversa virtute, vel cum diversa parte inadæquata illius. ibid. 369. & seq.
Declaratur id exemplis. ibid.
Sumitur species peccati ex oppositione cum diverso præcepto formaliter sumpto. ibid. 372.
Quæ sint præcepta diversa materialiter, quæ verò formaliter? ibid.
Quando violantur plura præcepta materialiter solùm diversa, non sunt plura peccata specie diversa, secùs si sint formaliter diversa. 648. 373. & seq.
Declaratur id exemplis. ibid. 374. & seq.

PECCATI
diversitas numerica.

Quomodo peccata multiplicentur? 648. 377.
Omittere Missam in die, quo occurrit duplex præceptum audiendi, unum peccatum est. ibid. 376.
Non jejunare in die, quo datur duplex præceptum jejunandi, unum est peccatum. ibid.
Occidere duos homines uno ictu, duplex peccatum. ibid. 377.
Quando furtum multorum scutorum sit unum, quando multiplex peccatum? ibid.
Quando multiplicentur numero peccata merè interna? 649. 378. & seq.
Quando ea, quæ consummantur per opus externum? ibid. 381. & seq.
Quando multiplicetur numero omissio non restituendi? 650. 386.

Actus

Digitized by Google

Actus libidinosi præcedens copulam unum sunt peccatum cum illa. ibid.
Non sic, qui copulam consummatam sequuntur. ibid.
Voluntas non recitandi officium per mensem multa numero peccata continet. ibid.
Voluntas omittendi officium integrum unius diei, unum est peccatum. ibid.

PECCATI
circumstantiæ.

Doctrina de circumstantiis peccatorum valde necessaria confessori. 651. 387.
Quæ sint peccatorum circumstantiæ? ibid.
Quid significet circumstantia *Quis*. ibid. 388.
Quòd persona peccans sit fidelis, sancta, vel habens dignitatem aggravat peccatum, sed non notabiliter. ibid.
Si peccans habeat specialem obligationem, quæ offendatur, potest gravitas peccati esse diversæ speciei? ibid. 389. & seq.
Habens votum de re aliàs prohibita, vel præcepta, addit peccato suo culpam specie diversam. ibid.
Peccatum contra castitatem in habente votum illius, addit novam malitiam specie diversam. ibid. 390.
Hæc malitia non variatur in Sacerdote Religioso, aut Episcopo. ibid.
Non peccat contra votum castitatis, qui consilio, vel auxilio est in causa, ut alius contra eam delinquat. 652. 391.
Peccatum contra castitatem in Eunucho addit malitiam diversam contra naturam. ibid.
Circumstantia virginitatis non addit specialem malitiam supra fornicationem. ibid. 392.
Circumstantia conjugi in fornicante addit malitiam adulterii specie diversam. 651. 389.
Circumstantia *Quid* tria complectitur. 652. 393.
Si res volita divisibilis est, peccatum aggravatur ex majori materia. ibid.
In peccato sodomiæ diversa est gravitas agentis, ac patientis. ibid.
Peccatum odii mutat speciem ex malo desiderato. ibid.
Iactantia de peccato est diversa ex diverso peccato, sicut & consilium de diverso peccato committendo. ibid. 394.
Peccatum aggravari potest circumstantia personæ, ad quam terminatur. ibid. 395.
Potest esse mortalis offensa, quæ respectu alterius personæ esset venialis. ibidem.
Additur homicidio malitia diversa, si occidas Clericum, vel Religiosum. 653. 396.
Odium, vel injuria illata parentibus, aut ascendentibus addit malitiam impietatis. ibid. 397.
Idem est de peccatis parentum in filios. ibid. 398.
Quid de offensa viri in uxorem, aut uxoris in virum, vel fratris in fratrem? ibid. 399.
Quando nobilitas, & excellentia personæ possit aggravare offensam? ibid. 400.
Aggravat peccatum contra castitatem persona, ad quam terminatur, si est conjugata, consanguinea, affinis, vel spiritualiter, aut legaliter cognata. ibid. 401.
Quid, si baptizatus peccet cum non baptizata, vel vice versa? 654. 402.
Pravus effectus ortus ex peccato illud aggravat. ibid. 403.
Effectus casualis illud non aggravat. ibid. 404.
Quando effectus ortus ex ebrietate aggravet, vel non aggravet? ibid.
Quando effectus, seu nocumentum, quod per se non sequitur ex nostra actione, illum aggravet? ibid. 405.
Quid de effectu, & nocumento per se secuto ex nostra actione? ibid. 406.
Quid significet circumstantia *Ubi*? 655. 407.
Quando locus non sit circumstantia, sed tota causa malitiæ? ibid.
Circumstantia loci peccatum aggravat addendo malitiam diversæ speciei in tribus casibus, & qui sint? ibid. 408. & seq.
Quid de aliis peccatis in Ecclesia factis? ibid. 410.
Quando circumstantia *Quibus auxiliis* seu instrumenta peccati addat malitiam specie diversam, & quando non addat? ibid. 411.
Circumstantia *Cur* significat finem extrinsecum. 656. 412.
Quando talis finis addat, vel non addat malitiam peccato, & quando totam communicet? ibid.
Quid significet circumstantia *Quomodo*? ibid. 413.
Intensio actus aggravat intra eamdem speciem. ibid.
Violentia sæpè addit malitiam specie diversam. ibid. 414.
Idem est de crudelitate, & feritate. ibid.
Passio, & ignorantia magis minuunt, quàm aggravant peccatum. ibid. 415.

Pec-

Digitized by Google

Peccare scienter aggravat, sed non notabiliter, per se loquendo. ibid.
Quid per accidens contingere possit? ibid.
Peccatum aggravatur ex consuetudine. ibid. 416.
Circumstantia *Quando* duo significat. ibid. 417.
Peccatum non aggravatur ex circumstantia diei. ibid.
Duratio peccati illud aggravat intra eamdem speciem. 657. 418.
Peccati remissio. Vide Remissio peccati.
Peccati reservatio. Vide Reservatio.

PECCATOR.

Quid peccator publicus, quid occultus? 890. 99. & 500. 187.
Quomodo cum illis se Parochus geret circa Sacramenta? ibid. 188. & seq.
Quomodo, si tales peccatores sint in mortis articulo quoad confessionem? 815. 16. & seq.
Quomodo quoad communionem? 502. 198. & seq.
Vide Parochus circa peccatores publicos.

PERCVSSIO Clerici.

Percussio Clerici significatur in jure per manus violentas in Clericum. 730. 270.
Huic percussioni est imposita excommunicatio Papæ reservata. ibid.
Quæ actiones intelligantur per manus violentas? ibid. 271.
Quid requiratur, ut hæc censura incurratur? ibid. 272.
Ad quas personas nomen Clerici extendatur? ibid.
Ad quas personas extendatur hæc censura? ibid. 273. & seq.
In quibus casibus non incurratur? 731. 276.
Percussio, vel enormis, vel mediocris, vel levis. 731. 279.
Quando Episcopus possit absolvere à levi, & mediocri. ibid. 280.
Quando possit absolvere ab enormi? ibid. 281. & seq.
In articulo mortis potest absolvere quilibet Sacerdos, & quid facturus sit? 733. 283.
Percussores occultos Clerici potest Episcopus absolvere virtute Tridentini. ibid. 284.
Habentes impedimentum temporale legitimum adeundi Papam, possunt absolvi ab Episcopo, & quomodo? 732. 281.

PERIVRIVM.

Perjurium quid sit? 359. 234.
Est peccatum ex genere suo mortale. ibid. 235.
Est peccatum contra virtutem Religionis. ibid.

PERTINACIA.

Pertinacia quid sit? 454. 655.
Quando possit esse mortalis, quando venialis? ibid.
Pertinacia requiritur ad hæresim. 317. 24.

PHRAENETICVS.

Phræneticus in articulo mortis communicandus est, estò confessus non sit. 502. 196.
In quo casu communicandus non sit? ibidem.
Phrænetico danda est Extrema Vnctio. 534. 365.

PIGNVS.

Pignoris contractus quid sit? 624. 201.
Non licet creditori uti pignore contra voluntatem domini. ibid.
Si creditor pignore utatur, debet domino valorem usus. ibid.
Quæ bona oppignorari non possint? ibid.
Creditor potest pignus oppignorare alteri, sed non pro majori quantitate. ibid.
Creditor non potest pignus vendere, nisi post biennium, monito priùs debitore. ibid.

PIXIS.

Pixis in qua servatur Eucharistia, ex qua materia esse debeat? 99. 103.
An sit necessariò benedicenda? ibid.

POENA.

Pœna damni, & pœna sensus quæ sint? 132. 122. & seq.
Pœna ordinaria Parochi non residentis amissio fructuum. 74. 74.
Fructus amittuntur ipso facto, non expectata sententia. ibid.
Tenetur in conscientia illos restituere, vel fabricæ, vel pauperibus loci. ibid.
Et hoc ante omnem sententiam. ibid. 75.
Qui fructus sint restituendi? ibid. 76.
Parochus habens congruam, & non decimas, tenetur restituere partem congruæ pro ratione absentiæ. 75. 79.
An fructus respondentes duobus mensibus, quos Trident. concedit, restituendi sint ibid. 77.
An Parochus pauper possit sibi applicare fructus amisso pro absentia? ibid. 78.
Pœna extraordinaria Parochi non residentis ad arbitrium Episcopi. ibid. 80.
Potest Episcopus procedere usque ad privationem Parochiæ. ibid.
Quomodo Episcopus procedere debeat cum Parocho non residente quoad hanc pœnam? ibid. 81. & seq.

POENITENTIA.

Pœnitentiæ virtus quæ sit? 506. 218.

Pœ-

Digitized by Google

Pœnitentia Sacramentum novæ legis. ibid. 219.
Quando fuerit à Christo institutum? ibid.
In quo differat à Baptismo? 507. 220.
Pœnitentiæ materia remota quæ sit? ib. 221.
Quæ sit materia proxima? ibid. 222.
Quæ forma hujus Sacramenti? ibid. 223.
Forma hujus Sacramenti non potest proferri in absentem. ibid. 224.
Sacramentum Pœnitentiæ reiterari potest. ibid. 225.
Probabile est posse esse validum, & informe, sed oppositum probabilius. 512. 252. & seq.
Vide Contritio. Attritio. Confessio Confessor. Parochus circa Pœnitentiam.

POENITENTIÆ EFFECTUS.

Idem sunt effectus Pœnitentiæ in re, & in voto susceptæ. 524. 315.
Remissio peccati mortalis, & gratia justificans effectus hujus Sacramenti. ibid. 316.
Per illud remittuntur etiam venialia. ibid. 317.
Venialia remittuntur etiam extra Sacramentum. ibid.
Remissio pœnæ æternæ effectus hujus Sacramenti. ibid. 318.
Reviviscentia meritorum effectus Pœnitentiæ. 525. 322.
Quid sit merita reviviscere? ibid.
Cur reviviscant merita, & non peccata? ibid. 323.
Per Pœnitentiam recuperatur omnis gratia deperdita. ibid. 324.
Redeunt omnia merita per quamlibet contritionem etiam minimam. 526. 325.
Pœnitentiæ medicinales. 599. 71. & seq.

PRAECEPTUM.

Præceptum aliud naturale, aliud positivum. 441. 595.
Præceptum vel affirmativum, vel negativum. 645. 300.
Præcepta Decalogi omnia naturalia. 312.
Præceptum fidei exponitur. 314. 7. & seq.
Præceptum spei declaratur. 318. 28. & seq.
Præceptum charitatis explicatur. 322. 48.
Præceptum misericordiæ elucidatur. 323. 58. & seq.
Item præceptum correctionis fraternæ. 326. 71. & seq.
Primi præcepti Decalogi explicatio. 335. 113. & seq.
Secundi præcepti Decalogi declaratio. 366. 266. & seq.
Item tertii præcepti explicatio. 379. 327.
Quarti item præcepti declaratio. 387. 359. & seq.
Quinti etiam præcepti explanatio. 396. 398. & seq.
Sexti præcepti Decalogi declaratio. 404. 433.
Septimi præcepti Decalogi expositio. 412. 472. & seq.
Octavi præcepti Decalogi explicatio. 416. 489. & seq.
Noni præcepti Decalogi explanatio. 431. 550. & seq.
Decimi præcepti Decalogi elucidatio. 438. 582. & seq.
Primum præceptum Ecclesiæ audiendi Missam Dominicis, & festis explicatur. 443. 606. & seq.
Secundum præceptum jejunandi explicatur. 446. 617. & seq.
Tertium præceptum annuæ confessionis declaratur. 448. 628. & seq.
Quartum præceptum communionis paschalis explicatur. 449. 632. & seq.
Quintum præceptum solvendi decimas declaratur. 450. 637. & seq.

PRÆLATUS.

Prælatus debet subditis vitæ exemplum. 393. 382.
Debet residere in sua Ecclesia. ibid. 383.
Debet invigilare supra mores populi. ibid.
Debet castigare peccata publica. ibid.
Debet bonos ministros constituere. ibid. 384.
Debet ordines conferre solis dignis. ibid.
Debet conferre beneficia dignis. ibid.
Debet prædicare, & vigilare supra doctrinam sanam. 394. 385.
Debet singulis annis visitare Diœcesim. ibid. 386.
Vide Episcopus.

PRAESCRIPTIO.

Præscriptio quid sit? 607. 112.
Dominium acquirit pro utroque foro. ibid.
Quæ conditiones requirantur ad legitimam præscriptionem? ibid. 113. & seq.
Quantum tempus requiratur ad præscriptionem? ibid. 114.
Qualis esse debeat bona fides ad illam requisita? 608. 115.
Quæ ignorantia sufficiat, vel non sufficiat? ibid.

PRAESUMPTIO.

Præsumptio grave peccatum contra virtutem spei. 320. 39.
Præsumptio contra spem, quid sit? ibid. & seq.
Præsumptio variis modis contingit. ibid. 40.
Præsumptio filia superbiæ quæ sit? 455. 659.
Quando hæc præsumptio sit mortalis, quando venialis? ibid.

PRETIUM.

Pretium legale, seu legitimum, quid dicatur? 616. 161.
Pretium naturale quod sit? ibid.

Digitized by Google

Pretium vel est supremum, vel infimum, vel medium. ibid.
Ex variis causis variatur justum pretium naturale rerum. 617. 162.

PROCVRATOR.

Procurator causarum habere debet congruam scientiam negotiorum. 530. 545.
Debet applicare debitam diligentiam negotiis, quæ agit. ibid.
Quas alias obligationes habeat? ibid.
Tenetur restituere damna orta ex sua negligentia graviter culpabili. ibid.
In quibus delinquere potest in suo officio? ibid. 546.
Peccata Procuratoris. 594. 52.

PRODIGALITAS.

Prodigalitas extremè opponitur avaritiæ. 455. 661.
Prodigalitas in quo consistat? ibid.

PRODITIO.

Proditio filia avaritiæ. 456. 666.
Proditio quid sit? ibid.
Proditio quibus modis contingat? ibid.
Proditio revelare secretum in damnum tertii. ibid.
Quando licere possit secretum revelare. ibid. 667.
Literas aliorum sigillatas aperire proditio mortalis est, regulariter loquendo. ibid.

PROMISSIO.

Promissio contractus impropriè dictus. 611. 133.
Promissio quid sit? ibid.
Promissio quæ requirat, ut sit perfecta? ibidem. 134.
Promissio acceptata obligat in conscientia. 612. 135.
Promissio ante acceptationem potest revocari. 611. 134.
Promissio liberalis potest acceptari per taciturnitatem. ibid.
Qui possint promissiones acceptare pro aliis? ibid.
Ad promissionem merè liberalem non datur actio in foro civili, nisi in certis casibus. 612. 136.
In foro canonico actio conceditur. ibid.
Promissio acceptata ex variis causis revocari potest. ibid.

PVBES, ET PVBERTAS.

Pubes efficitur masculus completo decimoquarto ætatis anno. 629. 227.
Fœmina completo duodecimo. ibid.

PVER.

Puer ante usum rationis non obligatur aliqua lege. 443. 603.
Puero dari possunt carnes in diebus prohibitis. ibid.
Perpetuò amentes reputantur pueri, quoad eosdem effectus. ibid.
Puer perveniens ad usum rationis obligatur ad leges Ecclesiæ, quæ tempus non determinant. ibid.
Puer non est confirmandus ante septimum ætatis annum, licèt antea valeat confirmari, si detur necessitas. 489. 137.
Puer communicandus non est ante usum rationis. 499. 182.
Quo tempore communicandus sit post usum rationis? 449. 632. & seq.
Puer ante usum rationis non est capax extremæ unctionis. 533. 364.
Maximè verò post usum rationis. ibid. 365.

PVRGATORIVM.

Tormenta Purgatorii acerbissima. 669. 100.
Quantùm valeat Missæ sacrificium ad liberandas animas à pœnis Purgatorii? ibid. 101.
Parochus commendet populo devotionem animarum Purgatorii. ibid. 102.
Quantùm prosint animabus Purgatorii suffragia, quæ viventes pro illis offerunt? 307. 407. & seq.
Quantùm intersit viventium adjuvare animas Purgatorii? 308. 410.
Quantùm noceat vivis oblivio animarum Purgatorii? 309. 414. & seq.
Quantæ sit efficaciæ pro animabus Purgatorii Missæ sacrificium? 310. 418. & seq.
Vide Purgatorium in primo indice. Vide Parochus circa animas Defunctorum.

Q

QVARTA FVNERALIS.

Ad quem pertineant oblationes dari solitæ pro funere? 863. 70.
Quid, si defunctus sepeliatur in sua Parochia? ibid.
Si sepeliatur extra suam Parochiam, debetur Parocho defuncti quarta pars oblationis, quæ dicitur quarta funeralis. ibid. 71.
Ex quibus debeatur hæc quarta funeralis? ibid. 72. & seq.
Cui Parochiæ hæc quarta debeatur? 865. 79.
Quid de jure circa quartam funeralem? 863. 71.
Quid de privilegio, & consuetudine? 864. 78. & seq.
Quid consuetudo in hac parte Eboræ obtineat? 865. 81.
Quid de quarta externorum, qui casu moriuntur in civitate? 864. 76.

QVAE-

Digitized by Google

QUAESTUARII
eleemosynarum.
Quando tales quæstuarii commendandi sint à Parocho, quando non? 875. 18.
Quos Parochus prohibere debeat, quos admittere? ibid. 19.
Quos impedire non possit? 876. 21.

R

RAPINA.

Rapina quid sit? 415. 481.
Addit novam injuriam supra furtum. ibidem.
Ad rapinam pertinet usura, & quod exigitur per iniquum contractum. 397. 409.
RAPTUS.
Raptus fœminæ est unum ex impedimentis dirimentibus matrimonium. 548. 443.
Quomodo intelligatur, ut dirimat? ibid.
Quid, si fœmina raptui consentiat? ibid.
Quid; si parentes, vel illi, sub quorum cura fœmina est, repugnent? ibid.
REBAPTIZATIO.
Rebaptizare aliquem culpa mortalis est, cui irregularitas est annexa. 484. 109.
Quando fuerit dubium probabile, quòd aliquis baptizatus non fuerit, vel quòd baptismus fuerit invalidus, potest baptizari sub conditione. ibid.
Puer expositus baptizandus sub conditione. ibid. 110.
Quid, quando fuerit dubium probabile de materia? ibid. 111.
Quid, quando fuerit dubium probabile de forma? ibid. 112.
Quid, quando infans nondum perfectè natus baptizatus fuit in pede, digito, aut membro minùs principali? 485. 113.
Quid, quando defuerit intensio vel in ministro, vel in suscipiente? ibid. 114.
Quid, quando infans baptizatus fuit à persona sanguinis hebræi, aut sarraceni? ibid. 114. & seq.
Quid de illis, qui domi baptizati sunt ab obstetrice, aut alia fœmina, vel homine laico? 486. 118. & seq.
RELIGIO.
Religio virtus quid sit? 335. 114.
Non est virtus theologica, sed moralis. ibid. 115.
Est virtus specifica ab omnibus aliis diversa. ibid. 117. & seq.
Distinguitur à dulia, à pœnitentia, & obedientia. 336. 120. & seq.
Religio est pars potentialis justitiæ, non subjectiva. 335. 119.
Actus interni Religionis devotio, & oratio. 336. 123. & seq.
Adoratio, sacrificium, oblationes, primitiæ, ac decimæ actus externi Religionis. 342. 154. & seq.
Votum numeratur inter actus externos Religionis. 344. 163.
Peccata contra Religionem pertinentia ad superstitionem. 350. 191. & seq.
Peccata contra Religionem pertinentia ad irreligiositatem. 356. 225. & seq.
REMISSIO.
In Ecclesia est remissio peccatorum. 251. 133. & seq.
Remissio peccatorum effectus pœnitentiæ. 524. 316. & seq.
Remissio pœnæ æternæ effectus pœnitentiæ. ibid. 318.
Peccata semel remissa non redeunt quoad maculam habitualem. 525. 320.
Neque redeunt quoad reatum pœnæ æternæ. ibid. 321.
Non quoties remittitur culpa, remittitur tota pœna. 768.
RESERVATIO.
Reservatio peccati est ablatio jurisdictionis ad absolvendum à tali peccato. 522. 303.
Nunquam peccatum reservatur Pontifici, nisi ratione censuræ.
RESERVATIO FACTA
Pontifici.
Pontifici reservantur omnes casus contenti in Bulla Cœnæ. Vide Bulla Cœnæ.
In Decreto reservatur manus violenta in clericum. 728. 270. & seq. Vide Percussio clerici.
In Decretalibus quinque censuræ reservantur Pontifici, & quæ illæ sint? 733. 285. & seq.
In Sexto reservantur tres, & quæ illæ sint? 734. 287.
In Clementinis reservantur sex, & quæ? ibid. 289. & seq.
In Extravagantibus reservantur sex, & quæ? 735. 294. & seq.
In Trident. unica tantùm reservatur, & quæ illa sit? 736. 301.
Extra corpus juris variæ reservantur, tres principales declarantur. 737. 302.
RESERVATIO FACTA
Episcopis.
Parochus scire debet, qui casus reserventur suo Episcopo. 737. 306.
Qui casus reserventur Episcopis ex jure communi? ibid. 307.
Qui reserventur Episcopis per consuetudinem generalem? ibid. 308.
Casus reservati Papæ, quando sunt occulti, quia committuntur Episcopis, pos-

sumedici reservati Episcopis. 738. 309.
Qui dicantur casus occulti Episcopis commissi? ibid. 310.
An casus occulti Bullæ Cœnæ hodie sint Episcopales? ibid.

RESERVATIO FACTA Episcopis Lusitaniæ.

Varii casus reservantur Episcopis in Lusitania, licèt non omnes singulis, qui omnes explicantur. 738. 311. & seq.
Primus est hæresis. ibid. 311. & seq.
Quæ hæresis censeatur reservari Episcopis? ibid. 313. & seq.
Secundus est blasphemia publica. 739. 316.
Non reservatur Episcopis blasphemia hæreticalis. ibid.
Tertius est veneficium, quod est in multiplici differentia. ibid. 317. & seq.
Alicubi non reservatur peccatum eorum, qui utuntur veneficiis ab aliis confectis. ibid. 318.
Quomodo Parochus se gerere debeat cum veneficis? ibid. 319.
Quartus est sacrilegium, quod est multiplex. ibid. 321. & seq.
Quæ sacrilegia reserventur, & quæ non reserventur. 740. 322. & seq.
Quintus est injectio manus violenta in clericum. 741. 330.
Quid hoc casu Episcopo reservetur? ib. 331.
Quando ista injectio manus violentæ possit esse non reservata? ibid. 332. & seq.
Sextus, excommunicatio major à jure, vel ab homine. 742. 335.
De quibus excommunicationibus procedat ista reservatio? ibid.
Septimus, commutatio votorum. ibid. 336.
Quomodo intelligatur hæc reservatio? ibidem.
Octavus est homicidium voluntarium. ibid. 337. & seq.
Quod homicidium reservetur, & quod non reservetur? ibid. & seq.
Non reservatur homicidium casuale. 743. 340.
An habeant casum reservatum, qui solùm moraliter concurrunt ad homicidium. ibidem.
Nonus, voluntaria membri mutilatio. ibid. 341.
Quid intelligatur nomine membri? ibid.
Decimus, procuratio abortus. 744. 342.
Qualis sit abortus, cujus procuratio reservatur? ibid.
Qui casum illum contrahant, vel non contrahant? ibid.
Vndecimus, oppressio prolis. ibid. 343.
Quid requiratur, ut hæc oppressio sit reservata? ibid.
Duodecimus est incendium ex intentione nocendi. ibid. 344.
Quod incendium reservetur Episcopo, & quando? ibid.
Decimustertius, habere bona aliena, quorum dominus ignoretur in certa quantitate. 745. 345. & seq.
Quid requiratur, ut hæc retentio sit reservata? 746. 348.
Cui hæc bona sint restituenda? 745. 345.
Quid constitutiones Episcopales decernant circa hanc restitutionem? ibid. 346.
Quæ bona hujus generis non comprehendantur in hoc casu? ibid. 345. & 747. 349.
Decimusquartus, decimæ non solutæ Ecclesiis in certa quantitate. 747. 350. & seq.
Quid requiratur, ut hæc retentio sit reservata? ibid.
Declaratur magis casus iste. ibid.
Decimusquintus, juramentum falsum in judicio. 748. 351.
Quale debeat esse hoc juramentum, ut sit reservatum? ibid.
Qui hunc casum non incurrant? ibid. 352.
Decimussextus, facere scripturam falsam, falsificare jam factam, aut uti illa. ib. 353.
Quomodo hoc sit intelligendum? ibid.
Decimusseptimus, matrimonium clandestinum. 749. 354.
Quod Matrimonium clandestinum, ante Trident. reservatum fuerit, & quod hodie reservetur? ibid. 355. & seq.
Decimusoctavus, copula inter sponsos, vel conjuges, ante benedictiones. ibid. 357.
Explicatur quomodo hic casus possit esse reservatus. ibid.
Decimusnonus, promoveri ad sacros ordines ante legitimam ætatem. 750. 358.
Qui incurrant hanc reservationem, & qui ab ea liberentur? ibid.
Vigesimus, ordinari sine patrimonio, beneficio, vel pensione. ibid. 359.
Quid de eo, qui ordinatur cum patrimonio ficto? ibid.
Vigesimusprimus, ordinari per saltum, aut cum licentia falsa, vel furtivè se ingerendo ad sacros ordines. ibid. 360.
Vigesimussecundus, violatio facta à confessario. ibid.
Vigesimustertius, solicitatio in confessione. 751. 362.
Qualis debeat esse ista solicitatio, ut reservetur? ibid. & seq.
Vigesimusquartus, simonia. ibid. 364.
Quæ Simonia reservari censeatur? ibid.
Vigesimusquintus, sepelire excommunicatum in loco sacro. ibid. 365.

De

De quo excommunicato, & de quibus sepelientibus intelligatur hic casus? ibid.
Vigesimussextus, qui non fuerunt confessi annis præteritis. 752.366.
Quomodo sit intelligendum, ut reservari censeatur? ibid.
Vigesimusseptimus, concubinatus hominis conjugati. ibid. 367.
Quomodo sit intelligendum, ut reservari censeatur? ibid.
Vigesimusoctavus habere bona aliena sub negata. ibid. 368.
Quomodo hoc intelligatur? ibid.
Vigesimusnonus, recipere, vel dare pretium pro confessione. 753.369.
Quomodo hoc debeat intelligi? ibid.
Trigesimus, celebratio Missæ illius, qui ordinatus fuit cum dimissoriis falsis. ibid. 370.
Trigesimusprimus, peccatum Sacerdotis habens annexam irregularitatem. ibid. 371.
Explicatur quot casus hæc reservatio comprehendat. ibid. & seq.
Trigesimussecundus, dispensatio in votis, aut juramentis absque potestate. 754. 375.
Trigesimustertius, extrahere è loco sacro illum, qui ejus immunitate gaudet. 755. 376.
Trigesimusquartus, cohabitatio ante denuntiationes. ibid. 377.
Trigesimusquintus, Indorum invasio. ibid. 378.
Trigesimussextus, cognitio carnalis mulieris paganæ, vel hominis similiter pagani. ibid. 379.
Trigesimusseptimus, venditio, vel emptio Indorum liberorum. ibid. 380.
Trigesimusoctavus, Idololatria, & quilibet ritus gentilicus. 756.381.
Trigesimusnonus, venditio servorum, qui aut surdi sunt, vel alia occulta laborant infirmitate, quam tacent, & celant. ibid. 382.
Quadragesimus, retinere apud se servos fugitivos, aut illos furari, vel aberrantes retinere.
Quadragesimusprimus, invadere iter facientes in viis publicis.
Quadragesimussecundus, concubinatus, qui duraverit per tres annos, aut ultra.
Quadragesimustertius, aliqua prohibita Parochis sub gravi censura.

RESERVATIO FACTA EPISCOPIS in qualibet Dioecesi Lusitaniæ.

Qui casus reserventur in Dioecesi Bracharensi? 757.388. & seq.
Qui reserventur in Dioecesi Vlyssiponensi? 758. 390. & seq.
Qui in Dioecesi Eborensi? 759. 392. & seq.
Qui in Dioecesi Conimbricensi? 760. 394. & seq.
Qui in Dioecesi Egitanensi? ibid. 396. & seq.
Qui in Dioecesi Lamecensi? 761. 398.
Qui in Dioecesi Visensi? ibid. 399.
Qui in Dioecesi Algarabiensi? 762.400.
Qui in Dioecesi Portuensi? ibid. 401.
Qui in Dioecesi Mirandensi? ibid. 402. & seq.
Qui in Dioecesi Portalegrensi? 763. 403.
Qui in Dioecesi Elvensi? ibid. 405. & seq.
Qui in Dioecesi Leyriensi? 764. 407. & seq.
Qui in Dioecesi Funchalensi? 765. 409.
Qui in Dioecesi Angrensi? ibid. 410.
Qui in Prioratu Cratensi? ibid. 411.
Qui in Ecclesia Thomarensi? ibid. 412.
Qui in Dioecesi Brasiliensi? 766. 413. & seq.
Qui in Dioecesi Angolana? ibid. 415. & seq.

RESIDENTIA.

Vide Parochus circa residentiam.

RESTITVTIO.

Restitutio actus justitiæ commutativæ. 631. 235.
Sola justitia obligat ad restituendum. ibid.
Restitutio quid sit? ibid.
Quot radices restitutionis. ibid. 236.

RESTITVTIO REI ACCEPTAE.

Res aliena justo titulo accepta restituenda tempore condicto. 631. 237.
Quid si interim pereat? ibid.
Quid, si pereat casu fortuito? 632. 239.
Si res pereat culpa tua etiam levissima, teneris, ex illis contractibus, qui fiunt in solam tuam utilitatem. ibid. 240.
Ex illis, qui fiunt in gratiam solius dantis non teneris, nisi pereat culpa tua lata. ibid.
Quantum teneatur restituere, qui rem alienam justo titulo accepit? 633. 242.
An teneatur restituere fructus rei? ibid. 243.
Si fuisti in mora culpabili, teneris ad damnum emergens, & lucrum cessans. ibid. 244.
Qui bona fide rem alienam habet credens esse suam, tenetur eam restituere, cùm primùm novit esse alienam. ibid. 245.
Non licet pretium, quo eam fortè emit à fure, à Domino vero exigere. ibid.
Si, durante bona fide, res fuit consumpta, non teneris restituere, nisi illud, in quo factus es ditior. ibid. 246.
Quid tibi faciendum, quando dubitare cœpisti an res esset aliena? ibid.
Quid faciendum ad restituenda bona inventa, quorum Dominus ignoratur? 632.248.
Si facta diligentia, Dominus compareat, ei sunt restituenda. ibid.
Si non compareat, restituenda sunt pauperibus. ibid.

Si inventor verò pauper sit, potest ea sibi applicare. ibid.
Si facta applicatione, Dominus compareat, nihil ei restituere tenetur. ibid.
Quid Episcopi statuant in suis constitutionibus circa bona inventa? 745. 346.

RESTITVTIO INIVSTAE acceptionis.

Qui teneatur restituere ex injusta acceptione? 634. 249. & seq.
Possessor malæ fidei tenetur rem Domino restituere. ibid. 250.
Quid, si, quando rem emisti, dubitasti venditorem fuisse furem? ibid.
Possessor malæ fidei tenetur restituere eamdem numero rem. ibid.
Quando satisfaciat, restituendo valorem? ibid.
Possessor malæ fidei tenetur restituere valorem, estò res apud ipsum quocumque modo perierit? ibid. 251.
Quid, si eodem modo apud Dominum peritura erat? ibid.
Quando possessor malæ fidei possit, vel non possit rem à fure emptam tradere furi venditori? 635. 252.
Tenetur rem cum fructibus restituere, secundùm majorem valorem. ibid. 255.
Tenetur ad totum damnum emergens, & lucrum cessans eveniens Domino ex mora restitutionis. ibid. 256.
Qui per injustitiam bona incerta usurpaverit, tenetur illa restituere. ibid. 257.
Quomodo facienda sit istorum bonorum restitutio? ibid.

RESTITVTIO EX ACTIONE injusta illativa damni.

Ex actione illativa damni injusti sequitur obligatio restituendi. 636. 258.
Qui injustè aliquem impedit à consequenda re, quam alias esset habiturus, tenetur restituere damnum illatum. ibid. 259.
Quid requiratur, ut actio hæc impeditiva sit injusta? ibid.
Qui proximum injustè damnificavit in quocumque genere boni, tenetur ad restitutionem. ibid. 260.
Vt quis teneatur restituere damnum datum, debuit actio illativa illius esse theologicè culpabilis. ibid. 261.
Quid, si damnum grave detur ex culpa solùm veniali? ibid. 262.
Qui cooperatur ad damnum injustè inferendum, tenetur ad restitutionem? 637. 263.
Qui sint illi cooperatores ad damnum? ibid.
Quid de mandante, & consulente? ibid.
Quid de consentiente? ibid. 264.
Quid de concurrente per laudem, & adulationem? ibid. 265.
Quid de præbente securitatem. ibid.
Quid de participante? ibid.
Quid de muto, seu damnum non impediente? 638. 266.
Quid de non resistente damno inferendo? ibid.
Quid de non manifestante? ibid.
Quis ex cooperatoribus ad damnum primus restituere teneatur? ibid. 267.
Quo ordine reliqui teneantur? ibid.
Si unus ex cooperatoribus restituat, ad quid reliqui teneantur? ibid.
Quomodo restituere teneantur, quando multi sunt causa totius damni? ibid.
Nemo tenetur in conscientia restituere damnum datum per suum animal, servum, aut filium sine culpa sua. ibid. 268.
Ad quid talis teneatur in foro externo? ibidem.

RESTITVTIONIS circumstantiæ.

Quæ sint restitutionis circumstantiæ? 638. 269.
Quid, & quantum restituendum sit? ibid.
Quid, quando damnum datum est in re antequàm perveniret ad suam perfectionem? ibid.
Cui restitutio facienda sit? ibid. 270.
Quomodo restitutio facienda sit? 639. 271.
Quid, quando restitutio mandata est fieri per alium, qui eam non fecit? ibid.
Quo tempore restitutio facienda sit? ibid. 272.
Quo loco facienda sit, & cujus expensis? ibid. 273.
Quo ordine facienda sit, quando multi sunt creditores quibus ex variis titulis debetur restitutio? ibid. 274. & seq.
Quando liceat restitutionem differre? 640. 281.
Variæ causæ justificare possunt dilationem restitutionis, & quæ illæ sint? ibid.
Restitutio aliquando omitti potest, & quas ob causas? 641. 282.

RESTITVTIO BONORVM particularium.

Quæ restitutio debeatur ex damno injustè dato in bonis spiritualibus? 641. 284.
Ad quid teneatur, qui aliquem abstraxit à Religione, vel ab ingressu illius? 642. 285.
Ad quid teneatur, qui proximum læsit in bonis animi? ibid. 286.
Ad quid, qui læsit per homicidium, vulnus, aut mutilationem? ibid. 287. & seq.
Quibus facienda sit restitutio ex homicidio? ibid. 289.
Quando judex, & testes teneantur ad hanc restitutionem? 643. 290. & seq.

Ad

Ad quid teneatur, qui virginem desfloravit? ibid. 292.
Quando teneatur, & quando non teneatur? ibid.
Ad quid teneatur adulter? ibid. 293.
Ad quid, qui famam proximi læsit per detractionem? ibid. 294.
Quomodo facienda famæ restitutio? ibid. & seq.
Fama non restituitur per pecunias. 444. 295.
Quando quis excusari possit ab hac restitutione? ibid. 296.
Honor injustè læsus restituendus est, & quomodo? ibid. 297.

REVIVISCENTIA.

Merita per peccatum mortificata reviviscunt per Pœnitentiam. 525. 322.
Quid sit meritorum reviviscentia? ibid.
Homo per Pœnitentiam recuperat gratiam deperditam, & omne jus ad gloriam. ibid. 324.
Merita omnia redeunt per quamcumque minimam contritionem. 526. 325.

REUS.

Reus tenetur respondere secundùm veritatem judici legitimè interroganti. 427. 534.
Peccat mortaliter verum non respondendo, licèt oppositum sit probabile. ibid.
Non tenetur verum fateri, si legitimè non interrogatur, vel de eo dubitat. ibid. 535.
Quomodo tunc negare debeat veritatem, ne fit mendax, & perjurus? ibid.
Tenetur subire sententiam, vimque non inferre ministris justitiæ. ibid. 536.
Potest fugere, rumpere carcerem, &c. ibidem.
Non peccat aperiendo defectus occultos testium, ut se defendat. ibid. 537.
Quando peccare possit, contra charitatem id efficiendo? 428. 538.
Quid possit, si sententia solùm sit justa secundùm allegata, & probata? ibid. 539.
Peccata Rei. 594. 52.

REX.

Tenetur vassallos in justitia gubernare. 395. 391.
Non debet gravare populum nimiis oneribus, & tributis. ibid.
Tenetur defendere ab injuriis. ibid.
Tenetur ponere idoneos ministros, & prudentes consiliarios. ibid.
Tenetur castigare delicta publica, & præmiare benemerentes de Repub. ibid.
Tenetur abstinere à bello injusto. ibid.
Tenetur invigilare supra ministros. ibid.

RIXA.

Rixa bellum privatum. 332. 97.
Rixa semper mala ex parte aggressoris? ibid.
Potest esse licita ex parte se defendentis? ibid.
Rixa in quo differat à duello? 332. 98.

S

SACERDOS MAXIME QVOAD Sacrificium.

Vide in priori indice eodem verbo.
Sacerdotis status difficilis. 6. 28.
Sacerdos fugiat vini excessum. 28. 138. & seq.
Minuitur reverentia Sacerdoti debita ex sæcularium conversatione. 33. 163. & seq.
Sacerdoti nihil commune cum sæcularibus? ibid. 164.
Sacerdos orare debet pro populo. 49. 49. & seq.
Sacerdotis vita qualis esse debeat? 53. 68. & seq.
Sacerdos in omnibus sit exemplum plebi. 203. 40.
Sacerdotis ignominia studere divitiis. 209. 66.
Avaritia Sacerdotis persecutio Christi. 867. 90.
Avaritia Sacerdotis cor indurat. ibid. 90.
Sacrificium à Sacerdote non applicatum manet in thesauro Ecclesiæ. 91. 56.
Si ille, cui Sacerdos applicat, capax non sit, potest habere intentionem sibi, vel alteri applicandi. ibid.
Non potest postea applicare Sacrificium, quod modo offert. ibid.
Sacerdos ex divino præcepto tenetur aliquoties celebrare. 92. 61.
Hoc celebrandi præceptum non est addictum ad certos dies. ibid. 63.
Quid in hac re doceant communiter Doctores? ibid.
Sacerdos habens conscientiam culpæ mortalis, tenetur ex divino præcepto præmittere confessionem, antequam celebret? 97. 85.
Quid, si jam indutus vestibus Sacerdotalibus recordetur peccati mortalis? ibid. 86.
Quid, si incœpta jam missa? ibid. 85.
Quid, si ante consecrationem? ibid.
Quid, si post consecrationem? ibid.
Vide Missa. Vide Sacrificium.

SACRAMENTUM.

Sacramentum quid sit? 465. 2.
Quid Sacramentum novæ legis? ibid. 3. & seq.
Sacramenta sunt signa ad placitum. ibid. 8.
Discrimen inter nostra, & antiqua sacramenta. 466. 10.

Sacramenta constat materia, & forma. ibid. 12.
Quæ conjunctio requiratur inter materiam, & formam Sacramenti? 467. 13.
Sacramenta novæ legis à Christo Domino instituta. 465. 8.
Sacramenta septem, & quæ illa sint? 467. 16.
Si materia, aut forma Sacramenti substantialiter mutetur, nullum erit Sacramentum. ibid. 17.
Quando materia, & forma censeantur substantialiter mutari? ibid. 18.
Minister Sacramentorum solus homo viator. 468. 19.
Minister ordinarius viator ad id specialiter deputatus. ibid. 20.
Qui possint esse ministri Sacramentorum? ibid.
Ad valorem Sacramenti non est necessaria fides ministri, nec vitæ probitas. ibid. 21. & seq.
Ad valorem Sacramenti est necessaria intentio ministri. ibid. 23.
Satis est intentio faciendi, quod facit Ecclesia. ibid. 24.
Intentio habitualis non sufficit. 469. 25.
Optima est actualis, sufficit tamen virtualis. ibid. 26. & seq.
Sufficit intentio conditionata de præsenti, vel præterito, si vera est conditio. ibid. 28.
Non sufficit conditio de futuro, nisi in solo matrimonio. ibid.
Qui ex officio Sacramenta ministrat, debet esse in gratia. 470. 29.
Ad valorem Sacramenti requiritur in suscipiente aliqua voluntas suscipiendi. ibid. 30.
Quæ intentio sufficiat ad recipiendum? ibid. 31. & seq.
Ad valorem Sacramenti non semper requiritur gratia in suscipiente. ibid. 32.
Vt Sacramenta gratiam primam conferant, requiritur in adultis attritio saltem de peccatis. ibid. 33.
Licitum est Sacramentum petere à Parocho, esto, petens putet ipsum peccaturum ministrando. 471. 34.
Licet ex justa causa eadem petere ab excommunicato tolerato. ibid. 35.
A non tolerato ea solùm licet petere in mortis articulo. ibid.
Sacramenta novæ legis gratiam conferunt ex opere operato. ibid. 36. & seq.
An producant gratiam physicè, vel moraliter? Vtrumque probabile. 472. 38.
Gratia Sacramentalis aliquid addit supra gratiam sanctificantem, & quid illud sit? ibid. 39. & seq.
Aliqua Sacramenta characterem imprimunt, & quæ illa sint. ibid. 41.

SACRAMENTALIA.

Sacramentalia quid sint? 472. 43.
Sacramentalia non sunt Sacramenta. ibid.
Ecclesia habet potestatem instituendi Sacramentalia, & obligandi ad illa sub mortali. 473. 44. & 45.
Sacramentalia non habent vim delendi peccata venialia ex opere operato. ibid. 46.
In aliquibus est vis expellendi dæmones, non naturalis, sed supernaturalis, & moralis. ibid. 47.

SACRIFICIVM MISSAE.

In Missa offertur Deo verum, & proprium Sacrificium. 80. 1.
Sacrificium quid sit? ibid.
Sacrificium est actus externus Religionis. 343. 156.
De lege naturæ est Sacrificium Deo offerre. ibid. 157.
Sacrificium soli Deo offerendum. ibid. 158.
In Christi Ecclesia nullum est aliud Sacrificium, quàm quod offertur in Missa. ibid. 159.
Sacrificium Missæ est repræsentatio Sacrificii cruenti in Cruce à Christo peracti. 81. 4.
Sacrificium Missæ offertur in Dei honorem, & cultum. 80. 1.
Res oblata in Sacrificio Missæ est Christus, quatenus est sub speciebus Sacramentalibus. 81. 5. & seq.
Quomodo Christus dicatur materia Sacrificii? ibid. 8.
Essentia Sacrificii consistit in sola consecratione. 82. 9. & seq.
Consumptio non pertinet ad essentiam Sacrificii. ibid. 10.
Christus est principalis offerens Sacrificii incruenti Missæ. 84. 21.
Sacerdotes offerunt in persona Christi. ibid. 23.
Soli Sacerdotes novæ legis possunt hoc Sacrificium offerre tanquam Christi ministri. 85. 24.
Quid significent vestes, quid Sacerdos indutus Sacrificium offert? ibid. 25.
Quid significent in sensu literali, & quid in morali? ibid. 26. & seq.
Omnes fideles aliquo modo offerunt Sacrificium per manus Sacerdotis, maximè qui inserviunt, & intersunt. ibid. 27.
Sacrificium offerri potest pro fidelibus baptizatis. 86. 28.
Potest offerri pro catechumenis nondum baptizatis. ibid. 29.
Potest offerri pro paganis, & infidelibus non baptizatis. ibid. 30.
Potest offerri pro hæreticis, & schismaticis toleratis. ibid. 31.

Non

Non licet sacrificium offerre pro excommunicatis denuntiatis, seu non toleratis. ibid. 32.
Licitum, & laudabile est illud offerre pro existentibus in purgatorio. ibid. 33.
Sacrificium offerri non potest pro Beatis, qui sunt in gloria. ibid. 34.
Sacrificium offerri non potest pro damnatis. 87. 35.
Sacrificium Missæ causat aliquem effectum ex opere operato. ibid. 37.
Habet ex sua institutione specialem vim ad impetrandum, non tamen impetrat ex opere operato. ibid. 38. & seq.
Sacrificium non confert immediatè gratiam sanctificantem, nec remissionem peccati mortalis. 88. 40.
Non valet ad illam immediatè obtinendum ex opere operato, nec per modum impetrantis. ibid.
Neque per accidens confert primam gratiam & remissionem peccati mortalis immediatè. ibid. 41.
Nec immediatè confert prædictis modis augmentum gratiæ. ibid. 42.
Mediatè confert primam gratiam, ejusque augmentum per modum impetrationis. ibid. 43.
Non delet immediatè, & per se venialia ex opere operato. 89. 44.
Sacrificium remittit per se, & ex opere operato pœnam debitam peccatis remissis quoad culpam. ibid. 45.
Potest etiam impetrare pœnæ remissionem. ibid. 46.
Conducit ad impetranda bona temporalia, non tamen ex opere operato. ibid. 47.
Fidelibus, qui remotissimè offerunt cum sacerdote, non respondet aliqua pars fructus ex opere operato. ibid. 50.
Sacerdoti, ut offert in persona Christi, respondet ex opere operato proprius effectus sacrificii. 90. 51.
Privatis offerentibus, qui ministrant, vel assistunt, respondet aliquis fructus proprius ex opere operato. ibid. 52.
Sacerdoti offerenti duplex fructus respondet ex opere operato, alter ut offert in persona Christi, & est minister publicus, alter ut est persona privata. ibid. 53.
Effectus respondens sacerdoti, ut est minister publicus, potest applicari pro voluntate ipsius. ibid. 54.
Ad hunc effectum non est necessaria sanctitas sacerdotis. ibid.
Hic effectus solùm conceditur illis, quibus à sacerdote applicatur. 91. 55.
Ut sacrificium habeat suum effectum ex opere operato, debet ille, cui applicatur, esse baptizatus, aliquo modo viator, & in gratia. ibid. 57.
Per sacrificium confertur effectus finitus intensivè, & extensivè. ibid. 58. & seq.
In quo sensu fructus sacrificii possit dici quodammodo infinitus extensivè? 92. 61.
Sacrificium habet infinitum valorem ad impetrandum. ibid.

SACRILEGIUM.

Sacrilegium est peccatum contra Religionem. 359. 236.
Sacrilegii quatuor sunt species. ibid. 237.
Ad primam pertinet violatio personæ Deo dicatæ per votum castitatis. ibid. 238.
Ad secundam violatio personæ aliàs sacræ. ibid.
Ad tertiam violatio locorum sacrorum per actiones indebitas. ibid. 239.
Ad quartam abusus sacramentorum, & aliarum rerum sacrarum. ibid. 240.
Sacrilegium reservatur in multis diœcesibus hujus regni. 739. 321. & seq.
De quo sacrilegio fiat hæc reservatio? 740. 322. & seq.

SALUTATIO.

Salutationes communes debentur proximis ex charitate. 888. 88.
Deesse in illis peccatum est scandali contra charitatem. ibid.
Salutatio Angelica explicatur. 267. 220.
Varia exempla memorabilia de salutatione Angelica. 286. 317. & seq.

SATISFACTIO.

Potest homo in hac vita satisfacere pro pœna temporali debita peccatis demissis. 518. 281. & seq.
Per quæ opera facienda hæc satisfactio? ibid.
Potest hæc satisfactio esse de condigno. ib.
Confessor, per se loquendo, tenetur aliquam satisfactionem imponere pœnitenti. ibid. 282.
Hæc satisfactio debet esse peccatis proportionata. ibid. 283.
Quæ opera imponi possint pro satisfactione. ibid. 284.
Pœnitens tenetur acceptare satisfactionem impositam. 519. 285.
Potest interdum imponi satisfactio implenda per alium. ibid. 286.
Quis possit satisfactionem semel impositam minuere, vel commutare in aliam? ibid. 287. & seq.
Satisfactio non est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ, sed solùm integralis. 507. 222.
Satisfactio facta in peccato mortali satis est ad integritatem sacramenti. 519. 289.

Probabile est talem satisfactionem, recedente postea obice, habere suum effectum. ibid.
Satisfactio sacramentalis remittit pœnas temporales ex opere operato. 520. 290.

SCANDALUM.

Scandalum quid sit? 333. 106.
Quid sit scandalum activum, & passivum? ibid.
Scandalum activum speciale peccatum contra charitatem. ibid. 107.
Scandalum speciale peccatum, etiam quando non intenditur spiritualis ruina proximi. 334. 108.
Scandalum purè passivum quid sit? ibid. 109.
In rebus indifferentibus potest interdum dari scandalum. ibid. 110. & seq.
Interdum non erit scandalum res indifferentes ministrare, vel vendere. ibid. 112.

SCHISMA.

Schisma quid sit? 330. 89.
Schisma peccatum gravissimum contra unionem charitatis. ibid.
Schisma aliquando est cum hæresi, aliquando sine illa. ibid.
Omnes hæretici sunt schismatici, non tamen omnes schismatici sunt hæretici. ibid.
Schismatici excommunicantur in prima clausula Bullæ Cœnæ, estò hæresim non habent. 685. 57.

SCRUPULUS.

Vide Conscientia scrupulosa.

SEDITIO.

Seditio quid sit? 333. 105.
Seditio duplex esse potest. ibid.
Utraque mala ex parte aggressorum. ibid.
Seditio ex genere suo peccatum mortale. ibid.

SENSUALITAS.

Sensualitas est concupiscentia appetitus sensitivi. 435. 571.
Sensualitatis motus venerei malitiam habent objectivam. ibid.
Motus sensualitatis non imputantur in culpam sine aliquo consensu voluntatis propriæ. ibid.
Si voluntas positivè, & efficaciter resistat his motibus, nullum est peccatum. ibid.
Si voluntas positivè, & efficaciter consentiat, peccat juxta gravitatem malitiæ objectivæ. ibid.
Consensus voluntatis etiam inefficax peccaminosus est, juxta gravitatem malitiæ objecti. ibid. remissivè.
Consensus virtualis, prævidendo morale periculum consensus formalis, mortalis est. 436. 572.
Idem est, si prævideatur morale periculum pollutionis. ibid.
Secluso periculo consensus positivi, non est obligatio adhibendi omnem diligentiam possibilem, ad impediendos tales motus. ibid. 573.
Secluso eodem periculo, non est mortale permittere in se tales motus, dando illis causam justam, & rationabilem. ibid.
Quæ possit esse hæc causa justa, & rationabilis? ibid. 574.
Quando sola honestas causæ sufficiat, vel non sufficiat ad hanc permissionem? 437. 575.
Sola causa mortaliter prava non reddit hos motus mortales, si ex se tales non sint, nisi causa habeat ex se illos causare. ibid. 576.
Non sunt tales motus mortales, stante causa justa, & rationabili, estò detur periculum pollutionis, dummodo hæc non sequatur ex intentione, absitque periculum consensus. ibid. 577.
Quid, quando nulla est utilitas, aut necessitas ad tales motus permittendos? ibid. 578.
Nemo ratione pollutionis tenetur vitare causas remotas per se proximè, & notabiliter non influentes in illam. 438. 579.
An motus sensualitatis, secluso periculo consensus, aut pollutionis, sint mortales, ex eo solùm, quòd voluntas negativè se habeat circa illos? ibid. 580.
Duplex sententia in hac quæstione. ibid.
Quid in ea practicandum sit? ibid. 581.

SEPULTURA.

Sepultura Ecclesiastica quid sit? 853. 10.
Sepultura Ecclesiastica danda omnibus, quibus jus Ecclesiasticum eam non denegat. ibid.
Neganda est Paganis, Iudæis, Mahometanis, & Hæreticis cognitis. 854. 21.
Neganda puero non baptizato, si sit totaliter extra corpus matris. ibid.
Baptizato baptismo dubio, undequaque dubium proveniat, danda est ecclesiastica sepultura. ibid. 22. & seq.
Neganda excommunicatis declaratis, interdictis, & suspensis ab ingressu Ecclesiæ declaratis. 855. 24.
In interdicto locali negatur sepultura ecclesiastica omnibus non habentibus privilegium. ibid.
Personaliter interdictis, & aliis censuratis absolutis in mortis articulo à quocumque sacerdote, danda est ecclesiastica sepultura. ibid. 25.
Qui, & à quo debeant absolvi post mortem, ut illam habere possint? ibid.
Sepelientes excommunicatum declaratum in sepultura ecclesiastica, incurrunt excommunicationem. ibid. 26.

tized by Google

Qui comprehendantur nomine sepelientium? ibid.
Hoc peccatum sepeliendi talem excommunicatum, est reservatum dioecesi Elvensi. 763. 405.
Vsurario publico neganda est ecclesiastica sepultura, si nec restituit, nec dedit idoneam cautionem. 855. 27.
Neganda raptoribus manifestis, & quando? ibid. 28.
Neganda Religiosis proprietariis utriusque sexus, & quando? ibid. 29.
Neganda morientibus in torneamentis, ac duello, & quando? 856. 30.
Neganda occidentibus se ipsos ex desperatione, vel ira. ibid. 31.
Quæ circa hos considerari debeant, ut hac pœna mulctentur? ibid. 32.
Neganda clerico notoriè concubinario, & quando? ibid. 33.
Neganda cuilibet peccatori notorio morienti sine pœnitentia. ibid.
Neganda blasphemo publico, & quando? ibid. 34.
Quid de eo, qui mortuus est blasphemando? ibidem.
Quid de illo, qui in morte diabolum nominat? 857. 35.
Neganda illi, qui confessus non fuit, vel non communicavit illo anno. ibid. 36.
Quomodo id sit intelligendum? ibid.
Qui privandus est ecclesiastica sepultura, nullo honore sepulchri afficiendus est. ibid. 37.

SEPULTURAE ELECTIO.

Sepulturæ electio est libera omni adulto, nec Parochus id potest impedire. 857. 38.
Strictè prohibitum est, ne quis aliquem inducat, ut in sua Ecclesia sepeliatur. ibid. 39.
Pœnæ eorum, qui contra talem prohibitionem in suis Ecclesiis sepeliunt. ibid. 40.
Potest quis electam semel sepulturam revocare, dum vivit. 858. 41.
Pœna Parochi rapientis funus sibi non debitum. ibid.
Vbi filius impubes sepeliendus sit? ibid. 42.
Vbi mulier nupta, si moriatur, non electa sepultura? ibid. 43.
Vbi sepeliendus, qui moritur, non electa sibi sepultura? ibid. 44.
Vbi sepeliendi peregrini, & exteri? ibid. 45.
Vbi sepeliendus, qui moritur in prædio rurali habens in civitate domicilium? ibid. 46.

SEPULTURAE PRETIUM.

Simoniacum est aliquid exigere tamquam pretium pro loco sepulturæ. 859. 48.
Vsus vendendi capellas pro sepulturis simoniacus non est, & cur? ibid. 49.
Quid de pretio dato, & accepto pro sepultura in loco digniori? ibid. 50. & seq.
Quando cui liceat proprium sepulchrum vendere? ibid. 53.
An possit quis pretium accipere pro licentia, ut aliquis sepeliatur in sua sepultura? ibidem.
Parochus nihil exigere potest pro sepultura aperienda in Ecclesia. 860. 54.

SERVUS.

Servus debet domino honorem, reverentiam, & subjectionem. 395. 392.
Debet obedientiam in iis, quæ justè præcipiuntur in ordine ad debitum obsequium. ibidem.
Debet eamdem in ordine ad bonos mores. ibidem.
Servus aliquale dominium habere potest, & quarum rerum? 605. 103.
Servo matrimonium prohiberi non potest. 395. 393.

SIGILLUM.

Ex ipsa sacramenti pœnitentiæ institutione oritur obligatio sigilli sacramentalis. 523. 312.
Ex nulla omninò causa licet violare sigillum sacramentale. 524. 313.
Neque indirectè licet violare sigillum. ibid. 314.
Omnia, quæ in confessione audiuntur, licèt ad illam non pertineant, alto silentio premenda. ibid.
Neque cum ipso pœnitente licet Confessori loqui de rebus in confessione auditis sine ejus licentia. 530. 342.
In quo casu id aliquando licere possit? ibidem.

SIMONIA.

Simonia grave peccatum contra Religionem. 360. 241.
Simoniæ definitio explicatur. ibid. 242.
Quæ res spiritualis sit materia simoniæ? ibid. 243.
In simonia debet intervenire pretium. ibid. 244.
Pretium simoniæ declaratur per munus à manu, à lingua, & obsequio. ibid.
Quando munus à manu sit, vel non sit pretium? ibid. 245.
Quando munus à lingua sit, vel non sit pretium simoniæ? 361. 246.
Quando munus ab obsequio sit, vel non sit pretium simoniæ? ibid. 247. & seq.
Declarantur variæ species simoniæ. ib. 249.
Quatuor genera rerum spiritualium, quæ possunt esse materia simoniæ. 360. 243.
Quando detur simonia circa res spirituales primi generis? 362. 250.
Quando circa res spirituales secundi generis? ibid. 251.

Quan-

Probabile est talem satisfactionem, recedente postea obice, habere suum effectum. ibid.
Satisfactio sacramentalis remittit pœnas temporales ex opere operato. 520. 290.

SCANDALUM.

Scandalum quid sit? 333. 106.
Quid sit scandalum activum, & passivum? ibid.
Scandalum activum speciale peccatum contra charitatem. ibid. 107.
Scandalum speciale peccatum, etiam quando non intenditur spiritualis ruina proximi. 334. 108.
Scandalum purè passivum quid sit? ibid. 109.
In rebus indifferentibus potest interdum dari scandalum. ibid. 110. & seq.
Interdum non erit scandalum res indifferentes ministrare, vel vendere. ibid. 112.

SCHISMA.

Schisma quid sit? 330. 89.
Schisma peccatum gravissimum contra unionem charitatis. ibid.
Schisma aliquando est cum hæresi, aliquando sine illa. ibid.
Omnes hæretici sunt schismatici, non tamen omnes schismatici sunt hæretici. ibid.
Schismatici excommunicantur in prima clausula Bullæ Cœnæ, estò hæresim non habent. 685. 57.

SCRUPULUS.

Vide Conscientia scrupulosa.

SEDITIO.

Seditio quid sit? 333. 105.
Seditio duplex esse potest. ibid.
Utraque mala ex parte aggressorum. ibid.
Seditio ex genere suo peccatum mortale. ibid.

SENSUALITAS.

Sensualitas est concupiscentia appetitus sensitivi. 435. 571.
Sensualitatis motus venerei malitiam habent objectivam. ibid.
Motus sensualitatis non imputantur in culpam sine aliquo consensu voluntatis propriæ. ibid.
Si voluntas positivè, & efficaciter resistat his motibus, nullum est peccatum. ibid.
Si voluntas positivè, & efficaciter consentiat, peccat juxta gravitatem malitiæ objectivæ. ibid.
Consensus voluntatis etiam inefficax peccaminosus est, juxta gravitatem malitiæ objecti. ibid. remissivè.
Consensus virtualis, prævidendo morale periculum consensus formalis, mortalis est. 436. 572.
Idem est, si prævideatur morale periculum pollutionis. ibid.
Secluso periculo consensus positivi, non est obligatio adhibendi omnem diligentiam possibilem, ad impediendos tales motus. ibid. 573.
Secluso eodem periculo, non est mortale permittere in se tales motus, dando illis causam justam, & rationabilem. ibid.
Quæ possit esse hæc causa justa, & rationabilis? ibid. 574.
Quando sola honestas causæ sufficiat, vel non sufficiat ad hanc permissionem? 437. 575.
Sola causa mortaliter prava non reddit hos motus mortales, si ex se tales non sint, nisi causa habeat ex se illos causare. ibid. 576.
Non sunt tales motus mortales, stante causa justa, & rationabili, estò detur periculum pollutionis, dummodo hæc non sequatur ex intentione, absitque periculum consensus. ibid. 577.
Quid, quando nulla est utilitas, aut necessitas ad tales motus permittendos? ibid. 578.
Nemo ratione pollutionis tenetur vitare causas remotas per se proximè, & notabiliter non influentes in illam. 438. 579.
An motus sensualitatis, secluso periculo consensus, aut pollutionis, sint mortales, ex eo solùm, quòd voluntas negativè se habeat circa illos? ibid. 580.
Duplex sententia in hac quæstione. ibid.
Quid in ea practicandum sit? ibid. 581.

SEPULTURA.

Sepultura Ecclesiastica quid sit? 853. 10.
Sepultura Ecclesiastica danda omnibus, quibus jus Ecclesiasticum eam non denegat. ibid.
Neganda est Paganis, Iudæis, Mahometanis, & Hæreticis cognitis. 854. 21.
Neganda puero non baptizato, si sit totaliter extra corpus matris. ibid.
Baptizato baptismo dubio, undequaque dubium proveniat, danda est ecclesiastica sepultura. ibid. 22. & seq.
Neganda excommunicatis declaratis, interdictis, & suspensis ab ingressu Ecclesiæ declaratis. 855. 24.
In interdicto locali negatur sepultura ecclesiastica omnibus non habentibus privilegium. ibid.
Personaliter interdictis, & aliis censuratis absolutis in mortis articulo à quocumque sacerdote, danda est ecclesiastica sepultura. ibid. 25.
Qui, & à quo debeant absolvi post mortem, ut illam habere possint? ibid.
Sepelientes excommunicatum declaratum in sepultura ecclesiastica, incurrunt excommunicationem. ibid. 26.

Qui

Digitized by Google

Qui comprehendantur nomine sepelientium? ibid.
Hoc peccatum sepeliendi talem excommunicatum, est reservatum dioecesi Elvensi. 763. 405.
Vsurario publico neganda est ecclesiastica sepultura, si nec restituit, nec dedit idoneam cautionem. 855. 27.
Neganda raptoribus manifestis, & quando? ibid. 28.
Neganda Religiosis proprietariis utriusque sexus, & quando? ibid. 29.
Neganda morientibus in torneamentis, ac duello, & quando? 856. 30.
Neganda occidentibus se ipsos ex desperatione, vel ira. ibid. 31.
Quæ circa hos considerari debeant, ut hac pœna mulctentur? ibid. 32.
Neganda clerico notoriè concubinario, & quando? ibid. 33.
Neganda cuilibet peccatori notorio morienti sine pœnitentia. ibid.
Neganda blasphemo publico, & quando? ibid. 34.
Quid de eo, qui mortuus est blasphemando? ibidem.
Quid de illo, qui in morte diabolum nominat? 857. 35.
Neganda illi, qui confessus non fuit, vel non communicavit illo anno. ibid. 36.
Quomodo id sit intelligendum? ibid.
Qui privandus est ecclesiastica sepultura, nullo honore sepulchri afficiendus est. ibid. 37.

SEPULTURAE ELECTIO.

Sepulturæ electio est libera omni adulto, nec Parochus id potest impedire. 857. 38.
Strictè prohibitum est, ne quis aliquem inducat, ut in sua Ecclesia sepeliatur. ibid. 39.
Pœnæ eorum, qui contra talem prohibitionem in suis Ecclesiis sepeliunt. ibid. 40.
Potest quis electam semel sepulturam revocare, dum vivit. 858. 41.
Pœna Parochi rapientis funus sibi non debitum. ibid.
Vbi filius impubes sepeliendus sit? ibid. 42.
Vbi mulier nupta, si moriatur, non electa sepultura? ibid. 43.
Vbi sepeliendus, qui moritur, non electa sibi sepultura? ibid. 44.
Vbi sepeliendi peregrini, & exteri? ibid. 45.
Vbi sepeliendus, qui moritur in prædio rurali habens in civitate domicilium? ibid. 46.

SEPULTURAE PRETIUM.

Simoniacum est aliquid exigere tamquam pretium pro loco sepulturæ. 859. 48.
Vsus vendendi capellas pro sepulturis simoniacus non est, & cur? ibid. 49.
Quid de pretio dato, & accepto pro sepultura in loco digniori? ibid. 50. & seq.
Quando cui liceat proprium sepulchrum vendere? ibid. 53.
An possit quis pretium accipere pro licentia, ut aliquis sepeliatur in sua sepultura? ibidem.
Parochus nihil exigere potest pro sepultura aperienda in Ecclesia. 860. 54.

SERVUS.

Servus debet domino honorem, reverentiam, & subjectionem. 395. 392.
Debet obedientiam in iis, quæ justè præcipiuntur in ordine ad debitum obsequium. ibidem.
Debet eamdem in ordine ad bonos mores. ibidem.
Servus aliquale dominium habere potest, & quarum rerum? 605. 103.
Servo matrimonium prohiberi non potest. 395. 393.

SIGILLUM.

Ex ipsa sacramenti pœnitentiæ institutione oritur obligatio sigilli sacramentalis. 523. 312.
Ex nulla omninò causa licet violare sigillum sacramentale. 524. 313.
Neque indirectè licet violare sigillum. ibid. 314.
Omnia, quæ in confessione audiuntur, licèt ad illam non pertineant, alto silentio premenda. ibid.
Neque cum ipso pœnitente licet Confessori loqui de rebus in confessione auditis sine ejus licentia. 530. 342.
In quo casu id aliquando licere possit? ibidem.

SIMONIA.

Simonia grave peccatum contra Religionem. 360. 241.
Simoniæ definitio explicatur. ibid. 242.
Quæ res spiritualis sit materia simoniæ? ibid. 243.
In simonia debet intervenire pretium. ibid. 244.
Pretium simoniæ declaratur per munus à manu, à lingua, & obsequio. ibid.
Quando munus à manu sit, vel non sit pretium? ibid. 245.
Quando munus à lingua sit, vel non sit pretium simoniæ? 361. 246.
Quando munus ab obsequio sit, vel non sit pretium simoniæ? ibid. 247. & seq.
Declarantur variæ species simoniæ. ib. 249.
Quatuor genera rerum spiritualium, quæ possunt esse materia simoniæ. 360. 243.
Quando detur simonia circa res spirituales primi generis? 362. 250.
Quando circa res spirituales secundi generis? ibid. 251.

Quan-

Digitized by Google

Quando circa res spirituales tertii generis? ibid. 252. & seq.
Quando circa res spirituales quarti generis? 363. 255.
Quando committatur simonia circa beneficia? ibid.
Quando in resignatione beneficii? ibid. 256.
Quando in permutatione beneficii? ibid. 257. & seq.
Quid, quando permutatur beneficium dignius cum minus digno? ibid. 258.
Quid, quando renuntiatur liti circa beneficium? 364. 259.
Quid, quando aliquid datur ad redimendam vexationem? ibid. 260. & seq.
Simonia est locare jurisdictionis potestatem. 365. 263.
An, & quando fit, vel non fit simonia pensiones vendere, aut redimere? ibid.
An, & quando fit, vel non fit simonia, vendere res spirituales, quæ plus habent de temporali? ibid. 264.
Quæ sint pœnæ simoniæ? ibid. 265.
Quæ simonia puniatur per pœnas impositas simoniacis? ibid.

SOCIETAS.

Quid sit contractus societatis? 623. 197.
Quis in hoc contractu plus lucrari possit? ibidem.
Cui sors perire debeat? ibid.
Quomodo possit quis justè assecurare sortem, ne sibi pereat? 624. 198.

SPES.

Spes virtus theologica. 318. 28.
Spes virtus distincta ab aliis theologicis. ibid. 29.
Spei objectum materiale Deus clarè videndus. ibid. 30.
Spei objectum materiale Dei bonitas ut nobis bona, & conveniens. ibid. 31.
Subjectum spei voluntas nostra. 319. 32.
Præceptum affirmativum spei obligat ad sperandum à Deo beatitudinem, & media ad illam. ibid. 33.
Quando hoc præceptum obliget? ibid. 34.
Præceptum negativum spei obligat pro semper ad non habendum actum spei contrarium. ibid. 35.
Desperatio est peccatum gravissimum contra spem. ibid. 36. Vide desperatio.
Præsumptio grave peccatum contra spem. 320. 39. Vide Præsumptio.
Peccata contra spem. 579. 40.

SPONSALIA.

Quid sint sponsalia? 541. 403.
Sponsalia non consistunt sine promissione externa. ibid.
Ad valorem sponsalium requiritur mutua promissio. ibid. 404.
Promittens sine repromissione, tenetur ad matrimonium liberaliter promissum. ibidem.
Promissio debet esse perfectè deliberata. ibidem.
Promissio, ut valeat, debet fieri cum animo verè promittendi, ac se obligandi. ibid. 405.
Sponsalia ficta nulla sunt. ibid. 406.
Fictè promittens quando teneatur ad matrimonium? ibid.
Ut sponsalia valeant, debent personæ esse habiles ad contrahendum matrimonium. ibid. 407.
Quæ dicantur personæ inhabiles? ibid.
Quid, si personæ inhabiles promittant sub conditione dispensationis? ibid.
Ad sponsalia requiritur saltem ætas septem annorum completa. ibid. 408.
Quid, si malitia suppleat ætatem? ibid.
Sponsalia valida dissolvi possunt ex mutuo consensu. 542. 409.
Sponsalia impuberum dissolvi non possunt quandiu durat impubertas. ibid.
Sponsalia dissolvuntur per professionem alterius in Religione approbata. ibid. 410.
Si alter Religionem ingrediatur, potest alter ante illius professionem cum alio contrahere. ibid.
Sponsalia dissolvuntur per votum profitendi in Religione approbata. ibid. 411.
Quid, quando qui in sæculo manet, grave detrimentum injustè patitur? ibid.
Sponsalia dissolvuntur per secunda sponsalia. ibid. 412.
Quid, si prima sponsa nolit desistere? ibid.
Sponsalia dissolvuntur per fornicationem alterius ex parte innocentis. ibid. 413.
Quid, si sponsus innocens adhuc velit matrimonium promissum? ibid.
Dissolvuntur ex parte per gravem mutationem supervenientem alteri sponso. ibid. 414.
Quæ mutationes ad id sufficiant? ibid.
Dissolvuntur, quando per alium stat, ne sponsalia tempore debito compleantur. 543. 415.
Quomodo hoc sit intelligendum? ibid. 416.
Dissolvuntur, quando sponsus abiit in terras longinquas. ibid. 417.
Aliquæ limitationes hujus solutionis, & earum intelligentia. ibid.

SPONSIO.

Sponsionis contractus quid sit? 625. 209.
Est contractus licitus. ibid.
Quatuor conditiones requiruntur, ut liceat. ibidem.
Quæ sint tales conditiones? ibid.

SPV-

Digitized by Google

SPURIUS.
Vide Filius.
SUBDITI.
Subditi debent superioribus observantiam. 390. 373.
Debent eis obsequium, reverentiam, & honorem. ibid.
Observantia superioribus spiritualibus debita religiosa est, & ordinis supernaturalis. 391. 374.
Debent superioribus obedientiam. ibid. 375.
Non debent formalem obedientiam, sed solam materialem. ibid.
Peccant superiorem etiam malum contemnendo, aut ei honorem debitum negando. ibid. 376.
Peccant mortaliter, quoties formaliter inobedientes sunt. ibid.
Tenentur revelare, quæ revelanda Prælati præcipiunt. ibid. 377.
Quando possit excusari à revelandis illis, quæ revelare tenebantur ante præceptum? 392. 378.
Quando excusari possint à revelandis illis, quæ solùm revelare tenentur, posito præcepto? ibid. 379.
Quid de revelationibus, quæ jubentur fieri ab Inquisitoribus in causis fidei? ibid. 380. & seq.
SUPERBIA.
Est primum vitium capitale. 452. 646.
Superbia quid sit? ibid.
Variæ superbiæ species. ibid. 647.
Quando superbia sit mortalis, quando venialis? 453. 648.
Superbiæ filia vana gloria. ibid. 649.
Superbiæ filia præsumptio. 455. 659.
Superbiæ filia ambitio. ibid. 660.
SUPERSTITIO.
Superstitio vitium Religioni oppositum. 350. 191.
Cultus Dei illegitimus species superstitionis. ibid. 192.
Cultus superfluus species superstitionis. ibid. 193.
Idololatria species superstitionis. ibid. 194. & seq.
Divinatio species superstitionis. 351. 198.
Vana observantia species superstitionis. 352. 202.
Magia species superstitionis. 353. 207.
Veneficium, & maleficium species superstitionis. ibid. 211. & seq.
SUSPENSIO.
Suspensio censura ecclesiastica. 668. 472.
Suspensio quid sit? ibid.
Suspensio triplex, ab officio, à beneficio, ab utroque. ibid. 473.
Quid intelligatur per officium, & quid per beneficium? ibid.
Suspensio vel à jure, vel ab homine. ibid.
Suspensio vel totalis, vel partialis. ibid.
Suspensio quando fertur simpliciter, est totalis. ibid. 473.
Quid, quando est à solo ordine? ibid.
Quid suspensio à Pontificalibus? ibid.
Quid suspensio ab ingressu Ecclesiæ? ibid.
Quid suspensio ab ordine simpliciter? ibid. 474.
Quid suspensio ab ordine majori? ibid.
Quid suspensio simpliciter ab officio? ibid.
Quid suspensio à beneficio? ibid. 475.
Quid sint effectus suspensionis? 669. 476.
Quomodo cesset suspensio? ibid. 477.
SUSURRATIO.
Susurratio quid propriè sit? 422. 513.
In quo susurratio differat à detractione, quam frequenter continet? ibid.
Est peccatum contra charitatem, & contra justitiam. ibid.
Susurratio peccatum gravius detractione. ib.
Susurratio quando licere possit? ibid.
SYMBOLUM APOSTOLORUM.
Symbolum Apostolorum epilogus mysteriorum fidei. 228. 20.
Symbolum traditum ab Apostolis, & ideò dicitur symbolum Apostolorum. ibid.
Continet duodecim sententias, quæ articuli dicuntur. ibid. 22. & seq.
Doctrinam symboli tenentur scire omnes fideles. 225. 2.
Sciens doctrinam symboli doctior est omnibus Ethnicis Philosophis. 229. 25.
Doctrina symboli armamentum contra omnes tentationes. ibid. 26.
Explicatur primus articulus symboli. ibid. 27. & seq.
Explicatur secundus articulus. 234. 48. & seq.
Explicatur tertius articulus. 236. 57. & seq.
Explicatur quartus articulus. 239. 70. & seq.
Explicatur quintus articulus. 241. 83. & seq.
Explicatur sextus articulus. 243. 92. & seq.
Explicatur septimus articulus. 245. 100. & seq.
Explicatur octavus articulus. 247. 108. & seq.
Explicatur nonus articulus. 249. 122. & seq.
Explicatur decimus articulus. 251. 133. & seq.
Explicatur undecimus articulus. 252. 139. & seq.
Explicatur duodecimus articulus. 254. 148. & seq.

T

TABELLIO.

Vide Notarius.

TACTUS.

Tactus impudici prohibentur in sexto præcepto Decalogi. 411. 466.
Tactus quarumcumque partium corporis ex causa necessaria culpa vacant. ibid.
Tactus graves inter solutos capti ex delectatione ex ipsis consurgente, mortales sunt. ibid. 467.
Quid de tactibus inter sponsos? ibid.
Tactus etiam leves ex eodem fine à mortali non excusantur. ibid.
Qui dicantur tactus leves? ibid.
Quid de tactibus cum infantibus. 412. 368.
Tactus ex joco aliquando excusari possunt à mortali. ibid.
Quando excusari nequeant? ibid.

TEMPERANTIA.

Temperantia est virtus opposita vitio gulæ. 463. 697.
Temperantia quid sit? ibid.
Temperantiæ duæ partes abstinentia, & sobrietas. ibid.
Quid utraque sit? ibid.

TENTATIO Dei.

Quid sit tentare aliquem? 357. 229.
Tentari potest Deus expresse, vel tacite. 358. 230.
In quo consistat utraque hæc tentatio? ibid.
Non licet tentare Deum expresse pro se. ibid.
Non licet etiam Deum tentare pro aliis. ibid. 231.
Duobus modis potest Deus tentari tacite. ibid. 232.
Peccatum mortale esset tentare Deum tacite. ibid.
Utraque Dei tentatio opponitur Religioni. ibid. 233.

TESTAMENTUM.

Testamentum quid sit? 627. 218.
Testamentum in quo differat à codicillo? ibid.
Quid in testamento operetur clausula codicillaris? ibid.
Quæ solemnitates requirantur ad testamentum de jure communi? ibid. 219.
Quæ requirantur ex jure nostro Lusitano? ibid.
Quæ requirantur in testamento aperto ibid.
Quæ requirantur in clauso? ibid. 220.
Quæ requirantur in testamento nuncupativo? 628. 221.
Valere testamentum minus solemne in foro conscientiæ probabile est. ibid. 223.
Quæ ex ea sententia sequantur? ibid.
Probabilius non valere in conscientia testamentum minus solemne. ibid. 224.
Quomodo utraque sententia temperari possit? ibid. 225.
Testamentum minus solemne factum ad causam piam, valet pro utroque foro. 629. 226.
Quæ personæ testari non possint? ibid. 227.
An filii spurii, aut naturales possint institui hæredes, vel succedere parentibus ab intestato ex vi juris communis? ibid. 229. & seq.
Quid de jure nostro Lusitano? 630. 231.
An, & quando filii naturales possint institui hæredes à parentibus, & in quo illis succedant ab intestato ex jure communi? ibid. 232.
Quid de jure nostro Lusitano? ibid. 233.
Quid, & quotuplex sit substitutio facta in testamento, & quid unaquæque? 631. 234.

TESTAMENTARIUS.

Ex negligentia testamentarii circa opera pia relicta à defuncto, grave damnum patitur anima. 870. 105. & seq.
Quando liceat absque culpa ea aliquantulum differre? ibid. 107.
Fidelis esse debet in prædictis citò præstandis. ibid. 108. & seq.
Quando infideliter, impiè, & damnabiliter agat, ea differendo? 871. 109.
Fidelem esse oportet erga omnia, & singula ejus fideicommissa. ibid.
Non satisfaciet Deo, si intra annum suffragia, & pia legata adimpleat, ibid.
Quando defunctus tempus non determinavit, suffragia, & pia legata quamprimùm implenda sunt sub culpa mortali. ibid. 110.
Testamentarium negligentem homicidam appellant sacri Canones. ibid. 111.
Duo gravia supplicia testamentarii negligentis. ibid. 112. & seq.

TESTIS.

Quando testis legitimè non interrogatus teneatur verum dicere? 428. 540.
Legitimè interrogatus tenetur veritatem manifestare. ibid.
In quibus casibus possit veritatem negare. ibid.
Quomodo tunc jurare debeat sine mendacio? ibid.
Quando teneatur etiam non requisitus testificari? ibid.

Legi-

Legitimè interrogatus veritatem abscondens, peccat, & potest teneri ad damni restitutionem. ibid.
Testis tenetur verum testificari. ibid.
Quid, si postea deprehendat se falsum fuisse testificatum? 429. 541.
Quid, si sciens falsum fuit testificatus? ibid.
Peccata testium multa. ibid. & 594. 52.
Testes matrimonii debent assistere modo humano, & morali. 549. 446.
Non opus est, ut sint exceptione majores. ibid.
Testes alibi repellendi sufficiunt ad matrimonium. ibid.

TESTIMONIUM.

Quid in octavo præcepto Decalogi prohibeatur per testimonium? 416. 489.
Per testimonium prohibetur omnis injustitia illata per verba, & judicia interna. ibidem.

THESAURUS.

Thesaurus quid propriè significet? 606. 109.
Ad quem pertineat de jure naturali? ibid.
Ad quem de jure civili? ibid.

THESAURUS ECCLESIAE.

Thesaurus Ecclesiæ quid sit? 768. 422.
Quæ bona contineat hic thesaurus? ibid.
Est in Ecclesia potestas ad dispensanda bona hujus thesauri. ibid. 423.
Hæc potestas est in Christi vicario. ibid.
Valdè utilis fidelibus hujus thesauri dispensatio, quæ fit per indulgentias. ibid.

TRISTITIA.

Tristitia de carentia boni Dei extrinseci actus est charitatis. 323. 56.
Tristitia de bonis spiritualibus dicitur acedia opposita gaudio charitatis. 329. 84.
Tristitia de bono proximi, quia diminutivum concipitur propriæ excellentiæ, dicitur invidia. ibid. 85.
Tristitia de bono proximi, quando culpa carere possit? ibid. 86. Vide invidia.

TUTOR.

Tutor tenetur curare tamquam pater de moribus ac bona institutione pupilli. 396. 396.
Tenetur curare de bonis pupilli patris instar. ibidem.
Tenetur facere inventarium de bonis pupilli. ibid.
Quas alias obligationes habeat circa bona pupilli? ibid.

V

VASSALLI.

Vassalli debent principibus, & illis, qui temporaliter gubernant observantiam politicam. 395. 390.
Debent eisdem honorem, reverentiam, ac obedientiam in illis, quæ justè præcipiunt. ibidem.
Debent justa tributa, & vectigalia. 586. 47.

VENDITIO.

Venditio idem contractus cum emptione. 616. 160.
Venditio, & emptio quid sint? ibid.
Quæ consideranda ad valorem rei venditæ? ibid.
Pretium legale justum intervenire debet, si extet. ibid. 161.
Pretium legale consistit in indivisibili. ibid.
Pretium naturale habet latitudinem supremi, medii, & infimi. ibid.
Quæ causæ varient pretium naturale rerum. 617. 162.
Res ad ornatum, & delectationem pertinentes non habent certum pretium. ibid. 163.
Res ad vitam necessariæ vendi non possunt ultra justum pretium absque culpa, & onere restituendi. ibid. 164.
Venditor in foro externo non cogitur ad restitutionem, nisi quando vendit supra medietatem justi pretii. ibid.
Aliter est in foro conscientiæ. ibid.
Potest venditor ultra justum pretium exigere damnum sibi ex venditione emergens. ibid.
Venditio rei vitiosæ in substantia est nulla, & injusta cum onere restituendi. ibid. 165.
Idem est, quando est vitium in quantitate. ibid.
Vendere rem vitiosam in qualitate, pro sana, est contractus injustus cum onere restituendi. ibid. 166.
Quando venditor teneatur, vel non teneatur manifestare emptori vitium rei venditæ. 618. 167. & seq.
Non licet vendere credito pretio majori justo supremo. ibid. 168.
Quanto pretio res vendi debeant? ibid. 169.
Res tanti vendi debet, quanti valet, vel valebit tempore traditionis. ibid.
Quid de lanis, & aliis mercibus, quæ solent vendi dando pretium anticipatè? 619. 170

Quan-

Quando, & quomodo liceat venditio cum pacto de retrò vendendo? ibid. 171.
Vide Emptio.

VESTES SACRAE.

Quæ vestes requirantur ad celebrandum sacrificium Missæ? 100. 104.
Debent esse benedictæ. ibid. 105.
Est culpa mortalis celebrare sine illis. ibid. 104.
Sine quibus liceat in necessitate celebrare? ibid.
Quando illarum benedictio deperdatur? ibid. 105.
Parochus sit valdè solicitus circa munditiem, & nitorem sacrarum vestium. 892. 110. & seq.
Vide Parochus circa ornatum Ecclesiæ.

VIATICVM.

Viaticum dicitur communio pro articulo mortis, & quare sic dicatur? 500. 190.
Omnes fideles tenentur communicare in periculo mortis. 496. 167.
Probabile est excusari à viatico sumendo, qui paulò antea communicavit. 501. 191.
Probabilius teneri ad iterum communicandum. ibid.
Potest infirmus communicare non jejunus, si expectare facilè non potest. ibid. 192.
Parocho non licet celebrare non jejuno ad communicandum infirmum. ibid.
Oppositum tamen probabile est. ibid.
Parochus potest celebrare ante, & post horam consuetam ad viaticum ministrandum. ibid.
Nunquam tamen licet consecrare, non celebrando, ad hunc effectum. ibid. & 505. 212.
Parochus tenetur ex officio communicare omnes infirmos suæ Parochiæ etiam peste infectos. 501. 193.
Quæ infirmitates impediant à sumptione viatici? ibid. 194.
Quid faciendum, si evomatur sacrum viaticum? ibid.
Quid, si infirmus post viaticum statim moriatur? 502. 195.
Viaticum dandum pueris, qui sani nondum communicabant. ibid.
Viaticum non est negandum illi, qui non potuit confiteri. ibid. 196.
Quando viaticum dandum sit phrænetico, & illi, qui amisit usum rationis. ibid.
In eadem infirmitate potest communio sæpius dari, non tamen danda secundò non jejuno. ibid. 197.
An, & quando viaticum sit dandum peccatori publico? ibid. 198.
An, & quando dandum sit publico usurario? ibid.
Quid præstare debeant peccatores publici, ut eis viaticum concedatur? 503. 199.
Quando peccatori occulto dandum, vel negandum sit viaticum? ibid. 200.
Parochus, si periculum sit infirmum moriturum sine viatico, deferat sacramentum sine solemnitatibus ordinariis. 506. 216.
Quæ solemnitates sufficiant in eo casu? ibid.

VITIVM CAPITALE.

Septem vitia dicuntur capitalia, & quare? 451. 641.
Quare vulgariter appellentur peccata mortalia? ibid.
Explicatur superbia, quæ est primum vitium capitale, & quæ ex ipsa oriuntur. 452. 646. & seq.
Explicatur avaritia, quæ est secundum, & quæ ex ipsa nascuntur. 455. 661. & seq.
Explicatur luxuria, quæ est tertium, & alia ex ipsa originem habentia. 457. 668. & seq.
Explicatur ira, quæ est quartum, & quæ ex illa pullulant. ibid. 671. & seq.
Explicatur gula, quæ est quintum, & quæ ex ipsa nascuntur. 458. 676. & seq.
Explicatur invidia, quæ est sextum, ejusque filiæ declarantur. 459. 680. & seq.
Explicatur acedia, quæ est septimum, & alia ex ipsa ortum habentia. 460. 686.
Explicantur septem virtutes his septem vitiis oppositæ. 461. 689. & seq.

VNCTIO EXTREMA.

Vnctio extrema sacramentum novæ legis. 530. 344.
Fuit à Christo institutum. ibid. 345.
Ejus materia remota oleum olivarum ab Episcopo benedictum. ibid. 346.
Materia proxima unctio. ibid. 347.
Quinque unctiones de necessitate præcepti. ibid.
Probabilius est omnes quinque esse de necessitate sacramenti. ibid. 348.
Qui privatus est aliquo sensu, ungendus in ea parte, in qua sensus esse debuit. 531. 349.
Non spectat ad essentiam sacramenti, ut unctiones fiant eo ordine, quo fieri solent, ibidem.
Neque etiam, quod unctio fiat in forma crucis. ibid.
Quæ sit forma hujus sacramenti? ibid. 350.

VNCTIONIS
Effectus.

Gratia sanctificans effectus sacramenti unctionis. 531. 351.

Cau-

Causat auxilia proportionata ad roborandum animam infirmi in ultimo agone. ibid. 352.
Causat remissionem peccatorum quoad culpam. ibid. 353.
Quomodo id sit intelligendum. 532. 354.
Causat remissionem poenarum. ibid. 355.
Confert hos effectus, cùm sacramentum perficitur. ibid. 356.
Est etiam effectus sacramenti unctionis sanitas corporis. ibid. 357.
Quomodo id sit intelligendum? ibid.

VNCTIONIS
Minister.

Vnctionis extremæ minister solus sacerdos. 532. 358.
Simplex sacerdos minister sufficiens. ibid. 359.
Minister ordinarius Parochus. ibid.
Non potest sacerdos licitè ministrare sine Parochi licentia, nisi in extrema necessitate. ibid.
In extrema necessitate, si non adsit Parochus, tenetur simplex sacerdos eam ministrare. ibid.
Potest à pluribus sacerdotibus simul conferri. 533. 360.
Id tamen non licet, extra casum extremæ necessitatis. ibid. 361.
Parochus tenetur hoc sacramentum suis ovibus ministrare. ibid. 362.
An Parochus teneatur ministrare hoc sacramentum tempore pestis? ibid. 363.
Quando Parochus teneatur hoc sacramentum ministrare cum periculo propriæ vitæ? ibid.
Quando ad id etiam teneantur alii sacerdotes? ibid.
Vide Parochus circa unctionem.

VNCTIONIS
Subjectum.

Infantes, & pueri ante usum rationis non sunt capaces hujus sacramenti. 533. 364.
Omnes adulti baptizati, qui habent, vel habuerunt usum rationis, sunt capaces hujus sacramenti. 534. 365.
Amentes perpetui, qui numquam habuerunt usum rationis, non sunt capaces hujus sacramenti. ibid.
Quando dandum, vel non dandum peccatori publico? ibid.
Quid de peccatore occulto? ibid.
Non potest validè conferri, nisi infirmis. ibid. 366.
Confectis senectute conferri potest, quia senectus est morbus. ibid.
Quomodo istis dandum sit. ibid. 367.
Vt detur hoc sacramentum, non est expectandum, quod vita sit omninò desperata. ibid.
Iterari potest in eadem infirmitate, & quando? ibid. 368.
Non est præceptum recipiendi hoc sacramentum. ibid. 369.
Quando quis peccare possit illud non recipiendo? ibid.

VOLVNTAS
Vltima.

Pietatis est ultimas defunctorum voluntates pias quamprimùm adimplere. 870. 105.
Ira Dei super executores negligentes. 871. 112. & seq.
Poenæ eorum, qui obliviscuntur suffragia pro defunctis offerre. ibid.
Parochus sedulus sit, ut sui obligationibus istis satisfaciant. 870. 105. & 872. 114.
Vide Testamentarius. Vide Testamentum.

VOTVM.

Votum quid sit? 344. 163.
Quatuor concurrere debent ad votum, & quæ illa sint? ibid. 164. & seq.
Deliberatio requiritur ad votum, & qualis? ibidem.
An votum extortum per metum valeat? ibidem.
Votum non datur sine vera promissione, & voluntate se obligandi. ibid. 165.
Cui facienda sit promissio, ut sit votum? ibid. 166.

VOTI MATERIA.

Materia voti quatuor conditiones postulat. 345. 167.
Materia voti debet esse possibilis. ibidem, & seq.
Quid, quando materia voti facta fuit impossibilis vel in totum, vel in partem? ib. 169.
Quid, quando materia individua tota est impossibilis? ibid. 171.
Quid, quando materia est possibilis, modus verò impossibilis? ibid.
Quid si materia est impossibilis, modus verò possibilis? ibid.
Materia voti non debet esse vana. 346. 172.
Quæ dicatur materia vana? ibid.
Votum de re vana, seu indifferenti non obligat. ibid.
Obligat votum de re indifferente, si bona reddatur ex fine extrinseco. ibid.
Materia voti debet esse honesta, & bona. ibid. 173.
Quid, si materia voti bona sit, finis autem vovendi malus? ibid.
Deciduntur varii casus circa hanc quæstionem. ibid.
Materia voti non debet esse incompatibilis cum meliori bono. ibid. 174.

Quan-

Digitized by Google

Quando materia bona dicatur opposita meliori? ibid.

VOTI
Obligatio.

Votum obligat juxta capacitatem materię. 346. 175.
Potest quis leviter obligari in materia gravi, non verò è contra. ibid.
Si quis dubitat, an voverit, non obligatur ad votum. ibid.
Si dubitat, an impleverit votum, tenetur implere. ibid.
Quid de eo, qui habens votum Religionis, vel castitatis, posteà uxorem duxit? ibid.

VOTI
Divisio.

Votum vel est solemne, vel simplex, & quid utrumque? 347. 176.
Votum vel est personale, vel reale, & quid utrumque? ibid. 177.
Discrimen inter votum personale, & reale? ibid.
Votum vel est absolutum, vel conditionatum, vel etiam pœnale. ibid. 178.

VOTI
Irritatio.

Voti irritatio quid sit? 347. 179.
Quæ personæ potestatem habeant irritandi vota? ibid.
Quando vota, quæ irritari possunt, statim sint irrita, & quando irritanda? ibid.
Omnia vota filiorum impuberum possunt irritari à patre, aut tutore. ibid. 179.
Quando mater valeat irritare vota filiorum? ibid.
Quando pater, & alii potentes irritare, valeant irritare vota filiorum puberum? ibid. 180.
Quæ vota servorum Dominus irritare valeat? 348. 181.
Prælatus irritare valet omnia vota suorum Religiosorum. ibid. 182.
Quid possit circa vota novitiorum? ibid.
Quæ vota uxoris possit maritus irritare? ibid. 183. & seq.
Quæ vota mariti possint ab uxore irritari? ibid. & seq.
Ad vota irritanda causa necessaria non est, sed sufficit sola voluntas potentis irritare. 347. 179.

VOTI
Commutatio.

Quid sit commutatio voti? 348. 185.
Commutare vota in rem evidenter meliorem potest ipse vovens authoritate propria. ibid.
In dubio, an res sit evidenter melior, commutatio non est facienda authoritate propria. ibid.
Vota Papæ reservata commutari non possunt, nisi in vitam Religiosam. ibid.
Vt votum commutetur in rem æquivalentem, requiritur authoritas superioris. 349. 186.
Qui potest dispensare in votis, potest illa commutare. ibid. 187.
Ad commutandum in melius non requiritur causa. ibid.
Ad commutandum in æquivalens aliqua causa requiritur. ibid.
In commutatione in rem minorem aliqua dispensatio intervenit. ibid. 186.
Confessarius, qui ex privilegio potest commutare in æquivalens, non nimis scrupulosè agat. ibid. 187.
Vide Cruciatæ Confessor. Vide Confessor Iubilæi.

VOTI
Dispensatio.

Votum tolli potest per dispensationem. 349. 188.
Quid sit voti dispensatio? ibid.
Papa potest dispensare in omnibus votis, & juramentis. ibid.
Vt hæc dispensatio licita, & valida sit, requiritur causa rationabilis. ibid.
Episcopus potest dispensare in omnibus votis simplicibus, exceptis quinque Papæ reservatis. ibid.
Quæ sint ista quinque Papæ reservata? ibid.
Probabile est posse Episcopum dispensare in illis quinque, si sint conditionata, vel pœnalia. ibid.
Quando Episcopus possit dispensare in quinque illis votis Papæ reservatis? ibid. 189.
Parochi, & alii Confessores non possunt dispensare in votis, nisi ex privilegio, aut facultate superioris. ibid.
Prælati Regulares possunt dispensare in votis cum suis subditis. ibid. 190.
Hæc dispensatio vix erit necessaria, & quare? ibid.

VSVRA.

Vsura quid sit? 613. 144.
Est intrinsecè mala, omni jure reprobata. ib.
Omne onus pretio æstimabile impositum mutuatario usura est. ibid.
Hujus rei ponuntur varia exempla. ibid.
Non est usura aliquid accipere à mutuatario liberaliter oblatum ex gratitudine. ibid. 145.
Non est usura aliquid accipere ultra sortem ob damnum mutuanti emergens. ibid. 146.
Quæ pacta fieri liceant circa hoc damnum emergens. ibid.
Non est usura aliquid accipere ultra sortem pro lucro cessante mutuanti? 614. 147.
Quomodo justificetur id, quod in Montibus Pie-

Digitized by Google

Pietatis accipitur ultra sortem? ibidem. 148.
Potest aliquid accipi ultra sortem ob periculum illius. ibid. 149.
Potest aliquid sine usura accipi ultra sorte ex pœna conventionali. ibid. 150.
Quando hæc pœna possit esse justa, & absque labe usuræ palliatæ. ibid.
Quando possit, vel non possit sine usura accipi eadem quantitas mutuata tempore, quo magis valet? ibid. 151.
Quid de pecunia mutuata, si tempore, quo solvitur, aucta sit à Principe? ibidem. 152.
Triplex species usuræ, mentalis, explicata, & palliata. ibid. 153.
Quæ sit, & in quo consistat unaquæque istarum? ibid.

VSVS
Matrimonii.
Vide Matrimonii usus.

VSVSFRVCTVS.
Vsusfructus quid sit? 604. 98.
In quo usus fructus distinguatur ab usu nudo? ibid.

VSVS NVDVS.
Vsus nudus quid sit? 603. 96. & seq.
In quo usus nudus distinguatur ab ususfructus? ibid.
Vsus nudus non potest alteri dari, aut vendi. ibid.

VSVCAPIO.
Vsucapio idem, ac præscriptio.
Vide Præscriptio.

VXOR.
Vxor tenetur obedire marito, eumque diligere. 389. 370.
Tenetur virum honorare, ejusque defectus tolerare. ibid.
Tenetur curam domus habere. ibid.
Tenetur sequi virum mutantem domicilium. ibid.
Ex quibus causis liceat uxori maritum non sequi? ibid.
Vxor culpa sua recedens à marito privatur alimentis. ibid.
Vxor tenetur filios alere. ibid. 368. & 562. 507.

Z

ZELVS.

Rectores animarum Zelo ardere debent. 56. 83.
Zelus quid operetur in Rectore animarum? ibid. 84.
Zelus animarum ex D. Paulo. 8. 40.
Zelus necessarius Rectoribus animarum. 19. 97.
Vide in priori indice.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google